IX.
G.
34.
BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
IX
G
34
NAPOLI

RODOLPHI HOSPINIANI TIGVRINI, CONCORDIA DISCORS.

RODOLPHI

HOSPINIANI

TIGVRINI,

CONCORDIA DISCORS,

Hoc eſt,

DE ORIGINE ET PROGRESSV FORMVLÆ CONCORDIÆ BERGENSIS,

Liber Vnus.

IN QVO, QVÆ LIBRO CONCORDIÆ CONTINENTVR, Sacræ Scripturæ, Orthodoxis Symbolis, Antiquitati puriori, ipſique etiam Auguſtanæ Confeſſioni repugnantia, Contradictiones item, Condemnationes & modus agendi in Eccleſia Chriſti hactenus inuſitatus, quem in conſcribendo, ſuffragiis muniendo, & promulgando eo, Patres Bergenſes, Auctores ejus ſequuti ſunt, Chriſtiano Lectori ob oculos ponuntur.

Ex Actis tum publicis, tum privatis, Receſſibus item aliquot Conventuum, Scriptis quoque & Reſcriptis, Cenſuris & Iudiciis Illuſtriſſimorum Principum, Eccleſiarum, Scholarum, &c.

PRO ORTHODOXIS ECCLESIIS.

CVM QVADRVPLICI INDICE: TITVLORVM LIBRI, AVTHORVM QVI IN EO citantur; Locorum Scripturæ Sacræ *quæ inibi explicantur,* Rerum *item ac* Verborum *Memorabilium.*



GENEVÆ,

Sumptibus SAMVELIS DE TOVRNES.

M. DC. LXXVIII.

ILLVSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO DOMINO OTTONI LANDGRAVIO,

Illuſtriſſimi & Potentiſſimi *Principis* ac *Domini Dn.* MAVRITII *Landgravii Haſſiæ, Comitis in Cattenelnbogen, Zigenhayn, Nidda & Dietz,* PRIMOGENITO; Domino ſuo Clementiſſimo,

S. D.

QVum Sacroſanctæ Cœnæ Domini ac Servatoris noſtri IESV CHRISTI Sacramentum ideo peculiariter ab ipſo inſtitutum & traditum ſit, ut per id arctiùs illi incorporemur, & ab eo vitam continuo tenore hauriamus, multaque charitate inter nos ſub illo, tanquam Capite noſtro, conglutinemur: nihil autem Humani generis hoſti magis hoc glutino noſtræ cum noſtro Capite conjunctionis & unitionis inviſum atque moleſtum ſit: propterea homines non ſolùm à prima ejus forma, quod ad ritus & ceremonias attinet, ſenſim abducere conatus eſt; ſed etiam bellum crudele ac diuturnum admodum concitavit, ut veram de ea doctrinam obſcuraret, quinimò deleret penitùs, & falſam erroneámque in eo propugnaret & defenderet, quòd hoc Sacramento adulterato & corrupto, ſe hominum ſaluti plurimùm nocere & officere poſſe intelligeret.

Trojani belli & Peloponneſiaci diuturnitas in multis hiſtoriis decantatur, illud enim decem, hoc autem viginti ſeptem annos duravit continuos, in quo multæ civitates Græciæ partim deletæ funditus, partim triſti ſervitute oppreſſæ, Athenæ captæ, ac ſi Thebanis & Corinthiis Lyſander Lacedæmoniorum Imperator paruiſſet, ſolo æquatæ fuiſſent, & bella ex bellis nova ſubinde orta ſunt. Celebrant alii Aſſyriaca & Babylonica, Perſica & Macedonica bella, quæ horribilia, cruentia & diuturna fuerunt. Habuerunt

buerunt Romani quoque ſua Punica bella, quorum primum annos viginti quatuor: ſecundum ſeptemdecim : tertium quatuor complectitur : Habuerunt iidem Mithridatica, Cimbrica, Civilia & Germanica bella. Atrox inprimis, cruentum & diuturnum SACRUM, ut vocant, bellum fuit, Romanorum Pontificum inexplebili dominandi cupiditate excitatum & inflammatum: in quo maximis copiis totius propè habitati orbis populi, Saraceni, Turcæ, Arabes, Ægyptii, aliæque barbaræ gentes, & Chriſtiani ex omnibus Regnis & Provinciis ſuis evocati, infeſtiſſimis ſignis & armis ducentorum annorum ſpatio ſæpenumero concurrerunt, ſtrageſque horribiles, & tantúmnon prodigioſas ediderunt, animis utrinque incredibiliter exaſperatis. Verùm, *Illuſtriſſime ac Generoſiſſime Princeps*, bellum, quod vocant SACRAMENTARIUM, meo quidem judicio, iſtis omnibus atrocius, nocentius & diuturnius longè eſt. Cœpit id leviter quidem circa annos Chriſti 850. & ab eo tempore in hunc uſque diem durat, annos videlicet 750. quo toto temporis ſpatio acriter dimicatum & certatum fuit, non tantùm calamis, attramento & chartis dentatis, ſed etiam anathematiſmis diris, perſequutionibus immaniſſimis, carceribus, exiliis, proſcriptionibus, quin etiam ferro ac igni quàm crudeliſſimè. Quum enim ſana doctrina de Sacramentali Præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Symbolis Cœnæ, à temporibus Apoſtolorum ultra octingentos annos, integra, pura & incorrupta manſiſſet; tunc demùm, quia fatalis illa inclinatio veræ doctrinæ aderat, quæ à Prophetis & Apoſtolis prædicta fuit, cœperunt nonnulli carnalem Præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœnę Symbolis ſtatuere ac docere. Occaſionem aberrandi dedit illis ritus & compellatio iſta Chriſti, quæ in Cœnæ celebratione fiebat, quâ ſiſtebatur Patri ut Mediator. Inde enim pervaſit opinio per animos hominum ſuperſtitioſorum, nec accuratè Verbo Dei & primitivæ Eccleſiæ Doctrinæ attendentium, Pani verum & reale Corpus Chriſti adeſſe, & coram communicare ſemetipſum carne ſuâ ſubſtantialiter præſente, & applicare merita ſua interceſſione & opere Sacerdotis, cœperuntque Symbolis externis ceu numinibus quibuſdam inhærere, ſicut omni tempore Ethnici quoque & Iſraelitæ ſigna in res ſignatas & numina verterunt. Deinde confirmarunt hanc ſuperſtitioſorum hominum opinionem plurimùm, phraſes hyperbolicæ primitivæ Eccleſiæ Patrum & Doctorum, quibus nullam corporalèm præſentiam in Pane docere, ſed majeſtatem ſolùm & venerationem quandam huic Sacramento conciliare voluerunt. Non tamen ſententia hæc nova, & veræ antiquitati incognita doctrina, ab omnibus illicò approbata & recepta, ſed tantùm ab initio in quæſtionem propoſita fuit, & de ea in Scholis ſolùm diſputari cœptum eſt. Nondum enim exoleverat Patrum primitivæ Eccleſiæ Doctrina, Auguſtini præſertim, quæ poſt mortem ejus, quaſi per manus tradita fideliſſimè à rectè ſentientibus cuſtodita & confirmata fuit.

Initium concertationis factum eſt in Gallia, Bertramo Presbytero, qui à Carolo Calvo Rege & omnibus Orthodoxis in magno pretio, propter ſummam eruditionem & vitæ ſanctimoniam habebatur, cum aliis nonnullis Auguſtini & reliquorum Orthodoxorum Patrum ſententiam acriter defendentibus. Vt autem zizania, ſi ſemel radices egerunt, facilè ampliùs evelli non poſſunt: quod etiam ſatis docent tribuli, cardui atque lappæ: nec non anſerina, ranunculus & campanella in vineis: ubi enim aliquandiu floruerunt, inde nullâ poſtea arte pelli poſſunt: & ut exſtantem caulem cum

foliis

foliis admotâ calce maximè reſeces, radicem tamen funditus tollere difficile eſt: unde fit, ut quotannis denuò erumpant, & circumfuſas ſegetes vel penitùs ſuffocent, vel ſaltem impediant, quo minùs rectè adoleſcant: Sic quum primùm falſa doctrina de reali Corporis Chriſti in Cœna præſentia in Eccleſia locum aliquem inveniſſet, mox à Romanis Pontificibus & Monachis approbata eſt, ut quæ nundinationi & mercaturæ ſuæ accommodatiſſima foret, támque altas brevi tempore radices egit, ut Iohannem Erigenam, ab aliquibus Scotum, ſed non rectè, cognominatum in Mamelsburgenſi cœnobio Dionyſii libellum de Hierarchia interpretantem; & tunc vulgo receptam opinionem de carnali Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia præſentia taxantem, diſcipuli, à Monachis ſuperſtitioſis impulſi, graphiis confoderint, circa annos Chriſti 884.

Eandem Orthodoxæ vetuſtatis ſententiam, & perpetuum omnium Patrum conſenſum acriter defendit quoque in Gallia circa annos Domini 1040. Berengarius, Turono clariſſimâ Vrbe Galliæ oriundus, & Andegavenſis Eccleſiæ Archidiaconus, pietate & doctrina celeberrimus, Vincentio, Bergomenſi & alii teſtibus. Non docuit hic, quod multi tamen contra manifeſtam veritatem affingere ei non verentur, nihil aliud in Cœna à fidelibus percipi vel ſumi, quàm nuda ſymbola, panem videlicet & vinum duntaxat: ſed credidit ac docuit, quemadmodum etiam ipſum infallibile Verbum Dei, atque Auguſtinus & alii fideliſſimi Primitivæ Eccleſiæ Doctores tradiderunt, in Cœna non tantùm Pane & Vino, ſed etiam vero Domini Corpore & Sanguine ſpiritualiter credentes ad vitam æternam refici: impugnavit autem carnalem Corporis & Sanguinis præſentiam, quam Rom. Eccl. eo tempore docebat & aliis etiam obtrudere conabatur, ut ex fragmentis Berengarianæ ſententiæ, quæ apud Lanfrancum, capitalem ejus atque infenſiſſimum hoſtem leguntur, in libro de Euchariſtiæ Sacramento.

Grave igitur bellum indicitur Berengario à Leone IX. Pontifice Romano Humberti & Hildebrandi Cluniacenſis Monachi, Conſiliariorum aſtutiſſimorum inſtinctu, qui oppreſſione Berengarii doctrinam quoque ejus exſtirpari poſſe arbitrabantur. Convocat itaque Pontifex Synodum, in qua Berengarius abſens damnatur & Eccleſiæ communione privatur. Quum verò Berengarius ſuam doctrinam authoritate Sacræ Scripturæ & conſenſus vetuſtatis magis magiſque defenderet, eáque à multis Galliæ Eccleſiis celebribus approbaretur, & Pontifex Romanus ſuæ cauſæ diffideret, Anno 1050. menſe Septemb. Vercellis aliam Synodum convocat, Berengarius autem licèt vocatus, comparere tamen, vim & tyrannidem metuens, recuſavit. Duos tamen Clericos ſuo nomine ad Synodum miſit, qui ſuam in ea cauſam agerent, Lanfranco teſte. In hac Synodo ſententia Berengarii expoſita quidem, ſed rurſus damnata eſt, duo item Clerici, quos Berengarius eò ablegarat, volentes ejus cauſam defendere, capti & in vincula conjecti ſunt: In eadem quoque primo omnium, quod ſciam equidem, de reali & corporali Chriſti præſentia in ſymbolis Cœnæ, ceu pio & Catholico dogmate cautum decretúmque fuit. Mille enim illi fatales anni jam evoluti erant, de quibus Iohannes in Apoc. 20. ſcribit, quòd tunc Draconem vel Satanam ſolvi rurſus, & omne genus ſuperſtitionum, idololatriæ, errorum & abominationum in mundum introduci oporteat.

Finitâ hac Synodo in diverſis Provinciis per ſuos Legatos Synodos inſtituit Leo Pontifex, ut Berengarii doctrinam, hoc eſt, veritatem opprime-

ret. Berengarius contrà in ſua ſententia perſtitit, & quantis potuit viribus eam defendit & propagavit. Gallicanæ etiam Eccleſiæ nihil iſtis Papiſticis definitionibus, anathematiſmis & tyrannide movebantur, ſed Andegavi plures convenientes Romanæ & Vercellenſi Synodis contradicunt, & Berengario ſubſcribunt: quod etiam Turoni accidit.

Quum igitur his decretis & brutis fulminibus Pontificum Romanorum Berengarius opprimi non poſſet, tertia Synodus à Victore, & quarta à Nicolao II. contra illum coacta eſt: in hac Synodo Palinodia, Berengario præſcripta, rejecta quidem ab eo primùm, ſed tandem carceris mortiſque metu ab eo extorta fuit: in qua fateri coactus eſt, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem, non ſolùm Sacramentum, ſed etiam verum Corpus & Sanguinem D. N. Ieſu Chriſti eſſe, & ſenſualiter non ſolùm ſacramento, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri: &c.

Hæc Berengarii puſillanimitas offendit plurimos, è contra verò Pontificum Romanorum partes plurimùm confirmavit & auxit. Berengarius autem ſibi malè conſcius ob veritatem abnegatam, animum reſumit, & contra Synodi Romanæ decreta ac ſuam Palinodiam librum edidit, in quo apertiſſimè ſcribit, hanc ſuam Palinodiam per vim ab ſe extortam eſſe, ideóque Romanam Eccleſiam non eſſe ſanctam, ſed Eccleſiam malignantium, Concilium vanitatis, nec Apoſtolicam, ſed Satanæ ſedem. Priorem quoque ſuam ſententiam & doctrinam prædicare & tueri in Gallia pergit. Berengario verò ejuſque libro totis viribus ſeſe opponit Lanfrancus, eo qui etiamnum de Sacramento Euchariſtiæ exſtat tractatu. Primùm autem doctrinam de Tranſſubſtantiatione, quam Berengarius ut novam, Verbo Dei & veteri Eccleſiæ contrariam, reprehenderat, verbosè tueri, Berengarii autem oppugnare & evertere conatur: Adeóque primus omnium, qui Tranſſubſtantiationem ſcriptis defendere conati ſunt, meritò habetur. Strinxerunt etiam poſt Lanfrancum contra Berengarium calamum Guitmundus Averſanus Apuliæ Epiſcopus & Algerus Corbeienſis Monachus.

Paulò poſt Gregorius VIII. Hellbrandus antea dictus, quintum Concilium contra Berengarium congregavit, in quo doctrinam ejus denuò condemnavit, & opinionem de corporali Carnis Chriſti in Euchariſtia præſentia & manducatione confirmavit.

Interea moritur Berengarius. Non tamen unà cum eo exſtincta eſt vera de Euchariſtia ſententia & doctrina. Nam S. Bernhardus Abbas Clarevallenſis annis circiter 30. poſt mortem Berengarii primitivæ Eccleſiæ de Myſteriis doctrinam conſtanter retinuit ac docuit. Waldenſes etiam circa annos Chriſti 1163. corporalem carnis Chriſti in pane præſentiam apertè repudiarunt, & duplicem Chriſti præſentiam Corporalem ac Spiritualem orthodoxè diſtinxerunt. Corporalis præſentiæ, ſeu eſſendi modo Chriſtum in cœlis, & non in terris eſſe docuerunt, juxta Chriſtianæ fidei articulos, & eos, qui poſt Aſcenſionem corporalem ejus in terra præſentiam profiterentur, Pſeudoprophetas nominarunt. Spiritualis autem præſentiæ modo, Chriſtum toti miniſterio ſuo verè & efficaciter adeſſe dixerunt, in Sacramẽto tamen peculiariter adeſſe dici Sacramẽtaliter, hoc eſt, velut in ſacro & externo ad hoc divinitus inſtituto ſigno, id certificante & teſtificante in verbo, ipſumq; Chriſtum inferente in ſpiritum fidelium, & omnia ejus beneficia.

Romani

Romani igitur Pontifices, ſupra omne quod dicitur Deus evecti, quum argumentis ex Verbo Dei & Orthodoxo conſenſu antiquitatis petitis, deſtituerentur, tandem ferro & igni omnes eos, velut declaratos hæreticos & nocentiſſimas Rerumpublicarum peſtes perſequuti ſunt, qui noluerunt agnoſcere realem Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœna præſentiam, prout eà in præteritis Conciliis conſtituta & decreta fuerat: Quum autem magnus rectè ſentientium numerus in omnibus adhuc reliquus eſſet, CRUCIATÆ palàm contra eos, tanquam peſtilentiſſimos hæreticos, prædicatæ ſunt. Iſto enim tempore novo quodam prædicandi genere Romaniſtæ uſi ſunt. Nam ſi Romanus Pontifex gentem vel homines aliquos condemnaſſet hæreſeos, etſi reſipiſcere, hoc eſt, ſe illorum tyrannidi ac libidini ſubiicere, & Romanæ Eccleſiæ errores approbare recipereque nollent, igni & ferro propterea exterminandos decreviſſet, Prædicatores, Monachos inquam & ſimiles emiſſarios emittebat, qui CRUCEM prædicarent, hoc eſt, claſſicum canerent, & ſub excommunicationis pœna præciperent omnibus & ſingulis, ut arreptis armis, gentem vel homines illos à Pontifice devotos funditùs excinderent. Pollicebantur etiam Pontificis nomine plenariam peccatorum remiſſionem fortiter contra tales pugnantibus, & plurimum humani ſanguinis fundentibus. Hoc totum negotium CRUCIATA appellabatur, cujus ſæpe mentionem faciunt in ſuis Hiſtoriis Vincentius, Antoninus & alii. Proinde CRUCEM illis temporibus prædicare dicebantur, qui ad arma devotis inferenda Chriſtianos concitabant. Crucem verò ſuſcepiſſe, aut Cruce ſeſe inſigniviſſe dicebantur, qui nomina ſua hujuſmodi Pontificiæ tyrannidi dederant, & operam ſuam ad juſſa Pontificum in exſtirpandis hæreticis aut devotis fideliter conferebant. In hac igitur laniena contra Orthodoxos inſtituta poſt Berengarii mortem, multa millia hominum, nullâ prorſus vel ſexûs, vel ætatis ratione habitâ, funditûs exciſa ſunt, tantâ quidem crudelitate, tantâq; animorum ferociâ & belluinâ ſævitiâ, ut non facilè ſimilia in aliis hiſtoriis inveniantur exempla.

Quum itaque non ſatis tutùm ampliùs eſſet, ob immanem Pontificum Romanorum tyrannidem Orthodoxæ ſententiæ de Cœna in Berengario damnatæ, ex profeſſo adhærere, multi tamen improbare eam & repudiare omninò non poſſent, ut Verbo Dei & Primitivæ Eccleſiæ Doctrinæ conſentientem: mediam quandam inter Pontificiam & Orthodoxam ſententiam excogitarunt aliqui: qui tamen etiam ipſi inter ſe variarunt opinionibus. Docuerunt enim nonnulli, ut ex libro 1. & 3. Guitmundi intelligitur, verum panem & vinum poſt conſecrationem in Cœna quidem manere, ſed ſimul In, Sub, vel Cum pane & vino reale quoque Corpus & Sanguinem Chriſti exiſtere & contineri: quam opinionem alii Conſubſtantiationem, Guitmundus verò Impanationem appellat, in eámque acerbius multò invehitur; & eam inſectatur vehementiùs, quàm Berengarii doctrinam, ut quæ conſiſtere nullo modo poſſit. Nonnulli tradiderunt, materiam panis mutari quidem in Corpus Chriſti, ſed tamen formam ſubſtantialem panis eandem manere. Alii quod non maneat ſubſtantia panis, ſed vel annihiletur, vel reſolvatur in materiam primam. Rupertus verò Tuitienſis Abbas docuit, panem Euchariſtiæ aſſumi à Verbo, eo prorſus modo, quo natura humana ab eodem aſſumpta eſt.

His itaque variis ac diſcrepantibus ſententiis permotus Innocentius III. Papa,

Papa, ne quid detrimenti Romana Eccleſia acciperet, Tranſſubſtantiationem, ſeu doctrinam de mutatione & converſione ſigni in ſignatum, panis in Corpus reale, & vini in Sanguinem naturalem, ſic ut de ſignis nihil reliqui amplius ſuperſit præter ſpeciem & apparentiam accidentium denuò in Lateranenſi Concilio, Anno Chriſti 1215. congregato, non ſolùm approbavit, ſed etiam inter Articulos Fidei retulit, & Tranſſubſtantiationis nomen, prioribus ſeculis inauditum & incognitum, Decretalibus infarſit. A quo demum tempore hæc doctrina tanto ſtudio, tantáque ſævitiâ & tyrannide defenſa & propugnata fuit, ut Ioannes Scotus, Guilelmus Occamus, Petrus de Alliaco Cameracenſis Cardinalis, aliíque Conſubſtantiationem, ſeu coexiſtentiam Corporis Chriſti In, vel Sub, vel Cum pane libentiſſimè approbaſſent, & amplexi fuiſſent, niſi Eccleſiæ determinatio obſtitiſſet. Nam ab hoc etiam tempore magis quàm antea, anathematis fulmine percuſſi,ac tanquam nocentiſſimi hæretici proclamati & damnati ſunt, qui diverſum ſentire, vel hoc dogma carpere & oppugnare tentarent.

Nihilominùs Aſiaticæ,Græcæ, & aliæ nonnullæ orbis Chriſtiani Eccleſiæ nunquam ſunt aſſenſæ,ſed hanc de Tranſſubſtantiatione doctrinam tanquam impiam repudiarunt, ut ex Actis Florentini Concilii intelligitur.

Oppreſsâ hoc modo in plurimis Europæ partibus verâ doctrinâ Verbi Dei & primitivæ Eccleſiæ de vera præſentia Chriſti in Miniſterio & Sacramentis, non tamen infauſtum hoc bellum ſimul etiam extinctum eſt, ſed Scholaſtici Doctores, Pontificum Romanorum mancipia, quum externum hoſtem nullum amplius haberent, ipſimet contrariis de Tranſſubſtantiatione ſententiis, ac impiis abſurdiſque de Cœna Dominica quæſtionibus inter ſeſe quàm acerrimè diſceptarunt & pugnarunt. At ut ex infinitis pauca ſaltem proferam, dimicarunt de expoſitione Pronominis Hoc, quid videlicet demonſtret. Gerſon contra Floretum Hoc panis ſubſtantiam demonſtrare contendit: quem Turrianus, Gardinerus & alii ſequuntur. Hinc neceſſariò ſequitur, panis ſubſtantiam verum eſſe Corpus Chriſti. Occamus igitur & Petrus Alliacenſis Hoc referunt ad Corpus: juxta quam ſententiam Corpus Chriſti eſt Corpus Chriſti. Thomas Aquinas utranque ſententiam improbans, ad individuum quoddam vagum confugit, & hanc interpretationem adfert: Hoc, id eſt, contentum ſub his ſpeciebus, aut ſignatum per hoc, vel ens, quod ſub hoc ſenſibili ſigno latet & continetur, aut hoc, quod in illud tranſmutatur aut convertitur, eſt Corpus meum. Iuxta hanc ſententiam panis tranſſubſtantiatur, & Chriſti Corpus ante verba Conſecrationis præſens fit: & tamen hæc vulgò recepta eſt ſententia. Ioannes de Bugo igitur disjunctivam induxit, ut huic abſurdo occurreret, hoc modo: Hoc, id eſt, ſub hac ſpecie præſens, vel de propinquo futurum, eſt Corpus meum. Hujus ſententiæ ſenſus eſt, Corpus meum eſt, aut mox erit Corpus meum. Guitmundus Pronomen Hoc, non ad panem eſſe relativum, ſed tantum demonſtrativum dicit: ut ſit ſenſus, Hoc, videlicet jam non amplius panis, eſt Corpus meum. Bonaventura, Guilelmus Widefrodus Anglus & alii, Panem quidem per Pronomen Hoc demonſtrari volunt, ſed copulam, EST, practicè & effectivè, pro ſubſtantialiter fit & continetur, intelligendam eſſe aiunt. Durandus cùm ex his difficultatibus ſe extricare non poſſet,ad extremum ſtatuit, Pronomen Hoc nihil ſignificare, ſed tantùm materialiter poni: Nullam ergo ad efficiendam etiam conſecrationem vim habet. Innocentius III. ipſum Corpus Chriſti,

quod

quod per verbum BENEDIXIT, ſtatim ex pane factum fuiſſe, demonſtrari comminiſcitur, aut ὕστερον πρότερον, propter non benè ab Evangeliſtis obſervatum rei in Dominica Cœna geſtæ ordinem, ponendum, atque ſic verba legenda eſſe contendit: Hoc eſt Corpus meum, accipite, edite. Hoc verò praviſſimum commentum, quo tamen in Lateranenſi Concilio per ipſum introducta nititur Tranſſubſtantiatio, multis & accuratè refutat Richardus Mediavillenſis: qui tamen ſe nihil aliud probabilius habere, quod dicat, ingenuè fatetur: niſi quòd iſte ſit ſenſus: HOC, id eſt, aliquid ſub hac ſpecie præſens, vel de propinquo futurum eſt Corpus meum. Hanc autem, ut vocant, poſitionem, rurſus Ioannes de Baſſolis Scotiſta, non minùs ſolidè & accuratè refutat. Scotus, cùm in iſtorum omnium opinionibus nihil firmitatis eſſe intelligeret, eò devenit, ut per Pronomen HOC, pro tempore prolationis Cœnæ, nihil prorſus, ſed demùm poſtquam tota oratio completè enuntiata fuerit, ipſum Chriſti Corpus demonſtrari velit. Rupertus Holcotus itaque horum omnium expoſitiones, ut pueriles, inanes, phantaſticas & ineptas deridet, & ipſe dicit, per Pronomen HOC, ſignificari quiddam utrique termino commune, & termino à quo, & termino ad quem: quod ejuſmodi eſt, ut etiam nunc, ſi reviviſcerent, vix ipſi Prophetæ & Apoſtoli intellecturi eſſent. Ex paucis his, nam pluribus immorari nolo, *Generoſiſſime Princeps*, Celſitudo Tua intelligit, ut præcipua Romanæ Eccleſiæ membra, ac lumina, Scholaſtici nimirum Doctores, tam diſcrepantibus inter ſeſe variarint ſententiis, ac pugnarint interpretationibus quatuor ſolùm verborum iſtorum HOC EST CORPUS MEUM: quorum ne hodie quidem in Romana Eccleſia certa ac expedita intelligentiæ ratio eſt: Quæ omnia à nobis in prima parte Hiſtoriæ noſtræ Sacramentariæ expoſita ſunt copioſiſſimè.

Quum hoc modo in ipſa Pontificia Eccleſia inter ſeſe acriter decertâſſent Scholaſtici Theologi, eorúmque diſputationibus, & doctrinâ prorſus debellata & oppreſſa jaceret veritas à Lateranenſi Concilio ad quingenteſimum uſque ſupra milleſimum annum, Dei tamen Opt. Max. ingenti beneficio tunc vires reſumpſit & in integrum reſtituta eſt, quando denſiſſimas nebulas & obſcuriſſimas tenebras luce clariſſimâ Verbi ſui, diſcuſſit & profligavit. Hoc verò indigniſſimè ferens Satan hoſtis Eccleſiæ Dei immaniſſimus, quia noverat ſe plurimùm ſuperioribus ſeculis Sacramentario bello damni dediſſe, omnia tentavit, ut deinceps non ſimilia, ſed longè atrociora certamina & pugnas contra veram Doctrinam de Cœna Domini excitaret, ac magnam partem reformatarum quoque Eccleſiarum, ſi non prorſus, ſaltem parte aliquâ in priſtinis tenebris ac erroribus detineret.

Quum itaque omnes ſperarent, LUTHERUM ac ZUINGLIUM, quorum inprimis operâ Deus in eruenda ac vindicanda veritate in Germanicis & Helveticis Eccleſiis uſus fuerat, cum Symmachis & Collegis ſuis in Antichriſti regnum junctis viribus & communibus armis impetum facturos, idque oppugnaturos, aſtu hoſtis illius factum eſt, ut illi ipſi arma in ſe converterent, ſeſeque mutuò lacerare, conficere ac perdere conarentur. Lutherus enim etſi ante motum cum Carolſtadio certamen, & deinceps etiam, quoties ſedatior fuit, ut erat vehementis ingenii, Sacramentalem verborum Inſtitutionis intellectum non obſcurè approbarit, quippe haud ita pridem profeſſione Auguſtinianus fuerat Monachus, non igitur Auguſtini ſententiam ignorare aut improbare poterat, ut ex multis locis ſcriptorum

illius

illius intelligitur : nihilominus Ioannis Scoti, & ut ipſemet fatetur, Petri de Alliaco Cardinalis Cameracenſis ſententiam de Cœna tandem ſecutus eſt, & in pane & vino, vel Cum & Sub his elementis Corpus & Sanguinem Chriſti, SUBSTANTIALITER, REALITER & CORPORALITER eſſe & contineri docuit, adeóque Conſtubſtantiationem panis & corporis, vini & ſanguinis approbavit, & verbis Inſtitutionis Hoc eſt Corpus meum, ab initio firmiter defendi poſſe putavit: & ſic dum Charybdim vitare voluit in Scyllam incidit. Hoc enim inter Tranſſubſtantiationem & Conſubſtantiationem intereſt, quod cùm utraque veram, ſubſtantialem & carnalem Chriſti Corporis & Sanguinis præſentiam in Euchariſtia ſtatuat, in modo ſaltem præſentiæ diſſentit: quòd hæc, non ut altera, aſpectabiles rerum cœleſtium notas cenſet in eas res converti, quarum notæ ſunt, verùm integras, & pro ſuæ naturæ modo in Sacramento permanere fatetur & concedit, ſed ita, ut cum ipſis rebus ſubſtantialiter & corporaliter conjungantur, quas ſignificant. Longius etiam Conſubſtantiationis quàm Tranſſubſtantiationis dogma à Chriſti verbis recedit, ſive Litera ſpectetur, ſive ſenſus. Litera eſt, HOC, id eſt, Panis hic eſt Corpus meum, ipſo quoque Luthero interprete. Senſus eſt, Panis iſte viſibilis fractus & diſtributus, eſt verum meum, pro vobis traditum Corpus: non tamen eſſentiali converſione, ut Papiſtæ volunt, ſed myſticè, ſive ſacramentali Metonymiâ: ut Chriſtus ipſe, & Paulus, totáque Orthodoxa antiquitas interpretantur. Ab hac litera & ſententia verborum Chriſti Conſubſtantiationis dogma toto abeſt cœlo: ac falſiſſimum eſt verum ſenſum verborum retineri, quum pro verbis Chriſti, Hoc eſt Corpus meum, hæc ſubſtituantur, In pane, Sub pane, Cum pane hoc eſt Corpus meum. Nam nec ſolus panis, nec panis cum Corpore intus latente, propriè & ſine tropo eſt Corpus Chriſti: ſicut nec crumena vacua, vel numis plena propriè & ſine tropo pecunia dicitur. Adverſatur etiam hæc verborum Chriſti interpretatio, tum veritati carnis Chriſti circumſcriptæ, tum ejuſdem in cœlos aſcenſioni, & ex cœlis reditui.

Quum igitur Carolſtadius, Eccleſiæ & Scholæ Witebergenſis Paſtor ac Profeſſor, cui jam antea Lutherus, ob ejectas ex Templo Witebergenſi in ſua abſentia imagines infenſior erat, hanc ſententiam non probaret, eáque de re Lutherum admoneret, & diceret, ipſum in doctrina de Sacramentis multa ſibiipſi contraria, quæque non vero & crucifixo, ſed imaginario potiùs Chriſto convenirent, ſcripſiſſe; idque facile ſe probare poſſe, tunc ex concitato animi fervore aureum nummum extractum ex pera ipſi obtulit, inquiens: En accipe, & quantum potes animosè contra me dimica: &c. Carolſtadius, quum aureum nummum marſupio ſuo recondidiſſet, Luthero manum in ſponſionem oblatæ & pactæ contentionis porrexit: pro cujus confirmatione Lutherus ipſi viciſſim hauſtum vini propinavit, adhortans eum, ne ſibi parceret, ſed quantò vehementius & animoſius contra ſe ageret, tantò illum ſibi chariorem futurum.

Hæc, *Generoſiſſime Princeps*, infeliciſſimi iſtius Certaminis, quod ex pacto & ſponſione ſuſceptum, tot jam annis Eccleſiam Chriſti graviſſimè exercuit, infauſta auſpicia fuerunt: quæ ſi quis diligenter, ſepoſitis affectibus, apud ſe animo expendat, ex quo Spiritu profecta fuerint, tantò rectiùs & æquiùs non ſolùm de toto hoc certamine, ſed etiam de polemicis Lutheri ſcriptis, in quibus quod ſemel in invidiam Carolſtadii, & adverſariorum

ſuorum

ſuorum odio defendendum ſuſceperat, quoquomodo aſſerere ac tueri quàm cuiquam opinione ſuâ ceſſiſſe videri maluit, eſt judicaturus.

Provocatus enim hoc modo Carolſtadius ad certamen, libellos aliquot de Cœna Baſileæ edidit, qui longè latéque ſparſi ſunt: ad illos mox reſpondit Lutherus, libro quem inſcripſit, Contra Cœleſtes Prophetas, ſeu Fanaticos. Per hunc totum Librum, præter errores quos continet, Carolſtadium omni genere contumeliarum, calumniarum, convitiorum ac maledictorum lacerat & obruit.

Paulò poſt Zuinglius etiam & Oecolampadius ſuam ſententiam de Cœna Domini, editis in lucem libris, declararunt, ſic tamen, ut neque Carolſtadii cauſam ſuſciperent, quam non in omnibus probarunt, neque Lutherum lædere aut oppugnare ullo modo cogitarent, ſed ſe ſuáſque Eccleſias ſaltem à calumniis Pontificiorum, infenſiſſimorum hoſtium, vindicarent. Hoc verò quum primùm intellexiſſet Lutherus, indignans quenquam reperiri, qui cum Carolſtadio præſentiam Chriſti corporalem in ſymbolis Euchariſtiæ negaret, eodem impetu, quo prius Carolſtadium, adortus eſt Zuinglium & Oecolampadium pluſquàm iracundè & contumelioſè, & hos fortiſſimos fidiſſimóſque Chriſti milites, quos gnaviter contra communes hoſtes, Anti-Chriſtum Romanum, & alios, non ſine magnis periculis & difficultatibus, pugnantes fideliter adjuvare debebat, inclementiùs multò tractavit, quàm eos oppugnarunt ipſi Papiſtæ, quibus in ſtabiliendo capite & fundamento Idolomaniæ, nempe Chriſto illo fictitio, ſub pane vel ſpecie panis latente, percommodam operam navavit, & jucundiſſimum ſpectaculum, ſæviendo in Orthodoxos exhibuit.

Dogma autem ſuum de carnali præſentia Chriſti In, vel Sub, vel Cum pane & vino, primò verbis Inſtitutionis ſolùm defendit. Ab hoc verò propugnaculo verborum Chriſti, non rectè intellectorum, à Zuinglio & Oecolampadio depulſus, tunc pro eo quòd cedere veritati debuit, Vbique præſentiam Corporis Chriſti arripuit, & ex unione hypoſtatica duarum Naturarum in Chriſto, & Seſſione ejus ad dexteram Patris, Corpus Chriſti non minus præſens eſſe, quàm ejus Divinitatem in omni lapide, ligno, cantharo cerviſiario, gramine, arborum foliis, &c. ac proinde etiam in pane Cœnæ, docere & contendere cœpit.

Hoc infelix certamen inter Lutherum, Zuinglium & Oecolampadium, quum multis ſcriptionibus in annum ferè quartum magno conatu agitatum eſſet, & alii Lutherum, alii Helvetios ſequerentur, erant, qui tum propter Dei gloriam & Eccleſiarum conjunctionem contra communes hoſtes Pontificios, tum propter Germaniæ tranquillitatem, quæ ſtudio partium in factiones diſtrahebatur pernicioſiſſimas, ex quibus certa ruina patefactæ & reſtitutæ tantis cum periculis & certaminibus veritati Evangelicæ imminebat, concordiam & pacem inter partes certantes conſtituere conarentur. Hos inter caput & princeps fuit PHILIPPVS ille Magnus Haſſiæ Landgravius ſanctiſſimæ laudatiſſimæque memoriæ Princeps, Celſitudinis Tuæ Proavus, qui veræ Doctrinæ ſtudio ingenti accenſus, ad placidam Sententiarum Collationem Anno 1529. utriuſque partis Theologos, ac inprimis Lutherum & Zuinglium, Marpurgi congregavit. Etſi verò plena in hoc Colloquio Concordia ſanciri nequiverit: quôd de hac ſola quæſtione inter utramque partem non planè conveniret, Num verum Corpus & verus Sanguis Chriſti, pani & vino Cœnæ corporaliter inſint: utrinque tamen ſanctè promiſſum

eſt, dare ſe velle operam, ut deinceps alii in alios Chriſtianam charitatem colerent & exercerent; mutuíſque precibus utraque pars aſſiduè à Deo peteret, ut verum intellectum illis largiri & conſtabilire in eo de quo adhuc utrinque non conſtabat, dignaretur. Quum etiam Lutherus Vbiquitatis commentum duobus annis 27. & 28. defendiſſet, eóque contra adverſarios pertinaciſſimè pugnaſſet, id etiam poſt Marpurgenſe hoc Colloquium abjecit, & eo in negotio Cœnæ non utendum eſſe palàm confeſſus eſt. Qui verò priores has pactiones Marpurgi ſubſcriptas tranſgreſſi ſint, appaiet ex Epiſtola Lutheri ad Iacobum Præpoſitum Bremenſem Concionatorem, multò verò clariùs ex literis ejuſdem ad Albertum Marchionem Brandenburgenſem anno 32. ſcriptis, ac poſtremò ex aliis Lutheri ad S. P. Q. Francofurtenſem anno 33. evulgatis, in quibus & Principem illum, & Francofurtenſes contra pacta & conventa Marpurgi ſcripta hortatur, non modò ut ſibi à Zuinglianorum doctrina caveant, ſed eos etiam finibus ſuis pellant, nec quicquam cum illis communicent: & poſtremo ex libro ejus de Miſſa privata, quem eodem anno edidit, nulla certè re ab Helvetiis offenſus, ut qui ſemper diligenter caverunt per totum ſeptennium, ne quicquam, quod pactis Marpurgenſibus & paci Eccleſiarum officeret, violare videretur, committerent: niſi quòd Tigurini hoc ultimo ſcripto graviter offenſi, tandem compulſi ſunt Apologiam conſcribere, quâ doctrinæ ſuæ & rationem redderent, & Lutheri calumnias abſtergerent: eam tamen typis non evulgarunt, ne conſilia eorum interrumperent, qui hanc contentionem ſopire conabantur.

Inter illos præcipuus rurſus fuit Celſitudinis Tuæ Proavus PHILIPPUS Landgravius, qui in eam curam totus incubuit, ut firma & ſtabilis Concordia inter utranque partem iniretur ac ſanciretur, quòd magis magiſque intelligeret, diſſidium & bellum hoc inteſtinum Evangelicorum longè gratiſſimum, & ſpectaculum jucundiſſimum eſſe Pontificiis, ideóque ſubinde etiam frigidam eos ſuffundere, ut vires Evangelicorum hac ratione frangerentur minuerentúrque, eóque faciliùs utrinque opprimi poſſent. Ad hanc autem Concordiam conficiendam duo Theologi Celſitudini ejus maximè viſi ſunt idonei Philippus Melanchthon & Martinus Bucerus, & propterea eos ad ſe Caſſellas vocavit anno 35. In hoc Conventu quum PHILIPPUS ex accurata & ſincera Buceri declaratione de vera Præſentia Corporis Chriſti in Cœna Helvetiorum ſententiam perſpicuè cognoviſſet, ſtatim ſiniſtras de ipſis ſuſpiciones depoſuit, omnéſque vires intendit, ne ſuis partibus deeſſet, & apertè profeſſus eſt, ſe hactenus ſiniſtrâ ſuſpicione occupatum fuiſſe, Helvetiorum & Buceri ſententiam de Cœna ſe approbare & amplecti, nec poſſe illam damnari, ideóque ſe, rejectâ pravâ ſuſpicione, Concordiæ vias omni ſtudio & curâ quærere velle. Teſtes ſunt etiam hujus rei Epiſtolæ ejus ad Rhegium, Iſlebium, Camerarium, Agricolam & alios. Cum Brentio quoque expoſtulavit, quòd is nihil niſi Sacramentarios creparet, & omnem Concordiam cum Helvetiis ineundam diſſuaderet, quorum tamen Doctrina vera eſſet. Lecto etiam Dialogo Oecolampadii in agnita veritate magis confirmatus eſt. Horum itaque duorum Virorum ſtudio, curâ, labore & diligentiâ Concordia inter Lutherum & Helveticas Eccleſias inita, ſancita & confirmatâ, atque ab ipſo quoque Luthero in literis ad Helvetios recepta & approbata fuit, teſte Deo in animam ſuam invocato, ut jam omnes boni

utriuſque partis de firma ac ſtabili pace ſibi mutuò congratulari cœperint.

Quid factum autem, *Generoſiſſime Princeps?* Dum in ſpem tranquillitatis omnium animi erecti eſſent, & Helvetii perpetuam ac priorum omnium oblivionem ſancitam eſſe ſperarent, confiderentque omninò Lutherum in ſanctis ſuis promiſſis & proteſtationibus conſtanter perſeveraturum, quemadmodum ipſi nihil poſthac acerbè & contumelioſè in quenquam aut ſcribere, aut publicè declamare conſtituiſſent, Anno trigeſimo nono à Luthero certamen hoc inſtauratur, & Concordia maximis laboribus per totum triennium conciliata rumpitur, ut vix integrum biennium durarit. Nam hoc anno in Libro de Patribus & Conciliis Zuinglium Neſtorianum fuiſſe aſſerit, quòd divinam in Chriſto Naturam dolores fuiſſe paſſam in morte negaſſet. Et conquerentibus per literas de hac injuria atque Concordiæ violatione Tigurinis, ille quidem nihil reſpondit, ſed rurſus anno 42. libellum edidit de Precibus contra Turcas: in quo præter alia, cauſam cur Turcæ ita graſſarentur, in Zuinglianos confert. Hæc tamen Helvetii quoque ita patienter ferebant, & ſuo ſilentio emollire hujus Viri iracundiam tam ſtudioſè conabantur, ut multi pii eorum ſocordiam accuſarent, quòd toties provocati, neque ſuæ exiſtimationis, neque publicæ veritatis rationem ullam haberent, adeò ut tandem ſilentium abrumpere coacti, Apologiam conſcriberent, in qua & Doctrina tota Zuinglii breviter cum veterum Patrum doctrina conferebatur, & adverſariorum criminationibus modeſtè reſpondebatur. Anno ſequente cùm Tigurini novam ſuam Bibliorum tranſlationem in lucem ederent, Lutherus facto hoc Tigurinos honori & exiſtimationi ſuæ inſidias ſtruere putavit. Mox etiam cùm à Stephano Wildio, tunc temporis ebrio & importuno, cognoviſſet Lutherus, ſe à nobilitate Miſnica, Papiſticis ritibus tum temporis adhuc nimiùm dedita, ideò Zuinglianum proclamari, quòd Elevationem Sacramenti Landgravii PHILIPPI ſuaſu Witebergæ aboleverit, ita exacerbatus & extra ſe raptus fuit, ut ſe ſcripturum de novo contra Sacramentarios, ac Tigurinos inprimis, promitteret. Philippus Melanchton hoc privatum & pertinax Lutheri propoſitum cum mitigare vellet nihil apud eum obtinere potuit, ſed anno 44. Parvam ſuam Confeſſionem edidit de Cœna Domini, in qua non modò vehementer in Zuinglianos invehitur, ſed eos etiam palàm hæreticos, Sacramentorum hoſtes, & perditos, æternúmque damnatos appellat. Tigurini igitur juſtis ac magnis de cauſis adverſus hanc Confeſſionem aliam conſcribere, & ſe ſuamque doctrinam defendere compulſi ſunt: atque hoc modo infelix certamen iſtud paululum ſepultum, à Luthero renovatum fuit.

Poſt Lutheri tamen mortem, quæ incidit in diem 18. Februarii anni 46. certamen hoc aliquandiu intermiſſum fuit, quòd bello Germanico & victoriâ Caroli V. Imp. ſtatus Eccleſiarum in Germaniâ afflictiſſimus & in ſummum diſcrimen adductus fuiſſet. Primarii namque Principes Proteſtantium vinculis: Civitates Imperii grandi ære: Eccleſiarum miniſtri, qui bellum hoc Sacramentarium antehac ex parte geſſerant, damnis, ignominiis, verberibus & exiliis mulctabantur. Accidit igitur tunc quoque, quod in veteris Eccleſiæ Hiſtoria perſequutionum tempore ſæpe accidiſſe legimus, ut nimirum ſepoſitis odiis, convitiis, condemnationibus & animorum exacerbationibus, pacem utrinque colerent, & de communi Eccleſiæ periculo ſoliciti eſſent.

Hanc autem tranquillitatem turbavit primus Ioachimus Weſtphalus

Hamburgenſis Eccleſiæ Miniſter Anno 1552. editione libelli, cui titulum fecit, Farrago confuſanearum, & inter ſe diſſidentium opinionum de Cœna Domini, ex Sacramentariorum libris congeſta. Oppoſuit hunc libellum Conſenſui nuper facto inter Helveticas & Gallicas Eccleſias, Bullingeri & Calvini conſilio & operâ in negotio Euchariſtico. In hac Farragine probare ac demonſtrare conatur Weſtphalus, Zuinglianos & Calviniſtas, quos ſic vocant, quantúmvis ſimulent conſenſum in Re Sacramentaria, tamen in varias & inter ſe pugnantes ſententias, ſciſſos eſſe, quæ propria nota ſeductorum ſit: Lutheranos contrà in una certa & perpetua ſententia ſibi conſtare: cùm tamen in illo ipſo libello multa doceat, quæ Luthero prorſus ignota, aliena, abſurda, quin palàm ſunt impia & blaſphema. Claſſicum etiam in eodem libello non obſcurè canit, excitatis ad ſubſidiariam operam ſociis, novo bello gerendo. Excitatum his libellis incendium celeriter ſeſe diffudit, & multa Regna ac Provincias corripuit: & tot quidem ſcriptionum velitationibus agitatum eſt, ut majus & ferventius ſtudium partium in hoc certamine vix antè conſpectum fuerit.

In hoc perturbatiſſimo, triſtiſſimoque Germanicarum Eccleſiarum ſtatu Matthias Flaccus Illyricus quoque novas rixas & contentiones admodum periculoſas in Saxonicis Eccleſiis excitavit. Cùm enim foveret erroneas & falſas multas opiniones de præcipuis Doctrinæ Chriſtianæ capitibus, eas, quia turbulenti ac ferocis erat ingenii, propagare omninò animum induxit. Quòd verò intelligeret, ſe florente Philippi authoritate & doctrinâ, monſtroſas ſuas opiniones Eccleſiis & Scholis obtrudere non poſſe, ideò fovit omnes eos, puta Nicolaum Gallum, Iohannem Wigandum, Matthæum Iudicem, Baſilium Fabrum & ſimiles, quos odiſſe Philippum ſciebat, & eorum operâ Viri ſanctiſſimi authoritatem imminuere, ejuſque Doctrinam & Libros in contemptum adducere ſtuduit, verùm ſub alio prætextu. Poſt Philippi verò obitum, Flacciana factio altius criſtas erigens, & majores vires acquirens, quod Brentiani ſeſe illis conjungerent, & propterea Flaccio-Brentiani nominati ſunt, omnes à ſe diſſidentes publico judicio damnare conata eſt. Ideò hujus factionis coriphæi, editâ publicè ſupplicatione, ad Iohannem Fridericum II. Saxoniæ Ducem, ejuſque Fratres, ac alios Principes & Status, Confeſſionem Auguſtanam amplectentes, vehementiſſimè Synodum petiverumt, contra Adiaphoriſtas, Synergiſtas, Oſiandriſtas, inprimis autem illos qui non vellent ſtabilire τὴν ἀρτολατρείαν, quos inter Philippus hactenus præcipuus fuerat, ideóque præcipuè etiam ab ipſis poſt mortem petebatur. Nolebant autem in hanc Synodum Zuinglianos admitti, quos jampridem damnaſſent: ſed tantùm eos, qui ſunt Auguſtanæ Confeſſionis, & de eorum controverſiis pronunciari, utque anathemate ferirentur Zuingliani aliíque, quos Synodus improbaverit, etſi non auditi fuiſſent, atque ita Theologi iſti in hac Synodo accuſatores ſimul ac judices eſſe voluerunt: quæ omnia, & alia hujus generis infinita in Altera parte noſtræ Hiſtoriæ Sacramentariæ copioſè declarata & expoſita ſunt.

Circa hæc verò tempora, poſtquam altum ſilentium in Eccleſiis & Scholis Germanicis, ab anno 29. fuerat, de errore maximo Vbiquitatis Carnis Chriſti, is denuo renovari cœpit, privatim à Brentio, & rectè à Schmidlino, qui propterea Illyrico ſe adjunxerat, & diu ſopitam illam Vbiquitariam controverſiam maximo conatu moverunt, & tamen in proponendo & propagando illo portento varii admodum fuerunt. Primùm enim docebant

Corpus

Corpus Chriſti inde à conceptionis momento omnipræſens, ac propterea etiam in pane Cœnæ eſſe. Huic delitio poſtea hæc monſtra adjecerunt: Chriſtum in utero matris exaltatum eſſe, aſcendiſſe in cœlum, ab eóque tempore ſediſſe ad dexteram. Exaltationem factam eſſe inviſibiliter à conceptionis momento. Filium Dei cum omnibus etiam ſpurciſſimis rebus unitum eſſe perſonaliter, illud tantum diſcrimen eſſe, quòd aliis rebus non ita tradiderit proprietates Deitatis ut humanitati. Ideo etiam Brentius unionem hypoſtaticam dixit eſſe realem effuſionem omnium proprietatum Deitatis in Chriſtum hominem. Schmidlinus verò eam definivit, quod ὁ λόγος omnia per aſſumptam humanam naturam agat. Chemnitius verò περιχώρησιν eſſe contendebat. Addiderunt quoque, idem eſſe aſcendere in cœlum, & ſedere ad dexteram Dei. Chriſtum dupliciter aſcendiſſe in cœlum, inviſibiliter partim in incarnatione, partim in reſurrectione: & viſibiliter in monte Oliveti: ita tamen ut ſupra nubes in Cœlum non aſcenderit, quum Cœlum ſit ubique, cujus ea ſit conditio, ut etiam Satan & impii præter Angelos & Sanctos in eo ſint, nequaquam verò illud eſſe aut unquam fuiſſe, aut futurum eſſe in excelſis. Aſcenſionem eſſe depoſitionem formæ ſervi, & receptionem formæ Dei, ideóque Corpus Chriſti in gloria non habere circumſcriptionem, quàm prius habuerit. Corpus illud viſibiliter quidem habuiſſe circumſcriptionem, inviſibiliter autem ſemper ubique fuiſſe. In Chriſto quoque aliam eſſe Divinitatem communicantem ſeu participantem; aliam verò communicatam ſeu participatam. Ideo autem portentoſum hoc dogma à Brentio inventum, & à Schmidlino ac Kemnitio auctum & propagatum fuit, ut eo probarent, carnem Chriſti adeſſe reali & eſſentiali præſentiæ modo In, Sub, & Cum ſignis ſacræ Cœnæ, quoniam περιχωρήσει, hoc eſt, Immanentiâ ſeu Immeatione inter ſe realiter communicet Deitas λόγου humanæ naturæ aſſumptæ omnia eſſentialia ſua idiomata & operationes. Fatetur hoc Brentius & Schmidlinus, & apertè dicunt, ſi hæc ſententia non recipiatur, in Zuinglianorum caſtra omninò tranſeundum eſſe: Item, niſi ex hypoſtatica unione duarum Naturarum in Chriſto ponatur, Corpus ipſius eſſe in omnibus ubique locis, fruſtra inculcari veritatem verborum, *Hoc eſt Corpus meum*, pro quibus etiam ne ad momentum quidem amplius cum Zuinglianis dimicare velint.

Ab initio hujus certaminis Vbiquiſtici Ioannes Brentius in lucem edidit librum, de Perſonali unione duarum naturarum in Chriſto, de Aſcenſione ejus in cœlos, & Seſſione ad dexteram Patris: in quo ſtabilitur Vbiquitatis prodigioſa doctrina: horribilis depravatio doctrinæ veterum de Communicatione Idiomatum, falſa interpretatio articuli de Aſcenſione Chriſti. Bullingerus quoque librum in lucem edidit, cujus occaſione in contentionem & certamen cum Brentio, nullâ ſuâ culpâ, & præter opinionem incidit. Quum enim in publica enarratione Evangelii Ioannis abſolviſſet cap. 14. multorum rogatu in lucem edidit tractationem verborum Domini; In domo Patris mei manſiones multæ ſunt, &c. in qua demonſtrat ſpem, ſalutémque fidelium certiſſimam eſſe, & cœlum, in quo aſcendit Chriſtus, & in quod ſuſcipiuntur electi omnes, locum eſſe in excelſis certum. Agit etiam de dextera Dei & Vbiquitate Corporis Chriſti. Hac occaſione ingens certamen inter illos exortum, & variæ multipliceſq; ſcriptionum velitationes factæ ſunt. Illuſtriſſ. igitur Princeps Saxoniæ Ioannes Fridericus Weimariâ ſcripſit ad Senatum Tigurinum, editos jam aliquot annos hinc inde à multis Eccleſiarum mini-

ſtris, & Scholarum Profeſſoribus in Germania, multos virulentos & aculeatos libellos, ſub hoc prætextu, quòd ad propagationem gloriæ & verbi Dei, ac ædificationem Eccleſiæ pertineant: quùm tamen revera ſemina in iis ſint, multarum & graviſſimarum contentionum, diſcordiarum, quin etiam turbarum ac tumultuum non levium; & occaſionem præbuerint calumniis conviciiſque horrendis. His itaque de cauſis Auguſtanæ Confeſſionis Electores & Principes ſuis injunxiſſe Typographis, ne in poſterum tales libros vel ipſi excudant, vel alibi excudi curent: hortatur igitur, rogatque Senatum Tigurinum, ut ſuis Typographis idem mandet, quo ſic omnis occaſio calumniandi & convitiandi præcidatur, & mutua concordia ſervetur. Accipiunt Tigurini conditionem: & Principi reſcribunt, ſi ante annos aliquot hoc à Principibus decretum & cautum fuiſſet, plurimi amarulenti & aculeati libelli, conviciorum & calumniarum pleni, contra ſuas Eccleſias non fuiſſent editi, quibus ſui Theologi reſpondere coacti ſint, ne veritatem prodere, & Eccleſias ſuæ fidei commiſſas negligere videantur. Pollicentur etiam, ſi Principes dent operam, ut Theologi ipſorum, hoc planè divino & laudabili decreto Principum ſtent, & à convitiis & calumniis abſtineant, quibus non modo privatim, ſed etiam publicè pro ſuggeſtu in omnibus concionibus ipſorum doctrinam, Eccleſias, earúmque miniſtros, magno cum ſcandalo infirmorum adobruant, lacerent ac proſcindant, ſe quidem ſedulò curaturos, ut idem quoque à ſuis fiat: Se enim nihil magis exoptare, quàm pacem & concordiam Eccleſiarum. Hoc verò decretum Principum paulò pòſt fœdè violatum eſt. Anno itaque 64. Illuſtriſſimorum, piiſſimorumque Principum Friderici Electoris Palatini, & Chriſtophori Ducis Wirtenbergenſis auſpiciis, menſe Aprili Chriſtianum Colloquium, certis Theologis utrinque deſignatis, inſtitutum eſt, de Vbiquitate Corporis Chriſti, & de ſenſu verborum Cœnæ Dominicæ, ſi qua ratio pię & Chriſtianę conſenſionis vel hoc modo iniri poſſet. Sed ne hoc quidem Colloquium eum eventum habuit quem optimi Principes ſperarant.

Poſt mortem igitur Landgravii PHILIPPI M. Illuſtriſſimi aliquot Germaniæ Principes rurſus convenerunt: & deliberatione habitâ de componendo certamine Sacramentario, conſtituunt, ut partis utriuſque Theologi nihil ampliùs de hac cauſa in publicum edant, quandoquidem cauſa hæc ſcriptis utrinque ſatis diſceptata ſit. Atque Illuſtriſſimus Princeps WILHELMVS Landgravius literis ad Bullingerum datis, petit, ut & ipſe pro ſua moderatione huic ſententiæ pareat, & reliquis per Helvetiam miniſtris auctor ſit ut idem faciant. Non difficulter hoc ab Helveticarum Eccleſiarum miniſtris impetratum fuit, qui alioquin pacis amantes, & inviti in hoc certamen pertracti fuerant: ac paruerunt Principum voluntati, donec rurſus coacti importunitate adverſariorum, qui nunquam interea ceſſarunt noſtros oppugnare & convitiis proſcindere, juſtæ & ſanctæ cauſæ defenſionem denuò ſuſceperunt.

Inprimis verò ſub initium anni 70. Teſtamentum Brentii editum eſt, in quo veram & orthodoxam doctrinam de Chriſti perſona & ſacra ejus Cœna, atrocius quàm unquam antea damnavit, claſſicum quodammodo novum canens ad bellum ἄσπονδον cum Zuinglianis gerendum. Vetat enim, ne ulla eis fides unquam habeatur, néve cum illis unquam fiat conciliatio: denique omnes atteſtatur, quorum aliqua fuerit poteſtas, vel juvandi, vel prohibendi, ſedulò dent operam, ne in recta & vera Chriſti Eccleſia ulla ſedes, locúſve in

Ger-

Germania illis relinquatur: & ita in Zuinglianos truculenti alicujus militis, ſeu ducis claſſicum canit. Tacitè etiam gladium in illos ſtringendum innuit, qui Zuinglianum errorem docuerint, niſi reſipiſcerent. Ait enim ſe eam tyrannidem tantum improbare, quæ ſinceros Chriſtianos à Zuinglianis Doctoribus ſeductos, nec melius edoctos ferro perſequitur: at de ipſis Doctoribus Zuinglianis ſatis indicat ſe aliter ſentire. Ad hoc igitur ſanguinolentum Teſtamentum & Eccleſiæ Chriſti verè inofficioſum Bullingerus à Collegio Tigurinorum Theologorum reſpondere juſſus eſt: aliáque ſcripta plurima de hac controverſia edita ſunt.

Oppugnârunt enim hoc Brentii & Schmidlini delirium novum & prodigioſum Vbiquitatis Genevenſes, Heidelbergenſes, Ingolſtadienſes quoque Ieſuitæ Sperlingus, Buſæus, & alii: multi etiam ex ipſis Lutheranis, Weſtphalus, Heſshuſius, Morlinus, Wigandus, qui omnes Vbiquitatem Corporis Chriſti apertè improbarunt & damnarunt, atque hoc modo ipſi Lutherani in duas factiones diviſi ſunt, quarum altera generalem præſentiam Corporis Chriſti in omnibus locis & creaturis, & proptera etiam in pane Cœnæ; altera verò reſtrictam & ſpecialem, in iis locis tantùm, quibus ſe verbo ſuo alligarit, aſſeruit.

Inter alios autem hanc doctrinam Witebergenſes Theologi omnes ſtrenuè refutarunt. Primò in ſuo Iudicio ad Electorem Saxoniæ de libris Brentii hac de re editis: in quo indicant, rectiùs facere eos, qui verbis inſtitutionis ſimpliciter credant & inſiſtant, quàm qui laborioſas, ſubtiles & prolixas diſputationes inſtituant de omnibus & contra omnia quæ adverſarii objiciant: Præſentiam quoque Corporis & Sanguinis Chriſti ab initio non ex unione utriuſque naturæ, vel ex Aſcenſione & Seſſione ad dexteram Patris, ſed ex verbis & promiſſione Chriſti comprobatam & declaratam fuiſſe. Quantum verò ad diſputationes ipſas de dictis articulis attineat, teſtantur & confitentur, multas inuſitatas, novas, peregrinas & periculoſas phraſes à Brentio & Schmidlino uſurpari & pertinaciſſimè defendi, utque recipiantur, & in Eccleſias ac Scholas Saxonicas introducantur, ſe nec velle nec debere ſuadere, cùm nec in Verbo Dei & ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum, nec in præcipuorum & vetuſtiſſimorum Patrum ſcriptis inveniantur, neque etiam à ſuis Anteceſſoribus uſurpatæ unquam fuerint. Citari quidem ad probandas ejuſmodi phraſes teſtimonia quædam ex Lutheri Polemicis ſcriptis: ſed ea non tam Lutheri, quàm recentiorum Scholaſticorum Theologorum eſſe, ex quibus Lutherus in fervore certaminis ea mutuatus ſit: poſtea verò & quidem paulò ante obitum ſuum, Lutherum in expoſitione poſtremorum verborum Davidis, aliiſque didacticis libris juxta primitivæ Eccleſiæ Patrum ſcripta loquutum eſſe, &c.

Deinde refutarunt Witebergenſes Brentii & Schmidlini Vbiquitatem in Propoſitionibus de præcipuis horum temporum controverſiis. Tertiò, in Stereomate ſeu Grundfeſt de Perſona & Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti, contra novos Marcionitas, Samoſatenianos, Arrianos, Neſtorianos, Eutychianos & Monothelitas in Flaccianorum grege, ex Scriptura ſacra, ſymbolis, approbatis Conciliis, & conſenſu Orthodoxorum Patrum.

Accuſantur igitur Witebergenſes Theologi ob hæc ſua ſcripta apud Electorem Saxoniæ, à Wirtenbergenſi, aliiſque Principibus, Schmidlini & ſociorum inſtinctu, quod in doctrina de Perſona Chriſti, ejuſdem Aſcenſione, Seſſione ad dexteram Patris & Cœna ſacra, non Lutherum & Saxonicas

Eccleſias, ſed Zuinglianos & Calviniſtas ſequantur, unde horribilis mutatio religionis metuenda ſit. Dreſdæ igitur conventus indicitur à Saxoniæ Electore 10. Octob. Anno 71. ut ibi Confeſſionem ſuæ doctrinæ de his articulis categoricam ederent. Convenerunt igitur dicto loco non ſolùm Saxonis, ſed aliorum quoque Principum Theologi & Superintendentes præcipui, & formulam Conſenſus conſcribunt, in qua de his articulis verè ac orthodoxè, juxta Verbum Dei, ſentiunt & docent, eámque voluerunt eſſe quaſi Epitomen Stereomatis ſeu libri Grundfeſt. Approbata quoque eſt hæc Dreſdenſis Confeſſio unà cum Stereomate, tum utriuſque Academiæ, Lipſenſis & Witebergenſis, tum trium Conſiſtoriorum, atq; adeò omnium Superintendentum Saxonicarum Eccleſiarum conſenſu. Illi ipſi tamen approbatores paucis exceptis, hunc Conſenſum & librum Stereomatis, quum primùm Schmidlinus Vbiquitatis Apoſtolus in Saxoniam veniſſet, & Flaccio-Brentiana factio corroborata eſſet, rurſus, mutatâ ſententiâ, condemnarunt, exagitarunt, & acerbiſſimis judiciis inſectati ſunt.

Quum itaque Theologorum multorum in florentiſſimis Saxoniæ Eccleſiis & Academiis mentes Spiritu S. illuminatæ, ſanam doctrinam de Perſona Chriſti & Cœna Dominica intelligere, ac relictis vulgò receptarum opinionum præjudiciis, potius quid olim Apoſtolica & primitiva Eccleſia ſenſiſſet, quàm quid Scholaſticis Theologis impuriſſimis placuerit, atque etiamnùm hodie huic vel illi probetur, attendere inciperent: paſſim etiam ederentur ſcripta non ſolùm ab Orthodoxis, ſed etiam à Lutheranis in Saxonicis Scholis, atque à Pontificiis, Ieſuitis inprimis, in quibus Vbiquitatis commentum ſolidè refutabatur: Vbiquitiſtæ verò & corporalis præſentiæ Chriſti in Cœna propugnatores intelligerent, ſe contrà diſputando & ſcribendo non poſſe conſiſtere, nec quicquam proficere, aliâ viâ rem adgreſſi ſunt, ac Principum aliorúmque Magiſtratuum authoritate, Suffragiorum item multitudine perrumpere, veritatem oppugnare, imò penitus evertere, & novum ſuum Vbiquitatis dogma defendere ſtatuerunt: qua in re aliquot anni conſumpti ſunt: ac perreptavit hoc nomine Iacobus Schmidlinus, Vbiquitatis Apoſtolus, omnes omnium Proteſtantium Principum aulas.

In eas ipſe & alii ex Sociis intromiſſi, inſurrarunt Principibus, diſcedi in eorum Provinciis ac ditionibus à Lutheri doctrina & Confeſſione Auguſtana: Corpus doctrinę Philippi corruptum eſſe: detrahi per illud ſcriptis Lutheri. Exaggerata eſt etiam Philippi, aliorúmque ab Auguſtana Confeſſione ſeceſſio, ſeu, ut ipſi nominarunt, defectio: Polemica Lutheri ſcripta in cœlum elata, ut horum prætextu dogma Vbiquitatis Principum animis inſtillaretur, econtrà verò doctrina adverſariorum infideliſſimè propoſita & calumnioſiſſimè depravata fuit. His ſimilibúſque illecebris mirificè deliniti ſunt Principes: inprimíſque Elector Saxoniæ Auguſtus admonitus eſt de ingentibus periculis, quæ Eccleſiis Saxonicis immineant, ne huic malo maturè occurrat. Incidit igitur anno 74. Conventum Torgæ quindecim Theologorum, qui conſcripſerunt Formulam, juxta quam Concordiæ in Proteſtantium Eccleſiis iniri poſſet, ſed ita, ut articuli ejus pro norma ſeu regula doctrinæ recipiantur. In ea etiam Orthodoxi omnes per Germaniam, Galliam, Angliam, Scotiam, Poloniam, Hungariam, Belgium, Helvetiam, &c. qui nullius adhuc falſitatis ex verbo Dei convicti, nec ſibi malè conſcii fuerunt, ab his pauciſſimis & penè nullis hominibus, nullâ prorsùs allata, nedum audita & collata coram utrinque acceptis judicibus ratione, damnati ſunt ut hæretici &

blaſphemi, ac ſi in legitima & provinciali, vel etiam generali omnium Chriſtianarum Eccleſiarum Synodo, juſtâ ex Verbo Dei præeunte cognitione, auditi convictíque eſſent. Cúmque hanc condemnatoriam Formulam Torgenſem nonnulli Witebergenſes Theologi ſubſcriptione ſuâ ſimpliciter approbare recuſarent, ab officiis ſuis primò removentur, deinde arreſto obligantur, tandem verò Electoris & Principum juniorum Saxoniæ finibus exire jubentur, non ad defenſionem admiſſi, nec ex Verbo Dei refutati.

Quia verò in hoc Conventu non damnatus fuit Philippus & Corpus ejus doctrinæ, nec approbata Vbiquitas Corporis Chriſti, ſed potiùs rejecta, indigniſſimè id tulerunt Vbiquiſticæ doctrinæ Patroni & Philippi hoſtes. Ea propter paulò poſt alius Torgæ Conventus coactus eſt, cui Schmidlinus, Kemnitius, Selneccerus, Chytræus, Muſculus & Corneus interfuerunt. In eo ante omnia data eſt opera, ut inter Vbiquiſtas & Flaccianos Concordia iniretur, conſenſus in doctrina conſtitueretur, deque præteritis contentionibus perpetua amniſtia ſanciretur. Pleriſque etiam conſultiſſimum viſum eſt, ut ſcripta Philippi, tanquam ſuſpecta, ambigua, fucata & cothurnata, ex Eccleſiis exterminentur, nec ullum horum pro norma habeatur. Præterea novum ipſi cudunt Corpus doctrinæ, in quo non tantum ſcripta Prophetica & Apoſtolica ac tria Symbola pro Regula dijudicandi controverſias ponuntur: ſed etiam Auguſtana Confeſſio & Apologia, Articuli Schmalcaldici, Catechiſmi Lutheri, quin omnia ejuſdem tam polemica, quàm dialectica ſcripta, eóque ipſo etiam Vbiquitatis ſuæ figmentum haud obſcurè canonizarunt. Recuſantes in Electorali Saxonia hoc Corpus doctrinæ novum ſubſcriptione ſuâ approbare, tanquam res novas molientes, non ſolùm in Eccleſia, ſed etiam in Republica calumniis oppreſſi, non auditi, non refutati, non collatis ſententiis, à ſuis accuſatoribus condemnati ſunt ad proſcriptiones & carceres: ibi cum illis actum à Theologis Vbiquiſticis de ſubſcriptionibus, non rationibus, ſed vel promiſſionibus, vel minis: propoſitæ ſunt quæſtiones inquiſitoriæ, ad quas reſpondere jubebantur ſimplici affirmatione aut negatione: qui non reſponderet pro Vbiquitate, Sacramentarius proclamatus eſt, & cavendum omninò contenderunt, ne res ad diſputationem veniret.

Miſſa eſt deinceps nova hæc Formula Concordiæ ad alios Auguſtanæ Confeſſionis Electores, Principes & Ordines: petita eſt ſpecioſis rationibus Libri approbatio. Sed plurimi ſubſcriptionem multis & juſtis de cauſis recuſarunt, & graviſſimas Eccleſiarum controverſias non à tam paucis hominibus, ſed à pluribus vel in nationali vel etiam generali Synodo tractandas & dijudicandas prudenter cenſuerunt, quæque in novo hoc Libro deſiderarent liberè, miſſis Cenſuris, judicarunt, graviterque monuerunt de Philippo, de ſcriptis ejus, præſertim de Corpore illius doctrinæ non exterminando, de Confeſſione Auguſtana cùm priore, tum poſteriore, de Perſona Chriſti, de Cœna Domini, de Vbiquitate, de verbo damnandi, déque aliis ſimilibus.

Iuſſu itaque Electoris Saxoniæ Vbiquitatis Patroni Bergæ in monaſterio propè Magdeburgum conveniunt, ut ex Cenſuris tranſmiſſis Formulam Torgenſem cognoſcerent, examinarent & corrigerent. Etſi verò quædam ex iis in Formulam ſuam aſſumpſerunt, quædam expunxerunt & omiſerunt, quædam mutarunt, ut aliquo ſaltem modo Principibus obſequi viderentur: notorios tamen & manifeſtos, quin impios & blaſphemos ejus errores, in ſummo præſertim Fidei Chriſtianæ articulo de Perſona Chriſti, reliquerunt, & confirmarunt, omneſque non recipientes & approbantes eos condemnarunt, & ſolùm

& ſolùm mutato nomine ex Formula Torgenſi Bergenſem fecerunt, ut hodie exſtat.

Cùm igitur Principes Formulæ emendationem urgere pergerent, nec eſſe vel ſubſcriptiones exigendas, vel Formulam publicandam & in lucem edendam prudenter judicarent, niſi prius examinata & ab erroribus, quibus ſcateat, repurgata approbatáque eſſet in libera ac generali Synodo, in qua etiam diſſentientes ab ea audirentur, & hanc ſententiam Elector Auguſtus quoq; approbare velle videretur, tum iſti Theologi vires & artes ſuas omnes adhibuerunt, ut eum ab hoc pio & Chriſtiano conſilio averterent, ipſique aliud ei dant conſilium. Paulò poſt Tangermundæ congregati iſti Theologi, Optimi Electoris Auguſti petitionem æquiſſimam de correctione Formulæ ſuperbiſſimo, ambitioſiſſimoque faſtu rejecerunt, præfractè & quaſi prætoriâ lege ac poteſtate edicentes, quòd ne ad latum quidem unguem, neque etiam in minutiſſimo quoque puncto, ab hac ſua recenter fabricata Concordiæ formula, & doctrinæ norma recedere velint: Hæreticos, Fanaticos, Sacramentarios, & impuros Doctores, pro ſuâ dominandi in Eccleſia libidine, omnes eos appellantes, qui ſubſcriptionem hujus ſuæ normæ pergere vellent recuſare. Nec tantùm Theologis & Miniſtris, ſed etiam Electoribus & Principibus, omnem ulterioris Cenſuræ aut Correctionis & mutationis poteſtatem negârunt, utcunque illi nec pauca nec levia deſiderarent. At vicit tandem & perrupit hic ſuperbiſſimus Theologorum Bergenſium Spiritus. Nam neque in Synodo examinato, neque correcto & emendato ſubſcripſerunt Libro, multis verborum illecebris perſuaſi Electores tres, Principes etiam Comites & Civitates aliquot. Mox petita eſt ſubſcriptio & approbatio etiam ab iis Theologis, quos Formulam hanc probare & ſubſcribere paratos eſſe non erat dubium, & quorum authoritatem cæteri non detrectaturi videbantur: atque ita deinceps à majoribus ad minores progrediebantur: reſervatis ad extremum iis, de quibus perſuadendis dubitabant, excluſis verò ac præteritis, de quibus deſperabant: Recuſantibus ſubſcribere, Conſenſum eorum Principum ac Ordinum, qui jam ſubſcripſiſſent, obiiciebant: perſeverantes in ſententia, ab officiis removebant. Tandem in lucem edita eſt hæc Formula, & in omnium Principum ac Ordinum, qui ſubſcripſerunt Eccleſiis & Scholis per Germaniam, ſola, tanquam Regina quædam, regnat hodie, & pro norma ſeu regula doctrinæ & controverſiarum omnium habetur: adeò, ut qui eam adhuc recipere & approbare nolint, vel locis ſuis moveantur, vel in carceres detrudantur, vel cum conjugibus & liberis in exilium pellantur.

Vt verò priora bella ac certamina Euchariſtica Parte primâ & ſecundâ Hiſtoriæ noſtræ Sacramentariæ deſcripſimus, ita hoc poſtremum etiam, quod à Brentio & Schmidlino pro Vbiquitatis Canonizatione & propagatione inſtauratum, in hunc uſque diem ſummis viribus magnaque contentione geritur, in eoque orthodoxa ſententia & doctrina, inprimis de Perſona Chriſti & ſacra ejus Cœna hac CONCORDIÆ FORMVLA ceu validiſſimo ariete & terribili tormento ſine intermiſſione oppugnatur & concutitur, hoc Libro complexi ſumus, in quo hujus Formulæ errores & falſa dogmata, ſacræ Scripturæ, orthodoxis Symbolis, toti antiquitati, & ipſi quoque Auguſtanæ Confeſſioni repugnantia: Antilogiæ etiam ſeu Contradictiones, Condemnationes injuſtæ, & modus in Eccleſia Chriſti hactenus inuſitatus, quem in conſcribenda, ſuffragiis munienda & promulganda ea Auctores ejus

ſecuti

ſecuti ſunt, demonſtrantur, & ob oculos ponuntur, non ſolùm in præſentis, ſed etiam futuri ſeculi Lectoris gratiam, ut inde intelligere & judicare poſſit, utra pars juſtiorem ac meliorem cauſam defenderit & propugnarit.

Hos autem labores meos, *Generoſiſſime Princeps*, ſub Celſitudinis T. nomine in lucem edere placuit his potiſſimùm de cauſis. Primò, ut ſint teſtimonium & ſignum ſummæ noſtræ obſervantiæ, propenſiſſimæque voluntatis & ſtudii erga Haſſiacam Domum, inter quam & Rempublicam Tigurinam, Patriam meam, vetus & ſumma conjunctio atque amicitia à multis jam annis fuit. Secundò, quòd Magnus ille PHILIPPVS Langravius Haſſiæ Celſitudinis T. Proavus, beatiſſimæ & glorioſiſſimæ memoriæ Princeps, in aliquot Conventibus Imperii noſtrarum Eccleſiarum cauſam ſtrenuè fortiterq; defendit, & in Condemnationes ſeu proſcriptiones earum, quas jam Concordiæ Liber iniquiſſimè promulgat & in innocentes vibrat, inauditâ nec prius cognitâ causâ, contra jus gentium, omniúmque populorum conſentire nunquam voluit, atque etiam irritas fecit. Tertiò, quod Celſitud. T. Avus WILHELMUS Landgravius, ob ſingularem in rebus gerendis dexteritatem SAPIENS dictus, ab initio quidem cum Electore Saxoniæ hoc Concordiæ Opus omnibus modis ſuaſit ac promovit etiam, quòd eorum Conſilium eſſet, ut à Theologis ejuſmodi Concordiæ formula conſcriberetur, quæ ex Verbo Dei exſtructa, ad ſocietatem Auguſtanæ Confeſſionis alliceret, ſi fieri poſſet, quicquid Eccleſiarum orthodoxarum in toto orbe Chriſtiano eſſet. Fuit igitur hoc Principum illorum conſilium ſanctum, pium ac bonum: Heroicum etiam eſt, Principibúſque viris digniſſimum, non uni tantùm genti, ſed omnibus prodeſſe velle. Theologorum verò Bergenſium improbitas, fraus & malitia ſummoperè deteſtanda eſt, qui hoc Principum zelo & conſilio abuſi ſunt, ut ſub hoc prætextu Vbiquitatis monſtrum, & quæ ei adhærent impia, falſa & blaſphema dogmata canonizare & Eccleſiis obtrudere poſſent. Hoc autem quum primùm animadvertiſſet Celſitud. T. Avus prudentiſſimus WILHELMUS Landgravius, totis viribus conatibus eorum reſtitit, utque Liber iſte in libera Synodo examinaretur, corrigeretur & ab erroribus, quibus ſcateat, repurgaretur contendit & elaboravit. Id verò cùm apud præfractos & ſuperbiſſimos Theologos obtinere non poſſet, ſubſcriptionem Libri ejúſque errorum conſtanter recuſavit, atque aliis Principibus ut idem facerent author fuit, eáque in re Eccleſiæ totique Reipub. Chriſtianæ utiliſſimam ſimul ac neceſſariam operam navavit. Quartò exemplum Paternum ſequutus C. T. Parens Illuſtriſſimus MAURICIUS Landgravius, decus & ornamentum Germaniæ, quin etiam totius S. Romani Imperii, non ſolùm Librum Concordiæ cum ſuis paradoxis, falſis & impiis dogmatibus aſpernatus eſt & abhorruit ſemper, prudenterque judicavit hunc fœtum & abortum ad Garamantas potius ablegandum, vel in alieno orbe exponendum, quàm ab orthodoxis hominibus recipiendum eſſe: ſed etiam, cùm defuncto LUDOVICO Landgravio Celſitudinis ejus Patruo, Marpurgenſis Civitas & Academia, adeóque etiam principalior ſuperioris Haſſiæ pars, hæreditario jure Celſitudini ejus obtigiſſet, nihil prius habuit, quàm ut ditionis illius Eccleſias à Papatûs reliquiis repurgaret, & Religionis exercitium purum, illi, quod in reliquis inferioris Haſſiæ Vrbibus & Eccleſiis, imperio ſuo ſubjectis, uſitatum fuit hactenus, conforme redderet, nec diſſidium aliquod in Eccleſiis & Scholis ſuis poſthac deprehenderetur. In quo utroque facto ſingularis ille ac propè divinus veritatis cœleſtis defendendæ, ab erroribus

variis

variis ac multiplicibus repurgandæ, & ad poſteritatem propagandæ zelus, tanquam lumen quoddam ſplendidiſſimum elucet, qui etiam in Moſe, Ioſua, Davide, Ezechia, Ioſia, Conſtantino M. aliiſque piiſſimis Imperatoribus, Regibus & Principibus conſpicitur. Quintò, ex horum piiſſimorum, & nunquam ſatis laudatorum Principum ſtirpe cùm Celſitudo T. originem ducat, omnes boni apud nos ſibi optima quæque de ea pollicentur. Et certè de generoſiſſima Tua indole tam multa, támque præclara ad nos huc uſque in Helveticas oras famâ & literis magnorum virorum conſtantiſſimè perferuntur, ut nemini dubium ſit, quin non ſolùm in benevolentia & amicitia erga Rempublicam Tigurinam ſis permanſurus, ſed etiam univerſa Chriſti Eccleſia Te nutritium fideliſſimum, & S. Romanum Imperium Principem Orthodoxum ac verè Chriſtianum habiturum ſit. Sextò plurimùm refert, in tantis tamque pernicioſis Vbiquiſticorum Theologorum conatibus, qui in toto hoc Libro referuntur & ob oculos ponuntur, quibus reformatæ Eccleſiæ vehementiſſimè perturbantur, & immaniſſimæ Pontificiorum tyrannidi obiiciuntur, Principes Chriſtianos, quibus à Deo Eccleſiæ ſuæ patrocinium & tutela commiſſa eſt, fundamenta, originem & progreſſum Conſubſtantiationis & Vbiquitatis ſeu Omnipræſentiæ Corporis Chriſti, pro quibus tuendis, conſervandis, propagandiſque totis viribus laborant & dimicant, ſcire & probè cognita habere, ut inde intelligant, non inniti ea fundamento firmo Verbi Dei, neque etiam doctrinæ primæ & mediæ ætatis poſt Chriſti aſcenſionem Eccleſiæ, ſed potius ſtramineo & ruinoſo fundamento impuriſſimorum Scholaſticorum Theologorum doctrinæ, ac Sex tantum Bergenſium Patrum placitis, decretis, anathematiſmis & condemnationibus: ideoque Principes etiam in propulſandis iſtis tetris erroribus & falſis opinionibus vigilantiores, in defendenda autem Veritate & Verbi Dei purâ doctrinâ alacriores atque conſtantiores ſint. Ad quam Virtutem Celſitudinem T. Majorum Tuorum, ſanctiſſimæ memoriæ Principum, atque inprimis Parentis T. Illuſtriſſimi MAURICII exempla ſtimulare & excitare debent quàm maximè.

Accipe igitur *Illuſtriſſime, Generoſiſſimeq́ Princeps*, hos meos Labores benigno vultu, eóſque meæ, imò totius Eccleſiæ & Scholæ Tigurinæ ſummæ erga Celſitudinem T. obſervantiæ teſtimonium & ſignum eſſe patere. Dominus IESUS Salvator Mundi Illuſtriſſimum ac potentiſſimum Principem MAURICIUM Landgravium cum Celſitudine Tua, totáque Haſſiaca Domo tueatur, & quàm diutiſſimè ad nominis ſui gloriam conſervet, donáque ſua in vobis magis magíſque augeat, AMEN. *Tiguro Helvetiorum metropoli Calend. Auguſti Anno* 1607.

CELSITUDINIS T.

Deditiſſimus

Rodolphus HOSPINIANUS
Tigurinus.

INDEX

INDEX TITULORUM
SECVNDVM SERIEM CAPITVM
Digeſtorum.

De prima Origine Libri Concordiæ, quæ fuit Vbiquitatis Corporis Chriſti defenſio & propagatio, Cap. I. Pagina 13

De Certaminibus ob dogma Vbiquitatis inter Flaccio-Brentianos & Orthodoxos exortis, Cap. II. 20

De Dreſdenſi Conventu Theologorum Saxonicorum, & conſenſu in eo facto de controverſis articulis, quæque eum proximè ſecuta ſunt, Cap. III. 30

Flaccio-Brentiani quum ſcribendo adverſus Vuitebergenſes Theologos nihil proficerent, Magiſtratuum authoritate, & ſuffragiorum multitudine perrumpere conantur, Cap. IV. 36

De Torgenſi Conventu quindecim Theologorum, & formulâ Concordiæ ab eis ibi conſcripta, ex qua poſtea Concordiæ Liber natus eſt, Cap. V. 38

Apologia ad Acta conventus quindecim Theologorum Torgæ habiti, Cap. VI. 45

Quæ poſt Concordiæ Formulam Torgenſem conceptam & ſcriptam ſint acta proximè cum Orthodoxis Theologis VVitebergenſibus, Cap. VII. 55

D. Caſparis Peuceri, Hiſtorici & Medicinæ Doctoris Clariſſimi hiſtoria exilii & carcerum, propter veritatis confeſſionem in hoc turbulento Saxoniæ ſtatu Cap. VIII. 63

Acta Lichtenbergenſis Conventus, poſt Torgenſem habiti, Cap. IX. 91

Acta Liechtenbergenſem Conventum proximè ſecuta Cap. X. 93

De Conventu Theologorum Torgenſi altero, anno 1576. habito, & novo Corpore doctrinæ ſeu formula Concordiæ novâ in eâ fabricatâ, Cap. XI. Pagina 96

De Cenſuris Formulæ Torgenſis, Cap. XII. 103

De Conventu Bergenſi, in quo à ſex Theologis Liber Torgenſis emendatus, & Bergenſis eſt factus, Cap. XII. 124

Doctrina de Cœna Domini in Libro Concordiæ Bergenſis, Cap. XIV. 125

Item de Perſona Chriſti, ex parte, quæ vocatur Repetitio ſeu expoſitio aliquot articulorum Auguſtanæ Confeſſionis 127

Cenſuræ ſeu judicia de Libro Torgenſi correcto & emendato Bergæ, Caput XV. 135

Acta Conventus indicti Francofurti ad Mænum, Cap XVI. 143

De Legatione à Sereniſſimâ Reginâ Angliæ & celebri Francofurtenſi Conventu, miſſa ad Electores alioſque Principes Proteſtantes, ad impediendas condemnationes exterarum Eccleſiarum, in Concordiæ Libro factas, Caput XVII. 146

Acta, ſcripta & reſcripta, quæ Francofurtenſem Conventum, & Anglicanam Legationem de corrigendo Libro Bergenſi, & impediendis condemnationibus exterarum Eccleſiarum, proximè ſequuta ſunt, Cap. XVIII. 152

De Subſcriptione Libri Concordiæ Electorum ac Principum, & modo agendi, quem

Princeps & Patres Bergenſes ſecuti ſunt, Cap. XIX. Pagina 175

Hic de Sangerhuſiano Conventu.

De Subſcriptione Profeſſorum, Paſtorum, aliorumque Miniſtrorum in Academiis, Eccleſiis, & Scholis, item de modo agendi Bergenſium in colligendis ſubſcriptionibus, Cap. XX. 138

Quæ paulò ante & poſt ſubſcriptionem Electorum, Principum, Eccleſiarum, & Scholarum tentata & acta ſint cum iis qui ſubſcriptionem recuſarunt, & qui Conventus ob hanc cauſam habiti ſint, Caput XXI. 206

Hîc de Tangermundenſi ad Albim, Langenſalzenſi & Schmalcaldenſi Conventibus.

Quæ Langenſalzenſem Conventum proximè ſecuta ſint de Subſcriptione Libri Concordiæ, Cap. XXII. 217

Acta Colloquii Herzbergenſis propter ſubſcriptionem Libri Concordiæ inter Theologos Anhaltinos & Patres Bergenſes habiti, Cap. XXIII. 223

Acta & ſcripta Herzbergenſe Colloquium proximè ſecuta de ſubſcriptione Libri Concordiæ, Cap. XXIV. 229

Inquiſitio Saxonica à Iac. Schmidlino inſtituta, Cap. XXV. 232

De Præfatione Libri Concordiæ, Cap. XXVI. 235

Quæ Præfationem ſcriptam ſecuta ſint proximè, Cap. XXVII. 236

Illuſtriſſimi Principis Iohannis Caſimiri Palatini ſcriptum ad fratrem Electorem Ludovicum, in quo graves cauſas indicat, ob quas ipſe Concordiæ Libro ejuſque præfationi, nec velit, nec debeat ſubſcribere, Cap. XXVIII. 239

Acta inter Illuſtriſſimum Principem VVilhelmum, Landgravium Haſſiæ, & Electorales Theologos, Zimermannum, Schmidlinum & Kemnitium, de Formulæ Concordiæ ſubſcriptione, Caput XXIX. 252

Illuſtriſſimi Principis Ioh. Bipontini Ducis, & ejus Conſiliariorum judicia de Formula Concordiæ, ejuſque ſubſcriptione, Caput XXX. 268

Anhaltinorum Iudicium de Præfatione & & Formula Concordiæ, eorundemque apologia ad Bergenſium Theologorum refutationem, Cap. XXXI. 271

Iohannis Palmerii nullitatis Proteſtatio adverſus Bergenſium injuſtas condemnationes in Libro Concordiæ factas, ejuſque replica Andreæ Pouchenii, cum duplicâ Iohannis Franciſci Aſpaſtis pro Palmerio Cap. XXXII. 278

De Subſcriptione & approbatione Formulæ Concordiæ à quibuſdam Principibus & civitatibus magno ſtudio flagitata, ab iiſdem verò conſtanter recuſata, Caput XXXIII. 303

De Fundamentis quatuor Lutheranæ doctrinæ de Vbiquitate & corporali præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia Ambroſii VVolfii contra Patres Bergenſes & Formulam Concordiæ Caput XXXIV. 305

De his, qui Formulæ Concordiæ ſubſcribere, eamq; approbare recuſarunt, Cap. XXXV. 306

De Editione Libri Concordiæ, Cap. XXXVI. 308

Scripta, cenſuræ, animadverſiones, judicia & colloquia varia, editionem Libri Concordiæ proximè ſecuta, Caput XXXVII. 309

De Diſputatione à Schmidlino pro defenſione errorum Libri Concordiæ VVitebergæ habita, ejuſque examine, Cap. XXXVIII. 316

Continuatio Hiſtoriæ Peucerianæ, in qua confeſſio & judicium ejus de monſtroſis confuſionibus Libri Concordiæ, & alia, quæ in carcere ob veritatis profeſſionem cum eo acta & tentata ſunt, narrantur, Caput XXXIX. 303

Admonitiones, cenſuræ, & judicia Chriſtiana de Libro Concordiæ in lucem jam edito, Cap. XL. 349

De Continuatione certaminis inter Ioh. Sturmium & Pappum Argentinæ ob Formulæ Concordiæ

Concordiæ ſubſcriptionem orti, Cap. XLI. Pagina 366
De Recitationibus Selnecceri, Formulam Concordiæ attinentibus, Cap. XLII. 374
Acta & ſcripta quædam anno 1582. de Formula Concordiæ edita Cap. XLIII. 379
De Apologia Erdfurtenſi pro Libro Concordiæ: ejuſque cenſuris tum aliorum, tum maximè Quedelburgenſis Conventûs, deque ejuſdem editione & erroneis dogmatibus, Cap. XLIV. 385
Scripta & acta Erdfurtenſis apologiæ editionem ſequuta, Cap. XLV. 402
Adverſus Tubingenſes ſcripta Helmſtadienſium Theologorum, negantium Vbiquitatem abſolutam in Formulâ Concordiæ contineri, & Tubingenſium ad ea reſponſio, Cap. XLVI. 404
De Liberatione D. Caſpari Peuceri ex carcere decennali, Cap. XLVII. 410
Acta & Scripta Erdfurtenſis apologiæ editionem & Auguſti Electoris Saxoniæ mortem proximè ſecuta, Cap. XLVIII. 413
Colloquium Theologorum uſitatorum in Electorali Saxonia, Miri, Mulleri, Hunnij & Præfecti Vigilum cum D. Vrbano Pierio in carcere habitum, Cap. XLIX. 420
De Bipontino Catechiſmo & Colloquio à Palatinis fratribus ob eum Neoburgi habito, Caput L. Pagina 428
Admonitio Hunnij ad Danielem Hofmannum, ut Librum Concordiæ & omnia dogmata Wittebergenſium, Ienenſium & Tubingenſium Theologorum approbet, & Hofmannni reſponſio, Cap. LI. 429
Acta Synodi Epperienſis in Hungaria 5. & 6. die Octob. anni 1593. celebratæ, Cap. LII. 434
Acta Colloquij in arce Keyſmarcenſi, habiti in Hungaria, anno 1596. 6. die Decemb. Cap. LIII. 438
Acta Conventus Paſtorum & aliquot Politicorum, è quinque liberis civitatibus ſuperioris Hungariæ de ſubſcriptione Libri Concordiæ Leutſchoviæ habiti, anno 1597. Cap. LIV. 441
De agenda Eccleſiaſtica Argentinenſium & ſubſcriptione eorundem Formulæ Concordiæ, Cap. LV. 443
De quatuor Motivis, ob quas Illuſtriſſimus Princeps Erneſtus Fridericus Marchio Badenſis Formulæ Concordiæ ſubſcribere recuſavit, Cap. LVI. 449
De Reformatione Eccleſiarum in ſuperiori Haſſia à reliquiis Papatûs, in qua non ſolùm fractio panis in Cœnâ Dominica, & integer Decalogus iis Eccleſiis reſtitutus, ſed etiam imagines è templis ejectæ ſunt, deque tumultu ob hanc reformationem Marpurgi exorto, Cap. LVII. 486

INDEX
PRÆCIPVORVM AVCTORVM
QVI IN HOC VOLVMINE
citantur.

ADmonitio Neuſtadiana.
Ægidius Hunnius.
Agenda Mechelburgenſis.
Albertus Hardenburgius.
Albertus Magnus.
Albertus Sperlingus.
Alcuinus.
Aldenbergenſe Colloquium.
Algerus Corbeienſis.
S. Ambroſius.
Ambroſius Wolphius.
Amphilochius Iconienſis.
Andræas Muſculus.
Andræas Pouchenius.
Apologia Erdfurtenſis.
Arauſicana Synodus.
Athanaſius.
S. Auguſtinus.

S. BAſilius.
Baſilius Faber.
Beda, Presbyter.
Beroaldus.
Bertramus.
Bonaventura.
Buſæus.

CArolſtadius.
Carolus Magnus.
Caſpar Cruciger.
Caſpar Francus.
Caſparus Fugerus.
Caſpar Hedio.
Caſpar Peucerus.
Chalcedonenſis Synodus.
Chriſtophorus Herdeſſianus.
Chryſtophorus Irenæus.
Chriſtophorus Pezelius.
S. Chryſoſtomus.
Clemens Alexandrinus.
CONCORDIÆ Liber.
Conſtantinopolitana Synodus.
Cracovius.
S. Cyprianus.
Cyriacus Spangenbergius.
S. Cyrillus.

DAniel Hofmannus.
Daniel Toſſanus.
David Chytreus.
Didymus Alexandrinus.
Dionyſius.
Durandus de S. Portiano.

ERaſmus Roterodamus.
Erneſtus Frider. Marchio Badenſis.
Epheſinum Concilium.
Epiphanius.
Euſebius.
Euſtachius Antiochenus.

FLoretus, D. Scholaſticus.
Florentini Concilii acta.
Franciſcus Aſpaſtes.
Franciſcus Turrianus.
Fridericus Widebramus.

Gabriel

GAbriel Biel.
Gelaſius.
Georgius Caſſander.
Georgius Cœleſtinus.
Gregorius Major.
Gregorius Myllerus.
Georgius Sochnius.
Gerſon Doctor Scholaſticus.
Gregorius Nyſſenus.
Guitmundus, diſcipulus Lanfranci.

HEinricus Bullingerus.
Heinricus Mollerus.
Hermannus Hammelmannus.
Hermannus Pacificus.
Hertzbergenſe Colloquium.
S. Hieronymus.
Hieronymus Zanchius.
S. Hilarius.
Huldrychus Zuinglius.

IAc. Andreæ, cognomento Schmidlinus.
Iacobus Grynæus.
Iacobus Haylbrunnerus.
S. Ignatius.
Innocentius III. Papa.
Ioachimus Weſtphalus.
Iohannes à Laſco.
Iohannes Balæus.
Iohannes Brentius.
Iohannes de Baſſolis Scotiſta.
Iohannes Bugenhagius.
Iohannes de Burgo.
Iohannes Cochleus.
Iohannes Damaſcenus.
Iohannes Eccius.
Iohannes Erigenes.
Iohannes Huſſus.
Iohannes Oecolampadius.
Iohannes Palmerius.
Iohannes Pappus.
Iohannes Pincierus.
Iohannes Scotus, cognomento Duns.
Iohannes Sturmius.
Iohannes Wiclefus.
Iohannes Wigandus.

Ioſias Simlerus.
S. Irenæus.
Iſidorus Hiſpalenſis.
Ius Canonicum.
S. Iuſtinus Martyr.
Iuſtinianus Imp.

LAmbertus Danæus.
Lanfrancus.
Lateranenſe Concilium.
Leo.
Lucas Hoſiander.

MArcus Beumlerus.
Marpurgenſe Colloquium.
Martinus Kemnitius.
Martinus Lutherus.
Matthias Flaccius Illyricus.
Maximus Taurinenſis.
Michaël Philippus Beutherus.
Morlinus.
Mulbrunnenſe colloquium.

NAzianzenus.
Nicena Synodus.
Nicephorus.
Nicodemus Friſchlinus.
Nicolaus Gallus.
Nicolaus Rhodingus.
Nicolaus Selneccerus.

OEcumenius.
Orthodoxus conſenſus.

PAnthaleon Candidus.
Paſchaſius.
Paulus Crellius.
Paulus Elberus.
Paulus Emiſſenus.
Petrus de Aliaco.
Petrus Dathenus.
Petrus Martyr Vermilius.
Petrus Varenburgus.
Philippus Marbachius.
Philippus Melanthon.
Polycarpus Leyſerus.
Primatius.
Proſper Gallus.

RAbanus Maurus.
Rainaldus Marcanus.
Richardus Mediavilenſis.
Robertus Bellarminus.
Rodolphus Gualtherus.
Rupertus Holcotus.

SEbaſtianus Boetius.
Stephanus Gerlachius.
Syngramma Suevicum.

TErtullianus.
Theodoretus.
Theodoretus Presbyter.
Theophylactus.
Thomas Aquinas.
Tilemanus Heſshuſius.
Timotheus Kirchnerus.
Tridentinum Concilium.

S. VIgilius.

WIlhelmus Bidenbachius.
Wilhelmus Damaſus.
Wilhelmus Holderus.
Wilhelmus Occamus.
Wilhelmus Widefredus.
Wilhelmus Zimbermannus.
Wolfangus Amlingus.
Wolfangus Capito.
Wormatienſe Colloquium.

ZAcharias Vrſinus.

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM

MEMORABILIVM, in hoc tóto OPERE contentorum.

ABSENTES *damnare iniquum & illicitum* 295
Abſentiæ *vox in cœna diſtinguenda.* 48
Abſtractum *pro concreto interdum à Patribus acceptum, & quomodo* 482
de Abſtracto *& concreto certamen Heſhuſii* 117
Abſurda *Vbiquitatis horrenda* 222. 223
Aci Iulæ *Schwalbacenſes diſſuaſæ à Peucero Electori Saxoniæ* 410
Actiones *divinæ quatenus carni conveniant* 482
de Adiaphoris *ſententia Theologorum Haſſiacorum* 109. *de iis in genere* 141
Adiaphoriſticarum *turbarum initium* 341
Adminiſtrator *Magdeburgenſis ſubſcriptioni Libri Concordiæ diu reſtitit* 208
Admonitio *Neuſtadiana edita* 349
Admonitionis *Neuſtadianæ ſententia orthodoxa contra Patres Bergenſes de Perſona Chriſti & eius cœna* 350. 351 *eiuſdem abſterſio calumniarum, quas Vbiquiſtæ in orthodoxos evomunt,* 351. *eiuſdem ſententia de Confeſſione Auguſtana & vero eius ſenſu* 353. *item de Lutheri & ſcriptorum eius authoritate, ibidem de condemnationibus ante legitimam cauſæ cognitionem factis* 353. *de iniquo modo agendi Bergenſium in conſcribenda formula concordiæ* 361. *de fructibus Libri Concordiæ* 362. *eiuſdem admonitionis defenſio contra Apologiam Erdfurtenſem* 414. *& quæ eius ſumma* 414
de Admonitione *Neuſtadianâ iudicium viri cuiuſdam docti* 362
Adolphus, *Dux Holſatiæ Formulam Torgenſem offert ſuis Theologis* 113
Adorabilis *natura cur dicta Chriſti Humanitas* 466
Adorandus *Chriſtus totus una invocatione* 467
Adoratio *ſoli Deitati tribuenda* 467. *Eſt enim vera cauſa ipſius Deitas* 461
Adorationem *Sacramenti adiaphoron eſſe ſtatuit Lutherus* 158
Ægidius *Hunnius, Vbiquitatis ſtrenuus patronus* 119. *viſitator Saxoniæ, colloquitur cum Pierio in carcere* 453
Ægidii *Hunnii theſes de unione hypoſtatica, earumque examen* 418. 419. *admonitio & epiſtola imperioſa ad D. Hofmannum* 429
Apagæ *olim in Cœna uſitatæ* 3
Agenda *Eccleſiaſtica Argentinenſium* 443
Agnes *Hedvvigis, Princeps Anhaltina, nubit Electori Saxoniæ Auguſto* 410. *impetrat liberationem Peuceri* 410
Alcoranum *Turcicum rectius in religionis capitibus ſentire, quam Calviniſtas, mentitur Schmidlinus* 221
Alloeoſis *in concreto fit, non in abſtracto* 171
de Allœoſi *Zuinglii ſententia Lutheri* 130
Aldenburgenſe *colloquium* 98
Ambroſii *Vuolfii fundamenta contra Patres Bergenſes* 304
Anaſcevaſtica *epiſtola Sturmii ad Pappi commonitionem non excuſa, & cur* 368
Anathema *ſecundum Paulum quid* 212
Anathemata *Pontificum nervoſa* 154
Andræas *Freyhubius Theologus Lipſenſis* 92. *revocat ſententiam orthodoxam de exaltatione Chriſti* 93. 94. *in carcerem conicitur & pellitur* 94
Andræas *Muſculus Pater Bergenſis* 124. *ſuccenturiatus Schmidlini in defendenda Vbiquitate* 18
Angli *condemnantur à Concordiæ Libro* 125
Angliæ *Reginæ Legatio ad Principes Proteſtantes de Concordiæ libro* 147
Anglicanæ *Eccleſiæ Concordiæ Librum potius ſupprimendum, quam ſubſcribendum, prudenter indicarunt* 307
Anhaltinus *Princeps Ioachimus Erneſtus petit, ut ne edatur Liber Concordiæ, antequam in Synodo examinatus ſit* 31. *Libro Concordiæ ſubſcribere ſimpliciter recuſavit* 306 *reſpondet Theologis Electoralibus de Concordiæ Libro* 273. 274. *impetrat liberationem Peuceri ex carcere* 411. *item ab omni obligationis vinculo* 412. *moritur,* ibid.
Anhaltini *Theologi negant ſubſcriptionem Libri Concordiæ, & cur* 228. *reſpondent refutationi ſuæ Apologiæ* 402. *item Kirchneri refutationi* 416
Anhaltinorum *Theolog. iudicium de Libro Bergenſi in genere* 124. 139. 140. *&c. de præfatione eius* 270. *de modo agendi Schmidlini in extorquenda ſubſcriptione Concordiæ Libri* 187. *eorundem proteſtatio* 141. *Apologia* 274. *repetitio brevis de quibuſdam controverſis articulis adverſus formulam Concordiæ* 363
cum Anhaldinis *Theologis actum blandimentis de ſubſcriptione Libri Concordiæ, ſed fruſtra* 205
Animæ *& corporis coniunctio, unioque duarum naturarum in Chriſto, longiſſime differunt* 418
pro Animabus *defunctorum orare, peccatum non eſſe, dogma Lutheri* 358
Annæ, *coniugis Auguſti Electoris Saxoniæ, emortualis* 410
Annihilatio *Humanæ Naturæ Chriſti tradita in Libro Concordiæ* 364
Anonymi *teſtimonium notabile de modo agendi Schmidlini in extorquendâ ſubſcriptione Concordiæ*

Libri 186
Anſerum ala calamos ſuppeditat Peucero 325
Anthoſiander Danæi editus 315
Antidanæus editus 314
Antilogiæ Libri Concordiæ 356. 357. 455
Antitappi Sturmiani editi 367
Antiſturmius primus editus ab Hoſiandro 232. alter 315
Antiſturmii paradoxa 315
Antitrinitarii violenter loca Sacræ Scripturæ detorquent 188
Antitrinitariorum error 272
Antitrinitariis fundamentum ſtratum in Libro Concordiæ 364
Antonius Harterus Architectus ſeditionis Marpurgenſis 490
Apocryphi Libri Scripturæ cur ſic dicti 101
Apollinaris, hæreticus 480
Apollinariſtarum error 212
Apologia Auguſtanæ Confeſſionis nequaquam initio ſcripta, ut eſſet regula fidei 173. prima an retinenda 214 164
Apologia Erdfurtenſis pro Libro Concordiæ 385
Apologiæ Erdfurtenſis appendix, eiuſque doctrina 402. editionem eius quæ ſecuta 402
de Apologiæ Erdfurtenſis appendice iudicium Heſhuſii 400
in Apologia Erfurtenſi quid deſiderarint Lipſenſes 385. quid Roſtochienſes & Megapolitani, ibidem quid Helmſtadienſes 287. in hac continetur doctrina erronea de præſentia Corporis Chriſti in pane 400. de Corpore Chriſti, ibid. de Vbiquitate, ibidem de communicatione maieſtatis 402. continentur item contradictoria multa 401
Apologia Tigurinorum 296. 297
Apologetica epiſtola Sturmii contra Schmidlinum. 381
Apoſtoli modeſtè reprehendere ſoliti illos, qui in aliqua eſſent authoritate 291
Archiepiſcopus Bremenſis Eccleſiæ eius reformationem impedire conatur 381. Idem etiam præbet Tubingenſibus occaſionem ſcribendi contra Bremenſes 383
Argentinenſis Confeſſio Auguſtana edita à Sturmio 367
Argentinenſes ſubſcriptionem Libri Concordiæ detrectant & cur 230. 306. Iidem etiam ſubſcripſerunt Principum confeſſioni Smalcaldici ſalva ſua confeſſione quam adhuc anno XXXV. & aliis ſequentibus retinnerunt 444. Iidem etiam ex ſua confeſſione religioſis controverſias decidere ſolebant 445. Iidem etiam excuſati fuerunt à Bucero Tiguri à defectionis omni ſuſpicione 445. Iidem etiam Eccleſiæ & Scholæ ſuæ profeſſores & miniſtros eligebant ſecundum ſuam, non Auguſtanam confeſſionem 445
Argentinenſium Paſtorum conciones tribunitiæ contra Sturmium 367. & earum fructus 368. agenda eccleſiaſtica 443. examen municipale 445
de Argentinenſium turbulento ſtatu litteræ Ioh. Caſimiri Palatini ad Tigurinos 368
Arrianorum error 272. 468
Arrianis fundamentum ſtratum in Libro Concordiæ 364
Aſcenſio Chriſti in Cœlos transformata ab Vbiquiſtis in diſperſionem 364. eadem, juxta Vbiquiſtas, etiam in ipſa conceptione in utero Mariæ facta 364
Aſcenſionis Chriſti novâ interpretatione ſtabilita Vbiquitas à Muſculo 19. de eadem diſputatio Hunnii & Pierii 422
Auditores verbi Dei impares 336
Auguſtana comitia 39
Auguſtana Confeſſio oblata Imperatori Carolo 156. 158. 210. 221. haud conſcripta initio ut eſſet regula fidei 134. 352. ſed ab Vbiquiſtis regula dijudicandi controverſias ſuas ſtatuta 96. 155. ſcripta in denſiſſimis tenebris Papatus 353. & duum vel trium Theologorum conſilio, ibid. in ſumma feſtinatione, ibid. non genuina inſerta Libro Concordiæ 433. 449. oralem manducationem Corporis Chriſti neutiquam tradit 171. neque Vbiquitatem Corporis Chriſti 172. 193. 357. à Libro Concordiæ diſcrepat 230
Auguſtanæ Confeſſionis hiſtoriæ compilatores 15. exemplar, Libro Concordiæ inſertum, interdum corruptum & depravatum 486. repetitio & emendatio communiter approbata 97. verus ſenſus unde petendus 305. authoritas, apologia & repetitio 163
in Auguſtanæ confeſſionis primo exemplari tranſſubſtantiatio non damnata 357
de Auguſtana Confeſſione immutata admonitio neceſſaria 156. 255. judicium & epiſtola Landgravii VVilhelmi ad Electorem Saxoniæ Auguſtum 110. 123. 209. ſententia Theologorum Neuſtadianorum 352
Auguſtus Elector Saxoniæ indicii commentum Torgæ 37. requirit judicium Academiæ VVitebergenſis de Libro Brentii 20. de convocandâ Synodo ſollicitus eſt 175. 179. abſterretur à Patribus Bergenſibus, & cur, ibidem approbat conſilium Patrum Bergenſium, & urget ſubſcriptionem Formulæ eorum ante convocatam ſynodum 20. jubet Formulam Concordiæ emendare 210
Auguſti, Electoris Saxoniæ judicium memorabile de Schmidlino 345. ejuſdem dies emortualis 412
Auguſto Electori Saxoniæ ante mortem oculi aperti, adeò ut Peucerus illi ſatis excuſatus eſſet 412. 413
Auguſtinus, Epiſcopus Hipponenſis jure etiam navis pollutus 393
Aula Saxonica Philippo Melanthoni ob rejectam Vbiquitatem infenſior 18

Baſilienſis confeſſio 165
Baronis ab Vngnad expoſtulatio cum Philippo propter dogma Vbiquitatis 18
Barones & Comites in pratis VVeteranis Libro Concordiæ ſubſcribere recuſarunt, & quibus de cauſis 306
Belgicæ Eccleſiæ condemnantur ab Authoribus Libri Concordiæ 125
Belgicis Eccleſiis Liber Concordiæ pro infauſto abortu habitus 307
Benedictus Edmanus ob apertam veritatis poſſeſſionem confectus in carcere & mortuus 64
Berengarius acerrimus oppugnator metuſiaſtarum & ſynuſiaſtarum 8 cogitur canere Palinodiam 8
Berengarium à Nicolao Papa jure damnatum, dogma Lutheri 357
Berga apud urbem Magdeburgum, nobilis officina Libri Concordiæ 162
Bergæ editum magnum prodigium quum Liber Concordiæ illic cuderetur 236
Bergenſis Conventus, in quo à ſex Theologis Liber Torgenſis emendatus & Bergenſis factus 12. 103.
Bergenſis formula plane contraria confeſſioni Auguſtanæ 171. 173
Bergenſis formulæ multiplicia & varia nomina 124. ejus partitio 125
de Bergenſi formula multiplices & variæ cenſuræ 136. admonitio & judicium Magdeb. Theologorum

141.

141. item *Theologorum Brandenburgenſium in Marchia* 138. & *Anhaldinorum* 139. & *Bipontinorum* 139. *de eadem littera Landgravii VVilhelmi ad Senatores ſecreti conſilii civitatis Noribergenſis* 141

in Bergenſi *formula multa utiles admonitiones neglecta* 155

Bergenſes *Patres quot & qui* 124. *ſocii hi veterum Priſcianiſtarum* 102. *magnam faciunt injuriam Luthero, eo ipſo, quod ejus ſcripta eodem loco habent quo ſcripturam habent* 102. *in conſcribendo Concordiæ Libro uſi modo inuſitato* 161. 175. *non ſolum Verbum Dei, ſed etiam Auguſtanam Confeſſionem, & Lutheri ſcripta omnia pro norma doctrinæ ſtatuunt* 163. *interim Epheſinum & Chalcedonenſe ſymbolum omittunt*, ibidem *dehortantur Principes à Synodo* 175. *rem de* [illegible] *volunt pontificaliter*, ibidem *brachium in*[illegible]*ocant ſeculare*, ibid. *libros Concordiæ formulæ adverſantes damnant*, ib. *ab orthodoxa doctrina Lutheri de prædeſtinatione longiſſime diſcedunt* 193. 168. *locis S. litterarum abutuntur*, ib. *errores accumulant*, ib. *ſubſcribere nolentibus atrocia minantur* 185. *inſtar Hammanis & hoſtium Danielis, ſanguinolentis conſiliis extorſerunt ſubſcriptionem Libri Concordiæ* 205. *reiiciunt petitionem de correctione Libri Concordiæ* 210. *ſuam Vbiquitatem* [illegible]*ernare conantur* 212. *ſub Concordiæ prætextu mira quærunt* 219. *urgent ſubſcriptiones Libri Concordiæ manibus pedibuſque* 220. *in colloquiis actores & judices eſſe volunt* 227. *præfixa præfatione formulæ Concordiæ Principibus & Theologis fucum facere, eoſque ad ſubſcriptionem pellicere conantur* 345. *probare ſtudent ſe non novam doctrinam tradere* 259. *ſacram Scripturam volunt Vbiquitatem docere* 26[illegible] *ſe doctrinam Auguſtanæ Confeſſionis de perſona Chriſti retinere aſſerunt* 290. *econtra ſacramentarios hanc reiicere* 262. *Lutheranos non diſſentire in doctrina de Vbiquitate* 262. *ſe retinere verba inſtitutionis pro fundamento præſentiæ Corporis Chriſti in Cœna* 263. *refutant cenſuram Theologorum Anhaldinorum in præfationem Libri Concordiæ cui Anhaldini Theologi opponunt apologiam ſuam* 274. *hoſtiliter in ſe diſſentiunt* 289. *ingratiſſimi ſunt in Præceptorem ſuum Melanchthonem* 290. *noluerunt initio formulam ſuam ſuſpectis communicari* 301. *fraudulenter in formula Concordiæ multa ex Lutheri ſcriptis ſibi contraria omiſerunt* 304. *Spartanis longe fuerunt aſperiores in obtrudendis per vim erroribus ſuis Eccleſiæ* 362. *diſſentiunt à Confeſſione Auguſt. ejuſque apologia & ipſo etiam Luthero* 366. *in citandis ſcripturis valdè ſubdoli* 468

Bergenſium *Patrum litteræ dictatoriæ ad Aug. Elect. Sax. quibus eum dehortantur a ſynodo, & viam procedendi monſtrant* 175. *eorum reſponſio de prima & immutatâ Confeſſione Aug.* 209. *de tranſſubſtantiatione in ea contenta* ibid. *de omiſſione ſynergiſtarum* ib. *de phraſibus inuſitatis in Libro Concordiæ* 212. *de damnandi verbo* 212. *de retinendo corpore doctrinæ Philippi* 213. *de libero arbitrio* 213. *de definitione Evangelii*, ibid. *eorundem proteſtatio in præfatione Libri Concordiæ facto contraria* 256 *ſpiritu inflati ſunt ſuperbiſſimo* 387. *de hoc ſpiritu juſta querela Ducis Brunſvicenſis* ibid.

ad Bergenſium *Patrum litteras dictatorias reſponſio* 180

Bibendi *vox in Cœna ad os mentis ac fidei accommodanda* 46. 50

Bibliorum *codex lapſis lydius ſufficiens* 221. *eorum verſio Tigurina remota ab Auguſto Electore Saxonia* 379.

Bipontina *reformatio, ubi de catecheſi colloquium* 428

Bipontinorum *Theologorum judicium primum de formula Torgenſi* 112. *alterum* 118. *de Bergenſi judicium* 139

Boetius *oppugnat Catechiſmum VVitebergicum per prodigioſas phraſes* 24

Bohemi *condemnantur à Concordiæ Libro* 125

Brema *Concordiæ Libro ſubſcribere recuſavit* 306

Bremenſis *Eccleſiæ reformatio* 280

Bremenſem *reformationem impedire conantur Archiepiſcopus* 380. *Iodocus Galaneus* 381. *conventus Halberſtadenſis*, ib. *adverſus Bremenſem reformationem paſquillis luſum* 383

Bremenſes *accuſati in Conventu Halberſtatenſi ob inſtitutam reformationem, purgant ſe ſcripto publico* 382. *qui ideo oppugnantur à Schmidlino, cui ipſi reſpondent* 382

Bremenſium *cenſura de Libro Concordiæ non refutata à Patribus Bergenſibus* 213. *erga Bremenſes Orthodoxos odii cauſa vera quæ* 383

Brentius *cum Vbiquitate poſt mortem Melanchthonis in lucem prorumpit* 18. *de ea quid ſenſerit*, ibidem *ab Orthodoxa Eccleſia & ſuâ ipſius doctrinâ deficit* 18. *depravat ſummoperè ſacras Scripturas* 29. *in Cœna pugnat cum Bergenſibus* 186. *in hac tropum admittit* 436. *duplicem divinitatem anſtatuerit* 436

Brentii *horrenda inſania notanda* 397

Brunſvicenſis *Ducis juſta querela de faſtu Theologorum Bergenſium* 387

Brunſvicenſem *Ducem ſubſcriptionis Concordiæ Libri pœnituit* 307

Brandeburgenſium *in Marchia judicium de libro Bergenſi* 138

Bucerus *interceſſor Zuinglianorum & Lutheranorum* 296. *excuſat Tiguri Argentinenſes* 444. *commendat eis confeſſionem ſuam in Angliam abiens* ibidem *ejus inſtituta Concordia in re ſacramentaria ſumma ſemper cura Landgravio Philippo fuiſſe* 122

C

ad Cadum *vinarium Erphordiæ conſcripta Apologia pro Libro Concordiæ* 386

Calviniſtarum *dogmata cum verbo Dei & fundamentis fidei conveniunt* 284

Calumniarum *abſterſio, quas Vbiquiſtæ evomunt in Orthodoxas Eccleſias* 351. 352

Canonici *Libri Scripturæ cur ſic dicti* 110

Canonis *miſſæ origo* 8

Canoniſtarum *origo* 8

Canthari *& vini ſimilitudine adumbrata à Lutheranis conſubſtantiatio* 11. 357

Cantores *etiam Libro Concordiæ ſubſcribere coacti* 198

Capernaitica *manducatio realiter aſſerta in Libro Concordiæ* 366

Carceris *Peuceriani deſcriptio* 82. 86. *cauſa* 346

Caro *pro tota Humana Natura* 165

Caro *Chriſti ut dicatur exaltata* 466. *vivificatur & quomodo dicta* 470. 474. 476. *organum eſt acquiſitæ nobis vitæ* 479. *ab infidelibus non manducatur* 470

Carnis *inviſibilis nullam præſentiam agnoſcit Auguſtinus* 199

Caſparus *Francus ſuam edit in Schmidlinum concionem* 222

Caſpari *Fugeri admonitio de Libro Concordiæ* 266

Caſſellanus

Caſſellanus Conventus, in quo ſubſcriptio Libri Concordiæ recuſata 136.236.237
Catechiſmus Genevenſis editus 165. Lutheri major & minor pro regula dijudicandi controverſias ſtatutus ab Vbiquiſtis 96.155. VVitembergenſis editus juſſu Electoris 66. major depravatus in Libro Concordiæ 450.
Catechiſmi VVitebergenſis capita oppugnata à Boetio 24. ab Hallenſibus & aliis 27. de Catecheſi Bipontina colloquium 428
Catalogus Electorum, Principum, Comitum, &c. præfixus Concordiæ Libro, alterum Meduſæ caput 183
Chalcedonenſe Concilium 159
de Charitate edita theſes à Papo, turbarum materia Argentinæ 231
Chimæra Vbiquiſtica Liber Concordiæ 195
Choldicii quid actum in ſubſcriptione Libri Concordiæ 198
Chriſtus verus Deus & homo in una perſona 30. non diviſus, ſed unus 468. ſecundum carnem quærendus in cœlo ad dexteram Patris 485. neutiquam corpore ſuo ubique 93. à nobis adorandus 469
Chriſti divina natura ejuſdem cum Patre eſſentiæ 476 Humana etiam poſt reſurrectionem vera natura 30. per ſe præ aliis hominibus excellentes prærogativas habet 31
Chriſto data omnis potentia ratione officii, ſeu ut Mediatori & Salvatori 208
Chriſtum Corpore ſuo eſſe in lignis, lapidibus, aquis, & aliis Creaturis, paradoxon eſt abſurdiſſimum Lutheranorum 160
in Chriſto duæ Naturæ inconfuſæ 130. utraque enim ſuas eſſentiales retinet proprietates 30
Chriſtianus Elector Saxoniæ liberat Peucerum ab omni vinculo obligationis 412. ſummopere de Repub. & Eccleſia Chriſtiana eſt ſollicitus 413 decernit, ut Paſtores abſtineant à conviciis 414. abolet omnia humana additamenta ibid. moritur, ibid. eius mortem ſecuta graviſſima perſecutio Orthodoxorum in Sax. ibid.
Chriſtophorus Herdeſtianus Iuriſconſultus, defenditur à calumniis Schmidlini 416
Chriſtophorus Irenæus refutat articulum Libri Concordiæ de peccato originali 361
Chytræus, Pater Bergenſis 124
Circumgeſtatio Corporis Chriſti probata à Luthero 158
Coactè ſubſcriptum Libro Concordiæ & quibus Authoribus 204. 206
Coburgi quid actum in ſubſcriptione Libri Concordiæ 204
Cœleſtinus extinctus horribili mortis genere 254
Cœlum ubique diffuſum eſſe, error Vbiquiſtarum 102. 365. 160
in Cœlo eſſe infernum phraſis valde periculoſa 160
Cœna Domini quibus ritibus ab Eccleſia primitiva celebrata 4
Cœnæ Domini uſus & fructus 32. 356. idem in ſacrificium mutatus 4. ejus verba extra omnem tropum intelligenda, dogma Lutheri 357.
ob Cœnæ depravatum uſum magna olim certamina 4
de Cœnæ verborum ſenſu ſententia & gloſſa Lutheri & diſcipulorum ejus 16. 376
de Cœna ſententia Orthodoxa Theologorum Neuſtadianorum 351. Iudicium Landgraviorum 111. Errores Libri Concordiæ 125. 126. 135. 329
in Cœna externa ſymbola conſecratione transferuntur ab uſu profano ad ſacrum proponuntur non ſolum merita Chriſti, ſed etiam Corpus ejus 48. unicum tantum fundamentum præſentiæ Chriſti juxta Bergenſes 211
Colonienſis reformatio impedita ab Vbiquiſtis 385
Colonienſibus contra Religionis pacem ſtructæ inſidiæ 277
Comes VVitgenſteinius Libro Concordiæ ſubſcribere ſimpliciter recuſat 307
Cometa horribilis, ardens in aquario, viſus tempore infauſtæ editionis Libri Concordiæ 309
Communicatio Idiomatum facta in Chriſto ſine exæquatione aut confuſione naturarum 326. ea à Selneccero ut definita 197. realis evertit fidei articulos 452
de Communicatione Idiomatum errores Libri Concordiæ 326. 129
ex Communicatione Idiomatum reali, abſurda quæ ſequantur 272
Concilia œcumenica & probata, indicta ab Imp. 159. utilia ne an inutilia 269
Concordiæ Liber pro regula doctrinæ neutiquam recipiendus 12. 448. conſcriptus Torgæ ubi Orthodoxi damnati 38. canonizatus 102. miſſus ad civitates aliquot imperiales Sueviæ 102. idem qui Bergenſis 124. variè cognominatus ibid. ut in genere Eccleſiarum & Scholarum Miniſtris fuerit commendatus 183. depravat tria approbata ſymbola 447. ſcatebra eſt phraſium prodigioſarum 211. 274. non tantum doctrinam, ſed etiam ei adhærentes damnat 241 priora acta omnia in dubium vocat, ibid. non ſolum Verbum Dei, ſed etiam Lutheri ſcripta omnia normam doctrinæ facit 242. ſtatus controverſiarum non recitat bonâ fide, ibid. Eccleſiis & Scholis Orthodoxis multa falſa impingit 243. continet falſas, contrarias, ambiguè poſitas ſententias 243. evertit fidei Chriſtianæ articulos, ibidem canonizat dogma Vbiquitatis 244. diſcordiam ſerit inter Aug. Confeſſionis doctores 244. inter Electorales familias, ibid. 307. 123. eruit doctrinas erroneas ſepultas 257. 447. in aula Danica virulentius exagitatur, quam Neapoli, vel Genevæ 308. continet non veram Auguſt. Confeſſionem 447
Concordiæ Liber abrogatus à Chriſtiano Duce Saxoniæ 414
Concordiæ Libri exemplar Latinum verſum à Selneccero valde corruptum 133. eius origo & progreſſus 12 errores 167. 326. 328. 338. 361. 364. 365. 364. 365. 453. compendium 364. 350. 241. editio 307. ſubſcriptio 175. ſcopus 136. fructus 360. antilogiæ 455
Concordiæ Libri authores 286. vanitas 361. diverſitas 313. articuli affirmativi & negativi Torgenſes 39. 40. &c.
Concordiæ Libri inſcriptio & præfatio 162. 165
pro Concordiæ Libri errorum defenſione diſputatio Schmidlini, habita VVitteberga 316. eius examen 317
Concordiæ Libro deſcribendo qui deſignati in Conventu Lichtenbergenſi 93. eidem ſubſcriptum ab Electoribus, Principibus, Comitibus, Civitatibus, 183. VVitteb[illegible]gæ 387. Herzbergæ 188. Torgæ 198. Miſenæ 1[illegible]1. Dreſdæ 191. Fribergæ 192. Kemnitii 93. Neapoli 194. Cholcidii 197. Lipſiæ 198. Marteburgi 198. Naumburgi 200. Ihenæ 202. Vinariæ & Coburgi 203. ſubſcriptum autem coactè 202. 205. 204. eidem ſubſcribere quibuſdam grave, & cur 185. qui ſubſcribere recuſarint 303. 306. 307. &c.
vera Concordiæ & paci quibus mediis conſulendum 220
in Concordiæ Librum Prolegomena 1. 2

in

in Concordiæ Libro mutationes non leves factæ, etiam poſt ſubſcriptionem 433
de Concordiæ Libro conſcribendo conſilium Principum initio bonum, ſed Theologorum fraudulentum 37. de eo acta & ſcripta edita anno M. D. LXXXII. 379. variæ cenſuræ & judicia 163. 192. 361. ut Iohannis Caſimiri Palatini 239. 240. 219. Iohannis Palatini & Conſiliariorum ejus 221. Richardi Palatini 276. Landgravii VVilhelmi 154. 155. 221. Theologorum Neuſtadianorum 250. Anhaldinorum 270. 272. &c. quorundam Germanorum ibid. Pomeranorum 175. Peuceri 164. Bellarmini 361
in Concordiæ Libro continentur nova, falſa & monſtroſa dogmata de peccato originis, juſtitia fidei; bonis operibus lege & Evangelio, pœnitentia, Cœnâ Domini 166. item de unione perſonali 166. continentur Vbiquitas, propoſitiones in abſtracto, aſcenſio allegorica, exæquatio naturarum, phraſes loquendi novæ, paradoxa &c. 12. 308. 265. 334. 357. 358. 125. 126. in hoc errores Lutheri totius mundi oculis ſpectandi proponuntur 360. Orthodoxæ Eccleſiæ condemnantur 168
de Concordia Lutheri cum Helvetiis admonitio Ambroſii VVolfii 305.
Concretum & abſtractum neutiquam confundenda 364. ea quid propriè 249. quid Vbiquiſtis 250
Condemnationes exterorum in Libro Concordiæ factæ iniquiſſimè 107. 255. 283. eæ à Bergenſibus ut excuſentur 212
de Condemnationibus exterarum Eccleſiarum in Libro Concordiæ factis oratio Legati Reginæ Angliæ 147. item admonitio Conventus Francofurtenſis 151. & judicium Landgravii Vuilhelmi 123
Confeſſio Helvetica edita authore & ſuaſore Friderico Palatino 146. 165
Confeſſio Tridentinæ Synodo exhibenda approbata 97
Confeſſionum harmonia quibus authoribus edita 144
de Conjugio haud probanda ſcripſit Lutherus 157
Conſcientiis imperare non hominum 78
de Conſecratione duplex in Concordiæ Libro error 365
inter Conſilium Dei æternum & exſecutionem ejus diligenter diſtinguendum 168
Conſubſtantiatio recepta à Luthero, rejecta tranſſubſtantiatione 8. à Lutheranis variis ſimilitudinibus adumbrata 10. oppugnata à metuſiaſtis 7. eccleſiæ veteri ignotiſſima 89. evertit articulum de vera Natura Humana Chriſti 89. ſtabilit nervum miſſæ idololatricæ pontificiæ 89. confirmat perſuaſionem de opere operato 89. acuit ſævitiam Evangely ibid.
Conſubſtantiationis cauſæ, exordia, progreſſus 24
Conſtantinus M. Imp. polemica ſcripta in theatrum mundi non produxit 123. ſed ea in Concilio Niceno combuſſit 314. ſine Synodo in controverſiis religionis nihil conſtituit 180
Conſtantinopolitanum Concilium 159
Contradictoria multa in Libro Concordiæ 354
Controverſi articuli religionis non juxta ſcripta Patrum decidenda 157
Converſio miraculoſa panis in Corpus, & vini in Sanguinem Eccleſiæ Orthodoxæ ignota ibidem hominis ad Deum donum divinæ gratiæ 137. 223. non mutatio merè paſſiva & momentanea 338
de Converſionibus tribus cauſis concurrentibus in Libro Concordiæ 211
Convitia minimè decent Theologos 111
Cornerus Pater Bergenſis 124
Corpus Chriſti in Cœna, ſed non in pane 360. 90. non tantùm ſignificatur, ſed etiam exhibetur 53. ſimul & ſemel in uno tantum loco 343. unum idemque uno eodemque momento in terris & cœlis eſſe nequit 51. confici, in os intrare, in terram cadere, ut dicatur à veteribus 49. ſubſtantialiter in Cœna ut edatur 46. illud penetrare in panem, dogma eſt Lutheri 357. adorandum eſſe in elevatione, alterum dogma Lutheri 358
de Corporali præſentia in Cœna Pontificios hactenus rectè ſenſiſſe, dogma tertium Lutheri 358
Corporis Chriſti κοινωνία quæ juxta Paulum & Orthodoxos 46. 49. quæ juxta Lutherum ibid. ejus vocabulum ab Vbiquiſtis maximè urgeri ſolitum 9.
de Corporis & animæ ſimilitudine 484. 355
Corpus doctrinæ Philippi damnatum in Conventu Torgenſi altero, & quomodo 96. 97. & cur 213. à Selneccero commendatum 99
Corporis doctrinæ veteris origo 97
Cracovius ob veritatis profeſſionem in carcere moritur 63
Creationis articulus in ſymbolo ſublatus ab Vbiquiſtis 366
Cruſta panis cremata, diluta cerviſiâ atramentum ſuppeditans Peucero 325
Crucifixio referenda ad carnem Chriſti 468
Cyprianus ſuis nævis pollutus 293
Cyriaci Spangenbergii colloquium cum Schmidlino 183.

DAmaſcenus neutiquam tranſſubſtantiationis aſſertor 6
Daniel Arcularius, Vbiquitatis ſtrenuus patronus 18
Daniel Cellarius in tumultu Marpurgico miſerè tractatus ab Vbiquiſtis 492
Daniel Hofmannus reſpondet Hunnio 431
Daniel Hoff. reiicit Vbiquitatem 432
Daniel Rogerius Legatus Angliæ Reginæ in Conventu Francofurtenſi 144
Danorum Rex Fridericus Concordiæ Librum, donô acceptum à ſorore ſuâ, Electoris Saxoniæ conjuge, holoſerico obductum, auro & gemmis ornatum egregie, abiecit in ignem 307
Dantiſcani Librum Concordiæ ſuppreſſerunt 307
Declaratio controverſorum articulorum primus titulus formulæ Concordiæ 103
Definitionis neceſſitas ſublata ab Vbiquiſtis 366
Deus eſſentia ſpiritualis & paſſionis expers 114
Deus juſtè decernit quæcunque & diabolus & homo malè agunt, neque propterea mali eſt author 168
Deus ſibi contradicere nequit 94. inter voces Deus & Divinitas diligenter diſtinguendum 167
Dei & Deitatis vocabula diligenter diſtinguenda 364.
de Dei præſentia & efficaciâ in ſuo verbo errores Libri Concordiæ 326
Deificari Naturam Humanam Chriſti per realem communicationem eſſentialium proprietatum, error portentoſus ubiquiſtarum 364

Deificatio

Deificatio *cur à Patribus dicta exaltatio Corporis Chriſti* 460
Deitas *propria adorationis cauſa* 467
Deitas *in Chriſti Humanâ Naturâ aliter habitat, quàm in ſanctis* 482
Deitatis *proprietates eſſentiales Humanitati Chriſti per ſe incommunicabiles* 343
Deitatis *proprietates unde in Humanitatem neutiquam realiter transfuſa* 465.466
Deſcenſus *Chriſti ad inferos quid* 109. 479. 140
Dextera *Dei* 465. *quid ea Auguſtino* 452
ad Dexteram *Dei ſedere, vanum ubiquitariorum fundamentum* 394. 398. 453
Dilectio *Dei non fucata* 317
Dioſcorus *Alexandrinus Epiſcopus Eutychis confirmat hæreſin* 184
Diſpenſatio *quid patribus* 250. 273. *quid Vbiquiſtis* ibid. *duplex in Cœna à Brentio ſtatuta* 18
ob Diſſidia *inteſtina crevit Papatus* 112
de Diverſitate *Formulæ Concordiæ* 313
Divina *voluntas ſuapte naturâ efficaciſſima* 471. *humanâ Naturâ non omnipotens* ibid.
Divinæ *Naturæ proprietates, communicabiles perſonæ, id eſt, homini, non humanitati* 94
inter Divinæ *Naturæ proprietates incommunicabiles & communicabiles diligenter diſtinguendum* 166
Doctrina *Libri Concordiæ falſa, impia, nova, periculoſa, Verbo Dei & Auguſtanæ Confeſſioni repugnans* 237. *pernicioſa ad ſchiſmata excitanda* 252
Doctrinæ *Catholicæ de Perſona Chriſti eiuſque Cœna collatio cum diſputatione Schmidlini VViteberga habita anno* 1580. 380
Dogmata *nova, falſa & prodigioſa approbata in Libro Concordiæ canonizatione Librorum Lutheri* 454. 357
in Dogmatibus *falſis mala concordia* 200
Dormilius *cur dictus à quibuſdam Vigilius* 464
Dreſdæ *quid actum in ſubſcriptione Libri Concordiæ* 191
Dreſdenſis *Conventus Theologorum Saxonicorum, ubi de conſenſu eorum in controverſis articulis* 20. *&c. qui fuit approbatus unâ cum ſtereomate à Lipſenſibus, VVitebergenſibus, tribus conſiſtoriis & ſuperintendentibus Electoralis Saxoniæ* 35. *idem abrogari juſſus denuò approbatur* 55. *idem oppugnatur* 35
Dreſdenſe *exemplar Libri Concordiæ authenticum* 433
Duo *miſcere in unum quid Epiphanio* 474
Dux *Brunſvicenſis Iulius accuſat VVitebergenſes* 22. *ſcribit Landgravio* 209
Ducis *Brunſvicenſis admonitio ad Schmidlinum* 408
apud Ducem *Brunſvicenſem Schmidlinus ſe excuſat* 408. *itemque apud cancellarium ejus*, ibid.
Dux *VVirtembergicus expoſtulat cum Philippo propter Vbiquitatem* 17

E Brii *cantores etiam Libro Concordiæ ſubſcribere coacti* 198
Eccius *tyrannidis, errorum & ſuperſtitionum Papatus præcipuus propugnator* 98
Eccleſia *primitiva quibus ritibus Cœnam Domini celebrarit* 2
Eccleſiæ *veteris phraſes de re Sacramentaria* 32. *doctores omnes ſuis nævis polluti* 293
Eccleſiæ *particulari haud licitum aliis in mundo Eccleſiis normam doctrinæ præſcribere* 353
in Eccleſia *dirimendi diſſenſiones quæ via legitima* 180
Eccleſiæ *pace fruentes certaminibus non implicandæ* 240. *à Luthero fundatæ, inprimis diſſentientes de fidei doctrina* 168
Eccleſiaſticorum *ſcriptorum certi gradus* 352
in Editionem *Libri Concordiæ varia ſcripta, cenſuræ, animadverſiones, iudicia, colloquia* 309 310
in Editione *Libri Concordiæ fraus deteſtabilis commiſſa* 306. 307
Effuſio *proprietatum Schmidliana exploſa à Kemnitio* 20
Eleemoſinæ *olim oblatæ in Cœna* 2
Electoris *Palatini litera ad Electores Saxoniæ & Brandeburgenſes de corrigendo Libro Bergenſi* 152
inter Electionem *& executionem per media ordinaria, diſtinguendum* 339
Eleuſius *Cyzicenus Epiſcopus, coactus à Valente Imp. ſubſcribere dogmati Ariano* 183
Enthuſiaſtica *mutatio hominis improbata in Sacra Scriptura* 338
Epheſinum *primum Concilium* 159. *retractatum, & cur* 308
Epiſcopi *ex veteribus purioribus canonibus ordinandi* 167
Epperienſis *in Hungaria Synodi acta* 434
Erdfurtenſis *Apologia, pro Libro Concordiæ* 385
Erdfurtenſis *Apologiæ editionem quæ acta & ſcripta ſecuta* 402
Erneſtus *Vœgelinus, induſtrius Lipſiæ Typographus* 37 *bonis ſuis ſpoliatus, & cur* ibidem
Erroris *in Cœna origo* 4
Erronea *multa in Libro Concordiæ* 44
Eſt, *in verbis Cœnæ variè interpretatum* 6.48
Eſſendi *modi Corporis Chriſti tres juxta Lutherum* 357
de Eſſendi *tribus modis inſania Vbiquiſtarum* 397
Eſslingenſes *conciones Schmidlini abſurdis monſtroſiſſimis ſcatentes* 222
Ethnici *ante Chriſtum non prorſus excluſi à gratia & miſericordia Dei* 337
de Evangelii *definitione* 224. *deque eadem confeſſio Peuceri* 339
Evangeliſtæ *in hiſtoria inſtitutionis Cœnæ non iiſdem verbis uſi* 166
Evangelicorum *numerus minutus ob diſſidia inteſtina* 112
Euchariſtia *dicta Cœna & cur* 3. *in carcere à Peucero petita, & cur* 349
Euchariſtica *epiſtola Ambroſiæ Sturmii edita* 367
Euchariſticum *certamen quo uſque progreſſum* 96
Eunomius *æternam Deitatem Filij negavit* 464
Eutychis *error* 308. 188. *armis confirmatus in Synodo Epheſina ſecunda* 185. *damnatus à Chalcedonenſi* 343
ex Eutychianis *nugis natum dogma Vbiquiſticum* 314
Exæquatio *duarum naturarum tradita in Libro Concordiæ* 364
Exaltationem *Corporis Chriſti cur Patres Deificationem interdum vocent* 160
Examen *municipale Argentinenſium* 444
Exegeſis *VVitebergenſis edita* 37. *ob ejus evulgationem Erneſtus Vœgelinus omnibus ſuis bonis ſpoliatus* ibid.

Exorciſmus

Exorciſmus abrogatus à Chriſtiano Electore Saxoniæ 414
Ezechielis cujuſdam acta in Calviniſtas 439

Faber, Concionator Argentinenſis Manlianus & tribunitius 367
Faſces pro Imperio Romano, metonymia 377
Ferri candentis ſimilitudo explicata 473. ea in articulo de perſona Chriſti periculoſa 113. de hac neceſſaria admonitio Damaſceni 473. 355.
Fides ficta quæ propriè 338. vera donum Dei, ibid.
Fidei principia nova confingere nulli homini licitum, 315. articuli non allegoricè interpretandi 122. hi ab Vbiquiſtis, in opus comœdiæ ſimile rediguntur 160
de Fidei juſtificatione ſententia Theologorum Haſſiacorum 106
Figuratæ locutiones verbis rejectæ, ſed facto approbatæ ab Vbiquiſtis 366
Filius Dei ex naturâ, non gratiâ 476
Flaccius Illyricus primus corpus doctrinæ verus damnavit 98. reprehendit in Philippo moderationem 98. ſpargit Confeſſionem Auguſt. non à Philippo ſcriptam ibid. in dubium vocat, quæ ſit vera confeſſio ibid. allatrat reliqua Philippi ibidem.
Flaccio-Brentiani offenſi Catechiſmo Latino Theologorum Vuitebergenſium 24. cùm ſcribendo adverſus Vuitebergenſes Theologos nihil proficerent, magiſtratuum authoritate & ſuffragiorum multitudine perrumpere conantur 36. 37. tribuunt etiam non renato multas vires 486. fingunt novum opus operatum 486
Flaccianorum ſomnium de homine habente ſe purè paſſivè 337
Flaccianorum tumultuum initium 341
inter Flaccio-Brentianos & Orthodoxos exorta graviſſima certamina
Flavianus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, à Dioſcoro pedibus calcatus, quòd Eutychis hæreſi reſiſteret, 185
Forma Servi, à Chriſto aſſumpta, quæ 385
Franciſcani jurare ſoliti in verba Franciſci, ut Lutherani in Lutheri 142
Francofurtum Libro Concordiæ ſubſcribere recuſavit 307. 276
Francofurtenſis ad Mœnum conventus 143. & quibus de cauſis indictus ibidem, idem quæ decreta tulerit 144. ejuſdem ſupplex admonitio ad Principes Auguſtanæ Confeſſionis de condemnationibus exterarum Eccleſiarum in Libro Concordiæ factis, 151
Francofurtenſem Conventum ſecuta acta, ſcripta, & reſcripta, de corrigendo Libro Bergenſi 152
Fribergæ quid actum in ſubſcriptione Libri Concordiæ 193
in Friſia Orientali ſubſcriptis Libri Concordiæ recuſata 307
Fulgentius coætaneus Proſperi Galli 4
Futurorum cognitionem ut poſſideat Humana Natura in Chriſto 472

Galli Tuſchlini judicium de Libro Concordiæ, 269
Gallicanæ Eccleſiæ ſociæ confeſſionis Helveticæ 148. à Concordiæ Libro damnantur 124. Concordiæ Librum ad Garamantas ablegandum judicarunt 307
Gallicarum Eccleſiarum Confeſſio approbata in Colloquio Vuormacenſi 295
Gebhardus Truchſeſſius, Archiepiſcopus Colonienſis, reformationem inſtituit, ſed ab Vbiquiſtis impeditur 385. fit extorris ibid.
Gelaſius Afer Epiſcopus Eccleſiæ Rom. 4
Genevenſes ſocij Confeſſionis Helveticæ 146
Georgius Major à Conventu Torgenſi vocatur 55. rogatur, ut fideliter agat 57
Georgius Schonfeldius in tumultu Marpurgico miſerè tractatus ab Vbiquiſtis 491. admonet cives ſui delicti, concione publica, utque veniam à Deo & principe ſupplices petant hortatur 493
Georgii Caſſandri judicium de Libro Concordiæ 315
Georgii Fabri rhythmi, quibus Concordiæ Librum approbavit 197
Germanorum Theologorum cenſura & animadverſiones in Librum Concordiæ 161. 163
Gloria & Glorificatio Chriſti idem quod depoſitio infirmitatum ejus 460
Gloriæ Deus crucifixus ut dicatur 171
ad Glorificationem Humanitatis Chriſti ubiquitas & tranſfuſio divinarum proprietatum non pertinet 460
Gronvellani vox memorabilis in colloquio Ratiſponenſi 90
Gregorius M. quo ſeculo floruerit 3. privatas miſſas reprehendit ibid.
Gregorii Horvvarti argumenta in colloquio Keyſmarcenſi 434
Grynæus opponit ſcriptis Schmidlini Apologiam 404
Guitmundus oppugnator Synuſiaſtarum 8

Hæreſes cum ſuis Authoribus intereunt 123
de Hæreſibus, & extra Synodos damnatis 301
Hamburgum, civitas Vuandalica, ſatelles Patrum Bergenſium 235
Hanoviæ Comes Libro Concordiæ ſubſcribere ſimpliciter recuſavit 307
in Haſſiam qui Vbiquitatem importarint 121
Haſſiaci Theologi improbant in Torgenſi Formulâ condemnandi verbum 107. hi an ſint Zuingliani 119
Haſſiacorum Theologorum judicium de Formulâ Torgenſi, immutatâ nimirum confeſſione Auguſtana 104 de minore & majore Catechiſmo Lutheri ibidem, de eius ſcriptis canonizatis ibidem de novo corpore doctrinæ 105. de abrogatis Melanchtonis ſcriptis ibidem, de peccato originali, 106. de libero arbitrio, ibidem de fidei juſtificatione, ibidem, de bonis operibus, ibidem de Evangelij definitione, ibidem, de tertio uſu legis 106. de Perſona Chriſti 107. de eius deſcenſu ad inferos 109. de Cœna 119. eorum in Conventu Langenſalzenſi conſtantia ſumma 214
ad Haſſiacorum Theologorum iudicium; reſponſio Theologorum Saxonicorum 118 & ad hanc reſponſio Haſſiacorum 119
Helmſtadienſes Theologi congregantur Quedelburgi 393
Helmſtadienſium Theologorum admonitio de Formula Torgenſi ad Iulium Ducem Brunſvicenſem 114. ſcripta adverſus Tubingenſes 248
ad Helmſtadienſium Theologorum ſcripta reſponſio Vuitebergenſium 408

Helvetica *Confeſſio prima à Luthero & ordinibus Auguſtanæ Confeſſionis approbata* 295
Helveticæ *Eccleſiæ à Principibus proteſtantibus nunquam damnatæ* 38. *ſed à Libro Concordiæ* 125. *earum & Vvaldenſium eadem doctrina* 286
Helveticis *Eccleſiis Concordiæ Liber infelix partus habitus* 307
Hermanni *Pacifici theſes editæ* 367
Hertzbergæ *ut collectæ ſint ſubſcriptiones Libri Concordiæ* 188
Hertzbergenſe *Colloquium* 90. *habitum propter ſubſcriptionem Libri Concordiæ inter Theologos Anhaltinos & Patres Bergenſes, ubi actum de converſione hominis* 223. *de juſtificatione & Evangelij definitione* 224. *de Cœna, ubiquitate & inhabitatione Chriſti in hominibus* 225. *de perſona Chriſti* 226
quæ Hertzbergenſe *colloquium proximè ſecuta ſint acta, ſcripta, judicia* 238.230.231
Heshuſius *à ſuo epiſcopatu Sambienſi cur expulſus* 115. *impugnat argumenta Theologorum Saxonicorum pro ubiquitate* 394. *nec nomen, nec doctrinam Vbiquitatis probat* 395. *ubiquitati in Formulà Concordiæ non ſubſcripſit* 398. *pergit generalem ubiquitatem Corporis Chriſti publicè & privatim impugnare* 403
Heshuſii *certamen cum Morgenſternio de abſtracto & concreto* 116. *de Formula Torgenſi judicium* 115. ibid.
de Heshuſio *teſtimonium Schmidlini* 409
Heydelbergenſis *diſputatio à Grynæo habita, confutata à Schmidlino* 403
S. Hieronymus *ſuis etiam nævis pollutus* 293
Hieronymus *Lyska, Legatus Brandeburgenſis*, 488
Hoc, *in verbis Cœnæ variè interpretatum* 6. 10
Holſati *Theologi ſuadent Principi ſuo, Schmidlino non aures præbendas* 114
Holſatorum *Theologorum judicium de Formula Torgenſi* 113
Holſatiæ *Duces Libri Concordiæ ſubſcriptionem prohibuerunt* 228
Homouſiæ *vox fundata in Dei verbo* 266
Horrendum *judicium Schmidlini contra ſeipſum datum* 216
Hoſiander *oppugnat conſenſum Dreſdenſem* 35. *de ſubſcriptione Electoris Palatini* 238
inter voces Homo *& Humanitas diligenter diſtinguendum* 328
Hominis *& humanitatis nomina diligenter diſtinguenda* 264
Homini *Chriſto, non humanitati, proprietates divinæ communicabiles* 94
Hominum *authoritati in religione articulis nihil tribuendum* 113
Humanitas *Chriſti Deitatis organum vel templum, ſed limitatè, & in operibus externis* 479. 475. *ineffabilis donis exornata*, ibidem *in adoratione à divinitate non ſeparanda* 467. *juxta ubiquiſtas ab ipſo momento conceptionis ſedit ad dexteram Dei* 364
Humanitati *Chriſti proprietates Deitatis nequaquam realiter communicatæ* 473
Humanitatem *Chriſti perinde ut Divinitatem ubique eſſe, dogma Lutheri* 357. *eam in perſona ubique eſſe, fraudulenter ab ubiquiſtis docetur* 246. *eandem omnipotentem vel omnipræſentem eſſe, falſum eſſe* 232. *hanc ſub Deo eſſe, Arianiſmum ſapit* 113.
ſecundum Humanitatem *ut nobis Chriſtus adſit* 95
de Humanitate *Chriſti errores Libri Concordiæ* 326
Humana *ſcripta canonicis haud exæquanda* 101. *ea rarò citare tutiſſimum* 110
Hubertus *Languetus, legatus in Conventu Francofurt.* 144
Hungari *ſocii Confeſſionis Helveticæ* 146. *condemnantur à Libro Concordiæ* 185
Hungaricis *Eccleſiis Concordiæ Liber abominationi* 307
Hyperaſpiſtes *Antidavæi editus* 367
Hyperphyſicæ, *non antiphyſicæ, proprietates datæ Humanæ Naturæ Chriſti* 94

IAcobus *Andreæ vide Schmidlin.*
Iacobus *Heylbrunnerus concionator Bipontinus* 180 *ſcribit Principi ſuo de cenſuris Libri Concordiæ* 218 *colloquitur cum Beuthero* 428. 429
Idoli *miſſatici fundamenta* 4
Idololatriæ *fons* 156
Ieniſius, *Secretarius Auguſti Electoris Saxoniæ, ſummus Peuceri perſecutor* 410
Ieſuitæ *Ingolſtadienſes graviſſimi oppugnatores Vbiquitatis* 158. *nominatim oppugnant Schmidlinum* 384
Ieſuitarum *ordo ob diſſidia inteſtina Evangelicorum maximè auctus* 112. *Moguntinenſium axioma de tropo in verbis Cœnæ* 322
Ihenæ *quibus argumentis Schmidlinus ſubſcriptionem Libri Concordiæ extorſerit* 202
Ihenenſes *oppugnant conſenſum Dreſdenſem* 35. *ſcribunt contra propoſitiones Vvitemb.* 83
Illocalitas *Corporis Chriſti ſtatuta in Libro Concordiæ* 137
Imaginum *cultus unde* 3
ob Imagines *remotas Marpurgi exortus tumultus* 488
Immeatio *excogitata à Kemnitio ad Vbiquitatis defenſionem* 19
Impanatio *Cœnæ à Luthero ſtatuta* 10
Impios *etiam Corpus Chriſti comedere, dogma Selnecceri* 377
in Impiis *exiſtere Corpus Chriſti, dogma eſt Marbachianum* 320
Implere *omnia ut Chriſtus dicatur* 394. 483
In, *ſub, cum, particulæ aſſutæ verbis Cœnæ* 8. *quo ſenſu uſurpandæ* 51.
Inauditos *damnare iniquum & illicitum* 295
Incarnatio *Chriſti à Schmidlino depravata* 88
Incarnationem *eſſe perfectionem filii Dei, error monſtroſus Vbiquiſtarum* 364
Infideles *haud participes Corporis Chriſti* 343. *ſecundum Lutheranos verum Chriſti Corpus percipiunt* 126
Infinitas *Corporis Chriſti ſtatuta in Libro Concordiæ*
Inhabitatio *Deitatis in Chriſto explicata* 86
ex Inhabitatione *plenitudinis Filii Dei non ſequitur ubiquitas carnis ejus* 466
Inqvisitio *Saxonica à Schmidlino inſtituta* 232. *cui ab Electore ſoli tradita* 234
Inſtitutionis *Cœnæ ordo totus perverſus ab Vbiquiſtis* 366. *ejus verba an ſine tropo intelligenda* 436
de Inſtitutionis *Cœnæ verbis gloſſæ Vbiquiſtarum* 376
Interim, *ſphinx Auguſtana, propoſita à Carolo V. ordine Imperii* 341

Inviſibilis

Inviſibilis *factus ut Chriſtus dicatur* 95
Inviſibilitas *Corporis Chriſti ſtatuta in Libro Concordiæ* 366
Iohannes *Bipontinus Dux judicium fert de Formula Torgenſi* 112. *de Libro Concordiæ* 427. 181. *queritur de eo in Conventu ſuorum Theologorum* 180. *& apud Landgravium Vuilhelmum per literas* 270. *urgetur de ſubſcriptione, quam negat* 218. *ponderat ſuorum Theologorum cenſuras* ibid.
Iohannes *Caſimirus Palatinus Comes indicit Conventum Francofurti* 143. *ſuadet exteros etiam ad Synodum vocandos* 303. *recuſat Libri Concordiæ ſubſcribere* ibidem *& quare, ubi judicium ejus de Libro Concordiæ continetur* 219. 239. 240. *literas ſcribit ad Electorem Saxoniæ de eo* 219. *detegit fraudes latentes in præfatione Libri Concordiæ, de phraſibus ac modis loquendi* 245. *ad eum Liber Concordiæ cur non miſſus* 213
Iohannes *Crato medicus excellentiſſimus, amicus Peuceri* 78
Iohannes *Erigenes graphiis confoſſus à ſuis diſcipulis,* 5
Iohannes *Franciſcus Aſpaſtes duplicat ad replicam Pouchenij pro Palmerio* 278. 282. 283
Iohannes *Gallus Erphordiæ ad Orthodoxos tranſit* 221
Iohannes *Georgius Pal. à Formulæ Concordiæ ſubſcriptione cur excluſus* 213
Iohannes *Mylius Ludidirector Leutſchovienſis* 434. *agit cum Vbiquiſtis* 435
Iohannes *Northuſius miraculosè liberatur ex aquis* 385
Iohannes *Palmerius de nullitate proteſtatur adverſus Bergenſium injuſtas condemnationes in Libro Concordiæ factas* 278. *ad eamque replicat Pouchenius, & duplicat Ioh. Franciſcus Aſpaſtes pro Palmerio* 278
Iohannes *Pincier, vir eruditus, pius, integer* 119
Iohannes *Piſtorius judicium fert de ſcriptis Vuitembergicorum* 36
Iohannes *Stœſelius labitur & pœnitentiam agit,* 95
Iohannes *Sturmius impudentiſſimis convitiis laceratur ab agyrtâ clamoſiſſimo Schmidlino* 367. *reſpondet ad illud Senatus Argentinenſis reſponſum, quod de quinque ſuis poſtulatis acceperat* 332. 369. 370. *edit tres antipappos* 315. *prodromum contra Schmidlinum* 169. *rectoratum deponere juſſus, nec ut audiatur impetrare potuit* 169
Iohanni *Sturmio & Pappo ſilentium impoſitum à Senatu Argentinenſi* 168
inter Iohannem *Sturmium & Pappum certamen, ejuſque origo & progreſſus* 230. *certaminis ob Formulæ Concordiæ ſubſcriptionem orti continuatio* 167. 168
Iſidorus, *Epiſcopus Hiſpalenſis* 4
Itali *condemnantur à Libro Concordiæ* 125
Iuris *canonici origo* 8
de Iuſtificatione 224. 293
de Iuſtitia *noſtra coram Deo* 139
Iuterbocenſis *Conventus de ſubſcriptione Libri Concordiæ* 232

KEmnitius *compilator hiſtoriæ Confeſſionis Auguſtanæ* 15. *expugnat catechiſmum Latinum Vuitebergicum* 28. *item conſenſum Dreſdenſem* 35. *fit pater Bergenſis* 124. *ubiquitatem* 404. *judicium fert de Selneccero* 345
Kemnitii *quid actum in ſubſcriptione Concordiæ Libri* 193
Keyſmarcenſis *colloquii acta* 439
Kirchnerus *compilator hiſtoriæ Confeſſionis Auguſtanæ* 15
Kirchneri *refutationis errores, itemque Enchiridii ejus* 416

LAicis *utranque ſpeciem non eſſe neceſſe dare, dogma Lutheri* 358
Lamberti *Danæi reſponſio triplex ad Tubingenſes fratres edita* 366. *antitheſis theſium Schmidlini* 364
Landgravius *Haſſiæ Wilhelmus judicium petit Piſtorij de ſcriptis Vuitebergenſium & adverſariorum* 35. *reſpondet Electori Auguſto ob Theologorum ſuorum judicium* 122. *proponit Theologis ſuis Formulam Concordiæ* 136. *ubiquitatem improbat* 154. *ſcribit ad Electorem Palatinum* ibid. *ad Ducem Brunſvic.* ibid. 209. *ad Auguſtum Electorem Saxoniæ* 209. *improbat damnandi verbum in Libro Concordiæ* 153. *rurſum ſynodum flagitat* 208. *colloquitur de tribus eſſendi modis cum Theologis Saxonicis* 215. 216. *ſuadet generalem Synodum Schmalcaldiæ convocandum, quæ à Saxone Schmidlini inſtinctu repudiatur* 216. *Conventum indicit Caſſellis* 236. *monet Electorem, ut ſubſcriptionem pauliſper ſuſpendat* 237. *denuo de ſubſcriptione Libri Concordiæ ſollicitatur* 252. *colloquitur eâ re cum Schmidlino* 253. *item quâ conditione ſubſcribere debuerit,* ib. *laudat Principum bonam intentionem, ſeque offert ad conſtituendam Concordiam* 254. *recuſat ſubſcriptionem Libri Concordiæ* 425. *colloquitur denuò cum Schmidlino* 423. *laudat Bipontini conſtantiam in recuſanda ſubſcriptione* 277. *ſcribit Palatino Electori de ſtatu Colonienſium* ibid. *recuſat ſubſcribere formulæ Concordiæ* 303. *petit, ut ne edatur Liber Concordiæ, antequam in Synodo emendatus ſit* 307. 308
Landgravii *Vuilhelmi litteræ de Libro Bergenſi ad ſecretum concilium Noribergenſe* 141. *judicium de Libro Concordiæ prudentiſſimum* 143. *admonitio ad Saxoniæ Electorem de canonizatione Librorum Lutheri* 218. *litteræ judicium aliud de Formulâ Concordiæ* 253. *eiuſdem reſponſum ad Legatos trium Electorum* 254. *ad hoc reſponſum replica electoralium legatorum* 259. *ad replicam hanc duplica Landgravij* 265
inter Landgravium *Vuilhelmum & electorales Theologos acta, de Concordia Libri ſubſcriptione* 252
à Landgravio *Vuilhelmo recuſante ſubſcriptionem quid Electores petierint* 268
Landgravii *fratres quatuor unà cum Theologis ſuis Libro Concordiæ ſubſcribere ſimpliciter recuſarunt,* 306. 305
Landgraviorum *omnium iudicium de Formula Torgenſi* 156
Landgravicorum *Theologorum poſtulata in Conventu Langenſalzenſi* 215
Landgravius *Mauritius reformationem inſtituit Eccleſiarum in ſuperiore Haſſia* 486. *ubi tria potiſſimum emendare vult,* ib. 487. *Theologos ſe ei opponentes removet & dimittit* 488. 489. *in locum dimiſſorum ſubſtituit alios,* ib. *Senatum populumque Marpurgenſem edocet, ob quam cauſam eos dimiſerit* 489. *ſtipendiarios etiam ſuos ad obedientiam hortatur,* ib. *vult Marpurgenſes quoque de tribus illis reformationis capitibus inſtitui* 440. *venit Marpurgum, & deploratis rebus in tumultu illic orto opem fert* 492. *iubet cives arma in curia deponere* 493. *recipit eos in gratiam* ibid.

Lanfranci *tyrannide abolita vera doctrina de Cœna,* 8

Langenſalzenſis *Conventus , & quæ in eo acta* 215

Langenſalzenſem *Conventum quæ proximè ſecuta, de ſubſcriptione Libri Concordiæ* 218

Lavvenburgenſes *Saxoniæ Duces, Libro Concordiæ ſubſcribere ſimpliciter recuſarunt* 306

Leuchterus, *Theologus Marpurgenſis, opponit ſe reformationi Landgravij* 487. *Gieſſam ſe confert* 491

Lex, *in renatis utrum ſit norma nova obedientiæ,* 340

de Legis *uſu tertio* 109

de Lege *&* *Evangelio* 139

Leutſchovienſis *Conventus in Hungaria* 441

de Libero *arbitrio ſententia Haſſiacorum Theologorum* 106. 294

Liechtenbergenſis *Conventus, & ejus acta* 92. *in hoc Orthodoxi opprimuntur* 92

Liechtenbergenſem *Conventum quæ proximè ſequuta* 93

Ligni *in carbone & ferri ſimilitudo* 481

Lipſiæ *quid actum in ſubſcriptione Libri Concordiæ* 198

Lipſenſium *Theologorum admonitio de apologia Erdfurtenſi* 387

in Loco *eſſendi modi plures* 14

Loci *communes Philippi à Luthero & aliis approbati* 97

Loculus *plenus pecuniâ ſymbolum conſubſtantiationis Lutheranæ* 11

Lubeca, *civitas Vvandalica, Concordiæ Libri ſubſcriptionem detrectantes perſequitur* 234

Ludovicus *Elector Pal. Libro Concordiæ ſubſcripſit conditionaliter* 306. 294

de Lunæburgenſibus *articulis* 302

Lutherus *ſuam ſententiam de Corporis Chriſti reali præſentia in Cœna verbis inſtitutionis initio aſſeruit* 13. *rurſus pro verbis inſtitutionis ubiquitatem Corporis Chriſti arripuit ad dogmatis ſui defenſionem* ibid. *eandem in negotio Cœnæ rejicit, & ad verba inſtitutionis iterum confugit* 15. *approbavit conſubſtantiationem* 9. *ſcripta ſua pro canonicis haberi noluit* 101. *ubiquitatem Corporis Chriſti non habuit pro fundamento præſentiæ corporalis in Cœna* 120. *etſi in ſignis eccleſiæ doctor, potuit tamen labi* 142. *conceſſit panis tranſmutationem, adorationem, elevationem, circumgeſtationem*, ibid. *de matrimonio perperam docuit* 141. *exorciſmum non abrogavit* ibid. *Papiſtis multa conceſſit de mutatione panis, matrimonio, revocatione Berengarij & aliis* 154. *ubiquitatis dogma primus excitavit* 154. *magnorum hominum honeſtam famam arroſit dicacitate ſua* 157. *de conjugio haud probanda ſcripſit* ibidem *interdum docuit, quod diſcipuli ejus in orthodoxis damnant* 170. *initio ſuam doctrinam de Cœna nemini obtruſit* 171. *tunc etiam de duabus in Chriſto naturis & earum proprietatibus quid docuerit* 172. *de Melanchtone longè aliud judicium tulit quam Vbiquiſtæ* 174 *Helvetiorum & Vualdenſium approbavit doctrinam* 315

Lutheri *ſcripta iniquè canonizata* 136. 155. *eadem cur non canonizanda* 156. *quia nævis ſcatet* 157. *quædam prodigioſa* 35[illegible]. *cum judicio legenda* 142

Lutheri *& diſcipulorum ejus de verbis Cœnæ ſententia* 1[illegible]. *& ejus abſurditas* 11

de Lutheri *ſcriptis Polemicis* 254. *eorumque authoritate ſententia admonitionis Neuſtadianæ* 352. *item aliorum Doctorum* 165. 164

Lutherani *non omnes verba inſtitutionis pro fundamento unico ſuæ doctrinæ agnoſcunt* 45. *iniquiſſimi ſunt in eccleſias orthodoxas* 12

Lutheranorum *ſententia affirmativa & negativa de Cœna Domini contra ſacramentarios* 126. *diſſenſio* 427

ad Lutheranorum *multa teſtimonia, quibus Vbiquitatem oppugnant, reſponſio* 266

Lutheranis *nomen Lutheri eſt caput Gorgonis* 304

Lutheranæ *doctrina de Vbiquitate quatuor fundamenta* 304

Magdeburgum *Libro Concordiæ ſcribere recuſavit* 307

Magdeburgi *habitus Conventus ob ſubſcriptionem Libri Concordiæ* 207

Magdeburgenſium *Theologorum admonitio de Libro Concordiæ qui ſubſcriptionem diſſuadent* 207

Majeſtas *divina quæ dicta* 474. *Humanitatis Chriſti in novum ſenſum detorta ab Vbiquiſtis* 247

de Maieſtate *Chriſti doctrina Theologorum Vuitebergenſium* 31. *paradoxa Brentii magnarum turbarum cauſa* 114

Majeſtaticus *& naturalis modus ſibi contrarii,* 481

Maieſtaticum, *hyperphyſicum & miraculoſum Corpus Chriſti ſtatui ſolitum ab Vbiquiſtis ex reali communicatione idiomatum* 345. *inprimis à Schmidlino* 19

Manducandi *in Cœna vox tranſlatitii ad os mentis ac fidei accommodant* 46. 49

Manducationis *corporalis utilitas quæ, juxta Lutherum* 357

Manichæorum *error* 452

Maozim *idolo ſimilis ubiquitas* 361

Marbachius *deficit a confeſſione Argentinenſi* 445 *ejus dogma de Aſcenſione Chriſti* 19 *ſimilitudines monſtroſæ adverſus Toſſanum* 322

Marchionis *Badenſis Erneſti quatuor motiva cur Libro Concordiæ non ſubſcripſerit* 449. &c. *ejuſdem apologia oppoſita Theologis Vuirtebergenſibus* 486. *item cenſura* 460

in Marchia *Brandeburgenſi juſſu magiſtratus ſubſcribere coacti Libro Concordiæ* 204

Marcus *Bemmlerus author defenſionis admonitionis Neuſtadianæ contra apologiam Erdfurtenſem* 415

Margines *Libri Concordiæ chartas præbent Peucero in carcere* 326

Mariæ *Filius Deus, non noſtra caro* 208

Marpurgum, *civitas & academia, hæreditate obvenium, Landgravio Mauritio* 486

Marpurgenſis *tumultus deſcriptus* 488. *idem ut prudentiâ Landgravii fuerit ſedatus* 490

Marpurgenſe *colloquium : in quo promiſſa inter Lutherum & Zuinglium, & collegas eorum amicitia & charitas fraterna* 296. *de hoc colloquio multa falſa ſparſa in præjudicium Zuinglij* ibid.

Martinus *Ebendorferus, uxoris lacrymis motus, ſubſcripſit Libro Concordiæ* 194

Martisburgi *quid actum in ſubſcriptione Libri Concordiæ* 198

Maximilianus *Imperator magnifice exceptus Dreſdæ* 72. 78. *pro Peucero intercedit, ſed fruſtra* 78

Mechelburgenſis *Conventus, in quo Daniæ Regem, Holſatiæ & Pomeraniæ Duces ad ſubſcriptionem pellicere tentatum* 234. *ſed fruſtra. Nam Mechelburgenſis*

Dux

Dux Chriſtophorus ſubſcribere ſimpliciter recuſavit 306
Mechelburgenſium Theologorum admonitio de Apologia Erdfurtenſi 387
Melanchton Vbiquitatem approbare noluit 17. quam acriter oppugnavit 358. veritatem ingenuè conſeſſus 18. archicalviniſta vocatus à Principe ſuo 68. cum Salomone comparatur à Lutheranis, quaſi in gratiam concubinarum idololatra factus 138. alioqui Lutheri fidus achates 189. privatâ authoritate Auguſtanam confeſſionem non mutavit 214. neutiquam omnium turbarum in Germania autor, ut tradunt Lutherani 290. cum Helvetiis ad extremum uſque vitæ ſpiritum concordiam & fraternam amicitiam coluit 293. à priore ſententiâ ſuâ juſtè defecit ibid. ſuos quoque nævos habuit 293. horrendis conviciis laceratur ab Vbiquiſtis 158.
Melanchtonis contra Vbiquitatem teſtimonium 17. ejus quædam errata notata à Selneccero 376. ſcripta ejus damnata, à Lutheranis 97
de Melanchtonis nomine in Formula Concordiæ ſuppreſſo admonitio 174. de ſcriptis ejus judicium Selnecceri notabile 99. de eodem judicium Landgravij VVilhelmi 123
Memoriæ ſanctorum cur inſtituta 3
Mentzerus opponit ſe reformationi Marpurgenſi 488
Meſſias ſive unctus cur dictus Chriſtus 133
Metuſia dicta tranſſubſtantiatio & cur 7
Metuſiaſtæ oppugnati à Berengario 8. à Guitmundo ibid.
Michael Phil. Beutherus Libro Concordiæ ſubſcribere recuſat, & cur 447. 449
Miraculum non omne, quod admiratione dignum, 199
Miſenæ quid actum in ſubſcriptione Concordiæ Libri, 191
Miſſa initio repurgatæ doctrinæ permiſſa à Luthero 157
Miſſæ ſacrificium ut paulatim ex ceremoniis Cœnæ Domini natum 3. dignitas quando maximè creverit 89. ejus idololatriâ nulla maior 90
Miſſatici idoli fundamenta 7
Mixtio duarum Naturarum Chriſti tradita in Libro Concordiæ 363
Mixtionis vox in articulo de perſona Chriſti periculoſa 113
Mirus, Schmidlini hoſtis juratus 188. viſitator Saxonicus colloquitur cum Pierio 420
Mompelgardi minis territi multi ſubſcripſerunt Libro Concordiæ 205
Monachorum mendicantium origo 9
Monothelitarum error 187. 116. 472
Moſem in Novo Teſtamento nec videndum, nec audiendum, dogma Lutheri 343
Morgenſternii certamen cum Heſhuſio de abſtracto & concreto 116
Mullerus Theologus viſitator Saxonicus colloquitur cum Pierio in carcere 421
Multivolipræſentia Chriſto tributa ab Vbiquiſtis 20
Mutatio ſymbolorum in Cœna à nullo veterum ſtatuta 5
de Mutationis ſymbolorum modo quando dimicari cœptum 5

NAſſovii Comites Concordiæ Libro ſubſcribere ſimpliciter recuſarunt 307
Naturæ duæ in Chriſto cum ſuis proprietatibus non mutatæ, aut permixtæ, aut confuſæ, ſed unitæ pariter & diſtinctæ 483
Naturarum diſtinctio reali communioni idiomatum contraria 355
Naumburgenſis Conventus 256. 295
Nicenum Concilium 159
Nicephorus hiſtoricus magis, quàm diligens ſcripturæ interpres 464
Nicolaus Amſdorfius quies Lutheri 193
Nicolaus Crellius, Saxoniæ Cancellarius, conjicitur in vincula & ſupplicio capitis afficitur Dreſdæ 414
Nicolaus Papa perſecutor Berengarij 157
Nicolaus Rhodingus præceptor Landgravij VVilhelmi 253
Neapoli quid actum in ſubſcriptione Libri Concordiæ 194.
Neocomenſes ad lacum ſocii Confeſſionis Helveticæ 146
Neuburgenſium Theologorum judicium de Formula Torgenſi 117. cenſura de Formula Concordiæ 100
Neuſtadianorum Theologorum judicium de Libro Concordiæ 349
Noribergenſis Reſpublica inter ordines Auguſtanæ Confeſſionis non poſtrema 141. mandatum edit de abſtinendo à calumniis in ſu geſtu 418. Libro Concordiæ ſubſcribere recuſat 307
Noribergenſis Conventus 38. 295
Noribergenſium Theologorum reſponſio ad Landgravium de Libro Bergenſi 142
Norma doctrinæ neutiquam ſunt ſcripta Lutheri, & cur 156
Nova ubiquiſtica de Bergenſium patrum monſtro 180
Novatianorum error 112

OBlatio dicta Cœna & cur 303
Occidens ſine dubio puniendus ob idololatriam miſſæ 89
Occidentis imperium à Græcis tranſlatum in Francos 4
Oeconomia idem quod diſpenſatio 263
Oecolampadius nunquam legitimè damnatus 314
Omnipotentia Chriſti ab Orthodoxis neutiquam humanis ſenſibus eſt metienda 51. duplex ſtatuta in Libro Concordiæ 364
Omnipotentiam Dei humanitati Chriſti in rei veritate communicari, ex S. L. probari nequit 342
Omnipræſentia Corporis Chriſti, Vide Vbiquitas.
Omnipræſentia eſſentiam requirit infinitam 483. ejus dogma negotio Cœnæ haud immiſcendum 255
de Omnipræſentia Humanæ Naturæ Chriſti doctrina, eum omnibus proprietatibus veri & humani corporis ſpoliat 343
Oralis manducatio Corporis Chriſti ab Orthodoxis nunquam approbata 53. neque ab Auguſtana Confeſſione 171
Oriens punitus ob idololatriam miſſaticam 90
Orientis Eccleſiæ turbatæ particulari condemnatione Cyrilli in Neſtorium 308
Orthodoxæ Eccleſiæ damnatæ à Lutheranis iniquiſſimè 12. de duobus potiſſimum articulis 350. non allatrant Vbiquiſticas Eccleſias 260
Orthodoxorum libri in Conventu Torgenſi damnati qui 103
Orthodoxis in Saxonia omnia hoſtilia denunciata 72
ab Orthodoxis ut damnetur doctrina Vbiquiſtarum 302

PAlatini *Comites quatuor Libro Concordiæ ſubſcribere ſimpliciter recuſarunt* 306
Palinodia *Sturmij ad Hoſiandrum edita* 367
Pandora *Vulcanea Liber Concordiæ* 187. 235
Panis *Corpus Chriſti ut dictus Auguſtino* 170. *is in Cœna non ut nudum ſignum, ſed ut verum & efficax ſacramentum conſideratur* 49
an Panis *ſubſtantia in Euchariſtia maneat nec ne, non magni momenti quæſtio juxta Lutherum* 357
ob Panis *fractionem in Cœna exortus Marpurgi tumultus* 488
Panthaleonis *Candidi judicium de Formulâ Concordiæ* 268
Papatus *crevit ob diſſidia inteſtina* 112
Papatum *ſartum conſervari ſatius putant Vbiquiſtæ, quam Calviniſmum* 383
Pappi *certamen cum Sturmio* 230. 365. *theſes de charitate turbas excitant* 231. *in eis quid Sturmius deſideraverit* ibid. *ejus defenſiones contra Sturmium editæ* 315
Paradoxa *infinita contenta in Libro Concordiæ* 263
Paſquilli *Argentinæ affixi in certamine Sturmeo & Pappiano* 365. *item Bremæ adverſus Bremenſem Reformationem* 383
Paſſavica *comitia* 38
Paſtoris *in Iansdorf ſimile de vectore & vecto, hoc eſt Melanchtone & Luthero* 193
Paſtores *ſui gregis curam gerere debent* 283
Paſtorum *Eccleſiarum ordinatio neutiquam indifferens* 167
Patres *privatorum hominum ſcripta eo pretio haberi noluerunt, quo canonici ſunt habendi* 100
Patrum *teſtimonia in controverſiis religionis tantùm narrativè, non probativè allegandà* 112. *eorum dicta à Bergenſibus in Libro Concordiæ, & malâ fide citantur, & Vbiquitatis dogma impugnant* 486. *fides naſciturum etiam Chriſtum amplexa* 49.
ad Patrum *teſtimonia in Libro Concordiæ contenta reſponſio Marchionis Badenſis* 456
Patripaſſianorum *hæreſes* 191
Paulus *Crellius quis & qualis* 72. *propoſitiones VVitembergicas initio probat* 23. *eaſdem poſtea oppugnat* ibidem *à doctrina Chriſtianâ deficit* 34. 35. *articulorum Sorgenſium eſt author* 57. *Selneccero non ſatisfacit* 91. *refutat Flaccianorum & Vbiquiſtarum errores* 91. *palinodiam canit* ibid. *vaſtationis & everſionis Academiæ VVitebergenſis anteſignanus* 344. *horribili moritur morte* ibidem.
Paulus *Knibbius, Doctor juris adjunctus Angliæ Legato ad Principes Germaniæ, ad impediendas condemnationes Eccleſiarum exterarum* 144. 147
Peccatum *neutiquam authorem habet Deum, ſed oritur ex ſolâ peccantis malitiâ* 168
de Peccati *ſubſtantiâ errori fundamentum ſtratum in Libro Concordiæ* 364
de Peccato *originis in genere* 138. *ſententia Haſſiacorum* 106
ſub Pedibus *omnia habere non ſignificat ubique eſſe* 394
Pelagiana *mutatio hominis improbata in ſacra Scriptura* 338
Penetratio *januarum clauſarum ex Scriptura nondum probata* 95
Perſonæ *& naturæ nomina accuratè diſtinguenda* 364
Perſis *ignis numen habitus* 3
de Perſona *Chriſti ſententia Orthodoxa Theologorum Neuſtadianorum* 350. *orthodoxa teſtimonia Patrum* 276. *judicium Landgraviorum* 111. *doctrina Libri Concordiæ* 128. 129. 140. 225. 259
in articulo de Perſona *Chriſti intra Scripturæ metas manendum* 106
Petrus *Epiſcopus Eccleſiæ Alexandrinæ, dogmati Ariano ſubſcribere nolens, à Lucio Ariano fuit expulſus* 185
Peucerus *reſpondet Schmidlini epiſtolæ* 29. *in magna authoritate conſtitutus* 63. *Scholam VVitebergenſem fovit & auxit* ibid. *aulæ Saxonicæ quoque innoteſcit* 64. *ad eam tamen nunquam hilaris acceſſit*, ibid. *ad menſam Electoris acceſſit non niſi expreſſo mandato, & cur*, ibidem *aulam fugit quantum potuit*, ibid. *uſus eſt clementiâ Electoris ad commodum Academiæ VVitebergenſis* 65. *quæ odium ei conciliat*, ibid. *interrogatus veritatem ingenuè confitetur*, 65. *in periculum adducit, & cur*, 66. *ſcribit ad Stolpenſem rectorem* 67. *purgat ſe apud Principes contra omnis generis crimina objecta* 68. *totis viribus oppugnatur* 68. *opprimitur in ædibus ſuis* ibidem *Dreſdam deducitur, ubi cuſtodiæ mandatur* 69. *ſupplicem epiſtolam ſcribit ad Electorem* ibid. *accuſatur de publicatâ exegeſi* ibid. *è cuſtodia ad judicium conſiliariorum deducitur*, ibid. *accuſatur* 70. *reſpondet ad accuſationis capita*, ibid. *jubetur formulæ præſcriptæ ſubſcribere, quod recuſat* 71. *implorat judicum ſuorum fidem & conſilium* 71. *accipit conditiones obligationis, ſed cum proteſtatione* 72. *lapſum ſuum agnoſcit & deplorat*, ibid. *capitaliter accuſatur* 72. *ducitur Torgam* 73. *interrogatus de practicis cum Palatinenſibus & Beza reſpondet* 74. *Rochlichij in carcerem conjicitur* ibidem *examinatur à Rauſchero, cui fusè reſpondet* ib. 76. *à Paulo Papa* 78. *transfertur ex arce Rochliciana in Ciſenſem* 79. *ex hac revocatus Rochlicium inclementer tractatur, & cur* ibid. *ſollicitatur ad defectionem* 80. *jubetur culpam deprecari, etſi nullius conſcius ſit* ibidem *ob idque lætatur* 81. *ſe & carceres ſuos Deo committit* 80. *variè tentatur* ibid. *in agnita veritate conſtantiſſimus eſt* ibid. *Lipſiam in carcerem deportatur, & quo prætextu* 82. *queritur de ſibi factâ injuria* ib. *denuò à Rauſchero examinatur*, ib. 83. *reſpondet ordine ad objecta* 84. 85. *privatur uxore, præ dolore mortua* 85. *in mitiorem deducitur carcerem* 86. *colloquitur cum Schmidlino* ibid. *tertiò examinatur à Rauſchero* ibid. *gravatur carcere, qui tamen lenitur interceſſione Landgravij* 87. *ſcribit illic confeſſionis ſuæ fundamenta* ibid. *atramentum, calamum & chartas unde habuerit* ibid. *agnitam veritatem cur abjicere noluerit* ibid. 89. 90. *teſtamentum ad hæredes ſuos ſcribit* 90. *recuſata ſubſcriptione Libri Concordiæ, reſpondet ad tres quæſtiones* 342. *febri corripitur* 343. *teſtamentum ſuum in carcere ſcribit* 345. *in carcere Euchariſtiam petit & cur* 349. *ex carcere decennali liberatur, ſed certa obligatione* 411. *liberatur ab omni obligationis vinculo* 412. *traditur in manus Anhaltini* 412. *exit ex arce Lipſica* ib. *venit Deſſaviam* ib.
Peuceri *de ſua obligatione, qua liberatus, judicium* 411. *ejus confeſſio de unione hypoſtatica duarum Naturarum in Chriſto* 325 *de Natura humana in Chriſto* 326. *de præſentia & efficacia Dei in ſuo verbo, & miniſterio Eccleſiæ* 327. *de efficacia verbi & ſacramentorum in miniſterio Eccleſiæ* 328 *de Cœna* 329. *de vera regeneratione* 330. *de viribus humanis in renatis* 332. *de prædeſtinatione* 331. 335. *de Evangelij definitione* 339. *de duobus articulis, propoſitis ſibi poſtremo in carcere, declaratio* 349
Peucero *in carcere margines Libri Concordiæ papyrum ſuppeditant*, 325. *atramentum cruſta panis cremata* ib. *calamos anſerum ala* ib. *à Peucero judicium de Lib. Concord. in carcere ſeverè exigitur* 325

cum

cum Peucero colloquium minaciſſimum Selneceri & Schilteri 347. *de Peuceri carcere perpetuo decreti cauſa* 413. *de ſepultura ejus deliberatum* 90
Pezelius *hortatur Senatum Bremenſem ad reformationem cultus externi divini, qui libenter ei aſſenſit* 382
Pfuntelii *Paſtoris Plavenſis, actio memorabilis cum apoſtolis dominæ ubiquitatis* 197
Philippus *Ludovicus Palat. optimus Princeps* 428. *fratrem ſuum Iohannem fruſtra ſollicitat ad ſubſcriptionem Libri Concordiæ* 304
Philippus *Seidneius Angliæ Reginæ Legatus in Francofurt. Conventu conſuluit de impedienda condemnatione Eccleſiarum exterarum* 143
ne PILO *quidem à terra receſſiſſe Chriſtum, cum blaſphemia aſſerit Schmidlinus* 253
non Pluralitate *votorum, ſed veritate homines ad ſubſcriptiones adducendi* 214
Polemica *Lutheri ſcripta pro normâ veræ doctrinæ habita ab Vbiquiſtis* 292
Polonicæ *Eccleſiæ Librum Concordiæ repudiarunt* 307. *ſociæ confeſſionis Helveticæ* 146. *condemnantur à Libro Concordiæ* 125
Polycarpus *Leyſerus dictator Witebergenſis* 187. *ejus errores & paradoxa, propoſita Vviteberga* 188
Pomerianæ *Duces quatuor Concordiæ Libro ſubſcribere recuſarunt* 306
Pomerianorum *Theologorum judicium de Concordiæ Libro* 147
Pontifex *Romanus inſidiator tam Lutheranorum, quàm Zuinglianorum* 112
Pontificii *Lutheranos ne pili quidem chariores habent quàm Zuinglianos* 154. *inter Pontificios & Proteſtantes nulla de perſona Chriſti controverſia* 193
Poteſtas *& potentia voces diſtinctæ* 464
Pouchenii *judicium de ſcriptis Lutheri* 102. *replica ad proteſtationem Palmerij* 278. 280
Præfatio *Libri Concordiæ cuſa in officina Vulcani Tubingenſis, non in cancellariis Principum* 236. *mittitur à Saxone Principibus* ibid.
Præfationem *Libri Concordiæ quæ proximè ſequuta* 236
in Præfatione *Libri Concordiæ variæ fraudes abſconditæ, quæ detectæ à Ioh. Calvino Pal. Com.* 274. &c. *in eadem phraſes & modi loquendi novi* 256. *ubiquitati feneſtra aperitur* ibid.
Prædeſtinatio *quo propriè pertineat* 168
Prædeſtinationis *vox cum præſcientiæ voce nequaquam confundenda* 168
de Prædeſtinatione *errores Libri Concordiæ* 330
Prædicatio *pœnitentiæ præcipuum munus Evangelij* 339
Præſcientia, *propoſitum & prædeſtinatio confuſa in Formula Concordiæ* 339
Primaſius *Afer, Epiſcopus Ecleſiæ Rom.* 4
à Principibus *Proteſtantibus Eccleſiæ Helveticæ nunquam damnatæ* 38
Priſcillianiſtarum *hæreſis* 101
in Proceſſionibus *verum Chriſti Corpus circumgeſtari, dogma Lutheri* 358
Prophetæ *modeſtè illos reprehendere ſoliti, qui in aliqua eſſent authoritate* 291
Proprietates *uni tantùm naturæ convenientes alteri nonniſi in concreto tribuendæ* 108. *in Chriſto accidentales & eſſentiales* 350
Proprietatum *delectio utriuſque naturæ negatio* 272
Proſper *Gallus quo tempore floruerit* 4
Providentiæ *vox cum prædeſtinationis voce nequaquam confundenda* 168
Providentiæ *divinæ evidentiſſimum exemplum* 385
Pruſſiæ *Dux Alb. Fridericus Concordiæ Libro ſubſcribere ſimpliciter recuſavit* 306
Purgatorium *initio repurgatæ doctrinæ permiſſum à Luthero* 457

QUaternitas *afficta Trinitati in Libro Concordiæ* 364
Quatridua *ſpongia Nicodemi Friſchlini edita* 367
Quatuor *præcipuè capita controverſa inter Orthodoxos & alios* 422
Quatuor *diverſiſſimæ naturæ in Chriſto ſtatuuntur ex errore Libri Concordiæ de tribus eſſendi modis* 365. *quatuor item diverſa fundamenta in Cœna Domini* 365. 454. 455
in Quatuor *partes orbis, ut diviſum dicatur ſanctum Chriſti Corpus* 485
Quedelburgenſe *colloquium* 15. *ejus acta* 394
Quinque *liberæ civitates Hungariæ ſuperioris Librum Concordiæ non recipiunt, & cur* 442

RAdii *divinitatis à Chriſti Corpore, tanquam Deitatis templo ſumpti* 483
Ratiſponenſia *comitia* 38
Rauſcherus *apoplexia moritur* 87
Realiter *vox, in articulo de Perſona Chriſti omittenda, & concretum ponendum* 113
Receſſus *Verdenſis* 382
Recitationes *Selnecceri attinentes Librum Concordiæ* 325. 326
Recitationum *Selneccerianarum examen per Ioh. Balæum* 329.
Redemptionis *humanæ opus extenuatum in libro concordiæ* 164
Reditus *Chriſti ad iudicium converſus ab Vbiquiſtis in apparitionem* 365
Reformatio *Eccleſiarum in ſuperiore Haſſiâ à reliquiis Papatus: ubi de fractione panis in Cœnâ, & integri Decalogi reſtitutione, &c.* 486
Reformatio *Bipontina: ubi de catecheſi* 428
de Regeneratione *verâ, errores libri concordiæ* 330
Regium *officium Chriſtus ſecundum utramque naturam exſequitur* 471
Rhæti *ſocij confeſſionis Helveticæ* 146
Reinoldi *Marcani rhytmi elegantiſſimi de libro concordiæ* 309
Repetitio *Eccleſiarum Saxonicarum oppoſita ſtercomati Vuitembergico* 27
de Reprobatione *doctrina erronea libri concordiæ* 329
in Renatis *virum neceſſaria nova obedientia* 340
Richardi *Palatini iudicium de libro concordiæ* 276
Robertus *Belus, legatus reginæ Angliæ in conventu Francofurtenſi* 144. *eiuſdem oratio ad Electores ac principes confeſſionis Auguſtanæ, ad impediendas condemnationes Eccleſiarum* 146. 148. *eidem quale reſponſum datum à principibus* 150
Roberti *Bellarmini iudicium de libro concordiæ* 361. *idem oppugnatum à Theologis Vuitebergenſibus* 363
Rodolphus *Imperator Sturmy depoſitionem à rectoratu nullitatem decrevit* 373
Romæ *vel Athenis fuiſſe Chriſti corpus inviſibiliter eo tempore, quo in cruce pependit, inſania Brentij eſt NB.* 397
Roſtochium, *civitas Wandalica, miniſtra patrum Bergenſium* 235
Roſtochienſium *Theologorum admonitio de apologia Erdfortenſi* 387

SAbellianorum hæreſis 191
Sabinæ, Landgraviæ Haſſiæ, matris Landgravij Mauricij, dies emortualis 494
per Siccum cum pecunia explicanda eſſe verba cœnæ dogma Lutheri 357
Sacramenta à fide aut incredulitate diſtribuentis miniſtri non pendent 147 per ſe non ſunt ſigna exhibitiva 53 ſunt ſignæ viſibilia, iuxta totam antiquitatem puriorem Eccleſiæ 375 extra vſum à Chriſto inſtitutum, nulla 33. 366
Sacramentorum orthodoxa definitio occultata ab vbiquiſtis 366
de Sacramentorum efficaciâ in miniſterio Eccleſiæ, errores libri Concordiæ 328 Sacramentalis præſentia & ſumtio corporis Chriſti ab orthodoxis non negatur, ſed realis 52.53. manducatio duplex 47
de Sacramentali vnione quadruplex error in concordia libro 366
Sacramentarium certamen magna contentione inter Lutherum & Zuinglium geſtum 14
Sacramentarij qui veri 34 ſecundum Lutheranos non vnius generis 126
Sacrificium Chriſti vnicum 485 dicta cœna, & cur 3
Sacrificij miſſæ cauſæ, exordia, progreſſus 1
de Sacrificio in miſſa magna olim certamina 4
Samuel Huberus nuptias celebrat ſecundas Vuiteberga 429
Sanctorum imagines non prohibitas, dogma Lutheri 358
Sangerhuſianus conuentus, in quo de modo congregandi ſynodum deliberatum 187
Sartorius ob repudiatum vbiquitatis phantaſma remotus & mœrore confectus 186
Saxonici Theologi ſub prætextu libri concordiæ ſuos errores defendere ſoliti 122 ne Electori quidem cedere voluerunt 215 deformare ſtudent Philippum & eius ſcripta 215 cruenti in Peucerum 72
Saxonicorum Theologorum ſuperbiſſimum reſponſum in conventu Langenſalzenſi 215 reſponſio ad Haſſiacorum cenſuram de formulâ Torg. 118
de Saxonicæ confeſſionis conſcriptione 302
Scabellum pedum quid in ſcripturis 469
Schlyſſelburgij certamen cum Heshuſio de abſtracto & concreto 115.116
Schmalcaldiæ actum de concordia inter Lutherum & Zuinglium 296
Schmalcaldenſis conuentus 215. 217
Schmalcaldici articuli pro regula dijudicandi controverſias ſtatuti 96
de Schmalcaldicis articulis in celebri conventu conſcriptis actum 302
in Schmalcaldicis articulis de vbiquitate veſtigium nullum 357
Schmidelinus non poſtremus architectus conſubſtantiationis 11. vbiquitatem novo argumento auget 19. contra propoſitiones Vuitemb. ſcribit 23. eſt inſignis depravator ſcripturæ 29.157. accendit odia erga Peucerum in aulis Saxonicis 67. depravat articulum de incarnatione Chriſti 88. Neſtorianus eſt & Mahometanus 88. item Eutychianus 88. humanitatem Chriſti in ſe adorabilem eſſe docet, ibid. creatur pater Bergenſis 123. circumforaneus eſt & auceps mirus in extorquendâ ſubſcriptione concordiæ libri 186. apoſtolus vbiquitatis 188. à Noribergenſibus exploditur 208. 416. dat horrendum contra ſe indicium 216. Electorem Saxoniæ irritat in orthodoxos 221. vult novum Papam in Saxonia ſub cancellarij nomine creare 233. electori ſuſpectos facit conſiliarios ibid. tyrannus crudeliſſimus 234. horrendos errores cum ſociis invexit in Saxoniam 219. alter Volaterranus 277. præcipuus formulæ concordiæ fabricator 288. prodigioſa dogmata proponit 303. alcorano æquiparat fidem orthodoxam Eccleſiæ Catholicæ 319. malâ cum gratiâ dimiſſus ex Saxonia 345. polygramon & garrulus Suevus 346. conviciis impudentiſſimis lacerat Sturmium 367. confutat diſputationem à Grynæo Heydelbergæ habitam 403. contra Academiæ Baſil. monita ſcribit adverſus Grynæum 404 fingit novum opus operatum 486. tribuit etiam non renato multas vires ibid. cum ſuis multa docet, quæ pro Calviniſmo faciunt 432
Schmidlini ſententia de Vbiquitate à Kemnitio damnata 20. iudicium de Ebero & Philippi libris 91. diſputatio cum Theologis Serveſtanis 208. colloquium cum Superintendente Meiero in conventu Langenſalzenſi 215. inſignis calumnia de Zuinglianis 216. inquiſitio Saxonica 232. concio tribunitia Vuiteberga habita contra Melanchtonem, quem corruptorem Aug. confeſſionis nominanit 238. diſputatio Vuitebergenſis pro defenſione errorum libri concordiæ 316. & diſputationis huius examen 317.318. &c. reſponſio ad Sturmij antipappum quartum 367.368
Schmidlino non ſatisfactum in primo Torgenſi conventu 91. ei ſucceſſerunt nihilo meliores 346
Scholaſtica mutatio hominis improbata in S. Scriptura 358
Scholaſticorum Theologorum origo 8
Scoticæ Eccleſiæ librum concordiæ haud recipiendum iudicarunt 307. ab eo condemnantur 125. Socia confeſſionis Helveticæ 146
Scripta prophetica & apoſtolica vera regula dijudicandi controverſias 96
Scriptura ſacra non facilè ad myſticum ſenſum detorquenda 122
Scripturæ ſacræ verba ſecundùm literam quando intelligenda 46. eius libri alij canonici alij apocryphi, & cur ita diſtincti 100
Scripturis ſolis nitendum 101
inter Scripturas ſacras & ſcripta hominum ſemper fuit diſcrimen 163
Schvvenckfeldianorum error 228.188
Schvvinfurtenſis conventus 18.297
Sectarum omnium qui fons 136
Sedere ad dextram Dei quid 14.31. 108. nequaquam eſt vbique eſſe 465.462
Seſſio & exaltatio ad dexteram Dei cum incarnatione Chriſti confuſa ab vbiquiſtis 246. 365. duplex in libro concordiæ 453
Selneccerus compilator hiſtoriæ confeſſionis 15. Auguſt. reſiſtit orthodoxis 25. pater Bergenſis 123. vbiquitatem Verbo Dei deſtitutam damnat 406
Selnecceri iudicium de ſcriptis Philippi 99. de recognitâ confeſſione Auguſtanâ 100. de Luthero 377. teſtimonium de modo emendicandæ ſubſcriptionis libri concordiæ 187. definitio communicationis idiomatum 197. & eiuſdem examen ibid. recitationes, formulam concordiæ attinentes 183.217.377.
Serpens æneus pro numine habitus 3
Serveſtani Theologi diſputant cum Schmidlino 208
Servetus deificationem naturæ humanæ aſſerit 188
Severini Sculteti error, de communicatione idiomatum 435
de Stellionatus Calviniſtarum crimine editus liber à Schmidlino 384
Sigillum novi Teſtamenti Cœna Domini 357
Significata res de ſigno vt prædicetur 49
Signum in rem ſignatam commutatum ab vbiquiſtis 366
Signa miraculoſa quæ, & quæ non miraculoſa 199. cœnæ nequaquam vacua 50
Similitudines craſſæ Lutheri de Corpore Chriſti 450

Simmerien-

Simmerienſium *Theologorum iudicium de formula Torgenſi* 117
Simon *Muſæus Socer Heshuſij* 124
Solis *ſimilitudo ad unionem perſonalem accommodata* 304
Solomonis *ſalus in dubio poſita à Bergenſibus* 184
Sperlingi *theſes orthodoxæ de perſona Chriſti editæ à Vuitebergenſibus* 28
Spirenſia *comitia* 38
Spirenſes *ſubſcriptionem libri concordiæ detrectant* 276. 306
Spiritualis *perceptionis in cœna nomine quid intelligant orthodoxi* 46
Spongia *Laonici Antiſturmij edita* 315
Statuarum *cultus unde* 3
Stephani *Gerlachij Antidaneus editus* 316
Stereoma *Vuitembergicum & eius ſumma* 27. *oppugnatur* 27. *offertur legendum Electori ibid. probatur ab Electore initio* 28
Stoica *mutatio hominis improbata à S.Scriptura* 338
Stoltzius, *ubiquiſta diem ſuum finit* 96
Straminis *infarcti in ſaccum ſimilitudine adumbrata conſubſtantiatio* 10
Subſcriptio *libri concordiæ ſummo ſtudio ſolicitatur ab aliis, ab aliis recuſata* 276. 277. 303. *eadem fuit publica electorum, principum, comitum, ciuitatum* 183. *privata Profeſſorum, Paſtorum, aliorumq; Miniſtrorum in Academiis, Eccleſiis, ſcholis ibid. item æditiuorum, ludimagiſtrorum, collaboratorum, calefactorum ibid. hæc partim emendicata, partim extorta, partim aliis modis collecta fuit* 183 184. *&c.*
Subſcriptionis *recuſatæ motiva multorum principum* 306
Subſcriptionem *libri concordiæ recuſans an ſtatim ab officio removendus* 230. *& an remoto liceat Cameræ Imperialis auxilium implorare ibid. ante & poſt Subſcriptionem libri concordiæ, quæ tentata & acta ſint cum iis, qui ſubſcriptionem recuſarunt* 207. 208. *&c.*
de Subſcriptione *libri concordiæ conſilium Bergenſium* 175
Subſcriptiones *particulares aliis non debent præiudicare* 308
Subſtantialis *Corporis Chriſti in Cœnâ vera communicatio ſublata ab ubiquiſtis* 365
Sudor *Anglicus quis morbus* 296
Suffragia *à patribus Bergenſibus, quibus concord. liber approbatur, collecta octies mille, ducenta, & quinquaginta* 205. *egregium ſanè aucupium.* *NB.*
Suffragia *in articulis fidei extorquendi proceſſus inuſitatus & periculoſus* 137. 240. 306
Supernaturalis *& ubique eſſendi Corporis Chriſti modus planè fictitius* 471
Surſum *corda, vox uſitata olim in cœna* 3
Symbolorum *in cœna mutatio à nullo veterum ſtatuta* 5
Symbolis *tribus veteribus comparata ab Vbiquiſtis ſcripta Lutheri* 102
Synergiſtarum *& Pelagianorum error idem* 211
Synodi *an utiles vel inutiles* 269
Synodorum *magna authoritas ad decidendas controverſias religionis* 180
Synuſia *dicta conſubſtantiatio, & cur* 7
Synuſiaſtæ *oppugnati à Berengario* 8

TAbernæmontanus *conventus, in quo concordiæ formula examinanda propoſita à Iohanne Palatino* 221
Tangermundenſis *ad albim conventus, & quæ in eo acta* 210 *eius reſponſio ad cenſuras in librum concordiæ, mittitur Electori Palatino* 213
Tenebræ *quo tempore in Eccleſiam inducta* 3
Teſtamentum *Breutij materia cadium* 168
Teſtamenti *Peuceriani ſumma* 90. 344
Theodoretus *ab Vbiquiſtis tanquam Neſtorianus exploſus* 102
Theodoreto *Cyrenſi functio epiſcopalis adempta cur* 185
Theodoſius *Imper. ſine ſynodo in controverſiis religionis nihil conſtituit* 180
Theologia *Vbiquiſtarum portentoſa* 523
Theopaſchitæ *veteres hæretici* 271
Thommannum *collegium Argentinæ depellit crimen defectionis* 445
in Thuringia *ut ſubſcriptio libri concordiæ emendicata* 204
Tigurinæ *Eccleſiæ iudicium de Confeſſione Francofurtenſis conventus* 146
Torgæ *quid actum in ſubſcriptione concordiæ libri* 189
Torgenſis *conventus primus* 24
Theologorum, *à quibus concordiæ formula cauſa* 38. *&c.* 96. *alter in quo apparuit in quem finem priora cum Peucero acta* 72. *in quo etiam nova concordiæ formula fabricata* 96. *hæc miſſa ad Principes* 102. *provincialis, & eius acta* 232. 233
Torgenſis *formulæ cenſuræ variæ* 103. *huic ſubſcribere nolentes proſcripti aut in carceres conjecti, ibid.*
ad Torgenſis *conventus Theologorum acta apologia Theodor. Bezæ* 45. 46
Poſt Torgenſem *conventum, & ibi conceptam formulam, quæ cum orthodoxis Theologis Vuitembergenſibus acta* 55
à Torgenſi *conventu altero injuſtè Lutheri ſcripta canonizata* 100
de Torgenſi *libro correcto & emendato Bergæ cenſuræ variæ* 136. *iudicium Landgraviorum* 109. *Bipontinorum Theologorum* 115. *Helmſtadienſium* 112. 114. *Halſatorum quibus ea inutilis viſa eſt, & cur* 114. *Heßhuſij* 115. *Neuburgenſium* 117. *Simmerienſem*
in Torgenſi *conventu altero qui libri canonizati & qui damnati* 97
Torgenſes *rumores & triumphi de oppreſſis ſacramentariis,* 72
Totus *Chriſtus. Deus & homo unâ adoratione adorandus* 467. 479
Totus *Chriſtus & Chriſtus ſecundum utranque naturam, non idem* 483
Tranſubſtantiatio *quid* 5. *probata à Luthero* 157. 358. *à Pontificiis cur retenta* 89. *nullum Sacræ Scripturæ teſtimonium habet* 89
Tranſubſtantiationis, *fundamenta, cauſſæ, exordia, progreſſus* 5. 6. 7. 8. *victoria fundamenta poſita in libro concordiæ* 365. 455. *dogma in primâ immutatâ Auguſtanâ confeſſione contentum* 154
Tribunitia *concio Schmidlini habita Vuitebergæ* 238
Tridentinum *concilium à proteſtantibus cur rejectum* 154
in Trinitat. *myſterio ſublata principia fidei in libro concord.* 365
adverſus Tubingenſ. *ſcripta Helmſtadienſium, negantium Vbiquitatem abſolutam contineri in formula concor. & Tubingenſium ad ea reſponſio* 404
Tunica *Chriſti indiviſa cujus rei typus* 485
Turbarum *in Saxonia initia quæ* 299

Valens

VAlens *Imp. hæreſis Arianorum propagator ſtrenuiſſimus* 184
Valentinus *Schonerus in tumultu Marpurgico miſerè tractatus ab Vbiquiſtis* 490
Vbiquitas *Corporis Chriſti introducta à degeneribus diſcipulis Lutheri* 12 *imprimis à Brentio fota* 26. *portentoſa nova & inutilis* 12. 256. 354. 122. *verbo Dei ac puriori antiquitati contraria* 253. 421. *non conſentanea Auguſtanæ Confeſſioni* 257. 306. *initio à Luthero excogitata, ſed mox repudiata* 102. *quibus argumentis à Luthero probata* 14. *etiam poſt Lutheri mortem in Saxonicis Eccleſiis ſepulta* 16. *eadem reſtaurata à Timanno & Heſshuſio* ibidem *refutata à Tigurinis, Genevenſibus, Heydelbergenſibus, Ingolſtadienſibus* 22. *à multis etiam Lutheranis* 23. *à Vuitebergenſibus canonitata in Conventu Torgenſi* 102. *Arianiſmum confirmat* 452. *à paucis Theologis Caſſellanis recepta* 136. *& à Theologis Landgravij Ludovici* 138. *non tradita ab Auguſtana Confeſſione* 172. *ſcholaſticis Doctoribus olim ignota* 173. *in Formula Concordiæ contenta* 286. 240. *portentum diabolicum dicta à Selneccero* 375. *deſtructio Corporis Chriſti, quam proinde Auguſtinus abſolute negat* 345. 480. *conſtanter improbata à Theologis Helmſtadienſibus* 406
à Vigilio *nominatim rejecta* 464
Vbiquitatis *vocabulum portentoſum valde* 212. *egregia deſcriptio ex fructibus* 467. *horrenda abſurda in concione Schmidlini contenta* 220. *auctor primarius Lutherus* 314. *cauſæ, exordia, progreſſus,* 314
de Vbiquitatis *dogmate accuratè examinando admonitio Land. Vuilhelmi* 159
Vbiquitatem *improbantes haud Neſtoriani dicendi* 400. *ex Unione perſonali non probari poſſe probatur à Marchione Badenſi* 452
propter Vbiquitatem *expoſtulatio Baronis ab* Vngnad *cum Philippo* 17
Vbiquitate *inſtitutionis verba neutiquam fulcienda* 257
de Vbiquitate *Corporis Chriſti pſeudo diſcipulorum Lutheri ſententia* 9. *confeſſio Muſculi* 228. *de ea quæſtio unde nata* 121
Vbiquiſtæ *verba cœnæ ut interpretentur* 9. *ſunt cavillatores* 52. *indignè ferunt decreta Torgenſis conventus primi* 96. *culpam controverſiæ de perſona Chriſti in orthodoxos immeritò transferunt* 170. *eoſdem majeſtatem Humanæ Naturæ Chriſti à Divinitate acceptam, negare mentiuntur, & perſonam dividere clamitant* 171. *orthodoxam doctrinam tanquam impiam damnant, quia Lutherus eam pro tali habuit* 170. *fingunt novum opus operatum* 486. *tribuunt etiam non renato multas vires* 486. *cur non diſputandum arbitrentur* 438
Vbiquiſtarum *doctrina evertit articulos fidei* 243. *item veram doctrinam Eccleſiarum Saxon. de cœna* 33. *quæ eorum gloſſæ de verbis inſtitutionis cœnæ* 376. *calumniæ generales, quibus orthodoxos gravant* 170. *itemque ſpeciales ibid.*
inter Vbiquiſtas *& Flacianos concordia conſtituta* 96
Vbiquiſticæ *doctrinæ ſumma, & de ea judicium Philippi* 16
Verbi *cum aſſumpta naturâ indiſſolubilis unitas* 468
de Verbi *Divini efficacia in miniſterio Eccleſiæ errores libri concordiæ* 328
Verbo *Dei ſolo nitendum* 102
Veritas *odium parit* 448
Veritatis *quæ vis* 325
ob Veritatis *confeſſionem multi in Saxonia dignitatibus ſuis ſpoliati* 80
Veſtimenta *theatrica in miſſâ quando primùm ſubrefacta.* 8
Vigilij *memorabilis ſententia* 266
Vigilianos *articulos catholicos rejiciunt Ubiquiſtæ* 464
de Viribus *humanis in renatis dum fit converſio, errores libri concordiæ* 310
Vituli *aurei pro numine habiti ab Iſraelitis* 3
Vivifica *ut ſit caro Chriſti* 480
Vivificatio *proprium opus Deitatis* 477. *tamen etiam humanitati tribuitur propter Vnionem perſonalem* 478
Vlſenſis *conventus* 387
Vnctus *cur Chriſtus vocetur* 462
Vnio *impropriè pro conjunctione uſurpatur ab Vbiquiſtis* 52. *realis & ſubſtantialis ſignorum & rerum ſignatarum erronea eſt* 52. *perſonalis an ſit fundamentum corporalis præſentiæ Chriſti in cœna* 120. *ut facta ſit, homini imperſcrutabile* 477. *conceptione* 30. 484. *tam arcta, ut ſolvi nequeat* 473
Vnionem *perſonalem per Vbiquitatem everti, probatur ſyllogiſmo* 452
inter Vnionem *perſonalem & communicationem idiomatum diligenter diſtinguendum* 21
ob Vnionem *perſonalem divinitati nihil derogatur* 474
per Vnionem *perſonalem quid propriè intelligendum* 21
de Vnione *perſonali Chriſti novum confingit dogma liber concordiæ* 166
ex Vnione *perſonali, malè intellectâ, qui in formulâ concordiæ errores nati* 161
in Vnione *perſonali duæ naturæ* 486. *& earum proprietates diſtinctæ* 30
Vocatio *per Evangelij prædicationem non generalis ad ſingulos homines, ſed indefinita, ad quod vis genus hominum eſt cenſenda* 168
Vrbanus *Pierius, profeſſor & concionator Uuitebergenſis, in vincula conjectus poſt mortem Electoris Chriſtiani* 452. *colloquitur in carcere cum Theologis viſitatoribus, & aliis,* ibidem *libro concordiæ ut ſubſcripſerit* 452. *ejus carceris quæ cauſſa* 427

WAldenſium *confeſſio ab omni ſuſpicione hæreſeos immunis etiam Luthero teſte* 285. *horum & Helvetiorum eadem doctrina, ibid.* 295. 298
Wandalicarum *civitatum fœdus de non ferendis iis, qui libro concord. non ſubſcripſerint* 234
Wenceſlaus *Zulegerus conſiliarius Palatinus, præſes conventus Francofurtenſis* 143
in Weſtphalia *libri concordiæ ſubſcriptio recuſata* 307
in Weteranis *pratis à Comitib. & Baronib. itidem* 307
Wigandus *Pfaſſius in tumultu Marpurgico miſerè tractatus ab Ubiquiſtis* 491
Wilhelmus *Damaſus contra librum concordiæ* 403
Winckelmannus, *Theologus Marpurgenſis, opponit ſe reformationi Landgravij* 487. *Greſſam ſe confert* 491
Winmariæ *quid actum in ſubſcriptione libri* 204
Winmarienſes *ſcribunt contra propoſitiones Vuiteberg.* 21
Wittebergenſes *Theologi apoſtatæ à verâ formulâ concordiæ* 360. *oppugnant judicium Bellarmini de libro concordiæ* 363. *reſpondent libro Marchionis Badenſis Erneſto, quibus Marchio opponit apologiam* 486. *docent multa pugnantia cum libro concord.* 434. *ipſi in doctrina diſſentiunt* 431
Wittebergæ *quid actum in collectione ſuffragiorum de ſubſcribendo concordiæ libro* 381. ibidem *arx & parochiale templum item Lutheri monaſterium fulmine tanguntur*

tanguntur 187. *actum de concordia inter Luth. & Zuingl.* 196

Witeberg. *Academia libro concordiæ ſubſcripſit, paucis ejus profeſſoribus exceptis* 187

de Witebergenſi *Academia abolenda conſilium* 93

Vvitebergenſes *Theologi accuſati à Flaccio-Brentianis ſe & ſuam doctrinam defendunt* 24. *edunt Latinum catechiſmum* 21. *quæſtiones* 26. *ſtereoma*, ibid. *exegeſin* 37. *nihil verſute egerunt* 27. *doctrinam veteris Eccleſiæ de idiomatum communicatione retinent* 30. *non confundunt articulos de aſcenſione & ſeſſione Chriſti ad dexteram* 31. *ſuam doctrinam ingenuè apud Electorem confitentur* 32. 35. *rejiciunt figmenta Vbiquiſtarum de perſona Chriſti ejuſque cœna* 34. *vocantur Torgam ad ſubſcriptionem Torgenſis formulæ* 57. *ſed ſubſcribere recuſant & cur*, ibid. 58. *capiuntur Torgæ, & Lipſiam abducuntur* 59. *ubi arctiſſimè cuſtodiuntur* 59. *ut tractati poſt Torgenſem conventum* 57. 58. *ab officiis removentur*, 59. *certis conditionibus ſubſcribunt*, ibid. *rurſus Torgam vocantur, ut capitalis ſententia adverſus eos pronuncietur* 61. *Saxoniæ finib. egredi jubentur* 62. *calumniis variis proſcinduntur* ibid. 63

de Vvitembergenſibus *Theologis captis triumphus* 59

Vvolfgangus *dux Bipontinus in propugnanda veritate ſtrenuus heros* 277

Vvormatienſe *colloquium* 38. 286.

Vvormatienſes *ſubſcriptionem libri concordiæ detrectant* 276. 303. 306

Vvolmerſtadiani *paſtores libro concordiæ ſubſcripſerunt coacti* 208

ZVinglius *à Luthero accuſatur Neſtorianiſmi ex ignorantia* 15. *ille & Oecolampadius re idem ſentientes, vel Luthero teſte* 169

Zuinglij *doctrinam ab ordinibus Auguſt. confeſſionis antehac non damnatam probatur teſtimoniis* 294. 295

Zuingliani *neutiquam ſecludunt à Cœna Corpus Domini* 169. *calumniis à Lutheranis obruantur quibus* 169. *nunquam legitimè damnati* 285. 294. 295. *cum Lutheranis de cœna contulerunt ter, & de ineunda concordiâ ſæpè egerunt* 296. *provocant ad ſynodum* 297

Zuinglianorum *ſententia in Auguſtana confeſſione haud damnata* 285. *eorum cauſſæ incompetentes judices Lutherani* 297

Zuinglianis *cum Lutheranis de perſona Chriſti & aliis articulis ſummus conſenſus in colloquio Marp.* 401

pro Zuinglianis *reſponſum à Ieſuitis Schmidlino* 384

INDEX
PRÆCIPVORVM LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ,

Qui in hoc VOLVMINE *explicantur.*

IN VETERI TESTAMENTO.

PSALM. VIII. ℣. 7. Omnia poſuiſti ſub pedibus ejus, *&c.* *Pagina* 394 395. 396.

PSALM. LXXII. ℣. 8. Et dominabitur à mari uno ad alterum, & à flumine, quaqua ſunt fines terræ *&c.* ibid.

PSAL. XCIX. 5. Exaltate Iehovam Deum noſtrum, & incurvate vos ad ſcabellum pedum ejus *&c.* 469

PSAL. CX. 1. Dixit Iehova Domino meo, ſede ad dexteram meam, donec poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum, *&c.* 462

IN NOVO.

MATT. XI. 27. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo *&c.* 461

MATT. XVII. 1. 2. Aſſumit Ieſus Petrum, Iacobum & Iohannem Fratrem ejus & ſubducit eos privatim in montem ſublimem, transformatuſque eſt coram eis, *&c.* 456

MATT. XXVIII. 18. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, *&c.* 397. 422. 470.

IOH. VI. 54. Qui edit carnem meam, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, *&c.* 457

IOH. VI. 39. Nondum enim erat Spiritus Sanctus, quia Ieſus nondum erat glorificatus, *&c.* *Pagina* 457

IOH. XVII. 1. Pater, venit hora, glorifica Filium tuum, ut & te Filius tuus glorificet, *&c.* 361

ACT. II. 36. Certò ſciat ergo tota domus Iſraëlis, quòd Deus hunc fecerit Dominum, *&c.* 460. 468. 472

ACT. III. 13. Deus Patrum noſtrorum glorificavit Filium ſuum Ieſum, quem vos tradidiſtis, *&c.* 467

EPH. IV. 29. Quam exſeruit in Chriſto, qui ſuſcitavit eum ex mortuis, & collocavit ad dexteram ſuam in cœlis longè ſuper omne imperium, *&c.* 394. 643.

EPH. IV. 10. Qui deſcenderat, ipſe eſt, qui etiam aſcendit longè ſupra omnes cœlos, *&c.* 394. 468.

PHIL. II. 9. Quapropter etiam Deus ipſum in ſummam extulit ſublimitatem, *&c.* 466

PHIL. II. 7. Sed ipſe exinanivit ſe, *&c.* 424

COL. II. 9. Nam in eo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, *&c.* 475

APOC. V. 12. Dignus eſt agnus ille mactatus ab origine mundi, qui accipiat virtutem, & divitias, & ſapientiam *&c.* 395

IN LI-

IN LIBRVM CONCORDIÆ PROLEGOMENA.

In quibus veriſſima Narratio de Occaſionibus, Cauſis, Exordiis, & Progreſſibus Sacrificii Miſſæ, Tranſſubſtantiationis, Conſubſtantiationis & Vbiquepræſentiæ Corporis Chriſti continetur.

In Cœna Domini externa Symbola Conſecratione transferantur ab uſu profano ad ſacrum uſum, non autem cõſecratione Papiſtica & ſua natura in aliam.

IN Cœna Dominica externa Symbola Conſecratione, ſeu Benedictione, ut Paulus loquitur, transferuntur ab uſu phyſico & profano ad uſum ſacrum & myſticum, ordinatum Verbo, cum typi ad archetypum, operiſque externi ad internam ſimilitudine & congruentiâ, ſecundum normam Verbi, Spiritu fruente rebus ſpiritualibus fide: uti corpus potitur & fruitur phyſicis ore. Adeoq́ tota externa manducatio diſcernitur & ſeparatur ab omni alia phyſica ac profana cibi alterius manducatione, ut fiant Symbola σύνεργα ὄργανα *Spiritus Sancti, non tamen ex virtute ſua aliquâ naturâ inſitâ, aut hyperphyſicè acquiſitâ, ſed per Gratiam collatâ: quæ talis eſt, ut ex ordine inſtitutionis agant tanquam Verbum viſibile, virtute Verbi ordinantis, ac Promiſſionis, & tanquam ſymbola ac ſigna exhibitiva rerum, quas deſignant, denunciant & afferunt verba, totiuſque in legitima actionis internæ uſu, quâ ſit rerum participatio & applicatio: perinde ut vox Miniſtri, opus naturæ,* σύνεργον *ſit organum Spiritus Sancti, non ſingulari aliquâ virtute innatâ aut adſcitâ hyperphyſica, ſed dono Gratiæ, quia ſonat Verbum, cujus eſt virtus, ſi tamen eodem dono Gratiæ legitimè utatur & rectè id declaret. Vocatione enim & ordinatione per manuum impoſitionem Miniſter non mutat ſubſtantiam, aut vires inſitas in ſpirituales, ſed deſtinatur & conſecratur Miniſterio novo & ſacro, ut in eo adminiſtret quæ Dei ſunt, juxta mandatum. Virtus & efficacia in legitimo muneris uſu & exequutione, liberrimum donum eſt Gratiæ Dei & Spiritus Sancti in ipſo: Sicut Paulus docet, 1. Cor 3.* Dei adminiſtri ſumus, Dei agricolatio, Dei ædificatio eſtis, ſecundum Gratiam Dei, ſicut unicuique Dominus dedit. *Blaſphemum igitur mendacium eſt, tonſurâ, unctione & conſecratione Romanâ, Sacerdotem acquirere & induere virtutem novam ſpiritualem conficiendi corpus Chriſti & alia divina Opera Dei propria, perficiendi ſuo Opere. Et ut paucis dicam, eadem eſt ratio externorum mediorum in Sacramentis, quæ vocis ſonantis verbum. Vox Miniſtri vox hominis eſt, verbum quod ſonat Dei Verbum eſt, ſi id rectè ſonat & non depravat. Sic media in*

Sacramentis ſunt res phyſicæ: in ordinatione verò & recto uſu ſunt Symbola rerum divinarum verbo & promiſſione. Virtus & efficacia in utriſque per Verbum eſt opus liberrimum Spiritus Sancti: utraque συνεργὰ ὄργανα *ſunt Spiritus, ſed in eo tantùm, qui Verbum audit, Symbola accipit, iiſque utitur ſecundum mandatum, non in uſu magico. Propterea & Chriſtus tribuit Symbolis appellationes ſui Corporis & Sanguinis, & in uſu ordinato habent illa rationem Sacramenti: id eſt, hoc præſtant ſacro & myſtico ſignificato & uſu, cui deſtinata ſunt, ſoli tamen utenti fide, quia à Verbo id habent, & ab ordine Divinæ Inſtitutionis per Verbum: Verbum autem fidem requirit,* Panis, qui frangitur, eſt κοινωνία Corporis Chriſti, *id eſt, medium eſt, quo conſociamur & unimur, tanquam membra Corpori Chriſti reſuſcitato & myſtico: ſicut diſtinctim de pane, & myſtico Corpore Chriſti mox ſubdit Paulus,* Vnus panis, unum corpus multi: omnes enim de uno pane participamus. *Calix benedictionis eſt* κοινωνία *Sanguinis Chriſti, quo fide hauſto, corda purificantur à peccatis, non meritò tantùm & abſolutione à reatu, ſed efficaciâ etiam ſpirituali. Vetuſtas rectè dixit,* Symbola, quæ ante conſecrationem ſunt panis & vinum, à conſecratione eſſe Corpus & Sanguinem Chriſti, *neutiquam tamen ſubſtantiâ, aut qualitatibus corporis, hoc enim Orthodoxorum veterum nemo unquam dixit, aut ſenſit, ſed relativè. Nec mutatione ſubſtantiæ aut qualitatum, ſed relatione ſigni ad res ſignificatas, id eſt, ordinatione divinâ per Verbum ad hunc uſum ſeu finem, ut legitimè utenti, & fide aſſentienti Verbo, ſint participatio Corporis & Sanguinis Chriſti, eo ordine tamen & modo, qui Verbo clarè inſtitutus ac monſtratus eſt, ſcilicet, ut tanquam ſymbola teſtentur, verè paſci ſumentem Corpore & Sanguine Chriſti, ſpirituali modo & effectu, virtute Spiritûs.*

1 Cor.

Ab hoc ordine, uſu & fine mediorum, & modo præſentiæ Corporis & Sanguinis Chriſti in homine per miniſterium Verbi & Sacramentorum, expreſſo perſpicuoq́ Dei Verbo tradito, diſceſſerunt omnes poſteris ætatibus, quotquot finxerunt, quoquo modo media & Symbola externa mutari naturis, proprietatibus, viribus & effectibus, ſive ex ſui Converſione materiali, aut ſpirituali, ſive ex acceſſu & copula alterius naturæ & virtutis, qua illa ex ſeſe efficiant, edantque actiones ſpirituales novas. Nihil enim habet Scriptura, nihil novit Eccleſia Orthodoxa de commentitia & miraculoſa converſione panis in Corpus, & vini in Sanguinem Chriſti: Nihil etiam de miraculoſa eorundem in panem & vinum incluſione aut alligatione ad illa. Sed ſi conſulantur Hiſtoriæ, & conſiderentur ordine natæ, paulatim ex certaminibus doctrinæ depravationes, & ſuperſtitione invecti, auctique abuſus rituum veterum, tempora docebunt, quando, & quibus occaſionibus cœperit.

Quibus ritibus primitiva Eccleſia Cœnam celebrarit, & ut ex iis Sacrificiũ Miſſæ paulatim natum ſit.

Notum eſt ex iis, quæ in prima parte Hiſtoriæ noſtræ Sacramentariæ ex antiquitate narravimus, quibus ritibus ſyncerior Eccleſia ſacram Synaxin in publicis congreſſibus celebrarit, nimirum, diſtributione panis fracti, & poculi conſecrati. Inter alia fiebat quoque commemoratio Sacrificii Chriſti in Crucis ara ſemel oblati. In hujus Sacrificii & meritorum eo partorum monumentum perpetuum ac memoriam oſtendebatur hæc Cœna inſtituta eſſe, non ut theatricum ſpectaculum, aut actus aliquis panegyricus, commonefactionis & celebrationis ſolius cauſa; ſed ut ritus ſacerdotalis, quo Filius Dei verè præſens & efficax in diſtributione panis & vini, virtute ſui Spiritus diſtribuat fide ſumentibus Corpus & Sanguinem ſuum, ad fruendum fructu & effectu ſpirituali ad vitam æternam, tanquam ſigillum ac pignus certiſſimum promiſſæ gratiæ, omnium ſuorum beneficiorum & perpetuæ ſuæ præſentiæ in nobis, noſtræque viciſſim conjunctionis & coalitûs cum ipſo.

Fiebat & applicatio conceptis ac ſolennibus verbis in diſtributione Sumentibus ſingulis

ſingulis, & adjungebantur gratiarum actiones & preces communes : illæ pro toto opere & beneficio Redemptionis, Collectionis, Gubernationis & Conſervationis Eccleſiæ; hæ pro ipſa Eccleſia, & pro ſingulis, qui communia vota Eccleſiæ expetebant, & dirigebantur ad Deum Patrem per Filium Mediatorem, ratione & conſideratione ritûs præſentis, cum mentione Sacrificii atque omnium meritorum Chriſti juxta mandatum; ſic, ut Filius invocaretur ac ſiſteretur Patri, tanquam ἀρχηγὸς & prævius Dux precum, tanquam Interceſſor ac Sacerdos ſummus & perpetuus ad Dexteram Patris in cælo; quo & convertebantur & dirigebantur corda expreſſâ voce; Surſum corda : *quibus ſignificabatur, Chriſtum ſemel ingreſſum in Sancta Sanctorum & conſcium arcani Conſilii Patris, ſemper in conſpectu ejus interpellare pro nobis, & Interceſſione ſua applicare nobis fructum Sacrificii ſui, perferre preces Invocantium, ac placare Patrem. Inde* Εὐχαριςίας, Sacrificii & Oblationis *nomina hic ritus acquiſivit: non quod in eo Sacrificium aliquod perageretur, in qua nova fieret oblatio Chriſti & mactatio, ſed quòd conſummati ſemel memoria celebraretur, ac quaſi repræſentaretur in eo opus Redemtionis noſtræ, fieretque illius applicatio manducantibus fide cujuſque propriâ: Tum etiam, quòd offerrentur Sacrificia precum & gratiarum actionis, quæ* εὐχαριςικὰ *erant, non* ἱλαςικὰ, *ut poſtea finxerunt Pontificii.*

Totum opus, id eſt, Manducatio, cum precibus & gratiarum actione erat Antiquitati cultus, & Sacrificium, & Oblatio. Quæ appellatio videtur etiam alludere ad ritum, quo ἀντίτυπα *proponebantur in altari, & quaſi offerebantur Deo, cùm dedicarentur uſui inſtituto per conſecrationem. Offerebantur etiam in prima Eccleſia ad Menſam Domini Eleemoſynæ, quæ nominabantur* Ἀγάπαι & Oblationes, *quarum pars altera ſacro uſui deſtinabatur, in pauperes erogabatur. hinc conſentaneum eſt, ritum hunc vocatum eſſe* Ἀγάπην, *quaſi fœdus mutuæ dilectionis inter pios: etiam* Oblationis *nomen potius inde extitiſſe, quàm à Symbolorum oblatione veriſimile eſt. Hanc fuiſſe Eccleſiæ ſincerioris & conſuetudinem, & de Sacramento Cœnæ, ut Sacrificio, ſententiam, ex puriore Antiquitate in prima parte Sacramentariæ Hiſtoriæ prolixè demonſtravimus.*

Progreſſu verò temporis, cùm, obſcuratâ paulatim luce purioris doctrinæ, & opiniones erroneæ ac falſæ irrepſiſſent, & inoleviſſent ex ſuperſtitione nati abuſus, in hoc ritu quoque ex compellatione Chriſti, quâ Patri ſiſtebatur ut Mediator, pervaſit opinio in animos hominum, ut crederetur, pani adeſſe Chriſtum, exaudire & efficacem eſſe; & coram communicare ſemetipſum corpore ſuo, & applicare merita ſua, interceſſione & opere Sacerdotis, quod Sumentibus tantùm contingere initio putabatur: Sed paulò poſt transferebatur etiam, initio quidem per oblationem Chriſti in precibus, mox per oblationem ejuſdem in Sacrificio, in non utentes, adſtantes tamen, & vivos: demùm invaleſcente ſuperſtitione, in abſentes vivos, tandémque & mortuos: cœptumq́ eſt Symbolis externis, ut numinibus, inhæreri; Sicut omni tempore non Ethnici ſolùm, ſed in Eccleſia etiam maxima multitudo oblita Verbi & Promiſſionum, vertit ſigna in res ipſas, & numina. Non ſoli Perſæ finxerunt ignem eſſe numen, quia audierant igne de cælo lapſo, incenſas eſſe Victimas, ſed & in populo Dei Iſraelitæ alligarunt Deum audaciâ propria ad vitulos aureos, & in Iudæa ad ſerpentem æneum concurſus & adoratio facta eſt, tanquam ad numen, cùm mandatum in deſerto datum multis ante ſeculis expiraſſet. Et qua occaſione, quóve alio modo irrepſit in Eccleſiam cultus atque adoratio imaginum & ſtatuarum, quàm per Conciones Panegyricas de Sanctis, de Sanctorum meritis, de miranda ipſorum gubernatione ac liberatione, de interceſſione apud Deum pro Eccleſia, &c. In hunc uſum cùm Memoriæ Sanctorum conderentur, ac dedicarentur Templa in honorem Sanctorum mortuorum, quod Clodoveus Francorum

Rex, Iuſtinianus Imperator & Gregorius M. Rom. Epiſcopus primò fecerunt, quo tempore horribiles tenebræ in Eccleſiam, ceu quodam diluvio, inundarunt; Conciones in cultum deſierunt non honoris tantùm, ſed & invocationis ſoli Deo debitæ, quâ non interceſſio tantùm petita eſt, ſed & auxilium, & dirigebatur illa faſcino ſuperſtitionis & ludibriorum Diabolicorum ad imagines & ſtatuas.

S. Cœnæ uſus in Sacrificiũ mutatus.

Eâdem prorſus ratione, cùm ex conſuetudine publicarum precum in ritu Cœnæ facta eſſet per preces applicatio meritorum Chriſti, & quædam quaſi oblatio Mediatoris ad Patrem, cum obteſtatione petente, per & propter ipſum exaudiri, atque impleri preces, amiſſa paulatim, aut valdè obſcurata ratione Sacramenti vera, ſacra Cœna ab uſu verò in ſacrificium commutari, priorque ac potior, & major Sacrificii, quàm Sacramenti ratio & uſus haberi cœpit.

Gregorii Magni ſeculo, qui floruit circa annos Domini 600. poſt Auguſtinum Annis 157. oblationem Cœnæ, ut Sacrificii, pro vivis ac mortuis jam altè inſediſſe & radices egiſſe in animis hominum, ex ipſomet conſtat. Quanquam ſcriptum Gregorii exſtat, in quo privatas Miſſas reprehendit.

Poſt Gregorii ætatem autem hanc de Sacrificio & oblatione in Miſſa opinionem vehementer invaluiſſe; cúmque nervi firmando Idolo & Sacrificio Miſſæ quærerentur, certamina maxima mota eſſe circa tempora fatalis illius mutationis, quâ Imperium Occidentis, fracta penitùs Græcorum potentia ac jacente, tranſlatum ab his eſt in Francos, ex Hiſtoriis manifeſtum eſt, ab infuſis & commixtis novis, peregrinis & ſuperſtitioſis Gentibus magis corrupta Doctrina, & ſuperſtitionibus atque abuſibus auctis.

Erroris origo & cauſa.

Omnis error inde exſtitit, quòd ad panem cœpta ſunt referri, quæ in homine utente pane conſiderari debuerunt. Quæſitus eſt in pane Chriſtus, quem fidelium quiſque in ſuo corde quærere fide, & præſentem eſſe ſtatuere debet. Maxima multitudo tenebatur faſcino illo falſo, impio & idololatrico, ad panem conſecratum & oblationem, & odorationem Chriſti rectè fieri, & opera Sacerdotis offerentis peragi Sacrificium, quo fiat omnium meritorum Chriſti, non vivis & utentibus tantùm, ſed & non utentibus ac mortuis: Nec ſine Sacrificio Sacramenti rationem & uſum Sacræ Cœnæ ineſſe: imò Sacrificii, quàm Sacramenti potiorem eſſe.

Certamina ob depravatũ in Cœna doctrinæ gen⁹ exorta.

Hæc deliria invecta ſunt & propagata non ſine certaminibus. Nondum enim exoleverat doctrina Auguſtini, quam poſt mortem ipſius, quaſi per manus traditam, cuſtodierunt & confirmarunt Proſper Gallus auditor Auguſtini, circa annum Chriſti 434. Et poſt hunc Fulgentius illius σύγχρονος, qui ſcripſit ad Thraſimundum Regem Wandalorum eo tempore, quo Gelaſius Afer Romanæ Eccleſiæ præfuit annis poſt Auguſtinum quinquaginta: Item, Primaſius Afer, poſtea Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus circa annum Chriſti 600. Maximus Taurinenſis: Synodi etiam Arauſicana & Conſtantinopolitana 6. Sub ipſa quoq; tempora Caroli M. Beda Preſbyter Anglo-ſaxo. Deinde Bedæ diſcipuli, Alcuinus, Rabanus Maurus circa annum 840. Bertramus, Paſchaſius circa annum 900. & plures alii.

Fundamenti Idoli & Sacrificii Miſſatici.

Nec minore animorum atque odiorum acerbitate, & immanitate res ſemel mota deinceps agitata eſt. Cùm enim Patroni Idoli & Sacrificii Miſſæ quærerent præſentiæ in pane fundamenta ac nervos, nec alia reperirent in tota Scriptura, quàm verba Inſtitutionis, pro hypotheſi immota hoc ſtatuerunt & aſſumpſerunt: Primùm, Verba Inſti-
1. tutionis oportere accipi & intelligi ſimpliciter ſicut ſonant, ſine omni tropo & figura, tanquam Verba Teſtamenti, quæ minimè ambigua vel obſcura eſſe debeant. Se-
2. cundò, teſtatorem, qui verax & omnipotens ſit, ideóque quod dixerit, non minus opere perficere, ut fiat, & ſit, quàm creaverit rerum naturam. Hac hypotheſi

firmata

firmatâ & obtentâ, conſtare cenſuerunt Sacrificio Miſſæ ſuum cum idolo, & idoli cultûs fundamentum.

Hinc enim conſtitutum ab eis hoc eſt, quod panis Conſecratione vertatur in Chriſti Corpus ſubſtantiâ: Seu, fiat verum, ſubſtantiale & naturale Corpus Chriſti vi verborum & omnipotentiâ Chriſti, & virtute Spiritus Sancti efficientis, indeque teneri atque offerri Corpus manibus Sacerdotum. Huic novo ac præſtigioſo mendacio, quanquam Auguſtinianæ puritatis ſtudioſi & adſeclæ adverſarentur, multitudine tamen impiam & novam opinionem pertinaciter amplectente ac retinente, Pontificum Romanorum jam confirmatâ authoritate & poteſtate, & Principum ac vulgi applauſu res cò deducta eſt, ut Orthodoxis oppreſſis, & veritate exploſâ, Idolum mendaciis introductum, & tyrannicâ crudelitate ſtabilitum vinceret & regnaret. Certum eſt enim Iohannem Erigena *non Scotum, ut ab aliquibus falsò cognominatur, ſed Britannum, Bedæ diſcipulum, quum in Malmeſburienſe Cœnobio Dionyſii Libellum de Hierarchia interpretaretur diſcipulis ſuis, & taxaret opinionem tunc receptam vulgò, de oblatione Cœnæ Dominicæ pro vivis & mortuis, Auguſtini & aliorum authoritate, itemque doctrinam de præſentia Chriſti in Cœna, à ſuis Diſcipulis, à Monachis ſuperſtitioſis impulſis, graphiis confoſſum eſſe, Anno 884. Nec dubium alibi quoque ſimilia multis aliis accidiſſe.*

Tranſſubſtantionis origo.

Ante Carolum M. poſt Annos Chriſti 700. primi inter Græcos Iohannes Damaſcenus & Theophylactus *meminerunt mutationis Symbolorum panis & vini, cujuſmodi à nullo veterum ſtatuitur.* Damaſcenus *Chriſtum juxta veritatem patefactæ doctrinæ immotam τοπικῶς in cœlo exiſtentem ac manentem, ſecundùm modum exiſtendi corpori proprium, ſine ullo deſcenſu, apertè aſſerit, Corpore & Sanguine in pane & vino eſſe κατὰ μεταποίησιν. Sic enim inquit lib. 4. de Orthodoxa fide capite 14.* Corpus verè unitum eſt Deitati, Corpus ſcilicet quod eſt ex Maria Virgine: non quòd aſſumtum illud Corpus è cœlo deſcendat, ſed quòd ipſe panis & vinum in Corpus & Sanguinem Dei (*μεταποιοῦνται*) mutantur. *De mutationis modo mox hæc ſubiicit:* Si modum quæris, quomodo fiat, ſatis eſt, te audire, quòd per Spiritum S. Plus non novimus, niſi quòd Verbum Dei verax eſt, efficax & omnipotens, modus verò imperſcrutabilis. *Amplius addit:* Panis & vinum invocatione & ſuperventu Spiritus S. ſupra naturam mutantur in Corpus Chriſti & Sanguinem. *Item,* Non ſunt panis & vinum typus Corporis & Sanguinis Chriſti: Non hoc ſtatuatur, ſed eſt ipſum Corpus Chriſti deificatum, dicente Domino: Hoc eſt Corpus meum: non typus Corporis &c. *Hæc Damaſcani verba quidam pro Converſione ſimplici accipiunt. Rationes autem firmæ ſunt, quas parte prima noſtræ Hiſtoriæ Sacramentariæ adduximus, quibus probari poteſt, Damaſcenum hæc non de Tranſſubſtantiatione, hoc eſt, de ſublata & deſinente panis & vini ſubſtantia, inque eorum locum realiter ſubſtitutâ Corporis & Sanguinis Chriſti ſucceſſione, ſed de myſtica & ſpirituali tranſmutatione, ſeu arcana ſalutis humanæ diſpenſatione, in communicatione rerum cum ſignis, quæ eſt ipſa gratia & virtus Sacramenti, ex vero & deſtinato ſuo fine, in recto ipſius uſu, ſenſiſſe & intellexiſſe. De Theophylacti quoque phraſibus ibidem reſpondimus. Nihilominus tamen his ſuis hyperbolicis phraſibus Idolum & Sacrificium Miſſaticum eo tempore vulgò receptum & approbatum, eo ſenſu quo de hactenus diximus, non leviter apud imperitos & ſuperſtitioſos homines confirmarunt.*

Lib. 5.

Vt autem maximè de ſimplici & reali mutatione panis in Corpus Chriſti loquutus eſſet Damaſcenus, verecundior tamen eſt poſteris in hoc, quòd modum Mutationis pervеſtigari & definiri poſſe negat. De illo verò mox circa Caroli Magni tempora &

De modo mutationis Symbolorum quando dimicari cœptum ſit

 deinceps

deinceps acerrimè dimicatum eſt, cùm Romanæ Eccleſiæ authoritate pro certo jam haberetur & pro confirmato, Chriſtum Corpore in pane præſentem eſſe. Non enim acquieverunt Damaſceni ſententiæ, modum imperſcrutabilem eſſe: ſed quia oportebat Sacrificulum, mactantem & offerentem Chriſtum, denuo de Corpore, quod offerat in manu ſua, certum eſſe (alioquin Sacrificium inane futurum fuiſſet, ſi aut nulla, aut incerta eſſet hoſtia:) ideò modum certum quæri ac definiri oportere cenſuerunt. At non ſatisfaciebat idololatris ſimplex & indefinita mutatio Damaſceni, cùm Symbola externa appareret conſervare naturas & accidentia. De alio igitur argutiore commento cogitandum fuit. Id verò ex Scriptura depromi non potuit. Conſtat enim hoc indubitatò, quòd nullum Scripturæ dictum commento de præſentia in pane ſuffragetur, ac ne ipſa quidem Inſtitutionis Verba, niſi ſola Corporis *mentio, propter quam excogitata ab ipſis & decreto ſancita eſt hæc falſa hypotheſis,* Verba hoc ſenſu accipi oportere, quo ſonant. *Huic uni inſiſtit commenti fundamentum totum: quod ipſum tamen protinus ſuis, interque ſe multùm diſcrepantibus interpretationibus convellunt ac deſtruunt. Cúmque minimè, quam ſe eviciſſe putant, præſentiam ex verbis probarint, quod primum eſſe debebat, multò magis tamen in definiendo præſentiæ modo laborant, determinaturi, inſano conatu, modum in eo, quod non eſt. Certum eſt enim, ſi rectè examinentur, & ſincerè penſitentur Verba Inſtitutionis (ut de Pauli teſtimoniis non dicamus) nec vocabuli* Corporis *uſum in ſignificato proprio de pane, ſeu Corpus in ſua ſubſtantia, nec præſentiam illius Corporis talem ullam phyſicam aut hyperphyſicam miraculoſam, qualem ſomniant, exſculpi inde poſſe. Ideò Scholaſtici fatentur, ſi Corpus Chriſti in mortem traditum, de fracto pane intelligatur & dicatur, nec proprietatem in verbis, nec tranſſubſtantiationem, nec ullam realem præſentiam eſſe, aut defendi poſſe. Servatâ enim proprietate verborum in hac propoſitione,* Hoc eſt Corpus meum, *id eſt, hic panis eſt Corpus meum; lege prædicationis uſitatæ & regularis, ſubjectum & prædicatum erunt ejuſdem naturæ, & quicquid prædicatò competit ac tribuitur, idem competet & tribuetur rectè quoque ſubjecto.*

Fundamentũ Tranſſubſtantiationis.

Hoc cùm perſuaſum eis certò fuerit inveterato tamen errori multitudinis, decreto Romanæ Curiæ confirmato, innixi, omiſſâ quæſtione, An ſit talis præſentia, in modo præſentiæ laborarunt. Hunc, repudiata Damaſceni & Theophylacti Converſione ſimplici, alii Tranſſubſtantiatione, alii Conſubſtantiatione definierunt.

Sed rurſus in tempore diſceſſerunt inter ſe, Quando ſit facta, aut fiat mutatio, & quatuor verborum enunciatu converſionis, an diſtributionis & exhibitionis.

De Interpretatione Verborum prius: In quibus cùm evidentiâ verborum, illorumque & actionis in Inſtitutione ordo nullam interpretationem verborum, nullam etiam in pane præſentiam talem corporis admittat, qualem commenti ſunt Pontificii: Innocentius III. Papa, *ut ſcopulum, qui ex perpetuo verborum & actionis contextu obſtat, declinet, ad explicandum Pronomen* Hoc, *fingit, panem, cùm porrigeretur, jam fuiſſe tranſmutatum tunc, quando gratiis actis fregit & ſub ſpecie panis præſens demonſtratum. Mutationem quidam aut aliis verbis, de quibus non conſtat, aut abſque verbis occultâ & omnipotente virtute factam credi volunt. Cæteri divellendo contextum negant, Pronomen* Hoc *relatum eſſe ad præcedentia, & contendunt* δεικτικὸν *eſſe, atque ita intelligi volunt, vel, ut Guitmundus interpretatus eſt,* Hoc *ſcilicet Corpus, non panis amplius, aut, hucuſque panis, ex hoc jam eſt Corpus meum, aut* Hoc, *quòd do vobis, eſt Corpus meum. Alii, ut* Richardus *Mediavillenſis, per* Hoc *intelligunt aliquid ſub hac ſpecie præſens, vel de propinquo futurum eſt Corpus meum. Alii per Pronomen* Hoc *accidentia panis deſignari volunt, ac ſi dixerit Chriſtus ſub his accidentibus latet corpus meum. Alii ut* Occam *verbum ſeu*

copulam

copulam EST *pro* ERIT *accipiendam eſſe contendunt. Alii panem quidem per Pronomen* Hoc *demonſtrari volunt, ſed verbum* EST *energeticè ſeu effectivè pro* ſubſtantialiter fit, *ſeu* convertitur *accipi contendunt. Ac fatentur Tranſſubſtantiationem retineri non poſſe, niſi verbis tribuatur ſignificatio & vis* ἐνεργετικὴ; *quæ quid aliud eſt quàm Magica?* Iohannes Scotus *cognomento* Duns & Petrus de Aliaco *Cardinalis Cameracenſis, per Pronomen* Hoc, *dum proferuntur Verba, nihil prorſus, ſed demùm poſtquam tota oratio completè fuerit enunciata, Corpus ipſum volunt demonſtrari.* Scotus *verò* Occam & *alii plerique, non dubitant affirmare, nulla neceſſitate, nulla urgente Scriptura, nulla cogente auctoritate Patrum, ſolius Romanæ Eccleſiæ decreto Tranſſubſtantiationem inductam eſſe.* Scotus *etiam,* Marſilius, Richardus & *alii ampliùs addunt, verba planiùs, rectiùs & ſimpliciùs declarari poſſe, niſi obſtaret Commentum Tranſſubſtantiationis à Romana Eccleſia approbatum: Ex his quo modo conſtet ſibiipſi veritas hypotheſeos, id eſt, intellectus verborum, ſicut ſonant, quæ fundamentum eſt mendacii prodigioſi, exſtructique inde Idoli, intelligi à quovis liquidò poteſt.*

De monſtroſa mutatione ipſi fatentur Scholaſtici, fidem eâ Chriſtianam ludibrio & contemptui exponi. Qualem verò illi commenti ſunt? Quum ex Scriptura nihil ſuppeteret, decurrerunt ad rerum naturam, & quaſi myſticus ordo præſentiæ divinæ per Miniſterium & Sacramenta, ſit idem cum ordine phyſico Præſentiæ Divinæ in creaturis omnibus aliis: in ſola Cœna ſacra mutationem fieri præter & contra ordinem naturæ, nec ſenſui potentem, nec capacem intellectu, quàm miraculi commendatione; titulo verò & authoritate Eccleſiæ venditarunt & obtruſerunt rudibus pariter & eruditis. Finxerunt monſtroſitate mendacii admirabili, pronunciatione verborum à Sacerdote, quem oporteat raſum & unctum eſſe Ritibus Romanis, effici hoc quod verba ſonant. Cui cùm refragarentur ſenſibus ſubjecta accidentia, ut mendacium veſtitum fuco ſpecioſo perſuaderent populo, finxerunt; evaneſcente ſubſtantia panis, ſuperſtitibus tamen accidentibus, ſed ſine ſubjecto, ſuoque nixu ac fultu ſubſiſtentibus, ſeque conſervantibus; contra regulam Damaſceni: Impoſſibile eſt, conſiſtere naturam extra naturales proprietates: *Hanc contra ergo finxerunt, ſuccedere in locum ejus ſub operculo & velamine accidentium ſubſtantiam Corporis Chriſti exutam ſuis proprietatibus eſſentialibus & accidentalibus: id eſt, materiam veſtitam forma ſubſtantiali, ſine dimenſionibus, & ſine qualitatibus, ſalvis ac integris accidentibus panis, couſque donec ſuâ ſponte corrumpantur. Hoc novum commentum* Μετουσίαν & Tranſſubſtantiationem *vocarunt, quam non voluerunt eſſe mutationem unius ſubſtantiæ in aliam per antegreſſas mutationes phyſicas, ſed ſubſtantiæ Corporis Chriſti in locum evaneſcentis ſubſtantiæ panis ſucceſſionem.*

Hoc commentum non tantum Scripturæ, ſed & naturæ rerum adverſum, cùm multis diſpliceret, fuerunt, qui mox ab initio reſtiterunt, acriter, & aliud illo melius pro Idolo Miſſæ ſe productos rati, finxerunt, ſubſtantiam corporis, ſuis accidentibus ſpoliatam, ſubſtantiæ panis, ſub iiſdem accidentibus panis ſenſui expoſitis uniri uno in loco, & intra eandem panis περιγραφῷ, *citra tamen dimenſionum penetrationem. Hoc commentum* μετουσιάσιν *ferre nec potuerunt, nec voluerunt, quòd verbis Inſtitutionis repugnaret, quæ oporteat* διαῤῥήδην, καὶ κατὰ τὸ ῥητὸν *intelligi: fabricetque novam interpretationem, per aſſutas verbis Chriſti particulas* In, Sub, Cum, *quæ & hypotheſi primæ contraria ſit, & prohibeatur ſeveriſſimo Dei mandato, præcipienti, ne quid addatur, nec quid dematur. Deinde quòd impanaret Chriſtum Vnione cum pane hypoſtaticâ & hoc adſcito in Vnitatem Perſonæ, & ſocietatem regni æterni, potentiæ & cultuum. Vnde quæ prædicentur in Scriptura de Chriſto Deo & Homine, ea oporteat*

[Margin: Conſubſtantiationis origo.]

[Margin: Cõſubſtantiationem oppugnant Metuſiaſtæ.]

eodem modo prædicari de Chriſto Deo, & Homine & pane. Et quæ exhibeantur & præſtentur Chriſto Deo & Homini una λατρεία, ea oporteat ſimiliter tribui unito pani. Vocarunt hoc eorum commentum Συνουσίαν & Conſubſtantiationem.

Metuſiaſtas & Sinuſiaſtas Berengarius oppugnat Lanfrancus opponit ſe Berengario. Guitmundus contra Synuſiaſtas.

Hæc dum ferbuerunt certamina inter ipſos, ad veritatis antiquæ repetitionem & aſſertionem prodiit, & oppoſuit ſeſe utriſque Berengarius Eccleſiæ Andegavenſis in Gallia Diaconus. In hunc commovit ſe Lanfrancus Papienſis Italus. Is munitus & fultus auctoritate Romani Pontificis Berengarium ad Palinodiam atrociſſimis teterrimi carceris minis adegit circiter annum Chriſti 1058. & Synuſiaſtis etiam ſilentium impoſuit. Quos contra Guitmundus Lanfranci diſcipulus Cantuarienſis ſic inter alia ſcribit: Chriſtum incarnari humanæ redemtionis ratio expoſcebat: at impanari Chriſtum nullâ expetebat ratio. Nec Prophetæ hoc prædixerunt, nec mundus, exceptis paucis his Hæreticis, credidit. *Item*: Hos Impanatores ipſe Dominus Ieſus, verbo oris ſui interficit, cùm accipiens panem, gratiaſque agens & benedicens ait: Hoc eſt Corpus meum. Hinc & Eccleſia in Canone Miſſæ non orat, ut in oblatione, quam petit fieri adſcriptam & acceptabilem lateat, ſeu adveniat Corpus, ſed ut nobis fiat Corpus.

Lanfranci victoria tyrannide partâ aboletur vera doctrina de Cœna. Canonis miſſæ origo.

Hæc Lanfranci victoria quicquid fuit reliquum doctrinæ, rituum, ac religionis veræ & antiquæ in ſacra Cœna mutavit & abolevit. Erant jampridem invecta aurea & argentea vaſa circiter annum Chriſti 422. Veſtimenta verò & ornamenta alia in uſum Miſſæ theatricæ fabrefacta ſunt primùm ſub Carolo M. & ſub Ludovico Pio cumulata. At poſt ſtabilitum ex commentitia præſentia, & corrupto verborum Inſtitutionis contextu, conſenſuque, nervum Sacrificii & Idoli, introductus eſt etiam in ritum Miſſæ Canon, ex veteribus nonnullis malè accommodatis, & recentibus falſis, velut laciniis conſutus, non uno tempore, ſed diverſo, quæque paulatim antè creverat auctoritas, dignitas & reverentia Miſſæ, per & propter Idolum, tanquam capitis, Cleri autem, tanquam fabrorum & miniſtrorum Idoli, amplificata eſt in immenſum. Extulit ſeſe & in immenſum poteſtate exæquata Deo Pontificum majeſtas & tyrannis, novi dogmatis & juris in ordinem utrunq; ſacrum & laicum, prætextu, juxta decreta Pontificum. Novum etiam doctrinæ genus conflatum eſt, auctoribus Doctoribus novis, qui ſe Scholaſticos vocarunt; & Ius Civile peculiare conditum, Romani Iuris, tanquam ἐπανορθωτικόν, architectis Canoniſtis, quod Canonici Iuris appellatione, à Civili diſtinctum eſt, ut doceretur, vetus Romanum ad hoc, velut Canonem, explorari ac cenſeri oportere. Doctrinæ genus ex Patribus, quos auctoritate æquipararunt ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, depravatis tamen, & in ſua ſomnia ac deliria traductis. Ex his ergo conſultum primò, vel conſarcinatum potius doctrinæ genus à Lanfranco & ſucceſſoribus, vix ducentis annis poſt Albertus M. Thomas Aquinas, Scotus & alij in Ariſtotelicam Philoſophiam commutarunt: utranque corruptam penitùs obruerunt quæſtionibus manifeſtè tetris atque impiis & mendaciis deteſtandis Dogmatiſtæ novi alii poſt annos non multo plus centenos, ſeculo Durandi de S. Porciano. Ad hæc Idolum iſtud novum, peperit novum etiam ſibi Miniſtrorum genus, innumera Monachorum ſtabula, qui uberrimo ac feraciſſimo proventu, patre Diabolo, & ſuperſtitione hypocriticâ matre, minus vario diſcrimine initio, tandem infinita varietate monſtroſi habitus, & vitæ tetricæ ſimulatione fucata, faſcinarunt ac dementarunt, perque leges & obſervationes ſuperſtitioſas traditionum humanarum cum horribili conſcientiarum carnificina exagitarunt & excruciarunt Orbem Chriſtianum.

Canoniſtarũ & Scholaſticorũ Theologorũ origo.

Monachorum mendicantiũ origo.

Tranſſubſtantiationis victoria.

Etſi autem ſemper exſtiterunt aliqui, qui contradixerunt, alii magis, alii minus apertè & fortiter; & adverſentur ea quæ Decretis Pontificum ex Auguſtino & aliis Patribus inſerta ſunt, & Gloſſæ ipſorum Interpretum & Commentatorum; prævaluit tamen

ratio

ratio Sacrificij & Idoli ex inveteratæ ſuperſtitionis faſcino, grata animis propter opus operatum, auctoritatiq́, dignitati, potentiæ & opibus totius Ordinis ſacri accommodata: ac Pontificum & Monachorum tyrannis & rabies, ne eniti ac ſuperare veritas poſſet. Dum viguit enim regnum Idoli panis fultum miraculo Tranſſubſtantiationis, ſub umbraculo harum perſuaſionum, Quòd Miſſa ſit Sacrificium propitiatorium: Quòd panis ſit ſubſtantiâ Corpus Chriſti: Quòd ad panem fieri debeat adoratio & invocatio Chriſti: Quòd debeat offerri pro vivis & mortuis, pro peccatis, pœnis præſentibus & æternis, ſatisfactionibus & aliis neceſſitatibus: Quòd Sacerdos pronunciatione verborū mutet ſubſtantiam panis in Corpus Chriſti: Quòd opus Sacerdotis meritum ſit, & pretium remiſſionis peccatorum: Quòd hæc ceremonia proſit etiam non utentibus ex opere operato, ſine fide, abſentibus & mortuis: Nemo contrà multis ſeculis à Lanfranco uſque ad Petrum de Aliaco *Cardinalem Cameracenſem apertè & palam ſine diſcrimine ſummo hiſcere aut mutire auſus fuit. Imò tam exoſum & deteſtabile evaſit inde Berengarij nomen, ut non modò palam profeſſi dogma mox fulmine anathematis ferirentur; ſuſpecti de eo, tanquam* καθάρματα *haberentur: ſed quos cupiditas etiam erat & ſtudium æternâ labe infamatos ad necem uſque perſequi, illi, ut Sacramentarij, è Schola Berengarij egreſſi & manifeſti Hæretici proclamarentur. Cauſa tantæ rabiei fuit, quòd noſſent hoc Idolo, velut adamantino vinculo ſolo contineri ac ſtare totam Hierarchiæ ac Tyrannidis Romanæ majeſtatem. Nec revera cauſa vel uſus totius commenti de præſentia in pane ullus eſt, aut fuit unquam alius.*

A Lanfranco *itaque uſque ad* Petrum de Aliaco *fulcivit Idolum panis Tranſſubſtantiatio.* Aliacus *circa Baſilienſis Concilij tempora, ante condemnatum* τῆς συνουσίας *commentum reſtituere conatus eſt. Hunc ſequuti ſunt* Iohannes Gerſon, Gabriel Biel, *& alij, quibus etiam eſt adnumerandus* MARTINUS LUTHERUS, *quanquam hic in nullo diſcrimine ponit, utro modo pani corpus includatur, ſeu manente, ſeu evaneſcente ſubſtantiâ panis: Sicut & nullo diſcrimine pro* συνουσίᾳ συσσωμάτωσιν *uſurpat Corporis cum pane veri, naturalis, ſubſtantialis, integri, non apparentis tamen, & ſenſui nulli ſubjecti, definitivo præſentiæ modo, qui Spiritibus tamen creatis proprius eſt. Fundamenta autem, quibus ſuperſtruxit ſuam hanc ſententiam quatuor potiſſimùm conſtituit: ut ab initio ſtatim hujus Libri indicabitur.* Cónſubſtantiatiōnē recepit & approbavit Lutherꝰ rejecta Tranſſubſtantiatione

Etſi verò Lutherus, & cum illo Metuſiaſtæ & Synuſiaſtæ omnes, interpretatione ſuâ vim ſe attuliſſe verbis Chriſti inficiari non poſſint, id tamen caverunt, quantum fieri potuit, ne palam & manifeſtè impingerent in articulos Fidei de Chriſto vero Deo & Homine. Cum pane luſerunt, ut conſervaretur Chriſtus integer & inconfuſus naturâ utraq́ in uno hyphiſtameno. At Lutherū ſequuti, & titulo ac nomine falſo profeſſi, degeneres ejus Diſcipuli, pane relicto, retentâ tamen Pontificia hypotheſi, de præſentia in pane, & particulis In, Sub, Cum, *vim omnem in Chriſti Perſonam, & in articulos de hac Fide convertūt. Nam humanam naturam in Chriſto exæquatam Divinæ diffundunt in immenſum, communicatione ſeu effuſione reali omnium proprietatum eſſentialium ex natura Divina in humanam aſſumtam. In hac ita conſtituunt totam rationem Vnionis hypoſtaticæ, ut fingant per proprietatum eſſentialium omnium effuſionem,* Λόγον *omni plenitudine ſuæ Deitatis habitare in natura aſſumta eſſentialiter. Ex hac proprietatum eſſentialiūm effuſione Humanā naturam Chriſti hoc adeptam fingunt, ut ſit facta omnipotens, omniſcia, immenſa, infinita, & ſit ubiq́ in omni loco, & in omnibus creaturis, in elementis & corporibus ex iis compoſitis, adeóque etiam in pane Cœnæ, etiam ante Conſecrationem.* Pſeudo dſcipulorū Lutheri ſentētia de Vbiquitate Corporis Chriſti.

Hanc ob cauſam, ut ſcilicet hæc portentoſa dogmata quoquo modo fucare poſſent, Inſtitutionis verba monſtroſiſſimè pervertunt, depravant & corrumpunt. Non urgent illi Pontificiam Hypotheſin, quâ etiam Lutherus interdum contra adverſarios uſus eſt Vbiquiſtæ ut verba inſtitutionis interpretentur.

pertinaciter

pertinaciter, verba ſimpliciter intelligi oportere, ſicut ſonant. Sed Corporis vocabulum urgent, idque in ſimplici & proprio ſignificato accipi oportere contendunt. A Synuſiaſtis ergo & Luthero hoc mutuantur, cùm à Chriſto dicatur, Accipite, comedite, Hoc eſt Corpus meum, oportere ſtatui & credi præſentiam Corporis in pane: & ſi præſentiam, etiam manducationem cum Pane, quæ fit ore. Vt verba autem figmento congruant, interpretantur ea cum iiſdem Authoribus per Synecdochen, adſcitis particulis In, Sub, Cum, ſed ad ſenſum ſuum Synecdochen longè, quàm illi, aliter trahunt atque accommodant. Præſentiæ modum (in quo qualiſcunque fingatur, omnes omni ſpecie veri ex Scripturæ & naturæ præſidiis deſtituuntur) non ex Verbis (unde non poſſunt) non ex Tranſſubſtantiatione, quam rectè condemnant, non ex Conſubſtantiatione, quam ab ante fabuloſa Pontificia longè diverſam fabulantur, ſed novo magiſque monſtroſo figmento detexunt, ex Oeconomia ſeu Diſpenſatione Vnionis Hypoſtaticæ duarum Naturarum in Chriſto.

Summa ſentētiæ Lutheri & diſcipulorū ejus de ſenſu verborum Inſtitutionis Cœnæ D.

Primi igitur Authores hujus dogmatis verba hæc, Accipite, comedite, Hoc eſt Corpus meum, ſtatuunt eſſe verba diſpenſationis, ſignificantia diſtributionem Corporis & ſanguinis jam ante præſentis ex alia cauſa, quâ fiat in ſumtione perceptio illius & applicatio, eo quidem per os manſu & hauſtu, actu tamen effectuque diſſimili, alio in piis, & alio in impiis, conjunctim verò ſimul & ſemel offerri atque exhiberi cum pane Corpus, cum vino Sanguinem, nempe & id quod datur, & alterum Cum, In vel quo Sub datur: utque oſtendatur conjunctio horum inter ſe vera ac realis, Synecdochicè per particulas eaſdem, verba, Hoc eſt Corpus meum, declarari.

Diſſimilitudinis autem verborum in Inſtitutione, quâ quæ porriguntur, panis nominantur initio, qui frangitur, & calix, cui benedicitur: deinceps autem Corpus & Sanguis vocantur, denominatione ſumptâ à potiore parte, cujus cauſa Inſtitutio facta eſt: cauſam eſſe, ut excludat omne ſomnium de mutatione Panis, & mentes averſas ab eo, quòd oculi aſpiciunt, convertat ac dirigat ad Corpus ipſum, ne quis imaginetur panem & vinum nuda & inania Symbola eſſe. Idcirco eundem horum verborum, Accipite, comedite, Hoc eſt Corpus meum, ſenſum eſſe & rationē eandem, quæ iſtorum, Si quis in cantharo porrigens vinum dat, Accipite, hoc eſt vinum quod miſcui vobis, utrunque quidem demonſtrans cantharum & vinum, ſed illud ſolùm nominans, quod datur, id eſt, vinum, non quo hoc datur, id eſt, cantharum. Sic Chriſtum dicentem, Hoc eſt Corpus meum, utrunque conjunctim demonſtraſſe, ut verè & realiter præſens utrunque, ſed illud ſolùm nomine expreſſiſſe, quod principale eſt ac præcipuum. Nec Corpus ſimpliciter prædicari de particula & ſubjecto Hoc, ſed ſubjectum dici & intelligi eſſe prædicatum ipſum. Nec verba Hoc eſt Corpus meum, hoc ſenſu à Chriſto dicta eſſe, Hic panis, quem fregi & dedi vobis, eſt Corpus meum. Admiſſo enim hoc ſenſu, Tranſſubſtantiationem Pontificiam, non poſſe refutari aut caveri. Nec idem ſignificare aut valere has propoſitiones, Hoc eſt Corpus meum: Et, Hic eſt Corpus meum. Deniq; ſi per Pronomen, Hoc, fractus in Cœna panis Corpus Chriſti eſſe aſſeveretur, perinde hoc futurum, ac ſi quis loculos pecuniâ vacuos alicui offerens, dicat, Accipe pecuniam. At Chriſtum in re omnium maxima neutiquam ſic ludere voluiſſe, eoq; per Pronomen Hoc, non principaliter panem, ſed Corpus ſub pane realiter præſens, & unà cum pane exhibitum demonſtrari.

Abſurditas hujus ſententiæ.

Primùm autem hæc ſententia & interpretatio præſentiam in pane carnalem pro confeſſa aſſumit. Pari ratione pro conceſſo aſſumit modum præſentiæ illum ipſum per Conſubſtantiationem, quam, ut verbis repugnantem, niſi Impanatio ſtatuatur Corporis, aut ſine hac etiam, propter aſſutas particulas minimè ferendam, Pontificii ipſi condemnarunt. Ad hanc verò indifferenter trahit verba eodem ſenſu, ut ſonant, Hoc eſt Corpus meum, & particulis determinata, In, Cum, & Sub hoc pane eſt Corpus meum,

quaſi

quaſi ad modum & proprietatem prædicationis, & rerum veritatem explicandam nihil interſit inter propoſitiones; in quarum unâ prædicatum de ſubjecto ita dicitur per copulam, ut in propria ſignificatione illi affirmativè tribuatur: in altera verò ſubjectum & prædicatum in ratione prædicandi conjungantur, ſeu copula de duabus rebus, ut ſimul conjunctis, neutra verò de altera affirmetur.

Vt ſe autem à Pontificiis ſentire diverſum oſtendant, atque à Luthero etiam ipſo, ne putentur idem Conſubſtantiationis genus uſurpare, modum ſuæ Conſubſtantiationis oculis pingunt, ſimilitudinibus à cantharo & vino, à loculis & pecunia ſumptis. Addidiſſent etiam imaginem ſtraminis infarcti in ſaccum, niſi veriti fuiſſent, hac mendacij bellè compti vanitatem prodi, quòd eâ Lutherus incluſionem in panem redarguit, negans ſe talem imaginari: ipſi verò, & Schmidlinus inprimis, audacter contra Lutherum aſſeverant. Hæc ſcilicet incluſio jam olim exploſa ipſis eſt & Conſubſtantiatio, & Sacramentalis illa Vnio realis & vera, quâ cum pane Corpus incluſum porrigitur. Hanc vult Schmidlinus ſingulari & novo commento per Pronomen Hoc ita deſignari complexu uno continentis & contenti, ut cum vinum in cantharo porrigens utrunq; quidem demonſtrat ac tradit vinum & cantharum, vinum tamen ut principale tantùm nominat: Sic per Pronomen Hoc, utrunque panem & Corpus demonſtrari conjunctim exhiberiq; affirmat, ſed Corpus pani incluſum ſolùm nominari. Vtque fidem commento faciat, cum Methuſiaſtis convellit contextum: negat particulam Hoc relativam eſſe ad panem fractum. Negat enim propoſitionem, Hoc eſt Corpus meum, hoc ſenſu dictam eſſe, Hic panis, quem fregi, & dedi, eſt Corpus meum, ne in μετουσίαν cum Pontificiis incurrat: & affirmat contra in priore particulam Hoc demonſtrativam eſſe, etſi unum nominetur: in alterâ panem nudum & inanem, ſeu continens contenti vacuum demonſtrari, ut ſi de loculis vacuis dicat quis, Hoc, id eſt, ſaccus hic eſt pecunia. Imo particulam Hoc, ne in priore quidem Propoſitione panem principaliter, ſed corpus in pane realiter præſens, & unà cum eo datum notare. Atque hoc uſitatum vulgò genus loquendi de continente & contento, tanquam uno, deque principali, quod ſignificatur, utrobique in ſubjecto & prædicato; quod ut ταυτολογίαν, Scholaſtici repudiant, & faciliùs ab Apoſtolis fuiſſe intellectum; quòd jam ante didiciſſent à Chriſto, quomodo Caro ipſius verè ſit cibus, & Sanguis verè ſit potus. Hæc enim Schmidlini verba ſunt. Nec ſatis erat illi diſcerpſiſſe textum & depravaſſe detorſione ad commentum mendax carnalis & localis præſentiæ in pane, violentâ prorſuſque aliena, niſi etiam aperto mendacio alio id cumularet, nempe Apoſtolos Capernaiticam manducationem, quæ ore ſit, manſu potuque & effectu carnali, quanquam à Chriſto damnatam, ab illo tamen accepiſſe.

In his quanquam multò plus eſt profanæ petulantiæ, & malitioſæ impietatis, quàm in Pontificiorum Dogmate, quod cuivis ſano judicare promptum & facile eſt: tamen ultimo ſine ne hîc quidem quicquam aliud ſpectatur, aut quæritur, quàm ut modus præſentiæ Corporis in pane κατὰ συνουσίαν quàm à Pontificiis, aliter definiatur.

Quod verò caput eſt, nimirum utrum veri Corporis præſentia in pane vel homine, per oralem manducationem, novo, ſingulari à reliquis Miniſterij partibus diverſo ac miraculoſo modo, claro verbo, & teſtimoniis Scripturæ liquidis doceatur? Et ſi doceatur, quomodo ad panem adducendum, adductumque corpus ſit introducendum? id non explicatur: Horum illud nuſquam vel uno verbulo attingitur, neque à Pontificiis, neque ab Vbiquiſtis; quia nullum in hunc uſum iſta ex Scriptura ſuppetit, quum tamen cardo totius controverſiæ in hoc uno præcipuè verſetur. In altero verò, quomodo pani Corpus copulent, occupantur utrique, ſed diſſimillimè.

Hanc veriſſimam eſſe narrationem de Occaſionibus, Cauſis, Exordiis & Progreſſibus Sacrificij Miſſæ, Tranſſubſtantiationis, Conſubſtantiationis, & Vbiquepræſentiæ Corporis Chriſti,

Chriſti, fatebuntur omnes pii & nullo præjudicio faſcinati Lectores, qui Hiſtoriam veteris & recentis Eccleſiæ, quam parte prima & ſecunda Hiſtoriæ Sacramentariæ complexi ſumus, diligenter legerint & cognoverint.

Expoſitis autem certaminibus in Hiſtoria noſtra Sacramentaria, in quibus pro Sacrificio Miſſæ, Tranſſubſtantiatione & Conſubſtantiatione, ſeu Impanatione, & locali incluſione veri Corporis Chriſti in panem, tanquam pro aris & focis ſummis viribus Metuſiaſtæ, & Synuſiaſtæ cum ſuo Luthero pugnarunt: Narrabo nunc ordine, ut degeneres Lutheri Diſcipuli, Vbiquitatem ſeu Omnipræſentiam Corporis Chriſti obtinere & defendere, eamque omnibus Eccleſiis per fas & nefas obtrudere conati ſint. Cum enim Dogma ſuum Vbiquitatis, tanquam prodigioſum & novum, tam à Papiſtis, Ieſuitis inprimis, quàm ab Orthodoxis, quos Zuinglianos & Calviniſtas vocant, exploderetur, quòd eo everteretur tota Doctrina veteris & purioris Eccleſiæ, per revocatas, interque ſeſe in unum monſtroſum chaos confuſas hæreſes antiquas omnes de Filio Dei, ejuſque propugnatores id neque ex Verbo Dei, neque ex Patribus, vel primæ, vel mediæ, vel etiam ultimæ ætatis, in qua Scholaſtici vixerunt, defendere, & aliquo ſaltem modo fulcire poſſent, alia via rem aggreſſi ſunt, & authoritate Principum, Eccleſiarum & Academiarum aliquot duntaxat Germanicarum, & pluralitate Votorum, itemque anathematiſmis & condemnationibus diris pro eo pugnare decreverunt. Conſcripſerunt igitur LIBRVM *in quo ſuam Vbiquitatem, & alios errores multos defendunt quem oblatum Principibus, aliiſque Imperij ordinibus, & ab iiſdem ſubſcriptione ſuâ approbatũ,* CONCORDIÆ *titulo ornarunt, quaſi cum doctrina, in ea contenta, tam affirmativa, quàm negativa concordent, & uno ore conſentiant omnes, qui ei ſubſcripſerunt. In hoc etiam Libro tanquam hæreticas condemnant, non ſolùm multas Germanicas, ſed exteras Eccleſias quoque omnes Reformatas, & per Gratiam Dei florentiſſimas, Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Hungariæ, Poloniæ, Belgii, Helvetiæ, &c. Corporalem Præſentiam Chriſti* In, Sub, *vel* Cum *Pane & Vino Cœnæ Dominicæ, adeóque realem rerum cum ſignis vel ſymbolis coëxiſtentiam & incluſionem; Ac non tantùm reſtrictam ſeu ſpecialem, ſed generalem etiam Vbiquitatem veri Corporis Chriſti in omni gramine, ligno, lapide, arborum foliis, cantharis cervisiariis, & omnibus aliis creaturis atque obſcœnis quoque locis, velut portentoſum & novum dogma: Novas item, peregrinas, inuſitatas & periculoſas phraſes ac modos loquendi, de Vnione Perſonali, Aſcenſione in Cœlum, Seſſione ad Dexteram Dei, Communicatione Idiomatum & aliis, non approbantes & recipientes: Eaſdem etiam omnis generis convitiis & calumniis, non tantùm editis ſcriptis, ſed vivâ voce quoque pro ſuggeſtu coram imperita plebe & ignaro populo, tanquam Turcicas, Neſtorianas, Arianas, &c. proſcindunt & lacerant, in hunc ſolùm finem, ut populus has Eccleſias deteſtetur & fugiat, Principes autem aliique Ordines eaſdem ex pace religionis excludant, & igne ferroque perſequantur atque exſtirpent.*

Operæ pretium igitur me facturum ſpero, ſi, ne mutila & manca Hiſtoriæ noſtræ Sacramentariæ pars altera videri queat, non tantùm Originem & Progreſſum hujus Libri Concordiæ, *ſed etiam ejuſdem errores, falſa dogmata, Scripturæ, Symbolis & ipſi etiam Auguſtanæ Confeſſionis repugnantia, Antilogias ſeu Contradictiones, & Modum agendi in Eccleſia Chriſti hactenus inuſitatum, quem in conſcribendo, ſuffragiis muniendo & promulgando hoc Concordiæ Libro ſequuti ſunt Vbiquiſtæ, benevolo & Chriſtiano Lectori paulò diligentius in hoc Libro demonſtrem & ob oculos ponam; ut inde intelligat, Primò, quo Spiritu regantur Vbiquitatis Patroni; Deinde, quàm nihili bruta illorum fulmina & condemnationes, adverſus Orthodoxas Eccleſias facienda ſint: Tertiò, quòd pro norma ſeu regula Doctrinæ, & diſcretionis Orthodoxorum ab hæreticis, nullo modo vel poſſit vel debeat Liber iſte Concordiæ recipi & approbari.*

DE PRI-

DE PRIMA ORIGINE LIBRI CONCORDIÆ,

QVÆ FVIT VBIQVITATIS CORPORIS CHRISTI DEFENSIO & PROPAGATIO.

CAPVT I.

Lutherus ſuæ ſententiâ de Corporis Chriſti reali præſentia in Cœna verbis Inſtitutionis ab initio aſſeruit.

CERTAMEN Sacramentariorum magnâ contentione ab initio inter Lutherum & Zuinglium geſtum eſt, ut parte alterâ Hiſtoriæ noſtræ Sacramentariæ prolixè demonſtravimus, & de vero ſenſu verborum Chriſti, Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus, quibus in Cœnæ inſtitutione uſus eſt, inprimis dimicatum fuit. Lutherus enim corporalem Chriſti Corporis præſentiam In, vel Sub, vel Cum pane Cœnæ, ſolùm his verbis Inſtitutionis aſſeri & obtineri poſſe putavit, ideoque iis tantum contra Zuinglium & Oecolampadium pugnavit à principio, & hujuſmodi illatione uſus eſt: Chriſtus dixit, Accipite, edite, Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis traditur: Ergo Corpus Chriſti realiter præſens adeſt, & ore corporaliter manducatur In pane: Verba Chriſti rotunda, perſpicua & clara ſunt: Chriſtus mihi non mentitur, &c. Hæc & ſimilia multa ſemper & in ore habuit Lutherus: Et in Marpurgenſi Colloquio, diſputaturus contra Zuinglium & Oecolampadium, in menſa ſua cretâ ſcripſerat, Hoc eſt Corpus meum; ne ſeſe ab his verbis abduci pateretur. Cùm autem ex hoc ſuo propugnaculo depulſus eſſet ab adverſariis, eo, quòd hæc illatio nulla neceſſitate ſequatur, aut inferatur ex verbis Chriſti, quibus panis, quem accepit, fregit, & Diſcipulis ſuis dedit, dicens, Accipite & manducate, &c. Corpus ipſius in mortem traditum eſſe dicitur; cùm videant & intelligant omnes ſani & eruditi; neque verbis, neque ſenſu, eaſdem ſeu æquipollentes, ſed diverſiſſimas loquutiones eſſe, Hoc id eſt, panis, quem fregi, & dedi vobis, eſt Corpus meum, quod pro vobis traditur; Et, Accipite, edite Corpus meum, quod inviſibiliter eſt & exiſtit In, vel Sub, vel Cum pane: Deinde, quod obiiceretur Luthero, nullam eſſe alicujus dicti interpretationem admittendam, quæ cum confeſſis Articulis fidei pugnaret: realem autem Præſentiam Corporis Chriſti, quæ ex illa expoſitione ipſius neceſſariò conſequeretur, tum veritati Carnis Chriſti circumſcriptæ, tum ejuſdem in Cœlos aſcenſioni, & ex Cœlis adventui, ex diametro repugnare: tunc pro eo, quòd veritati cedere debuit Lutherus, & de Sacramentali Signorum & Rei ſignificatæ conjunctione aliter, quàm de reali eorundem perceptione ſtatuere, contentionis ſtudio, ut faciliùs refutare poſſet Adverſariorum argumenta de vera & Corporali Præſentia Chriſti In, Sub & Cum pane Cœnæ; itémque de Veritate Corporis ejuſdem, de Aſcenſione in Cœlum & Reditu ad judicium; damnatum & relegatum paulò antè è Gallia Vbiquitatis ſeu Omnipræſentiæ Corporis Chriſti, & realis Communicationis Idiomatum dogma Stapulenſe, tanquam ſacram anchoram arripuit, & in Eccleſias Saxonicas primus introduxit: Ita ut in Sole etiam & in pane tabernæ piſtoriæ, Corpus Chriſti eſſe doceret, non minùs quàm in pane Cœnæ, niſi quòd ibi non vellet apprehendi aut coli, quo ſe non alligâſſet peculiariter verbo ſuo: Imò, quod eſſet in fune, ſeu laqueo, quo Iudas ſe ſuſpenderit: ut eſt videre in Sermone ejus contra Spiritus fanaticos anno 26. Vuitebergæ habito. Et in libro, Quòd verba Chriſti adhuc firma ſtent, anno 27. in lucem edito, apertè ſcribit, Corpus Chriſti per clauſas januas immotas & inviolatas, & per clauſum monumentum penetraſſe, factâ diſparitione: Item, etiam ante Aſcenſionem in Cœlum Corpus Chriſti ſimul in cœlo & terra, imò ubique locorum fuiſſe: Rurſus, Chriſtum deſcendiſſe è cœlo, & in cœlum aſcendiſſe,

Lutherus pro verbis Inſtitutionis ubiquitatem Corporis Chriſti arripuit ad dogmatis ſui defenſionem.

non ſecundùm Deitatem, ſed ſecundùm Humanitatem.

Quibus argumẽtis Lutherus Ubiquitatẽ Corporis Chriſti probarit. In Confeſſione maiore.

Ad hoc autem dogma ſuum, hactenus in Germania novum & peregrinum, probandum, uſus eſt Lutherus, primò, *Articulo fidei, de Vnitate Perſonæ Dei & Hominis Chriſti. Ac arbitrabatur, quia propter indiviſam illam utriuſque Naturæ in Chriſto hypoſtaticam Vnionem, nullibi ſit, vel eſſe poſſit Divinitas, ubi non etiam ſimul realiter adſit, ſive coexiſtat adſumpta Humanitas, hinc neceſſariò ſequi, quòd etiam Corpus Chriſti cum Divinitate ubique, ideoque etiam in Pane Cœnæ ſit:* Alioquin, *dicebat Lutherus*, ſi ullus locus dari aut oſtendi poſſet, ubi eſſet Divinitas Chriſti, & non ſimul quoque coexiſtens eſſet Humanitas, jam diſſolveretur Perſonæ ipſius Vnitas, quod à Neſtorio factum eſt. *Reſponſum eſt autem ei, & reſpondetur adhuc hodie, Dividi Chriſtum, & duas Perſonas fieri, niſi Homo ſit, ubicunque eſt Deus: nam in Chriſto idem eſt Homo & Deus propter Perſonæ identitatem. Deinde, ſi de Naturis, Divinitate & Humanitate, in abſtracto loquamur, ſimiliter verum eſſe: Si Humanitas non eſt, ubicunque eſt Divinitas, Perſonaliter nimirum, vel Perſonali Subſiſtentia, hoc eſt, ſi non eſt una ubique duarum Naturarum Perſona, aut ſi non ubique duæ hæ Naturæ unitæ ſunt, duas Perſonas fieri neceſſe eſſe: Non autem, ſi Humanitas non eſt, ubicunque eſt Divinitas, ſcilicet eſſentialiter. Nam ubicunque eſt unum ex unitis, ibi etiam alterũ ei unitum ſit neceſſe eſt: ſed non ubi eſt unum, ibi etiam alterum ſimpliciter & eſſentialiter ſit neceſſe eſt. Nam quæ unita ſunt perſonaliter, ea non neceſſe eſt eſſentialiter eſſe æqualia: vel, quæ ſimul ſunt perſonaliter, ea non neceſſe eſt ſimul eſſe eſſentialiter. Itaque ubicunque eſt Divinitas, ibi unitam habet Humanitatem, quamvis eſſentialiter uno in loco exiſtentem. Quomodo in Morte Chriſti, etſi ſeparata fuit à Corpore Anima, ita ut Anima non eſſet ubi Corpus erat, tamen Vnio Perſonalis manſit.*

Secundò, *argumentabatur Lutherus ab Vbiquepræſentia Dexteræ Dei ad Vbiquitatem Humanæ Naturæ per modum Seſſionis ad Dexteram, ad hunc modum:* Dextera Dei eſt ubique: At Chriſtus ſecundum humanitatem ſedet ad Dexteram Dei: Ergo ſecundum modum Seſſionis ad Dexteram ubique, & per conſequens Humanitate ſua, ſeu Corpore ſuo in Pane Euchariſtiæ eſt. *Reſponſum ad hoc fuit, ineſſe huic argumento quatuor terminos,* 1. Dextera Dei, 2. Vbique eſſe, 3. Humana Natura, 4. & Sedere ad Dexteram Dei; *nullamq; eſſe Minoris ad majorem connexionem: In Minore enim nulla eſt vera ſubſumptio in medio concludendi, ſed duo diverſi à majore propoſitione termini ponuntur: quia aliud eſt,* Eſſe Dexteram Dei, *& aliud*, Sedere ad Dexteram Dei. *Sic autem ſubſumendum erat,* Humana Natura eſt Dextera Dei: *quod falſum eſt. Et ſi huic Syllogiſmo in hac quatuor terminorum inordinata confuſione locus eſſe debeat, quidvis hoc modo de Chriſti Humana Natura concludi poſſet: nimirum, quòd Corpus Chriſti, ſeu Humana ejus Natura ſit increata, incorporea, æterna, & creatrix omnium: Nam hæc omnia Dexteræ Dei competunt. Sedet autem Humana Natura ad Dexteram Dei. Ergo eſt increata, æterna*, &c.

Quod ſi Lutheri argumentum ſic formetur:

Quicquid ſedet ad Dexteram Dei, ubique eſt; quia Dextera Dei ubiquę eſt.

Sed Humana Natura Chriſti ſedet ad Dexteram Dei.

Ergo Humana Natura Chriſti eſt ubique.

Tunc vitium eſt in materia. Confunditur enim Proprietas Divinitatis cum Officio Perſonæ. Nam Vbiquitas eſt Deitatis Proprietas: Seſſio ad Dexteram eſt nomen Officii, quod toti Perſonæ ſecundum utramq; Naturam competit. Ad hæc Scriptura Chriſtum ſecundum carnem ita docet ad Dexteram Dei ſedere, id eſt, ut Paulus 1. *Cor.* 15. *ex Pſ.* 110. *interpretatur, regnare, ut tamen ad Dexteram Dei* IN CŒLIS *eum eſſe affirmet: Eph.*1. *Col.*3. *Heb.*8. *Act.*1.3. *&* 7. *cap.*

Tertiò, *contendebat Lutherus, Deum plures modos ſcire & habere alicubi in aliquo loco eſſendi, & non tantùm localem. Deinde verò, quòd anteà Deum plures eſſendi modos habere dixerat, id poſtea in explicatione ad unum Corpus Chriſti accommodavit, eique ſimul triplicem illum eſſendi modum, Localem, Definitivum & Repletivum affinxit. In hoc igitur neutiquam ſibiipſi, & iis quæ allegat, conſentit. Si enim, quod traditur de triplici exiſtendi modo, ſecundum triplex per ſe exiſtentium diſcrimen, probat, ut probat; cùm* Repletivus *infinitæ Eſſentiæ Dei ſit:* Definitivus *ſolis Spiritibus finitis, corporeæ molis tamen expertibus:* Circumſcriptivus *ſeu* Commenſurativus, *corporibus ſolis finitis, ut proprius, competat: Quomodo aut omnes Deo, aut omnes corpori aſſumto. Quomodo præter localem corpori naturali & vero definitivum etiam, Spiritibus proprium, qui ibi tantùm ſunt, ubi agunt, cum Pontificiis congruere demonſtrabit, niſi omnia evertat & phantaſmata ac ludibria eſſe dicat creata omnia? Vnus tantùm modus exiſtendi corporibus phyſicis proprius eſt locatione phyſica, qua ſpatium σύμμετρον occupant, unum tantùm, non plura. Nec ſi intra naturæ ſuæ metas manent, aut ſunt, aut eſſe poſſunt in pluribus locis ſimul: ſed contra naturam eſt, non tamen finitorum corporum, ſed etiam Spiritum finitorum. Vt ſit enim Corpus in pane definitivè, ne tamẽ nõ hoc quidẽ modo ad hoſtias*

plures

plures, ſpatiisq́; diſtinctas brevibus, aut in menſis extendetur uno tempore. Nec miraculo id excuſari poteſt: ſi ordinatum eſt ac perpetuum. Sed docendum eſt ex Verbo, quod novum Chriſtus, aliumque in Cœna, quàm in reliquis Miniſterij partibus modum præſentiæ, & talem quidem, qualem ſomniant ipſi, inſtituerit.

Luther' Ubiquitatē Corporis Chriſti in negotio Cœnæ rẽiicit, & ad Verba inſtitutionis rurſus confugit.

Tandem cum Lutherus intelligeret ex Adverſariorum reſponſionibus, non ſolùm abſurditatem, ſed etiam falſitatem dogmatis de commentitia Vbiquitate Corporis Chriſti, poſtquam illud duobus annis 27. & 28. defendiſſet, eoque contra Adverſarios pertinaciſſime pugnaſſet, id poſt Marpurgenſe Colloquium expreſsè rejecit, & eò in negotio Cœnæ, non utendum eſſe palam confeſſus eſt, præſertim quum Suenkfeldius per Vbiquitatem Corporis Chriſti, Præſentiam Corporis ejus in Cœna in phantaſma Marcioniticum transformaret. Sic enim ſcribit Lutherus Tomo 8. Ienenſi Operum ſuorum pagina 375. Accipite, manducate, Hoc eſt Corpus meum: His verbis verum Corpus, & verus Sanguis Chriſti in pane & vino ad manducandum & bibendum datur. At hic incidit quæſtio, Quomodo Chriſtus eſſe poſſit in Sacramento corporaliter, cùm tamen unum Corpus non poſſit eſſe ſimul & ſemel in pluribus locis? Ad hoc ego reſpondeo: Chriſtus dixit, quòd ibi adeſſe velit; ideo verè eſt in Sacramento; & quidem Corporaliter; & ideò veraciter eſt ibi, neque debet alia cauſa iſtius Corporalis Præſentiæ quæri, quàm hæc tantùm. Verba enim iſta ſic ſonant, idcirco neceſſe eſt iſta fieri ut ſonant. Quod autem ad ipſum Corpus attinet, poteſt Chriſtus, quando vult, ubique & in omnibus locis eſſe, ac ideò alia eſt ratio illius, quàm noſtri corporis. De Vbiquitate, vel in omnibus locis Præſentiâ non debet diſputari. Longè enim alia res eſt in hac cauſa. Nam & Scholaſtici nihil de Vbiquitate loquuntur, ſed retinent ſimplicem intellectum de Corporali Præſentia Corporis Chriſti, *Nolo hanc Lutheri ſententiam prolixè excutere: illud ſaltem monuiſſe ſufficiat, quòd aſſerit quidem Lutherus Corporis Chriſti Vbiquitatem, ubicunque vult Chriſtus: ſed (ut Papiſtæ quoque docent) quæ ab ipſius abſoluta Voluntate ac Potentia pendeat, nullâ Perſonalis Vnionis, aut Dexteræ Dei mentione factâ. Vult Præſentiam Corporis Chriſti in pane ab unius Inſtitutionis Cœnæ verbis pendere. Non vult etiam, ut quæſtio de Vbiquitate in hac Controverſia prorsùs audiatur; quia videlicet alia & peculiaris res ſeu ratio ſit in hac Euchariſtiæ cauſa. Huic Sententiæ Lutheri ſi locus eſſe debet, certè omnem de Vbiquitate Diſputationem in polemicis ſuis ſcriptis prorſus ab ipſomet Luthero revocatam, abolitam & abrogatam eſſe fateri oportebit.*

Probatur Lutherū revocaſſe Ubiquitatem & reſpondetur cõtrarium aſſerentibus.

Quòd autem à nonnullis obiicitur, hanc revocationem non eſſe Lutheri, & Lutherum uſque ad vitæ finem Vbiquitatem Corporis Chriſti probaſſe ac defendiſſe, nullo negotio refutari poteſt. Nam ad prius quod attinet, eſt ea tam manifeſta ac frivola eluſio, ut ipſòſmet Compilatores Hiſtoriæ Auguſtanæ Confeſſionis Kirchnerum *puta*, Selneccerum *&* Kemnitium *ejus puduerit, qui non obſcurè fatentur pagina* 103. *hæc ſic à Luthero ſcripta eſſe. Primus autem hanc eluſionem* Lucas Hoſiander *confinxit, qui in Libro quodam ſcripſit, hæc verba non Lutheri, ſed Philippi eſſe, qui ea in Librum quendam Georgij Majoris anno* 60. *propriâ manu ſcripſerit, quæ in tomos poſtea Operum Lutheri per imprudentiam, tanquam Lutheri, irrepſerint. Cùm autem fama hujus rei in Aulam uſque Electoris Saxoniæ* Auguſti *penetraſſet, ſcripſit Elector in Septimana Paſchali anno* 74. *ad* Georgium Majorem, *ut Librum hunc, in quo hæc verba Philippi ſcripta eſſent, Dreſdam ad Aulam Electoralem mitteret, vel ſi Liber iſte in aliorum manus perveniſſet, ille ſaltem de hac tota re Electorem bona fide certiorem redderet, ut ſeſe haberet. Reſcripſit autem Electori* Georgius Major, *& ſanctè teſtatus eſt, ſe neque hunc Librum, neque hanc manum Philippi unquam vidiſſe, ut teſtatur* Pezellius *in Apologia ad* Danielis Hofmanni *Reſponſionem de Signis Sacramentariorum pagina* 238. *His adde, quòd* Heſshuſius *in Colloquio Quedelburgenſi hæc verba tanquam* Lutheri *citat pagina* 152. *& apertè affirmat coram adverſæ partis Theologis* Kirchnero, Zimmermanno, Selneccero & Kemnitio, *Lutherum his verbis Diſputationem de Vbiquitate retractaſſe & abjeciſſe, nec ei à dictis Theologis contradictum fuit.*

Helmſtadienſes quoque Theologi in ſcripto quodam ad Principem ſuum Iulium Brunſvicenſem, ac anno 89. *in lucem edito, inter alia ſic ſcribunt:* Das etliche fürgeben / der angezogene Spruch Lutheri ſey *D. Philippi*, und nicht Lutheri / Iſt eine leidige außflucht. Die den Herren Philippum ſelbſt gehört haben / wiſſen ſich zuberichten / das Philippus / wann er die Vbiquitet verwarff / ſich pflegte auff diß zeugnuß zuberufen / und ſind wir In E. F. G. *Corpore Doctrinæ* auff dieſſen Rath / als Herren Lutheri gewiſen / wie dann dieſer *Locus* in der repetirten Sächſiſchen Confeſſion die E. F. G. Theologi damals auch underſchrieben / zu dem ende geſetzt iſt / das man von der Vbiquitet / nach dem ſelben lehren ſolt. *pagina* 9. *Quod ad alteram objectionem attinet, eam refutat apertiſſime* Kemnitius, *Lutheranorum non poſtremus:*

Is enim Parte 2. Examinis Tridentini Concilij anno 1566. ſcripta & edita ſic ſcribit: Fundamentum Præſentię Corporis Chriſti in Cœna Lutherus monuit, non eſſe collocandum in Diſputatione de Vbiquitate, ſed in Veritate Verborum Inſtitutionis.

Quòd verò in Libro de Conciliis Zuinglium Neſtorianiſmi accuſat Lutherus, in eo ad primum certamen anni 27. & 28. reſpicit, in quo nondum rectè Zuinglij ſententiam intellexerat, ut ſuo loco indicavimus. Deinde, quòd in Epiſtola quadam ad amicum anno 34. ſcripta, Majorem ſuam confeſſionem renovatam, repetitam & confirmatam vult Lutherus, in qua Vbiquitatem docet, id reſpectu principalis negotij, id eſt., Controverſiæ Sacramentariæ vult, & ne Sacramentarius fieri velle videretur, ſicut ipſe loquitur: non autem reſpectu Vbiquitatis Corporis Chriſti, quam in illa Confeſſione ex abundanti propoſuerat, ſaltem ut adverſariis oſtenderet, aliquem modum eſſe, quo ſimul Corpus Chriſti in Cælo & in Pane Cœnæ Dominicæ eſſet; non autem, quòd ſecundùm hunc modum Vbiquitatis Corpus Chriſti in Cœna eſſe pro ſua parte exiſtimaret. Tertiò, quòd in minore & poſtrema ſua Confeſſione anno 44. edita, polemica ſcripta ſua contra Fanaticos allegat Lutherus, ita ut illam Diſputationem in majore ſua Confeſſione contra Helvetios ſimpliciter probare videatur, iterum, ut paulò ante, reſpondetur. Non enim ad Diſputationem de Vbiquitate Corporis Chriſti ex abundanti propoſitam, ſed ad Controverſiam Sacramentariam, ſeu ad principale negotium reſpicit.

Ubiquitas etiã poſt mortem Lutheri in Saxonicis Eccleſiis ſepulta fuit aliquot annis.

Quemadmodum autem, vivente adhuc Luthero, Diſputatio de Vbiquitate prorſus ſepulta fuit: ita etiam poſt mortem ejus in Scholis & Eccleſiis Saxonicis quievit, nec quiſquam fuit, qui Vbiquitatem Corporis Chriſti in tertio articulo Confeſſionis Auguſtanæ contineri, aut hunc eſſe ſenſum Auguſtanæ Confeſſionis exiſtimaret. Nam Vuitebergæ Melanchton & Collegæ ejus non modò nihil hìc movebant; ſed etiam ſepultum eſſe hoc dogma Vbiquitatis facile ſinebant, & ſic alij quoque alibi faciebant.

Ubiquitatis dogma reſtauratur à Timanno & Heſſhuſio.

Circa annum demùm Domini 56. Iohannes Timannus Amſterodamus, Bremenſis Eccleſiæ Miniſter, Farraginem edidit, in qua ſubinde hæc infauſta propoſitio repetitur. Caro Chriſti ubique eſt. Mortuo etiam Timanno, Iacobus Præpoſitus in eadem Eccleſia, ſæpiſſimè pro concione palàm dixit, Corpus Chriſti ubique eſt, illudque verè in Euchariſtia, omnibus illis in locis, ubi ea hîc in terris juxta inſtitutionem celebratur, diſtribuit Chriſtus. His quum Albertus Hardenbergius, Cathedralis Eccleſiæ Bremæ Paſtor, contradiceret, & prodigioſo huic dogmati pro viribus reſiſteret, non quieverunt prius Adverſarij ejus dolis & fraudibus agere, quàm Bremâ expelleretur.

Eodem quoque tempore Ioachimus Vueſtphalus, Hamburgenſis Eccleſiæ Miniſter, Librum edidit, collectis ſuffragiis multarum ſubſcriptionum, in quo hoc pro fundamento ponit, Chriſti Corpus eſſe in omnibus locis, lapidibus & lignis. De hoc Melanthon, in Declaratione ſententiæ ſuæ de Flaccianorum Synodo ad Principes aliquot Germaniæ, anno 59. die 4. Maÿ ſic ſcripſit: Hæ locutiones novæ ſunt in Eccleſia Chriſtiana inde uſque ab initio. Nec dubium eſt, etiam Papiſtas ipſos condemnaturos eſſe illas, etiamſi in Sorbona Pariſienſi ſententia ferenda ſit.

Ubiquitatis dogma fovet etiam Brentius

Fovit hoc portentoſum Marcioniticum & Eutychianum monſtrum, ac dogma Vbiquitatis eodem tempore etiam Iohannes Brentius Stutgardianæ Eccleſiæ in Ducatu Vuirtebergenſi Paſtor, illudque, quanquam dudum judiciis Eccleſiæ Orthodoxæ damnâtum atque exploſum, ab ipſo tamen veſtitum comptumque præſtigiis novis ſub majeſtatica Divinitatis, & reali Idiomatum Divinæ Naturæ cum Humana aſſumpta communicatione, ſed clam, inter amicos plantavit & propagavit ab initio, quod intelligeret, carnalem Præſentiam Corporis Chriſti in Cœna, verbis Inſtitutionis non poſſe defendi ac propugnari. Nunquam tamen, Melanthone vivo, hoc portentum publicum fecit. Et in Conventu Vuormatienſi an. 57. ad Peucerum, Melanthonis generum, id etiam diſſimulavit: quum ipſum multis rogaret & obteſtaretur verbis Brentius, Melanthoni ut perſuaderet, de hoc articulo Seſſionis Filij Dei ad Dexteram Patris, ut ſuam ederet ac proponeret Confeſſionem, iis, qui Colloquij Cauſa ex Proteſtantium Eccleſiis congregati erant: Se daturum operam, ut de ea efficeretur Conſenſus.

Philippus Ubiquitatẽ approbare noluit.

De hac petitione Brentii cùm retuliſſet ad Melanthonem Peucerus, recuſabat quicquam præſcribere aliis de re, quæ in communem deliberationem non adducta priùs eſſet, & de qua reliquorum nondum cognoviſſet ſententias. Addebat, ſe non ignorare diverſam à ſua eſſe Brentij ſententiam, de qua ceſſurum illum non eſſe, aut pertinaciter etiam pugnaturum eſſe ſciret. Vidiſſe enim ſe guſtum jam illius, quo faceret Idiomatũ Communicationem geminam, Dialecticã unam, Phyſicam alteram, quæ ſit reipſa Naturarum cõfuſio Eutychiana. Huic ſe adverſaturum eſſe & repugnaturum quoad vixerit. Si ſponte ſuâ quid faceret, aut ſine mandato, aut ſine communi decreto, reliquos in eam id accepturos partem, ac ſi tanquam Dictator conaretur leges & dogmata condere, quæ illi cogerentur amplecti: Inde exoritura eſſe majora incendia, quibus cauſam præbere non velit: ſatis eſſe diſcordiarum in Eccleſia, & ante oculos, & in conſpectu eſſe recens

vulnus,

vulnus, quod diſceſſu ſuo inflixerint Eccleſiis Evangelicis Thuringici: Talia vulnera cum ſanare, non lacerare, aut exacerbare cupiat, quantum in ſe ſit, multo minus ſe nova illaturum, aut iis inferendis cauſam præbiturum eſſe. Quid, *inquit*, profecero, ſi quid compoſuero? an plus, quàm eâ formulâ, quæ teſtimonium Confeſſionis noſtræ eſſe debuit? quam propter ſolam Oſiandri mentionem Vuirtenbergici repudiarunt. An exiſtimas, æquiori judicio & animo accepturos, ſi quid ab ipſorum operibus diſſonum ac diſcrepans ſcripſero? *Ita nihil tum effectum eſt.*

Ubiquiſticæ doctrinæ ſumma, & de ea Philippi judicium

Intercedebat biennium & paulò amplius, inter Melanthonis ex Vuormatia reditum, & mortem ejus. Hoc biennio adverſa multa pertulit, Brentiano figmento indies vires acquirente, cui, etſi occultè adhuc ſerpebat, tamen Melanthon facere ſe aliter non poſſe *aiebat*, quin, ſi vita ſuppeteret, & ipſe ita pergeret, acerrimè, quantumvis invitus, ſeſe opponeret: eo quòd Evangelicæ veritati, & toti puriori antiquitati contrarium penitus, deſtrueret fundamentum ſalutis unicum, doctrinam nimirum de Vnione Hypoſtatica duarum Naturarum in Chriſto; & totam alteram partem Symboli Apoſtolici de Veritate Naturæ Chriſti Humanæ, & Officio Mediatoris: denique de omnibus Beneficiis Chriſti, quæ ut verus Deus & Homo in una Perſona & confecit & præſtitit, ſecundùm utramque Naturam in Opere Redemptionis, & præſtat adhuc quotidie regnans ad Dexteram Patris, *&c.*

Philippi teſtimonium contra Ubiquitatẽ.

Sed & quantis alioquin arderent diſſidiis Eccleſiæ Germanicæ, conſiderabat Melanthon, *& cum veteri amico ac ſene* Brentio, *ipſe ſenior digladiari, cum Eccleſiæ diſcrimine grave ducebat. Periculo tamen rei motus, teſtimonium ſententiæ ſuæ reliquit poſteritati, quod exſtat in calce Libri oppoſiti impiæ Inquiſitioni Bavaricæ contra Communicationem Idiomatum phyſicam, quam dixit eſſe ipſarum Naturarum confuſionem. Cum enim de Eutychianis & Suenkfeldianis deliriis his, quæ* à Brentio *diſſeminabantur ab Orthodoxis ex multis locis ad* Melanchtonem *ſcriberetur, inprimis verò Baro*, Iohannes a Laſco *Polonus, literis ac coram ipſi* Melanchtoni *ex colloquio (quod cum Brentio habuiſſet coram illuſtriſſimo Principe Vuirtembergico* Chriſtophoro) *affirmaſſet palàm ac disertè illum dixiſſe*; Chriſtum non Naturâ verum hominem fuiſſe, ſed φαντασίᾳ tamen talem apparuiſſe, Melanchton *anno ante mortem proximo reſponſionem ad hos Bavaricos articulos claudens refutatione errorum* Serveti & Anabaptiſtarum, *poſt Eutychiana refutata, de recentibus Suenckfeldianis, vel renovatis potiùs, annectit commonefactionem his verbis*: Suprà recitavi dictum Petri, qui ait, Chriſtum paſſum carne, & addidi alia quædam veterum dicta, quæ ſint in conſpectu, & opponantur Suenkfeldii, & aliorum clamoribus qui audacter ſpargunt ſimilia Eutychianis, & delent Doctrinam de Communicatione Idiomatum. In his quorundam tanta eſt petulantia, ut fingant duplicem Communicationem Idiomatum, aliam Dialecticam, aliam Phyſicam, quæ eſt Confuſio Naturarum.

Expoſtulatio Baronis ab Ungnad cũ Philippo propter Ubiquitatem.

Offenſus autem hac Melanthonis παῤῥησίᾳ, *indeque ingenti conceptâ indignatione, furere in* Melanthonem *cœpit* Brentius, *& primo incitavit Generoſum Dominum* ab Vngnad, *Baronem Stirium, ut per literas anno* 1559. *menſe Decembri cum eo acerbè & acriter expoſtularet de Brentio, injuſtè, ut ipſe aiebat, perſtricto.* Hac *injuſtâ & acerbâ expoſtulatione commotus* Philippus, *& converſus ad* Peucerum; *qui forte aliis de cauſis intervenerat, præſente illo, qui literas attulerat*, Vide, *inquit*, quid audeat & conetur Brentius per D. Vnguadium. *Reſpondit Peucerus*, mirari ſe, quod D. Vngnadius in Diſputatione de re maxima, & ipſi incognita, talia audeat. *Has voces, quum Miniſter ad Dominum ſuum pertuliſſet, irritatus* Vngnadius *ſcribit atroces literas geminas. unas ad Electorem Saxoniæ* Auguſtum, *alteras, ad* Melanchthonem, *& in utriſque* Peucerum *tanquam incitatorem vehementer accuſat. Sed ad priores literas ita reſpondit* Melanthon, *ut non obſcurè oſtenderet, ſe, ſi perrexerit ſua Brentius tueri, totis ei viribus adverſaturum.*

Ad literas expoſtulatorias Ducis Vuirtenbergẽſis de Ubiquitate Philippi reſponſio.

Quin & Princeps ipſe Vuirtenbergicus ad Philippum duriter admodum ſcripſit: Cui quid reſponderit, ex his ejus verbis in epiſtola ad Hardenbergium, *anno 60. die 12. Ian. ſcripta apparet.* Ad veteris, *inquit* & purioris Eccleſiæ teſtimonia provocavi in literis ſcriptis ad Ducem Vuirtenbergicum, qui me atrociter accuſat, quod Naturas in Chriſto dirimam. Petivi non ſolum, ut me priùs audiat, quàm condemnet: ſed ut ſimul veterem & puriorem Eccleſiam audiat, *&c.*

Eodem tempore Princeps Vuirtenbergicus quædam Theologorum ſuorum Scripta in Aulas multorum Principum miſit, ut ſuffragia colligerentur. De quo Philippus *ad* Hardenbergium, *eo ipſo quo mortuus eſt anno 60. Februarÿ 9. ita ſcripſit*: Dux Vuirtenbergenſis miſit formulam περὶ μυστηρίων ad noſtrum Principem, in qua retinet & pingit τὸ πανταχοῦ: petivit ut exhiberetur in Academiis, ſed nondum eſt exhibita. *Et rurſus eodem Febr. die* 28. Nuper, *inquit*,

Dux Vuitenbergenſis ad Electorem Saxonicum miſit decretum, in quo defenditur τὸ πανταχοῦ εἶναι σῶμα. Ei ſubſcripſerunt multi Abbates: Hi nunc ſunt Dogmatum Architecti..

Aula Saxonica Philippo ob rejectã Ubiquitatẽ infenſior.

His autem Conſiliis & Scriptionibus Vuirtenbergicis Aula quoque Saxonica incitata, durior & iniquior Melanthoni eſſe cœpit. Quod non multis ante mortem ſeptimanis ardentes ei lachrymas expreſſit, deploranti non tantùm voluntatum humanarum inſtabilitatem, ſed etiam Eccleſiæ calamitatem, quòd videret de controverſiis tanti momenti, non ex veris cauſarum fundamentis, ſed ex conſuetudine quadam anteceptarum opinionum judicari, & in Aulis præſidia quæri ad defenſionem violentam falſorum dogmatum.

Quid reſponderit Saxoniæ Electori Philipp' de Ubiquitate.

Electori verò quid reſponderit Philippus ex Epiſtola ejus ad Cracovium, eodem anno ſcriptâ, intelligi poteſt. Illuſtriſſimo, *inquit*, Principi reſpondi breviter. Ac ne quid novi moliri videar, affirmo, me prorſus retinere formam verborum ante multos annos editam in Examine Ordinandorum, quod in multis gentibus legitur: Papiſticos verò & Methonæos, & Abbatum Vuirtenbergicorum, & Vueſtphali, Sarcerii, ac ſimilium articulos in hac cauſa manifeſtè pugnare cum veteri puriore Eccleſia: méque offero ad declarationem & de hac cauſa, & de aliis propter quas crudeliter laceror à multis hoſtilibus exercitibus.

Philipp' veritatẽ ingenuè confeſſus eſt.

Hinc liquidiſſimè conſtare puto, Melanthonem apertè, clarè & perſpicuè ſuam ſententiam de Vbiquitate, aliiſque portentoſis dogmatibus & inuſitatis phraſibus de Vnione Hypoſtatica duarum Naturarum in Chriſto, Communicatione Idiomatum & ſimilibus, declaraſſe non ſolùm Duci Vuirtembergico & ſuo Principi & Electori Saxoniæ literis & reſponſionibus aliquot ab eo flagitatis, ſed etiam toti mundo in Reſponſione ad Inquiſitionis Bavaricæ impios Articulos; ideòque ipſum ab Adverſariis ſuis puſillanimitatis immeritò accuſari, quaſi ipſe veritatem apud Principem ſuum profiteri non auſus fuerit.

Poſt mortem Philippi Brẽtius cum ſua Ubiquitate in lucem prorũpit.

Poſt mortem autem Philippi Melanthonis Iohannes Brentius *audentior factus, cum hac ſua Doctrina de Vbiquitate Corporis Chriſti in lucem prorupit. Nam ne Pontificiis largiri cogatur, Sacerdotis & verborum vi atque efficaciâ, Corpus aut cœlo deduci in panem, aut in pane creari novum; vel cum Orthodoxis Tropum verbis Chriſti ineſſe neceſſe haberet fateri; Vbiquitatem Corporis Chriſti ſopitam, ab inferis revocavit, & de ea publicè diſputare cœpit, eámque novis argumentis fulcire, & novis acceſſionibus augere. Nam primus omnium finxit, Chriſtum inde ab exortu uſque*

Brentii ſententia de Ubiquitate.

Humanæ Naturæ in utero Virginis Mariæ, tam Corpore, quam Deitate extitiſſe ubique, ex Oeconomia ſeu Diſpenſatione Vnionis Hypoſtaticæ: ideoque, ſicut in aliis rebus creatis, ſic & in pane, Corpore præſentem eſſe, non ante conſecrationem tantùm, ſed etiam ante formationem panis, & coctionem in farina ipſa. Differre autem præſentiam in pane ab alia quavis, quòd in pane ſolo ſit diſpenſatione. Duplicem autem diſpenſationem conſtituit: Vnam, quâ Corpus Chriſti eſt in omni ligno, lapide, herba, &c. Alteram, quâ eſt in pane Cœnæ. Illam mutuatus eſt ab Eutyche & Suenkfeldio, fabulatúſque eſt, tum in ipſo Conceptionis articulo, ratione Vnionis Hypoſtaticæ, per Communicationem Idiomatum omnium eſſentialium realem Divinæ Naturæ cum Humana, ſeu effuſionem ex illa in hanc, Humanam Naturam reipſa effectam eſſe infinitam, immenſam, omnipotentem, ubique præſentem & omniſciam: tum Exaltatione deinceps ac Seſſione ad Dexteram Patris Divinæ per omnia eſſe exæquatam actu atque effectu, quod erat antea ſolâ potentiâ. Cùm autem hinc conſequatur irrefragabiliter, Humanam Naturam effuſione tali converti & abſorberi in Divinam, penitúſque extingui, & in Sacroſanctam Trinitatem quartam Perſonam introduci, Eutychianum tamen & Suenkfeldianum hoc eſſe pertinaciſſimè negavit. Alteram verò, quam in ſacro pane conſtituit diſpenſationem, non ſatis explicavit: nimirum, quomodo Corpus κατὰ πανταχουσίαν ſeu Omnipræſentiam, jam ante in pane præſens, communicetur ſumenti. Si per diſpenſationem Ordinem Inſtitutionis intellexit, redarguitur in figmento ſuo apertè de illo conſenſu Scripturæ. Si diſtributionem; quæ fiet diſtributio ejus, cùm quod ante ineſt homini, tum quod dividi ac diſtribui non poteſt, quia infinitum & immenſum eſt? Si applicationem; quid confert ad hanc oralis manducatio, & quomodo illud infinitum & immenſum ore capietur? Quomodo fides fieri id, aut eſſe credat, ſine verbo? Aut, quomodo percipiet, & amplectetur id, quod Scriptura eſſe & fieri pernegat? Vt ſummatim dicam, Quis erit coalitus corporum noſtrorum cum illo, non dicam, umbratili & inani (nam ne tale quidem eſt) ſed imaginario ſpectro, quod nullum & nihil eſt penitus?

In hoc verò dogmate Brentius non ſolùm ab Orthodoxæ Antiquitatis, ſed etiam à ſua ipſius doctrina palam defecit. Si enim Syngramma *Suevicum, cujus ipſe Author fuit, Si* Exegeſin *illius in Iohannem inſpexeris, nihil omninò de Vbiquitate, nihil prorſus de Effuſione omnium eſſentialium Proprietatum Deitatis in Humanitatem; nihil de cæteris portentoſis ſententiis & opinionibus, quas poſtea excogitavit & in ſcenam produxit, reperies.*

Brentius ab Orthodoxæ Eccleſiæ & ſua ipſius doctrina deficit.

Hæc

Hæc autem docuit Brentius, *primò, in Libro* de Perſonali Vnione duarum Naturarum in Chriſto, Aſcenſu Chriſti in Cœlum, & Seſſione ejus ad Dexteram Patris anno 1561. edito. *Deinde in Reſponſione ad Libellum* Bullingeri, *cujus titulus eſt*, Tractatio Verborum Domini, In domo Patris mei, &c. *eodem anno in lucem emiſſa. Tertiò in Libro de* Majeſtate Domini noſtri Ieſu Chriſti contra P. Martyrem *&* Bullingerum, *anno* 1562. *in lucem edito. Quarto in* Recognitione Propheticæ & Apoſtolicæ doctrinæ de vera Majeſtate Domini noſtri Ieſu, *contra Librum* Bullingeri, *quam anno* 1564. *typis vulgavit.*

Schmidlinus Vbiquitatē novo argumento confirmavit & auxit.

Majore autem, quàm Brentius, *ſtudio, contentione, molitione, emolumento etiam* Iacobus Schmidlinus *Vbiquitatem & fovit & auxit. Novo etiam argumento illam confirmavit, ſeu potius novo pigmento illam fucavit. Nam ad Brentianam illam omnium eſſentialium Deitatis λόγου proprietatum in humanam naturam aſſumptam* Effuſionem, *addidit ipſe,* Majeſtaticum Corpus Chriſti, *hoc eſt, tertium quoddam corporis genus, quod neque naturale ſit, neque glorioſum, ſed ubique diffuſum, & ubique cum ipſa Deitate λόγου realiter præſens, adeóque divinum planè, ratione Vnionis Hypoſtaticæ, & Seſsionis ad Dexteram Dei.*

Hæc docuit Schmidlinus in Theſibus Tubingenſibus, *anno* 64. *In* Apologia contra Theſes Ingolſtadianas, *anno eodem. In* Aſſertione contra Theodorum Bezam, *anno* 65. *In* Expoſitione Controverſiæ de duabus naturis, *anno eodem. In* Colloquio Mulbrunnenſi *& alibi.*

Andreas Muſculus defendit Schmidlini dogma nova Aſcenſionis Chriſti interpretatione.

Quum verò Corpus hoc Majeſtaticum, quod Iacobus Schmidlinus *confinxit, eoque* Brentii *commentum auxit, ut diximus, quodq́; poſtea à multis defenſum fuit, ad dogma de Vbiquitate ſeu Omnipræſentia Corporis Chriſti ſtabiliendum, abſurdiſſimum ſit, multorum Lutheranorum quoque judicio, & Eutychianum, & Monophyſicum, refuteturq́; apertiſſime ex illo Symboli Apoſtolici articulo, ubi Chriſtus dicitur Aſcendiſſe in cœlos: Ideirco Schmidlino ſuccenturiatus eſt in gravi iſto periculo* Andræas Muſculus *Francofurtenſis Scholæ ad Oderam Profeſſor, qui Aſcenſionem Chriſti in Cœlos docuit eſſe Diſparentiam, & Evaneſcentiam duntaxat Carnis Chriſti in his nubibus, ubi adhuc ſit & verſetur, ſed non viſibili modo, forma, & eo converſationis genere, quo ante Aſcenſionem & mortem converſatus eſt cum ſuis Apoſtolis, ut eſt videre Sectione 3. Articulorum Marchiticorum, Articulo 6. & 7.*

Marbachii dogma de Aſcenſione Chriſti.

Iohannes Marbachius *etiam in Libro* de Cœna Domini *pagina* 150. *& ſequentibus, & in Concionibus tribus de* Aſcenſione *habitis docet*, Chriſtum non quadrageſimâ demum die a Reſurrectione in cœlum aſcendiſſe, & ad Dexteram Patris conſediſſe, ſed id longè ante iſtam Aſcenſionem factum eſſe, *idque duobus modis: Primùm in Conceptione & cùm in utero materno Humana Natura Divinæ unita eſt: ſecundò, quum formam Servi depoſuit in cruce, efflatâ animâ & emiſſo Spiritu. Tertiam verò & viſibilem Aſcenſionem tantùm Diſpenſationem fuiſſe, de qua Muſculus.*

Kemnitius in Effuſionis Schmidlianæ locum περιχώρησιν ſubſtituit.

Martinus Kemnitius *autem, quum illam Brentianam & Schmidlianam effuſionem omnium Proprietatum Eſſentialium Divinæ Naturæ in Humanam, plane blaſphemam eſſe animadverteret, candidè & ſine circuitione eam, velut hæreticam damnavit. Ipſe verò illius Effuſionis loco realem Communicationem eſſentialium Deitatis λόγου Proprietatum in Humanam Naturam aſſumptam, ſubſtituit; adeo ut unâ, eademq́; via, qua eſſentialis λόγου eſt, & Deitas, & Caro Chriſti ſit vivifica, eâdem potentiâ potens. Et hanc Communicationem ipſe περιχώρησιν ſeu* Immeationem *dici poſſe exiſtimavit: ut eſt videre in Libro ejus de* Duabus Naturis, Hypoſtaticâ earum Vnione, & Communicatione Idiomatum *pag.* 56. *&* 58.

Vult igitur Kemnitius, *ipſam plenitudinem Deitatis λόγου, illiuſque eſſentialia Idiomata in carnem & maſſam Humanæ Naturæ ab ea aſſumptæ, realiter eſſe communicata: ideoq́; eandem Chriſti Carnem in ἐνεργήσει & ἐνεργείᾳ ſeu efficacitate & operatione, etiam propriarum ipſius Divinæ Naturæ virtutum ac operationum eandem cum Divina Natura virtutem & potentiam reipſa participare, denique illi συνεργὸν eſſe, velut perpetuum & inſeparabile, etiam in iis ipſis actionibus divinis efficiendis, illius inſtrumentum. Quæ ſententia revera nihil aliud vult, quàm* Brentii *&* Schmidlini *voluit (quam tamen* Kemnitius *manifeſtè, & meritò quidem, tanquam Eutychianam in* Schmidlino *damnavit) reipſa nimirum effundi in Naturam aſſumptam omnes Deitatis proprietates. Sed vocabulum* Effundendi, *tanquam nimis craſſum & jam omnibus invidioſum, ab omnibuſq́; exploſum, vitat* Kemnitius: *voces autem* Realis Communicationis *& περιχωρήσεως aſtute ſubſtituit, quâ illam à ſeipſo jam damnatam* Schmidlini *hæreſin interpolat; ut, licet verborum ſono inter ſe diſcrepare videantur, in re tamen ipſa & doctrinæ ſumma planè conſentiant: Vterque enim Humanitatem Chriſti in immenſum extendit, Gratiam Habitualem cum Gratia Vnionis confundit, & omnia divinæ λόγου Naturæ propria & eſſentialia Idiomata realiter aſſumptæ Naturæ communicat, atque ita Humanam Naturam Deum facit. Vnde etiam poſtea in* Libro Concordiæ *pulchrè iſtis*

duobus convenit, & uterque idem in hoc capite ſe ſentire publicè teſtatus eſt. Quia tamen imperitioribus ſententia Kemnitii alia, & quidem plauſibilior viſa eſt, & in ſpeciem apertiori Patrum authoritate niti, ideò eam hodie exploſa Schmidlini & Brentii, certatim omnes Vbiquitarij amplectuntur, ut meritò inde jam Kemnitiani dici poſſent.

Kemnitii ſententia ut etiam Brētii & Schmidlini ſeq.

Eo tendit autem Kemnitii ſententia, ſicut etiam Brentii, Schmidlini & gregalium, ut probet Carnem Chriſti adeſſe reali & eſſentiali præſentiæ modo In, Sub, Cum, ſignis ſacræ Cœnæ, quoniam περιχωρήσει, id eſt, Immanentiâ & Immeatione inter ſe realiter communicet Deitas Λόγου Humanæ Naturæ aſſumptæ omnia eſſentialia ſua Idiomata & operationes. Illud ſolum intereſt, quòd Kemnitius ait contra Brentium & Schmidlinum, Chriſti Carnem illo modo realis præſentiæ præſentem eſſe, non quidem ubique, juxta Brentii ſententiam, ſed ubicunque & quandocunque velit Chriſtus, quam quidam Multivolipræſentiam vocant.

Elector Saxoniæ requirit judicium Academiæ Vuitebergēſis de Brentii libro de Vnione perſonali &c. Reſpōdet Academia Vuitebergenſis.

Quum hæc ab iſtis ad hunc modum ſcriberentur & in lucem ederentur, Auguſtus Elector Saxoniæ Brentij Librum de Vnione Perſonali duarum Naturarum in Chriſto, de Aſcenſione ejus in Cœlos & Seſſione ad Dexteram Patris, Academiæ Vuitebergenſis Theologis anno 1561. miſit, nec ſolùm de illo judicium eorum, ſed alia quoque ab iis petiit. Quæ autem & qualia illa fuerint, ex Reſponſione eorum haud obſcurè intelligi poteſt. Reſponderunt enim Principi ac primo, Certamina cum Sacramentariis diſſuadent. Deinde fatentur, Lutherum in polemicis ſuis ſcriptis Scholaſticorum veterum Doctrinam ſequutum, & proinde non in omnibus probanda. Tertiò docent, unum tantum genus Communicationis Idiomatum eſſe, in quo utriuſque Naturæ proprietates Perſonæ Chriſti tribuantur. At ingenue fatentur, falſum & contra Dei Verbum eſſe, ſi quis Humanam Naturam in Chriſto omnipotentem eſſe doceat, rogantq; Electorem, ne ad certamen cum Sacramentariis eos cogat. Et hæc fuit non lubrica, ſed ingenua & candida ſententiæ ſuæ ad Magiſtratum ſuum confeſſio.

CAPVT II.

De Certaminibus ob Dogma Vbiquitatis inter Flaccio-Brentianos & Orthodoxos exortis.

Vuitebergenſes Theologi à Flaccio-Brentianis apud Electorē Sax. accuſati, ſe & ſuam doctrinā defendūt

Paulò pòſt igitur accuſantur non ſolum Vuitebergenſes, ſed etiam Lipſenſes Theologi apud Auguſtum Electorem à Brentianis & Flaccianis, quod de Perſona Chriſti, Cœna Domini, aliisq; articulis non rectè ſentirent, hoc eſt, portentoſum Vbiquitatis dogma non approbarent. Dreſdam igitur in Miſniam vocantur, Ibi Paulus Eberus, Vuitebergenſis Eccleſiæ Paſtor, ſuo & Collegarum nomine ſcriptum obtulit Electori 28. Decembris anni 1651. In eo & Summa Doctrinæ Melanthonis repetitur, & remotis calumniis, quæ multos à cognitione hujus cauſæ abſterrent, quid in controverſia propriè hæreat, luculenter exponitur. Quæ etiam poſtea doctrina fuit, quod ad ſummam ſententiæ attinet, eorum, qui magiſtro duce atque interprete Melanthone viam veritatis ingreſſi, eandem Confeſſionem fide & bonâ conſcientiâ coram Deo & Eccleſia docuerunt, & intra probra convitiorum, & perſecutiones falſorum fratrum vivâ voce & ſcriptis profeſſi ſunt, & ad poſteritatem, cujus aliquando judicium, quàm præſentis ſeculi, melius de hac controverſia erit, pro more vocationis ſuæ propagare ſtuduerunt: quam etiam, in poſteritatis gratiam, alteri parti noſtræ Hiſtoriæ Sacramentariæ totam inſeruimus, ſub medium Anni 1561. ubi Vuiteberg. &c. Confeſſio.

Selneccerus quoque orthodoxis reſtitit.

Fatetur etiam Selneccerus in ſuis Recitationibus pag. 18. ſe & Iohannem Nævium Archiatrum in Aula Electoris Auguſti, ſubinde reſtitiſſe in Aula Electorali ſeminibus Sacramentariarum opinionum. Illæ autem Sacramentariæ opiniones nihil fuerunt, nec ſpectarunt aliud, quod eventus docuit, niſi ut homines ab Vbiquitatis portento, & à reliquiis ἀρτολατρείας Pontificiæ avocarentur. Hoc illud ſcelus eſt, tantâ verborum atrocitate in Aulis Principum à Theologis Flaccio-Brentianis exaggeratum, atque adeo invidioſè, ut periculoſa publici ſtatûs converſio ſubinde inculcaretur, haud aliter, quam ſi de ſumma Republica actum eſſet, niſi Corpus Filij Dei etiam in Cantharis cereviſiarijs præſens ſtatueretur, & impuriſſimo flagitioſorum hominum ore manducari crederetur. His prodigioſis erroribus qui vel palam, vel clam obviam ierunt, Theologi ſanguinolenti ſummis viribus reſtiterunt apud Principes, & ut pœnas de ijs ſumerent hortati ſunt: quos tamen poſteritas, ſi qua futura eſt pia & erudita, non pœnis, ſed præmijs dignos fuiſſe judicabit.

Vuitebergenſes Theologi rurſus Electori Sax. judicium ſuum de quibuſdā Brentii & Schmidlini libellis mittunt.

Anno 1564. Elector Saxoniæ Auguſtus rurſus miſit Illuſtriſſimi Principis Chriſtophori Vuirtebergenſis rogatu, libellos aliquos nuper editos Brentii & Schmidlini ad Collegium Theologicum Vuitebergenſe, ejuſque cenſuram vel judicium de iis ſe tranſmitti petiit. Parent illi Principi, & prolixo elaboratoque ſcripto reſpondent menſe Aprili anni illius, Primò, ſe idem cum Brentio de Cœna Dominica atque Præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti docere. Simul tamen judicare ſeſe, diſputationes & concertationes Theologicas certis cancellis ac

terminis

terminis contineri debere. Et quantum quidem ad certamen de Cœna Dominica attineat, rectiùs facere eos, qui verbis Inſtitutionis ſimpliciter credant & inſiſtant, quàm qui laborioſas, ſubtiles, prolixas & periculoſas Diſputationes inſtituant de omnibus & contra omnia, quæ adverſarii obiiciant: Præſentiam quoque Corporis & Sanguinis Chriſti ab initio non ex Vnione utriuſque Naturæ, vel ex Præſentia Humanitatis Chriſti in omnibus creaturis in cœlo & terra, vel ex ejus Aſcenſione & Seſſione ad Dexteram Patris, ſed ex verbis & promiſſione Chriſti comprobatam & declaratam fuiſſe: Et huic fundamento adhuc firmiter innitendum eſſe.

Porrò, quantum diſputationes ipſas de dictis articulis attinet, teſtantur & confitentur, multas inuſitatas, novas, peregrinas & periculoſas phraſes, ſeu locutiones à Brentio & Schmidlino uſurpari & pertinaciſſimè defendi, utque recipiantur & in Eccleſias ac Scholas Saxonicas introducantur, ſe nec velle nec debere ſuadere, quum nec in Verbo Dei & Scriptis Prophetarum & Apoſtolorum, nec in præcipuorum & vetuſtiſſimorum Patrum ſcriptis inveniantur, neque etiam à ſuis Anteceſſoribus uſurpatæ unquam fuerint. Quòd autem ad probandas & confirmandas ejuſmodi periculoſas phraſes ex Lutheri polemicis ſcriptis à Brentio & Schmidlino teſtimonia citentur, ſe quidem negare non poſſe ea Lutheri eſſe, ſimul tamen monendum, hæc teſtimonia non tam Lutheri, quàm recentiorum Scholaſticorum Theologorum eſſe, ex quibus Lutherus in fervore certaminis ea mutuatus ſit: Poſtea verò & quidem paulò ante obitum ſuum, Lutherum in expoſitione poſtremorum verborum Davidis, aliiſque didacticis Libris, longè aliter loquutum eſſe & ſcripſiſſe, nempe, juxta Primitivæ & Orthodoxæ Eccleſiæ Patrum ſcripta.

His annectitur in dicta hac Collegii Theologici reſponſione, clara & perſpicua repetitio ejus Doctrinæ, quæ in Generalibus Conciliis Epheſino & Chalcedonenſi contra Neſtorium & Eutychem, de Vnione utriuſque Naturæ in una indiviſa Perſona Chriſti, & de forma vel modo diſtinguendi phraſes ſeu locutiones de Chriſto, ex ſacra Scriptura & S. Patribus confirmata & declarata eſt. Et ſimul diſertè affirmant, Brentium & Schmidlinum, ſuo quidem judicio, à Patribus eorumque ſententia longiùs receſſiſſe, nec Lutherum, ejuſque ſententiam verè aſſequutos eſſe, præſertim juxta declarationem, quæ in poſtremis ejus ſcriptis reperiatur. Quicquid enim dicatur in S. Scriptura veteribus Patribus de tota Perſona Chriſti, ejuſque exaltatione & Majeſtate in Concreto, id ipſum Brentium & Schmidlinum arbitrari, ſimiliter poſſe & debere etiam de unica Humana Natura; & quidem eo modo quo nuda Humana Natura ſignificatur & enunciatur, dici: quod tamen veteres nunquam admittere & approbare voluerint.

Verè quidem & rectè dici, Ieſum Chriſtum Dei & Mariæ Filium omnipotentem & æternum eſſe, & ubique præſentem, ac in omnibus Patri ſimilem. Imò ſe omnes hos pro maledictis habere, qui huic Chriſto, Deo & Homini, vel unicum horum nominum non attribuant, aut de unico ſaltem teſtimonio Prophetarum & Apoſtolorum de ejus Majeſtate dubitent: Sed quemadmodum in S. Scriptura, & probatis Patribus, has vel ſimiles phraſes non inveniant, Humanitas Chriſti ab æterno eſt, Humanitas Chriſti creatrix eſt omnium creaturarum: ita nec has ſe invenire, Humanitas vel Humana Natura in Chriſto eſt omnipotens, infinita & ubique præſens. Se igitur authores eſſe nolle ut hæ formulæ loquendi in Eccleſia recipiantur & approbentur. Si enim in uno contra Scripturam & Patres ex Communicatione Idiomatum ſic argumentari liceret; Quicquid de Perſona & rectè & verè dicitur, idipſum verè & rectè etiam dici poſſe de unica tantùm Natura, Seſe intelligere non poſſe, quomodo futuro tempore irrequietis Spiritibus ſolidè reſponderi, aut damnata phraſis Eutychis, Divina natura paſſa & mortua eſt, reiici poſſit.

Adhæc indicant, Brentium & Schmidlinum etiam in hoc, non cum Patribus loqui, aut ſaltem eorum ſententiam non ſatis aſſequutos eſſe, quòd Vnionem Perſonalem utriuſque Naturæ, & Communicationem Idiomatum, pro uno eodemque habeant; quum tamen ſint diverſiſſima. Nihil magis igitur ſe cupere & exoptare, quàm ut Brentius & Schmidlinus inter imperſcrutabilem Vnionem utriuſque Naturæ, & Communicationem Idiomatum diligentiùs diſtinguerent, Prophetarum quoque & Apoſtolorum prudentiam de hoc myſterio loquendi, majori ſtudio expenderent, retinerent ac imitarentur, adeóque totum hoc certamen moderarentur & inhiberent. Rogant denique Illuſtriſſimum ſuum Principem, & Electorem Saxoniæ, ut tranquillis & bene conſtitutis Scholis & Eccleſiis Saxonicis parcat, neque ullis inuſitatis phraſibus ac periculoſis diſputationibus eas turbari patiatur. Ex qua brevi & compendioſa narratione apertiſſimè liquet, jam tum Brentio adhuc vivente, Vuitebergenſem Academiam, novas has phraſes & diſputationes Brentii & Schmidlini nequaquam approbaſſe, & de his Electori ſyncerum, candidum, ſimplex & apertum Reſponſum exhibuiſſe.

Refutarunt etiam hoc dogma novum & prodigioſum Brentii & Schmidlini, Henricus Bullingerus in prima ſua Reſponſione ad Brentii libellum, quâ docet, ſententiam de Cœlo & Dextera Dei ex S. Scriptura & Patribus à ſe propoſi-

Tigurini Genevenſes & Heydelb. etiam Brentii Ubiquitatem refutant.

propoſitam, *adverſariâ Brenty ſententiâ non eſſe everſam*, *ſed firmam adhuc perſtare. Et iterum in ſecunda Reſponſione*, *cui titulus eſt*, Fundamentum firmum. *Tertio*, in Reſponſione & dilucidiore explicatione Conſenſus veteris Orthodoxæ Catholicæque Chriſti Eccleſiæ in Doctrina Prophetica & Apoſtolica, de inconfuſis Proprietatibus Naturarum Chriſti, in una indiviſa perſona permanentibus, adeóque de Veritate Carnis Chriſti ad Dexteram Patris, in Cœlo ſedentis, & non ubique præſentis. *Deinde facit idem* Petrus Martyr *in* Dialogo, *tacito tamen Brenty nomine*, *ut qui non cum homine*, *ſed cum cauſa diſſideret. Agit autem in illo Dialogo de utraque in Chriſto Naturâ*, *earumque in unam Perſonam inſeparabilem Conjunctione ſeu Vnione: quæ quum fiat ſalvis naturarum proprietatibus*, *oſtendit Humanam Chriſti Naturam propter Vnionem Perſonalem non eſſe ubique. Reſpondet etiam ad Brentÿ & aliorum argumenta*, *quæ in hac controverſia obiiciuntur: illuſtrat & Cœnæ Dominicæ negotium; ac Orthodoxam ſententiam perſpicuis Scripturæ & Patrum teſtimoniis confirmat. Tertiò*, *iſtud ipſum refutat* Beza *in Polemicis ſuis Scriptis contra Brentium. Quarto*, *Theologi Heydelbergenſes*; *Ingolſtadienſes quoque Ieſuitæ*, Sperlingus, Buſæus *&c.*

Refutatur Brẽtii Vbiquitas à multis quoq; Lutheranis.

Refutavit eundem errorem ex ipſis quoque Lutheranis, Weſtphalus, Heſshuſius, Morlinus, Major, Eberus, Wignandus *& alii*, *qui omnes Vbiquitatẽ Corporis Chriſti apertè improbarunt & damnarunt ab initio.* Ioachimus Morlinus certè Eccleſię Brunſvic. Paſtor poſt Mulbrunenſe Colloquium ad doctũ quendam virum, quid de hac Brentii & Schmidlini Vbiquitate; Item de Vocula Demonſtrativa Hoc, & Aſcenſione Chriſti in Cœlos ſentiat, hæc ſcripſit: Gottes Gnad in Chriſto Jeſu unſerem lieben Heiland/ ſambt freundlichen erbieten meiner dienſte zu vor an. Ehrwurdiger und wohlgelehrter beſonder Herr und freund/ Mier iſt anfänglich bey der neuwen Diſputation de Vbiquitate nicht wohl geweſen / habe mich immer beſorget/ wier wurden daruber in die ſchwere materias kommen de Idiomatum Communicatione, und zu lest in articulum Trinitatis, und darinnen ſtecken wier auch nun dieſ gnug/ das ein vohrnehmer Theologus im Oberland im offentlichen truck vorgiebt/ Aſſumptam eſſe Humanam Naturam Chriſti in Trinitatem, darũmb muſſe die ſelbige aut Natura Deus ſein/ oder doch potentia.

Was nun das geben wolle mit der zeit/ werden unſere nachkommen wohlerfahren/ und hab wohl ſorg/ die Vbiquitet werde noch der gleichen viel ander ungeſchicktes dings mehr geben.

Darumb ich von der ſelben Diſputation fleiſſig gerathen/ und noch rathe/ ſonderlich weil auch Lutherus ſelbſt betent/ es ſey viel ein ander ding umb die Vbiquitet, dann umb die Præſentiam Corporis Chriſti in Cœna, wie es gar viel ein ander ding iſt/ das Gott allent halben iſt/ und das er in den glaubigen allein iſt und wohnet.

So iſt auch war/ wie E. Ehrwürden ſchreiben/ das mann Præſentiam Corporis Chriſti in Cœna, viel beſſer (und gar allein) ex verbis Inſtitutionis erhalten kan/ dan ex Omnipræſentia vel Vbiquitate, und mit nichten der leib Chriſti darum im abendmahl iſt/ das er allent halben / wie Lutherus darvon auch gar ſchön gehandelt ꝛc. und worzu bedörffen wier auch der furwitzigen/ Diſputation, weil die Sacramentarii nun frey und ſelbſt bekennen/ was Chriſtus auch nach ſeiner menſchlichen natur beger und wolle/ das vermöge er durch ſeine Göttliche krafft aus zu richten/ in ihren Protocoll zu Heidelberg getruckt fol. 141. f. 181. & f. 193.

Das aber die VVittebergenſes fürgeben/ es gehöre zu der Maieſtet Chriſti, iſt meine antwort/ das zu der Maieſtät Chriſti das gehöret/ und noch ohne Zweiffel viel mehr/ das Er / alles könn und vermög / darũm könn und vermag er allenthalben / und vielleicht auch wohl weder hier noch dort ſein/ ob er wohl allezeit etwann iſt modo nobis incomprehenſibili, und folget darumb nicht / Chriſtus kan dieſes und ienes / Ergo, ſo thuet er dieſes und ienes/ wie Gott alles kan und dãnoch nimmermehr folget/ das Er alles thue/ weil ſein vermögen ſeinen willen unterworffen iſt / juxta illud: Omnia quæcunque voluit, fecit. Summa ich kan nicht ſehen wor zu uns die neundte Diſputation de Vbiquitate nutz ſey/ fühle aber und greiffe das gar wol/ was ſie uns ſchädlich iſt / und vielleicht hinfurder noch mehr werden kan/ dan wier itzund gedencken.

De Vocula Demonſtrativa Hoc.

Zum andern was da belanget Voculam Demonſtrativam in Verbis Cœnæ. (Hoc) als ſolte das wortlein beyde auf leib und blut zu deuten ſeyn / iſt ſolches offentlich wieder Lutherum der Zwolffmahl (wo ichs recht behalten) ſagt/ es deutet nicht auff den leib/ ſandern auff das brodt / de Prædicatione Identica in ſeiner groſen Confeſſion, und helffe nicht daß Doctor Iacobus Andræas vorgiebt es ſey wieder die gemeine arth zu reden / dann mann ſpreche nicht: das faß iſt wein ꝛc. Dar gegen ſag ich/ das es recht und gebrauchlich geredt / wann ich auf ein faß

wein

wein deute/und Sprechẽ: das faß iſt der wein/ den euch meine Herrn verehren ꝛc. So iſt wahr / wie E. E. ſchreiben / es leidet ſich nicht das mann ſage oder glaube / das beyde brodt und der leib Chriſti, der leib Chriſti ſey. Iſt der halben ſolch fürgeben/ auch gar eine unsgeſchickete neverung.

De Aſcenſione Chriſti.

De Aſcēſione Chriſti ad Dextrā: Quomodo aſcenderit, nū in pũcto Conceptionis, ut D. Iacob ſcribit, num in Reſurrectione.

Zum dritten die auffarth Chriſti gegen himmel belangendt / bleibe ich bey den lieben kinderglauben nicht Vocabulis, ſed re. Dann obes wohl wahr iſt/das der menſch Chriſtus alſobald Göttliche krafft empfangen in ipſa Vnitione, wie die Heiligen Vätter Cyrillus, Leo, und andere bekennen ſambt Luthero, ſo hat es aber doch Exinanitionem in forma ſervi verdeckt / ſo weit nun forma ſervi unterſcheiden à glorificatione vel exaltatione Chriſti (wie ers ſelbſt heiſſet) ſo ferne iſt die himmelfahrt unterſcheiden von ſeiner heiligen menſch werdung.

Ach lieber Gott / wier werden eins immer nach dem andern Zerreiſen / bis wier den lieben Heiligen Catechiſmum verlieren / die leuthe gans und gar werden irre machen/das ſie nicht werden wiſſen /wann Chriſtus empfangen / gebohren / gelitten /erſtanden /oder gen himmel gefahren ꝛc. Wan es alſo narrens gülte wolt ich doch wohl ſagen, Chriſtus were bereit zum gericht Kommen / hett auch ſchon gericht gehalten / weil das wort ſchon geprediget iſt / das alle welt richten wird.

Der Allmächtige fromme Gott helffe ſeiner armen betrubten kirchen / die hat der freuden nicht viel / auch bey ihren vertrauten freunden.

Dieſes iſt freundlicher lieber Herr Magiſter, mein bedencken auf E.E. furgeſchlagene fragen. Der fromme Gott gebe uns ſeine Gnade ut ſapiamus ad ſobrietatem, & ut ſimus unum, nicht wie der leidige teuffel mit ſeiner verdambten welt / ſed in Ieſu Chriſto Salvatore noſtro, cui te commendo. Ex Brunſviga 2. Aprilis anno 1566.

IOACHIMVS MORLIN D.

Vuitebergenſes Theologi ſe Ubiquitati opponũt Propoſitionibus aliquot in lucem editis.

In primis verò Vuitebergenſes Theologi ſeſe huic novo & impio dogmati ſtrenuè oppoſuerunt, præſertim quum illud Saxonicæ juventuti nonnulli inſtillare inciperent. Nam anno 1570. Propoſitiones de præcipuis horum temporum Controverſiis, *in lucem ediderunt, inter quas 30. ſic ferè habet*: Ingenti dolore comperimus, quod à plurimis hiſce temporibus veteres errores paulatim renovantur, & à conſenſu Doctrinæ Eccleſiæ veteris recedunt, qui Perſonalem Vnionem ſic deſcribunt; quòd ſit Effuſio omnis Divinæ Virtutis & Operationis in Humanitatem, quâ Divinitas ſuas proprietates Humanæ Naturæ realiter communicârit: Vel, qui Humanæ Naturæ id tribuunt, quod toti Perſonæ competit, ideóque dicunt, Divinam Naturam Humanæ realiter communicaſſe Perſonam, majeſtatem & operationem: Vel, qui novis verbis & phraſibus multas partitiones & diſtinctiones Divinarum proprietatum confingunt: Vel, qui excellentia dona, quæ clarificatæ Humanæ Naturæ Chriſti data ſunt, cum proprietatibus Divinæ Eſſentiæ confundunt. His omnibus optaremus ex animo, ut conſenſum Orthodoxorum & probatorum Patrum diligentiùs expenderent, nec quotidie novas phraſes ac formas loquendi comminiſcerentur, ex quibus omnis generis errores, contentiones & ſchiſmata oriuntur.

Schmidlinꝰ Ihenenſes & Vuinmarienſes Theologi ſcribunt contra Propoſitiones Vuiteb.

De his Propoſitionibus Iacobus Schmidlinus *ad amicos ſuos hinc inde ſcripſit, Se magnum inde dolorem concepiſſe, quod illæ Propoſitiones longè aliter de Vnione Perſonali & Communicatione Idiomatum loquantur, quàm ipſe & gregales ſui. Ac licet nullo firmo argumento affirmativam in his Propoſitionibus oppugnare poſſet, ut quæ cum Symbolis & Synodis Orthodoxis congrueret, negativam tamen ſibi adverſari apertè faſſus eſt, & niſi emendaretur, ſeſe illam pro Alcoranica & Mahometana habiturum, totamq́; Saxoniam & Sueviam contra Vuitebergenſem Scholam ſcripturam.* Vuilhelmus Bidenbachius *quoque, Studgardianæ Eccleſiæ Miniſter, valdè aculeatum ſcriptum contra has Propoſitiones edidit, & unà cum* Ihenenſibus *ac Vuinmarienſibus Theologis Flaccianis novum ſchiſma excitare conatus eſt.*

Brunſvicenſ. Dux per Selneccerũ accuſat Theologos Vuiteb.

Miſit etiam Illuſtriſſimus Princeps Iulius *Brunſvicenſis Nicolaum Selneccerum ad Electorem Saxoniæ & Collegium Theologicum Vuitebergenſe, cum acri Inſtructione; in qua Vuitebergenſes Theologi accuſantur, quòd in his Propoſitionibus nova certamina excitent, Chriſti Perſonam dividant, Humanitati ejus Seſſionem ad Dexteram auſſerant, gloriam item aſſumptæ Humanitatis Chriſti extenuent. Sed Vuitebergenſes de his calumniis ita ſeſe purgarunt cùm apud Electorem, tum apud Brunſvicenſem, ut abundè ipſis tum quidem ſatisfactum fuerit.*

Crellius Propoſitiones Vuiteb. ab initio probavit poſtea oppugnavit.

Crellius *autem hoc quidem tempore has Propoſitiones cum aliis Vuitebergenſibus Theologis propugnavit & defendit, ut etiam in Herzbergenſi Colloquio Schmidlinus teſtatur pag.* 110. *poſtea verò in gratiam Principis, & Vbiquiſtarum rurſus illas oppugnavit, & doctrinam illarum damnavit, ut non immeritò à Schmidlino*

ibidem

ibidem pag. 111. *vocetur* ein verzweyffleter/ böſer/ verlogner Geiſt.

Vuiteb. Theologi in lucem edunt Latinū Catechiſmum.

In lucem quoque ediderunt anno 1571. *Vuitebergenſes Latinum* Catechiſmum, *non ut Lutheri Catechiſmum juventuti è manibus eriperent, ſed ut adultiores majores progreſſus in Religione Chriſtiana facere poſſent. Nam paulò fuſiùs in eo tractarunt ſingula fidei Chriſtianæ capita, quæ in Lutheri Catechiſmo breviſſimè ſunt perſtricta; non quidem ex ſuo cerebro, ſed* ex Corpore Doctrinę Saxonico, *quod non tantùm Luthero, ſed hoc ipſo adhuc tempore à pleriſque Germanicarum Eccleſiarum & Academiarum Doctoribus approbatum fuit. Sic enim in Præfatione hujus Catechiſmi authores ejus ſcribunt:* Lutherus præcipua Doctrinæ Chriſtianæ capita, methodo catecheticâ interrogationibus & reſponſionibus diſtincta explicavit, quæ primæ ætati à teneris privatim & publicè in Eccleſiis, & Scholis harum regionum, magnâ curâ inculcantur, eâdem obſervatâ lege inſtitutionis, ut cogantur auditores quaſi ſono reflexo imitari & reddere interpretationum verba. Qui verò aliquo uſque progreſſi & adultiores ſunt, quorum judicium ætate auctum paulatim matureſcit, iis uberiores & aliquanto altiùs ex fonte Doctrinæ Sanctæ depromptæ, ac pluribus roboratæ teſtimoniis explicationes proponuntur, methodo tamen non diverſâ. Atque id quidem tam in Templis, hactenus quàm in Scholis obſervatum eſt accuratiùs, quòd Pædagogorum alii aliàs uſurpaverint uberioris Catecheticę doctrinæ formas, nec ordine, nec interrogationum aut reſponſionum formæ, nec loquendi modis congruentes. Quin etiam nonnulli ex diſſidiis: quibus flagrant atque concutiuntur Eccleſiæ, & ex confuſione tetrâ dogmatum rectè explicatorum, auſi ſunt aſpergere multa minimè convenientia teneris ingeniis, ſicut experimur, cum profectus diſcentium exploramus: inter quos non pauci offeruntur Catecheticæ Doctrinæ, aut rudes prorſus, aut de interrogatis aliena vel ambigua reſpondentes. His incommodis ut aliquo modo inveniretur remedium, profuturum eſſe magnoperè exiſtimavimus, ſi una ederetur certa & ſimplex forma Catecheſeos, quæ poſt initia Catechiſmi Domini Doctoris Lutheri, in Scholis puerilibus juventuti proponi poſſet. Nam capita in Examine aut Locis Theologicis comprehenſa, ac diſputata, quæ in Eccleſiæ Doctrina ac certaminibus excitatum Lectorem requirunt, nondum omnia commodè & è veſtigio pueris eruditis in Catecheſi Lutheri tradi poſſunt. Quamobrem ex corpore Doctrinæ, in quo noſtræ Eccleſiæ verè & rectè ſtatuunt repeti & explicari perpetuum conſenſum Doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ, ac Symbolorum, hanc Epitomen, quantum fieri potuit, excerptam contexuimus, declarantem atque illuſtrantem concinnis definitionibus illa, quæ in Catecheſi Lutheri ſummatim indicata ſunt: nec tamen aut ad ea penetrantem Controverſiarum momenta, quæ alibi agitantur, aut nimis procul à præſenti ſcopo excurrentem. In hac cum utiliter poſt Lutheri Catecheſin & ante Examinis Theologici enarrationem exerceri poſſe adoleſcentes exiſtimemus, edendam cenſuimus.

Quæ Flacio-Brentiani in Catechiſmo Vuiteb offenderint.

Sunt autem potiſſimùm tria Capita in hoc Catechiſmo, quæ Flaccio-Brentianos offenderunt, nempe Aſcenſio Chriſti ad Cœlos, ejuſdemque Seſſio ad Dexteram Patris, & Doctrina de Cœna Domini. De Aſcenſione Chriſti ad Cœlos ſic docetur: Act. 1. Deſcribitur Hiſtoria Aſcenſionis, Videntibus ipſis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Et Act. 3. Oportet Chriſtum cœlo capi, uſque ad tempora reſtitutionis omnium. Intelligatur autem Aſcenſio, ut ſonat litera; & de corpore & de corporali locatione. Aſcenſio fuit viſibilis & corporalis, & ſemper ita ſcripſit tota Antiquitas, Chriſtum corporali locatione in aliquo loco eſſe, ubicunque vult, & aſcenſio corporalis facta eſt ſurſum.

Catechiſmi Vuiteb. doctrina de Aſcenſione Chriſti.

Catechiſmi Vuiteb. doctrina de Seſſione Chriſti ad dexterã Patris.

De Seſſione autem Chriſti ad Dexteram Patris ad hunc modum: Simpliciſſimè intelligatur de exaltatione Chriſti ad Regnum & Sacerdotium, ſicut concionatur totus Pſal. 110. Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, *&c.* Monet enim hic articulus de Gloria Chriſti, ſuperante omnium creaturarum gloriam. Beati Angeli & Homines etiam in Cœlo ſunt, quia fruuntur luce & conſpectu Dei viſibili, Sed Chriſtus exaltatus eſt in illa arcana luce regnans cum Patre, & eſt Caput Eccleſiæ, omnia in omnibus perficiens, & quanquam manet diſcrimen Naturarum in Chriſto, nec confunduntur Proprietates: tamen etiam Humana Natura Chriſti poſt glorificationem accepit dona ſeu ornamenta, ſeu prærogativas, quæ ſuperant omnium Creaturarum dona.

De Cœna verò Domini ſic docetur: Quid eſt Cœna Domini?

Catechiſmi Vuiteb. doctrina de Cœna Domini.

Eſt Communio Corporis & Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſicut in Verbis Evangelii inſtituta eſt: in qua ſumptione Filius Dei verè & ſubſtantialiter adeſt, & teſtatur ſe applicare credentibus ſua beneficia. Teſtatur etiam ſe ideò aſſumpſiſſe Humanam

Humanam Naturam, ut nos ſibi fide inſertos membra ſua faciat. Denique teſtatur ſe velle in credentibus eſſe, & eos docere, vivificare ac regere.

Quot ſunt fines, ad quos referendus eſt uſus Cœnæ Domini?

Primus & principalis finis eſt Confirmatio Fidei. Nam hæc ſumptio eſt pignus, quo Filius Dei teſtatur, ſe nobis credentibus applicare beneficia, quæ morte ſuâ meruit: ut hoc pignore confirmati, credamus verè nos eſſe & fieri membra Filii Dei, & abſolutos eſſe Sanguine Filii, & ipſum velle in nobis efficacem eſſe, & noſtram miſeram maſſam inſertam ſibi velle ſervare & vivificare.

Ad hunc finem accedunt alii fines hujus actionis: Eſt igitur ſecundus finis Gratiarum actio. Quia beneficii recordatio ſimul accendere gratitudinem debet. Fiat igitur in uſu Cœnæ gratiarum actio pro Filii miſſione, pro Aſſumptione Humanæ Naturæ pro ipſius Paſſione, pro Redemptione, pro Donatione Evangelii, pro Vivificatione, quæ fit per Ipſum & Spiritum Sanctum, pro Reſtitutione vitæ æternæ, pro Collectione Eccleſiæ, denique pro omnibus Beneficiis.

Tertius finis eſt, ut ſit nervus publicæ congregationis, in qua vult Deus ſonare & conſervari vocem Miniſterii Evangelici. Et ideò Paulus inquit: *Quotieſcunque hoc feceritis, mortem Domini annunciabitis, donec veniet.*

Quartus finis eſt, ut in publico congreſſu ſit teſtimonium Confeſſionis, ſicut Paulus inquit: *Non poteſtis ſimul calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum.*

Quintus finis eſt, ut ſit Symbolum mutuæ dilectionis, juxta dictum: *Unus panis, unum corpus multi ſumus.*

Qui utuntur dignè Cœnâ Domini?

Dignè accedunt, qui ſeipſos probant, hoc eſt, qui rectè inſtituti in Doctrinâ cœleſti, ſeriò agunt pœnitentiam, id eſt, dolent ſe peccaſſe, & verè expaveſcunt cogitatione iræ Dei adverſus peccata, & ideò accedunt, ut hoc pignore & teſtimonio admoniti fidem accendant & confirment, ut credant ſe recipi, ſibi ignoſci & remitti peccatum propter Chriſtum crucifixum & reſuſcitatum, & habent ſerium propoſitum obediendi Deo, & corrigendi vitam & mores.

Qui ſumunt indignè, ac propterea judicio divino condemnantur?

Indignè ſumunt, qui accedunt ſine pœnitentia, id eſt, non afferunt timorem Dei, & fidem, & perſeverant in delictis contra conſcientiam.

Catechiſmus Vuiteb. oppugnatur à Seb. Boëtio Prodigioſæ phraſes Boëtii.

Hunc Catechiſmum autem primus arrodere auſus fuit Sebaſtianus *quidam* Boëtius, *& quidem illa etiam, quæ in Catechiſmum ex Corpore Doctrinæ de verbo ad verbum tranſſcripta erant. In arrodendo vero Veritatem, ipſe novis & prodigioſis phraſibus uſus eſt. Nempe*, quòd aſſumpta Humanitas Deus ſit: quòd ubique præſentem eſſe, non ſolùm Deitatis, ſed etiam Humanitatis Proprietas ſit: quod falſum ſit, quum dicatur, Chriſtum Corpore ſuo in Cœlum aſſumptum eſſe: quod Exaltatio Chriſti ad Dexteram Dei, non de tota Perſona Chriſti, ſed de Humanitate ejus intelligenda ſit: & quòd Humana Natura non ſolum ſupra creaturas, ſed in ipſum etiam Deum evehenda ſit. *Quum contrà* Cyrillus *ad* Succeſſum *Epiſcopum epiſtola prima diſertè ſcribat.* Caro caro eſt, & non Deitas, licet Dei facta ſit caro. *Item*, Impoſſibile eſt in Deitatis Eſſentiam vel Naturam aliquid creaturarum poſſe converti. Eſt autem creatura etiam Chriſti caro. Ideoque divinum quidem dicimus Corpus Chriſti; quia Corpus eſt Dei, & ineffabili gloria illuſtratum, incorruptibile & jam ſanctum atque vivificum confitemur. *Quòd autem in Naturam Deitatis ſit commutatum; neque Sanctorum Patrum quiſquam ſenſit aut docuit, neque nos ita ſentimus. Ex libro ſexto Dialog.* Neque enim, *inquit*, permittet ullis rebus aliis, quàm ſibi, juxta ſubſtantialem dignitatem, veræ Deitatis ſublimitatibus magnificari. Quomodo enim natura creata ad hujus dignitatis conditionem perveniret, ut nihil nobilitatis ſupra ſe relinquat? *Notum eſt etiam* Hieronymi *dictum*, Verbum Deus eſt, non Caro aſſumpta. *Et* Auguſtinus *Libro tertio, capite ſeptimo de Symbolo ad Catech. inquit*, Hoc eſt Deum eſſe, ubique præſentem eſſe.

Catechiſmus oppugnatur ab Hallenſibus, & aliis.

A Miniſtris etiam Hallenſis Eccleſiæ in Saxonia Zuinglianorum quorundam errorum in nova hac Catecheſi comprehenſorum Index annotatus ac editus fuit. Wignandus *item*, Heſshuſius, Cœleſtinus *&* Kirchnerus *Libellos in vulgus ſparſerunt, in quibus monent omnes, ut ſibi ab hoc Catechiſmo caveant.*

Kemnitius quoque Vuiteb. Catechiſmũ oppugnare conatus eſt.

Kemnitius *quoque in Epiſtola Cenſoria ad Hallenſes hunc Catechiſmum vehementer oppugnare conatus eſt.* Primò *reprehendit, quòd Verbalis tantùm Communicatio Idiomatum in eo doceatur: Quum propter adultiores, pro quibus hunc Catechiſmum ſcriptum diximus, neque verbalis, neque realis alicujus Communicationis prorſus fiat mentio: & portenta hæc verborum in Vuitebergenſi Schola hactenus inuſitata fuerint.* Secundò, *affingit impudenter* Kemnitius *Catechiſmo Sacramen-*

tarios quoſdam errores. Quæ autem de Sacramentis in eo docentur, ex Corpore Doctrinæ Saxonico, quod Lutherus ipſe non ſolum probavit, ſed aliis commendavit etiam, ad verbum deſumpta ſunt, nec à quoquam hactenus reprehenſa fuerunt. Qui ſunt igitur Sacramentarii iſti errores? Primus eſt, *inquit Kemnitius,*

Primus Sacramentariorū error.

quòd de Articulo Aſcenſionis docetur, cum intelligendum eſſe ut litera ſonat, de Corpore, & corporali locatione: Aſcenſionem fuiſſe viſibilem & corporalem, & ſemper ita ſcripſiſſe totam Antiquitatem, Chriſtum corporali locatione in aliquo loco eſſe, ubicunque velit, & Aſcenſionem corporalem factam eſſe ſurſum. *Contra hoc ſcribit Kemnitius;* Si Corpus Chriſti per Aſcenſionem corporali locatione eſt in aliquo loco, & hic locus eſt ſurſum & in Cœlo: Inſtitutio autem Cœnæ non eſt in cœlo, ſed deorſum hic in terra, & quidem non in uno, ſed in multis locis celebratur: Ergo hinc ſequitur, Corpus Chriſti in pane Euchariſtiæ verè & eſſentialiter præſens non haberi. *In Repetitione autem Doctrinæ de Cæna Domini idem Kemnitius ſic ſcribit:* Manent verba Articuli de Aſcenſione, in ſimplici & propria ſignificatione, quòd ſicut Chriſtus viſibili & phyſica locatione & circumſcriptione ſui Corporis ante Aſcenſionem in terra verſatus eſt, hoc modo & hac ratione uſque ad extremum Iudicium non ſit converſaturus in terra, *&c. His apertè probat & docet ipſemet Kemnitius, quæ in Catechiſmo Vuitebergenſi jam damnat & contendendi ſtudio reprehendit.*

Kemnitii ſibi contrarius.

Kemnitius exagitat interpretationem loci Act.

Ibidem exagitat locum Actorum capite tertio, ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι, quem Vuitebergenſes in ſuo Catechiſmo interpretati ſunt, Quem oportet cœlo capi. *Hanc inquam, Vuitebergenſium paſſivam interpretationem vehementer exagitat Kemnitius, quòd Germanicæ Lutheri Interpretationi activæ adverſetur. Lutherus autem in Latino exemplari, anno* 1529. *Vuiteberga & Francofurti edito, hanc paſſivam interpretationem quoque ſequutus eſt: diſertis enim verbis ſic Græca verba interpretatur,* Ieſum Chriſtum oportebat cœlo SVSCIPI. *Eâdem etiam interpretatione uſus eſt Nazianzenus Theologus Orat.* 2. *de filio pag.* 214. Δεῖ χριστὸν ὑπ' οὐρανοῦ δεχθῆναι *&c.*

Secundus error Sacramentariorū.

Alter Kemnitio *Sacramentarius error in Vuitebergenſium Catechiſmo eſt,* quòd Humanæ Naturæ in Chriſto, cum Perſonali Unione cum Deitate, Majeſtate & Potentia, ad cujus Dexteram collata ſit, nihil aliud communicet, quam quòd ab ea, Deitate videlicet, ſuſtentetur. *Hac ipſa autem calumnia confundit bonus* Kemnitius *Articulos de Incarnatione, & Exaltatione Chriſti ad Dexteram Patris, contra ordinem Articulorum Chriſtianæ Fidei, & probatorum Patrum teſtimonia. Sic enim ſcribit* Auguſtinus *de Seſſione ad Dexteram Patris in Pſalmum* 110. Sede à Dexteris Dei, occultare ut credatis. Vt enim reſurgeres mortuus es, ut aſcenderes reſurrexiſti, ut ſederes ad Dexteram Patris aſcendiſti: ergo ut ſederes ad Dexteram Patris mortuus es. De morte enim Reſurrectio, de Reſurrectione Aſcenſio, de Aſcenſione ad Dexteram Seſſio. Hoc totum ergo cœpit à morte. Excellentia Claritatis hujus, principium habet Humilitatis. *Eſt autem horribilis blaſphemia* Kemnitii, *quum dicit*, totum Incarnationis Articulum exinaniri, quando in Perſonalis Vnionis Deſcriptione dicitur, aſſumptam Humanam Naturam ſuſtentari à Deitate in Vnitate Perſonæ. *Hoc enim ipſum, non autem realis effuſio, vel communicatio proprietatum, ſummum diſcrimen inter Chriſtum, & omnes alios ſanctos efficit, juxta* Auguſtinum, *qui dicit,* Alios homines regit, hunc GERIT Deus. *Et ſi hoc diſcrimen amittitur, vel tenebris offunditur, non amplius Chriſtum Hominē & Deum, ſed tantum Divinum Hominem habebimus. Nec dum didicit* Kemnitius, *quid ſit,* Naturam aſſumptam ſuſtentari à Divina aſſumente. *Si Scholaſticos ſuos conſuluiſſet, docuiſſent eum, quid ſit* Suppoſitum, *&* Suppoſitari: *Quod etiam* Philippus *his verbis declaravit Tomo* 1. *Operum pag.* 322. In Chriſto ſic ſunt unitæ duæ Naturæ, ut ſint unum *ὑιοσάνθρωπον id eſt*, ut geſtetur Humana Natura à Λόγῳ, ſic, ut ſint inſeparabiles Naturæ deinde in tota Æternitate, & ut Natura Humana redigeretur in nihilum, niſi ſic geſtaretur.

Tertius Kemnitio Sacramentarius error in Catechiſ. Vuit.

Tertius error Sacramentarius, quem Catechiſmo Vuittebergenſi affingit Kemnitius, *hic eſt,* quòd is mentionem nullam faciat Controverſiarum, quæ ſunt inter Saxonicas & exteras Eccleſias. *At nec Lutherus, nec alij in ſuis Catechiſmis, nec Examen Theologicum harum controverſiarum vel verbo uno meminerunt. An igitur Sacramentarii?*

Catechiſmū Vuiteb. oppugnant etiam Brūſvic.

Eundem Catechiſmum oppugnarunt etiam publico ſcripto anno 1571. *Brunſvicenſes Theologi.*

Vuitteb. edunt Quæſtiones.

Editur porrò à Vuittebergenſibus alius Libellus Germanica lingua hoc titulo; Piæ & Chriſtianæ Quæſtiones de diſcrimine horum Articulorum, Aſcendit in cœlos, ſedet ad Dexteram Dei. *In hoc Libello verè ac ſolidē docent, quæ ſit Sacra Scripturæ & Orthodoxorum Patrum Doctrina, de Aſcenſione Chriſti, ejus demq; Majeſtate & Gloria ad quam poſt humiliationem exaltatus eſt. Ac de Aſcenſione quidem docent, eam ſimpliciter, ut verba*

ſonant,

ſonant, intelligendam eſſe: nempe, Chriſtum verè ex his terris animâ & corpore ſuo in cœlos aſcendiſſe, ibiq; nunc quoque eſſe, non in terra.

Vuiteb. edunt die Grundtfeſt.

His etiam libellis Adverſariorum omnibus iidem Vuitebergenſes anno 1571. *oppoſuerunt orthodoxum & eruditiſſimum Librum Germanica lingua, cui titulum præfixerunt*, Stereoma, *ſeu* Fundamentum firmum Vuirtebergenſium Theologorum, de Perſona & Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, contra novos Marcionitas, Samoſatenianos, Arrianos, Neſtorianos, Eutychianos & Monothelitas in Flaccianorum grege, ex Scriptura ſacra, Symbolis, approbatis Conciliis, & Conſenſu Orthodoxorum Patrum.

Summa doctrinæ in Stereomate Vuiteb.

In hoc libello inter alia docent, Quòd ſit Perſonalis Vnio: Quòd in Perſonali Vnione manſerit diſtinctio Divinitatis & Humanitatis, proprietatum etiam & operationum utriuſque Naturæ: Quòd verè in Chriſto Humana Natura cum omnibus ſuis proprietatibus ac operationibus fuerit, & quòd vera Humanitas in Chriſto etiam poſt clarificationem manſerit: Vt phraſes Scripturæ de Chriſto intelligendæ ſint: Quid Patres Communicationem Idiomatum vocarint: Quæ phraſes approbatæ & rejectæ ſint in primitiva Eccleſia, quando de proprietatibus Naturarum agitur: Quæ vera ſit Majeſtas Hominis Chriſti: Quod ſit diſcrimen inter divinas proprietates & dona: unà cum orthodoxa Interpretatione locorum Scripturæ, Ioan. 1. Coloſſ. 2. Philip. 2. & declaratione articuli de Aſcenſione Chriſti, & ejuſdem Seſſione ad Dexteram Patris. Quæ doctrina de Perſona Chriſti in ipſo quoque Papatu permanſerit: Vt Auguſtana Confeſſio articulum de Aſcenſione & Seſſione ad dexteram Patris diſtinguat: Quæ fuerit Lutheri genuina ac poſtrema ſententia de controverſiis horum temporum. His adiiciunt hiſtoricam narrationem, ut errores de Perſona Chriſti in veteri Eccleſia renovati ſint hodie à Serveto, Suenckfeldio, & Vbiquitiſtis, Brentio inprimis & Smidlino. Addunt etiam Cenſuram & Refutationem ſolidam & orthodoxam Libri Vuignandi *de Communicatione Idiomatum*; Kemnitii *de Duabus Naturis in Chriſto: Defenſionem item ſuarum Propoſitionum & Catechiſmi, adverſus calumnias* Vuignandi, Heſshuſii, Cœleſtini, Kirchneri, Selneccceri, Kemnitii, Brunſvicenſium, Hallenſium *& ſimilium.*

Stereoma Vuiteb. oppugnatur.

Oppoſita eſt autem huic Vuitebergenſium Fundamento, *Repetitio Confeſſionis Eccleſiarum, quæ ſunt ſub ditione Electoris Saxoniæ, de Sancta Cœna Domini, deque horum temporum controverſis Articulis, de Perſona atque Incarnatione Chriſti, deq; ejus Majeſtate*, &c. *ſcripta & ſubſcripta à* Brunſv.cenſibus, Luneburgenſibus *& aliis.*

Schmidlinus *etiam in Aulis Principum multorum, editum hoc à Theologis Vuitebergenſibus* Fundamentum, *ſub prætextu & velo Calviniani dogmatis, in ſuſpicionem & odium adducere conatus eſt: idque aſſiduis incitationibus, & comminationibus auctum eò uſque exarſit, ut ad ea quæ ſecuta ſunt, quæque paulò infrà referemus, experiunda Electorem Saxoniæ* Auguſtum *perpulerit.*

Theologi Vuiteb. Stereoma Principi ſuo legendũ offerunt.

Vt verò nihil vafrè, fraudulenter, doloſè, ſubdolè, verſutè & callidè, præſtigiatorum vel impoſtorum more, ſed omnia candidè, ſyncerè & ingenuè agere viderentur Vuitebergenſes, Librum hunc ſuum, quem Stereoma *ſeu* Fundamentum *vocant, Principi ſuo Electori Auguſto miſerunt cum literis, menſe Iulio anno* 71. *ſcriptis in quibus inter alia hæc ſcribunt:* Hactenus multæ Eccleſiæ & docti Viri non ſolùm in Germania, ſed etiam in exteris Regnis & Provinciis, Celſitudinis T. Eccleſiis & Scholis gratulati ſunt, quòd præcipuus & ſummus Fidei Articulus de Perſona Chriſti adhuc integer & incorruptus retineatur ac doceatur, in tam multis & variis erroribus, qui ab inquietis, turbulentis & ambitioſis hominibus quotidie horribiliter accumulantur. Et ſanè ſi hic Articulus etiam in harum Regionum Eccleſiis per dictos homines corrumperetur, Fundamentum Fidei & Salutis noſtræ paulatim amitteretur, & execrabili Mahometiſmo via ſterneretur, quod olim etiam in Oriente factum fuiſſe novimus. Adhæc Papiſtæ hinc ſub plauſibili prætextu occaſionem arripere poſſent, nos noſtraſque Eccleſias gravandi & ex Pace Religionis excludendi, quandoquidem in ipſo quoque Papatu, & Græcarum Eccleſiarum Reliquiis hic Articulus ab ipſis Apoſtolis uſque ad hæc tempora ultra 1500. annos, ſingulari Dei Providentiâ, purus & incorruptus manſit, noſtræque Eccleſiæ cum Pontificiis in omnibus Conventibus & Colloquiis illum eodem ſenſu intellexerunt & approbarunt.

Hæc & ſimilia pericula magna & multa in noſtro libro *(Grundtfeſt)* prolixè expoſulmus, ejuſque exemplar Celſitudini T. mittimus, humiliter & ſubmiſsè rogantes, ut ſcriptum hoc noſtrum legere dignetur, ſibique de nobis prorſus perſuadeat, quòd illud non ex privatis affectibus, ſed ut vindicaremus honorem & gloriam Filii Dei, tum etiam propter dilectam poſteritatem in lucem dederimus: quòd etiam nos à gravibus calumniis Adverſariorum noſtrorum, & ſuſpicione Sacramentariorum errorum apud C. T. ſatis ſuperque, ut ſperamus, liberabit. Rogamus inſuper C. T. humiliter, ut omnes ſuæ ditionis Doctores,

Theologos & Superintendentes,de hoc noſtro ſcripto judicare jubeat: nec dubitamus, quin omnes docti Viri, per totum Chriſtianum orbem, idem nobiſcum & ſentiant, & doceant: Imò omnes doctos Papiſtas, à quibus Auguſtanæ Confeſſionis ſocii ſe in hoc articulo nunquam ſejunxerunt, nec pro Sacramentariis haberi volunt, judices in cauſa ferre poſſumus.

Optaremus certè, hæc nova certamina ab aliis nunquam fuiſſe mota, & hoc labore libenter ſuperſedere voluiſſemus: Sed quoniam Deus, cui æquè ac Celſitudini Tuæ rationem reddere de hac cauſa nos oportebit, in hunc locum nos conſtituit, ut ſanam Doctrinam defendamus, erroribus autem contradicamus, quod noſtrum eſt nos facere oportet, nec ad ullam utilitatem, ulliuſque hominis favorem & gratiam reſpicere, ſed ad expreſſum mandatum Dei: Et prorſus ſtatuimus, non cum C.T. vel harum Regionum Eccleſiarum damno, ſed cum noſtro ipſorum periculo pugnare, & jam olim damnatis hæreſibus pro virili reſiſtere.

Et quoniam hæc non noſtra, ſed Dei & totius Eccleſiæ cauſa eſt, rogamus Celſitudinem Tuam ne Adverſariorum noſtrorum calumniis ſeſe contra nos commovere patiatur, qui, quod noſtri officii eſt, facere debemus. Sin verò conſcientiæ noſtræ conſtringerentur: & quod à nobis ad conſervationem puræ & ſanæ doctrinæ fit, ſic acceptaretur, ac ſi nova certamina & diſſidia à nobis excitarentur, Deo oporteret nos hanc cauſam commendare, & aliis Doctoribus locum dare. Sin autem nos maximè taceremus, veritas tamen opprimi non poſſet, & lapides loquerentur, ſi homines Filio Dei teſtimonium dare nollent, ejuſque honorem defendere ac tueri. Væ autem miſerrimæ poſteritati, ſi nos lucem ſanæ Doctrinæ de hoc articulo obſcurari vel prorſus exſtingui patimur, nec pœnam ipſi quoque Doctores effugere poterunt, juxta dictum: Quia repuliſti ſcientiam, repellam & ego te. Rogamus autem toto pectore Omnipotentem Deum, qui Scholam hanc noſtram clementer hactenus conſervavit, & ſingularem gratiam largitus eſt, ut pura Doctrina in ea propagaretur, nobis quoque & noſtris anteceſſoribus animum ac vires addidit, quòd in vocatione noſtra contra inimicorum noſtrorum inſultus & calumnias, bona cum conſcientia, conſtanter permanere potuimus, ut porrò adſit nobis, & Celſitudinis Tuæ animum & voluntatem Spiritu ſuo ſancto regere, & in agnitione veræ Doctrinæ clementer conſervare dignetur, *&c.* Menſe Julio Anno 71. Subſcripſerunt, Georgius Major D. Caſpar Cruciger D. Henricus Mollerus D. Fridericus Vuidebramus D. Chriſtophorus Pezelius D. & Johannes Bugenhagius D.

Theologi Vuiteb. nihil verſutè egerunt.

Hæc perſpicua & ſimplex Declaratio ad Magiſtratum legitimum, de ſummo Articulo, quo de controverſia hoc tempore fuit, nempe, de Perſona & Incarnatione Chriſti, doctiſſimis Viris Theologis Vuitebergenſibus, apud omnem poſteritatem locupletiſſimum teſtimonium perhibet, contra putidiſſima mendacia & impudentiſſimas calumnias Hermanni Hamelmanni *& ſimilium, quòd animum & ſententiam ſuam in his certaminibus, apud Principem ſuum Electorem* Auguſtum *ſatis clarè, perſpicuè & apertè declararint, & nihil prorſus verſutè & callide egerint.*

Auguſtus Elector Serrcoma Vuiteb. approbat ab initio.

Imò D. Caſparus Peucerus *quoque Principi Electori* Auguſto *author & hortator fuit, ut hunc Librum* Grundtfeſt *perlegat, idque etiam apud eum obtinuit, lectoque libro eundem probavit. Sæpe quoque coram Electore teſtatus eſt* D. Peucerus, *quod illius Eccleſiæ civis eſſe nolit, quæ ſecus, quàm liber ille doceat ac ſentiat: Quin nullam eſſe Eccleſiam, quæ hoc fundamentum, in libro illo traditum, non retineat: ut ipſemet teſtatur in Hiſtoria Carcerum ſuorum pag.* 139. *&* 158.

Theologi Vuiteb. emittunt in lucē Sperlingi Theſes orthodoxas de Perſona Chriſti.

Quum etiam Flaccio-Brentiani *ſuam novam Doctrinam de Corpore Chriſti majeſtatico, & Vbiquitate carnis ejuſdem jactarent, jam inde ab initio Auguſtanæ Confeſſionis à D. Luthero Eccleſiis fuiſſe traditam, quum contra conſtet apud omnes, vel ex Lutheri ipſius teſtimonio, nullam fuiſſe ab initio de Perſona Chriſti controverſiam inter Proteſtantium & Pontificiorum Theologos, Vuitebergenſibus Theologis ſuperioribus ſuis libris & ſcriptis, aliud etiam viſum eſt addere neceſſe; nempe* Alberti Sperlingi *Ieſuitæ Diſputationem* de Majeſtate Hominis Chriſti, *ad normam veræ piæque doctrinæ per Theſes explicatam, adverſus impias* Jacobi Andreæ Smidelini *Theſes Tubingæ propoſitas. In his Theſibus totum negotium de Perſona Chriſti & Vnione Hypoſtatica duarum Naturarum orthodoxè explicat* Sperlingus: *deinde ineptias & horrenda* Smidelini *dogmata de Omnipræſentia ſeu Vbiquitate carnis Chriſti, refutat. Editæ ſunt hæ Theſes primùm Ingolſtadii anno* 1564. *Sed eas recudi curarunt Theologi Vuitebergæ hoc ano* 1571. *non ut à Pontificiis ſubſidium adverſus nova iſta dogmata, quæ ſæpius cùm à Vuitebergenſibus, tum ab aliis etiam Theologis, & quidem ſolide ex Verbo Dei refutata ſunt, emendicare viderentur; ſed duntaxat, ut ex his Theſibus appareat, quantum ſit diſcrimen*

inter

inter Pontificiorum de his capitibus ſententiam, cum pia & orthodoxa Antiquitate per omnia convenientem, & eam quam Luthero, *atque Eccleſiis omnibus Auguſtanam Confeſſionem profeſſis iſti affingunt. Ac ne quis cavillari potuiſſet, eos cætera quoque Papiſtica commenta de inviſibili Præſentia Chriſti in Cœna, his Theſibus ab Authore Pontificio immixta, perinde atque ea quæ de Perſonali unione adverſus Vbiquitarios doctè & piè diſputantur, probare, dederunt operam, ut ea quæ Papiſmum redolebant expungerentur, & pura duntaxat illa Doctrina retineretur.*

Reſponſio Peuceri ad Epiſtolam Schmidlini. *Quia verò* Vuitebergenſes *judicium ſuum de libellis, & controverſiis à* Brentio *&* Schmidlino *in illis motis, ad Illuſtriſſimum Electorem Saxoniæ* Auguſtum *anno 64. miſerant; & jam in hoc* Stereomate *ſeu* Grundfeſte *mentionem fecerant multorum errorum, periculoſarum item phraſium & ſententiarum, de multis articulis Chriſtianæ fidei, novarum denique & peregrinarum explicationum & depravationum* Brentii *&* Schmidlini *multorum locorum Sacræ Scripturæ: ideò Schmidlinus aculeatam & comminationibus plenam epiſtolam anno 71. ad Caſparum Peucerum ſcripſit. Reſpondit autem illi graviter Peucerus aliâ Epiſtolâ, quam integram huic narrationi inſeremus, ut inde intelligat Lector, de quibus rebus accuſarit Vuitebergenſes Schmidlinus, & quid Peucerus illi reſponderit. Sic igitur ſe reſponſio illa de verbo ad verbum habet.* Reverende D. Doctor, amice colende, Epiſtolam tuam fratris mei literis adjunctam accepi, in qua duo inerant. Alterum pertinebat ad fratrem meum, de quo noſtris ſcripſi, & ipſi reſpondi; alterum, in quo in me atrociter inveheris, cùm non oſtendas, quibus me occaſionibus, aut quibus aliis de cauſis accuſes, quàm ex rumoribus vulgi. Nihil meorum enim profers, quod ne facere quidem potes. Theologos noſtros abs te diſſentire, & id meâ fieri culpâ quereris, cùm mea ſit præcipua autoritas in Academia. Quæ ſit mea autoritas, neſcio. Quòd nulla ſit aut exigua admodum, quotidie experior: Philoſophica ſtudia hactenus aſpexi: quibus cum educatus ſum, de cæteris nec mandata habui, nec onerari me ulla cura fuiſſem paſſus. Veſtris verò me certaminibus adeò non admiſcui, ut quæ multò ante, Collegium Theologicum, Viro Reverendo D. Paſtore noſtro Ebero, de iiſdem controverſiis veſtris reſpondit, ne viderim quidem unquam, imò ſcripta eſſe ignorarim, id me tibi coram exponere meminiſti. Defenſio Articulorum Fidei Chriſtianæ publica, vobis Theologis incumbit, quos oportebit Deo rationem reddere Eccleſiæ adminiſtratæ, & rectè aut ſecus inſtituti populi. Nec dubito, noſtros facturos, quod pietas, quod veritas, quod gloria Filii Dei, quod concordia Eccleſiæ, quod conſcientia uniuſcujuſque exigit. Sed illos & in Scriptura Sacra ac tota Antiquitate, imò in Eccleſiæ certaminibus exercitatiores eſſe ſcias, quàm ut meâ, qui idiota ſum, vel commonefactione, vel operâ indigeant. Nec à meis occupationibus tantùm mihi ocii ſcies eſſe, aliena à mea profeſſione & vocatione ut curare poſſim. Si meminiſti, nunquam acceſſi ad deliberationes ullas quæ propter te inſtitutæ fuerunt, & quibus interfuiſti diverſis in locis. Nec adhiberi me fuiſſem paſſus, qui, quæ ſunt meæ vocationis, intelligo; cùm quidem urgeres initio apud me, cauſæ tuæ patrocinium ut ſuſciperem. De ſacroſancta autem Communione cum Eccleſiis noſtris, quarum doctrina nota eſt, ſcias me ita reverenter & religiosè ſentire, ut eas in frequenti uſu ejus, ex vera & efficaci Præſentia Filii Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum vivificæ lætitiæ ſenſu, conſolationes percipiam, in quibus, cum ſumma conſcientiæ meæ tranquillitate acquieſco, gratias agens Filio Dei, ſemetipſum & ſua univerſa beneficia inexhauſtâ miſericordia mihi communicanti. Nec me certamina à vobis mota turbant: utinam Eccleſiam non turbent aut devaſtent. De altero certamine, quod ab hoc prorſus diverſum eſt, cujus tu diceris ἀντιαγωνιστὴς eſſe, in quo Dominus noſter Ieſus Chriſtus contra Symboli articulos exuitur Naturâ Humanâ, ſi meminiſti, quæ coram tibi dixerim, nulla mihi apud te nova excuſatione opus eſt. Major longè apud me eſt de Chriſto vero Deo & vero Homine Autoritas Scripturæ Sacræ, Symbolorum, Synodorum veterum Orthodoxæ Eccleſiæ omnium temporum, piorum Martyrum, quàm veſtrorum certaminum, quibus, quod per tot annos explicatum, certum & indubitatum fuit, convellitur. Veniam igitur dabis mihi aſſentienti potiùs expreſſis Symboli Articulis, quàm inter velitationes veſtras dubitanti. Veritati patronos adeò defuturos non dubito, tecum in hac parte ſentiens, ut certus ſim, Filium Dei veritatem patefactæ ſua voce Doctrinæ, & gloriam humiliationis atque exaltationis ſuæ vindicaturum eſſe, illuſtribus ſui judicii documentis. Nec me deinceps certaminibus veſtris admiſceas, nec ſuſpicionibus aut ſermonibus talibus prægraves. Vos videritis, qui hæc certamina in Eccleſiam introduxiſtis. Hæc pro veteri neceſſitudine noſtra tibi reſpondi, breviùs fortaſſe

quàm voluiſti, ſed prolixiùs per occupationes non licuit. De me verò perſuadeas tibi volo, qui in miniſterio non ſum, nec ullam miniſterii partem attingo, nec quæ mei muneris non ſunt, ulla in parte uſurpo, ſed Chriſtianus ſum; de me itaque perſuadeas tibi volo, precibus me aſſiduis impetraturum à miſericorde & propitio Deo, ne à veritatis via & confeſſione unquam diſcedam. Comminationibus autem apud me opus talibus non erat, quibus uteris. Non velim enim uno momento hoc perſeverare loco, quo ſum, niſi operam ſcirem meam ſervire gloriæ Dei & ſtudiis diſcentium. Nec ſi ego abſim à Schola, veritas articulorum fidei interitura eſt. Bene & feliciter vale. Vuitebergæ 15. Iunii, Anno M. D. LXXI.

CAPVT III.

De Dreſdenſi Conventu Theologorum Saxonicorum, & Conſenſu in eo facto de Controverſis Articulis, quæque cum proximè ſequuta ſunt.

Dreſdēſis Convētus & Conſenſus.

ACcuſantur etiam Theologi Vuitebergenſes à Duce Vuirtenbergico, aliiſque Principibus, inſtinctu Schmidlini & ſociorum, apud Electorem Saxoniæ, quòd in Doctrina de Perſona Chriſti, ejuſdem Aſcenſione, Seſſione ad Dexteram Patris, & Cœna ſacra, non Lutherum, & Saxonicas Eccleſias, ſed Zuinglianos & Calviniſtas ſequantur, unde horribilis mutatio Religionis metuenda ſit. Dreſdæ igitur Conventus indicitur à Saxone ad diem 10. *Octobris anni* 1571. *ut Confeſſionem ſuæ Doctrinæ de his articulis categoricam ederent. Convenerunt igitur dicto loco non ſolùm Saxonis, ſed aliorum quoque Principum Theologi, & Superintendentes præcipui, & formulam* Conſenſus *conſcribunt, in qua de his articulis verè ac orthodoxè, juxta Verbum Dei, ſentiunt & docent, eamq; voluerunt eſſe quaſi Epitomen Libri* Grundtfeſt. De Perſona Chriſti, *inquiunt*, & Perſonali Vnione utriuſque Naturæ docemus, quòd Chriſtus ſit ſecunda Perſona Trinitatis, nempe æternus Filius Dei, à Patre, ejuſque ſubſtantia ab æterno genitus: & quòd definito tempore in utero Mariæ Virginis, à Spiritu Sancto conceptus, verus item & perfectus homo factus ſit, ſic, ut totam Humanam Naturam, corpus & animam, integrè ſibi, non tantùm indivulsè, ſed etiam perſonaliter vinxerit, non ut in ea ſolùm domicilium ſuum habeat, ſicuti Deus habitat in electis ſuis, ſed quòd Humanam Naturam ſic gerit & ſuſtentat, ut ea per ſe nihil eſſet, niſi ſic aſſumpta eſſet & ſuſtentaretur. Id veteres *Vnionem Hypoſtaticam* vocarunt, quæ unicam Perſonam conſtituit, ſicut anima & corpus in homine una Perſona eſt.

Chriſtus verus Deus & Homo in una Perſona.

In Perſonali Unione utriuſq; Naturæ & earū proprietates diſtinctæ ſunt.

In hac autem Perſonali Vnione utraque Natura, earumque proprietates, nihilominus diſtinctæ ſunt: quandoquidem Divinitas, cum Humanitate, vel Humanitas cum Divinitate non miſcetur, nec una in alteram effunditur aut mutatur: Sed quod Filius Dei ab æterno fuit, nempe, æternus Deus, omnipotens, infinitus, id manſit; & quod non erat, verus videlicet Homo, id factus eſt: juxta Divinitatem Patri in omnibus æqualis, juxta Humanitatem verò nobis per omnia, excepto peccato, ſimilis.

Unio Perſonalis à Cōceptione cœpit.

Hæc Vnio utriuſque Naturæ in ipſa ſtatim Conceptione in utero Virginis cœpit: & Filius Dei in & poſt Nativitatem utranque Naturam diſtinctè retinuit, & ſic eas æternum retinebit quoque.

Utraque Natura in Chriſto ſuas eſſētiales proprietates retinet.

Quemadmodum autem Naturæ abſque commiſtione vel mutatione indiviſe unitæ ſunt, ita etiam utraque Natura ſuas veras & eſſentiales proprietates retinet: Divinitas ſuam æternitatem, infinitatem, immenſam ſapientiam, omnipotentiam, &c. Humana autem Natura omnes eſſentiales proprietates quæ in homine ſunt & manent, excepto ſemper peccato.

Operationes & proprietates utriuſq; Naturæ in Chriſto non confundi debent.

Et quamvis operationes, ſicut etiam proprietates in una Perſona Chriſti, non poſſunt nec debent dividi ab invicem, nihilominus eædem etiam non miſceri & confundi debent. Divinitas ſuas habet operationes cum Patre & Spiritu Sancto: Humanitas autem agit & patitur pro Humanæ Naturæ ratione.

Ideo rectè docetur, Chriſtum, quæcunque in Paſſione & Morte paſſus ſit, in Humana Natura, paſſum eſſe, non in Divina, quæ pati & mori non poteſt: quæ tamen & ipſa in morte, ſemel aſſumptam Humanitatem non deſeruit, ſed ipſam tertiâ die ex morte eripuit, & ad vitam æternam ſuſcitavit.

Similiter rectè docetur, quòd in Opere Redemptionis, & viſibilibus miraculis Chriſti, unaquæque Natura cum altera operata ſit, ſic tamen, ut quæque quod ſuum eſt, fecit.

Diſtinctio operationū & proprietatū naturarū unitatem Perſonæ non dividit.

Hæc autem diſtinctio proprietatum & operationum, non Vnitatem Perſonæ dividit, quemadmodum nec Unio duarum diverſarum Naturarum, & Vnitas Perſonæ, naturas, earum proprietates & operationes miſcet & confundit.

Etſi verò Humana Natura poſt reſurre-ctionem

Humana Christi Natura etiā poſt reſurrectionem vera Humana Natura manſit

ctionem & aſcenſionem clarificata fuerit, & omnes infirmitates, quibus antea obnoxia, depoſuerit, & majoribus donis, quàm Angeli & Homines, ornata ſit, verè tamen Humana Natura manſit, & eſſentiales proprietates ejus retinuit: per ſe quoque nec deificata, nec Deitati æternitate, vel aliis divinis proprietatibus æqualis facta eſt, ſed certò ac verè adhuc eſt caro de carne noſtra, & os de oſſibus noſtris.

Theologi Vuiteb. doctrinā veteris Eccleſiæ de Idiomatum Communicatione retinent

Quia verò vetus & Orthodoxa Eccleſia, ad declarandam & confirmandam Naturarum diſtinctionem, in una Perſona Chriſti, datâ operâ phraſes & ſententias Scripturæ de Chriſto perpendit, & utilem ac neceſſariam doctrinam de Communicatione Idiomatum, contra omnis generis hæreſes, magno ſtudio ac diligentiâ defendit & ad poſteritatem tranſmiſit: Ideò fatemur etiam, nos illam doctrinam, ſicut à Patribus eam accepimus, pro vera & orthodoxa agnoſcere nec in cujuſquam gratiam diſcrimen inter Vnionem Perſonalem, & Communicationem Idiomatum negamus. Fatemur & docemus etiam, quædam dicta Scripturæ de Chriſti Perſona, juxta diſtinctionem Naturarum, quædam verò de ipſius officio intelligenda eſſe: Et quod aliud ſit, de proprietatibus & operationibus Naturarum in Chriſto loqui; aliud verò de opere Redemptionis humani generis, in unaquæque Natura quod ſuum eſt facit, ſine reali effuſione divinarum proprietatum & operationum in Humanitatem: quod etiam ſubinde diſtingui oporteat dicta Scripturæ de Humiliatione & Exaltatione Chriſti.

Theologorum Vuiteb. doctrina de Majeſtate Chriſti.

Secundò, de Majeſtate Chriſti credimus & fatemur, *inquiunt*, cum juxta divinam Naturam Patri eſſentia & divinis proprietatibus æqualem, ejuſdemque gloriæ, majeſtatis, honoris & potentiæ eſſe: Iuxta Humanam autem Naturam eum creaturam eſſe, quæ nec eſſentiâ, nec proprietatibus, nec operationibus, nec majeſtate & gloriâ Deo unquam æqualis facta ſit, licet extra ſuas permanentes eſſentiales proprietates, etiam alias mirabiles, peculiares, excellentes & magnas glorias, præ omnibus rationabilibus creaturis, ante & poſt clarificationem habeat.

Quòd enim æternus ac unigenitus Dei Filius Humanam Naturam aſſumpſit, eamque cum Divinitate in unam Perſonam univit, id nulli vel Angelo, vel Homini quantumvis ſanctiſſimo, unquam contigit, nec etiam in æternum continget.

Et hanc ob cauſam de hoc Mariæ Filio rectè dicitur, quòd Homo Chriſtus ſit æternus & omnipotens Dei Filius, & quòd hæc ipſa Perſona, quæ Dei & Mariæ Filius eſt, ab omnibus Creaturis, Angelis & Hominibus, unâ & eadem adoratione, adorari & invocari debeat.

Hic etiam Filius Dei in ſua aſſumpta Humanitate totum opus Redemptionis humani generis effecit, idque ſuæ victorię & triumphi particeps fecit.

Chriſti Humana Natura per ſe præ aliis hominibus excellentes habet prærogativas.

Præter hanc majeſtatem & gloriam, quę ad excellentiam Perſonæ & Officii Chriſti pertinet, Humana quoque Natura per ſe habet excellentes ſuas prærogativas præ aliis hominibus: veluti quòd Homo Chriſtus Virginis Filius eſt abſque virili ſemine, per Spiritum Sanctum conceptus & genitus, ſolus etiam ſanctus & ſine peccato eſt jam inde ab utero matris.

Iuxta hanc etiam Humanam Naturam habet plenitudinem omnium donorum Spiritus Sancti: quum alii Sancti aliqua tantùm, & quidem ſecundum menſuram habeant. Inprimis autem Humana hæc Natura ejus poſt reſurrectionem & aſcenſionem glorioſè clarificata, & plurimis excellentiſſimis donis, præ aliis hominibus ornata eſt.

Semper autem hæc dona Humanæ Naturæ in Chriſto, quæ in & per ſe accepit, ab æternis & eſſentialibus proprietatibus Divinitatis diſtingui debent, ut æterna & infinita Divinitas Chriſti, ab ejus Humanitate diſtinctè agnoſcatur, nec eſſentia & proprietas creaturarum & Creatoris confundantur.

Theologi Vuiteb. non confundunt articulos de Aſcenſione & Seſſione Chriſti ad Dextrā Patris.

Tertiò, juxta Verbum Dei & primitivæ Eccleſiæ Doctrinam non confundimus Articulos de Aſcenſione Chriſti, ejuſdemque Seſſionem ad Dexteram Patris: Aſcenſio enim ſemel eſt facta, Seſſio autem ad Dexteram in æternum durabit.

Intelligimus igitur hiſtoriam & deſcriptionem Aſcenſionis Chriſti in cœlos, ſecundum literam, ſimpliciter ut verba Evangeliſtarum ſonant. Docemus inde, Aſcenſionem non eſſe inane & viſibile ſpectaculum, ſed quod D. N. Ieſus Chriſtus vero ſuo Corpore in altum ſublatus, viſibiles cœlos penetrarit, & cœleſtes habitationes occuparit; ibique in gloria ſua ſubſtantiam, proprietates & formam veri ſui Corporis retineat; indeque in noviſſimo die ad judicicium magna cum majeſtate viſibiliter rediturus ſit.

Quòd autem Scriptura dicit, Chriſtum ſedere, vel ſtare, vel eſſe ad Dexteram Dei, hoc ipſo intelligimus monſtrari diſcrimen inter Chriſtum, qui in cœlos aſcendit, & inter Heliam, alioſque Sanctos & electos.

Angelos, qui etiam in cœlo ſunt: Interpretamur id etiam præcipuè de exaltatione ſecundum utranque Naturam ad Regium & Sacerdotale Munus, quod tamen diſtinctionem utriuſque naturæ non tollit. Solus enim Chriſtus ſic in cœlis eſt, ut ſemper in ſinu Patris maneat, videat & intelligat voluntatem Patris, colligat ſibi ex humano genere Eccleſiam, ſuſtineat Miniſterium, intercedat pro nobis, protegat nos merito ſuo, remittat peccatum, donet Spiritum Sanctum, tueatur, defendat ac liberet ſuam Eccleſiam adverſus inferorum portas, & recipiat denique electos ſuos ad ſe in æterna gaudia.

Hæc opera, quæ ad Officium Chriſti, tanquam unici Regis, ſummi Sacerdotis & Capitis Eccleſiæ pertinent, tribuimus toti Perſonæ, quæ Deus & Homo eſt, *&c.*

Theolog. Vuiteb. doctrina de Cœna.

Quartò, *De Cœna Domini in hac Confeſſione ſic declarant ſuam ſententiam Vuitebergenſes, ut licet nonnulla deſiderentur, multa tamen non ſint improbanda.* De hoc enim Articulo, *inquiunt*, hæc eſt noſtra Confeſſio, quòd firmiter credimus, præſentiam veri Corporis & Sanguinis in Cœna (quam Lutherus & harum regionum Doctores contra Papiſticam Tranſſubſtantiationem & localem incluſionem in pane, Sacramentariorum item errorem de vacuis, nudis & inanibus ſignis, Vnionem Sacramentalem vocarunt) ex verbis tantùm Inſtitutionis rectè probari poſſe, ut ſunt ab Evangeliſtis magnâ diligentiâ & conſenſu deſcripta, & ab Apoſtolo Paulo fideliter repetita ac declarata.

Et nos retinemus ſimplicem ſenſum iſtorum verborum: credimus enim & docemus, quòd Chriſtus in hac ordinatione Cœnæ ſuæ, verè, vivificè, ſubſtantialiter & certò præſens ſit, ſic, ut verum ſuum Corpus in cruce pro nobis oblatum, & verum ſuum Sanguinem pro nobis effuſum, cum pane & vino in hoc Sacramento exhibeat, eóque teſtetur, quòd nos adoptet, membra ſui corporis faciat, Sanguine ſuo nos emundet, peccatorum remiſſionem largiatur, & verè in nobis efficaciterque habitare velit.

Et ut prætereamus multas periculoſas, inutiles & ſcandali plenas diſputationes ac quæſtiones, fideliter & conſtanter retinemus, formam ac modum de hoc Myſterio loquendi, ſicut juxta Verba Chriſti & declarationem Pauli in Catechiſmo Lutheri, Corpore doctrinæ, harum Regionum Eccleſiis, præſertim in Auguſtana Confeſſione ejúſque Apologia, Repetitione Saxonicarum Eccleſiarum Confeſſionis, Locis Theologicis, Examine Ordinandorum & Refutatione Articulorum impiæ Inquiſitionis Bavaricæ, clarè & perſpicuè de eo agitur & docetur. Cum his congruunt etiam phraſes, quæ in harum Regionum & Mechelburgenſi Agenda, anno 52. à Philippo conſcripta, præterea in omnibus Comitiis & Colloquiis contra Adverſarios, eadem formâ & modo uſurpatæ ac repetitæ ſunt, & conſtanter teſtantur, hoc Sacramentum Cœnæ Dominicę verum eſſe Corpus & Sanguinem Ieſu Chriſti, ſub pane & vino Chriſtianis ad edendum & bibendum à Chriſto Servatore inſtitutum: Vel, quod idem eſt, hoc Sacramentum eſſe κοινωνίαν, ſecundum declarationem Pauli, Corporis & Sanguinis Chriſti, juxta inſtitutionem & ordinationem Chriſti, in quo Dominus cum externis viſibilibus ſignis, nempe, pane & vino, verè præſens Corpus & Sanguinem ſuum exhibet: eóque confirmat promiſſiones ſuas, quòd nobis peccata noſtra certò propter mortem & meritum ejus remittantur, quódque verè nobis adſit, & in nobis efficax ſit.

His phraſibus ac modis loquendi uſa eſt etiam vetus Eccleſia. Irenæus inquit, *Panis terrenus poſt invocationem Dei & myſticas preces, non eſt amplius communis panis, ſed eſt cibus conſtans duabus rebus, unâ terrenâ, alterâ cæleſti.* Hilarius inquit: *Domini profeſſione & fide noſtra verè caro eſt & ſanguis, & hæc accepta & hauſta faciunt, ut & Chriſtus in nobis, & nos in Chriſto ſimus.* Chryſoſtomus ait: *Singulis fidelibus Chriſtus per hoc myſterium ſeſe conjungit, & admiranda myſteria nobis data ſunt, ut ſimus membra ex carne, & os ex oſſibus ejus.* Cyrillus dicit, *Chriſtum non ſolùm per dilectionem in nobis eſſe, ſed etiam naturali participatione.* Gelaſius inquit, *Certè Sacramenta quæ ſumimus Corporis & Sanguinis Chriſti, divinæ res ſunt, propter quod & per eadem, Divinæ efficimur conſortes Naturæ, & tamen non deſinit eſſe ſubſtantia, vel Natura, panis & vini.* Nicena Synodus ait, *Non attendamus ad panem & poculum in divina menſa propoſitum, ſed attollentes mentem fide, cogitemus jacere in ea menſa Agnum Dei tollentem peccata mundi.*

Hæc & ſimilia dicta in declaratione doctrinæ de vera Præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti, rectè uſurpârunt ante hæc tempora harum Eccleſiarum Doctores, iiſq; refutarunt, non ſolùm Papiſticam Tranſſubſtantiationem, incluſionem, circumgeſtationem & adorationem: ſed etiam Sacramentariorum errorem, docentium, Chriſtum, non verè Cœnæ ſuæ adeſſe, nec

Corpus

Corpus & Sanguinem ſuum verè nobis diſtribuere, ſed nihil præter panem & vinum in Cœna adeſſe, & Sacramenta tantum teſſeras & ſigna eſſe, quibus Chriſtiani ab aliis diſcernantur & cognoſcantur.

His erroribus noſtræ Eccleſiæ hucuſque contradixerunt, iiſque has Regulas oppoſuerunt. 1ª *Quòd nihil Sacramentum ſit, neque eſſe poſſit, extra uſum inſtitutum.* Hac Regula multæ impiæ diſputationes præciduntur, de Converſione, Tranſſubſtantiatione, incluſione, circumgeſtatione, adoratione ac oblatione conſecrati panis. 2ª *Filium Dei verè & certò præſentem eſſe in Miniſterio, quod inſtituit, & Sacramentis, & per hæc in Eccleſia ſua efficacem eſſe.* Et propterea Sacramenta nequaquam pro nudis & inanibus ſignis habenda, nec diſtributio Corporis & Sanguinis Chriſti è Cœna tollenda eſt. Sic autem adeſt Filius Dei in hac Cœnæ ſuæ ordinatione verè & ſubſtantialiter præſens, ut nobis in hac ſumptione cum pane & vino det Corpus & Sanguinem ſuum, applicet ſe nobis ipſum & promiſſionem gratiæ, & faciat nos membra ſui Corporis, & efficiat ſeu operetur in nobis conſolationem. Hæc enim operatio & efficacia fit per hanc Perſonam, quæ Naturam Humanam aſſumpſit, & in ea eſt efficax: & propter eam in nobis quoque eſt, & nos vivificat.

Has neceſſarias Regulas inſtitutioni & ordinationi Cœnæ Dominicæ conformes eſſe judicamus, ideóque iis etiam utimur ad refutandos Pontificiorum & Sacramentariorum errores, & ad veram conſolationem de efficaci & perpetuâ præſentia ac operatione Chriſti in fidelibus ſuis.

Tom. 12. Ger. Vuit. p. 103. Vitamus etiam peregrina, & ad inſtitutionem Cœnæ nihil pertinentia certamina, quæ ipſe quoque Lutherus tandem præcidit. Sæpius enim dixit: *De Vbiquitate, vel in omnibus locis Præſentia non debet diſputari: Longè enim alia res eſt in hac cauſa.* Item: *De Sacramento Corporis & Sanguinis Chriſti, nunquam docuimus, neque adhuc docemus, quòd Chriſtus è Cœlo, vel de Dextera Patris deſcendat vel aſcendat, viſibiliter, aut inviſibiliter: Sed firmiter retinemus Articulos Fidei, Aſcendit in Cœlos, ſedet ad Dexteram Patris, &c.* Et omnipotentiæ Dei relinquimus, quomodo Corpus & Sanguis Chriſti exhibeantur nobis.

De uſu & fructu Cœnæ. Judicamus etiam hac declaratione conſcientiis omnium optimè conſuli poſſe. Adhæc de fructu & vero uſu hujus Sacramenti docemus, hanc participationem Cœnæ pertinere ad confirmationem fidei & electorum: & contrà, inutilem eandem eſſé omnibus iis, quorum corda ad Deum non converſa ſunt, nec in Filium Dei credunt. Quibus igitur per Prædicationem Evangelii converſio vera ad Deum, vera item fiducia in Chriſtum, in cordibus eorum accenditur, iis participatio hujus Sacramenti certum eſt ſigillum & obſignatio, quâ illis applicantur omnia beneficia Chriſti, in teſtimonium, quòd ipſis remittat peccata, eos purget Sanguine ſuo & membra Corporis ſui efficiat: quòd etiam in ipſis habitet & efficax ſit, eoſdemque cohæredes vitæ æternæ facere velit, quum pro iis mortuus ſit, & nunc vivat ac regnet in æternum. Hos præcipuos fructus ſequuntur deinde alii, nempe, gratiarum actio pro acceptis beneficiis, dilectio proximi & publica fidei confeſſio.

Theologi Vuiteb. rejiciunt figmenta Ubiquiſtarū de Perſona Chriſti, ejuſque cœna. Contra hanc verò ſimplicem doctrinam hodierno die multi irrequieti homines periculoſas valde & ſcandali plenas diſputationes movent, eamque infirmis & peregrinis rationibus horribiliter corrumpunt. Reali item ſeu phyſicâ communicatione, quâ fundamenta præſentiæ Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœna monſtrare conantur, ſummum Articulum de duabus Naturis in Chriſto corrumpunt, & jam olim damnatas hæreſes Marcionitarum, Valentinianorum, Neſtorianorum, Eutychianorum & Monothelitarum ab inferis revocant.

Ubiquiſtarum ſententia corrūpitur verâ Doctrina Eccleſiarū Sax. de Cœna. Quòd autem hoc ipſo figmento corrumpatur etiam Doctrina, quæ hucuſque in his Regionibus de vera Præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœna tradita eſt, ex ſequentibus rationibus manifeſtiſſimè intelligetur.

Primò, fictitia Communicatio phyſica, quæ unâ cum Vbiquitate ab iſtis introducitur, in vera Eccleſia Chriſti ignota, & jam inde ab initio Chriſtianiſmi uſque ad hæc noſtra tempora inaudita eſt, & ab ipſis quoq; Pótificiis vehemētiſſimè oppugnatur. Quòd ſi vera Præſentia Chriſti Corporis & Sanguinis in hoc figmento fundata eſt, caruiſſet utique Chriſti Eccleſia jam inde ab initio in hunc uſque diem verâ Doctrinâ & Conſolatione de Præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœna.

Secundò, cum inſtitutione Cœnæ Dominicæ pugnat, quòd in vero uſu illius Præſentia fingitur per modum Vbiquitatis, & docetur, Chriſtum in Cœna non aliter eſſe, quàm in aliis rebus, lapidibus nempe & lignis: quum tamen Sacramentalis Vnio Corporis Chriſti cum pane propriè pertineat ad peculiarem Præſentiam Chriſti, quâ in ſacro Miniſterio efficax eſſe vult in cordibus fidelium, ut Lutherus ipſe fatetur in formula

Concordiæ

Concordiȩ cum ſuperioris Germaniȩ Theologis initæ anno 36.

Tertiò, abducuntur homines fictitiâ Communicatione phyſicâ, à veris & indubitatis Verbis inſtitutionis Chriſti, quæ unicum fundamentum Doctrinæ de Cœna Domini ſunt: & monſtratur ipſis infirmum ac dubium fundamentum, de quo ne Vbiquitatis quidem Patroni inter ſe ipſi conſentiunt: quum incerti ſint, omnesne, an aliquæ ſaltem Divinitatis proprietates; Item, an ante vel poſt clarificationem, Divinitatis proprietates Humanitati Chriſti realiter communicatæ ſint.

Quartò, ante paucos annos *Caſpar Schuenkfeldius* fictitiam Vbiquitatem Corporis Chriſti eodem modo defendit, eâque erroneam ſuam ſententiam, de nova quadam, peregrina & inaudita præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœna, contra harum Regionum Eccleſias propugnare conatus eſt.

Sacramentarii qui veri ſint.

Quintò, hi verè Sacramentarii ſunt, qui Articulos Fidei Chriſtianæ vel evertunt, vel in dubium vocant & incertos reddunt: quandoquidem Sacramenta ſunt Sigilla & Confirmationes Fidei: quumque Articuli Fidei vel confunduntur, vel penitùs evertuntur, de Sacramentis putamina ſaltem hominibus, abſque nucleo relinquuntur. Quum igitur phyſicâ communicatione, & fictitiâ Vbiquitate Articuli Fidei de Chriſto horribiliter corrumpantur & adulterentur, & diſcrimen Divinæ ac Humanæ Naturæ in Chriſto tollatur; vera certè Doctrina harum Eccleſiarum de vera Præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœna fœdiùs inquinari non poteſt, quàm ſi modus præſentiæ fictitiis ſpeculationibus de Vbiquitate & phyſica Communicatione Idiomatum ſuperſtruatur.

Sextò, manifeſta eſt implicatio contradictionis, quæ cum æterna veritate apertè pugnat, quum dicitur, Chriſtum nobis in Cœna ſuum Corpus verum exhibere, & tamen poſt clarificationem verum & Humanum Corpus non habere; quod irrefragabiliter ſequitur ex Vbiquitate, & reali effuſione Divinitatis proprietatum in Humanitatem Chriſti, *&c. Hucuſque Dreſdenſis Conſenſus.*

Dreſdēſis Cōſenſus approbatur una cum Grūdfeſt a Theologis Lipſienſib. & Vuiteb. tribuſq;

Approbata eſt hæc Dreſdenſis Confeſſio, unà cum Stereomate, ſeu Grundfeſte *Vuitebergenſium Theologorum, tum utriuſque Academiæ, Lipſienſis & Vuitebergenſis, tum trium Conſiſtoriorum, atq; adeo omnium Superintendentium Saxonicarum Eccleſiarum Conſenſu. Nam diſertè inter alia ad Electorem* Auguſtum *ſic ſcribunt*: Competimus, quòd in Electoralis Saxoniæ Eccleſiis & Scholis Verbum Dei purè ac incorruptè in hunc uſque diem fideliter retineatur, doceatur atque propagetur. Et quod ad nuper exortam controverſiam attinet de Perſona & Incarnatione Chriſti, ac utriuſque Naturæ diſtinctione, earumque eſſentialibus proprietatibus, ſanctè teſtamur coram Electore, tanquam ſupremo noſtro Magiſtratu, atque coram facie Dei, quòd Theologi Vuitebergenſes in Stereomate ſuo, ſeu Grundfeſte, dictos articulos Chriſtianè, fideliter, modeſtè & ſolidè tractent & declarent, in eoque nihil novi aut peregrini, ſed id tantùm proferant & confiteantur, quòd jam ultrà 1500. annos orthodoxa Eccleſia Dei de Chriſto docuit, credidit & confeſſa eſt: quodque nos ipſi à juventute noſtra in his Eccleſiis & Regionibus, poſtquam Deus lucem Evangelii ex mera gratia Mundo revelavit, à dilectis noſtris præceptoribus Luthero & Philippo audivimus ac didicimus, atque etiam pro donis à Deo nobis conceſſis Auditoribus noſtris tradidimus in Eccleſiis & Scholis. Cognovimus quoque ex eodem libro, nobiſque tranſmiſſo Extractu, quòd dicti Theologi, horrendas & jampridem damnatas blaſphemias ac errores, qui ex Flaccianorum, aliorumque harum Regionum irrequietorum & malevolorum hominum doctrina neceſſariò ſequuntur, de Communicatione Idiomatum reali ſeu phyſica, magna cum diligentia, ſtudio ac zelo detexerint & confutarint. Speramus etiam omnes pios, qui veritatem amant, & gloriam Filii Dei quærunt, quíque hæc Fidei capita abſque prava affectione ſeu præjudicio Legum expendunt, & cum purioris antiquitatis veræque Eccleſiæ Doctrinâ & Confeſſione, noſtrorumque præceptorum ſcriptis conferunt, nobiſcum & cum Theologis Vuitebergenſibus hac in parte idem ſenſuros & pro adhibita diligentia, ſtudio ac zelo in horum Fidei Articulorum declaratione ingentes eis gratias habituros. Ac vehementer dolendum, proque certiſſimo indicio iræ Dei & appropinquantis vindictæ divinæ habendum eſſet, ſi in his Regionibus inter Doctores & Paſtores Eccleſiarum de hoc Articulo, qui fundamentum eſt Chriſtianæ Fidei, noſtræque ſalutis, aliqua diſſenſio exoriretur. Hic enim Articulus, ut eſt à Theologis Vuitebergenſibus tractatus & declaratus, ſic in Verbo Dei, in orthodoxorum Patrum ſcriptis, ac generalibus Conciliis, tanquam veræ Eccleſiæ, & contra hæreticos magno ſtudio & labore defenſa Confeſſione ac fide, fundatus & explicatus eſt, ut de eo omnes ſano judicio præditi,

Conſiſtoriis & Superintendentibus Electoralis Saxoniæ.

Nota. Et tamē poſtea Crellius cum ſuis gregalib. ſcripſerunt, ſe hunc librū nunquā approbaſſe. Ergo hodie à doctrina Chriſtiana deſecerunt.

Has blaſphemias poſtea Crellius cum ſuis in Flaccianorū & Ubiquiſtarū gratiam in Libro Cōcordiæ approbarunt.

Quid oro cogitavit Crellius cum ſuis Theologis ſi hæc legerunt? Annon hoc eſt veritatē proſtituere, & omnem fidem amittere? Nūc dicunt Ubiquiſtæ Majeſtatis Chriſti doctrinam Stereomatis deformatā eſſe.

Cur igitur Ubiquiſtæ hanc doctrinam fundamentum Sacramentarii erroris hodie appellant.

Notate Hoc Iudicium Ubiquiſtarum.

præditi, & quibus antiquiſſimæ Eccleſiæ Dei doctrina & fides cognita & perſpecta eſt, omnino dubitare non poſſint. Notum quoque & luce meridianâ clarius, hanc ipſam doctrinam de hoc Articulo, adhuc hodie in Papatu retineri, quam Theologi Witebergenſes in ſuo Stereomate, ejuſque Extractu profitentur & docent; ac venenata Flaccianorum dogmata veris ac ſolidis rationibus confutant & damnant. Has ob cauſas in hoc Articulo cum Theologis Vuitebergenſibus libenter conſentimus, & conſentire debemus, ac de adverſaria parte, omnibuſque iis, qui hanc ipſorum Chriſtianam Confeſſionem & fundamentum ſalutis impugnant & damnant, non aliter ſentire & judicare poſſumus, quam quod ignorent, aut anteceptis opinionibus ac malevolentiâ præpediti, ignorare velint, quid vetus aut novum, quid Chriſtianum aut Hæreticum, quid in Verbo Dei fundatum aut non fundatum, quid receptum approbatumque, aut rejectum, improbatum, damnatumque, quid denique verum aut falſum ſit, &c. *Hoc judicium in lucem editum eſt anno* 1589. *cum delineatione Formulæ Concordiæ.*

Dresdiſ. Cötenſus in lucem editur approbatione aliorũ Theologi.

Eorundem quoque Theologorum, Academiarum & Conſiſtoriorum Conſenſu & approbatione typis evulgata eſt Francofurti ad Mœnum Dreſdenſis hæc Confeſſio ſeu Conſenſus, hujuſmodi titulo: Brevis, Chriſtiana & ſimplex Repetitio Confeſſionis Eccleſiarum in Electoris Saxoniæ ditionibus, De ſacra Domini noſtri Ieſu Chriſti Cœna, ejuſdemque Perſona, Incarnatione, Majeſtate, Aſcenſione & Seſſione ad Dexteram Patris, in Dreſdenſi Conventu conſcripta 10. Octobris..

Narratio Germanica publicatur de hoc conſenſu.

Publicata eſt etiam hoc tempore Narratio *Germanica de hac pia Conſenſione Theologorum Auguſtanæ Confeſſionis. In ea leguntur inter alia hæc verba de Corpore Doctrinæ, quod tamen non multo poſt tanquam hæreticum exantorarunt*: Omnes Articuli ſæpiùs dictæ Confeſſionis Auguſtanæ in ſcriptis D. Lutheri, D. Philippi Melanthonis, præſertim in illis libris, qui titulo Corporis Doctrinæ conjuncti ſunt editi, ſicut & in cæteris compluribus ipſius utilibus & egregiis ſcriptis, D. Brentii, & aliorum præſtantium Theologorum, ſecundum uniuſcujuſque ipſi à Deo conceſſa dona & judicium eximium, Chriſtianè & rectè ſunt declarati.

Theologi Vuiteb. ſuam doctrinam ingenuè apud Elect. Sax. confeſſi ſunt.

Ex quibus omnibus rurſus apertiſſimè intelligitur, Theologos Vuitebergenſes & alios, qui Dreſdenſi Conventui interfuerunt, & Stereoma ſeu Grundfeſt *in lucem ediderunt, ſententiam ſuam de Perſonali Vnione duarum Naturarum in Chriſto, Vbiquitate Corporis ejus, Communicatione Idiomatum phyſica, & Cœna Dominica, non reticuiſſe, aut fraudulenter, lubricè & ambigue explicaſſe, ſed rotundè, perſpicuè & apertè apud Principem ſuum & totum mundum declaraſſe & confeſſos eſſe.*

Selneccari calumnia.

Atrox igitur calumnia eſt Selnecceri *in Recitationibus ſuis pag.* 20. *ubi ſcribit*, Convocatos eſſe aliquoties Theologos, utriuſq; Academiæ Lipſenſis & Vuitebergenſis, ac plerunque reſponſum lubricum, & in utranque partem flexibile & ambiguum datum. *Quibus hæc mox addit*: Semper, *inquit*, prætendebatur, non aliam doctrinam, etiam de Cœna Domini, ſonare in publico, quàm quæ divinitus ex ſacris literis ex Miniſterio Lutheri, nobis revelata & tradita eſſet. *Quid autem hîc dictum ab ipſis falſi? Hoc enim reſponderunt Theologi illi, eam in Eccleſia, etiam de Cœna Domini doctrinam, retineri, quam cum ſacris literis congruentem Lutherus docuiſſet: ut quum ſcribit*; In omni Sacramento eſt Verbum Promiſſionis Divinæ: ſic in Sacramento panis datur Corpus Chriſti in verbo iſtius promiſſionis: Accipite, manducate, Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis traditur. Oportet ergo manducantem omninò & firmiter credere, Corpus Chriſti non tantum pro aliis, ſed etiam pro ſe datum eſſe, ut verum ſit illud; Non Sacramentum, ſed fides Sacramenti juſtificat: *Item*, Panis ſuper altari tantùm eſt ſignum, ſicut Baptiſmus, & nihil prodeſt, niſi panis jam intus manducatus ſit: *Hæc & multa alia cum ſacris literis convenientia in Eccleſiis retenta fuiſſe, quis eſt qui culpandum ducat? Quod igitur peccatum eſt Vuitebergenſium? Non dubito quin hæc mens ſit omnium fidelium, ut quicquid docetur cum Verbo Dei congruens, in Eccleſia authoritatem obtineat, à quocunque ſanè profectum: è contrario exterminetur id, quod à veritate cæleſti diſcrepat, etiamſi ab Angelo, nedum à Luthero allatum fuerit.*

Tom. 2. Ien. Lat. in Aſſert. contra bullam Leonis p. 113.

Ienenſes & Kemnitius Dreſd. Conſenſum & Stereoma oppugnant Lucas Hoſiãder

Primi omnium Ienenſes *publico ſcripto, cui titulum fecerunt* Falſtrick / *itemque* Kemnitius *in Confeſſione Theologorum inferioris Saxoniæ nomine edita*, Dreſdenſem Conſenſum *&* Stereoma *ſeu* Grundfeſt *Vuitebergen. oppugnarunt: Paulò poſt etiam* Lucas Hoſiander *libello edito declarare conatus eſt. Quid ſentiendum ſit, de Repetitione doctrinæ de Perſona & Cœna D. N. Ieſu Chriſti Dreſdæ & in Stereomate publicatæ: eiq; adjunxit admonitionem de Zuingliano errore.*

Lãdgravius Wilhelmus judicium petit Piſtorii de ſcriptis Vuiteb. & Adverſariorum.

Hæc ſcripta, Landgravius Haſſiæ, *unà cum Iudiciis Vniverſitatum, Conſiſtoriorum & Superattendentum Electoralium, Clariſſimo Viro* D. Ioh. Piſt. *Nidano, Superattendenti in Haſſia tranſmiſit, ejuſque judicium de omnibus requiſivit.*

Piſtorii Iudiciū de ſcriptis Vuiteb. & adverſariorum.

ſivit. Hic cùm Dreſdenſem Conſenſum & librum Grundfeſt/ Iudicia etiam Academiarum & Conſiſtoriorum Electoralis Saxoniæ ſemel iterumque legiſſet eaq; ſubſcriptione ſua approbaſſet, apertè teſtatus eſt, quod in iis orthodoxa Doctrina de controverſis Articulis fideliter repetita & tradita ſit, prout in Auguſtana Confeſſione & Reformatis Eccleſiis doceatur. Ac primum Articulum quod attinet, de Perſona & Incarnatione Chriſti, itemque de Communicatione Idiomatum, à quo initium certaminis contra Vuitebergenſes ab irrequietis hominibus factum eſt, fatetur, illum congruere cum doctrina primitivæ Eccleſiæ, ac veterum Conciliorum Decretis & Symbolis, proindeq; ſe nihil prorſus habere, quod in eo reprehendere poſſit. De Majeſtate Chriſti, ejuſdemque Aſcenſione ad Dexteram Patris, teſtatur, ſe hos Articulos nunquam aliter intellexiſſe, nec aliter dē iis à Præceptoribus ſuis edoctum fuiſſe, nullam etiam aliam & ab hac diverſam explicationem in Sacra Scriptura, & puriorum veterum Doctorum ac Patrum ſcriptis invenire, quam ut in Repetita Vuitebergenſium Confeſſione & Stereomate tradatur: & miratur vehementer eos, qui doctrinam hanc reprehendere, & contrariam propugnare conentur. De Cœna Domini teſtatur ſuo quidem judicio, in nulla brevi Confeſſione hucuſque tam perſpicuè, clarè & perfectè, tamq; firmis rationibus doctrinam iſtarum Regionum Eccleſiarum traditam eſſe, ut in Dreſdenſis Synodi repetita Confeſſione: Ac gratias agit Deo & Patri D. N. Ieſu Chriſti, quod vera Doctrina Auguſtanæ Confeſſionis, de his præſertim controverſis Articulis, rurſus in lucem eruta ſit, in quorum tractatione & explicatione quiſque, jam ab annis aliquot, ſua ſomnia & figmenta ſpargere, iiſque Chriſti Eccleſiam turbare auſus fuerit.

Approbatores ſcriptorū Vuiteb. ex ingratiā Flaccio-Brentianorū rurſus improbāt. Varietas & inconſtantia P. Crellii.

Illiipſi quoque approbatores, tum in utraque Academia Lipſenſi & Vuitebergenſi, tum in tribus Conſiſtoriis, atque adeò omnes Superintendentes in Saxonia Electorali, Stereomatis ſeu Fundamenti Vuitebergenſium Theologorum, & Repetitionis Conſenſus Dreſdenſis, hos ipſos libros, quum primum Schmidlinus Vbiquitatis Apoſtolus, in Saxoniam veniſſet, & Flaccio-Brentiana factio corroborata eſſet, rurſus, mutata ſententia condemnarunt, exagitarunt, & acerbiſſimis judiciis inſectati ſunt, ut mox intelligetur. Et Paulum Crellium, qui Lipſenſium & Vuitebergenſium Theologorum & trium Conſiſtoriorum nomine Iudicium hoc ſcripſerat, non puduit poſtea ſcribere, Se cum reliquis, Librum hunc Grundfeſt/ nunquam approbaſſe, ſed eum authoribus ſuis domum remiſiſſe. Crellius igitur cum ſuis gregalibus ſubdolè, perfidè & callidè egerunt, qui primò orthodoxam Doctrinam de Perſona Chriſti, & Cœna Domini jam inde ab initio, veluti per manus Lutheri & Philippi traditam, atque conſtanter ſemper in Eccleſiis & Scholis Saxonicis à Vuitebergenſibus adverſus Vbiquitarios defenſam, & ipſi publico ſcripto apud Electorem approbarunt & commendarunt, mox verò illam in gratiam Principis & Flaccianorum, Schmidlini inprimis, improbarunt & inſectati ſunt acerrimè. Hinc ortæ ſunt poſtea illæ lachrymæ, carceres, exilia, graviſſima damna, ærumnæ & miſeriæ, gemitus & ſuſpiria orthodoxorum ac piorum Doctorum, & Paſtorum, Eccleſiarum vaſtitas, & Scolarum deſolatio, de quibus in ſequentibus dicetur, furentibus iſtis Vbiquitatis Patronis in omnes illos, qui ſuum illud monſtrum & vivâ voce, & ſcriptis ab Eccleſiis & Scholis depellere ac propulſare conabantur.

CAPVT IV.

Flaccio-Brentiani cum ſcribendo adverſus Witebergenſes Theologos nihil proficerent Magiſtratuum authoritate & ſuffragiorum multitudine perrumpere conantur.

QVum igitur, ut hactenus à nobis pluribus expoſitum eſt, Theologorum multorum in florentiſſimis totius Germaniæ Academiis, Vuitebergenſi nimirum, Lipſenſi & aliis in Saxonia mentes, Spiritu S. illuminatæ, ſanam doctrinam de Perſona Chriſti & Cœna Dominica intelligere, ac relictis vulgo receptarum opinionum præjudiciis, potius quid olim Apoſtolica & primitiva Eccleſia ſenſiſſet, quàm quid Occamo, Petro ab Aliaco Cardinali Cameracenſi, aliiſque Scholaſticis Doctoribus impuriſſimis placuerit, atque etiamnum hodie huic vel illi probetur, attendere inciperent: paſſim etiam ederentur ſcripta non ſolùm ab Orthodoxis, ſed etiam Lutheranis in Saxonicis Scholis, atque Pontificiis: Ieſuitis inprimis, à quibus Vbiquitatis doctrina ſolidè refutabatur, atque adeò dogmata de Vbiquitate & carnali Præſentia Corporis Chriſti, non tantùm in Cœna, ſed etiam in omnibus aliis locis, paſſim vileſcerent & repudiarent: Vbiquiſtæ verò, & corporalis Præſentiæ Chriſti in Cœna propugnatores intelligerent, ſe contrà diſputando & ſcribendo non poſſe conſiſtere, alia via rem aggreſſi ſunt, ac Principum & Magiſtratuum authoritate, ſuffragiorum item multitudine perrumpere, & veritatem oppugnare, imò penitus opprimere & evertere ſtatuerunt.

Blandè igitur & molliter initiò tentati ſunt animi Theologorum ac Paſtorum in Academiis & Eccleſiis præcipuis: Propoſiti ſunt primum articuli

articuli pauci, ut faciliùs approbarentur, reciperenturque. At perreptavit hoc nomine Iacobus Schmidlinus, quum primùm in Saxoniam venit, omnes Scholas & Eccleſias, ut hac fraude ſuffragia occuparetur.

Exaggeratæ ſunt etiam paſſim querelæ de calumniis Papiſtarum, dicentium, non reperiri duos vel tres Auguſtanæ Confeſſionis concionatores, qui in doctrina conſentiant; & de infirmorum offenſione, quæ inde exiſteret. Proinde ſummam neceſſitatem poſtulare, ut Conſenſus ineatur, eumque publico aliquo ſcripto teſtentur. Promiſſum, normam illius Conſenſus fore Corpus doctrinæ Philippi. *Simul etiam doctrinæ de Cœna Dom. leviter aſperſa fuit Vbiquitas: eamque repudiantibus reſponſum eſt, de hac cum nemine pugnatum iri, modo τὸ ῥητὸν Verborum Cœnæ Domini retineatur.*

Quum vero hâc viâ non ſucceſſiſſet, & à pleriſque repellerentur, quod dolum & fraudem ſubeſſe animadverterent, de Principum animis occupandis cogitârunt, ut quum apud iſtos his illecebris & blanditiis nihil proficerent, Principum authoritate muniri, vi perrumperent, & approbatores ſui dogmatis invenirent: qua in re aliquot anni conſumpti ſunt.

In Principum aulas intromiſſi, inſuſurrârunt eis, diſcedi à Lutheri doctrina, & Confeſſione Auguſtana: Corpus doctrinæ Philippi corruptum eſſe: detrahi per illud ſcriptis Lutheri: exaggerata etiam Philippi aliorumque ab Auguſtana Confeſſione ſeceſſio, ſeu ut ipſi nominarunt, defectio: polemica Lutheri ſcripta ubique laudata & commendata, vel horum prætextu dogma Vbiquitatis animis Principum inſtillaretur: Doctrina autem eorum, qui petebantur, partim diſſimulata, partim calumnioſè depravata: Concordia Lutheri cum Helveticis & ſuperioris Germaniæ Eccleſiis inita, fundamenta totius cauſæ Sacramentariæ ſilentio ſepultâ. Inculcatum etiam ad nauſeam uſque Principibus piiſſimis, in Academias & Scholas eorum paulatim Calviniſmum *introduci, contrà Lutheri doctrinam & Auguſtanam Confeſſionem aboleri: abjectis* Lutheri Cathechiſ. *novos edi & juventuti tradi: nova quoque* Stercomata, Interrogationes *&* Reſponſiones, Repetitiones, *ac neſcio quæ alia hujus generis excudi.*

Principum initio & conſiliū ab initio bonum, Theologorum autē fraudulentum fuit.

His ſimilibusque illecebris blandis deliniti ſunt Principes, & hos inter præcipuè Saxoniæ Elector Auguſtus *quo etiam initium perſuaſionis factum eſt, quod ejus exemplum cæteri facilè ſecuturi viderentur. Et ſanè mox ſe ei adjunxerunt* Brandeburgenſis *Elector,* Vuilhelmus Landgravius, *& quidem alii: Omnium autem iſtorum Principum, ac præſertim* Saxonis, *&* Landgravii *ab initio, hoc fuit Conſilium, ut à Theologis eiuſmodi* CONCORDIÆ *formula conſcriberetur, quæ ex Verbo Dei exſtructa, ad ſocietatem Auguſtanæ Confeſſionis alliceret, ſi fieri poſſet, quicquid Eccleſiarum orthodoxarum eſſet in toto orbe Chriſtiano. Fuit igitur hoc Principum conſilium ſanctum, pium ac bonum Heroicum etiam eſt, Principibusque viris digniſſimum, non uni tantum genti, ſed omnibus prodeſſe velle. Theologorum vero improbitas fraus & malicia ſummopere deteſtanda eſt, qui hoc Principum zelo & conſilio abuſi ſunt, ut Vbiquitatis ſuæ monſtrum horrendum canonizare & Eccleſiis obtrudere poſſent.*

Theologi Vuiteberg. Exegeſin ſuam edunt.

Ne autem Vuitebergenſes Theologi aliquid per fraudem & dolum in certamine de Cœna Dom. diſſimulare viderentur, in lucem ediderunt EXEGESIN *perſpicuam & fermè integram controverſiæ de ſacra Cœna. In ea* primò *loco veram & orthodoxam ſententiam de forma ſubſtantiali ſacræ Cœnæ per ἀνάλυσιν breviter recitant.* Secundò, *interpretationes & modos inconvenientes præcipuos examinant, & attractis coloribus eos denudant penitus.* Tertiò *quia non ſatis officioſum eſt vulnera denudare & attrectare, niſi etiam ratio ſanationis monſtretur, proponunt, quâ ratione piâ poſſit ſarciri concordia. Hæc editio idcirco neceſſaria viſa eſt Theologis illis, tum ut fidei & doctrinæ ſuæ de Cœna toti mundo rationem redderent, tum etiam, quoniam iſtarum turbarum ſonitus ad univerſas Eccleſias jam pervenerat, ne Orthodoxi, innocenteſque homines apud ſua doctrinæ ignaros falſis præjudiciis gravarentur. Sed veluti calida ſuffudiſſet hic liber, & omnes ad arma concitaſſet, quanquam placidiſſimè conſcriptus eſſet, tamen magno adverſariorum concurſu & numero priùs penè oppreſſus eſt quam natus. In eum enim mox publicè delecti ſunt* Inquiſitores *atrociſſimi, ſeveriſſimique, ne quis eum habere deprehenderetur: aut ſi quis deprehenderetur, graviſſimâ pœnâ plecteretur. Et quidem* Erneſtus Vœgelinus, *induſtrius Lipſiæ typographus, quod* Exegeſin *hanc ſuis typis evulgaſſet, Theologorum Vbiquiſticorum inſtinctu & conſiliis crudelibus ac ſanguinolentis, omnibus ſuis bonis ſpoliatus fuit, & ea pecuniæ ſummâ mulctatus & emunctus, ut vix ipſam ſuam vitam ac pellem, etiam fugiens è Saxonia, pro ſpolio abſtulerit.*

Erneſtus Vœgelinus ob Exegeſin Vuiteb. in periculum venit.

Veritate vincente acrius urgentur Principes à Theologis.

Quum igitur in Dreſdenſi Conventu, aliiſque Confeſſionibus & ſcriptis veritas ſubinde vinceret frementibus adverſariis, acriùs urgentur Principes: Imprimis Elector Auguſtus *admonetur de ingentibus periculis, quæ Eccleſiis Saxonicis imminerent, ni huic malo maturè occurreretur. Accesſerunt inſuper quærimoniæ cujuſdam Eccleſiæ Vuitebergenſis Diaconi, qui poſtea orthodoxam ſententiam amplexus eſt. Is de creſcentibus ſacramentariis conatibus clancularis machinationibus tragicas querelas inſtituebat, quas ad Electorem* Auguſtum

deferri ſcriptis & voce lamentabiliter obſecrabat, ſeque ab iſtis apris, tympaniſtis, molitoribus & Calvinianis, & ſic enim ſcribebat, propter Deum liberari, & aliò transferri petebat. Aliunde etiam adferebantur in aulam non querelæ tantum, ſed & accuſationes, quòd ab agnita veritate, quam Deus per Lutherum *patefeciſſet, Vuitebergenſes ad Calviniſmum turpi apoſtaſiâ deficerent.*

CAPVT V.

De Torgenſi conventu quindecim Theologorum, & Formulâ Concordiæ ab iiſdem ibi conſcriptâ, ex qua poſtea Concordiæ liber natus eſt.

Auguſtus Elector. Sax. bono zelo indicit Conventũ Torgæ. Nomina Theologorum 15. qui Conventui Torgenſi interfuerunt.

HIs aliiſque de cauſis motus Illuſtriſſimus Piiſſimuſque Princeps Auguſtus, *indicit anno* 1574. *Conventum* Torgæ *quindecim Theologorum, quorum nomina hæc fuerunt,* Henricus Salmuth D. *Paſtor Eccleſiæ Lipſenſis & Superintendens*: Paulus Crellius D. *Profeſſor Vuitebergenſis*: Wolfangus Harderus D. *& Paſtor Lipſenſis*: Adamus Rotherus D. *& Superintendens Eccleſiarum in Epiſcopatu Mersburgenſi*: Daniel Greſſerus *Paſtor Superintendens Dreſdenſis*: Martinus Mirus D. *& M.* Georgius Lyſtenius *aulici Dreſdæ Concionatores*: Nicolaus Jagenteufel *Paſtor & Superintendens Annamontanus*: M. Iohannes Cornicælius *Paſtor & Superintendens Eccleſiæ Hanenſis*: Gaſparus Heyderich *Paſtor & Superintendens Torgenſis*: Samuel Iauchius *Paſtor & Superintendens Freibergenſis*: Georgius Langevoith D. *& Superintendens Chemnicenſis*: Franciſcus Straus *Paſtor & Superintendens Salzenſis in Thuringia*: M. Petrus Glaſerus *Concionator Eccleſiæ Dreſdenſis*: Gaſparus Eberhart D. *& Paſtor Eccleſiæ in vrbe Miſena.*

Concordiæ formula Torgen. conſcribitur, & orthodoxi in ea damnantur contra priſcum morem.

Hi Theologi Concordiæ formulam *conſcripſerunt, in qua non veteri modeſtiâ, charitate ac manſuetudine, ſed novâ confidentiâ, Electoris potentiſſimi authoritate muniti, vſi ſunt, & diu occultatum virus exſeruerunt. Nam qui nullius adhuc falſitatis ex verbo Dei convicti, nec ſibi malè conſcii fuerunt, ab his pauciſſimis & penè nullis hominibus, nulla prorſus allatâ, ne dum audita & collatâ coram utrinque acceptis judicibus ratione, damnati ſunt, ac ſi in legitima provinciali, vel etiam generali omnium Chriſtianarum Eccleſiarum Synodo, juſtâ ex verbo Dei praeunte cognitione, auditi, convictique tanquam impœnitentes denique damnati proſcriptique eſſent. Non ita certè vetus Eccleſia & Chriſtiani Imperatores, ne adverſus Arianos quidem egerunt, toties auditos & damnatos. Et iſtas damnatorias ſententias noſtrâ memoriâ, quum nulli acriùs vrſerint in Comitiis Imperii quàm Pontificii, hoc unum quærentes, ut Evangelicas, ſeu reformatas Eccleſias prorſus disjungerent, non conſenſerunt Principes Proteſtantes, qui tamen jam tum alioquin à noſtris Eccleſiis in articulo de Cœna Domini diſſidebant: quod negarent æquum eſſe in tanti momenti controverſia, quidpiam in eos, qui vocati & auditi non eſſent, ſtatuere.*

Principes proteſtãtes Helveticos Eccleſias nunquã damnare voluerũt. Spirenſia Comitia.

Vicit hæc æquiſſima ſententia in Spirenſibus *Comitiis anno Domini* 1529. *celebratis. Nam apertè Principes adverſus* Spirenſe decretum *ad hunc modum inter alia quoque proteſtati ſunt*, *videlicet*, quod antea ſæpè dixerint, nunc etiam ſibi videri, nondum eſſe in illos, qui de hoc articulo ſecus doceant, eiuſmodi faciundum decretum, quo nimirum proſcribantur, eò quòd Cæſaris diploma nullam eius rei mentionem faciat: deinde quod eius doctrinæ defenſores neque vocati ſint neque auditi: quam autem non ſit decorum & æquum, in rebus tam arduis aliquid vllo tempore ſtatui, non auditis iis, quorum intereſt, etiam atque etiam conſiderandum eſſe, &c. *Et mox*: Quæ cum ita ſint, non ſe aſſentiri huic ipſorum decreto, ſuique facti rationem eſſe redditúros, & palam omnibus, & ipſi quoque Cæſari. *Et rurſum in* Suinfurtenſi *&* Nerobergenſi, *Conventu anno* 1532. *exhibitâ iam Auguſtanâ Confeſſione, tentata quidem iterum, ſed improbata fuit aliarum Eccleſiarum proſcriptio. In* Vuormatienſi *quoque Colloquio poſtulârunt Lutheranorum quorundam Principum, præſertim Ducum juniorum Saxoniæ, nominatimque* Iohannis Friderici F. *Theologi Flacciani, & nonnullarum Civitatum Legati, ut inter articulos, de quibus iidem condemnationes flagitabant,* Zuinglianorum *condemnatio fieret, priuſquam de aliis controverſiis quicquam cum Pontificiis agerent: verum alii, qui moderatiores erant, & nominatim* Philippus, *multis rationibus adducti reſtiterunt, præſertim autem quòd oporteat majorem frequentiam adeſſe judicum, & quòd vocandi ſint viri docti ex iis Eccleſiis, ubi de hac quæſtione diſſeratur. At licet Flacciani condemnationes ſuas τῷ βραβευτῇ* Iulio *exhibuerint, ab eóque petiverint, ut publicè in conſeſſu recitarentur, fuit tamen hæc eius moderatio, ut publicè eas in conſeſſu recitari noluerit. Similiter neque in Comitiis* Paſſavicis, *in quibus* Pacificatio, *vel Pax Religionis conſtituta eſt anno* 1552. *neque* Auguſtanis *anno* 1555. *neque Ratisbonenſibus anno* 57. *condemnatio orthodoxæ doctrinæ de Cœna impetrari potuit. In* Numburgenſi *Conventu anno* 1561. Iohannes Fridericus *Saxoniæ Dux ſubſcribere quidem Auguſtana Confeſſioni emendatæ priùs noluit, quam Sacramentarii palàm & ſolemniter*

Suinfurtenſis & Nerobergenſis cõventus. Vuormatienſe Colloquium.

Paſſavica Comitia Auguſtana et Ratisponenſia. Numburgenſis Conventus.

in

Auguſtana Comitia. *in hoc Conventu eſſent damnati Principum autem maxima pars ſententiam ejus non probarunt. Et in* Auguſtanis *Comitiis anno* 1566. *celebratis, ad poſtulationem Cæſareæ Majeſtatis*, An Principes Electorem Palatinum pro ordine, vel membro & ſocio Auguſtanæ Confeſſionis agnoſcant? *hanc declarationem ediderunt*; Se nolle vel Palatinum Electorem vel alios, in quibuſdam controverſis articulis ab ipſis diſſentientes, in Germania aut aliis nationibus in diſcrimen & periculum ullum coniicere, multò minùs à pacificatione publica excludere *&c. Imò, in hac ipſa declaratione* condemnationes talium iniquas eſſe atque violentas, *candide & rotunde pronuntiant, etiamſi communi omnium Ordinum conſenſu in abſentes promulgatæ eſſent, eo quod nullum jus in alios ab ſe diſſentientes habeant. Cur igitur à tam paucis Theologis ritè factum fuerit, quod toties piiſſimis Principibus diſplicuit, quum iidem ſint, quos condemnant, qui tum erant, & eædē adhuc rationes valeant? Et quâ deinceps exceptione adverſus Pontificiorū Synodos utemur, ſi alii alios eo ipſo modo damnemus, quem in adverſariis meritò reprehendimus? Si Lutherus prætexitur, qui idem fecerit, præterquàm quod illius judicium privatum eſt, cur nihil ſit* Philippi *&* Buceri *authoritas, qui certè, ſi* Lutheri *aſperitatem probaſſent, vel eos pro hæreticis, blaſphemis & impiis habuiſſent, quos iſti nunc* Quindecim Viri *(quorum vix nomina in Eccleſia nota ſunt) vivos & mortuos condemnant, nunquàm cum eis amicitiam ad extremum uſque ſanctè coluiſſent?*

Affirmativi Articuli Formulæ Concordiæ Torgenſis.

A*Ffirmativi autem Articuli* Torgenſis *hujus* Concordiæ Formulæ, *ex qua paulò poſt* Concordiæ liber Bergæ, *fabrefactus eſt, ad hunc modum ſe habent.*

Articulus I. Primùm, docemus, credimus & confitemur ex imo cordis noſtri, quod vera præſentia eſſentialis & veri Corporis & Sanguinis Chriſti in ſua Cœna (quam nos & omnes Auguſtanæ Confeſſionis fideles ſocii viventibus adhuc, & poſtea quam etiam mortui ſunt, Luthero, Philippo, Pomerano & ipſorum fidelibus paraſtatis, contra Pontificatum & omnes Sacramentarios ſemper docuimus & confeſſi ſumus) ſuper nullum aliud fundamentum ſit collocanda quam ſuper firma, immota, clara & vera verba Inſtitutionis Domini noſtri Jeſu Chriſti: quæ clara & expreſſa Inſtitutionis verba, tanquam hujus cauſæ veriſſimum fundamentum, ſimpliciter ſicut ſonant, & ſicut omnes circumſtantiæ Inſtitutionis evidenter demōſtrant, & non aliter accipienda & declaranda ſunt; idque propter hanc cauſam cui nunquam poterit contradici, quia Evangeliſtæ iſta Verba Teſtamenti Dominici ſingulari diligentiâ & fermè iiſdem verbis deſcribunt, ſine mentione ullius figuræ aut novi aut peregrini intellectus verborum. Hunc unanimem conſenſum Sanctus Apoſtolus Paulus, ſicut ipſe eum poſtremo ab ipſo Domino in tertio cœlo acceperat, de verbo ad verbum repetit & ſtabilit.

Ut autem declarationi Paulinæ ab hoſtibus veritatis, qui ſunt Papiſtæ & Sacramentarij nulla vis inferatur, & ſincerus intellectus verborum ſuorum maneat, cùm inquit, Panis quem frangimus, nonne eſt communicatio corporis Chriſti: Calix cui benedicimus, annon eſt communicatio ſanguinis Chriſti? Itaque retinemus unicam Apoſtolicam declarationem, ſicut ipſe vult intelligi, nempe verba ipſius Domini, Accipite, edite, Hoc eſt Corpus meum: & ſicut etiam Lutherus hanc ſententiam Pauli, gaudium & coronam cordis ſui contra Sacramentarios prædicat: ita nos etiam illam amplectimur & uſurpamus contra omnes novos & veteres Sacramenti fautores, qui hoc dicto Pauli conantur verba Chriſti, confeſſionem harum Eccleſiarum & ſententiam Lutheri confodere, evertere & mendacij ſuſpectam reddere.

Secundùm hæc tenemus & credimus II. cordaliter & veriſſimè, quòd in hac Cœna Dominica, in qua ipſe verè, vivus admodum, eſſentialiter, & quod ad perſonam attinet, indiviſe eſt præſens cum porrectione & acceptione non tranſſubſtantiati panis & vini, nobis verè & ſubſtantialiter, ſed inviſibili, inſenſibili, & inſcrutabili modo, ad manducandum & bibendum datur, & à nobis recipitur verum ſubſtantiale corpus Filij Dei, quod ipſe ſuſcepit, & pro nobis ſemel in trunco crucis obtulit; & verus ſanguis ipſius, quem pro nobis effudit in remiſſionem peccatorum. Hæc autem omnia ad iſtum finem & uſum, ut credentes ſuæ redemptionis, & omnium ipſius beneficiorum fiant participes. Et ut filius Dei hoc munere teſtetur, quòd nos certò recipiat, membra faciat ſui corporis, ſuo ſanguine abluat, remiſſionem peccatorum & Spiritum ſanctum donet, ipſe in nobis habitare, & perpetuò efficaciter in nobis operari velit.

Tertiò, clarè coram Deo & tota Eccleſia III. IV. V. teſtamur, nos nulli opinioni Sacramentariæ, ſive nova ſit ea, ſive vetus, addictos eſſe, nec unquam nobis in mentem veniſſe, ut nos illi addiceremus. Præterea

ad vitandas multas inutiles & periculoſas diſputationes & quæſtiones, retinemus conſtanter, & unanimiter formam & modum de Sancta Cœna loquendi, ipſa verba inſtitutionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & repetitam declarationem ſancti Pauli, quæ in noſtro parvo Catechiſmo, ſicuti etiam in majori & in aliis plenis diexodicis ſcriptis Lutheri, etiam D. Philippi, piæ memoriæ & aliis publicis ſcriptis, ut ſuprà dictum eſt, ubi clarè & diſertè de his rebus actum eſt. Confitemur etiam atque credimus, quòd illæ ipſæ magno conſilio & judicio factæ declarationes, de nullo ſigno aut figura abſentis Corporis, neque etiam tantum de ſpirituali manducatione, verum ſicut ipſorum quæſtiones & reſponſiones clarè, intelligibiliter & Chriſtianè ſonant, de ſacramentali aut corporali manducatione veri Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœna intelligi debeant. Lutherus teſtatur, quòd Cœna Domini ſit ipſius verum Corpus & verus Sanguis ſub pane & vino nobis Chriſtianis ad manducandum & bibendum ab ipſo Chriſto inſtitutis, & quòd Domini Corpus & Sanguinem tam digni quàm indigni qui accedunt, accipiant. Ipſe etiam Philippus in forma doctrinæ & diſciplinæ Eccleſiaſticæ Vuitebergenſi & Meggelburgenſi clarè interrogat, Quid in Cœna Domini diſtribuatur & accipiatur? Reſponderurque diſertè & conſtanter: Verum Corpus & Sanguis Chriſti.

Tali doctrinâ neque docemus neque probamus ullo modo ullam Papiſticam Tranſſubſtantiationem: hoc eſt, quòd virtute dictorum verborum inſtitutionis hujus Sacramenti, panis & vinum in Corpus & Sanguinem Chriſti mutentur, & tantùm nuda externa ſpecies panis & vini remaneat. Multo minus hoc probamus vel docemus, quòd Corpus & Sanguis Chriſti localiter in panem & vinum includantur, aut durabiliter cum his uniantur extra ſumptionem: Verum ſcimus & fatemur, quòd extra inſtitutam diſtributionem & acceptionem, in idololatrica Miſſa Papiſtica, aut ſi panis includatur in arculam, vel adorationis cauſa circumgeſtetur aut monſtretur, ſicut ſit in Papatu, Chriſti Corpus non præſens ſit, nec præſens eſſe exiſtimandum ſit. Condemnamus omnes illos Papiſticos furores & omnia βδελύγματα, ſicut hucuſque factum eſt & adhuc Dei beneficio fit. Neque etiam docemus aut credimus quod hic in Cœna ulla vel aſcenſio vel deſcenſio de cœlo fiat, ſicut noſter dilectus pater Lutherus loquitur: ſed manemus firmiter & unanimiter apud articulos fidei: Aſcendit in cœlos ſedens ad Dexteram Dei, *&c.* Neque etiam comminiſcimur ullam Vbiquitatem carnis, neque negamus veritatem Corporis Chriſti, aut ullum articulum Chriſtianæ fidei. Neque diſputamus de modo præſentiæ, quomodo Chriſti Corpus & Sanguis poſſint adeſſe. Hæc omnia ſunt imperveſtigabilia, nec ea poteſt Humana ratio quantumvis acuta ſit, eruere, ſed commendamus hæc divinæ omnipotentiæ, & ſimpliciter manemus apud verba Domini, in humili Chriſtiana obedientia fidei: Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Sanguis meus.

Tenemus itaque ſecundùm iſta, quòd Vnione ſacramentali, panis ſit Corpus Chriſti, & vinum Sanguis Chriſti. Confitemur etiam atque credimus quod, ubi ſecundùm mandatum Domini convenitur, & ipſius inſtitutio ſervatur, ut panis & vinum porrigantur, ibi ſimul hîc præſens ſit & verè porrigatur, accipiatur & ore comedatur atque bibatur verum & ſubſtantiale Corpus & Sanguis Chriſti: idque omne propter inſtitutionem, ordinationem, verbum, veritatem, & omnipotentiam noſtri veracis & fidelis Redemptoris Ieſu Chriſti: propter quam etiam cauſam cum veteri orthodoxa Eccleſia Cœnam Domini pro imperſcrutabili myſterio habemus: nec poſſumus aliter facere in tam ſublimi negotio, quàm ut fateamur & permaneamus in tam claris & veracibus Verbis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ ſunt nobis & manent lucerna & lumen, Pſalm. 33. Verba Domini ſunt veracia: quæ promittit, ea certè ſervat. Luc. 1. Apud Deum non eſt impoſſibile ullum verbum Rom. 4. Quæ Deus promittit ea poteſt certò præſtare, Epheſ. 3. Deus poteſt abundantiſſimè facere & operari ſuprà quam poſſumus intelligere aut petere. Ipſe etiam vincit in ſuo verbo, quum judicatur, Pſal 51. Et omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, Pſ. 135.

Habemus etiam pro utilibus & certis regulis, quòd nihil ſit aut eſſe poſſit Sacra- IV.
mentum extra uſum inſtitutum. Hoc enim clarum eſt & manifeſtum, quòd nulla creatura habeat poteſtatem Sacramenta condédi vel mutandi. Item, quòd Dominus Chriſtus in hac Cœna verè præſens ſit non propter panem, ſed virtute promiſſionis & inſtitutionis: ſive propter hominem, in quo veram fidem, conſolationem & vitam operari vult per ſuum verbum & Sacramentum. Sed intelligimus tamen inſtitutum uſum ſecundum ſupra dictam declarationem Verbi Dei: item ſecundum Lutheri, Philippi

Philippi & omnium orthodoxarum Eccleſiarum editam & traditam confeſſionem de mandata diſtributione, & acceptione ſive fruitione utriuſque partis, nimirum rei terreſtris, quæ ſunt panis & vinum, & rei cœleſtis, quæ ſunt Corpus & Sanguis Domini. Confitemur etiam, quod iſte ordinatus viſibilis uſus diſcerni debeat ab interiori ſpirituali uſu, ne Sacramentarii occulto aſtu, ſub uſu ſpirituali & ſub prætextu iſtarum utilium & neceſſariarum regularum, ſuum furorem, fundamento carentem, occultare & tegere poſſint. Etſi enim hoc verum eſt, quòd iſte ſpiritualis uſus, videlicet fruitio fidelis Corporis & Sanguinis Chriſti, ab externo viſibili ordinato uſu oralis fruitionis Corporis & Sanguinis Chriſti, divelli non debet: imò abſque illa ſpirituali fruitione, quæ fidelium eſt, oralis vel Sacramentalis fruitio non ſolùm non prodeſt, verùm etiam valde ipſi eſt nociva mortifera, & condemnationem adferens, ſecundum Sancti Pauli ſententiam: tamen propriè loquendo aliud eſt externa actio vel diſtributio aut acceptio Sacramenti Corporis & Sanguinis Chriſti, quam vulgaris regula inſtitutum uſum nominat, aliud vero eſt fructus vel ſpiritualis uſurpatio diſtributarum & acceptarum partium Cœnæ, id eſt, totius à Chriſto ordinati Sacramenti. Hic verò propter perverſiones Sacramentariorum, iſtud etiam confiteri & in mentem revocari oportet, quod propter hanc regulam non idcirco minùs rectè dictam ſit, quòd Cœna Domini ſit ipſius verum & eſſentiale Corpus & Sanguis ſub pane & vino nobis Chriſtianis ad edendum & bibendum ab ipſo Chriſto inſtituta, *&c.* Item, quod propter hanc regulam non ſequatur, panem & vinum eſſe tantùm nuda, inania ſigna, figuras & ſignificationes abſentis Corporis & Sanguinis Chriſti, aut quod cum pane & vino verè & ſubſtantialiter verum Corpus & Sanguis Chriſti in eo non diſtribuantur aut accipiantur.

VII. Retinemus etiam, & pro utili & vera habemus hanc quoque tertiam regulam, quod inſtitutio hujus Sacramenti per Chriſtum facta ſit efficax, & maneat in Chriſtianitate: & quòd dignitas aut indignitas tam miniſtri porrigentis, quàm perſonæ ſumentis hanc non tollat aut minùs efficacem reddat. D. Lutherus hanc regulam ita fundat: Sacramenta tractare & porrigere, uſurpare & accipere, ſicut etiam Verbum Dei tractare, prædicare & accipere: hæc, inquam, omnia Chriſtus in ſuum verbum, & non in hominum ſanctitatem conſtituit, ut eò certiores & ſecuriores de Verbo & Sacramentis reddamur: Itaque ſequuti verba Sancti Pauli, Confitemur quòd etiam indignis verè porrigatur verum Corpus & Sanguis Chriſti, & quòd illi hæc verè accipiant, ibi ubi Domini inſtitutio & ordinatio ſervatur, verum ad judicium, quia ſcilicet illis abutuntur, dum ſine fine & pœnitentiâ accipiunt.

Itaque docemus & confitemur, Cœnam duplici modo accipi, ſpiritualiter & Sacramentaliter. Spiritualis manducatio fit, quando nobis in Evangelio beneficia Chriſti offeruntur, quæ ſua carne, ſancta incarnatione, tota obedientia, ſacrificio, ſanguine, morte & reſurrectione promeruit, ut ſunt remiſſio peccatorum, reconciliatio, juſtitia, Spiritus Sancti reſurrectio carnis & vita æterna: quando videlicet illos à Chriſto promeritos theſauros credente corde accipimus, amplectimur, & nobis applicamus, nóſque per illa conſolamur in omnibus difficultatibus & tentationibus: de qua Iohannis 6. Chriſtus loquitur. Et ideò vocatur ſpiritualis quód ſine operatione Spiritus S. & ſine viva & vera fide non poſſit fieri, ſine qua etiam oralis fruitio non ſolùm nullius fructus eſt, ut ſuprà diximus, ſed etiam mortem & condemnationem adfert. Hanc ſpiritualem fruitionem requirunt verba Chriſti: Hoc eſt Corpus meum pro vobis traditum. Hic calix eſt Sanguis Novi Teſtamenti, qui pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum. Item, Hoc facite in mei recordationem. Verbum enim illud PRO VOBIS, requirit mera credentia corda. Eſt verò alia manducatio, quam docendi cauſa, Sacramentalem ſive oralem perceptionem Corporis & Sanguinis Chriſti nominavimus, ſicut etiam Lutherus, Pomeranus, Eberus, & alii veteres & novi Doctores Chriſtianæ Eccleſiæ nominant: ubi videlicet non ſolùm beneficia Chriſti per verbum nobis oblata fide apprehenduntur & nobis applicantur: Sed etiam verum Corpus & Sanguis Chriſti Domini noſtri, per quem nobis parta ſunt æterna illa bona, nobis in Cœna, ut noſtra ſint propria donantur, & cum pane & vino accipiuntur, ad confirmationem, corroborationem & conſervationem noſtræ fidei.

Et hæc quidem credimus & nobis perſuademus eſſe verum intellectum & ſenſum Verborum Chriſti in hoc Sacramento, imò etiam Confeſſionis Auguſtanæ, Apologiæ & aliarum Confeſſionum à nobis ſcriptarum, quæ in Corpore doctrinæ comprehenſæ ſunt. Et quoniam æterna & immota veritas quam Inclyti & Chriſtianiſſimi Electores atque Principes, qui Confeſſionem Auguſtanam cum magno vitæ & Corporis pe- IX.

riculo coram Imperatore & omnibus Imperii Statibus, & unà cum illis multi præclariſſimi & doctiſſimi Viri, infinitæque myriades Chriſtianorum pectorum contra Paparum & furorem Sacramentarium unanimiter confeſſi ſunt, & uſque ad noſtra tempora propugnarunt, & conſervarunt: quæ etiam in quibuſdam ante annos complures Dreſdæ conſcriptis Confeſſionibus in hoc unico intellectu ab omnibus harum Regionum Eccleſiarum Doctoribus & Paſtoribus eò convocatis approbata & ſubſcripta eſt: ideò etiam nos deinceps propter brevitatem, purâ & bonâ conſcientiâ ad illum unicum celeberrimum Conſenſum referimus & provocamus.

X. Et ex prædictis omnibus in concluſione & fundamento ſequitur, quòd ut veritas in hoc articulo contra omnes doctrinas erroneas conſervari queat, non opus ſit, ut Papiſtæ idcirco, aut Sacramentarii, aut Eutychiani, aut Neſtoriani fiamus per Confuſionem aut ſeparationem naturarum Domini noſtri: Item, quod utrorumque Papiſtarum & Sacramentariorum à nobis condemnatis abominationibus & furoribus ſufficienter & fundamentaliter poſſit reſponderi & contradici, quando in iſta Chriſtiana & puerili ſimplicitate Verborum Chriſti conſtanter manemus & perſeveramus. Propterea etiam illi, qui nos propter hanc Chriſtianam ſimplicitatem Papiſtis conferunt, & nos idololatras eſſe clamitant, atque contumelioſiùs quàm ipſos Papiſtas traducunt, iſti, inquam, harum Regionum Eccleſiis & Doctoribus manifeſtam vim & injuriam inferunt, & habebunt, quod hac de re & in ultimo judicio reſponſuri ſint. Horrendæ abominationes Antichriſtiani illius Pontificatus jamdudum everſæ ſunt à ſancto Evangelio, & ſcriptis noſtrorum præceptorum: proinde poſthac in nullam diſputationem aut dubitationem, quod ad hanc rem attinet, deduci poſſunt aut debent. Sicut itaque Papæ abominationes reiicimus & condemnamus Sacramentariorum furorem: ſiquidem clarum & manifeſtum eſt, quod illud initio craſſius & importunius per Caroloſtadium & Zuinglium eruperit: deinceps verò à [illegible]ribus paulò ſubtiliùs & acriùs q[illegible]ndatus, & de die in diem cum majore auctoritate probatus ſit, ita tamen ut illi veteri primo, craſſo & inepto furori, deinceps tantùm novæ gloſſæ ſint adjectæ, & illiti novi colores. Exiſtimamus proinde, quòd veteres & novi craſſi, & ſubtiles Sacramentarii in fundamento cauſæ inter ſe concorditer conſentiant, & unum atque eundem fanaticum errorem doceant, videlicet in Cœna Domini nihil eſſe plus quàm ſimplicem & nudum panem & vinum.

Articuli Negativi Torgenſis Formulæ.

Sequuntur nunc Articuli negativi, quos Quindecim Viri iſti omnes tanquam hæreſes, blaſphemias & errores in ſua Torgenſi formula reiiciunt ac damnant.

Quòd panis & vinum nihil ampliùs ſint quàm ſigna profeſſionis aut indicia quædam: ut ex eorum fruitione Chriſtiani ſeſe invicem cognoſcant, & ad fraternam dilectionem & concordiam invitentur. Error I.

Quòd Chriſtus quando hæc verba dixit, Hoc eſt Corpus meum: non ad porrectum panem, ſed retrò ad Corpus ſuum reſpexerit: Accipite & edite panem, meum Corpus hic ſedet. Ita Caroloſtadius ſcurriliter luſit. II.

Quòd vocula EST idem ſignificet, ac ſi ſcriptum eſſet, Panis ſignificat Corpus meum: Ita Zuinglius inſanit. III.

Quòd hæc verba CORPVS MEVM, non aliud ſignificent, quam ſignum & figuram abſentis Corporis. Hæc erat Oecolampadii ſententia, & nullius momenti prætextus. IV.

Quòd hæc tota oratio, Accipite, Comedite, Hoc eſt Corpus meum, ita intelligi debeat, Eſt Creatura Dei, & hoc modo Chriſti Corpus, ſicut aliæ omnes Creaturæ Dei Corpus ſunt, ſecundùm Campani fanaticum errorem. V.

Quòd verba Chriſti ita conſtrui debeant, Accipite, Edite, meum Corpus eſt hoc, ſcilicet ſpiritualis animæ cibus, ſecundum rabioſum Schuenckfeldii commentum. VI.

Quòd panis & vinum nihil ampliùs quàm ſignificatio, ſimilitudo, & repræſentatio Corporis & Sanguinis Chriſti ſint, hoc eſt omnium beneficiorum merito Chriſti partorum; & id quidem hoc intellectu, Sicut panis & vinum noſtri corporis vitam confortat & ſuſtentat, ita Corpus & Sanguinem Chriſti ac beneficia & merita his parta, eſſe unicum ſpiritualem animæ noſtræ cibum ac nutrimentum ſecundùm Calvini, Bezæ, Bullingeri, Martyris, Heidelbergenſium, & qui horum conjurati ſunt, opinionem, quam etiam in libris innumerabilibus longè latéque ſpargunt, & cum multis blaſphemiis uſque ad hodiernum diem propugnant: quòd videlicet panis & vinum nihil amplius ſint, quàm teſſera, ſignum, pignus, aut memoriale abſentis Chriſti Corporis VII.

quod à nobis diſceſſerit, & aliquando ad nos rediturum ſit: & eſſe tantùm hoc modo panem Corpus Chriſti, ſicut memoriale eſt illud ipſum, de cujus memoria admonere nos debet. Hæc eſt ſuprà nominatorum Sacramentariorum fides.

VIII. Quòd Chriſtus panem ideò vocet ſuum Corpus, & calicem ſuum Sanguinem, Paulus verò Communionem Corporis & Sanguinis Chriſti ideò appellet, non ſolùm ut nos eo doceat, ſicut panis & vinum hanc corporalem vitam conſervant, ita etiam ipſius crucifixum Corpus & effuſum Sanguinem eſſe verum cibum,& potum animarum noſtrarum ad vitam æternam, verùm etiam, & quidem multò magis, quòd nos per hæc ſigna & pignora velit certos facere, quòd tam verè ſui Corporis & Sanguinis per operationem Spiritus S. participes fiamus, quàm verè hæc ſancta ſigilla ore in ſui recordationem accipimus. Ita ſonant Catechiſmus Heidelbergenſis, & nova Exegeſis, ubi occulti Sacramentarii ſeipſos produnt, dum ſub nomine & umbra verborum D. Philippi fingunt & aliis perſuadere conantur, hæc duo eadem eſſe, videlicet quando D. Philippus dicit, Fruitionem hujus Cœnæ, in qua verum ipſius Corpus & verus Sanguis diſtribuuntur, eſſe teſtimonium ſuæ perpetuæ & æternæ præſentiæ atque operationis in ſanctis: & quando ipſi Sacramentadverſarii dicunt, ſolam fruitionem nudi panis & vini, non autem verum præſens & diſtributum Corpus & Sanguinem Chriſti, eſſe hujus ſuæ operationis teſtimonium & pignus. Hæc eſt iſtis temporibus maximè ſubtilis & acutiſſima inverſio veritatis in hoc Sacramento, quæ multos homines faſcinat. Et ſunt ſequentia verba eorúmque ſenſus cum præcedentibus ejuſdem valoris: nempe Panem ideo vocari Corpus Chriſti, propter uſum & officium nimirum, ut nobis ſint Sacramentum vel teſtimonium ſocietatis cum Chriſto, quod nos ſcire non poſſemus, niſi Chriſtus verbis ſuis additis ita ordinaſſet, quòd videlicet nos tam verè ſuo Corpore & Sanguine paſcere velit; quàm verè Naturalem panem in Sacra Cœna percipimus. Et hoc iterum ſecundum Heidelbergenſem fanaticam Confeſſionem, quæ extat in Libro cui titulus eſt, Grundtlicher Bericht.

IX. Quòd omnes & ſinguli veteres & novi Sacramentarii hunc fanaticum errorem pertinaciter tueantur; Non poſſe verum intellectum verborum Chriſti haberi, ſi nullum tropum, figuram, figuratam ſignificationem, aut novum intellectum verborum ponamus & recipiamus, aut illa non judicemus ſecundùm morem & analogiam Sacramentorum Veteris & Novi Teſtamenti (utp ſi loquuntur) verùm ſecundùm clara, evidentia, indubitata verba, quibus Dominus Chriſtus, qui ipſa eſt vita & veritas, hoc Sacramentum inſtituit, & nobis mandavit. Porrò hoc etiam dicit Exegeſis; Non oportere ad verba, ſed ad mentem Chriſti reſpici, & ſecundùm illa judicari. Item, Si nuda & clara verba Chriſti teneamus, id verè eſſe artolatriam ſuperſtitionem & idololatriam majorem, quàm eſſe poſſunt omnes abominationes, *&c.* Quaſi verò poſſimus Chriſti ſententiam, affectum & voluntatem, & id, quod æternus Pater ille nobis annunciandum mandavit, alibi quàm in ipſius veraciſſimis, & ab omni fraude remotiſſimis verbis invenire, aut aliunde quàm ex Apoſtolorum & Prophetarum teſtimoniis accipere, credere, & inde ſalvi fieri. Et quaſi os illud veritatis aliter loqueretur, quàm cor ipſum ſentiret & affectum eſſet.

X. Quòd omnes contendant Corpore & Sanguine Chriſti non poſſe nos aliter, quàm per veram fidem ſpiritualiter frui. Itaque etiam hac in Cœna ipſum ſolo ſpirituali modo ſecundum fidei naturam edi & bibi oportere.

XI. Quod fingant, ſe non facere ex Cœna nudum & vacuum ſignum, neque ſe Chriſtum ex Cœna ſua excludere, ſed (quemadmodum dolosè & fraudulenter loqui ſolent) ſe firmiter credere in Cœna non ſolùm beneficia & merita Chriſti, ſed etiam carnem & ſanguinem ipſius verè à ſe manducari & bibi: interim nihilominus fingant, & contendant omnes vehementiſſimè & rabioſiſſimè, verum & ſubſtantiale Corpus Chriſti tam procul abeſſe à Cœna, quàm eſt cœlum à terra.

XII. Quòd κοινωνία Corporis & Sanguinis Chriſti, de qua Paulus loquitur, de ſola ſpirituali Vnione cum Chriſto & ipſius Corpore myſtico, hoc eſt, Chriſtiana Eccleſia, quæ Chriſti Corpus appellari ſolet, intelligenda ſit. Nec ullo modo credendum, quòd Paulus de publica diſtributione Corporis & Sanguinis Chriſti In, Cum, vel Sub pane & vino ſecundum ordinationem Chriſti, & ipſius propriam & diſertam declarationem loquatur.

XIII. Quòd hæ voces, In, Cum, & Sub pane & vino datur nobis Corpus & Sanguis Chriſti, ſecundum verba & eorum ſignificationem & intellectum aliud ſibi velint, quàm hæc Chriſti oratio: Accipite, Edite, Hoc eſt Corpus meum, *&c.* Et quòd hac ratione à vero intellectu verborum Cœnæ, de XIV
quibus in harum terrarum Eccleſiis tanta

D 4 præconia

præconia facta ſunt, nimis longè diſcedatur: imò etiam pernicioſior idololatria hac ratione confirmetur, quàm unquam fuerint abominationes papiſticæ. Ita liber ille Heidelbergenſis Bericht/ & Exegeſis planè veneratas blaſphemias ſpargunt.

XIV. Quòd Dominus Chriſtus ſuum Corpus & Sanguinem in Cœna non ſolùm dare & promittere noluerit, ſed etiam, ſi voluiſſet, non tamen potuerit: Ratio; quia non potuerit plura promittere & recipere quam conditio & proprietas aſſumptæ Humanæ Naturæ patiatur & promittat. Quod perinde eſt ac ſi hanc blaſphemiam recitarent, nempe divinam potentiam & ſapientiam non poſſe longiùs efferri, aut plura operari, & ad plura extendere ſeſe, quàm noſtri oculi, ſenſus & ratio corporaliter & naturaliter videre, judicare, & pronunciare poſſunt. Hanc blaſphemiam docet Beza & plurimi ejus conjurati complices.

XV. Quòd verba Chriſti non plus dicant, quàm quòd Chriſtus ſuo Corpore & ſuo Sanguine nos cibare & potare velit: hinc verò nullo modo iſtud effici, quòd Chriſti Corpus & Sanguis verè & ſubſtantialiter hic debeant præſentia eſſe, diſtribui, & accipi, ſecundùm quidem Bezæ phantaſticam ſententiam.

XVI. Quòd contra Scripturam ſit & contra Articulum fidei de Veritate Humanæ Naturæ in Chriſto, quam, peccato excepto, nobis ſimilem aſſumpſit, & contra articulum de Aſcenſione in cœlos & exaltatione Chriſti ad Dexteram Dei. Perinde ac ſi eſſet aut etiam eſſe poſſet Scriptura & Verbum Dei ſibi repugnans: aut quaſi oporteret ſine contradictione in Dei Verbo, & in Sapientia Divinâ & omni Potentia id eſſe contrarium aut ſuæ potentiæ impoſſibile, quod noſtris oculis, ſenſibus & intellectui impoſſibile & in ſeipſo contrarium apparet, aut quaſi jam tum demonſtratum eſſet cùm Sacramentarii dicunt, Chriſtus aſcendit in cœlum, vel, Chriſti Corpus eſt in cœlo. Igitur non eſt in Cœna. Nam quia utraque propoſitio extat in Sacra Scriptura, ideò Lutherus provocavit omnes Sacramentarios, ut dicerent & monſtrarent *ἀντιλογίας* & repugnantiam. Ergo adhuc in hunc uſque diem cardo totius controverſiæ in hoc vertitur, quòd Sacramentadverſarii monſtrare & evincere debent, quomodo hoc in Verbo Dei contrarium & impoſſibile ſit. Quia non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum, Luc. 1. Omnia quæ Deus loquitur & promittit, ea poteſt præſtare, Rom. 4.

XVII. Quòd omnes Sacramentarii de Aſcenſione & Exaltatione Chriſti ad Dexteram Patris, planè pueriliter & phantaſticè extra Verbum Dei, & ſine illo loquantur, & fabulentur, quaſi Corpus Chriſti in cœlo concluſum & detentum ſit in unico quodam certo loco, ſicut hirundo quæ cavernulæ, aut ciconia ſuo nido inſidet, & hoc localiter concluſa & retenta manet, aut ſicut ſtellæ cœlo affixæ ſunt, *&c.* Et quòd ad confirmationem hujus puerilis fictionis multa præclara & plena conſolationis dicta Scripturæ violenter ab iis & horribiliter detorqueantur, trahantur, & excarnificentur, ut illam ſententiam vel ſtabiliant, aut ad minimum aliquo fuco & colore eam ornent.

Quòd Sacramentalis ſive oralis fruitio prorſus non ſit neceſſaria, ſed ſit Capernaitica & Cyclopica creophagia, quemadmodum horribiliter & ſceleratè omnes illi ſcriptores hanc blaſphemiam evomuerunt: & quidem præcipuè ille hoc tempore ipſorum magiſter de altis ſenſibus Beza in omnibus ſuis ſcriptis. XVIII.

Quòd Sacramentalem Vnionem talem ſolummodo & non aliam ponant & declarent, per quam externa ſigna (primum propter ordinem & inſtitutionem Dei & analogiam, quæ eſt inter ſignum & veritatem: deinde propter obſignationem gratiæ Dei, quæ in uſu Sacramentorum fit: denique quia veri Chriſtiani in legitimo uſu, quum externo modo iſta ſacra ſigna accipiunt ſimul, etiam per vim & operationem Spiritus Sancti promiſſæ veritatis reipſa & verè participes efficiantur) illud ipſum ſint quod ſecundum conſuetudinem Sacramentorum nominentur, *&c.* Alii rem breviùs ita complectuntur, Sacramentalem Vnionem nihil eſſe ampliùs quàm ſimilitudinem inter ſignum & rem ſignatam: hoc eſt, quòd externum ſignum ſpiritualium bonorum ſimilitudo, ſignificatio, & figuratio ſit. Quo quidem dogmate contradicunt huic noſtrarum Eccleſiarum doctrinæ & ſententiæ, ubi fatemur, Sacramentalem Vnionem eſſe hoc ipſum, quod nobis cum pane & vino verè præſens diſtribuatur, & ad comedendum & bibendum porrigatur, & detur verum Corpus & Sanguis Chriſti: & quòd ita obſignatio, certificatio & confirmatio noſtræ fidei fiat, non ſolum per nudum panem & vinum, ſed etiam per ea, de quibus diximus, verè præſentia & præſenter nobis oblata dona Corporis & Sanguinis Chriſti, *&c.* omnes iſtæ & ſimiles, quæ numero carent ſophiſticæ fallaciæ, demonſtrant & teſtantur evidentiſſimè, quòd Sacramentarii, & una cum ipſis Exegeſis, non poſſunt pati, ut externa, terrenáque ſymbola panis & vini nomi- XIX.

nominentur ſigna exhibitiva veri Corporis & Sanguinis Chriſti, ſed tantum ſigna ſignificativa, aut ſi rem quàm optimè & aſtutiſſimè tegere volunt, ſigna teſtificativa, vel memorialia, hoc eſt tantum nuda teſtimonia & memoralia ſpiritualium æternorum bonorum & beneficiorum Chriſti.

XX. Poſtremò & pro concluſione habemus pro meris furoribus Sacramentariis, & pro pernicioſis & blaſphemis irriſionibus & ſubſanationibus Teſtamenti à Filio Dei conditi, omnes venenatas & ſubtiles quæſtiunculas, quæ ſine verbo Dei & extra illud, præterque omnem neceſſitatem à Sacramentadverſariis moventur, acuuntur, & noſtræ Chriſtianæ ſententiæ velut ex diametro opponuntur. Vt quando Sacramentarii, & eorum diſcipuli quærunt:

1. Quando & quomodo Chriſti Corpus ad panem, vel in panem veniat.

2. Quam propè pani adſit, aut quàm longè ab eo diſtet.

3. Quomodo ſub pane occultari poſſit & abſcondi.

4. Quamdiu duret Vnio Sacramentalis.

5. Quando Corpus Chriſti iterum à pane recedat.

6. An Corpus Chriſti, quod ore accipimus, in noſtrum corpus & ventriculum traiiciatur, & an ibi concoquatur.

7. An dentibus conficiatur & comminuatur.

8. Sitne vivum corpus vel mortuum, ſiquidem diſtinctè Corpus ſub pane, & Sanguinem ſub vino accipiamus.

9. Ad quid tandem iſta vera ſubſtantialis aut corporalis præſentia veri Corporis Chriſti utilis ſit & proficiat: ſiquidem de uſu & fructu illius ipſius aliter loqui non poſſumus, quàm ſicut alias de uſu & fructu ſpiritualis præſentiæ ſentiendum eſt.

10. Quid tandem operetur Chriſtus in dignis & indignis.

11. An corpora fidelium per Corpus Chriſti naturali modo ad immortalitatem immutentur, ſicut aliàs cibus naturalis in ventre hominis à natura mutatur.

12. Quomodo Papiſticæ abominationes de oblatione, circumgeſtatione, & adoratione panis fundamentaliter refutari poſſint, ſi in ſententia noſtrarum Eccleſiarum conſtanter maneamus.

13. Quare ad Panem In, Cum, & Sub quo Chriſti Corpus & Sanguis nobis porriguntur, & in quo, cum quo, & ſub quo ipſe Chriſtus præſens eſt, non liceat dicere ex vero pietatis affectu: Deus miſerere mei propter Filium tuum, cujus Corpus & Sanguinem ego de manu Sacerdotis verè & eſſentialiter accipio.

14. Cur non liceat dicere ad panem: Domine Jeſu, qui hic verè & corporaliter præſens es, miſerere mei.

15. Ac ſi talis veneratio & adoratio panis damnari atque reiici non debet: cur non talem reverentiam & religionem per quotidianam Miſſificationem, circuitus, & alias Papiſticas ceremonias confirmare, augere, & omnibus hominibus commendare, & quàm maximè perſuadere licitum ſit.

Omnes iſtas & alias his ſimiles innumeras voces, opiniones, fundamenta & errores veterum ac novorum Sacramentariorum errorum, quibus firma & immota verba inſtitutionis Chriſti, & per conſequens veram ſubſtantialem præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti ſe poſſe evertere ſibi perſuadent, aut quibus deinceps etiam conari poſſent veteres ſuos conceptos errores novis gloſſis ornare, fucare, palliare & pingere, ſeverè cenſemus eſſe periculoſos & pernicioſos errores ac furores, qui in his noſtris Eccleſiis hucuſque per Dei Verbum increpati ſunt & damnati, & quos deinceps etiam propter conſervationem veritatis & conſolationis in Teſtamento Filii Dei nobis traditæ damnari oportet atque neceſſe eſt.

CAPVT VI.

Apologia ad Acta Conventus quindecim Theologorum Torgæ habiti.

QVum hæc Formula Concordiæ Torgenſis Conventûs non ſolum ſcripta, ſed etiam typis evulgata, & hinc inde ſparſa eſſet, Theodorus Beza *Genevenſis Eccleſiæ Miniſter* Apologiam *adornavit, & ad Articulos de Cœna Domini potiſſimum reſpondit, ut intelligatur noſtras Eccleſias propter ſuam Doctrinam de Cœna Domini, tanquam pernicioſiſſimum errorem & Verbo Dei penitus repugnantem, injuſtiſſimè & iniquiſſimè ab his paucis hominibus damnari, Ex hac Apologia non omnia, ſed præcipua tantùm hic excerpemus in Lectoris diſcendi cupidi gratiam, & ſimul alia quoque de noſtro addemus.*

Quod igitur ad Articulum affirmativum primum attinet, affirmant ac docent, veram præſentiam eſſentialis & veri Corporis & Sanguinis Chriſti in ſua Cœna, ſuper nullum aliud fundamentum eſſe collocandam, quàm ſuper firma, immota, clara & vera verba inſtitutionis Domini, eaque ſimpliciter, ſicut ſonant, accipienda & declaranda eſſe, ſicut

Reſpõdetur ad primum articulũ affirmativum. An Lutherani omnes verba inſtitutionis pro fundamento unico ſuæ doctrinæ ponãt.

ſicut & Paulus ea declararit, 1.Cor. 10.c. Ita quidem illi: ſed hoc pacto diſſentiunt à Brentio & Schmidlino, qui vnicum fundamentum corporalis præſentiæ Chriſti in Cœna non verba Chriſti, ut Torgenſes, ſed Vbiquitatem corporis Chriſti poſuerunt. Nam Schmidlinus ſecundo ſuo ſcripto contra Heydelbergenſes pag. 61. ſic inter alia ſcribit: Quicunque hanc Majeſtatem Vbiquitatis nobiſcum fateri non volunt, iſti verum fundamentum præſentiæ Corporis Chriſti in Cœna negant. Et in Epiſtola ad Vuittbergenſes, & contra Sperlingum ſic ſcribit: Niſi ex hypoſtatica Vnione duarum Naturarum in Chriſto ponatur, corpus ipſius eſſe in omnibus vbique locis, fruſtra inculcatur veritas verborum, Hoc eſt corpus meum: pro quibus & ne ad momentum quidem, ampliùs velim dimicare.

Quando verba Scripturæ ſecundum litteram intelligenda.

Deinde, verba Scripturæ ſecundum τὸ ῥητὸν ſunt intelligenda, quum ſententia illorum articulis fidei non repugnat. At verba inſtitutionis Cœnæ ſimpliciter & ut ſonant intellecta, articulis fidei de Incarnatione & Aſcenſione corporis Chriſti in cœlos repugnant. Verum enim corpus ex Maria aſſumpſit Chriſtus, eique, licet glorificato, non adempta eſt natura veri corporis, id eſt corporea circumſcriptio, ſed duntaxat carnis infirmitates, quas ad tempus noſtri cauſâ aſſumſerat, peracto noſtræ ſalutis myſterio, ab eo abiectæ fuerunt. Ad hæc, corpus Chriſti phyſicâ mutatione loci exceſſit è terris vbi erat, ut ſupra omnes cœlos, id eſt, extra hunc mundum, in ſedes beatorum aſcenderet, vbi antea non erant.

His conceſſis, quæ non ex naturæ, ſed ex verbi Dei Schola deprompta ſunt, ſtare non poſſunt dogmata, quibus affirmatur, corpus Chriſti ſuæ ſubſtantiæ præſentiâ reali ſimul in cœlis & in terris eſſe, & quidem quot locis diſtribuitur Cœna: Item, corpus Chriſti eſſe reipsâ preſente ſui ſubſtantiâ, in aliquo loco, nedum tot ſimul locis, modo non locali veris corporibus proprio, ſed vel modo invisibili & ineffabili, vel definitivo, ſpiritibus proprio, ſecundùm Lutherum.

Verba Pauli de κοινωνίᾳ corporis Chriſti vt intelligenda. Lutheri verba & falſa ſententia de κοινωνίᾳ Paulina.

Tertiò, verba Pauli de κοινωνίᾳ corporis Chriſti, non de reali & externo ſub pane corporis Chriſti diſtributione, ut volunt dogmatiſtæ Torgenſes, ſed de ſpirituali fructu, ipſâque Sacramenti efficaciâ, in recto uſu, ſeu de interna & ſpirituali illa re, quæ per Sacramentum ſignificatur intelligenda ſunt: quemadmodum ipſe quoque Lutherus ante certamen Sacramentariorum intellexit, eamque talem κοινωνίαν eſſe dixit & communionem cum Chriſto, quâ fideles ita ei vniuntur & incorporantur, ut paſſionis & vitæ, omniumque beneficiorum ipſius communionem habeant, ipſique inter ſe ſpiritualis & myſtici corporis ſocietate invicem, ut membra, ſinceræ dilectionis vinculo, mutuiſque officiis ſunt coniuncti, ut eſt videre in eius Sermone de Sacramento corporis Chriſti anno 19. & in alio de participatione Sacramenti, ac in Poſtilla magna. Poſt ſuſceptum autem cum Caroloſtadio & Zuinglio certamen, quum vrgeri ac premi ſe hoc loco ab adverſariis intelligeret, repudiatâ hac genuinâ interprecatione, Pauli mentem ſimul & verba perículose pervertere & immutare, quàm veritati cedere maluit Lutherus.

Ad 2 articulum. Quomodo Chriſti corpus ſubſtantialiter in Cœna edatur.

In ſecundo articulo dicunt, In Cœna Domini cum porrectione & acceptione panis & vini nobis verè & ſubſtantialiter, & inviſibili, inſenſibili & imperſcrutabili modo, ad manducandum & bibendum dari & a nobis recipi verum ſubſtantiale corpus Chriſti, &c. Reſpondetur: poſſunt hæc aliquo modo concedi, ſi modò Subſtantialiter pro ipſomet Chriſto, non autem pro eo modo, quo ſubſtantiæ rerum externis ſenſibus comprehenduntur, & quo etiam neceſſe eſſet accipi corpus Chriſti, ſi reipsâ cum pane adeſſet, accipias: ac inviſibilem, inſenſibilem & imperſcrutabilem illum modum non ad præſentiam, ſed ad communicationis modum referas: Manducandi denique ac bibendi voces tranſlatitiè ad os mentis ac fidei accommodes ne facinus, ut Auguſtinus monet, præcipi videatur.

De modo inviſibili inſenſibili & imperſcrutabili.

Etenim præſentiæ modum Sacramentalem facilè nobis eſt intelligere & affari ex Dei verbo, eum videlicet, quo res ipſa ſignificata offertur intellectiui quidem cognoſcenda & approbanda, fidei verò amplectenda & credenti applicanda, ſicut verbis Domini adiuncta ſymbola, externis ipſis ſenſibus teſtificantur & renuntiant. At quinam fieri poſſit ut Chriſti carnem in cælis nunc poſitam nos in terris poſiti, quamvis ſpiritualiter, vere tamen, per fidem participemus, ut vivificum illum ſuccum inde hauriamus, hoc captum noſtrum ſuperat & myſterium verè magnum eſt.

Ad 3 articulum.

In tertio articulo dicunt, ſe declarationes Lutheri probare & recipere, quæ de nullo ſigno aut figura abſentis corporis, neque etiam tantum de ſpirituali, ſed de ſacramentali aut corporali manducatione veri corporis & ſanguinis Chriſti intelligi debeant. Reſpondetur: Nos contrà eos probare non poſſumus, qui conianctionem ſignorum & rerum ſignificatarum invehunt veritati rerum ſignificatarum ex diametro repugnantem: & perceptionem, quæ tota mentis eſt ac fidei, ad corporea inſtrumenta, contra fidei analogiam, & myſteriorum ipſorum ſcopum, trahunt. Spiritualis enim perceptionis nomine non eam intelligimus, quâ percipiatur ſola Chriſti virtus ſpiritualis, ſed eam, quam ſola Spiritus divini virtus, quamvis interveniente hominum miniſterio, & verbo ac ſignis interpoſitis, in credentium animis efficit. Itaque corporalem, id eſt, ipſiuſmet Chriſti corporis perceptionem & κοινωνίαν minimè tollimus ex Cœna, ſed corporalem, id eſt,

Quid nomine ſpiritualis perceptionis corporis Chriſti intelligatur.

qui

qui corporis inſtrumentis fiat & ſubſtantias permiſceat, iſtius perceptionis modum planè repudiamus.

Lutheri definitio Cœnæ Dominicæ. *Quomodo etiam defendi poſſit illa Lutheri definitio Cœnæ Dominicæ, quam quindecim viri in hoc articulo recenſent,* Cœnam Domini eſſe verum & ſubſtantiale corpus & ſanguinem Domini ſub pane & vino, *non videmus, niſi ipſemet tropum committat, quum maximè videtur τὸ ῥητὸν vrgere. Quum aliud planè ſit, ipſa actio, quæ vſitatè Cœna Domini vocatur, aliud verò quod in iſta actio datur, ac proinde κατὰ τὸ ῥητὸν vnum de alteri prædicari non poſſit.*

Ad 4. *Nos etiam cum iſtis Papiſticam Tranſubſtantiationem, localem incluſionem, durabilem Vnionem corporis & ſanguinis cum pane & vino, circumgeſtationem, adorationem, &c. improbamus & rejicimus.*

Ad 6. *Similiter & nos amplectimur has Regulas,* Quòd panis & vinum non habeant rationem Sacramenti extra uſum ſive actionem myſteriorum, &c. Quòd non propter panem & vinum, ſed propter hominem hæc myſteria inſtituta ſint.

Ad 7. de manducatione indignorum. *Aſſerimus etiam,* Sacramenta à fide aut incredulitate diſtribuentis miniſtri non pendere. *Fatemur quoque,* Sacramenta plena, *hoc eſt, ſignum & res ſignatas ab ipſo Domino* dignis & indignis verè offerri. *Sed quod inde judices noſtri colligunt, vtraque, videlicet ſignum & ſignatum ab iiſdem etiam verè accipi, id verò minimè concedimus: Non enim valet hæc conſequentia,* Offertur, ergo Accipitur: *Quia ſigna quidem externis corporis inſtrumentis accipienda offeruntur: res autem ſignificatæ, puta corpus & ſanguis Domini, unà cum adjuncto verbo promiſſionis, ſoli intellectui & fidei offeruntur apprehendendæ. Itaque quum quivis offerant corporis inſtrumenta, quivis etjam ſigna percipiunt: indigni verò, quum intelligentiam non adferant, vel etiam intelligentes ſunt, fidei tamen manu & ore non ſunt præditi, res ſignificatas, id eſt, ipſum corpus & ſanguinem Domini, apprehendere non magis poſſunt, quàm aliquid apprehendere poſſit is qui manibus careat: fiunt tamen rei tum ſanctorum ſignorum ipſiuſque adeò totius ſacræ actionis, tum etiam imprimis rerum ſignificatarum, ipſius videlicet corporis & ſanguinis Domini, non quas indignè acceperint, à ſolis enim fidelibus accipi poſſunt, ſed quòd eas ſibi oblatas contempſerint, ſive, juxta Apoſtolum, non dijudicârint.*

Ad 8 de Sacramentali mãducatione Voiquiſtarũ Sacramentis nomen dupliciter accipitur. *Quod etiam in hoc articulo Sacramentalem manducationem definiunt, quâ fiat,* ut non tantum beneficium Chriſti, ſed etiam ipſum verum corpus vnà cùm pane ore accipiatur, ſive cum fide, ſive ſine fide ſigna illa accipiantur, *probari non poſſunt. Sed quemadmodum Sacramenti nomen dupliciter accipitur, interdum pro re duntaxat terrena, ſive pro ſignis (nempe quum Sacramentum definitur, eſſe verbum viſibile, & quum dicimus, panem & vinum eſſe Sacramenta corporis & ſanguinis Domini) interdum verò tum pro re terrena, tum pro cæleſti, ſicut dicit Ireneus,* Sacramenta duabus rebus conſtare: *ita etiam duplex eſt Sacramentalis manducatio, una mere externa per quam, propter incredulitatem, altera tantum pars, nempe ſignum, percipitur, quo ſenſu dicit Auguſtinus,* impios manducare Chriſtum Sacramento-tenus, *ſive* corpus Domini, *id eſt, corporis Domini Sacramentum, eodemque ſenſu idem dicit,* corpus Domini confici, cadere in terram & conſumi, *manifeſtâ Metonymiâ Sacramentali: Altera, quâ fit, ut ſicut ſigna corpore, ita etiam res ſignificatæ percipiantur animo & fide, ac proinde totum integrumque Sacramentum accipiatur. Ac prior quidem illa meritò à ſpirituali diſtinguitur ac diſiungitur, ut quæ ſit merè carnalis, & conveniens ſolis infidelibus, qui Spiritu Dei carent. Poſterior verò ſolis fidelibus propria, cum ſpirituali copulatur inſeparabiliter, diciturque Sacramentalis quidem, reſpectu externi ſigni, ſpiritualis verò rei ſignificatæ, quæ nonniſi ſpiritualiter & fidei ore percipitur. Præterea Sacramentalem perceptionem interdum à merè ſpirituali ſic diſcernimus, ut merè ſpiritualis ſit illa perceptio, quâ Chriſtum in nudo & ſimplici verbo prædicato apprehendimus: Sacramentalis autem ea dicatur, in qua ad ſimplex verbum adjungatur etiam ſignum, ut in Baptiſmo & Cœna Domini. In merè ſpirituali autem, & in ea, quæ præterea Sacramentalis eſt, non tantùm eadem beneficia Chriſti, ſed etiam totum ipſum Chriſtum inprimis nobis fide apprehendendum offerri docemus ex verbo Dei & orthodoxorum Patrum teſtimoniis. Quia neque Chriſtum ipſum abſque donis ipſius, neque dona Chriſti abſque ipſomet Chriſto nobis donari, aut in nobis obſignari credimus, vnde etiam Hieronymus dixit,* Nos etiam in ſimplici ipſius verbo, paſci ipſius carne, & eius ſanguine potari.

Reſpondebimus nunc primum ad articulos Negativos, ſeu errores, iis in hoc Quindecim-virali judicio, callidâ ſubornatâ calumniâ attributos, quos ſingulari quodam, at certè parum Chriſtiano judicio, communi nomine Sacramentarios appelleɴt. Reſponſio ad articulos negativos Torgenſes.

Et quantum quidem ad portentoſa illa deliria attinet, quæ articulo 1. 2. 5. *&* 6. *enumerant, iis reſpondere minimè neceſſe eſt, quum ea nobis Dei beneficio ne in mentem quidem vnquam venerint, adeoque ad nos nihil omninò pertinent. Accedamus igitur ad alios articulos, qui partim bona fide ex noſtrorum ſcriptis depromptiʒ* Ad errorem 1. 2. 5. & 6.

pti, partim verò, ſive imperitiâ, ſive pravo affectu id factum ſit, vel detruncati, vel in alienum ſenſum detorti ſunt: cuiuſmodi eſt tertius error quem vocant.

Ad errorem ut vocant. 3. Non inſanit Zuinglius verbum Eſt per ſignificat explicans.

Reſpondeat hic pro nobis Sacramentorum omnium natura, quòd videlicet terrenæ res ſignificandis cœleſtibus ex Domini mandato adhibeantur. Ex quo conſequitur, vel panem illum, & illud vinum, non eſſe Sacramenta, vel idcirco eſſe Sacramenta, quòd res cœleſtes, id eſt, corpus & ſanguinem Domini ſignificent. Non igitur inſanit Zuinglius, *quum verbum* Eſt, *per* ſignificat *interpretatur: ſed potius inſaniunt Quindecim illi iudices, qui quum negare non poſſint panem & vinum eſſe Sacramenta, id eſt, Signa Corporis & ſanguinis Domini, tamen pro inſano & impio eum habent, qui hæc Chriſti verba de pane ſanctificato,* Hoc eſt corpus meum, *idem valere dicat, atque* Hic panis ſignificat corpus meum. *Inſanierunt igitur* Dionyſius, Tertullianus, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, *qui hæc verba ſic interpretati ſunt. Omitto Græcos Theologos, qui panem & vinum ἀντίτυπα & σύμβολα paſſim appellant. At inquiunt, qui nos damnant,* Non illi dicunt eſſe ſigna abſentis corporis. *Reſpondetur, nihilominus veriſſimam eſſe hanc enunciationem.* Hic panis ſignificat corpus Chriſti, *& diverſas prorſus eſſe quæſtiones,* An panis ſignificet corpus, *&*, An ſignificatio hæc ſit præſentis vel abſentis corporis. *Quod diſcrimen ſi damnatores noſtri non obſervârunt judicarunt de re ſibi non comperta. Sin autem obſervârunt, aſtutè autem diſſimulârunt, viderint quam conſcientiam ad rem tantam dijudicandam, totque damnandas in uno Zuinglio Eccleſias attulerint.*

Ad 4. Chriſtum loci diſtantiâ corpore vero abeſſe à Cœna.

Ad errorem 4. quo Oecolampadii ſententia notatur, non negandam, ſed diſtinguendam eſſe Abſentiæ vocem dicimus: quæ ſi notetur loci diſtantia, non pudet nos huius ſententiæ, cuius authores Chriſtum, Apoſtolos & Angelos habemus, de ipſius ſecundum corpus vero à nobis diſceſſu. Idem etiam docent Patres. Cyrillus inquit, Nullum ambigere Chriſtum præſentiâ carnis abeſſe. *Item*, Corpore abſens Chriſtus, Spiritu in Sanctis habitat. *Rurſus*, Cum Spiritum immitteret Apoſtolis, non potuit cum eis carne converſari, ut qui ad Patrem aſcendiſſet. *Vigilius ait.* Dei Filius humanitate ſuâ receſſit à nobis. *Item*, Quando caro fuit in terris, non fuit in cœlis: & nunc quia in cœlo eſt, non eſt utique in terra, quum è cœlo ventura ſperetur. *Auguſtinus inquit*, Abiit per id quod Homo, & uno in loco erat: manſit per id quod Deus, & ubique erat. *Item*, Quia ſecundùm carnem aſcendit in cœlum, non eſt hic, & ibi non autem hic ſedet ad dexteram Patris. *Rurſus*, Dominus corpore ſeſe abſentavit ab omni Eccleſia, & aſcendit in cœlum. *Fulgentius dicit*, Chriſtus ſecundùm humanam ſubſtantiam abfuit cœlo quum eſſet in terra, & dereliquit terram quum aſcenderet in cœlum. *Item*, Aſcendit in cœlum, quia verus & localis homo, ſicut adeſt fidelibus, quia immenſus & verus eſt Deus. *Sin vero eo ſenſu dicatur Chriſtus abeſſe, ut quoniam in cœlis eſt, non in terra, idcirco in ſacra Domini Cœna neque adſit, neque præbeatur, neque percipiatur, magna fit D.* Oecolampadio, *nobiſque omnibus iniuria, qui illud ipſum corpus quod in cœlis, non in terris eſt, non minus tamen verè, ac multo etiam efficaciùs ex Domini inſtitutione, fidei manu & ore percipiendum præberi credimus, quàm verè externa illa ſymbola oculis cernuntur, manu tanguntur, & ore percipiuntur.*

Ad 7. articul. In Cœna proponuntur nobis non ſolum merita Chriſti ſed etiam corpus eius.

In iis verbis, quibus ſeptimum errorem recenſent & noſtris impingunt Iudices iſti, putidiſſima continetur calumnia, & millies à noſtris refutata. Statuuntur enim à nobis pro re cœleſti per panem & vinum in Cœna Domini ſignificata non ipſa ſolùm Chriſti merita, aut eius ἐνέργεια, ſed ipſum corpus pro nobis traditum, & ipſe ſanguis pro nobis effuſus. Sunt autem rurſum hæ duæ quæſtiones diverſæ, Quid nobis in Cœna per panem & vinum ſignificetur, & fide percipiendum detur, *Et*, In quem finem nobis Chriſtus ipſemet illic detur, & à credentibus percipiatur. *Ad priorem quæſtionem reſpondemus nos, Chriſtum ipſum totum, & maximè ſecundùm carnem, quæ nunc in cœlis eſt, nobis verè in Cœna per illa ſymbola ſignificari, & nobis per fidem ſpiritualiter percipiendum ac fruendum tradi. De poſteriore verò dicimus, Non huc ſpectare hanc communicationem, ut corporis Chriſti materia cum corporibus noſtris cohæreat, hoc enim nihil nobis prodeſſet, ſed ut ipſius participes ſpirituali ratione per fidem facti, quæ ipſius ſunt, noſtra fiant, & ipſius præterea virtute renovati, tandem cum ipſo æternâ vitâ, animo & corpore perfruamur. Quinam igitur verum eſſe poteſt, quòd iſti Quindecim viri obiiciunt nobis, quum ex ipſa etiam orali perceptione, nihil amplius quàm hoc ipſum quod dicimus conſequi poſſit? Quòd autem de corporalis alimoniæ cum ſpirituali cibo convenientia nobis obiiciunt, quaſi hoc ipſum nec quidquam aliud per panem & vinum nobis ſignificari cenſeamus, viderint quoque quo iure hoc faciant. Aliud enim eſt Signum, aliud Res ſignificata: aliud convenientia & proportio inter ſignum & rem ſignificatam. Signa ſunt, Panis ille & vinum illud: Res ſignificatæ ſunt corpus pro nobis traditum, & ſanguis ille pro nobis effuſus, totus denique ipſemet Chriſtus: Convenientia verò multiplex quidem, ſed hæc inprimis obſervanda, quòd ſicut ex pane & vino naturaliter ſumptis in hac mortali vita ſuſtentamur, ita ex ipſo Chriſto, cui per fidem percepto unimur,*

unimur, dona omnia ad vitam æternam neceſſaria, ipſum denique æternæ vitæ veluti ſaccum haurimus.

Ad 8. articulum reſponſio Panis & vini non ut nuda ſigna, ſed ut vera & efficacia Sacramenta conſiderantur.

Hic ſubtiles & argutos eſſe *aiunt*, qui non ipſum Chriſti Corpus verum ac præſens diſtributum, ſed fruitionem nudi pani & vini docent eſſe præſentiæ & operationis Chriſti in ſuis ſanctis teſtimonium ac pignus. *Atqui nudus panis & nudum vinum ab iis non ſtatuitur, qui panem illum & vinum illud, non ut res naturales, ſed ut vera & efficacia Sacramenta in Cœna ex Domini inſtituto conſiderant. Præterea ex illis Heydelbergenſium ſcriptis quæ citant, nihil tale, imo contrarium prorſus colligi poteſt, nempe, & panem & vinum adhiberi, non tantum ut nos admoneant, petendam eſſe vitam æternam ex Chriſti Corpore Crucifixo, & Sanguine effuſo, ſed imprimis præberi nobis ut ſigilla & pignora, quod hoc ipſum Corpus, & hic ipſe Sanguis, nobis Spiritus ſancti operatione & virtute ad vitam æternam in illa actione Cœnæ Domini communicentur, ſive in Cœna Domini non oſtendi tantùm nobis Chriſtum per ſymboba, veluti in pictura quadam; ſed ſicut illa ſigna non tantùm nobis ſpectanda præbentur, verum etiam in manus & os traduntur ſumenda, ita quoque res per illa ſignificata, nobis quoque in vitam æternam dari, ſed ſpirituali demum virtute per fidem participandas.*

Quid igitur amplius Iudices iſti requirunt? nempe, ut ipſam quoque rem ſignificatam, id eſt, Corpus & Sanguinem Chriſti, & oralem eorum manducationem, ſacramentum ac ſignum eſſe dicamus. Cujus verò rei, niſi fortè ſui ipſius, ſacramentum? At iſtud tam eſt abſurdum, ut mirum ſit cuiquam in mentem veniſſe, aut à quoquam ex Lombardo repeti potuiſſe. Imò, *inquiunt*, eſt hujus præſentiæ & operationis Chriſti teſtimonium ac pignus; *Imò verò non teſtimonium neque ſignum eſt, ſi proprie loquamur, ſed eſt ipſamet cauſa iſtorum effectuum. Quâ ratione ſi Corpus ipſum Chriſti, vel eius manducationem libeat Sacramentum ſive pignus vocare, manifeſtus ſit paralogiſmus in his nominibus. Nam hoc modo liceret tot nominare Sacramenta, quot bona à Deo recipimus, quum tot ſint eius in nos benevolentiæ ſigna & pignora. Hic autem Sacramentorum nomine intelligimus, ſigna, quæ non ex ſui natura, ſed ex pacto adhibentur, ut per ea Spiritus ſanctus augeat & obſignet in nobis rerum ſignificatarum certitudinem Eiuſmodi Sacramentum eſſe non poteſt neque Corpus Chriſti, neque ipſa Corporis ſumptio, ſive fide, ſive etiam ore id peragi & Corpus ſumi dicamus, utpote quæ nihil ſignificent, ſed ſive illud ipſum quod nobis à Deo confertur.*

Ad 9 articulum.

In hoc errore, ut ipſi vocant, novum intellectum Verborum Chriſti quum nobis tribuunt, idem faciunt atque communes illi adverſarii noſtri, qui novum Evangelium à nobis introduci quiritantur, quum de unico illo veteri inſtaurãdo laboramus. Vnum ſaltem eius rei teſtimonium ex innumerabilibus, & illud quidem ex media antiquitate audiant, quod Auguſtini *eſt, his verbis nos inſtruentis, quo ſenſu res ſignificata de ſigno, & quidem in hoc ipſo Euchariſtiæ Sacramento prædicetur.*

Quo ſenſu res ſignificata de ſigno prædicetur.

Si Sacramenta, *inquit*, quandam ſimilitudinem earum rerum quarum Sacramenta ſunt non haberent, omninò Sacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerumque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt. Sic ſecundùm quendam modum, Sacramentum Corporis Chriſti (*panis videlicet*) Corpus Chriſti, eſt, &c. *Hic igitur eſt novus noſter intellectus, hic noſter furor ſecundum Quindecim viros iſtos.*

Contra Exegeſin Vuinb. calumnia.

Altera calumnia eſt, quod inquiunt, Exegeſin *docere,* Non oportere ad verba, ſed ad mentẽ Chriſti reſpici, & ex illis judicari. *Magnum certè piaculum, dicere verba, quibus utatur Chriſtus non eſſe propriá & nativâ ſignificatione accipiẽda ſed ex eius rei, de qua loquitur, natura, ſive ex loquentis conſilio & inſtituto eſſe intelligenda. Ergone etiam dicere audebunt, quæcunq; à Chriſto dicuntur, ſic dici, ut abſq; ullo tropo, id eſt, abſq; ullo verborũ à propria & nativa ſignificatione deflexu, accipienda ſint eius verba? Noc hoc, opinor, aſſeverare audebunt, quum omne troporum genus paſſim in ſacris etiam literis obſervetur Quum igitur in illum Exegeſeos locum non aliter debacchantur, quam ſi ſcriptor ille ſic juberet aliunde, quã ex ipſius Chriſti Verbis peti volũtatis ipſius declarationẽ, & aliter loquutum eſſe Chriſtũ diceret, qui in animo intus ſenſerit, quid aliud agunt quã quod Iudices ii ſolent, qui quoquo modo litem ſuam faciũt? Nec enim τὸ ῥητὸν excludit, ſed dũtaxat interpretatur, qui τοῦ ῥητοῦ διάνοιαν ſcrutatur.*

Quod autem in eadem illa Exegeſi *dicitur,* ſi ſimpliciter accipiantur Chriſti Verba, conſequi neceſſario Tranſſubſtantiationis deliriũ, & reliquas idololatrię ſpecies, *neceſſe eſt fateãtur verè dici, aut oſtendant quomodo diſparata, panis videlicet & Corpus, calix item & Sanguis, mutuò, propriè, & ſine tropo prædicentur, & quare non ſit adorandum, quod tamen eſt propriè Filii Dei Corpus. Ad hæc, ſi per Pronomen,* Hoc *volunt tum ſignum, id eſt, panem, tum etiam rem ſignificatam complexim declarari, non ſine tropo poſtea totum id dicetur eſſe duntaxat res ſignificata, id eſt, corpus, & ad individui vagi commentum veniendum erit, ut ſit propoſitio identica. Sic vero per id Pronomen volunt demonſtrari tantum panem, ſed cum eo tamen contentum Corpus intelligi: tum ſanè fuerit neceſſariò conſtituenda Synecdoche, uſitata quidem illa, ſed tamen tropus, quod manifeſtè etiam & ingenuè* Brentius *agnovit. Deinde nunquam elabentur, quin τὸ ποτήριον in altera inſtitutionis parte*

fateri cogantur ſine Metonymia tropo intelligi pro contento vino non poſſe.

Ad 10. *Ad decimum reſpondetur, Si per Corpus Chriſti intelligitur ipſius Corporis ſignum (quo loquendi genere à veteribus dicitur,* Chriſti Corpus confici, in os intrare, in terram cadere, *atque etiam* conſumi*) nemo noſtrûm negavit, Corpus Chriſti eâ eſſe naturâ, quæ poßit oculis videri, manu tangi, & ore comedi. Sin verò de ipſius veri Corporis communicatione agitur, tum ſanè cum* Auguſtino, *aut potius cum ipſa veritate ſentimus tranſlatitiè accipiendas voces Comedendi & Bibendi, utpote quum Corporis ſint actiones, ad animum tamen transferantur, ne facinus videatur præcipi, ut* Auguſtinus *inquit: & cum eodem teſte, quòd cibus iſte non ſit ventris, ſed mentis, iſtam perceptionem verè tuemur ac defendimus, non Corporis, ſed ſolius mentis & fidei inſtrumentis peragi; idque ex Spiritus ſancti virtute & omnipotentia.*

Ad 11. An vacua ſint ſigna Cœnæ, ſi dicatur, Corpus Chriſti tam procul ab illis eſſe, quàm procul ab ſit cœlum à terra. *Hæc Iudicum noſtrorum collectio,* vacua eſſe ſigna Cœnæ Domini, ſi Corpus & Sanguis tam procul ab illis abeſſe dicantur, quàm cœlum abeſt à terra *(quoniam videlicet res ſignificatæ nunc ſunt in cœlis, illorum verò ſigna in terris) craſſæ potius imaginationis figmento utitur: quaſi nimirum non poßint credentes verè fieri per fidem ex inſtitutione Domini efficacem Corporis & Sanguinis Domini participes, niſi eo ipſo loco ubi ſunt ſigna, res etiam illæ ſignificatæ ſtatuantur: quum tamen Patres hanc eandem eſcam comediſſe, & hunc eundem potum bibiſſe etiamſi nondum in rerum Natura reipſa exſtarent, meritò dicantur: ſiquidem extra Filium Dei, & quidem Mediatorem, ac proinde in vtraque Natura conſideratum, nullus vnquam ſervatus fuit. Amplexa eſt igitur verè Patrum fides naſciturum etiam Chriſtum, quoniam fides eſt ὑπόστασις rerum quæ nondum exiſtunt. Quantò magis ergo nos eadem fide præditi, natam jam carnem, quamvis non jam in terris, ſed in cælis poſitam, ſpiritualiter quidem, tamen veriſſimè & efficaciſſimè amplectimur, quam nobis ſigna in terris ex inſtituto Domini quaſi ob oculos ipſos ſiſtunt? Et quæſo, num ideò vacuum eſt Baptiſmi ſignum, quoniam, vel ipſis Quindecim viris teſtibus, Chriſti Sanguis reipſa cum aqua Baptiſmi eodem loco non ſiſtitur?*

Sed illa longè manifeſtiſſima iſtorum calumnia eſt, quod Chriſti Corpus à Cœna Domini excludamus, quaſi videlicet panis & Cœna, id eſt, quod in illa actione ſenſibus externis præbetur, idem ſit atque ipſa actio, quæ ſicut terrena & phyſica eſt, quod ad ſignorum ſumptionem attinet, ita etiam merè cœleſtis, ſpiritualis, myſtica eſt, ſi res ſignificatas reſpiciamus. Atqui ne ab ipſis quidem ſignis panis & vini disjungimus Corpus & Sanguinem, niſi quod ad locorum diſtantiam attinet. Ab ipſa vero Cœna minimè per nos excludi Dominum, cujus Cœna eſt, ex ipſis Zuinglii *Verbis diſertis & perſpicuis dijudicetur, quem illi faciunt noſtrarum blaſphemiarum authorem. Sic igitur in Expoſitione Fidei Chriſtianæ, jam tum hanc ipſam calumniam refutans.* Nos, *inquit,* credimus atque confitemur, Chriſtum in Cœna verè præſentem eſſe. Imò credimus Cœnam Domini non eſſe, in qua Chriſtus non ſit præſens. *Et mox:* Verum Chriſti Corpus credimus in Cœna ſacramentaliter *(id eſt, ut ſacra ſymbola teſtificantur)* & ſpiritualiter *id eſt, ſpirituali modo & per fidem, ac Spiritus S. omnipotentiâ)* edi à religioſâ, fideli & ſanctâ mente, *Sic ille. Iam igitur ex his & de noſtra ſententia, & de injuſtiſſimorum iſtorum Iudicum calumnia liquere arbitror.*

In duodecimo ſcribunt de κοινωνίᾳ *Paulina Corporis & Sanguinis Chriſti. Ad ea quæ ibi proferunt reſpondetur, aliam eſſe membrorum cum capite, quàm membrorum inter ſe ſub eodem capite conjunctionem, quum illa ſit iſtius origo & vinculum: vtriuſque tamen modum ſpiritualem & myſticum eſſe defendimus. Sic enim Cyrillus inquit lib. 11. c. 26. in Iohan.* Nos vnâ eademque prorſus ratione & cum illo & inter nos vnum fieri Corpus. Atqui ſic corporali Vnione, *inquit,* inter nos conjungimur, ut tamen vnuſquiſque ſeorſim ſubſiſtat & circumſcribatur. Nam etiamſi Petrus & Paulus vnum ſint vnitate cum Chriſto, Petrus tamen, Paulus non eſt. *Neque enim ut ipſe Hilarius Arianis concedit,* vel nefandi homines in Deum, *Chriſtum videlicet,* poſſunt, vel ipſi inter ſe in vnum acervum coire. *Et, ut rectè ſcribit Cyprianus, oralem iſtam perceptionem rei ſignificatæ ex profeſſo jugulant,* non corporali, ſed ſpirituali Vnione, *(id eſt, non corporali modo Vnionis)* Chriſto vnimur & Corpus ipſius efficimus. *Et Auguſtinus,* Quemadmodum, *inquit,* Chriſtus in nobis hic, ſic nos ibi in illo ſumus. *Et alibi,* Chriſtus caput noſtrum ſurſum eſt, & nos deorſum. Et tamen ille nobiſcum hîc eſt, & nos ſurſum in in illo ſumus. Eſt autem ille in nobis hîc quando ipſius templum ſumus: & nos in illo quando ipſius membra efficimur. Denique *inquit Cyrillus,* poſtquam Chriſtum in cœlos aſcendit in nobis eſt per Spiritum. *Mera igitur calumnia eſt quod nobis impingunt Iudices iſti, quod videlicet per Corpus Chriſti in Cœna, Eccleſiam intelligamus.* Ad 12. De κοινωνίᾳ Paulina.

Altera calumnia eſt, quod per ſpiritualem Vnionem intelligamus ſolius Spiritus Chriſti participationem: quū ſpiritualem ideò vocemus, nō quod ſolum Spiritum illius, ſed quod non corporali verum ſpirituali modo & ratione (id eſt Spiritus S. virtutem,

virtutem, qui quantovis intervallo diſsita novit copulare, & per fidem quæ Verbum Dei efficaciter apprehendit,) totum Chriſtum, quamvis carne nunc in cœlis duntaxat poſitum participemus.

Ad 13 De particulis In, Sub, Cum.

Non ignoramus veteres, ut veritatem oſtenderent Sacramentorum, id eſt, Deum verè dare credentibus, id quod per externa ſigna ſenſibus externis proponitur voces iſtas, In, Cum, Sub, *uſurpare. Neque vereremur illis uti, niſi eorum præcipitia cautos nos redderent, qui perinde voces illas accipiunt, ac ſi res ſignificatæ, eo ipſo in loco adeſſe dicerentur, in quo ſigna illarum ſunt ac diſtribuuntur. Quo dogmate & veritas Corporis Chriſti, & verus ipſius à nobis ſecundùm Corpus diſceſſus evertuntur, & Sacramentum uſus pervertitur.*

Ad 14. An poſſit fieri ut idem corpus verè ſit ſimul in terra & cælo.

Si blaſphemus eſt Beza, quòd dixit, nec velle nec facere poſſe Chriſtum, ut unum idemque verum ſuum Corpus, uno eodemque momento ſit reipſa in terris ſimul & in cœlis, ſit etiam blaſphemus Cyrillus, ut qui deſerta Verbis ſcripſerit, Chriſtum quum Spiritum immitteret Apoſtolis, non potuiſſe cum eis carne converſari ut qui ad Patrem aſcendiſſet. *Blaſphemus quoque fuerit Auguſtinus ſcribens*, Omne Corpus ipſiuſque adeò glorificati Chriſti neceſſariò (*neceſſarium autem eſt quod aliter ſe habere non poteſt*) loci ſpatium occupare, quem ſic impleat, ut in nulla eius parte ſit totum. *Blaſphema quoq; fuerit hæc Vigilii conſequutio*, Quia caro Chriſti in cœlo eſt, non eſſe vtiq; in terra.

Beza omnipotentiā Chriſti non humanis ſenſibus metitur.

Sed inquiunt, Blaſphemus eſt Beza, quum dicit, Chriſtum non poſſe plura promittere & recipere, quam conditio & proprietas aſſumptæ Humanæ Naturæ patitur & permittit. *Sed ſi omnia Bezæ ſcripta examinentur, nihil tamen ſcripſiſſe vel ſenſiſſe tale quidpiam vſquam comperietur. Et quod in noſtris Eccleſiis docetur, Chriſti & fidelium Vnionem, quâ fiat, ut illam ipſam carnem quæ in cœlis eſt, & permanet, nos in terris poſiti verè participemus, omnem ipſorum etiam Angelorum captum ſuperare, an non ſatis oſtendit, plura etiam nos Chriſti omnipotentiæ tribuere, quàm eos, qui veram Chriſti κοινωνίαν aboleri putant, niſi realis illa præſentia cum pane in terris, oralis illa ipſiuſmet Corporis manducatio ſtatuatur? Plura autem non eſſe tribuenda ipſi Chriſti carni, quàm ferat ipſius Humanæ Naturæ veritas in æternum permanens, vltrò ſe dixiſſe & ſenſiſſe Beza fatetur. Et quia declaravit Chriſtus, ſe veram ac proinde circumſcriptam noſtram Naturam, etiam poſt glorificationem, retinuiſſe, ac in æternum retenturum, idcirco etiam docet Beza, fieri non poſſe, ut hæc natura circumſcripta manens, ſit ſimul in cœlis & in terra: quoniam contradictoria velle, & poſſe mentiri, mutuò ſe conſequuntur. Negare autem Deum poſſe mentiri, non eſt omnipotentiam adimere, quia mentiri poſſe non eſt potentiæ, ſed imbecillitatis. Num enim Bezam exiſtimant iſti ita eſſe amentem, ut Deum promittere & præſtare neget, quod rebus omnibus creatis ſit impoſſibile? Sed poſſe Deum promittere aut recipere, quod teſtetur ſe factum nolle, id verò pernegat. Impudens eſt ergo altera calumnia, quòd Beza omnipotentiam Dei viribus humanorum ſenſuum metiatur. Quis enim ita eſt ſtolidus, ut immenſam Dei potentiam eſſe inficietur? Sed ex eo minimè conſequitur quod illi volunt, poſſe Deum à ſeipſo diſsidere, ſive hoc facere, quod ipſe factum nolit.*

Sed age, reſpondeat pro Beza Theodoretus *Dialogo 3. adverſus Euthychianos ſcribens, eodem prorſus omnipotentiæ Dei argumento Divinam Naturam humanis perpeſsionibus ſubijcientes, quo nunc utuntur, qui Humanam Naturam proprietate Deitatis induunt. Sic ergò apud illum* Eraniſtes *&* Orthodoxus *colloquuntur. Eraniſtes:* Nihil non poteſt, qui omnia poteſt Deus. *Orthodoxus:* Et peccare ergo poteſt, qui omnia poteſt Deus, ut tu quidem definis. *Er.* Nullo modò. *Orthodox.* Quare? *Er.* Quoniam non vult. *Orth:* Qua de cauſa autem non vult? *Er.* Quoniam ab eius Natura alienum eſt peccare, &c. *Diſputationis autem huius ea concluſio eſt*, Deum nihil velle eorum, quæ non ſibi ſuapte Natura inſunt. Poſſe autem quæcunque vult, ſed ea demum velle, quæ ſunt ſuæ Naturæ apta & convenientia. *Sic igitur liceat etiam Bezæ concludere.* Mentiri & contradictoria velle *mutuò ſe conſequuntur. Contradictoria autem ſunt* Finitum ac circumſcriptum eſſe, & Infinitum ac incircumſcriptum eſſe. *Chriſtus ergo quum mentiri non poſſit, contradictoria ne velle quidem poteſt. Ergo qui vult Naturam ſuam humanam eſſe circumſcriptam, ne velle quidem poteſt, nedum reipſa facere, ut ſit incircumſcripta. Ex hoc autem illud quoque conſequitur, nempe, ne hoc quidem Chriſtus velle aut poſſe facere, ut uno eodemque momento ſit tota eius Natura pluribus locis, aut alicubi non localiter. Quoniam* circumſcriptum eſſe, & non niſi localiter alicubi, vnoquoque tantùm loco totum eodem momento eſſe poſſe, *neceſſariò & immutabili ordine ſeſe conſequuntur: adeò ut ſit hoc certum Chriſtianæ Theologiæ axioma*, Ne Deitatem quidem effugituram eſſe circumſcriptionem, ac proinde vbique totam non futuram, ſi quantitate prædita eſſet. *Denique ſi pluribus ſimul locis tota vno momento eſſe Humana Natura, quantumvis glorificata, & Deitati hypoſtaticè unita, poſſet, jam proprietate ſua ſpoliaretur Deitas, quia quod ipſi proprium & incommunicabile eſt, fieret communicabile: Humanitas denique vel ſimul finita &*

infinita eſſet, vel in Deitatem tranſiens, Humanitas eſſe deſineret. Non tollit igitur omnipotentiã Dei Beza, ſed ut illius prætextu falſum dogma ſtatuatur, de reali Corporis Chriſti in terris ſimul & in cœlis præſentia, quò veritas eidem Corpori neceſſariò adimitur, ac proinde noſtra ſalus evertitur, id verò pernegat Beza.

Ad 15. Beza ſacramentalē præſentiam non negat. *Negat quidem Beza totam illam Corporis & Sanguinis Chriſti præſentiam ac diſtributionem realem In, Sub, Cum pane, item realem illam perceptionem, ut articulis fidei ex diametro repugnantem, atque adeò tanquam (etiamſi vera eſſe daretur) inutilem, & à fine propter quem inſtituta ſunt Sacramenta diſſidentem: Sacramentalem autem præſentiam, quò fit, ut propoſitis à Chriſto externis ſignis, res illæ ita ſignificentur, vt verè quoque intellectui mentique fidelium offerantur per fidem ſpiritualiter ad vitam æternam percipiendæ, nunquam inficiatus eſt.*

Ad 16. *Quot teſtimoniis conſtat veram eſſe ac circumſcriptam Chriſti carnem, ut quæ non ſit Deitas, tot quoque teſtimoniis convellitur ea Chriſti verborum interpretatio, quæ ſtare non poteſt cum circumſcriptione: quia pluribus ſimul locis totum eſſe, & circumſcriptum eſſe, ex diametro pugnant. Item, quot teſtimoniis declaratur Chriſtus ſecundùm carnem nunc à nobis abeſſe, totidem quoque locis refellitur dogma quo ponitur realiter in terris adeſſe: quoniam* Adeſſe *&* Abeſſe *neceſſariò ſunt contradictoria. Neque verò quum ſic loquimur & ſentimus, Corpus Chriſti imbecillæ hujus naturæ legibus ſubjicimus, quibus illum ſolutum jam eſſe cōfitemur, ſed illas demum Naturæ Humanæ leges intelligimus, quæ adeò ſunt vero Corpori eſſentiales, ut iis ſublatis, res id eſſe deſinat quod erat. Hujuſmodi autem eſt omnis veri Corporis conditio hæc, ut non poſſit non eſſe locale, & uno ſemper ſpatio vbicunque fuerit circumſcribi. Omnis, inquam, veri Corporis ſine vlla exceptione hæc conditio eſt. Ideò Auguſtinus de ipſo Corpore Chriſti glorificato loquens,* Tolle, *inquit*, ſpatia Corporibus, & nuſquam erunt. Et quia nuſquam, ergo nec erunt. *Item*, Deus totus in cœlo & in terra ſimul eſt, quod nulla creatura poteſt, *Item*, Omne Corpus, ipſiuſque adeò glorificati Chriſti neceſſariò loci ſpatium occupat, quem ſic implet, ut in nulla eius parte ſit totum. *Item*, Chriſtus vbique eſt tanquam Deus, & in loco eſt propter veri Corporis modum. *Item*, Immortalitas Chriſti Corpori data eſt, Naturæ autem non eſt ablata. *Item Athanaſius*, Eum locum deſeruit in quo erat, ut in alium locum veniret vbi non erat. *Ex Aſcenſione vero Chriſti in cœlum neceſſariò colligi abſentiam eius à terris ſic probat Auguſtinus*, Quia ſecundum carnem, *inquit*, aſcendit in cœlum, non eſt hic. *Similiter Vigilius*, Dei Filius Humanitate ſua receſſit à nobis, qui ſecundùm Divinitatem dixit, Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. *Item*, Quando caro fuit in terra, non fuit in cœlo: & nunc quia in cœlo eſt, non eſt vtique in terra. *Et Fulgentius*, Chriſtus homo localis ſecundùm humanam ſubſtantiam abſuit à cœlo quum eſſet in terra, & dereliquerit terram quum aſcenderet in cœlum. *Audiamus denique Vigilium ſic loquentem, ut hæc eſſe mere contradictoria: proindeque eidem ſubjecto carnis Chriſti, quantumvis glorificatæ, attribui non poſſe, penitùs conſtet fuiſſe veteri & orthodoxæ Eccleſiæ perſuaſum.* Aut Verbum, *inquit*, cum carne ſua loco continetur, aut caro cum Verbo vbique eſt, quandoquidem vna Natura contrarium quid & diverſum non recipit in ſeipſa. Diverſum eſt autem & longè diſſimile, circumſcribi in loco, & vbique eſſe. Et quia Verbum vbique eſt, caro autem eius vbique non eſt, (*ergo nec pluribus ſimul locis, eiuſdem enim eſt virtutis pluribus & omnibus ſimul locis eſſe*) apparet vnum eodemque Chriſtum vtrius eſſe Naturæ, & eſſe quidem vbique ſecundùm Naturam Divinam, ET LOCO CONTINERI ſecundùm Humanam Naturam.

Imò videant noſtri Iudices, an non ipſi potius cavillentur, quum id quod dicimus, Chriſti videlicet corpus nunc cœlo capi, ſive cœlo contineri, nec alibi nunc eſſe quàm in cœlo, *perinde accipiunt, ac ſi quopiam cæleſtium illarum ſedium puncto Chriſtum veluti carcere includeremus: quem tamen nemo dixerit carcere fuiſſe concluſum, ne tum quidem quum in terris verſaretur. Itaque futilior eſt hæc calumnia, quàm ut refutari debeat. Circumſcribi quidem nunc & ita contineri cœlo Chriſti Corpus, ut alibi non ſit, paſſim ex Dei Verbo docent veteres Theologi, hancque fidem Catholicam eſſe clamant. Et hoc ipſum ſicut & nos, non tantum ex Aſcenſione in cælos, verùm etiam ex ipſa ad dexteram Patris ſeſſione colligunt, quos tamen pueriliter quoque nugari, vix noſtri Iudices nobis perſuaſerint. Sic enim Cyrillus:* Corpore abſens ſedet & interpellat apud Patrem: *Item*, Non potuit cum Apoſtolis carne converſari, vt qui ad Patrem aſcendiſſet. *Et Vigilius*, Quia in cœlo eſt, non eſt vtique in terra. *Et Auguſtinus*, Quia ſecundùm carnem aſcendit in cœlum non eſt hic: & IBI, non autem HIC ſedet ad dexteram Patris. *Et Fulgentius*, Aſcendit in cœlum, quia verus eſt & localis homo, & terram localiter deſeruit, quia ad cœlum aſcendit, & in dexteris Dei ſedet. *Et Philippus in Epiſtolam ad Coloſſ. ſcribit:* Aſcendit corporali & phyſicâ locatione in cœlum

Ad 17. Vbiquiſtæ cavillantur & nugātur non adverſarii eorum.

cœlum: id eſt, in locum cœleſtem, vbicumque eſt, quia non ſunt hic fingendæ allegoriæ. Aſcenſio fuit viſibilis & corporalis, & ita ſemper ſcripſit tota antiquitas, Chriſtum corporali locatione in aliquo loco, nempe cœleſti, eſſe vbicunque vult. Et Aſcenſio corporalis facta eſt ſurſum. *Ipſe quoque Heſhuſius ſcribit*, Neceſſe eſt fateri, Corpus in cœlo certo ſpatio CONCLVDI. *Num vero Philippus & Heſhuſius iſtis quoque pueriliter nugantur?*

Ad 18. Sacramentalē ſumptionē Sacramentarii quos vocant, non negant. Oralis mãducatio Corporis Chriſti cur ab orthodoxis non approbetur.

Sacramentalem ſumptionem neque Beza, neq; alius noſtrum unquam negavit. Imò ubique, ac præſertim in Helvetica Confeßione à mere ſpirituali eo diſtinguitur, quod in hac quidem nudum verbum, ſive ſignum audibile nobis proponatur: in illa verò ſigna etiam viſibilia verbo adjungatur: idq; non fruſtra: quia quo plura ſunt externa objecta fidei noſtræ, eò efficacius illam agere, ac proinde nos Chriſto eo arctius quaſi incorporari oportet: cujus alioquin veriuſque illius perceptionis ſcopus ac finis eſt Chriſti communicatio. Oralem autem illam rerum ſignificatarum ſumptionem fatetur Beza ſe prorſus neſcire, quòd ſublimitatis iſtius arcana non teneat, qua fiat, ut verum corpus realiter, & tamen illocaliter, infinitus ſimul locis totum eſſe, ſimulq; adeſſe & abeſſe, circumſcriptum & non circumſcriptum eſſe, corpus deniq; eſſe & corpus non eſſe, id eſt, mendacium eſſe, poßit ſive in Dei, ſive in naturæ Schola. Addit etiam Beza, hanc manducationem oralem, etiamſi vera eſſet, inutilē fore, quoniam quod ore ſumitur vitam æternam non conciliat, ſed ideò ſumitur, ut corpus nutriat, neq; vita æterna à corpore tranſit ad animam, ſed à mente fideli communicatur corpori: neque à nobis in Verbo Dei Chriſtus Corporis inſtrumento, ſed ſola fide apprehendi dicitur. Et meritò dixerit Auguſtinus Quid os paras & dentes? cibus hic non ventris eſt, ſed mentis. *Et alibi externam iſtam carnis manducationem oralem uſque adeo ſentit ab his ipſis myſteriis alienam eſſe, ut etiam* ſcelus *appellet; quod Dominus præcipere nũquã potuerit.*

Ad 19. Vnionem impropriè pro coniunctione uſurpant Vbiquiſtæ.

Vnionis nomen impropriè pro conjunctione uſurpatur in hoc argumento. Siquidem vix reperiri poteſt ulla Vnionis ſpecies, qua dici poſſit, Signa & Res ſignificatas hactenus Dei promittentis reſpectu, uſque adeò conjungi, copulari & connecti, ut nunquam Deus, qui verax eſt, ſignum offerat ſenſui, quin rem quoque ſignificatam intellectui præbeat. Sed duplex hic error admittitur: Vnus eſt eorum, qui putant, hanc conjunctionem eſſe abſolutam quandam & eſſentialem copulationem rerum cum ſignis, in eodem ſubjecto & loco: quum tamen hæc conjunctio tota ſit relationis, & ſignificationis ex pacto. Hinc autem naſcitur aliter error multiplex, multorumque monſtrorum ferax. Nam ſi vera eſſet illa Vnio abſoluta & eſſentialis, eodem ſubjecto & loco, efficeretur certè & ore utrunque ſumi. & non tantum à dignis & indignis, verum etjam à quibuſvis animantibus rem quoque ſic cum ſignis unitam accipi: infinita denique falſa, impia, abſurda neceſſariò conſequerentur. In quibus vitandis difficultatibus fruſtra ſeſe torquent neceſſe eſt, quicunque realem illam ac ſubſtantialem Vnionem pro ſacramentali, id eſt, vera quidem, ſed relativa duntaxat ex pacto conjunctionis ſtatuunt.

Qui realem & ſubſtantialem Vnionē ſignorũ & rerum ſignatarũ ſtatuunt multipliciter errant.

Corpus Chriſti in Cœna non tantùm ſignificatur, ſed etiam exhibetur.

Quod autem diſcrimen inter Exhibitiva & Significativa Sacramenta ſtatuitur, à Scholaſticis ortum eſt, qui propterea, quod exiſtimarunt cum veterum ante natum Chriſtum Sacramentis non potuiſſe reipſa præſtari, quod nondum in rerum natura exſtabat, idcirco illis tantùm ſignificatam fuiſſe, non exhibitam eſcam illam ſpiritualem, Chriſtum videlicet, tradiderunt. Et certè aliquod in hac re diſcrimen conſtituendum eſt, ſed ejuſmodi tamen, ut cum Auguſtino ſentiendum ſit, Patrum & noſtra Sacramenta ſicut ſignis differunt, ita etiam re paria fuiſſe. Sed quum hoc diſcrimen in nos torquetur, perinde ac ſi in noſtris Sacramentis diceremus, Chriſti Corpus & ſanguinem nobis duntaxat veluti in pictura quadam oſtendi & ſignificari, non autem à Deo etiam præberi ſpiritualiter per fidem percipienda, magna ſit nobis injuria, qui ex Paulo didicimus, panem hunc quem frangimus, & poculum hoc cui benedicimus, ſic eſſe ſigna, ut ſint etiam Corporis & Sanguinis Domini κοινωνία.

Sacramẽta per ſe nõ ſunt ſigna exhibitiva.

Poſtremo & illud adijcimus, repudiandum eſſe quòd Sacramenta ipſa ſint rerum quas ſignificant exhibitiva. Non enim res ſignificatas exhibent ipſa ſymbola, ſed Deus unus ille eſt, qui propoſitis ſignis iſtis, ſimul credentium animis ſpiritualiter per fidem apprehendendum præbet, quod illis ſignis Verbo conjunctis ſignificatur. Hoccine verò eſt Sacramenta evacuare, aut in picturas inanes transformare.

Ad 20. Quæſtiones orthodoxorum pro irriſionibus habent Vbiquiſtæ.

His adijciunt denique XV. Quæſtiones, quas iſti Iudices omnes, pro furoribus Sacramentariis, item pro perniciôſis & blaſphemis irriſionibus ac ſubſannationibus Teſtamenti à Filio Dei conditi habent, ac proinde ut venenatas reijciendas & execrandas eſſe decernunt: & tamen ex illorum dogmate de reali præſentia & manducatione neceſſariò, non quidem omnes ſed pleræque exoriuntur, ut manifeſtum fiet ſi ſingulas ordine examinemus.

Ad primæ quæſtionis examen.

Prima *igitur quæſtio eſt*, Quando & quomodo Chriſti Corpus ad panem vel in panem veniat. *Habet hæc quæſtio fundamentum in Dei Verbo, in quo nulla ſunt contradictoria, ſed cohærentia & conſentanea omnia. Illi igitur interpretatione verborum Cœnæ conceſſa, quæ ponit realem in terris In, Sub vel Cum pane præſentiam humanæ Chriſti Naturæ, oſtendatur neceſſe eſt iſtius Conſubſtantiationis*

 aliquod

aliquod eſſe initium , & aliquem finem : aut dicendum erit , Chriſti carnem ibi eſſe incipere, quo nunquam venerit, ibique deſinere eſſe,unde nunquam abierit,id eſt,falſum eſſe Dei Verbum de vera Chriſti carne,& ejus natura convenientibus neceſſariis attributis : aut meritò concludetur, falſum eſſe eam interpretationem, ex qua tot falſa conſequantur. Loquimur autem de neceſſariis attributis, cujuſmodi ſunt localitas, & mutatio loci in phyſico,quantumvis glorificato Chriſti Corpore. Nam ſubitò diſparere , ſuper aquas ambulare, *cæteraque ejuſmodi veritatem corporeæ ſubſtantiæ non tollunt : neque etiam* per corpus ſolidum penetrare , *quia ſunt duntaxat παραφυσικά & ὑπερφυσικά , ſed* pluribus ſimul locis eſſe totum, & Ibi eſſe quo non veneris, indeque abeſſe vnde non abieris,verum corpus eſſe denique,&, localiter non eſſe vbi ſit, *omnia hæc ſunt verè ἀντιφυσικά, vnique Deitati quadrant. Falſa igitur ea verborum Cœnæ interpretatio , ex qua illa conſequuntur , non minùs quàm impium eſt huic errori ex adverſo correſpondens Anthropomorphitarum dogma.*

Secunda *quæſtio eſt*, Quàm propè pani adſit corpus , aut quam longè ab eo diſtet? *Eam verò & nos omnibus modis curioſam eſſe agnoſcimus, nec à quoquam noſtrûm motam arbitramur.*

Tertia *eſt*,Quomodo ſub pane Corpus occultari & abſcondi poſſit ? *Qui verò in Conſubſtantiationis dogma inquirunt, non hæc quærunt, ſed hoc potiùs, Factum ne ſit Corpus Chriſti illocale & inviſibile , illud , inquam, Corpus, quod verum eſſe & in Cœlum verè receſſiſſe, nec priùs inde venturum ipſemet teſtatur, quàm veniat ipſe judicaturus vivos & mortuos : & à quo peregrè nunc nos abeſſe teſtatur Apoſtolus , emigrare deſiderans ut cum ipſo eſſe poſſit. An verò potiùs habendum eſt pro erroneo dogmate, ex quo contrariæ Verbo Dei enunciationes conſequūtur?*

4. & 5. *Ad 4.& 5.quæſtionem* , Quam diu durct vnio Sacramentalis ? Item , Quando Chriſti Corpus iterum à pane recedat ? *reſpondemus? illos ipſos noſtros Iudices hoc definire, quum dicunt, & rectè quidem , quæ fuerant Sacramenta, extra uſum deſinere eſſe Sacramenta. Alioquin cur non in Antichriſti caſtra tranſimus?*

6. & 7. *Quæſtiones* 6. & 7. *Non nos novimus , ſed Tranſubſtantiatores, ut ſatis conſtat. Illis igitur non nobis hæc tribuenda fuerint.Hoc tamen certum eſt,abſurda iſta non minus neceſſario ex reali Conſubſtantiatione quàm ex Tranſſubſtantiatione conſequi : quod cum Metuſiaſtæ animadverterent , iſtos nodos diſſolvere conati ſunt, quamvis fruſtra. At noſtris Iudicibus ſunt blaſphemi, furioſi, & impii, quicunque ad articulorum Fidei & aliorum Verbi Dei normam exigunt ipſorum interpretationes.*

Sed illud magis mirandum eſt , damnari ab ipſis ut furioſos , qui quæſtiones moveant, quas ipſimet in ſuis ſcriptis definiunt. In Scriptis enim illorum invenitur , Hoc duntaxat diſcrimen apud illos conſtitui , inter ſuam illam oralem manducationem , & eam quæ Capernaitis tribuitur , quòd hi exiſtimarunt fruſtulatim edi & comminui Chriſti carnem ipſi verò cenſeant ſolidam , ore tamen , comedi. *Sic Lutherus etiam ſcripſit :* Utinam omnes Papæ tam Chriſtianè egiſſent atque Nicolaus Papæ cum Berengario. *Papa autem ille ſcribit* : Verum Chriſti Corpus ſenſualiter & non tantum Sacramento, ſed in veritate manibus Sacerdotum,tractari,frangi,& fidelium dentibus atteri. *Quomodo igitur à noſtris Iudicibus damnatur tanquam curioſum & blaſphemum in quo tamen expreſſe convenit Luthero & Nicolao Papæ?*

Ad octavam quæſtionem quod attinet, Sit ne 2.
vivum corpus,vel mortuum,ſiquidem diſtinctè corpus ſub pane , & ſanguinem ſub vino accipimus? *Nos eam aliter , & quidem ex ipſorum dogmate neceſſariò exorientem concipimus. Dicimus enim,Si valet illa realis Conſubſtantiatio,& ſimpliciter abſq; ulla vel minima interpretatione ſervandum eſt τὸ ῥητὸν in illis Cœnæ verbis : conſequi, ſicut ſigna ſunt reipſa non tantum diſtincta,ſed etiam locorum intervallo diſſita, ſic etiam ſeorſim corpus exſangue, & ſanguinem abſque corpore,oris inſtrumento, donec alicubi rurſum coëant.Exhorreſcant iſti ad hujuſmodi quæſita : at cur non exhorreſcunt ea docere , ex quibus hæc neceſſariò conſequuntur?*

Damnant noſtri Iudices & rectè quidem,curioſas & inutiles quæſtiones , ſed quænam illæ ſint inquiri nolunt.Hæc agendi ratio ſi in Eccleſia obtineat , ad fidei implicitæ dogma revolvemur, ac 3.
tandem ne ipſi quidem doctores quid alios doceāt intelligent.Hāc tamen quæſtionem 9.iſtas tanquā ſcopulū refugere minimè miramur,ut quam nunquam expedire poſſint.Sed illud interea obſervādum eſt,non non corporalem,ſeu Corporis Chriſti præſentiam in Cœna,ſed corporalem ac realē præſentiæ modum In,Sub,Cum à nobis negari. Imò in verbo etiam ſimplici Chriſtum totum in cælis & & non alibi poſitū ſecundùm carnem, tamen ſtatui à nobis verè præſentē, etiam in ſolo Verbo per fidem,ad vitam æternam apprehendendam,nedū ut eum à Sacramentorum myſteriis excludamus.

Decimò , nolunt quæri , Quid tandem
Chriſtus operetur in dignis & indignis? 10.
Quid audimus? ſi quærere non licet, quo fructu ad Cœnam Domini. accedatur,& viciſſim quid iis ſit eventurum,qui illam polluerint ,quo pacto nos dijudicabimus , ne judicemur ? Quid enim aliud eſt quærere quod in hac quæſtione proponitur ? Num verò furioſus etiam & Sacramentarius Apoſtolus ad utramque diſerte reſpondens? Panis, *inquit* quem frangimus communicatio

municatio eſt corporis Chriſti, *dignè ſcilicet accedentibus. Contrà*, Qui indignè, *inquit*, reus eſt corporis & ſanguinis Chriſti, *&c. Adhæc quædam ἀκύρως in hac quæſtione Iudicibus noſtris exciderunt. Vnde enim iſtud habent vel didicerunt, Chriſtum aliquid operari in indignis, id eſt, impœnitentibus aut infidelibus? Nam diabolus eſt, qui in illis operatur. Chriſtus autem non in illis, ſed adverſus illos agit. Hic autem error ex ulcere promanat, quod videlicet poſitâ reali conſubſtantiatione, & orali manducatione, conſequatur, fieri non tantum ſignorum, ſed etiam rerum ſignificatarum, videlicet Corporis & Sanguinis Domini participes, quicunque os afferunt, ſive dignè, ſive indignè accedant. At non ita ſe res habet. Hic enim cibus, etſi tam verè offertur, quàm ipſa ſigna fidei tamen non corporis ori offertur, mentis ſcilicet non ventris cibus, ſigno verò non menti, ſed ori præbentur.*

Quærere, An corpora fidelium per Corpus Chriſti naturali modo ad immortalitatem immutentur, ſicut aliàs cibus naturalis in ventre hominis à natura mutatur? *non modo curioſum, ſed abſurdum etiam atque ineptum eſt.*

12. 13. 14. & 15. quæſtiones. Non curioſorum eſt) quærere, an Chriſtus in pane Cœnæ realiter præſens adorandus ſit.

Num verò curioſorum eſt, ac non potius de ſua ſalute meritò ſolicitorum hominum, quærere, An in pane illo & vino illo adorandus ſit verè, realiter, ac ſubſtantialiter præſens Chriſtus? *Hoc quidem noſtri Iudices, ſed illâ poſitâ Conſubſtantiatione, non minùs quàm Tranſſubſtantiatione conceſſâ, neceſſariò ſequitur. Illud enim quod dicunt, non eſſe uſurpandum cultum extra Dei Verbum, verè dicitur, ſed minùs appoſitè. Quis enim dixerit Chriſti adorationem eſſe ἐθελοθρησκείαν? Neque valet hæc exceptio*, Non iuſſiſſe Dominum Corpus ſuum in pane adorari, ſed accipi & comedi *Nunquam enim accedendum eſt ad Chriſtum, præſertim reipsâ præſentem ſine adoratione, ut qui ſit Deus.*

Adhæc, ſi furioſi ſunt & blaſphemi irriſores, qui hoc quærunt, & ſuperſtitioſi qui Chriſtum in hoc pane adorant, quid fiet ipſi Luthero, qui ipſummet panem adorabilem ſenſit & ſcripſit? quem tamen noſtri Iudices Deum faciunt. Hæc enim ſunt eius verba in Lovanienſibus articulis quos anno 1544. *edidit theſi* 15. In Euchariſtiæ Sacramento VENERABILI *&* ADORABILI eſt, & exhibetur, & ſumitur verè & reipſa Corpus & Sanguis Chriſti tam à dignis quam indignis. *Excipient fortaſſe, intelligendum hoc eſſe de quadam honeſta veneratione, quâ non adoretur ipſe panis, ſed reverentiam quandam animi in illa ſacra actione teſtemur. At nos non videmus, ſi ponatur realis Conſubſtantiatio, quînam non peccent, qui Chriſtum in illo pane non adorant & invocant, quo cum penè etiam eum hypoſtaticè unitum eſſe voluit Lutherus. Quod autem ad oblationem, & circumgeſtationem & alios eiusmodi idololatricos cultus attinet de illis inter nos nec quæri nec dubitari arbitramur.*

Habemus itaque nos deſcriptam Formulam Torgenſem primam Concordiæ, in qua noſtras Eccleſias Quindecim viri tanquam hæreticas damnant ac proſcribunt. Habent è contra illi quoque Iudices Reſponſionem ad articulos negativos & affirmativos ſuæ Formulæ, ex qua, ſi non illi, at ſaltem alii æqui, ac nullo falſo præjudicio faſcinati Iudices & Lectores, intelligent, iniquiſſimè has condemnationes factas, & maximum incendium pauculorum, & quidem etiam obſcurorum Theologorum flabellis excitatum eſſe.

CAPVT VII.

Quæ poſt Concordiæ Formulam Torgenſem conceptam & ſcriptam, ſint acta proximè cum Orthodoxis Theologis Vuitebergenſibus.

Georgius Maior Torgam vocatur ad ſubſcriptionem Torgenſis Formulæ.

AD ſubſcriptionem & approbationem Articulorum Torgenſis huius Formulæ, mox omnes Paſtores & Theologos Eccleſiarum & Academiarum in Electorali Saxonia ſumma cum importunitate cogere cœperunt. Eámque ob cauſam, Georgius Maior D. *Collegij Theologici Vuitebergenſis Senior, à Conventu Torgenſi vocatur, ut cum eo totius Collegii ſui nomine de approbatione & ſubſcriptione huius Formulæ, & iſtorum articulorum ageretur. Quum autem ex multis rumoribus, Vuitebergam allatis, intellexiſſet Collegium, de abrogatione Formulæ Dresdenſis agi, petit* Maior *Inſtructionem à toto Collegio ſcriptam, ut, quis omnium nomine reſpondere debeat, cognitum haberet. Morem illi gerit Collegium, datâ Inſtructione, in qua multis argumentis & rationibus graviſſimis indicant, Dreſdenſem formulam firmiter retinendam nec abrogandam vel reſcindendam eſſe.*

Inſtructio datur Maiori de non abrogando Dreſdenſi Conſenſu. De approbatione Dreſdenſis Conſenſus.

Primò, inquiunt, multis rationibus probari poteſt, quòd in dicta Formula nihil novi aut peregrini & falſi contineatur de controverſis articulis, ſed vera confeſſio & doctrina iſtarum regionum, Scholarum & Eccleſiarum. *Secundò*, quòd in hac Formula controverſi articuli ſatis ſuperque ſunt explicati, in iiſque omnia ea comprehenſa, quæ in publicis formis Confeſſionum, in Conventibus Imperii & Colloquiis, harum regionum Eccleſiarum nomine traditis, quæque in ſubſcriptis articulis ab Electoribus aliiſque Principibus, atque etiam in toto noſtro Corpore doctrinæ docentur. *Tertiò*, quòd hæc Dreſdenſis Formula communiter & unanimi

Conſenſu approbata & ſubſcripta eſt, in libera Synodo & in præſentia Theologorum utriuſque Vniverſitatis, Lipſenſis & Vuitebergenſis, trium item Conſiſtoriorum, omniumque Superintendentum, poſt amicam collocutionem triduo integro habitam. *Quartò*, quòd omnia Dubia, unà cum quæſtionibus, à quibuſdam motis, ſatis in Synodo iſta expenſa & declinata, nec quicquam ſilentio prætcritum, quod ad juſtam declarationem veritatis & Chriſtianam Concordiam neceſſarium viſum fuit: Hæcque cum omnibus placuerunt, & Deo pro hoc pio & Chriſtiano Conſenſu ingentes egerunt gratias. *Quintò*, in Synodo quoque Dreſdenſi decretum fuit ab omnibus Theologis & Superintendentibus, ut hæc Forma conſtanter retineatur in poſterum, juxta eam doceatur in Scholis & Eccleſiis, & à peregrinis ac ſcandali plenis diſputationibus abſtineatur: Quod ſi verò deinceps à Paſtoribus quædam contra hunc Conſenſum in quæſtionem adducantur, Superintendentes iſtorum hæc ad Vniverſitates & Conſiſtoria continuò referant, & Chriſtianum reſponſum expectent. Ab illo verò tempore in hunc uſque diem nulla quærela ad Conſiſtoria, nedum ad Vniverſitates relata eſt unquam, quod ipſum teſtimonium evidentiſſimum ſit Conſensûs & Concordiæ in harum regionum Eccleſiis. *Sextò*, Illuſtriſſimus Princeps ac Elector Auguſtus publicam gratiarum actionem in Concione publica pro hoc pio Conſenſu decrevit; hortatus eſt etiam omnes ac ſingulos Theologos, ut eum conſtanter retineant, nec Flaccianorum aliorumque turbulentorum hominum calumniis & clamoribus quicquam moveantur: Mandavit quoque præcipuis ex Conſiliariis ſuis, Dreſdâ ne diſcedant, donec Conſenſus hic fideliter typis in lucem editus eſſet: Exemplaria denique illa non ſolùm harum regionum Eccleſiis tradidit, ſed etiam cum ſingulari gratulatione aliis quoque Principibus miſit: teſtatuſque eſt manu propriâ, hunc Conſenſum congruere cum Verbo Dei, Auguſtana Confeſſione, Lutheri Catechiſmis & toto corpore Doctrinæ, & prohibuit ne Confeſſiones novæ ſuarum terrarum Eccleſiis obtrudantur. *Septimò*, Flacciani Ienenſes primò hanc Formulam Dreſdenſem oppugnârunt. Neque mirum id alicui videri debet, nam Corpus etiam doctrinæ harum regionum hoſtiliter ſemper inſectati ſunt, omnemque lapidem moverunt, ut has Eccleſias deformarent, omnia illarum ſcripta, dicta & facta arroderent, & vulgus in ſuas partes pertraherent. *Octavò*, Multi pij, docti & pacis amantes viri in aliis terris & Vniverſitatibus, multi etiam Principes ac Ordines Auguſtanam Confeſſionem amplectentes, hanc formulam approbârunt quoque. Ac in multorum manibus Cl. Viri Ioh. Piſtorii verſatur judicium ad Landgravium Haſſiæ, in quo hunc Conſenſum Dreſdenſem de omnibus controverſis articulis probat & commendat, ut infallibilem veritatem, conſentientem cum illa doctrina, quæ in omnibus Colloquiis contra Pontificios defenſa & propugnata fuit. *Nonò*, quòd à nonnullis objicitur, Formulam hanc ambiguam eſſe, pura puta calumnia eſt: nam in illa ablegatur Lector ad Corpus doctrinæ harum Eccleſiarum, & alias formas publicarum Confeſſionum. Et quam non dubia, incerta & ambigua ſunt ſcripta, ad quæ Formula Dreſdenſis ſubinde provocat, tam non ambigua cenſeri debet & rejici Formula illa. *Decimò*, Si jam novæ Confeſſiones, Appendices, & Declarationes conderentur, multò majora pericula inde expectanda eſſent, quàm quiſquam nunc credit: Sic enim priores Confeſſiones omnes & ſcripta quibus innituntur, in dubium vocarentur, Conſenſus harum Regionum in Eccleſiis & Scholis turbaretur, nova ſchiſmata ſuſcitarentur: iique omnes, qui Dreſdenſem Conſenſum ſubſcriptione ſuâ approbârunt, quorum multi jam in Domino obdormierunt, in ſuſpicionem venirent, ac ſi fidei & doctrinæ ſuæ nullum certum fundamentum habuiſſent, vel non candidè & ſyncerè in tam gravi cauſſa egiſſent: multis fidis Doctoribus, qui ſalvâ conſcientiâ duras & periculoſas formas loquendi approbare non poſſent, gravia pericula crearentur: Reputatio & authoritas Illuſtriſſimi noſtri Principis, Academiarum & Eccleſiarum harum Regionum valdè imminueretur: inquietis hominibus major occaſio daretur conviciandi & pro libidine calumniandi. Si etiam ſemel ab approbata & recepta Dreſdenſi formula diſcederetur, & & nova, propter Flaccianorum calumnias proferetur, nullus finis foret ſequentibus temporibus, novas declarationes cudendi & Eccleſiis obtrudendi: ſicut in primitiva Eccleſia accidiſſe legimus, quum primùm Formula Niceni Symboli, propter Arrianos immutata & male declarata fuit: mox enim, ingenti cum damno Eccleſiæ, menſtruas fides cudere cœperunt, & ſub uno Conſtantio Imp. novem ad minimùm novæ formæ Symboli Niceni in tot Synodis & antiſynodis fabricatæ ſunt, & Eccleſiis obtruſæ. Hinc horrenda ſchiſmata nata, & progreſſu temporis immaniſſimæ perſequutiones Orthodoxorum ab Arrianis excitatæ ſunt. *Vndecimo*, nulla certa & conſtans do-

ctrina

ctrina poſteritati relinqui poſſet ac tradi. Adhæc in harum regionum Eccleſias paulatim introducerentur, periculoſa & infelicia certamina de Vnione Perſonali, ſeu Incarnatione Filii Dei, & quæ his adhærent, quæque ab aliis maximo cum ſcandalo mota ſunt, & in noſtris Eccleſiis eadem, ſub Cœnæ Dominicæ prætextu, excitari tentantur. Præterea, ſi Formulæ Dresdenſi aliquid aliud adderetur, quàm in Corpore Doctrinæ docetur, propter Reformationem Torgæ inſtitutam, eo ipſo occaſio daretur inquietis hominibus etiam in aliis articulis quædam mutandi. Nam uno inconvenienti dato, mox plura alia ſequuntur. *Duodecimò*, omnes ii, qui ad mutationem Dresdenſis Conſenſûs, & fabricationem novæ Declarationis ſeu Confeſſionis convocati ſunt, etiam atque etiam apud ſe expendere debent, an ſine vulnere conſcientiæ pericula illa, quæ futuris temporibus hinc exorituri ſunt, ſuſtinere, eaque placita & decreta tueri ac defendere queant, &c. Subſcripſerunt Henricus Mollerus Decanus, Caſparus Cruciger D. Chriſtophorus Pezelius D. Iohannes Bugenhagius D. & Fridericus Vuidebramus D.

Theologi Vuitebergrogant Maiorem ut Torgæ cauſam fideliter agat, ſed non paruit ille.

Rogârunt etiam hi Theologi Georgium Majorem *propter gloriam Dei, Eccleſiæ Chriſti ſalutem & iſtarum regionum tranquillitatem & concordiam, ut has rationes, ob quas Formula Dresdenſis abrogari vel mutari non debeat, diligenter ſecum expendat, coram Theologis & Superintendentibus in Conventu fideliter explicet, atque etiam Politicis, ſi qui Conventui interſint, examinandas tradat: nec condemnationibus ullis rerum aut perſonarum, ante legitimam cognitionem & dijudicationem controverſiarum nondum Catholico & orthodoxo conſenſu diremptarum, conſentiat. Verùm non paruit ille huic pio & fideli conſilio, quod à* Paulo Crellio *genero ſuo, & Torgenſium articulorum authore, in diverſam & plane contrariam ſententiam pertractus fuiſſet.*

Theologi Vuiteb. Torgam vocantur ad ſubſcriptionem Torgenſis Formulæ. Cauſæ ob quas Theologi Vuiteb. Torgenſibus articulis ſimpliciter ſubſcribere recuſant.

Vocantur igitur Torgam Vuitebergenſes Theologi, & Torgenſibus articulis ſubſcribere jubentur. Tum quiſque pro ſeſe & ſeparatim de iſtis articulis non ſolùm in genere, ſed etiam in ſpecie, ſententiam ſuam, abſque omni tergiverſatione, liberè ac ingenuè declaravit, cur videlicet iſtos articulos non ſic ſimpliciter recipere, & approbare, multòque minus defendere contra diſſentientes poſſit. Primò, *quòd his articulis inſint novæ Formulæ loquendi, quas approbare non poſſint.* Secundò, *provocant ad Corpus doctrinæ Philippi & Formulam Dresdenſem.* Tertiò, *Si τὸ ῥητὸν ſervetur ſimpliciter, Tranſſubſtantiationem Papiſticam aliaque ſimilia oppugnari non poſſe.* Quartò, *Si in verbis Inſtitutionis Synecdoche admittatur, cur non alius etiam Tropus concedatur?* Quintò, *Oralem manducationem indignorum ſe non poſſe recipere.* Sextò, *per κοινωνίαν ſe ſpiritualem communicationem intelligere.* Septimò, *Se Calvinum damnare nolle, & provocant ad generalem Synodum.* Octavò, *Diſcrimen inter Lutheri & Calvini Doctrinam potiùs in formis loquendi, quàm in reipſa ſitum eſſe.* Nonò, *Scripta Lutheri juxta Corpus Doctrinæ Philippi intelligenda eſſe,* Decimò, *Quod in Corpore hoc doctrinæ non ſit damnatum, id ſe damnare nolle.* Vndecimò, *Corpus doctrinæ rejici, &c.*

Theologi Vuiteb. de ſubſcriptione iterum urgerentur, quod illi facere ſimpliciter, recuſant.

Ob hanc reſponſionem ſeparatim detineri jubentur Theologi Vuitebergenſes in Civium nonnullorum ædibus: Inde poſt tres ſeptimanas à politicis Conſiliariis & Theologis rurſus accerſuntur, & de ſubſcriptione vehementer urgentur. Tum iterum unanimiter, & uno quaſi ore ingenuè reſponderunt, in hanc ferè ſententiam: Nos neque de Cœna Domini neque de aliis articulis Chriſtianæ fidei peculiares opiniones retinemus, quæ peregrinæ & novæ, vel contrariæ ſunt doctrinæ Auguſtanæ Confeſſionis, ut in toto Corpore doctrinæ Philippi continetur & declaratur. Deinde certamen de Cœna Domini à nobis non eſt motum & excitatum: Imò ad ſedandum & & componendum hoc diſſidium, ab aliis in Eccleſiis noſtris motum, Dresdenſem Formulam conſcripſimus, & Synodo exhibuimus, contra quam hactenus nihil unquam docuimus: Putamus etiam, de præcipuo articulo hujus certaminis nimirum, quid nobis in Sacra Cœna promittatur & exhibeatur, inter nos & Theologos, qui juſſu Electoris hos novos articulos condiderunt, nullam prorſus controverſiam eſſe. De verbis, quoque, Oraliter & Corporaliter, litem nullam movere cupimus, dummodo juxta Patrum declarationem, Sacramentaliter intelligantur: quem ſenſum ex Patrum ſcriptis probare ac demonſtrare poſſemus: ſi id à nobis poſtularetur, licet poſterioribus temporibus, Scholaſtici ſub Papatu, his ipſis verbis, ad confirmandam ſuam Tranſſubſtantiationem, ſceleratè abuſi ſunt. *Poſtremò, propter Dei gloriam & Eccleſiæ ſalutem, Theologos, qui dictos articulos condiderunt, etiam atque etiam hortati ſunt, & rogarunt*, ut de hac tota cauſa fraterne & amicè ſecum conferant, & cognoſcant, quàm neceſſe ſit propter poſteritatem, ut fundamentum hujus controverſiæ funditùs tollatur. Hunc eſſe novum, & in Eccleſiis iſtarum regionum inauditum proceſſum, cuiquam contra conſcientiam novos inquiſitorios articulos obtrudere, ſine precedente collocutione, & neceſſaria rerum diſceptatione: Hanc non ſuam privatam,

Theologi Vuiteb. vehementius de ſubſcriptione ſollicitati prolixius reſpondent.

tam, ſed totius Eccleſiæ Dei publicam eſſe cauſam quæ etiam ad poſteritatẽ pertineat.

Quum verò Theologi prætenderent, ſe ab Electore mandatum nullum habere, ut cum ipſis de his controverſiis diſputationem aliquam inſtituerent, ideoque vehementer urgerent, ut vel his articulis, quos etiam Elector tanquam veros approbaret, ſubſcriberent; vel iram eius expectarent, ſi ſubſcriptionem recuſarent, idque etiam Politici, qui aderant, atteſtarentur: coacti ſunt Theologi Vuitebergenſes, cauſas, ob quas iſtis articulis ſimpliciter, ſine omni conditione ſubſcribere non poſſent ſalvâ conſcientiâ, aliquantò prolixius exponere ac declarare. Quum enim in ſecularibus negotiis prudentes viri non temerè quidquam approbant multò magis in hac cauſa, quæ gloriam Dei, à Deo patefactam veritatem, Eccleſiæ ædificationem, & cujuſque conſcientiam ſpectet, ſingulari providentiâ opus eſſe. Hunc etiam morem obſervatum fuiſſe à veteribus in Synodis & Conventibus, ut prius inſtitutæ fuerint amicæ diſputationes & colloquia de his articulis, qui communiter ab omnibus approbari debuerunt, ſingulis quoque tempus datum eſſe de omnibus circumſtantiis diligenter ac in timore Domini cogitandi. Reſponſa etiam ejus cujuſque diligenter audita, nec quenquam ſuâ libertate privatum eſſe. Adhæc inuſitatum fuiſſe, ut ſubſcriptiones poſtularentur, niſi id ſumma neceſſitas requiſiviſſet, & tunc ſolummodo, quum patefacta & confirmata veritas & Concordia in Eccleſia aliter conſervari non potuiſſet. Hanc gravem eſſe controverſiam, de qua jam ultra 50. annos pugnatum ſit, magna cum animorum exacerbatione, & tamen abſque legitima cognitione & dijudicatione. Se non omnia approbare poſſe, quæ ante hæc tempora, priuſquam una pars alterius ſententiam probè cognitam habuerit, utrinque dicta, ſcripta & geſta ſint. Si qui controverſiam hanc componere & tollere velint, & poſteritati hoc pacto conſulere, legitimam dijudicationem inſtituendam eſſe, ad quam viam monſtret Formula Concordiæ, Inter Lutherum & ſuperioris Germaniæ Theologos initæ. Solis præjudiciis neque cauſæ huic conſuli, neque Concordiam in Eccleſia fieri.

Articulos quorum ſubſcriptio requiratur, Confuſionem eſſe, eoſque brevi nova certamina excitaturos, quia nonnulla in illis contineantur, quæ neque ex Sacra Scriptura, neque ex Corpore doctrinæ defendi queant.

Imprimis autem Condemnationes nimium præproperas ac duras factas eſſe eaſque pertinere ad grave præjudicium illarum Eccleſiarum, quæ hoc tempore in multis regionibus graviſſimas perſequutiones patiantur: Se tot & tam Sanctos homines, qui propter Evangelii & Chriſti confeſſionem tam immaniter jugulentur, & ſummè conſtantiâ contra Papatum pugnent, Martyres Diaboli vocare nolle. His autem condemnationibus eorum apud Papiſtas oleum igni addi, & perſequutiones graviores effici. Majores & prædeceſſores ſuos in hac cauſa longè clementiores ac prudentiores fuiſſe. Poſt mortem Lutheri multa certamina mota eſſe, quæ prætextu controverſiæ de Cœna Dom. pallientur, & tamen neceſſitatem tandem expoſtulaturam, ut illa aliquando in Synodo proponantur & legitimè dijudicentur.

Similiter ſe conſcientiâ ſalvâ vel ſibiipſis, vel aliis pericula illa intentare non poſſe, quæ certò exorirentur, ſi ſubſcriptione horum novorum articulorum Concordia ſuarum Eccleſiarum rumperetur. Sic enim Dresdenſis formula abrogatur, quæ tamen in legitima Synodo approbata & recepta ſit. Corpus quoque doctrinæ in his Eccleſiis in dubium vocaretur, quod tamen ad hoc uſque tempus contra veritatis hoſtes ſtrenuè defenderint. Hanc ob cauſam etiam apud poſteritatem nulla certa doctrina reperiretur, quum hoc Corpus doctrinæ hactenus pro Confeſſione Saxonicarum Eccleſiarum, & vinculo Concordiæ habitum fuerit. Hoſtes dictarum Eccleſiarum nova certamina ſubinde excitaturos, &, ut fieri ſolet, finem controverſiarum ac litium nullum futurum. His ipſis quoque articulis mox novis declarationibus opus fore.

Quòd ſi verò articuli iſti pro norma ſeu regula doctrinæ habendi ſint, magnas inde confuſiones exorituras, quum omnibus conſtet, ut nonnulli hoc tempore, quibuſdam phraſibus ac formis loquendi abutantur, quas antehac quidam Doctores in polemicis ſuis ſcriptis uſurpârunt. Exemplo eſſe Vbiquitiſtas, qui etiam articulos fidei ſub hoc prætextu in dubium vocent. Exemplo etiam eſſe Papiſtas, qui palàm glorientur, proteſtantium Eccleſias idem cum ipſis docere, quod corporalem præſentiam attinet, quandoquidem Lutherus, ac prima Auguſtana Confeſſio & Apologia converſionem ſeu tranſmutationem Panis non admodùm improbârint. Exemplo etiam eſſe Andræam Muſculum *& ſimiles, qui ſub prætextu ſcriptorum Lutheri adorationem conſecrati panis, errorem, etiam de merito externi operis in uſu Cœnæ, deque vi verborum, quæ ad panem recitantur, defenderint & approbârint.*

Mirari ſeſe, quòd in dictis articulis hos etiam non pari zelo condemnent, qui ſub prætextu ſententia

tentiæ Lutheri de Cœna fundamentum fidei in pleriſque articulis evertant.

Magnæ quoque ingratitudinis judicium futurum, ſi non agnoſcerent, quantum beneficium Dei ſit, quod in præcipuis articulis fidei & doctrinæ ſuarum ſumma Eccleſiarum concordia. Et ſi qui maximè diſſentirent in aliquibus, commiſeratione tamen illos dignos eſſe, donec omnia meliùs ac plenius declarentur.

Sed nullas lites moturos, ſed in ſua ſchola hanc ipſam doctrinam modeſtè & fideliter tradituros, quæ in Corpore doctrinæ & Dresdenſi Formula contineatur.

Quod ſi hæc non approbent, ſe rurſus eos vehementer etiam atque etiam rogare & obſecrare, ut de his amicè & familiariter ſecum conferant & hoc beneficium ab Illuſtriſſimo Electore impetrent, ut in tam gravi cauſa benignè audiantur.

A Theologis Vuiteb. obteſtationes ex abundanti fiunt ne ſimpliciter ſubſcribere cogantur. Quum verò hoc, quantumvis juſtum, pium & æquum, non ſolum impetrare non poſſent, ſed etiam graves communicationes accederent, ex abundanti tam Politicos, quam Theologos rurſus obſecrârunt, ne exemplo novæ perſecutionis vulnera Eccleſiæ refricentur, & periculoſiora efficiantur. Negari non poſſe, quin Corpore doctrinæ in hoc articulo labefactato, idem etiam in reliquis eventurum ſit. A morte ac ſepultura Philippi Melanthonis quatuordecim annos elapſos eſſe: jam, duobus finitis Climactericis, ejus quoque Corpus doctrinæ ſepeliri & opprimi.

Intollerabile ſibi videri, conſcientias ſuas lædere, vel tali approbatione, quâ veritas non leve detrimentum accipiat, vel condemnatione tot Eccleſiarum, quæ hoc modo ante legitimam cauſæ cognitionem vehementer prægraventur. Non contemnendam eſſe horribilem comminationem Dei: Væ vobis, qui bonum malum, & malum bonum dicitis.

In omnibus humanis rebus ſe Illuſtriſſimo ſuo Principi ſummam obedientiam præſtare velle: ſed in rebus religionem attinentibus certam metam nobis præfixiſſe Chriſtum, dicendo: Date Cæſari quę Cæſaris ſunt, & Deo quæ Dei ſunt, &c.

Theologis Vuiteb. ob recuſatam ſubſcriptionem manus injiciuntur. *His verò proteſtationibus, & obſecrationibus ſpretis & neglectis, ob hanc recuſationem ſubſcriptionis Torgenſium articulorum, quatuor Theologis Vuitebergenſis Academiæ,* D. Caſparo Crucigero, D. Henrico Mollero, D. Chriſtophoro Pezelio, & D. Friderico Vuidebramo *manus injiciuntur, & Torgâ pridie Iohannis Baptiſtæ anno 74. Lipſiam abducuntur.*

Tripudium ob Vuiteb. Theologorum vincula. *Quum audiret, vel potius videret quidam ex Theologis Saxonicis non infimus, Vuitebergenſes hos Theologos ad carcerem abduci, ipſe ſe hilarior factus,* Lætare, *inquit,* anime mi: Iam enim triumphes licet de hoſtibus tuis, quos præclare ultus es. *Atque hæc vox ab uno quidem tum prolata fuit, ſed nomine omnium emiſſa eorum, qui tunc contra Academiam conſpiraverant, & qui neque publici commodi, nec religionis, nec humanitatis, nec dilectionis, nec poſteritatis rationem ullam ſibi habendam eſſe duxerunt, dummodo ſuis cupiditatibus obſequerentur, atque animum nefariæ vindictæ cupiditate explerent. Nihilominus tamen ſecundùm Baſilium* τὰς ἰδίας ἔχθρας ἐπικρυψάμενοι ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας ἐχθραίνειν κατασχηματίζονται. *Et ut idem mox addit,* τὸ ἐπὶ τοῖς αἰσχίστοις ἐκκλίνοντες ἔλεγχον τοὺς λαοὺς, εἰς τὴν κατ' ἀλλήλων φιλονεικίαν ἐκμαίνουσιν, ἵνα τοῖς κοινοῖς κακοῖς τὸ καθ' ἑαυτοὺς συσκιάσωσι. Διὸ καὶ ἄσπονδος δέχεται ὁ πόλεμος ὑπὸ τῶν τὰ πονηρὰ εἰργασμένων, τὴν κοινὴν εἰρήνην ὡς ἀποκαλύπτουσαν αὐτῶν τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης ὑφορωμένων, ὅτι τούτοις γελῶσιν οἱ ἄπιστοι, σαλεύονται οἱ ὀλιγόπιστοι, ἀμφίβολος ἡ πίστις.

Theologi Vuiteb. Lipſiæ cuſtodiæ traduntur. *Ipſi e in arcem traducti, omnes ab invicem ſeparati arctiſſimæ ibi cuſtodiæ traduntur.*

Quum autem D. Henricus Salmuth, D. Andreas Freyhubius & D. Harderus, *unà cum* Hieronymo Rauſchero *Conſule ejus urbis & præfecto arcis, multa ſæpè de controverſis articulis aliiſque rebus cum unoquoque ſeparatim egiſſent: tandem decretum Electoris in hanc ſententiam eis indicârunt, Dictos Theologos Vuitebergenſes in Academia ab officiis ſuis remotos, & alios in eorum locum ſuffectos eſſe: Subſcriptionem verò, ſine qua ex carcere liberari non poſſint, hac lege & conditione ab ipſis requiri; quoniam juſſu Principis in editione Electorali permanere, nec inde dimitti debeant, ut vice teſtimonii ſit, ipſos, tanquam privatos homines, nullas turbas vel certamina in iſtis regionibus excitare, nec ullis controverſiis ſeſe immiſcere, ſed tranquille & quiete iſtic degere ac vivere velle.* *Theologi Vuiteb. quibus conditionibus ſubſcripſerunt.* *Verba Germanica in autographo hæc fuerunt,* Daß man nach der Theologen Subſcription / ohne welche ſie keines wegs der gefengnuß würden entlediget werden / mit ſolchem beſcheid und dazu erfordert würde / als ein zeugnuß / daß weil ſie auff Churfürſtlicher Gnaden anordnung im Land bleiben / und darauß nicht gelaſſen werden ſolten / Sie als privati ihrer Churfürſtlichen Gnade / kein unruhe noch ſtreit machen / ſondern ſich dieſer ſtreitigen ſachen halben ſtill und ruhig erzeigen wolten. *Atque his conditionibus ſubſcripſerunt demùm Theologi.*

Theologi Vuiteb. orthodoxam doctrinam non revocarunt. *Quod autem ad Revocationem veræ ac orthodoxæ doctrinæ & ſententiæ attinet Theologorum Vuitebergenſium, tam abeſt, ut ulla talis ab eis poſtulata ſit, ut potius Theologorum Electoralium declaratione ipſorum ſententia confirmata,*

firmata, & contrà illorum declaratio ab his approbata, nec condemnata fuerit. Nam, ut D. Pezelius teſtatur in ſua Apologia contra Hermanni Hamelmanni calumnias, hæ conditiones atque exceptiones abſque omni contradictione ei conceſſæ ſunt.

Primò, *quod ad articulos affirmativos attinet, ut Dresdenſis formula integra ac libera ei relinquatur.*

Secundo, *ne à Corpore doctrinæ Philippi recedat: quemadmodum nec ipſi ab eo recedere in animo habeant.*

Tertiò, *ut doctrina de Perſona Chriſti, ſicut in Stereomate Vuitebergenſi traditur, immota maneat: cum atteſtatione manifeſta D. Salmuthi, ſi dictum Stereoma à quoquam oppugnatur, quod ipſe ejuſque collegæ, quorum conſenſu & approbatione editum ſit, id pro virili propugnaturi ſint.*

Quartò, *phraſes & modos loquendi de corporali & orali manducatione Corporis Chriſti Sacramentali modo intelligi debere. Et hanc ipſam declarationem tunc* Freyhubius *in præſentia ſuorum collegarum loco, quem ex* Theodoreto *legebat de manducatione impiorum confirmabat.*

Proteſtatio D. Pezelii.

Quod verò ad articulos negativos pertinet, hæc D. Pezelio proteſtatio citra omnem contradictionem libera relicta eſt, ne contra conſcientiam damnare cogatur, quod hucuſque in certamine Sacramentario non ſatis declaratum, & erroris convictum ſit, neve ſubſcriptio hæc quicquam ei præjudicare debeat, ſi ſuo tempore hæc controverſia dirimatur.

Ac licet ſæpè multumque politicos, in præſentia Theologorum dictorum, appellarit, obteſtatus ſit & implorarit, ut ſibi ſaltem liceat has conditiones ſubſcriptioni ſuæ addere, ſemper tamen illi reſponderunt, ſe de hoc nullum Illuſtriſſimi Principis mandatum habere, ſe tamen hæc omnia ad Principem relaturos; ſimulque tam politici quàm Theologi, ſtipulatâ manu promiſerunt, ſe de hoc ei, ubi & quandocunque neceſſitas poſtulaverit, teſtimonium daturos eſſe. Cumque Rauſcherus Conſul ab Electore Lipſiam rediiſſet, nihil aliud ab eo Electoris nomine petiit, quàm ut ſeſe in ditione ejus tranquille gerat, hortatusque eſt eum, ne conſcientiam ſuam gravet condemnatione articulorum, qui in certamine Sacramentario nondum ſatis ſint explicati. Ut autem verſioni Latinæ major fides habeatur, [illegible] ego criminis falſi à nemine argui poſſim, realia D. Pezelii verba Germanica adſcribam. Eæ igitur contra Hamelmannum ſic habent: Zu Leipzig iſt ein jeder unter uns / auff dem Schloſſe in einen beſondern orht in verſchloſſener Cuſtodien gehalten / darauß wir endlich dergeſtalt entlediget / daß die Theologen zu Leipzig D. Heinricus Salmuth, D. Andreas Freyhubius. uñ D. Harder. Sampt dem Burgemeiſter Hieronymo Rauſcher / und dem Hauptman deſſelbigen orths / auff empfangenen Churfürſtlichen befehl / zů etlich underſchiedenen mahlen / mit einem jedern beſonders gehandelt / und in vielen ſtucken erklarung gethan / auch angezeigt / wie unſer ſtedt und lehr ampt zů Wittenberg albereit durch andere widerumb erſetzt worden / uñ haben die Politici außdrucklich dieſe anzeigung uns gethan / daß nunmehr unſere ſubſcription, ohne welche wir keines wegs der gefangnuß wurden entlediget werden / mit ſolchem beſcheid / und da zů erfordert wurde / als ein zeugnüß / daß weil wir auff Churfürſtlicher Gnaden anordnung im Land bleiben und darauß nicht gelaſſen werden ſolten / wir als privati, ihrer Churfürſtlichen Gnade / kein unruhe noch ſtreit machen / Sondern uns dieſer ſtreitigen ſachen halben ſtill und ruhig erzeigen wolten. Es iſt auch ſo gar von uns keine Revocation unſer meinung erfordert / daß vilmehr der Theologen ſelbſt erklärung unſere meinung beſtettiget: und herwiederumb unſere gethane erklärung von ihnen approbirt und unverdampt blieben iſt. Und daß ich abermahls von meiner Perſon Summariſcher weiß kurtze erzehlung thue: So ſeind mir dieſe bedingung uñ vorbehalt ohne widerſprechē zugelaſſen worden.

Erſtlich ſo viel die articulos affirmativos anlangt / daß mir die Formula Dresdenſis frey gelaſſen bleiben ſolte.

Zum andern / daß ich deß Corporis Doctrinæ Philippi halben mich gar nichts begeben ſolte / welchem auch ſie die Theologen ſich nichts begeben haben wolten.

Zum dritten / das die Lehr von der Perſon Chriſti / ſo im Wittenbergiſchem Grund veſt gefaſſet / unverruckt bleiben ſolte / Darneben auch D. Salmuth offentlich bezeugete / daß da ſolcher Grundtfeſt angefochten werden ſolte / er und ſeine Collegæ mit derer vorbewuſt und approbation diß Bůch außgangen were / ſolches wolten vertretē und verthädigen helffen.

Zum vierdten / was die art zůreden von leiblichen und mundtlichen eſſen deß leibs Chriſti belangete / daß ſolches Sacramentlicher weiſe zuverſtehen ſey. Wie dann D. Feryhubius in angehör ſeiner Collegarum mit anziehung eines ſpruchs / auß dem Theodoreto ſuper Corinthios, den er damahls auß einem geſchriebenen Bůch verleſen / von der genieſſung der Gottloſſen / ſolche meine erklärung confirmirt und beſteiget hat.

Was aber die Articulos negativos belanget / iſt mir dieſe proteſtation frey und unverhindert gelaſſen / Daß mir hieinne in meinem gewiſſen nicht auff gedrungen wurde zu verdammen / was in dieſem ſtreit noch nicht gungſam auß geführet / noch irthumbs uberwieſen were / Daß auch die ſubſcription weder mir noch andern præjudicirn ſolte / wann eins

mahls

mahls durch Gottes gnad / die ſachen zu ordentlicher erkandtnuß und eröꝛterung ſolten gebracht werden.

Von dieſen conditionibus, bedingungen und vorbehalt / ob ich wol offternmahl gebetten / daß mir vergunnet wurde / die ſelbige bey der ſubſcription, klerlichen auß zudrucken / So haben doch die Politici, in beyſein der obgemelten Theologen zu Leipzig / angezeiget / daß ſie hiervon keinen befehl hetten von Churfürſtlicher Durchleuchtigkeit / Sie wolten aber von ſolchen conditionibus und erklerungen / Churfürſtlicher Gnaden getrewliche Relation thun / und haben darauff beydes die Politici und Theologi mir mit handgebner trewe gelobet und verſprochen / deſſen / wo und wenn es von nöthen / mir auch bey andern zeugnuß zugeben / wie dann Burgermeiſter Rauſcher / als er von Churfürſtlicher Durchleuchtigkeit / dahin er ſich eilendt begeben wieder gen Leipzig ankommen / ſolche conditiones ſelbſten bey mir erholet / als er die ſubſcriptiones der Namen etlicher meiner Collegarum, noch für meiner erledigung auß der cuſtodia, zu mir gebracht / und dergleichen Subſcription meines Namens auff ein Papier / dabey damahls die Torgiſchen Artickel nicht geweſen anders nicht von mir begeret / als ein zeugnuß / daß ich mich ruhig in dieſem ſtreit in deß Churfürſten zu Sachſen Lande verhalten wolte / dargegen mir mein gewiſſen unbeſchweret bleiben ſolte / mit den verdammungen der noch nicht genugſam erörterten ſachen. Davon zum offtermahlich bey der / in gegenwart vielgedachten Rauſchers geſchehenen Subſcription / ernſtlich proteſtiret und bezeuget hab / daß ich damit mein gewiſſen keines wegs beſchweren köndte noch wolte.

Theologi Vuiteb. rurſus Torgam vocantur ut capitalis ſententia adverſus eos pronunciaretur.

Etſi verò jam finis impoſitus eſſe crederetur actionibus omnibus cum Theologis Vuitebergenſibus, non tamen multò poſt rurſus Conventus indicitur in urbem Torgenſem præcipuorum Ordinum Saxoniæ Electoralis, ut in eo adverſus Theologos Vuitebergenſes, & D. Peucerum inprimis, tanquam reos & convictos confeſſionibus & ſubſcriptionibus ſuis, Capitalis ſententia pronunciaretur, & conſultationes inſtituerentur de Calviniſmo penitus extirpando: ſed excluſis ab actione Reis, & viis omnibus undiquaque circa urbem obſeptis per cuſtodes arctiſſimè, atque interclusis, ne quid literarum à quoquam inferretur pro Reis.

Ordines, etſi confeſſionibus & ſubſcriptionibus eorum auditis, quas extortas ipſis eſſe ignorabant, non inſontes eos eſſe pronunciarunt: Concludunt tamen, ſatis pœnarum jam eos ſuſtinuiſſe, pro hoc delicto, nec ſe eas poſſe exaſperare. Theologis tamen Electoris nomine obligationis forma præſcripta eſt, quæ ſic ſe habet. Primò, ut quiſque illorum Vuitebergæ menſis ſpacio in areſto ſeſe in ſuis ædibus contineat, donec ab Electore cuique, quo ſeſe conferre, & ubi deinceps habitare debeat, indicetur. Secundo, ut quiſque ex illa domo, quæ ei demonſtretur alibi, multo minus ex urbe & ditione tota, ſine conſenſu Electoris, non egrediatur, exceptis concionibus Sacris, nuptiis & compaternitatibus. Tertio, ſi vel pacis, vel belli tempore jubeantur in alia loca migrare, abſque omni tergiverſatione pareant. Quarto, ne quid ſine licentia Electoris in lucem edant: inprimis autem, ne quidquam deinceps, tanquam privati, de certamine Sacramentario, vel moveant, vel diſputent, vel ſcribant. Quintò, ut Electori interea temporis obſtricti ſint, nec ullas conditiones vel Scholaſticas, vel Eccleſiaſticas alibi quærant & petant.

1. Daß wier zu Wittenbergk ein Monatlang ein ieder in ſeiner behauſung ſich im Areſt / verſtrickungs weiß / enthalten ſolte / biß ime erklerung geſchehe von Churfürſtlicher Durchleuchtigkeit / wohin er ſich begeben / da er hinfüro ſein wohnung und unterhaltung haben ſolte.

2. Daß ein ieder in dem hauſe ſo ihm würde anderßwo verordnet werden / ſich dermaſſen innen halten ſolte / daß er darauß nicht gehen / viel weniger auſſer der Stadt und Land ohne bewilligung Churfürſtlicher Durchleuchtigkeit ſich begeben ſolte iedoch ſolte einem iderm zu Kirchen / Hochzeyt und Gefatterſchafften zugehen in der Statt erlaubet ſein.

3. Do zu frieden oder kriegszeyten / einer von einem ort an ein anders verordnet würde / daß er unweigerlich dem ſelben folgen ſolte.

4. Daß wir nichts drucken noch außgehen laſſen ſolten / es were dann Churfürſtlicher Gnaden zuvorn uberſehen zugeſchicket. Inſonderheit aber ſolten wir als nuhmehr privati von dem ſtreit deß Nachtmahls uns ruhig erzeigen und davon nichts movirn / diſputiren oder ſchreiben.

5. Daß wir in Churfürſtlicher Gnaden beſtallung bleiben / in keine frembde beſtallung uns einlaſſen / und da ſeine Churfürſtliche Gnaden einem etwas zu rathen oder zu ſtellen in Theogoliſchen ſachen aufferlegen wurde / daß wir trewlich und gehorſamlich in ſolchem uns erzeigen wolten.

De Peucero vero quid Ordines pronunciarint, paulo poſt in hiſtoria carcerum ejus referemus, & ſimul de hoc Conventu plura indicabimus.

Poſt hanc obligationem quatuor Theologi Vuitebergenſes, quatuor in locis, nempe Miſniæ, Mersburgi, Namburgi & Zitii aliquandiu detenti ſunt. Ac licet adverſariæ partis Theologi ſine intermiſſione contra illos horrenda convitia evomerent, & famoſos libellos ederent, patientiâ tamen ſingulari hæc omnia contempſerunt, & cauſam ſuam Deo commendarunt.

F *Tandem*

Tandem die 19. menſis Novemb anni 74. à priore obligatione ſoluti ac liberati, doctiſſimi hi viri, & totius Saxoniæ lumina, Electoris & Principum juniorum Saxoniæ finibus egredi jubentur, non ad defenſionem admiſſi, nec ex verbo Dei refutati & convicti: hac cautione, ne quid contra Electorem, ejuſque Academias, Eccleſias & Scholas ſcribant & in lucem edant. Cúmque exciperent illi juſtam defenſionem contra injuſtiſſimas adverſariorum criminationes & calumnias, reſponſum eis fuit, juſtam defenſionem, ut quæ juris naturæ eſſet, illis nequaquam denegari. De hoc Pezelius ſic ſcribit: Im monat November deß 74. jahrs am tage Eliſabethe iſt mir auff Churfürſtlicher Gnaden befehl / durch den Hauptmann zu Zeitz aufferlegt und befohlen worden / daß ich mich erſtes tages von dannen begeben ſolte / dergeſtalt / daß ich von meiner vorigen verpflichtung loß und ledig gezelet / und deß Churfürſten zů Sachſen und ihrer und Gnaden junger vettern / der Hertzog zů Sachſen Lande vormeiden. Auch wieder Churfürſtliche Gnaden / der ſelben Landt / Univerſiteten / Kirchen und Schůlen nicht ſchreiben ſolte.

Es iſt aber von mir klerlich und außdrücklich in ſolchem meinem abſcheid gegen denen / ſo mir auff empfangenen Churfürſtlichen befehl auß dem Land zůziehen aufferlegt / diſe proteſtation, beſchehen / daß ich mir meine notwendige defenſion, wieder unrechtmeſſige verleumbdung meiner widerwertigen vorbehalten müſte / und mich als ein diener Göttliches worts / meiner bekantnuß in keinen wege begeben köndte / wo mich auch der Allmechtige hinfort in ordentlichem beruff wiederumb in Kirchen oder Schůlen zu dienſten beruffen wurde. Darauff mir die anzeigunge geſchehen / daß gebürliche defenſion, als die da juris naturæ were / mir nicht kondte entnommen werden / und wurden Churfürſtliche Durchleuchtigkeit auch den ihrigen Theologen auffzulegen wiſſen / das mir hierzů keine urſach wieder ſie gegeben wurde. Meine bekandtnuß aber wurde mir eben hiemit widerumb frey heimgeſtellet: weil Churfürſtliche Durchleuchtigkeit mir auß dem Land aufferlegte.

Calumnia prima quòd Theologi Vuiteb. Torgæ denuum ſententiam ſuam confeſſi ſint.

Calumnia igitur eſt impudentiſſima, quòd Selneccerus in ſuis Recitationibus ſcribit, quum Theologi Vuitebergenſes Torgæ TANDEM erumperent, & faterentur, ſe juxta articulos Torgenſes non ſentire, nec ſenſiſſe ſic hactenus de Cœna, ex juſta perturbatione & indignatione Electoris ad aliquod tempus detentos eos & poſtea dimiſſos fuiſſe, non tam ob falſa dogmata, propter quæ dimitti ſtatim potuiſſent, quam ob perfidiam & deceptionem, quòd ad tam multos annos Electorem, Aulam, Conſiliarios primarios, & ſubditos, diſcipulos & auditores fefelliſſent, & interrogati ſemper contrarium affirmaſſent. *Nam, ut ex iis quæ hactenus dicta ſunt apparet, non tantum coram Electore, Conſiliariis, ſubditis & diſcipulis, ſed etiam coram Torgenſi Conventu veritatem ingenue, candidè, ſyncerè & aperte ſemper confeſſi ſunt. Aut demonſtretur in his actionibus omnibus perfidiæ & deceptionis veſtigium aliquod. Dicit quidem Selneccerus ibidem,* eos interrogatos, num Sacramentariis addicti eſſent, reſpondiſſe, ſe in æternum faciem Dei non conſpecturos eſſe, ſi ulla in parte Sacramentarias opiniones foverent. *Hoc ipſum negamus nos quoque, & quidem merito. Non igitur nominis infamia, nocere illis debuit, ſed errorum, ſi quos foverunt aut ſparſerunt, patrocinium Sacramentarii ſi à Lutheranis, qui ſic nominari volunt, intelliguntur omnes, qui de Sacramentis non rectè docent, vel ſentiunt, cur Theologi Vuitebergenſes, cùm ſibi nullius erroris in hac parte doctrinæ conſcii eſſent, Sacramentarios appellarent ſe ipſi? Ubi igitur perfidiæ crimen? ubi deceptionis?*

Calumnia ſecunda quòd Theologi Vuiteberg. Torgenſibus articulis ſine omni conditione ſubſcripſerint.

Calumnia eſt etiam Herm. Hamelmanni, Vuitebergenſes Theologos Torgenſibus articulis ſimpliciter, & abſque omni conditione ſeu exceptione ſubſcripſiſſe. Hanc calumniam refutat ipſe quoque Pezelius inter Vuitebergenſes Theologos non poſtremus, contra Hamelmannum, his verbis: Daß aber Hammelman ihme gelegenheit und urſach zu der grauſamen leſterung wieder uns nimmet / von wegen der Subſription der Torgiſchen Artickel / ſcheinet es wol / daß er und ſeines gleichen / ſo trotzig uns ſolche Subſcription nit auffrucken wurden / wo biß her die gantzen Acta an das liecht weren gebracht worden / für denen wir / Gott lob / keine ſcheuhe tragen / ſondern von hertzen wündſchen / daß ohne vorortheil / und unchriſtliche leſterungen / und ohne gewaltſamen proceß in einem freyen und ordentlichen Synodo / ſolche Acta mit allen umbſtenden / verſtendigen / Gottliebenden und unparteyſchen Richtern fürgebracht und zůerkennen geben wurden. Dann alſo wurde ſich deſto mehr befinden / daß wir der ſelben Artickel Authores nicht ſein / daß auch in einem freyen Synodo / wir die ſelben nicht haben berathſchlagen helffen / und daß wir von uns ſelbſt und proprio motu animi, die ſelben uns nicht belieben laſſen / viel weniger aber ſimpliciter & abſque conditionibus, & ſine declaratione præcedenti der jenigen / ſo zum letzten in gefengnüſſen mit uns gehandlet, die [illegible] gethan haben.

Calumnia tertia de perjurio Vuiteb. Theologorum.

Calumnia eſt denique Hamelmanni, editione multorum librorum poſt [illegible] e Saxonia Electorali, perjuros factos eſſe Vuitebergenſes Theologos. Nam [illegible] illâ ab obligatione, quâ Electori Auguſto, dum in ditione ejus viverent, obſtricti erant, penitus liberati fuerunt. Sed hanc calumniam ipſemet Pezelius his verbis diluit:

diluit: Hamelman zeucht gleich als zu einem Beweiß eines Meineyds gantz geheſſiger weiſſe an / das in meiner vñ der andern meiner Collegarum obligation diſe wort ſtehen: Daß wir in dem Artickel deß heiligen Nachtmals nichts erregen oder ſchreiben wollen / auch ſonſten nichts auß geben oder drucken laſſen / Es habe dann ſolches Churfürſtliche Durchleuchtigkeit ſonderlich uberſehen laſſen / und uns erlaubet. Solches / daß es eine prohibition oder verpflichtung ſey / die nur ſo ferne ſich erſtreckt / ſo lange wir in der verſtrickung und Arreſt [illegible] ſein / [illegible] der [illegible] für ſich ſelbst [illegible] haben [illegible] können / wo nicht Hammelman ſeiner art nach / den letzten Punct / der nicht von uns geſtellet / ſondern von der Obrigkeit uns aufferlegten obligation hette außgelaſſen / darinnen auch dieſes außdrücklich ſtehet / daß wir in Churfürſtlicher Durchleuchtigkeit dienſt und beſtallung bleiben ſolten / welches aber ſo wol als die andern ſtuck der obligation hernach ſeine endtſchafft bekommen / als ich und meine Collegæ gäntzlichen auß dem Lande gelaſſen ſind / und Gott der Herr eben das mit zu ſampt der leyblichen freyheit / auch die offentliche bekandtnuß der warheit frey und unverhindert uns widerumb hat widerfahren laſſen.

Und weil je Hammelman ſich mit der / uns nach unſerm gefengknuß auffgelegten obligation alſo kitzelt / worumb hat er in der ſelben nicht auch dieſe wort in acht genommen? da auß drücklich geſagt wirdt / Das wir underſchrieben auff gethane erinnerung / und empfangenen bericht / damit von denen / ſo die Formulam obligationis geſtellet / und uns aufferlegt / mit ihrem eigenen zeugnuß angezeigt worden / daß die ſubſcription von uns nicht ſchlecht und bloß / und ohne nothwendige erklerung / und angelaſſene Condition und vorbehalt beſchehen ſey.

C. Cracovius ob veritatis profeſſionem in carcere moritur.

Dimiſſis & in exilium pulſis Theologis Vuitebergenſibus, D. Cracovius *doctus & prudens vir, ob orthodoxam ſententiam de Cœna Dom. in deterrimum & ſqualidiſſimum carcerem Lipſiæ, inſtinctu Theologorum, detruſus fuit, in quo etiam aſperrimâ hyeme frigore, & quæſtionibus torturiſque crudeliſſimis ita defatigatus fuit, ut animam exhalârit tandem, in vera tamen Filii Dei invocatione.*

De Benedicti Thalmanni exilio & morte.

Dum hæc in Saxonia cum Theologis Vuitebergenſibus aliiſque viris piis, & doctis aguntur, Benedictus Thalmannus *Francus Alenſpacenſis, qui antea Vuitebergæ operam literis dederat, a Conſiliariis Principis ſui domum vocatur & examinatur. Cum autem videretur orthodoxæ ſententiæ de Perſona Filii Dei & Cœna ejuſdem addictus, juſſus redire Vuitebergam & literas afferre a doctoribus ſuis, num ita fuiſſet ab ipſis inſtitutus. Rediens verò Alenſpacii ob veram doctrinam de Perſona Filii Dei & Sacra Cœna Domini, in Marchia Brandeburgenſi in carcerem ſqualidum & diuturnum menſium 15. quoque conjicitur; tandem autem inde emiſſus, Heydelbergam ſe recepit Anno partæ ſalutis 1575. 9. Calend. Decembr. ibique paulò poſt, anno videlicet 1577. in vera Filii Dei invocatione & agnita veritate ex hac ærumnoſa & miſera vita in cœleſtem migravit.*

CAPVT VIII.

D. Caſparis Peuceri Hiſtorici & Medicinæ Doctoris clariſſimi Hiſtoria Exilii & Carcerum, propter veritatis confeſſionem in hoc turbulento Saxoniæ ſtatu.

D*iximus hactenus de Theologis Vuitebergenſibus & Lipſenſibus, aliiſque viris doctiſſimis Saxoniæ luminibus, ut fuerint partim carceribus & torturis enecti, partim vero arreſto detenti, carceribus incluſi, ac tandem dimiſſi & in exilium pulſi, ob negatam Formulæ Torgenſis ſimplicem & categoricam ſubſcriptionem, ac ingenuam veritatis confeſſionem. Cæterum hac ſævisſima tempeſtate, procellis & turbinibus maximis inprimis jactatus, & tantùm non oppreſſus fuit* D. Caſparus Peucerus, *profeſſione quidem in Vuitebergenſi Academia Hiſtoricus & Medicus, reipsâ autem verè Chriſtianus & orthodoxus Theologus, conſtantiſſimuſque Chriſti Martyr. Hiſtoriam illam ſanè per quàm lugubrem & triſtem ipſemet D. Peucerus copioſe deſcripſit, partim in carceribus, partim vero exilio liberatus, eamque ediderant vel hæredes, vel potius amici ejus anno demum 1605. Et quia certo ſcio, eam non in multorum manus venturam, non gravabor in Lectoris diſcendi & cognoſcendi varia, & quidem mirabilia ac ſtupenda Dei judicia cupidi gratiam, præcipua inde excerpere, & ordine hoc loco adſcribere: ut inprimis intelligat inde, non propter ullas fraudulentas actiones aut conſpirationes & practicas ſeditioſas adverſus Magiſtratum ſuum, vel lubrica & ambigua reſponſa aliqua, ut poſtea Facultas Theologica Vbiquiſtica Vuitebergenſis in aliquot ſcriptis, & alii Sycophantæ calumniati ſunt, ſed propter veritatis confeſſionem ſynceram, apertam, candidam, ingenuam & conſtantem de Perſona Chriſti, & Cœna*

Domini maximè, contra Flaccio-Brentianorum & Vbiquiſtarum jam pridem in Eutyche & Schuenckfeldio damnatos errores ac blaſphemias, omnis generis, & quidem falſiſſimas calumnias, ac immaniſſimas perſequutiones, Peucerum inprimis, duodecennali annorum ſpatio pertuliſſe & ſuſtinuiſſe. Quod etiam ipſemet teſtatur in Hiſtoria hac pag. 18. ſic inquiens: Mei carceris cauſa (ne quis aliud quidquam ſuſpicetur ex falſis & maledicis de me chartis) non fuit alia, quàm in veritate agnita & nunquam diſſimulata à me aut occultata perſeverantia. *Adeoque narratio hæc hiſtorica vice ſolidiſſimæ Apologiæ ſit orthodoxis Lectoribus ad futiliſſimam refutationem Peuceriani Teſtamenti, anno 1603. à Theologica facultate Vuitebergenſi in lucem editam.*

D. Peuceri authoritas maxima ex conſuetudine domeſtica Philippi.

D. Peucero *igitur non ſolùm candor, induſtria, ingenium pietas, eruditio item & doctrina rara ac ſingularis, ſed etiam ſumma conjunctio & conſuetudo cum ſanctæ memoriæ viro D. Philippo Melanchtone, qui illum non ſolùm eximiè dilexit inter diſcipulos reliquos, ſed & in generum ſibi, & in domeſticæ & quotidianæ vitæ conſuetudinem ſocium aſcivit, maximam apud optimos quoſque non tam benevolentiam & amorem, quàm authoritatem conciliavit. Hinc factum eſt, non ſolùm, ut Philippo mortuo, flagitantibus veteribus ejus amicis, quorum de Peucero opinio præclara erat, quaſi jure quodam hæreditario ſuccederet in eorum amicitias, ſed etiam in Academia Vuitebergenſi eſſet honoratus, & ab æqualibus amaretur, ab inferioribus coleretur, & à præſtantioribus non contemneretur; adeò, ut à morte ſoceri, ipſe etiam unà omnium voluntate Rector Academiæ crearetur, atque curam & inſpectionem communium ſtudiorum ſuſcipere juberetur.*

Peucerus Scholam Vuiteb. fovit & auxit.

In hoc munere nihil in Academia vel arbitrio privato mutavit aut conſtituit unquam, nihil cuiquam præſcripſit aut imperavit inſolentiùs, ſed quod ex uſu & dignitate ſtudiorum publicorum fore, aut profuturum ad diſciplinam, aut commodis Academiæ ſerviturum intellexit, id retulit ad Senatum Seniorum. Cùm dicerentur ſententiæ, rationes ſui conſilii expoſuit; deque ſtudiorum publicorum ratione ſingulis temporibus accommodanda captui auditorum, pro mutationum occaſione quæ acciderunt, ut diſcentium ingeniis & profectui conſuleretur, communicavit conſilia cum Senioribus in ſingulis Collegiis: cumque ſic ipſe coleret omnes in Academia docentes, ipſeque viciſſim ob eandem cauſam à cunctis coleretur & obſervaretur, ex hac Concordia crevit Academia indies, & magis magiſque enituit.

Peucerus aulæ Saxonicæ quoque innoteſcit.

In hac ergo Academiæ celebritate, quum & Peuceri nominis fama verſaretur in ore hominum, familiarius quam antea, aulæ quoque innotuit, & venit in notitiam Illuſtriſſimi Principis Ducis Saxoniæ Electoris Auguſti, conciliantibus ipſi ejus gratiam, Doctore Vlrico Mordiſio, & Silentiario Ioanne Ieniſio. *His primis interceſſoribus Elector Saxoniæ ipſi conciliatus, cum Paſtore Eccleſiæ Vuitebergenſi* D. Paulo Ebero *eum Dreſdam accerſivit, de conſilio ipſorum certos annuos redditus deſtinaturus Scholaſticis alendis in Academia, quorum alii in alio ſtudiorum genere exercerentur, & ubi ætate judicioque doctrinâ maturuiſſent, uſurparentur in Eccleſia, Scholis, aut gubernatione publica.*

Elector Saxoniæ Peucerum clementer complectitur.

In hoc ipſum congreſſu Elector Saxoniæ primum compellavit. Poſtea quum remoto D. Mordiſio, *in ejus locum ac munus ſucceſſiſſet* Doctor Georgius Cracovius, *quo cum* Peucero *inter communia ſtudia, contracta à multis annis amicitia arctior intercedebat: de hujus accuratiore commendatione, Elector eum complecti clementiùs, vocare in aulam crebriùs, ſæpè adhibere menſæ ſuæ, interrogare & audire benignè ac facilè cœpit, donec ubi fidem ejus perſpexit, locum etiam ipſi inter Medicos tribueret, annuo ſtipendio deſignato.*

Peucerus ad aulam nunquam hilaris acceſſit.

Etſi autem amici optimè conſultum eſſe rebus Peuceri exiſtimantes, gratulabantur hanc ei felicitatem, ex qua aliquem fructum ad ſe etiam rediturum eſſe non falsò conjiciebant, eumque beatum ab hac parte prædicabant, tamen ſive quòd natura ejus, amans libertatis & παῤῥησίας, inimica hypocriſi & adulationibus, aulas refugeret; ſive quòd præſagierit huic animus occultâ præſenſione calamitatem inde eventuram, ad aulam nunquam cum hilaritate aliqua acceſſit, nec ſine animi perturbatione manifeſtâ conditionem Medicam accepit. In pulveribus enim Scholaſticis adolens procul ab aularum ſtrepitu & ſplendore, etiamſi ſtudia tractavit & exercuit diverſa, de moribus aularum tamen lectio conſideratioque hiſtoriarum, innumera exemplorum [illegible] caſuum varietas, ita ipſum erudivit & inſtr[illegible], ut illas non potuerit non ſuſpectas hab[illegible]e, & reformidare, atque adverſari magnoper[illegible].

Peucerus nunquam ad menſam E[illegible]oris acceſſit niſi expreſſo & novo mandato accerſitus & [illegible]cur.

Iuſſus itaque venire ad menſam Principis, quandiu in Aula degeret, nunquam acceſſit tamen niſi expreſſo novoque mandato per nuncium iterum accerſitu[illegible]: cumque objurgaretur pro[illegible]rea, & arrogantia quadam id facere exi[illegible]tur, con[illegible] ſui cauſas expoſuit. Dixit, verſantem in aula, ita ſe voluntati Pri[illegible]ipum attemperare oportere, ut a[illegible] tamen non aſpernaretur aut [illegible] judicia: non ſe ignorare, quid ſe deceat, & faciendum eſſe,

quod

quod ſemel juſſeris Princeps, ſed in rebus ad noſtrum decus pertinentibus; eâ lege ne quid indecore fiat, aut ne quid contra ipſius Principis dignitatem committatur: quod verò in præſentia mandatum ſit, ejus generis eſſe, de quo, qui id norint, ſecus ſint judicaturi. Futuros enim, qui ſi ſponte accurrat, & ſe quaſi obtrudat & ingerat, ſuſpicaturi ſint, ſe ſine mandato inverecunde & audacter hoc facere, & arrogantiâ quadam occupare locum, quo ſederent dignius alii. Si videant autem voluntate Principis ſe accerſi, faciliùs ipſum laturos, idque quod præſtatur obſequii causâ candidiùs interpretaturos. Acceſſuram verò ad hanc, & aliam ſuſpicionem graviorem, quaſi occaſione conſuetudinis quotidianæ id captet, ut ſe inſinuet in Principis penitiorem familiaritatem, & illo velut in ſuam poteſtatem redacto, hoc modo dominatum in aula affectet & obtineat; quæ ſuſpicio facilimè adhæreſcit iis, qui frequenter & multum cum Principibus verſantur, & ſolis ac ſeparatis adſunt. Præterea non omni tempore aut gratam, aut commodam fore Principi præſentiam ſuam, nec decore ſe, ut protinus irruat in conclave non impetratâ adeundi facultate. Denique alios maximi nominis & authoritatis viros exteros & domeſticos interdum adeſſe, quibus ſe aut locum præripere, aut aſſidere unà accumbentibus, neutiquam deceat.

Peucerus aulam fugit quantum potuit.

His rationibus quum acquieſcerent, nunquam niſi vocatus menſam Principis adiit. Imò aulam ipſam fugit quantum potuit: & quoties literæ ex aula offerrentur, velut ſubitâ conſternatione perculſus, expavit. Et ut nunquam ad aulam venit, niſi vocatus aut juſſus, ſic quandiu eſſet in aula ſolertiam, fidem, taciturnitatem, ſtudium veritatis, candorem, alienum ab aſſentationibus animum probavit Principi: non egit πολυπράγμονα, non ſe ingeſſit aut admiſcuit ullis vel deliberationibus, vel negotiis alienis à confeſſione ſua: nec inquiſivit curioſe in domeſtica vel externa, quidve aut fieret in hac vel in illa aula, vel gubernationis parte, aut à Regum & Principum legatis quid ageretur aut quæreretur: nec uſurpavit, alieni quæ ſunt muneris: nec expetivit ſcire, quæ ipſum ignorare Princeps vellet, ne diceretur alterum pedem in Schola, alterum in aula habere.

Peucerus perſuaſit Electori ut legeret librum Grundfeſt.

Perſuaſit ſanè Principi Electori ut librum Theologorum Vuitebergenſium, cui titulus eſt, Grundfeſt / totum perlegeret: nam in eo exponi immotam & irrefutabilem veritatem de maximis rebus, præſertim autem de Perſona Filii Dei; & hoc Principi non ſemel expreſſè oſtendit, cum hac teſtificatione ſeria, ſe non velle civem eſſe Eccleſiæ ejus, in qua ſecus doceatur, nec poſſe illam eſſe Eccleſiam, quæ de Filio Dei aliter doceat. Nec diſſimulavit aut etiam Confeſſionem ſuam de controverſo articulo Cœnæ Dominicæ, ſi poſtulata eſſet ab eo, adeò ut in qua eſſet ſententia Princeps Elector non ignoraret.

Peucerus uſus eſt clementiâ Electoris ad publicum commodum Academiæ Vuiteb.

Non etiam uſus eſt clementiâ Principis, aut blandè arridentis fortunæ obſequiis ad ſuum privatum, ſed potius publicum commodum & bonum Academiæ Vuitebergenſis; exiſtimavitque ſe nihil præclarius in hac occaſione de ea benè merendi facere poſſe, quàm ſi clementiam & munificentiam Principum converteret ad Academiam exornandam & amplificandam, id enim minus invidioſum ſibi fore ſciebat, quàm ſi res ſuas privatas auxiſſet. Huic conſilio ejus Clementia Principis facilè aſſenſit, quòd intelligeret id Celſitudini ſuæ glorioſum, indigenis & exteris, qui Academiam frequentes adibant, fructuoſum, Eccleſiæ Filii Dei ſalutare, & Deo gratum acceptumque fore.

Electoris gratia erga Peucerum creſcit.

Inde etiam creſcebat gratia Principis erga Peucerum tantò magis, quantò fides ejus erga Academiam fiebat conſpectior & notior, adeo, ut & in ædibus Peuceri vellet cœnare Princeps.

Clementia Electoris erga Peucerum parit ei odium apud æmulos.

Hæc verò gratia Principis tam diu uſſit æmulos Peuceri, in tanta felicitate conſtituti, donec expoſtulationis continuatione, immane in ipſis adverſus eum exarſerit odium. Hoc odium ab æmulis initio expreſſum & occultatum, poſtea quum continere ſe amplius non poſſet, effuſum, animis Principum viciſſim fomite calumniarum accenſis, cito omnem hanc gratiam inclinavit, & mox totum obruit: ac cùm in gratiæ locum ſucceſſiſſet, adeò animos eorum inflammavit & acerbavit, ut dubium ſit, major ne gratia, an verò acerbius & immanius odium fuerit.

Prætextus odii erga Peucerum.

Prætextus, quos odiis ſuis obtenderunt, hi fuerunt; quod arrogantius ſibi imperium ſumpſerit in alios, quòd in Academia & Scholis illuſtribus ex ſuo arbitrio voluerit adminiſtrari & conſtitui omnia: quòd Principatum neſcio quem affectarit, & ſe loco Principis Electoris eſſe dixerit: quod poſtremum crudele mendacium eſt, gravitate aulicâ indignum; cætera verò, pueriles & ridiculæ calumniæ, quæ ſuâ ſe vanitate & levitate elidunt.

Veræ cauſæ odii erga Peucerum.

Veræ autem cauſæ, quas ut veras prætenderunt, hæ fuerunt. Multos jam annos inde uſque ab obitu Melanchthonis ſoceri Peuceri accuſabatur & exagitabatur à nonnullis, quòd non idem in articulo de Cœna Domini ſentiat, quod hodie vulgus Theologicum, præſertim in Saxonia, ſentit ac docet. Nunquam enim interrogatus, ſententiam ſuam occultavit aut diſſimulavit, quamvis eam etiam nunquam publicè vel in lectionibus vel diſputationibus, attigit: nihil quoque de iiſdem aut ſermonibus intempeſti-

vis, aut alienis, ad alios aut ſcriptis in vulgus ſparſit.

Peucerus veritatem ingenuè ſemper integ. ac gnatus confeſſus eſt.

Vt conſtaret autem, quæ ſua ſit ſententia, & ne judicaretur dogmata falſa fovere, judicio orthodoxæ Eccleſiæ damnata, oſtendit ſe ſequi veſtigia, & ſententiam amplecti Melanchthonis, quæ in ipſius ſcriptis ſatis clarè & dilucidè expreſſa, & ab ipſo in Academia ſæpè ac palam repetita & declarata ſit eodem modo ſemper, ſed majore ſubinde perſpicuitate, inde uſque à tempore facta à Luthero Concordiæ cum Helveticis Eccleſiis, & comprehenſa atque explicata in iis Formulis, in quas Principes Auguſtanæ Confeſſionis conſenſerunt, & per ſcripta paulò ante mortem ad Principem Electorem Palatinum. Nam aliorum de hoc argumento ſcripta vel didactica, vel polemica non legit.

Non ignorabat autem aula, quæ de ipſo ſermunculis & literis Theologorum pervulgata vagabantur per ora hominum, nec ignota fuiſſe Principi ex aliorum indicationibus certo ſciebat: de quibus quotieſcunque aliquid cognoviſſet, ad collationem de hac controverſia cum iis provocabat, qui eum inſectabantur ac traducebant, Siſti illos & audiri utroſque petebat, nec defutura oſtendit illuſtria, perſpicua, certa teſtimonia, ſententiæ quam expoſiturus eſſet: Non enim ſe temerè, aut incogitanter arripuiſſe opinionem incertam, ſed dediſſe ſe operam ut fundata in Dei verbo crederet. Etſi autem nemo unquam ex malevolis ejus & invidis interrogare eum, auſus ſit de Confeſſione ejus, neque etiam cognovit forte quiſquam quid ſentiret, tamen ex communi fama hauſtis ſuſpicionibus cauſam ab hac parte ſumpſerunt illam oppugnandi ac premendi.

Occaſiones opprimendi Peucerum unde natæ.

Ἀφορμὴν ſeu occaſionem præbuit editio Catecheſeos in Academia Vuitebergenſi, & ejus libri, cui titulus eſt Grundfeſt. Catecheſi componendæ cauſam dedit querela gubernantium privatas Scholas, de editione poſtrema Catecheſeos Chytræi, quam illi repudiabant, quòd paſſim multa infarcta eſſent nova, aliena & diſſentanea prioribus. Hæc querela cum in Schola Portenſi renovata eſſet, placuit inſpectoribus, ut talis aliquis libellus componeretur, qui adultioribus, poſtquam Lutheri Catechiſmum perdidiſſent, proponeretur, priuſquam ad examen Theologicum deducerentur. Petitum eſt à Peucero, ut cum Theologis Academicis ea de re communicaret, quod etiam ſe facturum recepit.

Catecheſeos Theologorum Vuiteb. & libri Grundfeſt. editio Peucero periculum creant.

Catecheſis hæc aliquanto poſt conſcripta & excuſa, in quas incurrerit reprehenſiones cùm ob alia quædam, tum verò maximè propter unam phraſin (cœlo capi) ex ſuperioribus notum eſt. Alterum prolixiùs ſcriptum de Vnione hypoſtatica duarum naturarum in Filio Dei, quod commentum Eutychianum de Vbiquitate Theologis Vuitebergenſibus extorſerit, quum in hoc certamen protraherentur inviti & implicarentur, minis artibus, credo notum eſſe omnibus. Hoc ſcriptum cum prodiret, Peucerus tum commodè erat apud Principem Electorem in arce Stolpena. Fuerant autem juſſi Theologi editionem ſupprimere ad tempus, quod Peucerus prorſus ignorabat: ſed exierat jam priuſquam mandatum aulæ allatum eſſet. Mittebant autem Theologi ad Peucerum exemplaria, quæ Principi Electori offerret, & conſiliariis ejuſdem diſtribueret. Cum offerret librum, reperiebat Principem commotum, quod prohibitioni non eſſet obtemperatum. Ipſe, qui ignorabat quid factum eſſet, ut qui cum Principe in arce illa fuiſſet, excuſare factum non poterat: Sed veniebat tamen in mentem, fortaſſe tardius & poſt publicatum jam ſcriptum, mandatum redditum demùm eſſe: & compertum eſt poſtea ita rem ſe habuiſſe. Intelligebat autem, fuiſſe conſilium Electoris ante publicationem libri convocatis reliquis Eccleſiarum ſuarum Doctoribus, ſingulorum exquirere judicia, & præſtare, ut conſenſus inter omnes efficeretur de hac doctrinæ parte.

Peucerus accuſatur quod iniciò Electore Catecheſin in Scholas introduxerit.

De publicatione ergo ſcripti illius dum ſermones habentur, incidit mentio Catecheſeos. Accuſatur Peucerus, quòd Scholis illuſtribus eam obtruſerit, in quibus neſciebat tamen adhuc uſurpari: planè enim ignorabat in Scholam Portenſem receptam eſſe, cùm nulla præceſſiſſet inſpectio: multò minus recordabatur exemplum ejus à ſe ad Scholæ illius Rectorem miſſum eſſe. Nam ſi illud ſciviſſet, ejus fuiſſet recordatus. Et diſertè de illa Schola reſpondiſſet: unius enim Epiſtolæ interdicto removeri potuiſſet: ſed neſciebat in uſu Scholæ jam eſſe, neque meminerat miſſi ad Rectorem exempli & Epiſtolæ.

Atque hæc eſt illa Epiſtola, à qua primùm arrepta eſt occaſio à malevolis & calumniandi, & in ſuſpicionem adducendi apud Principem Electorem fidem Peuceri, quaſi hoc inſidiosè occultarit, in eum finem, ut, ſicut loquuntur, virus Sacramentarium ex Catecheſi illa inveheretur in Scholas, & inſtillaretur animis teneris, cùm tamen in doctrina ejus Catecheſeos de Cœna Domini nihil reprehenſum ſit à quoquam, nec etiam reprehendi poſſit: Et quod exagitatum eſt in articulis Symboli, Aſcendit in cœlum: Sedet ad dexteram Patris, pertineat ad doctrinam de duabus naturis in Chriſto. Etſi autem ex accurata in reliquas illuſtres Scholas inquiſitione compertum de ipſo nihil eſt; tamen hæc calumnia, primam fecit gratiæ Principum inclinationem, inflammatâ primùm in ipſum Principe Dominâ, quam hùic cauſæ vehementius & acrius adverſari norant.

Catecheſis Vuitebergenſis juſſu Electoris ejuſque privilegio in lucem editur.

Poſt ſemeſtre, quum novis & acerbioribus incitationibus Principes inflammati excanduiſſent vehementius in Theologos Vuitebergenſes & Peucerum propter Catecheſin, & profecturi in Daniam Vuitebergæ Theologis convocatis, 1. Iulii

Iulii anno 1572. mentem de ea ſuam expoſuiſſent, quam addita eſſet illuſtris declaratio ad Verbum Capi hilariter acquieverunt, & præfixa mentione privilegii, recudere eam atque in Germanicam Linguam vertere juſſerunt.

Peucero vitio datur ob Epiſtolã ad Stolpenſis Scholæ Rectorẽ Peuceri excuſatio.

Peucerum etiam de Epiſtola illa Portenſi per certos Conciliarios compellarunt. Capita compellationis eius erant, quod in Epiſtola illa ſcripſiſſet Peucerus, ſuo conſilio receptam eſſe Catecheſin in Scholam, quum ſe id ſcire negaſſet apud Principem: & ne ſe in poſterum certaminibus Theologicis admiſceret. De priore reſpondit ut prius, planè tunc cum Stolpenæ facta eſſet mentio Catecheſeos, ſe neſciviſſe quòd pueris proponeretur Portæ, & de Epiſtola ſcripta ſibi nihil in mentem veniſſe: neque id mirum eſſe, quum annuatim tot ſcribere ſit ſolitus, ut ſingulas meminiſſe ſit impoſſibile: nullam autem ſe cauſam habuiſſe inſidiosè aliquid occultandi, vel ex hoc liquere manifeſtò, quod Catecheſin ſemper pro vera habuerit ac defenderit etiam apud Electorem ipſum & Principem Dominam. Cur ergo ſe eam Rectori commendaſſe negaret? Deinde, ſi receptam ſciviſſet, cur hoc diſſimulaſſet? cum offenſis jam ea Principibus diſſimulatio, re patefacta periculum ei creatura erat, confeſſio non item. Liberaſſet enim ſe omni periculo è veſtigio, ſi dixiſſet, curaturum ſe ſtatim, ut uſus eius intermittatur: nec fuiſſe vſitatum Scholis facere mutationem lectionum ante inſpectionem, inconſultis iis, qui nomine Electoris curam earum gerunt. Nulla autem eo anno inſpectio inſtituta fuerat. Qui ſcire ergo potuerit, quid proponeretur? ſi non oblivione ſed fraude commiſſum à ſe aliquid fuiſſet, cum annus pene intercesſerit inter tempus ſcriptæ & ſibi objectæ Epiſtolæ, potuiſſet interea & Epiſtolam revocare ſuam, & perficere, Catechetica illa lectio ut intermitteretur, atque ita ſe omni periculo & ſuſpicione liberare. Hæc de Catecheſi cùm reſpondiſſet, ac à Theologicis ſe facile & libenter abſtinere velle ſignificaſſet, quod & fecit, ſatisfactum ſibi excuſatione Peuceri Princeps Elector oſtendit, & ad menſam accerſito clementem ſeſe exhibuit. Interfuerunt actioni viri nobiles Ioannes à Ponika, qui ab Electore reſponſum ad Peucerum retulit clementiſſimum, Vuolffgangus à Schœnbergk, Henricus à Gleiſſenthal, Damianus à Sibottendorff, Abraham Bork, & D. Georgius Cracovius.

Epiſtolæ Peuceri ad Stolpenſem Rectorẽ exemplũ

Epiſtola autem D. Peuceri ad Rectorem Portenſem ſic de verbo ad verbum habet. S. D. Comperimus Scholæ opus eſſe certa forma Catecheſeos, quæ poſteaquam Lutheri progymnaſmata didicerunt adoleſcentes, proponatur eis, ut ad examen & vberiorem Eccleſiaſticæ doctrinæ cultum præparentur. Talem conſcribi & edi curavimus. Exemplum ad te mitto, ut quam primum à noſtris Bibliopolis peti plura ad uſum Scholæ jubeas Profectioribus expediet, ut totam ediſcant ad vnguem. Rudioribus ut ea ſolùm retineant quæ ſunt typis grandioribus expreſſa. N. in ſuam interſit, quæ ipſe nunquam intellexit, ut ſerviat Flacciano ſatellitio, a quibus hæc certamina mota ſunt. Curæ nobis erit, ut vna & conſentiens doctrinæ forma paſſim exſtet in triuialibus Scholis. Id enim ad puritatem doctrinæ conducet plurimùm. Benè & feliciter vale. 1571. Caſparus Peucerus.

Hæc eſt illa Epiſtola, quæ tantas turbas excitavit, & cuius prætextu Peuceri æmuli ſuis calumniis irá & odio adverſus eum Principes vehementer inflammârunt, ſuſpicioneſque cumulârunt atque auxerunt.

Schmidlinus accendit odia erga Peucerũ in aulis Saxonicis

Accedebant Theologorum flabella, inter quos Iacobus Schmidlinus, præcipuus fuit. Nam cum ea, quæ quærebat ſuffragia blaſphemo dogmati Brentiano, non reperiret in Academia Vuitebergen. incipiebat eius Theologos omnes odiſſe, perſequi, calumniari, hæreticos proclamare, concitare in eo aulas & gynæcea Saxonica, inprimis in Peucerum, quem non ſolum contrariæ ſententiæ, caput ac ducem ſolebat vocare, ſed etiam ad plures aulas impudenter & ſcelerate mentiendo ſcribere non eſt veritus, Peucerum Principis Electoris animum veneno Sacramentario infectum, velut faſcino quodam occupaſſe, & aſſiduè velut moloſſum excubare ad conclave, eius, ac prohibere, ne quis admittatur, à quo aliter doceatur, Item: Latrones, de quibus ſumatur ſupplicium, paucos homines occidiſſe: Peucerum verè multa millia animarum perdere.

Peucerus de criminationibus ſe apud Principes purgas, qui eum bono animo eſſe iubent

De his criminationibus falſis hortatu quorundam, qui exempla literarum viderant, querebatur Peucerus cum Principe Domina, & cupere ſe prorſus abſtinere & abeſſe ab aula oſtendebat, quod ſe violentæ iſtæ ſuſpiciones & mendaces calumniæ tandem eſſent oppreſſuræ. Sed juſſus ab ea fuit eas contemnere & bono animo eſſe, cùm aliter ſe res habeat, & eum culpâ carere manifeſtè conſtet.

Calumnia alia.

Fuerunt qui mortem Adolphi Principis pœnam eſſe calumniarentur eius conſilii & facti Principum, quod Peucerum ſuſceptorem & teſtem Baptiſmo adſtare voluiſſent: quo quid cogitari poteſt acerbius?

Accuſationes novæ in Peucerũ.

Non ita multò poſt comperiebat Peucerus, malevolos, renovatis odiis & calumniis veteribus ab novâ ſpecie inſtructis, in eum ſæviùs multò & atrocius irruere, quàm antehac factum eſſet vnquam, & editæ Catecheſeos, editi ſcripti de Vnione hypoſtatica, creſcentis in Saxonia, ut ipſi nominant, Sacramentarii dogmatis ac certaminis cauſas, ipſi tanquam anteſignano & duci primario tribuere. Commovebatur non leviter

viter de his admonitus. Sed negata jam ipſi erat facultas & occaſio ſe excuſandi, quod nec ad aulam pateret ipſi aditus, nec ſi patuiſſet, accedere potuiſſet morbo ad lectum affixus, quo cum anno integro erat conflictatus, ac bis quidem cum præſenti mortis diſcrimine, nec antevertere ſe etiam excuſatione ſui accuſationem docuiſſet. Dabatur ei tamen occaſio ad excuſationem ſui in quadam Epiſtola Principis Dominæ, interea dum decumberet. Ad eam epiſtolam ita reſpondebat, ut oſtenderet diſertè, ſe in articulo de Incarnatione Filii Dei, Vnione hypoſtatica duarum naturarum in Chriſto non aliud credidiſſe neque crediturum unquam eſſe, quam quod orthodoxa Chriſti Eccleſia inde uſque à temporibus Apoſtolorum crediderit quæcunque ſpargantur ab orthodoxa ſententia opiniones diverſæ ac blaſphemæ: eiuſque doctrinæ ſummam, repetitam & expoſitam eſſe à Theologis Vuitebergenſibus, cum Lipſenſium conſenſu. Repetebat & hoc, quòd antea Principibus dixerat, nec fore unquam, nec eſſe poſſe veram Eccleſiam Dei, ubi fundamentum doctrinæ de Chriſto vero Deo & Homine convelleretur. De Cœna Domini autem nihil aliud ſe ſenſiſſe, quàm quod ſenſerit, docuerit, & ſonuerit Vuitebergenſis Schola inde uſque à temporibus initæ à Luthero Concordiæ cum Helveticis Eccleſiis, & foviſſe ſe Confeſſionem Dreſdenſem, quæ ſit ad Verbum deſcripta ex iis formulis, in quas Principes Auguſtanæ Confeſſionis in aliquot Conventibus Imperii ex præſcripto Melanchonis conſenſerint.

Excuſat ſe Peucerus apud Principẽ Dominã

Exegeſeos Vuiteb. editio auget odiũ Principum erga Peucerum.

Interea prodit ſcriptum, cui titulus erat, Exegeſis perſpicua & fermè integra controverſiæ de Cœna Domini. Id etſi nec viſum nec auditum Peucero fuiſſet antea, nec conſtitiſſet ei quidquam de eius editione, & ipſe jam amplius anno decubuiſſet: tamen ei tribuebatur, ipſumque authorem haberet cogebatur, & accedebant diræ etiam execrationes. Mittebantur legati ſolennes Vuitebergam, qui de authore inquirerent, cum in illa Academia natum id eſſe perſuaſiſſimum haberent. Sed eis reſponſum dabatur, quo Principes contentos fuiſſe ferebatur. Nunquam tamen Peucerus penitus liberatus à ſuſpicione ſcriptæ & editæ Exegeſeos fuit: ut poſtea cognitum eſt, etſi Typographus authorem nominârat, & indicârat illum à quo ſcriptum exemplar accepiſſet, & multi eſſent, qui ante multos annos ſibi ab eodem communicatum fuiſſe dicerent. Tantum valent odia ſuſpicionibus armata ſi oppreſſio alicuius quæratur?

Prævidebat Peucerus, quorſum res hæc evaſura eſſet, nec ignorabat mo[..]tus à Concionatore Aulæ M. Philippo Vuagnero, etiam occupatos eſſe Principum animos: Nec deerant, qui hortarentur eum, ut cederet. Sed deſerere ſtationem ſuam noluit.

Has igitur nacti occaſiones æmuli & inimici eius in Aula, qui eum jam dudum levibus calumniis fruſtra oppugnarunt. Ioannes Ieniſius & D. Vogelius, cœperunt jam demum totis in ipſum viribus incumbere, præſertim cum Dominam aulici cuiuſdam Concionatoris verbis, in concionibus effuſis, inflammatam, nil niſi minas & excidia orthodoxæ doctrinæ de Cœna Domini ſpirare, & nutantẽ Principis animum etiam tandem expugnari, atque in idem conſilium & propoſitum impelli poſſe viderent. Neutrum tamen horum unquam ullâ re offendit Peucerus. Sed Ieniſius oderat ipſum propter D. Cracovium Cancellarium Principis, à cujus eum amicitia abducere cupiebat: Et verebatur, cum favore illo qualicunque Principis erga ipſum, tum ſuſpicione de eo cæcâ & falsâ, quod ſi in iſta perſiſteret gratia, fortaſſe conſervato Cracovio, quem exſtinctum cupiebat, excluſurus eum eſſet à Principe. Etſi enim non ignorabat, quod ſummo ſtudio ſemper fugerit Peucerus negotia à ſua vocatione aliena & quod minimè omnium ambitioſis eorum certaminibus ſe admiſcuerit: tantum tamen ex ambitione contra æmulum nata ſuſpicio poterat, ut in Peucerum toto impetu invaderet, licet amicum veterem & innocentem, nec prægravare, calumniari & premere eum deſineret, donec oppreſſiſſet. Id cùm primò, ut diximus, leviuſculis calumniis de minuenda eius authoritate, fruſtrà tentaſſet, tandem edita Exegeſi imprimis perfecit. Alter Vogelius, primi odii adverſus eum quas cauſas habuerit, nunquam cognoſcere potuit.

Peucerũ jam demum totis viribus oppugnari ſtatuitur ab æmulis.

Ieniſius cur oderit Peucerum.

Graviter igitur irritatis Principibus editione Exegeſeos, hi ipſi Peucerum auctorem libri faciunt, nunc offerri occaſionem oportuniſſimam clamitant, huic dogmati penitus exſtirpando, eam non amittendam eſſe vociferantur. Fit itaque decretum, miniſtrum ſeſe præbente ad exequendum Doctore Laurentio Lindemano, ingentis ambitionis viro, ut oppreſſis aliquot Theologis Vuiteberga ex improviſo, inprimis autem Peucero, fiat inquiſitio in privatas literas ad eos amicorum. Eas enim ſuppeditaturas eſſe certa & indubitata argumenta accuſationibus contra eos atrociſſimis. Oportere enim opprimendis ipſis, quæri prætextus alios, quàm ſolam religionem, & plauſibilius fore, atque ad ſupplicia de ipſis ſumenda ſpecie juris accommodatius, ſi politicus prætextus obtendatur ad vulgus, id eſt ſi factioſe, ſeditioſè & per conſpirationes eos molitos eſſe novationes in doctrina Eccleſiarum Saxonicarum periculoſas arguantur. Conſilium hoc & conatum, omnes ſummè approbaturos, & de feliciter perveſtigata, patefacta & compreſſa conſpiratione, Electori gratulaturos eſſe pleno ore.

Tendiculæ & inſidiæ Peucero ſtructæ ab æmulis.

At non in die feſto.

Notet hoc Facultas Theologica Vuiteb quæ hoc ipſo ſtratagemate utitur adverſus Peucerũ & Theologos Vuiteb in ſuis Refutationibus.

Erat autem eis tali prætextu adverſus Peu-

cerum

cerum inprimis opus, quem multò ante præſciebat, in hac ſententia fuiſſe, & hujus authorem habuiſſe ſocerum ſuum Melanchthonem, & Principem ſæpius illum ſolitum fuiſſe appellare Archicalviniſtam, neque his tamen obſtantibus, & voluiſſe convivam Peuceri eſſe in eius ædibus, cum Vuitebergam quadriennio ante veniſſet, & anno mox ſequente, ſeu triennio ante, adhibuiſſe eum teſtem Baptiſmo filii Adolphi.

Peucerus ex improviſo ſe Dreſdæ ſiſtere jubetur. In Peuceri ædibus arcana omnia inquiruntur, & literæ auferuntur

Placent hæ tendiculæ & inſidiæ omnibus, & ſub hoc prætextu opprimitur Peucerus in ædibus ſuis ex improviſo Calend. April. Anni 1574. à Capitaneo arcis Vuitebergenſis Erneſto à Vuettin, & ex mandato Principis ipſum primùm obligat arreſto & promiſſo, ut ſe quàm citiſſimè Dreſdæ ſiſtat. Deinde jubet eum conclavia, arcas, ciſtas & repoſitoria omnia reſerare & aperire actutum, ut inquirat in arcanas literas eius, habere ſe in mandatis, ut promiſcuè omnes auferat protinus, Græcas, Latinas & Germanicas. Quid faceret ex inopinato oppreſſus? Obtemperat igitur, reſerat omnia, colligit diſperſa, tradit Capitaneo: mandata enim id præcipiebant, ut nihil relinqueretur inpertentatum & inexploratum in tota domo. Nihil igitur occluſum aut occultum eſſe voluit, ne in exulceratis animis acuerentur & aggraverentur adverſus eum ſuſpiciones.

Erant inter Epiſtolas illas literæ quædam magni nominis & authoritatis hominum, quas ſæpè cum gemitu & lachrymis in animo ſuo requiſivit. Eas erat relicturus & commendaturus ſuis filiis & nepotibus tanquam μνημόσυνον illius amicitiæ, quæ ſibi fuerat cum tantis viris, qui ipſum multò inferiorem loco & conditione, propter ingenii dotes tamen non eſſent aſpernati. Petebat illas ſibi reſtitui, quod ſciret aulæ nihil uſui futuras, ſed fruſtra. Auferuntur univerſa conjecta in ciſtellam non magnam, quòd nec multæ eſſent numero.

Peucerus Dreſdam proficiſcitur.

Etſi autem quid ageretur, quæve oppreſſionis ſuæ tam ſubitæ & inopinatæ ereptionis literarum privatarum cauſa eſſet, ne ſuſpicari quidem poterat, nullius enim ſibi ſceleris aut criminis conſcius erat: nihilominus, ut promiſerat, ad iter Dreſdenſe ſe accingit. Præceſſerant literæ, ipſumque antevertebant, ipſe ſubſequitur, & uno die poſterius Dreſdam venit æger admodum corpore: domi enim vix ex recidiva ſexta eluctatus, in itinere ſeptimam fecit. Vrbem & eam domum, quæ dicta erat ingreſſus jubetur aſcendere in arcem, ibi includitur in cuſtodiam, relinquitur apud filium cum famulo, carceri per ſe clauſo & obſerato excubiæ ex ſatellitio Electoris interdiu noctuque ponuntur.

Peucerus ſcribit ſupplicē Epiſtolā ad Electorem.

Scripſerat pridie ſupplicem Epiſtolam ad Principem Electorem qua cum de adventu ſuo & ſubjectiſſima voluntate ſignificaſſet, adijciebat, non opus fuiſſe adverſus ſe tanta ſeveritate. Nam & ſe vocatum paucis verbis ſponte venturum, quæ ſe cunque terrarum loca habuiſſent, & juſſum literas ſuas omnes illaturum fuiſſe. De clementiſſima autem erga ſe affectione Illuſtriſſimi Principis, & viciſſim de ſubjectiſſima ſua voluntate & fide erga Celſitudinem eius, ita ſe ſibi conſcium eſſe, ut de illa non vereatur ſibi optima quæque polliceri, & de ſe certò docere ac demonſtrare poſſit, quod neminem hominum, quàm Celſitudinem eius ſinceriore ac conſtantiore fide coluerit: quòd ſumma contentione ſtuduerit de iſtis terris, Scholis & Eccleſiis quàm optimè mereri, &c. Propterea Celſitudinem eius rogare ſe ſubjectiſſimè propter Deum, ut cum valetudo ſua tot recidivis affecta, peneque confecta, periclitetur, velit mandare, ut maturè edoceatur de cauſis, de quibus accuſetur, & cognita excuſatione ſua ſe clementiſſimè dimittere, &c. Hæc ſumma eſt præſcriptæ Epiſtolæ ſupplicis, quam mox, ut in cuſtodiam pedem intulit, tradidit Præfecto ſatellitii Electoris, ut ad Principem ſuo nomine deferret. Redit ille ab Electore non ita multò poſt, renuncians ex mandato eius, tranquillo ut ſit & læto animo, meliore eſſe loco res eius, quàm exiſtimet, nihil ei defuturum eſſe, poſtulare quoque eum jubet quibus ad curam valetudinis opus ſit, & dat mandata excubitoribus, ut ſint praſtò, & ea adminiſtrent.

Elector bono animo jubet eſſe Peucerum.

Peucero Nævius indicat quod accuſetur de ſcripta & publicata Exegeſi.

Etſi autem ſcire non poterat, in quem uſum ſibi ereptæ eſſent literæ, tamen non temerè nec fruſtra conjiciebat, quæſitas eſſe cauſas & prætextus adverſus ſe inſtruendæ accuſationi, nec repertas eſſe tales, quales aut optabantur aut quærebantur. Hanc ſuam conjecturam non aberraſſe eventus oſtendebat. Altero enim tertioque à captivitate die impetrabat, ut ad ſe admitteretur valetudinis ſuæ cauſa Doctor Ioannes Nævius: Ex hujus ſermonibus intelligebat, accuſari ſe de ſcripta & publicata Exegeſi. Reſpondebat id quod res eſt, planè ſibi nihil quicquam de eo libro, antequam impreſſum vidiſſet conſtitiſſe unquam, nec velle ſe vendicare ſibi aliena, nec tribui ab aliis. Addebat amplius, non ſe ſua, & ſuo nomine ſcripta unquam edidiſſe ſuppreſſo nomine, & hoc ipſum primo intuitu in eo libro, quam primùm eum, quanquam æger admodum in lecto domi aſpexiſſet, vehementer ſibi diſplicuiſſe multis gravibus de cauſis. De hoc Colloquio altero die præfectus ſatellitii illuſtris, qui interfuerat ex mandato Principis Electoris, mandabat ei, poſſe ferre ſuam Clementiam, ut de valetudine ſua cum D. Nævio conferat, ſed de aliena ne miſceat. Ne igitur periculi aliquid, vel D. Nævio vel ſibi crearet, noluit illum redire deinceps Peucerus, etſi deſideraret conſilium & operam eius valetudo indies magis magiſque deficiens. Sed miſſa denuò

Peuceri reſponſio

ſuppli-

ſupplice Epiſtola, petebat ſe excuſari, audiri & liberari: non prius id tamen impetrabat, quàm nono à cuſtodia die. In ea tamen cuſtodia ita tractabatur, ut conqueri nihil de Clementia Principis poſſet.

Peucerus è cuſtodia ad judicium cõſiliariorũ ducitur.

Nono demum die, qui erat 12. Apr. circiter tertiam à meridie, è cuſtodia deducebatur à ſatellitibus quatuor ad judicium conſiliariorum, in quo conſiderant ex nobilitate Ioan. Bernſtenius Henric. Schœnbergius, Chriſtoph. Rogennicius, Abrahamus Bock, Mareſchallus aulę, David Hirsfeldius, Ioannes Lindanenus, *A Doctorum Ordine Conſiliarius* D. Hieronymus Kiſſennetterus, D. Laurentius Lindemannus *Conſilii Orator*, D. David Pfeifferus, & D. Andreas Pauli. *Lindemannus reliquorum nomine loqui exorſus, Accuſari eum, inquit, de quatuor articulis.* 1. Quod per conſpirationes & practicas nova ſacramentaria dogmata in iſtas terras invexerit. 2. Quod ipſe chartas de his & libellos ſparſerit. 3. Quod in horum dogmatum defenſione animaverit Theologos. 4. Quod incitarit exteros Theologos adverſus iſtarum regionum Eccleſias. *Iubetur reſpondere. Reſpondet paucis, quantum valetudo & animi perturbatiſſimi ægritudo permittebat:*

Peucerus accuſatur de quatuor articulis. Reſpõdet Peucerus ad primũ articulũ de practicis.

1. Nullarum ſe conſpirationum aut practicarum conſcium eſſe, nec ſcire quid ſint conſpirationes, & practicæ, aut quomodo conſcium non ſe eſſe verſatum in politicis, ubi talibus locus ſit: Et petere ſe, ut indicentur & ſiſtantur ii, quibus cum conſpirationes iniverit, aut practicas conſlàrit. 2. De novis ſacramentariis dogmatibus, ut nominarent, ſe tunc eſſe reſponſurum, ubi quæ à ſe hujus generis compoſita emiſſa & ſparſa ſint, propoſuerint, nec ſe requirere manum ſuam, ſatis fore, ſi proferantur, quæ ſua eſſe putentur: non enim ſe inficiaturum quicquam: nec minori ſibi curæ eſſe, ut integram, illæſam & ſalvam cum præſtet Deo conſcientiam ſuam, tum reddat animam ſalvatori Chriſto, quàm ut fidem ſuam declaret & probet Principi Electori. 3. & 4. Præterea ſcire ſe oportere, qui ſint illi Theologi, vel domeſtici, quos animaverit, vel exteri, quos incitarit: hos adducendos eſſe, aut demonſtrandum litteris vel ipſorum, vel ſuis, quod talia fecerit.

2. De ſparſis ſacramentariis dogmatibus.

3. & 4. Quod nõ animaverit Peucerus Theologos Vuiteb. in ſacramẽtariis dogmatibus, nec incitarit exteros.

Inſtitues ergo, inquit Lindemannus, *diſputationem cum Principe Electore? Reſpondet Peucerus, Veritatem confitebor & aſſeram, ac tuebor innocentiam. Ad hæc jubetur ſeſe dere. Accendit ad Principem Electorem* Lindemannus. *Reverſo eo revocatur. Nominantur à* Lindemanno *quibus cum conſpiraverit,* D. Cracovius, *&* M. Chriſtianus Sagittarius *aulæ concionator. Ergo adducantur, inquit, illi, & doceatur quales illæ conſpirationes & practicæ quas fecerimus. Tum proferebatur Epiſtola ad* Chriſtianum *ſcripta, in qua initio hortabatur illum, ne collegam irritaret ſuum, néve cum eo contenderet. Deinde adjecerat hæc verba:* Veritas, quam tot profluvia Sanguinis & in Gallia & Belgio extinguere non potuerunt, tandem eſt in his terris etjam triumphatura. *Hæc verba, inquit,* Lindemannus, *offendunt Principem Electorem. Veritatem ergo ferre non poteſt? inquit* Peucerus. *Et ſcis præcipuum articulum controverſum eſſe de Incarnatione Filii Dei, ſeu de Unione hypoſtatica duarum Naturarum in Chriſto. Annon, ait, hic articulus præcipuè oppugnatur & convellitur? Sed huic, inquit,* Lindemannus, *conjunctus eſt & alter. Non, inquit,* Peucerus, *conjunctus eſt, ſed falſo inde detexitur,* Nec *in altero articulo quæ ſit veritas, obſcurum eſt. Si diſputare voles, inquit* Lindemannus, *longum erit. At ſcire me tamen oportet, ait* Peucerus, *quæ nova ſacramentaria dogmata invexerim? veritatem manſuram non dubito, ſive apud nos manſerit, ſive alio migraverit, &c.*

Peucerus non incitavit Bezam.

Peucerus non cõſpiravit cum Cracovio & Sagittario.

Sive cõjunctus ſit ſive non modò pateſiat veritas.

Inter cæteros autem nominabatur Theodorus Beza *quem incitarit. Reſpondit, injuriam ſibi ſummam fieri, quod toto tempore, quo cum* Beza *ſibi amicitia, ut cum viro docto fuerit, inde uſque à proximo Colloquio Vuormatienſi, ſupra ternas Epiſtolas ab eo non acceperit, & intra ſexennium nullam; neque de his materiis ſcriptam ullam, ſed de rerum exterarum ſtatu ſolitum illum eſſe ſibi quædam ſignificare: nec dubitare ſe, unam ex ipſius Epiſtolis inter ſuas repertam eſſe, quæ docere poſſit, quales ſcriptiones inter ſeſe fuerint.*

Cum ergo quod proferret Lindemannus *amplius non haberet, ſententiæ abſolutoriæ formulam profert, quam ſi accipiat, futurum, ut dimittatur. In eo jubetur agnoſcere omnia & fateri, quod fecerit: & quod majora ſit meritus, ſed Principem cætera condonaſſe deprecationi* Peuceri, *& aliorum pro ipſo interceſſioni. Continebatur autem obligatio his Capitibus.*

Forma obligationis Peucero præſcripta ſi liberari velit.

Primo, quod cum ſancte & religiosè promiſerit & condixerit, quod a negotiis Theologicis omnibus velit abſtinere, nihil de his ut fecerit antea, moliri per practicas, ſcribere aut ſpargere: quod hoc tamen non præſtiterit.

Secundo, quod in ſuis literis repertum ſit, quod ſcripſerit ad aliquos, cum illis conſpiraverit, practicas fecerit, & obnixe promoverit, ut Sacramentarium dogma in Saxonicas Eccleſias inveheretur.

Tertio, quod non intermiſerit incitare alios & animare.

Quartò, quod peregrinos, & de hoc dogmate ſuſpectos inſtruxerit, quomodo illa dogmata iſtis regionibus inſinuare debeant.

Quinto, quod ſcripta & pagellas de his emiſerit & ſparſerit. Hæc ſe feciſſe, & ſimul

ſimul ſe his graviores pœnas commeritum eſſe, ut confiteatur: Sed Principem Electorem Peuceri & aliorum deprecatione commotum, dimiſiſſe ipſum è cuſtodia, eâ lege, & conditione, ut ademerit ei inſpectionem illuſtrium Scholarum, & beneficiorum in Academia, & areſto eum obliget ad vrbem Vuitebergenſem, ne inde ſuâ Celſitudine invitâ diſcedat, ſed operam det ſeduló profeſſioni Medicæ & hiſtoriarum, & temperet ſibi à conſpirationibus & practicis.

Sexto, vt confiteatur magno ſe beneficio & clementia affectum eſſe, & gratiam ſe pro ea debere.

Septimo, ut promittat juramento, ſe de his ad alios neque in iſtis terris neque extra has ſcripturum, nec moliturum aliquid per practicas, nec ſugillationibus, querelis, ſiniſtris interpretationibus uſurum contra Principem, gubernationem, & ordines iſtarum regionum: neque hæc vnquam violaturum ſcripto, aut ſermone, neque ex urbe Vuiteberga diſceſſurum, ſine voluntate Principis, neque in urbe quicquam ſuſcepturum aut moliturum quoquo modo, aut cujuſcunque ſit generis, quod excogitare humana ratio poſſit.

Peucerus huic formulę obligationis ſubſcribere recuſat gravibus de cauſis.

Hac formula viſa & lecta, ita expaveſcebat Peucerus, *ut pene exanimaretur. Etſi autem nec propter priores cauſas, nec propter hanc novam ex formula conſternationem, recolligere ſe ad cogitandum poterat, quid eſſet faciendum aut reſpondendum, nec haberet quenquam cum quo deliberaret, dixit tamen quantum potuit: Scire Conſiliarios omnes ex priore accuſatione, innocentem ſe eſſe eorum, quæ fuerint ſibi objecta nec de ullis ſe convictum eſſe, aut convinci poſſe: nunc offerri formulam, ipſa accuſatione longè atrociorem, peneque capitalem, in qua ſcriptum ſit, ſe ſanctè, religiosè & cum obteſtatione promiſiſſe: cùm & mandatum illud ſimpliciſſimum meminerint, qui adfuerint, & ſua reſponſio ſimpliciſſima fuerit, omnique tali aſſeveratione & adjuratione caruerit, qualis in formula ponatur. Et cùm fuerit ſimpliciſſima non ſe tamen quicquam contra hoc promiſſum feciſſe, nec demonſtrari id poſſe. Nec Epiſtolam ad* M. Chriſtianum *ſcriptam ulla ſpecie trahi eò poſſe, quod promiſſum violârit, etſi ſcripſerit* veritatem triumphaturam eſſe. *Illud verò ſe plane negare, quod per conſpirationes & practicas aliquid ſit molitus: & manifeſtò apparere, quod his verbis ad ſe opprimendum tantùm politicus prætextus quæratur. Negare ſe & hoc, quod exterorum aut indigenarum quenquam irritârit, aut pagellas ſparſerit. Nam ſi quid privatim ad amicos ſcripſerit de ſua ſententia, id non poſſe conſpirationem vocari: ſcire tamen omnes, qui aſſideant, nihil ſibi propoſitum eſſe aut proponi potuiſſe quod ſe convincat. Quomodo debeat ergo id ſe feciſſe confiteri, & ſeipſum contra ſuam conſcientiam ſuo teſtimonio condemnare? Provocare ſe ad ipſorum judicia, imò ad ſingulorum conſcientiam, quæ cogat eos fateri ſibi injuriam fieri, ſi cogatur hac amplecti & ſuâ ſubſcriptione approbare, quæ nunquam fecerit.*

Peucerus implorat judicium ſuorum fidem & conſilium.

Cùm his nihil proficeret, implorabat fidem & conſilium ipſorum, ut ſui miſererentur, in hac tanta animi & corporis imbecillitate, in qua viderent ſe ſui compotem non eſſe, nec ſe deſtituerent conſilio & ope in re tam ardua & difficili, in qua periclitaretur exiſtimatio ſua, & fortaſſe aliquid amplius. Tacent omnes, oculos vultumque demittunt. Inſtat Peucerus *& urget. Inde conjiciunt oculos in* Lindemannum: *quo animadverſo, ille indignabus, abjecta è manibus formulâ ſententiæ;* Velim, *inquit,* vos coram adfuiſſe, & quantum obtinere potuerim, cognoviſſe. *Ex quo apertiſſimè intelligitur, illos ipſos Iudices quæ fiebant non probaſſe. Converſi igitur ad Peucerum Bernſteſteinius & Cancellarius,* Notum eſt tibi, *inquiunt,* Principis ingenium, cedas ei, & conditiones præſcriptas accipe, non erit tibi hoc fraudi, aliter non liberaberis. *Repugnat iterum, præſagiens animo futurum, ut ex ſua ſyngrapha diem ſibi dicerent. Sed nihil obtinet. Quod ergo cum accuſatione condemnationem ita videbat multò ante inſtructam & confectam, ut quæcunque proferret excuſandi ſui cauſa, locum non inventura eſſent certò appareret, adactus metu carceris, & deſertus ab omnibus, accepit conditiones cum hac proteſtatione:*

Iudices ſuadent Peucero approbationē formulæ obligationis.

Peucerus accipit conditiones obligationis, ſed cum proteſtatione.

Provoco ergo ad tribunal Filii Dei, & Deo juſto judici vindictam commendo, quòd mecum hoc modo agatur, & quod pro mea fide & meritis in has terras talis mihi gratia referatur. *Hanc formulam cum deſcripſiſſet & juramento confirmaſſet, dimittebatur. Sed hoc facto ſe lapſum & graviter Deum ſe offendiſſe mox agnovit, idque toto pectore deploravit, & peccatum hoc ſuum deprecatus eſt veris gemitibus per & propter Filium Mediatorem Ieſum Chriſtum.* Vicit me, *inquiebat*, imbecillitas mea, & promiſſa, ſed non diu præſtita, reſtitutio mei in locum profeſſionis priſtinæ. Coactus ſum & juramento me obligare, quòd in hac controverſia, in Academia nec loqui, nec ſcribere velim: in quo gravius peccavi: etſi mihi neutiquam hoc juramento libertatem confeſſionis eripi, aut interdici certo ſcio, cum ſpontaneas tantum ſcriptiones & diſſertationes prohibeat, non petitas, aut flagitatas cum imperio & auctoritate. Denique nullo juramento me ſcio obligari contra Deum & Dei mandata.

Peucerus lapſum ſuum agnoſcit & deplorat.

Atrocia

Promiſſa non ſervantur Peucero. Hoſtilia omnia denunciantur orthodoxæ doctrinæ.

Atrocia quidem ſunt hæc, ſed atrociora multò ſequuntur: Eò enim magnitudine odii impellebantur æmuli, ut abrogatâ hac primâ ſententiâ, quid minor videretur, protinus apertè hoſtilia omnia orthodoxæ ſententiæ in controverſis articulis denunciarent, nec ſe acquieturos, niſi excisâ eâ ac deletâ penitùs, nec toleraturos ſe quenquam in ſua ditione profiterentur, huic addictum, & odium illius ſe declaraturos publico nonnullorum ſupplicio, etiamſi in ſuis territoriis nullum doctum virum retinerent. Ideoque in omnium ore verſabantur ibi ſermones: Optimum & maximè è re Peuceri & aliorum nonnullorum fore, ſi moriantur quam primùm, ut hoc modo liberentur ab odio Principum & inprimis æmulorum implacabili. *Id verum fuiſſe, imò creviſſe indies magis magiſque odium, publicè poſtea & illuſtribus documentis conſpectum eſt. Nam & in plures alios ſeſe effudit ex optimis & fidiſſimis Conſiliariis. Cumque Dreſdam veniſſet hoſpes* Maximilianus Imperator *oſtentatum eſt monumento publico ſtatuæ, Herculeæ molis, & magnitudinis ſtupendæ, in qua vario genere igneorum tormentorum, ex pulvere bombardico artificioſè inſtructa, bellum apertè denunciabatur veritati, hac Gigantea quidem, ſed ad poeſin & Grammaticam malè congruente inſcriptione:* Ut Lernæam hydream Hercules, numeroſum licet monſtrum, igne tamen vicit, ac mori docuit: Sic Auguſtus Dux Saxoniæ Elector, Heros inclytus, ſectam Calviniſticam latenter in has terras irreptam, ac fraudulenter nutritam, Deo adjuvante, & ſupprimet & vincet. *Hæc ſtatua inter tres præcipua, flammam incenſa evomuit quidem ſurſum in cælum, ſed non eo impetu, eaque vehementia, quæ fuit expectata, imò levi paucoque fragore commota, tandem in ſeſe conflagravit, non ſine omine.*

Theologorum quorundam cruentū conſilium de Peucero. Paulus Crellius quis & qualis.

Vix igitur Dreſdæ dimiſſo Peucero, *adhibentur in conſilium Theologi orthodoxorum inimici crudeliſſimi, & homines indocti,* Greſſerus Dreſdenſis, Heidenrichius Torgenſis, Eberhardus Miſnenſis, *&* Paulus Crellius; *cui venalia erant omnia, lingua, manus, calami anima ipſa, qui pecuniæ cauſa inflectere dogmata ad cujuſque cupiditates nunquam veritus eſt, quique in hac cauſa contra conſcientiam egit omnia, uſitato ſuæ ſophiſticæ præſidio. Hi dant aliud conſilium, ut priora decreta retractentur & aboleantur, & conſcribatur formula certorum articulorum, ad quam accipiendam adigantur Theologi Vuitebergenſes:* Peucerus *autem,* Cracovius *& alii quidam ex ſyngrapha ſua peragantur rei ſeditioſarum molitionum. & afficiantur ſupplicio capitis. Articuli ſunt illi Torgenſes à* Paulo Crellio *ſcripti, & Quindecim viris tunc Torgæ congregatis, approbati, ut ſupra indicatum eſt.*

Conventus aliud Torgæ indicitur, in quo apparuit in quem finem priora omnia cum Peucero acta ſint.

Non itaque multò poſt actionem Dreſdenſem indicitur Conventus in urbem Torgenſem ad diem 24. Maii anno 1574. ut conſultationes inſtituantur non ſolùm de dogmate Calviniano radicitùs exſtirpando ſed etiam de capitibus Peuceri *& ſociorum. Ad hoc judicium deliguntur certi ex ordine Equeſtri, & ex urbibus ad has quæ parabantur inſidias maximè idonei. In hoc Conventu demum apparuit: quo conſilio & in quem finem Peucero & Theologis Vuitebergenſibus erepta & extortæ fuerint literæ, cum obligatione Confeſſionis, & impoſitum ſub juramento ſilentium, ne liceat contradicere.*

Accuſatio capitalis Peuceri, Cracovii, &c. inſtituitur.

Mox ab initio ut conveniunt Ordines, inſtituitur atrox & capitalis accuſatio D. Cracovii Cancellarii, D. Stœſſelii, M. Chriſtiani & D. Peuceri, *de religione nova per practicas & conſpirationes introducta, & de accenſis diſſidiis quæ, niſi reprimantur, in ſeditiones & bella civilia Gallicis & Belgicis ſimilia ſint exitura. Proferuntur ipſis extortæ obligationes, quibus factum id eſſe à ſeſe confeſſi ſint. Adduntur literæ, & inter alias* Peuceri *ad* M. Chriſtianum, *aulæ concionatorem, quæ tamen* Peucero *nunquam propoſitæ fuerunt. In iis erant hæc præcipua, ut poſtea vidit:* Quòd commendaverit aulæ Catecheſin Vuitebergenſem: *Quod ſcripſerit,* Theologos Vuitebergenſes prius diſceſſuros ex Academia, quàm abjecturos Corpus doctrinæ Philippi: Quòd eius ſe Eccleſiæ civem non futurum eſſe profeſſus ſit Peucerus, quæ contrarium doceat & ſentiat illi doctri- ctrinæ de Filio Dei, quam ex tota antiquitate repetat liber Theologorum Vuitebergenſium, qui inſcribitur Di Grundfeſt: Quòd veritatem oppreſſam in Gallia & Belgio ſperârit triumphaturam eſſe in iſtis terris: Quòd contemptim Greſſerum concionatorem Dreſdenſem & Selneccerum imperitos doctrinæ, nec ullum articulum veræ religionis intelligere, multò minus defendere poſſe ſcripſerit. Quò Principem γυναικοκρατίας accuſarit. *Hoc poſtremum plus Peucero nocuit, quàm quicquam aliorum. Malevolis enim ad acuendam in eum indignationem occaſio ſumma inde data eſt. Intercluduntur itinera, acceſſus, hoſpitia ipſis, eoſque adire volentibus: prohibetur ne admittantur ſuſpecti, aut qui mandatis ab eis inſtructi veniant. Ne quid literarum inferatur ab ipſis, quod faciat ad excuſationem eorum. Sparguntur rumores à nonnullis, qui actioni interfuerunt, eos grandi pecuniâ Palatinenſi conductos, propagare dogma ſacramentarium, commovere iſtas regiones ad ſeditiones, & bella inteſtina voluiſſe. Condemnantur atrocibus vulgi ſententiis, tanquam proditores & ſeditioſi, qui attrahere bella Electori exempla religioſæ pacis legibus, & turbare*

Nova capitalia ſcelera Peuceri.

bare ocium & tranquillitatem iſtarum regionum voluerint. Fiunt multa ad exaggerandam atrocitatem præter hoc.

Decretũ Torgenſis Conventus de Peucero & aliis.

Iubentur deſignati judices pronunciare de capitibus ipſorum. Illi, etſi confeſſionibus auditis, quas extortas ipſi eſſe ignorabant, non inſontes eos eſſe pronunciant. Concludunt tamen ſatis pœnæ jam eos ſuſtinuiſſe, pro hoc delicto, nec ſe eam poſſe exaſperare. De Peucero pronunciârunt, ut ſicut obligatus ſit, ita relinquatur loco ſuo, ut ſerviat Academiæ, medicinam docendo faciendoque, & exponendo hiſtorias. Hæc ſententia quod mitior viſa eſſet, parum grata fuit: nam capitalis ſententia expectabatur. Sibi tamen ſe reſervare Princeps reſpondet, ut de ipſis ſuo ſtatuat arbitrio.

Ita prima Dreſdenſi actione Peucerus incarceratus, poſt accuſatus, nullius criminis convictus, ſed condemnatus tamen, & à condemnatione reſtitutus, Torgæ ob crimen nunquam commiſſum ſed remiſſum tamen, de novo accenſetur ſed atrocius, & capitaliter quidem, ex fundamento extortæ ſibi confeſſionis, & litteris privatis, quas nunquam viderat: ibidemque condemnatur ad priorem pœnam, non iterum auditus, imo coactus carcere, ut ſe ſuo ſilentio condemnet.

Rumores & triumphi de oppreſſis Sacramentariis.

Acta ſunt hæc Torgæ Anno 1574. ſub Maii menſis finem, & Iunii initium. Poſt hunc Conventum pervulgatur & litteris & fama hominum, quanta ſapientiâ & vigilantiâ pervestigata & detecta, quanta item felicitate repreſſa ſit conſpiratio quorundam, qui ſacramentarium dogma diſſeminare clàm & occulte conati ſint: Canuntur ἐπινίκια, aguntur triumphi: Iſtis vero miſeris ne hiſcere quidem contra licebat; ſed ad omnia mutire cogebantur, tanquam rei omnium iſtorum, quæ jactabantur.

Quæ vero in hoc Conventu ſuſcepta ſint alia adverſus Theologos Vuitebergenſes, quomodo hi auditi, areſto recenti, Lipſiam adducti & carceres conjecti ſint, ſupra indicavimus.

Mutatur ſententia de Peuceri pœna & locum exilio ſibi ipſe deligere jubetur.

Eo autem die, quo Theologis ex carcere liberatis Vuitebergam erat redeundum, jubetur Peucerus novo mandato Torgam redire, contra priorem ſententiam utramque, Dreſdenſem privatam, quàm coram audierat, & Torgenſem publicam, à qua abfuit, & ſe ſiſtere Conſiliariis ſi ab iis vocaretur. Erat is dies 16. Iulii, quo ſub noctem paulò ante Solis occaſum urbe egreſſus, & tota nocte vectus manè poſtridie circiter quintam matutinam Torgam ingrediebatur, & mox ſub octavam ſe adveniſſe Conſiliariis ſignificabat. Sequenti die 18. accerſitur ad Conſiliarios, qui mandata Electoris illi exponentes, Conſtitutum eſſe, inquiunt, Principi certis de cauſis, ipſum ex Academia Vuitebergenſi amovere, & transferre aliò, & permitti ei, ut urbem, quam velit in ditione ſuæ Celſitudinis, exilio deligat; Se de Friberga cogitaſſe, & ut deliberet, permittunt. Reſpondet, Se in gratiam Principis hactenus pleraque feciſſe, & nunc etiam obtemperaturum, nec ſi refragetur, id ſibi profuturum eſſe. De loco ſe acquieſcere, ſed petere tamen, ut liberaliter in hac ſenectute ſua alatur, & ut poteſtas ſibi fiat artem medicam liberè exercendi. Promittunt operam ſuam Conſiliarii, atque his dimittunt eum: Sed ad dies adhuc aliquot ſubſiſtere ipſum jubent, donec ſcripta mandata conficiantur.

Peucerus interrogatur de practicis cum Palatinenſibus factis.

Interea novis incitationibus iterum exacerbantur Principes, eamque ob cauſam poſt dies non ita multos mutantur omnia. Revocatur enim Peucerus ad Conſiliarios poſtridiè Calend. Auguſti. Inſtituitur examen novum & inquiſitio nova. Ex Conſiliariis aderant Iohannes Bernſtenius, Damianus à Sibottendorf, D. Laurentius Lindemannus, D. David Pfeifferus: his erat adjunctus Iohannes Ienițius Secretarius, præ omnibus Principibus gratiſſimus. Hic Lindemannus iterum exorſus obteſtatur & propemodum adjurat Peucerum, ut pro fide, pro religione jurisjurandi, pro conſcientia ſua, etſi quid amplius, apertè & ingenuè profiteatur, quantum ſciat de conſpirationibus & practicis ſacramentarii negotii factis, maximè cum Palatinenſibus, & nominatim cum D. Ehemio. Ne quid occultet iterum monet & obteſtatur, &, ſi verum fateatur, profuturum id ſibi plurimùm affirmat ad recuperandam gratiam Principum, qua exciderit. Reſpondet Peucerus,

Peuceri reſponſio.

Qua me religione interrogatis, eadem reſpondebo, & ita reſpondebo, ac ſi ſtarem ante tribunal Filii Dei, & me hoc ibidem excuſandæ meæ innocentiæ cauſa repetiturum eſſe ſcitote. Nullorum prorſus conſpirationum aut practicarum conſcius ſum quod & antea confirmavi, multò minus aliquid ſcio de Palatinenſibus, nec quas velitis practicas intelligo. Conſtat vobis omnibus, quod aliena à mea vocatione negotia ſedulò ſemper caverim & fugerim, nec vllis me vnquam ingeſſerim: quoties in aula fui. Imò id dedi operam vnicè, ut non culpa tantum in hac parte, ſed & ſuſpicione carerem: Cumque nunquam fuerim hactenus accuſatus, mirari ſatis non poſſum, cur in ſuſpicionem conſpirationum & practicarum nunc trahar. Non me obſecro exiſtimate tam pueriliter ſtolidum aut incogitantem eſſe, ut quid me docuerit, aut quid cum periculo conjunctum ſit, non intellexerim aut conſiderarim. Non ſcripſi ad Electorem Palatinum, niſi vnam Epiſtolam, quando miſi ſuæ Celſitudini partem ſcriptorum ſoceri mei

ſub nomine & Patrocinio ſuæ Celſit. editam Ad Cancellarium *D. Chriſtophorum Ehemium* ſcripſi aliquoties poſt ſoceri mortem, ſed ante multos annos, & familiares epiſtolas tantùm quibus adoleſcentes ſcholaſticos ei commendavi. Habeo & inter Profeſſores aliquot, quibuſcum mihi eſt privata amicitia à multis annis conſtituta, ut cum *D. Vrſino*, & nonnullis aliis ex poſteritate ſoceri mei, quibus familiariter ſcribere ſum ſolitus. Sed quid hæc ad conſpirationes & practicas? Cum *D. Ehemio* autem notitia mihi interceſſit, familiaris conſuetudo aut amicitia nunquam: nec ſolitus ſum vel ſcribere, vel ſi in aula eſſem, illo præſente ſalutandi cauſa illum accedere. Vuitebergæ quòd fuerit, comperi, ſed viſus eſt, mihi nunquam eſt, nec domi tunc fui, nec ſcire poſſum, qui eum convenerint, aut de quibus cum eo rebus colloquia habuerint. Hæc ita eſſe verè affirmo, & affirmaturus ſum coram Deo: ne me igitur ſuſpicionibus talibus prægravetis, oro.

Inſtantia Lindemanni & Peuceri reſponſio.

Non tam, *inquit Lindemannus*, de te quæritur, quàm quid tibi conſtet de practicis aliorum cum D. Ehemio & Palatinenſibus. Nihil de illis, *Peucerus inquit*, plus ſcio, quàm de me ipſo. Quid ſcirem enim de rebus, quibus nunquam fui adhibitus, imò à quibus procul abfui? Et ſcitis me annis ab hinc tribus in aulam rarò veniſſe.

Peucerus interrogatur de practicis cum Beza factis Hinc illæ lachrimæ.

Poſt hæc jubetur Peucerus *ſecedere. Paulò poſt iterum revocatus interrogatur de* Theodoro Beza, *& de practicis cum eo, ut quid ſciat liberè & ingenuè confiteatur, nimirum cujus impulſu libellum in Selneccerum editum Principi Electori inſcripſerit? Reſpondit, mirari ſe, cur hoc interrogent, cum in prima actione Dreſdæ ſatis ſuperque ſe excuſarit, & intra annos ſex ſe nullas Bezæ literas vidiſſe, nullas ad illum miſiſſe affirmarit. Quid Beza cum aliis intercedat, ſibi non conſtare.*

Peucerus de practicis rurſus urgetur.

Secedit iterum ex juſſu Peucerus: *ſequitur ipſum ex intervallo* Lindemannus, *ac ſeorſum compellans ſolum ſolus hortatur & obteſtatur eum, ne, ſi quid ſciat, de aliorum cum Palatinenſibus & D. Ehemio practicis inprimis, id ſupprimat aut reticeat. Pollicetur benignè & prolixè de Clementia Principis.*

Peuceri reſponſio

Reſpondet ut prius, teſtatus ſanctè de ſua perpetua & conſtante fide ac voluntate erga Principem: plane nihil ſe de cujuſquam practicis ſcire, nec fingere ſe tamen poſſe, quo practicarum faciendarum ſit ignarus, & non ſciat quas intelligant practicas, aut de quibus, an de religione ſoli, an etiam de aliis. Denique ſe mentiri nec poſſe nec velle.

Peucerus deportationis pæna, exilio & areſto condemnatur.

Redit ad ſuum locum Lindemannus *Peucerus etiam aliquanto poſt acceſſitur ad audiendam ſententiam, quam ſperabat priore fore mitiorem, quum tota actio ipſum inſontem pronunciaret, & omni prorſus ſuſpicione liberet: ſed inclementiore multò accipit. Nam loco & profeſſione ſua motus, exutus honoribus, Vuiteberga ejectus, deportationis pœna, exilio & ſimul areſto condemnatur* Rochlicium, *quum vix multa aliorum interceſſione averſum eſſet, ne in tetrum carcerem detruderetur, quod initiò erat propoſitum. Suaſerant autem ſycophantæ Theologi, ut in locum relegaretur ſolitarium, remotum à frequenti aditu hominum, ne ſit occaſio communicandi ei aliquid cum domeſticis aut exteris.* Rochlicii *jubetur in arce habitare cum familia ſua, cauſis nullis expreſſis, niſi in genere ex probabilibus & neceſſariis cauſis, ſub eadem religione jurisjurandi, qua tenebatur antea; & jubetur non reverti Vuitebergam, ſed Torgâ in locum deportationis rectà ad diem* 16. *Auguſti diſcedere, cujus prorogationem & quædam alia cum ſupplice epiſtola à Principibus petiviſſent, & loci mutationem conjux ejus & generi (dimiſſionem enim fruſtra petiturus fuiſſet) nihil tamen impetratum eſt, præter prorogationem in dies* 13. *Sic innocens repertus, punitur gravius, quam unquam antea, mutata quartum ſententia. Nec ullum ei ſuorum ſcriptorum propoſitum eſt, nec accuſatus eſt, quòd vel illud credat: ſed prætextus politicus quæſitus eſt, ut non doctrinæ cauſa, ſed propter nova & ſacramentaria dogmata, ac per conſpirationes invecta, ſparſa, ipſo* Peucero *authore & incitatore, iſtis regionibus obtruſa condemnatus dicatur: nunquam tamen quæ ſint illa dogmata ei indicatum eſt.*

Summa examinis Peuceriani Rauſchero habiti.

Die decima ſeptima Februarii, anni 1575. *venit ad* D. Peucerum *Rochlicium in cuſtodiam eius*, Hieronymus Rauſcherus *Conſul Lipſenſis, cum mandatis ab Electore* Auguſto, *& novum eius examen inſtituit, cujus hæc ſumma eſt.*

Ingreſſus cum Peucero *in conclave mox ubi conſediſſet, exponit cauſas adventus ſui: nimirum, ut ex ipſo quædam capita percontaretur, de quibus ſi non liquidò & explicatè reſponderit, ſecuturum eſſe examen ſeverius. Reſpondet* Peucerus, *paratum ſe eſſe ſumma voluntate & fide ad parendum illuſtriſſimis mandatis. Nec ſe diſſimulaturum aut occultaturum eſſe quidquam, quod revocare in memoriam poterit, nec ſe cauſas habere ut reticeat quidquam. Nullarum enim ſe actionum ſibi conſcium eſſe, quas non velit publicas & omnibus notas eſſe.*

Capita interrogationum & mandatorum, quæ Conſul non ſimul proponebat, ſed uno expedito, accedebat ad aliud, hæc erant: Primùm, ut enunciaret & confiteretur, quarum ſibi molitionum & conſpirationũ conſcius ſit. Id niſi

ſpontè

ſponte faciat, futurum, ut torturæ quæſtionibus exprimatur: *Alterum*, quibus cùm ex Theologis & Conſiliariis in aula inſerit & communicârit conſilia deque controverſo articulo Cœnæ Dom. ſermones habuerit, & quos ex illis ſciat ſuæ ſententiæ addictos eſſe *Tertium*, quo modo fidem probare Principi Electori poſſit ſuam, cùm ab eo in hoc capite religionis diſſenſerit?

Peucerus cupit ſibi explicari de quibus inſimuletur conſpirationibus.

Ad primum caput priuſquam reſponderet, petebat nominatim & diſertè explicari, de quibus inſimuletur conſpirationibus & practicis. Faciliorem enim exactioremque ſibi reſponſionem fore. Objectas ſibi eſſe antea conſpirationes cum Theologis deinde cum Palatinenſibus factas de quibus ſeipſum ſatis expurgarit. Rauſcherus *contrà, nondum ſatisfactum eſſe Principi Electori, ſed nulla ſe tamen habere mandata ajebat, ut ſpeciatim quidquam definiat, ſed juſſum eſſe quærere generatim.* At, *inquit Peucerus*, de qua re accuſabo meipſum, nullius delicti mihi conſcius? Et quæ eſt tibi Prætori & Conſuli tot annorum in urbe Lipſenſi iſta ratio vel inſimulationis vel examinis? cogere minis & terrore quæſtionum, nullius reum culpæ ac ne ſuſpicionum quidem, ut ſe ſponte reum faciat. Ut tamen ab omni conſpirationum & practicarum culpa, etiam conſcientiam meam liberam ſciatis & immunem, reſpondeo, Si quid à me tentatum eſt unquam, ſi unquam ulla animum meum ſubiit cogitatio quidquam quoquo modo moliendi inſidioſè, faſtidioſè ac per practicas adverſus Principem Electorem, precor: ut me Deus juſtus & judex & vindex hoc ipſo momento fulmine feriat, & præcipitet in ima terræ barathra, ad æternos ignes & cruciatus, & abijciat me à facie ſua in æternum *Conſternatus hac execratione, cui erat mox aliam ſummiſſurus, contra auctores ipſos, ut in eos Deus retorqueat à quibus proficiſcebantur*, Rauſcherus *interrumpit verba eius, & ſibi ſatisfactum eſſe affirmat. Deſcendens autem ad ſpeciem, oſtendit* Peucerus *quanto ſtudio coluerit Principes omni tempore, quàm ſubjectiſſimorum officiorum genere declarare eis fidem ſuam obſervantiamque conatus ſit, quantis ſemper laudibus extulerit ac celebrarit eos, & prædicarit eximia iſtarum terrarum ornamenta, ab ipſorum benignitate profecta; quàm dederit operam, ut multa Eccleſiæ Saxonicis conciliarentur & conjungerentur.*

Peuceri execratio

Peuceri ſtudium erga Principes.

Peucerus interrogatur quibuscũ contulerit de S. Cœna Peuceri reſponſio.

Hanc reſponſionem eius, cum in pugillares conſignaſſet Rauſcherus paucis ſummatim, proferebat quæſtionem alteram, Quibus cum contulerit Peucerus de ſua ſententia in hac controverſia de Cœna Domini, præſertim ex Theologis in aula, & Conſiliariis Principis Electoris, & an eodem modo de ea doceant Calviniani? *Reſpondeat*, Non horum ſcripta ſe legiſſe, nec ſe ſententiam ſuam hauſiſſe ex libris illorum; ſed eius ſe authorem habere ſanctæ memoriæ ſocerum ſuum *Philippum Melanthonem. Interfatur Rauſcherus, Conſtare tamen, eum cum Dom. Cancellario* Kiſſuvetrero *&* D. Zeſhio *ex Conſiliariis, ſæpè de hoc dogmate collocutum eſſe, qui illorum ſcripta accuratè & multùm legerint.* Minimè inficio id *inquit Peucerus*, ſed diſertè dico, quibus illi formulis verborum hoc dogma explicent, &. in quem modum de eo differant, mihi non conſtare, quod libros non legerim, ſed doctrinam ſenſu & veritate eandem eſſe, me minimè dubitare, quòd de vino & vero, nihil dici poſſit niſi unum & verum. Fieri tamen poſſe, ut alius alio idem aut felicius, aut integrius, aut clarius exponat. Non ſe igitur dogma hoc petiviſſe ex Calvinianorum, ut vocantur, Scholis, in quibus non fuerit; ſed in Vuitebergenſi id Schola didiciſſe, præceptore & magiſtro ſocero ſuo, ut multi alii. Conjunctionem tamen, neceſſitudinem & familiaritatem domeſticam & quotidiam feciſſe, ut frequentiùs ſecum privatim, & apertius ille ſit de eo collocutus: Ac profuſiſſimis lacrymis eum apud ſe non ſemel deploraſſe, quòd Lutheri authoritate, & adverſantium rabie impediatur, ne, dum in hac hæreret ſtatione penè vincto ſimilis, ex profeſſo audeat ſententiam ſuam edere, etſi ſparſim ſatis ſeſe ſcriptis ſuis declararit: Denique proximo ante mortem die, illum ſe in hac vera ſententia confirmaſſe voce ſua. *Addebat & hoc* Peucerus *ſe de indicatione Philippi inquiſiviſſe mediocri cura & diligentia teſtimonia antiquitatis: imò perveſtigaſſe, quæ fuerit per annos mille quingentos doctrina in Eccleſia de hoc articulo. Caviſſe autem ſe magno ſtudio, ne unquam aut uſpiam inchoaret diſputationes aut ſermones de illa controverſia: provocatum autem vel incitatum ſe liberrimè expoſuiſſe, quid ſentiat, & veritatis oſtendiſſe fontes: Cùm enim indicarit & ſecum conſtituerit, hanc eſſe veritatem, interrogatum, ſe teſtimonio veritati deeſſe non debuiſſe. Sæpè ſe recordari ſermonum, qui* Doctori Mordiſio, *& ſocero ſuo interceſſerint Lipſiæ in ædibus* Lotheri *Conſulis. Cùm quæreret enim Mordiſius, cur de hac controverſia non ex profeſſo, ut de cæteris, ſuam explicaret ſententiam, reſpondiſſe* Faciam hoc, ſed dimittite me ex his terris. *Cumque inſtitiſſet* Mordiſius, *cur idem non facis nobiſcum?* Non, *inquit*, tibi ignotum eſt, quæ & quanta obſtent impedimenta. Sed dimittite me obſecro.

Rauſcheri inſtantia.

Peuceri reſponſio.

Philippus an ſententiã ſuam de Cœna publicè non confeſſus ſit.

Ad hæc Conſul Rauſcherus: At tacuit tamen ſocer tuus. Reſpondebat Peucerus: Ex profeſſo non tractavit hanc quæſtionem ſic, tanquam Lutheri propriam & Lutheri mentem: ſed tanquam unam & communem Luthero cum Pontificiis: adverſus illos voce & ſcriptis ſuis ſemper urſit ſerio, & in publica doctrina nihil quod eſſet neceſſarium cognoſcendæ veritati prætermiſit, tantumque ſcriptis intexuit ſuis, multis in locis & conſiliis, quæ dedit Principibus, ut in qua fuerit ſententia neminem latere poſſit.

Peucerus etiam ſuã ſententiã de Cœna confeſſus eſt, & cũ quibus cõſuluerit.

Hanc ergo cauſam eſſe, quod interrogatus non ſiluerit, quia ſtatuat in controverſo articulo hanc eſſe veritatem, ideoque vbicunque confeſſione fuerit opus, nec diſſimulare quidquam, nec teſtimonio ſuo confirmare vera in ſententia alios deſtiterit. Nec inficiari ſe, quòd cum D. Kiſſuvettero, D. Zeſchio, D. Gleiſſentalero, & D. Cracovio *de ſua ſententia diſſeruerit, ut cum aliis, quoties de ea mentio inciderit. Sed meminiſſe ſe ſermonum omnium non poſſe, nec perſonarum, quibus cum colloquia habuerit, præſertim cùm penè annos quatuor ab aula abſuerit. Sed rogare ſe, ut cæteros conſiliarios nominet: ignorare enim ſe, qui poſt mutationem hanc inter conſiliarios locum ſuum obtinuerint.*

Profert ergo Rauſcherus *Conſiliarios aliquot ac primò, nobilem virum* D. Ioannem Bernſtenium. *Cum hoc ait Peucerus, ſe locutum non eſſe hac de re, quantum quidem recordetur. Secundò nominatur* Abrahamus à Bok *aulæ Mareſchallus. Ne cum hoc quidem, inquit, niſi fortè in arce Stolpenſi, quando ei ſcriptum Theologorum,* Die Grundfeſt *tradidi & commendavi Adfuiſſe tunc &* Lindemannum, *ſed ſe apud hunc nunquam hujus controverſiæ meminiſſe, niſi obiter eo ipſo tempore.*

Tum Rauſcherus: *Lindemannus in alia ſemper fuit ſententia. Moxque in Architamiæ mentionem delatus: Hunc, inquit, de re tota tu erudiſti. Non, inquit Peucerus, hoc ab illo vel poſtulatum, vel à me factum eſſe recordor. At ipſe affirmat, inquit Conſul. Si affirmat, dico, fortaſſe ipſe reminiſcitur, ego planè non recordor. Idcirco non inficior, & quam cauſam haberem inficiationis? Hoc memini, in ædibus eius ſæpè convivio exceptos fuiſſe ex Conſiliariis aliquot, me quoque adhibito, ubi inter alios ſermones, quandoque & hujus controverſiæ incidit mentio: ſed non poſſum reputans mecum omnia, ullum ejuſmodi revocare Colloquium in quo ſtatum cauſæ ipſi expoſuerim. Sic tamen aſſeverat, ſe à me edoctum fuiſſe, poſſe Principem quærere ex eo, quæ ſint illa, quæ didicerit ex me.*

Ab Architamia revertitur Rauſcherus *ad* Cracovium, *qui ſit confeſſus à me ſe & Peucero* M. Ambroſium, *aulæ Concionatorem, in quodam colloquio privato Stolpenæ ante bellum Gothanum, graviter eſſe tentatum & oppugnatum, & hunc domum reverſum cum conjuge eâ veſpera graviter de ipſis eſſe conqueſtum. Reſpondet Peucerus, quæ Cracovius de habito Colloquio cum M. Ambroſio retulerit, ſibi non conſtare. Se nullius recordari.: Sed hoc memini, inquit, M. Ambroſium, cui non fuit ignotum, in qua ſim ſententia mecum pactum eſſe, quod non velit de hac controverſia mecum vel conferre quid, vel cõtendere ſed ſuam ipſe retinere ſententiam, & mihi relinquere meã: mecum tamen veterem amicitiã colere*

Neque accuſari ſe poſſe, quod ſicubi vindicarit veritatem voce ac ſcriptis, propterea aliquid factioſe fecerit aut molitus ſit in Principem. Diſtincta enim eſſe, quæ Dei ſunt, & quæ Magiſtratus. Præterea meminiſſe omnes, quomodo in aula ſit verſatus: nec ſe dubitare ſibi innocentiæ ſuæ tributuros omnes teſtimonium, ſi interrogentur.

Progreditur ulterius Rauſcherus, *& Cracovium in quæſtione confeſſum eſſe ait, quòd ſemel in ipſius prædio convenerint, ipſe* Cracovius, D. Stoeſſelius & Peucerus. *Reſpondet, meminiſſe ſe optime congreſſus illius: Invitatum ſe namque à Cracovio, Dreſda excurriſſe ad viſendum prædium, quod nuper emerat, adducto ſecum* Ioanne Hermanno *medico. Cum veniſſent ad prandium exceptos ſe eſſe, ut in hoſpitio novo,* Stoeſſelium *ipſis ignaris vocatum à Cracovio adveniſſe ſerius & adduxiſſe ſecum Rectorem Scholæ Pirnenſis, eodemque propemodum momento adfuiſſe* Camerarium *aulæ cum familia ſua. In Cœna nullos fuiſſe ſermones, niſi ludicros, ut inter pocula. Poſtridie ſe ſummo manè nemine ſalutato, ne quidem hoſpite ipſo, abiiſſe. Tantum ſe ſcire de illo congreſſu, nec aliud quicquam. Sed hujus articuli & controverſiæ mentionem, quod, ſciat, non eſſe factam.*

Pergit Rauſcherus, *&* Cracovium *etiam confeſſum eſſe ait, quod Vuitebergæ Theologos ad ſe accerſitos, juſſerit forti animo perſequi editæ ſententiæ defenſionem. Et ipſum quidem* Peucerum *tunc non adfuiſſe, ſed alioquin Theologos inſtigaſſe ad conſtantiam, ſpe factâ patrocinij aulici ab illis, qui eidem ſint religioni addicti: idque de ipſo enunciaſſe* D. Crucigerum *multis verbis: eundem omnem culpam editarum ſcriptionum illi tribuiſſe. Reſpondet, Non poſſe* Cracovium *dicere, Theologos quomodo ipſe animarint, cum non audierit: ſed Crucigerum affirmare, quòd præſidii & patrocinii aulici ſpe eos incitarit, id ſe vehementer mirari, cum meminerit ſe in ore has voces ſemper habuiſſe;* Ne quid vllius humani præſidii, fiduciâ, ſed ſpe auxilii divini ſuſcipiant & faciant: Non ſe in homine confidere, ſed in Deo, quem ſciat teſtimonium daturum eſſe ſuæ veritati. *Nec ſe inficiari, quod ſuaſerit in libro* Die Grundfeſt *integre*

An Peucerus Theologos Vuiteb. in ſententia ſua de Cœna animarit.

doctrinam

doctrinam illam de duabus naturis in Chriſto, & de unione hypoſtatica explicarent, quod ſummus ſit articulus, & fidei Chriſtianæ fundamentum: liberrime ſe fateri in hoc ſe eos animaſſe, non ſpe aut fiducia aulici præſidii ſed veritatis. Nec ſi nominarit eos, quos idem ſentire exiſtimet, propterea auxilium ab his aut patrocinium vel promiſiſſe, vel etiam promittere ſe potuiſſe. Liberrimè fateri, ſe Principi Electori authorem fuiſſe & hortatorem, librum hunc ut perlegat, idque ſe etiam obtinuiſſe. Et Electorem, quod nôrit, eundem probaſſe, neque id negaturum eſſe. Et ut ſummatim complectatur omnia, quæcunque in hac cauſa fecerit, feciſſe ſe hoc conſilio, quòd certò ſtatuerit, hanc eſſe veritatem: neutiquam verò ut adverſaretur Principi, de quo nunquam ſibi venerit ulla in animum cogitatio. Omnibus etiam hoc ac publice notum eſſe, quod ad nullos Conventus Theologicos, nullas etiam conſultationes Theologorum publicas unquam acceſſerit. Rogatum autem de aliqua controverſiarum parte, quod ſibi videatur veriſſimum authoritate ſacræ Scripturæ, & probatorum Patrum oſtendiſſe. Edita ab eis, ſi fuerint conſentanea veritati, ſe probaſſe: ſi diſſona, non aſſenſum eſſe: nec quicquam tamen turbaſſe. Cumque à Crucigero hac profecta aſſerat, petere ſe ut ambo coram audiantur.

Peuceri ſententia de Cœna an nova ſit.

Ad hæc Rauſcherus, Novum tamen, inquit, hoc dogma eſſe, & aliud ab illo quod ſonuit huc uſque in his Eccleſiis per annos quadraginta. Mihi vero, inquit Peucerus, novum non eſt nec aliis plurimis, qui ſcimus, quod ſonuerit hoc genus doctrinæ in noſtra Academia qui Philippum Melanthonem audivimus. Imò me certum eſſe, verè doctos in Germania viros, qui vero ſtudio indagarunt & eruerunt antiquitatem omnes in hac eſſe ſententia, ut de aliis regnis non dicam.

Si inquit Rauſcherus, didicerunt doctrinam hanc à Philippo, & ſciverunt eſſe veritatem Theologi veſtri, certè parum conſtanter in ea perſtiterunt. Non ſcire ſe, inquit Peucerus quid fecerint Theologi, & ſe ipſis excuſanda relinquere, quæ eis obijciantur. Hoc ſcire ſe de Crucigero & Mollero præſertim, quòd Philippum Præceptorem in hac doctrina habuerint.

Peucerus an Electori fidē non præſtiterit, quòd diſſenſerit ab eo in doctrina de Cœna.

Hoc altero articulo expedito, venit ad tertium. Hunc tertium, inquit, Princeps Elector urget maximè, tanquam caput Quòd cùm diſſenſeris ab eo in hoc articulo, ſincerè affectus erga eum, & fidelis ei eſſe non potueris. Reſpondet, mirari ſe unde Principi hæc naſcatur ſuſpicio: Miniſtrum fidem præſtare non poſſe ſuo Principi, qui Deo ſit fidelis: aut eum, qui in religione diſſentiat à Principe, propterea violare aut fallere fidem in negotiis aliis fidei ſuæ commiſſis. Se longè diverſum & rectè ſentire, Non poſſe Principi fidum eſſe miniſtrum qui ad ipſius libitum, & in gratiam ipſius diſcedat à veritate & Deum deſerat. Nec comperturus eſt, inquit, Elector quidquam ullo tempore, in quo accuſari aut deſiderari fides mea poſſit.

Peucerus an deceperit Electoris conjuge.

Subijciens Rauſcherus, Illuſtriſſima Domina, inquit, a nullo hominum ſe quæritur ita deceptam eſſe ſicut à te. Reſpondet Peucerus, Non ſcire ſe, de qua re deceptionem intelligat. Si de religione, oportere ſe hoc Deo commendare. Se injuriam ſibi fieri. Meminiſſe enim Illuſtriſſimam, quæ coram aliquando dixerit ipſi, quæ ad ipſam ſcripſerit recens admodum ante hos motus, de Chriſto vero Deo & homine, itemque de præſentia Chriſti in ſacra Cœna: & audiviſſe eam illa ipſa verba, quæ dixerit ad Principem Electorem: Non fore ſe civem Eccleſiæ diverſum credentis ab ea doctrina quæ expoſita ſit in libro cujus titulus eſt Die Grundfeſt.

Multos à Dominis ſuis in religione diſſentientes: tamen ſſi iis, ua fideliter curaſſe.

Poſt hæc addit quædam ad tertiam accuſationem: Multos eſſe & fuiſſe Principum miniſtros, qui toto cœlo à Dominis in religiones diſſentientes, ſuæ vocationis officia & opera procurarint fideliſſimè. Exemplo eſſe Doctorem Cratonem medicum, Ferdinandi & Maximiliani Imp. Tum Rauſcherus inquit, Principes ſunt diſſimiles: Unus tolerare, quod alter nequit: Sed hæc non tam ad te, quàm ad Conſiliarios ſpectant, quorum cauſa hos inſtituitur examen: cùm tu nec Conſiliarii, nec Theologi munus habueris. His ſubycit Peucerus, Cur me ergo non multò antè, & quidem miſſionem petentem Principes cum bona gratia dimiſerūt, non ignorari quid ſenſerim? Cur nunc in me ſæviunt præter meum meritum tantopere? Reſpondet: ille Aliud jam ſæculum eſt, aliaque offeruntur neceſſitates & cauſæ. Peucerus contrà, Ad hoc me igitur ſervâſtis, ut nunc cruciaretis? Si diſſentientem ab ipſis ferre non potuerunt, cur me in aulam præter meam voluntatem attraxerunt? Cur me ſuſpectum non protinus ex Academia vel ejecerunt, vel dimiſerunt? Meminerunt Principes quid objectum ſit mihi ab ipſis, & quid reſponderim. Meminerunt etiam, pervulgatum de me fuiſſe rumorem ante multos annos, etiam in ipſa aula, quid ſenſerim, & incitatas contra me fuiſſe aulas Saxonicas à Theologis, à quibus unus Iacobus Smidlinus ſuaſerit Reginæ Daniæ, matri Illuſtriſſimæ Dominæ noſtræ, & Duciſſæ Megapolenſi, me ut removeri ex aula maturè curet priuſquam Electorem etiam veneno mea opinionis inficiam. Tentaſſe id Reginam vehementibus literis multi norunt: de quibus cùm admonitùs compellaſſem Principes petita dimiſſione quòd proſpiciam, quò tandem illa ſint evaſura, reſponderunt Principes: Ne quid metuam, ſed ut in mea ſtatione permanens, agam idem quod antea, nec quid diffidam ipſis.

Peucerus dimiſſionem petiit ab Electore.

Principes Peucerum dimittere noluit.

 Cùm

Cùm ergo conſtiterit ipſis, cujus fuerim ſententiæ, cur me ſolicitè miſſionem urgentem impetrare eam non permiſerunt? Ibi Rauſcherus *rurſus, Alia nunc ſunt tempora, inquit, & alius rerum ſtatus. Mea vero, inquit Peucerus, conditio alia nunc non eſt, quam tunc erat: Idem ſum qui fui antea: neque etiam in Principes ipſos deliqui, &c. Hæc cum dixiſſet* Rauſcherus *abrumpens examen, ſe acquieſcere ejus reſponſis dixit, eique valedicens diſceſſit.*

Paulus Papa ſubornatur ut in omnia Peuceri inquirat.

Poſt Rauſcheri *abitum paucis diebus exactis, nempe 7. Martii anno* 1575. *ſubornatur explorator alius, Conſul Miſnenſis,* Paulus Papa, *Rochlicii natus, ut in omnia ejus inquirat, & ipſummet etiam pertentet, & num quid elicere poſſit aut querelarum aut aſperiorum ſermonum in Principem Electorem. Is igitur apud* Peucerum *de valetudine eius pauca percontatus, deferebatur in querelas de idoneorum Profeſſorum in Academiis defectu, &* Davidem Chytræum *accuſabat, qui & literis & muneribus tertiò invitatus, conditionem oblatam recuſarit, munera tamen acceptarit.* Matthæum *etiam* Dreſſerum *Erfordiâ vocatum ad gubernationem Illuſtris Scholæ in urbe Miſena, aſſentiri vocationi noluiſſe. Queritur quoque de laxata diſciplina, & corruptis Academiarum & Scholarum moribus. Ad quæ cùm nihil reſponderet, privata quadam ad Doctorem* Chriſtophorum Leuſchnærum *Medicum Miſnenſem tum lethaliter decumbentem, pertinentia, ab eo vt præ ſe ferebat, rogatus protulit, ac mox petita dimiſſione rurſus abiit.*

In Peuceri privatam confeſſionem inquiritur.

Vix duarum ſeptimanarum ſpacio ab hoc exploratore elapſo, mandata Rochlicium mittuntur, ut inquiratur à Miniſtris Eccleſiæ & Quæſtore in Peuceri privatam Confeſſionem; An fecerit palinodiam in articulo controverſo? an ad Cœnam Dom. acceſſerit? quid ſit confeſſus? quæ fuerit vita eius tempore toto deportationis? In his omnibus indiciis cùm nihil omninò reperiretur, de quo accuſari poſſet, rurſus tamen ſequutum aliud nihil eſt, quàm ut creſceret rabies inimicorum eius in aula, frementibus illis atque indignantibus, eripi ſibi prorſus conſpirationum velum. Itaque aliæ ineuntur rationes, & aliæ viæ, vt quoquo modo opprimatur, ne liberatus de veritate teſtificari poſſit.

Maximilianus Imp. pro Peucero intercedit apud Electorem Sax. ſed repulſam patitur.

Interea venit ad Principem Electorem Dreſdam Maximilianus Imp. *cui innotuerat* Peucerus *anno* 1564. *de facie ex Colloquio privato Vratiſlaviæ. Is, ad preces amicorum, & inter hos* D. Iohan. Cratonis *Medici excellentiſſimi, & Orthoxi inprimis pro* Peucero *ita intercesſit*, ut ſolutum areſto nexuque omni ad operas Medicas ſibi concedi petiverit. *Reſponderit Elector*, Se quoque carere eius opera non poſſe. Cur ergo, *inquit Imperator* captivum detines, ne cui vſui eſſe poſſit? *Subdit Elector*, quia volo miniſtros habere, qui in Religione idem ſentiant, profiteantur quod ego. *Imperator ad hoc*, Id non perficies: Nec noſtrum eſt imperare conſcientiis, aut ad fidem quenquam vi cogere *Elector cùm non reperiret, quod opponeret, promit epiſtolam* D. Lazari Schuvendii *unam ex iis quas ad Peucerum ab amicis ſcriptas ei eripi antea juſſerat. Petit, ut legat, viſurum enim quæ inter ſe tractaverint, & quorſum illa ſpectent. Cùm legiſſet Imperator*: Nihil, *inquit*, reperio quod me offendat, aut quod culpare poſſim Referuntur ea quæ gerimus. Ego agnoſco mea.

Digreſſo Electore, Imperator ad ſuos converſus, Repulſam tuli, *inquit*, quam non expectâram. Nec ſupereſſe Peucero aliud nihil animadverto, quàm Deo ut ſe commendet & precibus, conſtantiâ ac tolerantiâ practicet ſive exerceat, quod ex Doctrina ſacra didicit.

Principibus gratulatur Peucerus de filio recens nato & dimiſſionem petit, ſed nihil impetrat.

Prædicabat tum fama alios etiam interceſſores, qui ferebantur diſertè hoc inculcaſſe Electori, Cur perſequeretur Peucerum, *quem præſciviſſet in hac fuiſſe ſententia, & in ea confirmatum eſſe à* Melanthone? *Sed aliud nihil ſequebatur ad hæc omnia, quàm novis rumoribus quòd monebatur* Peucerus *ab inſidiis ut ſibi caveret. Strui enim ſibi majores nunc multò quàm antea. Non movetur tamen his ſermonibus, ſed cùm Illuſtriſſimam Dominam felici partu Principem filium enixam eſſe comperiſſet, ſcribit ad Principem utrumque literas ſupplices, & gratulatione inſerta de filio nuper nato, oſtendit, Deo in teſtem vocato, in utroque ſumma ſe fide cura & ſtudio elaboraſſe, tam ut Deo tribueret, quæ Dei ſunt, quàm ut ſatisfaceret omni officioſiſſimæ ſubjectionis genere Principibus ipſis. Eam ob cauſam curæ ſibi fuiſſe, ut in articulo controverſo de Cœna Domini cognoſceret veritatem quam etiam Dei beneficio, & admonitione ſoceri ſui conſecutus ſit: Hujus etiam illuſtrandæ & propagandæ cauſa feciſſe ſe, quod per vocationem conceſſum fuerit, metas autem ſe egreſſum non eſſe. Nec quæſiviſſe aut ſpectaſſe ſe aliud quàm ut luceret in iſtis terris lux veritatis. Propterea cùm cauſa pertineat ad Dei gloriam & ſalutem conſcientiarum, ſitque in articulo controverſo, petere ſe vera ſubjectione animi, ne ſe diutius retineant alligatum ad hunc locum, ſed dimittant, ut aliis in locis Deo ſerviat in honeſta vocatione aliqua. His literis in aulam perlatis per conjugem Peuceri, & generum eius* Hieronymum Schallerum *Medicinæ Doctorem, Domina ſuas acceperat & legerat, ac mox Domino etiam legendas miſerat, quibus perlectis offenſus ille protinus, alteras ad ſe miſſas repulit, & remitti juſſit eo, unde allatæ fuerant. Hunc habuit eventum gratulatio eius, exacerbatus*

acriùs Principum animis, à quibus ſe nunquam impetraturum eſſe liberationem, ſermones domeſticorum prohibebant.

Migratio D. Peuceri ex arce Rochliana in Cicenſem.

Etſi autem Principibus ad Comitia Ratiſponenſia anno 1575. profectis ſpem conceperat optimam, futurum, ut vel interceſſione aliorum mitigati, vel aliis occupati cogitationibus miteſcerent, fefellit tamen eum hæc ſpes penitùs. Cùm enim in arcem Rochlicianam collocare filiam Illuſtriſſ. Principis Mauritii Electoris conſtituiſſent, Peucerum inde media hyeme, ſummo eius & familiæ cum incommodo tranſtulerunt in arcem Cicenſem, Præfecto eius loci & Quæſtori mandatis præſcriptis ſeveriſſimis, ne ex arce in oppidum pedem moveret, neve quenquam ad eum peregrinum admitteret, quod vocabulum Niemand frembdes, Germanico Idiomate ambiguum ita accipi poterat, ut præcideretur aditus ad eum omnibus aliis, præter eius domeſticos, atque hoc modo, ut penitus in carcerem includeretur, excluſus ab omni conſuetudine hominum. Rogabat Præfectum & Quæſtorem ut mitigationem interceſſione ſua aliquam ſibi impetrarent, vel duabus ſaltem his in rebus, ne ſibi eriperetur facultas adeundi templa publica ſacrarum concionum & ſacramentorum cauſa, & benefaciendi aliis arte medica.

Migratio Peuceri ex carcere Cicenſi in Rochlicenſem.

Retulerunt hoc reſponſum ſcripto ad Principes Præfectus & Quæſtor: ſed id conſecutum eſt, ut cùm Electoris Mauritii filia in arcem Rochlicenſem migrare recuſaret, mutata priore ſententia, Peucerus revocatus ex arce Cicenſi, traderetur rurſus in manus & poteſtatem cuſtodis prioris jubereturque Rochlicium cum ſua familia & ſupellectile regredi in priorem carcerem, ſed novo mandato: in quo poteſtas quidem ei fiebat conciones ſacras audiendi, cætera tamen ſine ulla mitigatione ita repetebantur, ut extra conciones ſacras ab oppido prorſus, & ab omni congreſſu cum peregrinis abſtinere juberetur. Ita cum pridie Natalis Domini anno 1575. Rochlicio profectus eſſet Ciciam, ſummo cum diſcrimine vitæ, inter extrema tumefactarum ex liquefactis nivibus aquarum pericula, Calend. Martis anni ſequentis non minore cum diſcrimine, Cicio Rochlicium ad priſtinos, ſed inclementiores & duriores carceres reverſus eſt.

Peuceri ſupplices literæ ad Electorem.

Miſerat tamen ante migrationem Cicenſem literas ad Principes ſupplices, quibus deprecabatur hanc mutationem, ſeque in ſuas ædes collocari petebat, cùm propter difficultates alias multas, tum etiam propter ſumptuum magnitudinem quos ſuſtinere diutiùs non poſſet.

Cauſa inclementiæ Principum erga Peucerum.

Cauſam huic inclementiæ non amplius prætendi conſpirationes & practicas cum Sacramentariis initas, ſed odium doctrinæ veræ de Perſona Filii Dei, & vera eius præſentia in Cœna ſacra poſtea certò cognovit. Nimirum, quod in ſententia Principibus exoſa & diſplicente pertinaciter ac perfractè perſeveret, idque non tam veritatis ſtudio faciat, quàm ambitione, ne ceſſiſſe eis videatur. Deinde, quòd profiteri ad Rauſcherum Conſulem Lipſenſem auſus fuerit, ſe Principibus ſi eum audiant, evidenter hæc tria demonſtraturum eſſe: Primò Veritatem doctrinæ ſuæ ex ſcriptis Apoſtolicis & teſtimoniis purioris Eccleſiæ, cum hiſtoria certaminum & mutationum, quæ inciderint in his articulis duobus per annos mille quingentos. Secundo, veram hiſtoriam, cauſas, occaſiones, circumſtantias & motorum & renovatorum certaminum, quæ Luthero interceſſerunt cum antagoniſtis, & quibus de cauſis Lutherus regredi nec potuerit citra jacturam exiſtimationis ſuæ, nec etiam voluerit. Tertiò, quàm gravibus de cauſis, & quomodo à Luthero Melanthon diſceſſerit, & inter utrumque quæ intervenerint.

Arctioris cuſtodiæ Peuceri prætexus.

Novæ autem exacerbationi & arctiori cuſtodiæ prætexi has cauſas comperit: Quòd ſuſpicio ſit, ipſum & literis & ſermonibus queri ad exteros de injuriis, quibus ſit affectus, & Patronos ſeu interceſſores quærere ſummos Ordines. Ne quid igitur tale fiat amplius providendum eſſe. Certum autem eſt, præcipuos amicos Peuceri patrocinium eius ſponte ſuſcepiſſe & in aula Cæſaris, & alibi. Sed unam ex verioribus coarctatæ cuſtodiæ cauſis credidit fratri Peuceri, aulæ Concionator D. Mirus: Nimirum inſidias ei ſtrui, ut cùm non habeant adverſarii quod ſævitiæ ſuæ prætendant, arripiant aliquam inſidioſè, ſi mandati ſeveriſſimi limites vel leviſſimè excedat aut violet. Idem D. Mirus Principem accuſantem Peucerum de ſcriptis literis, monuit, ne propterea ei iraſcatur. Neminem enim reperiri captivum, qui non optet liber eſſe: & venia eum maiore dignum eſſe, ſi honeſto modo per interceſſiones ſummorum Ordinum liberationem quærat. Accedant his aliæ etiam duæ cauſæ. Vna, ut ipſum minis, terroribus, diuturnis carceribus, ſolitudine carceris longa excruciatum, adigant eò, ut veritatis doctrinam, eiuſque confeſſionem abjiciat tandem & abjuret, aliorumque exemplo deprecetur culpam apud Principes nunquam admiſſam. Altera, quò Adverſarii eius ipſum extinctum cuperent. Sed violentiam experiri, prætextu ſpecioſo deſtituti, verebantur, ne ſævitiæ iniuſtæ jam antè conceptam in animis hominum ſuſpicionem confirmarent.

Peuceri adverſarii per fratrem eius à veritatis confeſſione avocare conantur.

Id ſatis oſtenderunt ſermones, quod habuerunt cum fratre Peuceri M. Georgio Ioh. Ieniſius Secretarius, iſtorum conſiliorum architectus & plures alii ex Conſiliariis & miniſtris aulæ. Dederat fratri ſuo conſolatorias literas, quas ſcripſerat ad Principes, perferendas aulam. Is profectus Annæburgum, cùm impetraſſet à Secretario, ut ſe exhibiturum eas promitteret, poſt aliquot dies revocatus, hoc reſponſum accepit. Dedit ille primùm ei legendam narrationem ſcri-

Promiſſa non ſervantur Peucero. Hoſtilia omnia denunciantur orthodoxæ doctrinæ.

Atrocia quidem ſunt hæc, ſed atrociora multò ſequuntur. Eò enim magnitudine odii impellebantur æmuli, ut abrogatâ hac primâ ſententiâ, quid mitior videretur, protinus apertè hoſtilia omnia orthodoxæ ſententiæ in controverſis articulis denunciarent, nec ſe acquieturos, niſi excisâ eâ ac deletâ penitùs, nec toleraturos ſe quenquam in ſua ditione profiterentur, huic addictum, & odium illius ſe declaraturos publico nonnullorum ſupplicio, etiamſi in ſuis territoriis nullum doctum virum retinerent. Ideoque in omnium ore verſabantur ibi ſermones: Optimum & maximè è re Peuceri & aliorum nonnullorum fore, ſi moriantur quam primùm, ut hoc modo liberentur ab odio Principum & inprimis æmulorum implacabili. Id verum fuiſſe, imò creviſſe indies magis magiſque odium, publicè poſtea & illuſtribus documentis conſpectum eſt. Nam & in plures alios ſeſe effudit ex optimis & fidiſſimis Conſiliariis. Cumque Dreſdam veniſſet hoſpes Maximilianus Imperator oſtentatum eſt monumento publico ſtatuæ, Herculeæ molis, & magnitudinis ſtupendæ, in qua vario genere igneorum tormentorum, ex pulvere bombardico artificioſè inſtructa, bellum apertè denunciabatur veritati, hac Gigantea quidem, ſed ad poeſin & Grammaticam malè congruente inſcriptione: Ut Lernæam hydream Hercules, numeroſum licet monſtrum, igne tamen vicit, ac mori docuit: Sic Auguſtus Dux Saxoniæ Elector, Heros inclytus, ſectam Calviniſticam latenter in has terras irreptam, ac fraudulenter nutritam, Deo adjuvante, & ſupprimet & vincet. Hæc ſtatua inter tres præcipua, flammam incenſa evomuit quidem ſurſum in cælum, ſed non eo impetu, eaque vehementia, quæ fuit expectata, imò levi paucoque fragore commota, tandem in ſeſe conflagravit, non ſine omine.

Theologorum quorundam cruentū conſilium de Peucero. Paulus Crellius quis & qualis.

Vix igitur Dreſdæ dimiſſo Peucero, adhibentur in conſilium Theologi orthodoxorum inimici crudeliſſimi, & homines indocti, Greſſerus Dreſdenſis, Heidenrichius Torgenſis, Eberhardus Miſnenſis, & Paulus Crellius; cui venalia erant omnia, lingua, manus, calami anima ipſa, qui pecuniæ cauſa inflectere dogmata ad cujuſque cupiditates nunquam veritus eſt, quique in hac cauſa contra conſcientiam egit omnia, uſitato ſuæ ſophiſticæ præſidio. Hi dant aliud conſilium, ut priora decreta retractentur & aboleantur, & conſcribatur formula certorum articulorum, ad quam accipiendam adigantur Theologi Vuitebergenſes: Peucerus autem, Cracovius & alii quidam ex ſyngrapha ſua peragantur rei ſeditioſarum molitionum. & afficiantur ſupplicio capitis. Articuli ſunt illi Torgenſes à Paulo Crellio ſcripti, & Quindecim viris tunc Torgæ congregatis, approbati. ut ſupra indicatum eſt.

Conventus alius Torgæ indicitur, in quo apparuit, in quem finem priora omnia cum Peucero acta ſint.

Non itaque multo poſt actionem Dreſdenſem indicitur Conventus in urbem Torgenſem ad diem 24. Maii anno 1574. ut conſultationes inſtituantur non ſolum de dogmate Calviniano radicitus exſtirpando ſed etiam de capitibus Peuceri & ſociorum. Ad hoc judicium deliguntur certi ex ordine Equeſtri, & ex urbibus ad has quæ parabantur inſidias maximè idonei. In hoc Conventu demùm apparuit: quo conſilio & in quem finem Peucero & Theologis Vuitebergenſibus ereptæ & extortæ fuerint literæ, cum obligatione Confeſſionis, & impoſitum ſub juramento ſilentium, ne liceat contradicere.

Accuſatio capitalis Peuceri, Cracovii, &c. inſtituitur.

Mox ab initio ut conveniunt Ordines, inſtituitur atrox & capitalis accuſatio D. Cracovii Cancellarii, D. Stœſelii, M. Chriſtiani & D. Peuceri, de religione nova per practicas & conſpirationes introducta, & de accenſis diſſidiis quæ, niſi reprimantur, in ſeditiones & bella civilia Gallicis & Belgicis ſimilia ſint exitura. Proferuntur ipſis extortæ obligationes, quibus factum id eſſe à ſeſe confeſſi ſint. Adduntur literæ, & inter alias Peuceri ad M. Chriſtianum, aulæ concionatorem, quæ tamen Peucero nunquam propoſitæ fuerunt. In iis erant hæc præcipua, ut poſtea vidit: Quòd commendaverit aulæ Catecheſin Vuitebergenſem: Quòd ſcripſerit, Theologos Vuitebergenſes priùs diſceſſuros ex Academia, quàm abjecturos Corpus doctrinæ Philippi: Quòd eius ſe Eccleſiæ civem non futurum eſſe profeſſus ſit Peucerus, quæ contrarium doceat & ſentiat illi doctrinæ de Filio Dei, quam ex tota antiquitate reperat liber Theologorum Vuitebergenſium, qui inſcribitur [illegible]: Quòd veritatem oppreſſam in Gallia & Belgio ſperârit triumphaturam eſſe in iſtis terris: Quòd contemptim Greſſerum concionatorem Dreſdenſem & Selneccerum imperitos doctrinæ, nec ullum articulum veræ religionis intelligere, multò minùs defendere poſſe ſcripſerit. Quo Principem γυναικοκρατίας accuſarit. Hoc poſtremum plus Peucero nocuit, quàm quicquam aliorum. Malevolis enim ad acuendam in eum indignationem occaſio ſumma inde data eſt. Intercluduntur itinera, acceſſus, hoſpitia ipſis, eoſque adire volentibus: prohibetur ne admittantur ſuſpecti, aut qui mandatis ab eis inſtructis veniant. Ne quid literarum inferatur ab ipſis, quod faciat ad excuſationem eorum. Sparguntur rumores à nonnullis, qui actioni interfuerunt, eos grandi pecuniâ Palatinenſi conductos, propagare dogma ſacramentarium, commovere iſtas regiones ad ſeditiones, & bella inteſtina voluiſſe. Condemnantur atrocibus multis ſententiis, tanquam proditores & ſeditioſi, qui attrahere bella Electori exemplo religioſæ pacis legibus, & turbare

Nota capitalia ſcelera Peuceri.

bare

bare ocium & tranquillitatem iſtarum regionum voluerint. Fiunt multa ad exaggerandam atrocitatem præter hoc.

Decretũ Torgenſis Conventus de Peucero & aliis.

Iubentur deſignati judices pronunciare de capitibus ipſorum. Iſti, etſi confeſſionibus auditis, quas extortas ipſi eſſe ignorabant, non inſontes eos eſſe pronunciant: Concludunt tamen ſatis pœnæ jam eos ſuſtinuiſſe, pro hoc delicto, nec ſe eam poſſe exaſperare. De Peucero *pronunciārunt, ut ſicut obligatus ſit, ita relinquatur loco ſuo, ut ſerviat Academiæ, medicinam docendo ſanandoque, & exponendo hiſtorias. Hæc ſententia quod mitior viſa eſſet, parum grata fuit: Nam capitalis ſententia expectabatur. Sibi tamen ſe reſervare Princeps reſpondet, ut de ipſis ſuo ſtatuat arbitrio.*

Ita prima Dreſdenſi actione Peucerus incarceratus; poſt accuſatus, nullius criminis convictus, ſed condemnatus tamen, & à condemnatione reſtitutus, Torgæ ob crimen nunquam commiſſum ſed remiſſum tamen, de novo accuſatur ſed atrocius, & capitaliter quidem, ex fundamento extortæ ſibi confeſſionis, & litteris privatis, quas nunquam viderat: ibidemque condemnatur ad priorem pœnam, non iterum auditus, imo coactus carcere, ut ſe ſuo ſilentio condemnet.

Rumores & triumphi de oppreſſis Sacramentariis.

Acta ſunt hæc Torgæ Anno 1574. ſub Maii menſis finem, & Iunii initium. Poſt hunc Conventum pervulgatur & litteris & fama hominum, quanta ſapientiâ & vigilantiâ pervestigata & detecta, quanta item felicitate repreſſa ſit conſpiratio quorundam, qui ſacramentarium dogma diſſeminare clam & occulte conati ſint: Canuntur ἐπινίκια, aguntur triumphi: Iſtis verò miſeris ne hiſcere quidem contra licebat; ſed ad omnia mutire cogebantur, tanquam rei omnium iſtorum, quæ jactabantur.

Quæ vero in hoc Conventu ſuſcepta ſint alia adverſus Theologos Vuitebergenſes, quomodo hi auditi, areſto recenti, Lipſiam adducti & carceres conjecti ſint, ſupra indicavimus.

Mutatur ſententia de Peuceri pœna & locum exilio ſibi ipſe deligere jubetur.

Eo autem die, quo Theologis ex carcere liberatis Vuitebergam erat redeundum, jubetur Peucerus *novo mandato Torgam redire, contra priorem ſententiam utramque, Dreſdenſem privatam, quàm coram audierat, & Torgenſem publicam, à qua abfuit, & ſe ſiſtere Conſiliariis ſi ab iis vocaretur. Erat is dies 16. Iulii, quo ſub noctem paulo ante Solis occaſum urbe egreſſus, & tota nocte vectus manè poſtridie circiter quintam matutinam Torgam ingrediebatur, & mox ſub octavam ſe adveniſſe Conſiliariis ſignificabat. Sequenti die 18. accerſitur ad Conſiliarios, qui mandata Electoris illi exponentes.*, Conſtitutum eſſe, *inquiunt*, Principi certis de cauſis, ipſum ex Academia Vuitebergenſi amovere, & transferre aliò, & permitti ei, ut urbem, quam velit in ditione ſuæ Celſitudinis, exilio deligat; Se de Friberga cogitaſſe, & ut deliberet, permittunt. *Reſpondet, Se in gratiam Principis hactenus pleraque feciſſe, & nunc etiam obtemperaturum, nec ſi refragetur, id ſibi profuturum eſſe. De loco ſe acquieſcere, ſed petere tamen, ut liberaliter in hac ſenectute ſua alatur, & ut poteſt is ſibi fiat artem medicam libere exercendi. Promittunt operam ſuam Conſiliarii, atque his dimittunt eum: Sed ad dies adhuc aliquot ſubſiſtere ipſum jubent, donec ſcripta mandata conſignantur.*

Peucerus interrogatur de practicis cum Palatinenſibus factis.

Interea novis incitationibus iterum exacerbantur Principes, eamque ob cauſam poſt dies non ita multos mutantur omnia. Revocatur enim Peucerus ad Conſiliarios poſtridiè Calend. Auguſti. Inſtituitur examen novum & inquiſitio nova. Ex Conſiliariis aderant Iohannes Bernſtenius, Damianus à Sibottendorf, D. Laurentius Lindemannus, D. David Pfeifferus*: his erat adjunctus* Iohannes Ienitius *Secretarius, præ omnibus Principibus gratiſſimus. Hic* Lindemannus *iterum exorſus obteſtatur & propemodum adjurat* Peucerum*, ut pro fide, pro religione jurisjurandi, pro conſcientia ſua, etſi quid amplius, apertè & ingenuè profiteatur, quantum ſciat de conſpirationibus & practicis ſacramentarii negotii factis, maximè cum Palatinenſibus, & nominatim cum D. Ehemio. Ne quid occultet iterum monet & obteſtare, &, ſi verum fateatur, profuturum id ſibi plurimùm affirmat ad recuperandam gratiam Principum, qua exciderit. Reſpondet Peucerus*, Qua me religione interrogatis, eadem reſpondebo, & ita reſpondebo, ac ſi ſtarem ante tribunal Filii Dei, & me hoc ibidem excuſandæ meæ innocentiæ cauſa repetiturum eſſe ſcitote. Nullorum prorſus conſpirationum aut practicarum conſcius ſum quod & antea confirmavi, multò minus aliquid ſcio de Palatinenſibus, nec quas velitis practicas intelligo. Conſtat vobis omnibus, quod aliena à mea vocatione negotia ſedulò ſemper caverim & fugerim, nec ullis me unquam ingeſſerim: quoties in aula fui. Imò id dedi operam unicè, ut non culpa tantùm in hac parte, ſed & ſuſpicione carerem: Cumque nunquam fuerim hactenus accuſatus, mirari ſatis non poſſum, cur in ſuſpicionem conſpirationum & practicarum nunc trahar. Non me obſecro exiſtimate tam puériliter ſtolidum aut incogitantem eſſe, ut quid me docuerit, aut quid cum periculo conjunctum ſit, non intellexerim aut conſiderarim. Non ſcripſi ad Electorem Palatinum, niſi unam Epiſtolam, quando miſi ſuæ Celſitudini partem ſcriptorum ſoceri mei

Peuceri reſponſio.

ſponte faciat, futurum, ut torturæ quæſtionibus exprimatur: *Alterum*, quibus cùm ex Theologis & Conſiliariis in aula inſerit & communicârit conſilia deque controverſo articulo Cœnæ Dom. ſermones habuerit, & quos ex illis ſciat ſuæ ſententiæ addictos eſſe *Tertium*, quo modo fidem probare Principi Electori poſſit ſuam, cùm ab eo in hoc capite religionis diſſenſerit?

Peucerus cupit ſibi explicari de quibus inſimuletur conſpirationibus.

Ad primum caput priuſquam reſponderet, petebat nominatim & diſertè explicari, de quibus inſimuletur conſpirationibus & practicis. Faciliorem enim exactioremque ſibi reſponſionem fore. Objectas ſibi eſſe antea conſpirationes cum Theologis deinde cum Palatinenſibus factas de quibus ſeipſum ſatis expurgarit. Rauſcherus *contrà, nondum ſatisfactum eſſe Principi Electori, ſed nulla ſe tamen habere mandata ajebat, ut ſpeciatim quidquam definiat, ſed juſſum eſſe quærere generatim.* At, *inquit Peucerus*, de qua re accuſabo meipſum, nullius delicti mihi conſcius? Et quæ eſt tibi Prætori & Conſuli tot annorum in urbe Lipſenſi iſta ratio vel inſimulationis vel examinis? cogere minis & terrore quæſtionum, nullius reum culpæ ac ne ſuſpicionum quidem, ut ſe ſponte reum faciat. Ut tamen ab omni conſpirationum & practicarum culpa, etiam conſcientiam meam liberam ſciatis & immunem, reſpondeo, Si quid à me tentatum eſt unquam, ſi unquam ulla animum meum ſubiit cogitatio quidquam quoquo modo moliendi inſidiosè, faſtidiosè ac per practicas adverſus Principem Electorem, precor: ut me Deus juſtus & judex & vindex hoc ipſo momento fulmine feriat, & præcipitet in inia terræ barathra, ad æternos ignes & cruciatus, & abijciat me à facie ſua in æternum *Conſternatus hac execratione, cui erat mox aliam ſummiſſurus, contra auctores ipſos, ut in eos Deus retorqueat à quibus proficiſcebantur*, Rauſcherus *interrumpit verba eius, & ſibi ſatisfactum eſſe affirmat. Deſcendens autem ad ſpeciem, oſtendit* Peucerus *quanto ſtudio coluerit Principes omni tempore, quàm ſubjectiſſimorum officiorum genere declarare eis fidem ſuam obſervantiamque conatus ſit, quantis ſemper laudibus extulerit ac celebrarit eos, & prædicarit eximia iſtarum terrarum ornamenta, ab ipſorum benignitate profecta; quàm dederit operam, ut multæ Eccleſiæ Saxonicis conciliarentur & conjungerentur.*

Peuceri execratio

Peuceri ſtudium erga Principes.

Peucerus interrogatur quibuscū contulerit de S. Cœna Peuceri reſponſio.

Hanc reſponſionem eius, cum in pugillares conſignaſſet Rauſcherus paucis ſummatim, proferebat quæſtionem alteram, Quibus cum contulerit Peucerus de ſua ſententia in hac controverſia de Cœna Domini, præſertim ex Theologis in aula, & Conſiliariis Principis Electoris, & an eodem modo de ea doceant Calviniani? *Reſpondeat*, Non horum ſcripta ſe legiſſe, nec ſe ſententiam ſuam hauſiſſe ex libris illorum; ſed eius ſe authorem habere ſanctæ memoriæ ſocerum ſuum *Philippum Melanthonem. Interfatur Rauſcherus, Conſtare tamen, eum cum Dom. Cancellario* Kiſſuvettero *&* D. Zeſhio *ex Conſiliariis, ſæpè de hoc dogmate collocutum eſſe, qui illorum ſcripta accuratè & multùm legerint.*

Rauſcherii inſtantia.

Peuceri reſponſio.

Minimè inficio id *inquit Peucerus*, ſed diſertè dico, quibus illi formulis verborum hoc dogma explicent, & in quem modum de eo diſſerant, mihi non conſtare, quod libros non legerim, ſed doctrinam ſenſu & veritate eandem eſſe, me minimè dubitare, quòd de vino & vero, nihil dici poſſit niſi unum & verum. Fieri tamen poſſe, ut alius alio idem aut felicius, aut integrius, aut clarius exponat. Non ſe igitur dogma hoc petiviſſe ex Calvinianorum, ut vocantur, Scholis, in quibus non fuerit; ſed in Vuitebergenſi id Schola didiciſſe, præceptore & magiſtro ſocero ſuo, ut multi alii. Conjunctionem tamen, neceſſitudinem & familiaritatem domeſticam & quotidiam feciſſe, ut frequentiùs ſecum privatim, & apertius ille ſit de eo collocutus: Ac profuſiſſimis lacrymis cum apud ſe non ſemel deploraſſe, quòd Lutheri authoritate, & adverſantium tabie impediatur, ne, dum in hac hæreret ſtatione penè vincto ſimilis, ex profeſſo audeat ſententiam ſuam edere, etſi ſparſim ſatis ſeſe ſcriptis ſuis declararit: Denique proximo ante mortem die, illum ſe in hac vera ſententia confirmaſſe voce ſua. *Addebat & hoc* Peucerus *ſe de indicatione Philippi inquiſiviſſe mediocri cura & diligentia teſtimonia antiquitatis: imò perveſtigaſſe, quæ fuerit per annos mille quingentos doctrina in Eccleſia de hoc articulo. Caviſſe autem ſe magno ſtudio, ne unquam aut uſpiam inchoaret diſputationes aut ſermones de illa controverſia: provocatum autem vel incitatum ſe liberrimè expoſuiſſe, quid ſentiat, & veritatis oſtendiſſe fontes: Cùm enim indicarit & ſecum conſtituerit, hanc eſſe veritatem, interrogatum, ſe teſtimonio veritati deeſſe non debuiſſe. Sæpè ſe recordari ſermonum, qui* Doctori Mordiſio, *& ſocero ſuo interceſſerint Lipſiæ in ædibus* Lotheri *Conſulis. Cum quæreret enim Mordiſius, cur de hac controverſia non ex profeſſo, ut de ceteris, ſuam explicaret ſententiam, reſpondiſſe* Faciam hoc, ſed dimittite me ex his terris. *Cumque inſtitiſſet* Mordiſius, *cur idem non facis nobiſcum?* Non, *inquit*, tibi ignotum eſt, quæ & quanta obſtent impedimenta. Sed dimittite me obſecro.

Philippus an ſententiā ſuam de Cœna publicè non confeſſus ſit.

Ad hæc Conſul Rauſcherus: At tacuit tamen ſocer tuus. Reſpondebat Peucerus: Ex profeſſo non tractavit hanc quæſtionem ſic, tanquam Lutheri propriam & Lutheri mentem: ſed tanquam unam & communem Luthero cum Pontificiis: adverſus illos voce & ſcriptis ſuis ſemper urſit ſeriò, & in publica doctrina nihil quod eſſet neceſſarium cognoſcendæ veritati prætermiſit, tantumque ſcriptis intexuit ſuis, multis in locis & conſiliis, quæ dedit Principibus, ut in qua fuerit ſententia neminem latere poſſit. Hanc ergo cauſam eſſe, quod interrogatus non ſiluerit, quia ſtatuat in controverſo articulo hanc eſſe veritatem, ideoque ubicunque confeſſione fuerit opus, nec diſſimulare quidquam, nec teſtimonio ſuo confirmare vera in ſententia alios deſtiterit. Nec inficiari ſe, quòd cum D. Kiſſuvettero, D. Zeſchio, D. Gleiſſentalero, & D.Cracovio *de ſua ſententia diſſeruerit, ut cum aliis, quoties de ea mentio inciderit. Sed meminiſſe ſe ſermonum omnium non poſſe, nec perſonarum, quibus cum colloquia habuerit, præſertim cùm penè annos quatuor ab aula abfuerit. Sed rogare ſe, ut cæteros conſiliarios nominet: ignorare enim ſe, qui poſt mutationem hanc inter conſiliarios locum ſuum obtinuerint.*

Peucerus etiamſuā ſententiā de Cœna confeſſus eſt, & cū quibus cōtulerit.

Profert ergo Rauſcherus *Conſiliarios aliquot ac primò, nobilem virum* D. Ioannem Bernſtenium. *Cum hoc ait Peucerus, ſe locutum non eſſe hac de re, quantum quidem recordetur. Secundò nominatur* Abrahamus à Bok *aulæ Mareſchallus. Ne cum hoc quidem, inquit, niſi fortè in arce Stolpenſi, quando ei ſcriptum Theologorum,* Die Grundfeſt *tradidi & commendavi Adfuiſſe tunc &* Lindemannum, *ſed ſe apud hunc nunquam hujus controverſiæ meminiſſe, niſi obiter eo ipſo tempore.*

Tum Rauſcherus: *Lindemannus in alia ſemper fuit ſententia. Moxque in Architamiæ mentionem delatus: Hunc, inquit, de re tota tu erudiſti. Non, inquit Peucerus, hoc ab illo vel poſtulatum, vel à me factum eſſe recordor. At ipſe affirmat, inquit Conſul. Si affirmat, dico, fortaſſe ipſe reminiſcitur, ego planè non recordor. Idcirco non inficior, & quam cauſam haberem inficiationis? Hoc memini, in ædibus eius ſæpè convivio exceptos fuiſſe ex Conſiliariis aliquot, me quoque adhibito, ubi inter alios ſermones, quandoque & hujus controverſiæ incidit mentio: ſed non poſſum reputans mecum omnia, ullum ejuſmodi revocare Colloquium in quo ſtatum cauſæ ipſi expoſuerim. Sic tamen aſſeverat, ſe à me edoctum fuiſſe, poſſe Principem quærere ex eo, quæ ſint illa, quæ didicerit ex me.*

Ab Architamia revertitur Rauſcherus *ad* Cracovium, *qui ſit confeſſus à me ſe & Peucero* M. Ambroſium, *aulæ Concionatorem, in quodam colloquio privato Stolpenæ ante bellum Gothanum, graviter eſſe tentatum & oppugnatum, & hunc domum reverſum cum conjuge eà veſpera graviter de ipſis eſſe conqueſtum. Reſpondet Peucerus, quæ Cracovius de habito Colloquio cum M. Ambroſio retulerit, ſibi non conſtare. Se nullius recordari.: Sed hoc memini, inquit, M. Ambroſium, cui non fuit ignotum, in qua ſim ſententia mecum pactum eſſe, quod non velit de hac controverſia mecum vel conferre quid, vel cōtendere ſed ſuam ipſe retinere ſententiam, & mihi relinquere meā: mecum tamen veterem amicitiā colere*

Neque accuſari ſe poſſe, quod ſicubi vindicarit veritatem voce ac ſcriptis, propterea aliquid factioſe fecerit aut mollitus ſit in Principem. Diſtincta enim eſſe, quæ Dei ſunt, & quæ Magiſtratus. Præterea meminiſſe omnes, quomodo in aula ſit verſatus: nec ſe dubitare ſibi innocentiæ ſuæ tributuros omnes teſtimonium, ſi interrogentur.

Progreditur ulterius Rauſcherus, *&* Cracovium *in quæſtione confeſſum eſſe ait, quòd ſemel in ipſius prædio convenerint, ipſe* Cracovius, D. Stoeſelius & Peucerus. *Reſpondet, meminiſſe ſe optimè congreſſus illius: Invitatum ſe namque à Cracovio, Dreſdæ excurriſſe ad viſendum prædium, quod nuper emerat, adducto ſecum* Ioanne Hermanno *medico. Cum veniſſent ad prandium exceptos ſe eſſe, ut in hoſpitio novo,* Stoeſelium *ipſis ignaris vocatum à Cracovio adveniſſe ſeriùs & adduxiſſe ſecum Rectorem Scholæ Pirnenſis, eodemque propemodum momento adfuiſſe* Camerarium *aulæ cum familia ſua. In Cœna nullos fuiſſe ſermones, niſi ludicros, ut inter pocula. Poſtridie ſe ſummo manè nemine ſalutato, ne quidem hoſpite ipſo, abiiſſe. Tantum ſe ſcire de illo congreſſu, nec aliud quicquam. Sed hujus articuli & controverſiæ mentionem, quod, ſciat, non eſſe factam.*

An Peucerus Theologos Vuiteb. in ſententia ſua de Cœna animarit.

Pergit Rauſcherus, *&* Cracovium *etiam confeſſum eſſe ait, quod Vuitebergæ Theologos ad ſe accerſitos, juſſerit forti animo perſequi editæ ſententiæ defenſionem. Et ipſum quidem* Peucerum *tunc non adfuiſſe, ſed alioquin Theologos inſtigaſſe ad conſtantiam, ſpe factâ patrocinij aulici ab illis, qui eidem ſint religioni addicti: idque de ipſo enunciaſſe* D. Crucigerum *multis verbis: eundem omnem culpam editarum ſcriptionum illi tribuiſſe. Reſpondet, Non poſſe* Cracovium *dicere, Theologos quomodo ipſe animarint, cum non audierit: ſed Crucigerum affirmare, quod præſidii & patrocinii aulici ſpe eos incitarit, id ſe vehementer mirari, cum meminerit ſe in ore has voces ſemper habuiſſe;* Ne quid ullius humani præſidii, fiduciâ, ſed ſpe auxilii divini ſuſcipiant & faciant: Non ſe in homine confidere, ſed in Deo, quem ſciat teſtimonium daturum eſſe ſuæ veritati. *Nec ſe inficiari, quod ſuaſerit in libro* Die Grundfeſt *ut integrè*

doctrinam illam de duabus naturis in Chriſto, & de unione hypoſtatica explicarent, quod ſummus ſit articulus, & fidei Chriſtianæ fundamentum: liberrimè ſe fateri in hoc ſe eos animaſſe, non ſpe aut fiducia aulici præſidii ſed veritatis. Nec ſi nominaret eos, quos idem ſentire exiſtimet, propterea auxilium ab his aut patrocinium vel promiſiſſe, vel etiam promittere ſe potuiſſe. Liberrimè fateri, ſe Principi Electori authorem fuiſſe & hortatorem, librum hunc ut perlegat, idque ſe etiam obtinuiſſe. Et Electorem, quod nôrit, eundem probaſſe, neque id negaturum eſſe. Et ut ſummatim complectatur omnia, quæcunque in hac cauſa fecerit, feciſſe ſe hoc conſilio, quod certò ſtatuerit, hanc eſſe veritatem: neutiquam vero ut adverſaretur Principi, de quo nunquam ſibi venerit ulla in animum cogitatio. Omnibus etiam hoc ac publicè notum eſſe, quod ad nullos Conventus Theologicos, nullas etiam conſultationes Theologorum publicas unquam acceſſerit. Rogatum autem de aliqua controverſiarum parte, quod ſibi videatur veriſſimum authoritate ſacræ Scripturæ, & probatorum Patrum oſtendiſſe. Edita ab eis, ſi fuerint conſentanea veritati, ſe probaſſe: ſi diſſona, non aſſenſum eſſe: nec quicquam tamen turbaſſe. Cumque à Crucigero hæc profecta aſſerat, petere ſe ut ambo coram audiantur.

Peuceri ſententia de Cœna an nova ſit.

Ad hæc Rauſcherus, Novum tamen, inquit, hoc dogma eſſe, & aliud ab illo quod ſonuit huc uſque in his Eccleſiis per annos quadraginta. Mihi verò, inquit Peucerus, *novum non eſt nec aliis plurimis, qui ſcimus, quod ſonuerit hoc genus doctrinæ in noſtra Academia, qui Philippum Melanthonem audivimus. Imò me certum eſſe, vere doctos in Germania viros, qui vero ſtudio indagarunt & eruerunt antiquitatem omnes in hac eſſe ſententia, ut de aliis regnis non dicam.*

Si inquit Rauſcherus, *didicerunt doctrinam hanc à Philippo, & ſciverunt eſſe veritatem Theologi veſtri, certè parum conſtanter in ea perſtiterunt. Non ſcire ſe, inquit* Peucerus *quid fecerint Theologi, & ſe ipſis excuſanda relinquere, quæ eis objiciantur. Hoc ſcire ſe de Crucigero & Mollero præſertim, quod Philippum Præceptorem in hac doctrina habuerint.*

Peucerus an Electori fidē non præſtiterit, quòd diſſenſerit ab eo in doctrina de Cœna.

Hoc altero articulo expedito, venit ad tertium. Hunc tertium, inquit, Princeps Elector urget maximè, tanquam caput. Quòd cum diſſenſeris ab eo in hoc articulo, ſincerè affectus erga eum, & fidelis ei eſſe non potueris. Reſpondet, mirari ſe unde Principi hæc naſcatur ſuſpicio: Miniſtrum fidem præſtare non poſſe ſuo Principi, qui Deo ſit fidelis: aut eum, qui in religione diſſentiat à Principe, propterea violare aut fallere fidem in negotiis aliis fidei ſuæ commiſſis. Se longè diverſum & rectè ſentire, Non poſſe Principi fidum eſſe miniſtrum qui ad ipſius libitum, & in gratiam ipſius diſcedat à veritate & Deum deſerat. Nec compertus eſt, inquit, Elector quidquam ullo tempore, in quo accuſari aut deſiderari fides mea poſſit.

Peucerus an deceperit Electoris conjugē.

Subjiciens Rauſcherus, *Illuſtriſſima Domina, inquit, à nullo hominum ſe queritur ita deceptam eſſe ſicut à te. Reſpondet* Peucerus, *Non ſcire ſe, de qua re deceptionem intelligat. Si de religione, oportere ſe hoc Deo commendare. Se injuriam ſibi fieri. Meminiſſe enim Illuſtriſſimam, quæ coram aliquando dixerit ipſi, quæ ad ipſam ſcripſerit recens admodum ante hos motus, de Chriſto vero Deo & homine, itemque de præſentia Chriſti in ſacra Cœna: & audiviſſe eam illa ipſa verba, quæ dixerit ad Principem Electorem: Non fore ſe civem Eccleſiæ diverſum credentis ab ea doctrina quæ expoſita ſit in libro cujus titulus eſt* Die Grundfeſt.

Multos à Dominis ſuis in religione diſſentientes tamen officia ſua fideliter curaſſe.

Poſt hæc addit quædam ad tertiam accuſationem: Multos eſſe & fuiſſe Principum miniſtros, qui toto cœlo à Dominis in religiones diſſentientes, ſuæ vocationis officia & opera procurarint fideliſſimè. Exemplo eſſe Doctorem Cratonem *medicum, Ferdinandi & Maximiliani Imp. Tum* Rauſcherus *inquit, Principes ſunt diſſimiles: Unus tolerare, quod alter nequit: Sed hæc non tam ad te, quàm ad Conſiliarios ſpectant, quorum cauſa hos inſtituitur examen: cùm tu nec Conſiliarii, nec Theologi munus habueris. His ſubjicit* Peucerus, *Cur me ergo non multò antè, & quidem miſſionem petentem Principes cum bona gratia dimiſerũt, non ignorari quid ſenſerim? Cur nunc in me ſæviunt præter meum meritum tantopere? Reſpondet: ille Aliud jam ſæculum eſt, aliaque offeruntur neceſſitates & cauſæ. Peucerus contrà, Ad hoc me igitur ſervâſtis, ut nunc cruciaretis? Si diſſentientem ab ipſis ferre non potuerunt, cur me in aulam præter meam voluntatem attraxerunt? Cur me ſuſpectum non protinus ex Academia vel ejecerunt, vel dimiſerunt? Meminerunt Principes quid objectum ſit mihi ab ipſis, & quid reſponderim. Meminerunt etiam, permulgatum de me fuiſſe rumorem ante multos annos, etiam in ipſa aula, quid ſenſerim, & incitatas contra me fuiſſe aulas Saxonicas à Theologis, à quibus unus* Iacobus Smidlinus *ſuaſerit Reginæ Daniæ, matri Illuſtriſſimæ Dominæ noſtræ, & Duciſſæ Megapolenſi, me ut removeri ex aula maturè curet priuſquam Electorem etiam veneno meæ opinionis infictam. Tentaſſe id Reginam vehementibus literis multi norunt: de quibus cùm admonitus compellaſſem Principes petita dimiſſione quòd proſpiciam, quo tandem illa ſint evaſura, reſponderunt Principes:* Ne quid metuam, ſed ut in mea ſtatione permanens, agam idem quod antea, nec quid diffidam ipſis.

Peucerus dimiſsionem petiit ab Electore.

Principes Peucerum dimittere noluerunt.

 Cum

Cùm ergo conſtiterit ipſis, cujus fuerim ſententiæ, cur me ſolicitè miſſionem urgentem impetrare eam non permiſerunt? Ibi Rauſcherus rurſus, Alia nunc ſunt tempora, inquit, & alius rerum ſtatus. Mea verò, inquit Peucerus, conditio alia nunc non eſt, quam tunc erat: Idem ſum qui fui antea: neque etiam in Principes ipſos deliqui, &c. Hæc cum dixiſſet Rauſcherus abrumpens examen, ſe acquieſcere ejus reſponſis dixit, eique valedicens diſceſſit.

Paulus Papa ſubornatur ut in omnia Peuceri inquirat.

Poſt Rauſcheri abitum paucis diebus exactis, nempe 7. Martii anno 1575. ſubornatur explorator alius, Conſul Miſnenſis, Paulus Papa, Rochlicii natus, ut in omnia ejus inquirat, & ipſummet etiam pertentet, & num quid elicere poſſit aut querelarum aut aſperiorum ſermonum in Principem Electorem. Is igitur apud Peucerum de valetudine eius pauca percontatus, deferebatur in querelas de idoneorum Profeſſorum in Academiis defectu, & Davidem Chytræum accuſabat, qui & literis & muneribus tertiò invitatus, conditionem oblatam recuſarit, munera tamen acceptarit. Matthæum etiam Dreſſerum Erfordiâ vocatum ad gubernationem Illuſtris Scholæ in urbe Miſena, aſſentiri vocationi noluiſſe. Queritur quoque de laxata diſciplina, & corruptis Academiarũm & Scholarum moribus. Ad quæ cùm nihil reſponderet, privata quædam ad Doctorem Chriſtophorum Leuſchnærum Medicum Miſnenſem tum lethaliter decumbentem, pertinentia, ab eo ut præ ſe ferebat, rogatus protulit, ac mox petita dimiſſione rurſus abiit.

In Peuceri privatam confeſſionem inquiritur.

Vix duarum ſeptimanarum ſpacio ab hoc exploratore elapſo, mandata Rochlicium mittuntur, ut inquiratur à Miniſtris Eccleſiæ & Quæſtore in Peuceri privatam Confeſſionem; An fecerit palinodiam in articulo controverſo? an ad Cœnam Dom. acceſſerit? quid ſit confeſſus? quæ fuerit vita eius tempore toto deportationis? In his omnibus indiciis cùm nihil omninò reperiretur, de quo accuſari poſſet, rurſus tamen ſequutum aliud nihil eſt, quàm ut creſceret rabies inimicorum eius in aula, frementibus illis atque indignantibus, eripi ſibi prorſus conſpirationum velum. Itaque aliæ ineuntur rationes, & aliæ viæ, ut quoquo modo opprimatur, ne liberatus de veritate teſtificari poſſit.

Maximilianus Imp. pro Peucero intercedit apud Electorem Sax. ſed repulſam patitur.

Interea venit ad Principem Electorem Dreſdam Maximilianus Imp. cui innotuerat Peucerus anno 1564. de facie ex Colloquio privato Vratiſlaviæ. Is, ad preces amicorum, & inter hos D. Iohan. Cratonis Medici excellentiſſimi, & Orthoxi inprimis pro Peucero ita interceſſit, ut ſolutum areſto nexuque omni ad operas Medicas ſibi concedi petiverit. Reſponderit Elector, Se quoque carere eius opera non poſſe. Cur ergo, inquit Imperator captivum detines, ne cui uſui eſſe poſſit? Subdit Elector, quia volo miniſtros habere, qui in Religione idem ſentiant, profiteantur quod ego. Imperator ad hoc, Id non perficies: Nec noſtrum eſt imperare conſcientiis, aut ad fidem quenquam vi cogere. Elector cùm non reperiret, quod opponeret, promit epiſtolam D. Lazari Schuvendii unam ex iis quas ad Peucerum ab amicis ſcriptas et eripi antea juſſerat. Petit, ut legat, viſurum enim quæ inter ſe tractaverint, & quorſum illa ſpectent. Cùm legiſſet Imperator: Nihil, inquit, reperio quod me offendat, aut quod culpare poſſim Referuntur ea quæ gerimus. Ego agnoſco mea.

Digreſſo Electore, Imperator ad ſuos converſus, Repulſam tuli, inquit, quam non expectâram. Nec ſupereſſe Peucero aliud nihil animadverto, quàm Deo ut ſe commendet & precibus, conſtantiâ ac tolerantiâ practicet ſive exerceat, quod ex Doctrina ſacra didicit.

Principibus gratulatur Peucerus de filio recens nato & dimiſſionẽ petit ſed nihil impetrat.

Prædicabat tum fama alios etiam interceſſores, qui ferebantur diſertè hoc inculcaſſe Electori, Cur perſequeretur Peucerum, quem præſciviſſet in hac fuiſſe ſententia, & in ea confirmatum eſſe à Melanthone? Sed aliud nihil ſequebatur ad hæc omnia, quàm novis rumoribus quòd monebatur Peucerus ab inſidiis ut ſibi caveret. Strui enim ſibi majores nunc multò quàm antea. Non movetur tamen his ſermonibus, ſed cùm Illuſtriſſimam Dominam felici partu Principem filium enixam eſſe comperiſſet, ſcribit ad Principem utrumque literas ſupplices, & gratulatione inſerta de filio nuper nato, oſtendit, Deo in teſtem vocato, in utroque ſumma ſe fide cura & ſtudio elaboraſſe, tam ut Deo tribueret, quæ Dei ſunt, quàm ut ſatisfaceret omni officioſiſſimæ ſubjectionis genere Principibus ipſis. Eam ob cauſam curæ ſibi fuiſſe, ut in articulo controverſo de Cœna Domini cognoſceret veritatem quam etiam Dei beneficio, & admonitione ſoceri ſui conſecutus ſit: Hujus etiam illuſtrandæ & propagandæ cauſa feciſſe ſe, quod per vocationem conceſſum fuerit, metas autem ſe egreſſum non eſſe. Nec quæſiviſſe aut ſpectaſſe ſe aliud quàm ut luceret in iſtis terris lux veritatis. Propterea cùm cauſa pertineat ad Dei gloriam & ſalutem conſcientiarum, ſitque in articulo controverſo, petere ſe vera ſubjectione animi, ne ſe diutius retineant alligatum ad hunc locum, ſed dimittant, ut aliis in locis Deo ſerviat in honeſtæ vocatione aliqua. His literis in aulam perlatis per conjugem Peuceri, & generum eius Hieronymum Schallerum Medicinæ Doctorem, Domina ſuas acceperat & legerat, ac mox Domino etiam legendas miſerat, quibus perlectis offenſus ille protinus, alteras ad ſe miſſas repulit, & remitti juſſit eò, unde allatæ fuerant. Hunc habuit eventum gratulatio eius, exacerbatis

acriùs

acriùs Principum animis, à quibus ſe nunquam impetraturum eſſe liberationem, ſermones domeſticorum prohibebant.

Migratio D. Peuceri ex arce Rochliana in Cicenſem.

Etſi autem Principibus ad Comitia Ratiſponenſia anno 1575. *profectus ſpem conceperat optimam, futurum, ut vel interceſſione aliorum mitigati, vel aliis occupati cogitationibus miteſcerent, fefellit tamen eum hæc ſpes penitùs. Cùm enim in arcem Rochlicianam collocare filiam Illuſtriſſ. Principis* Mauritii *Electoris conſtituiſſent, Peucerum inde media hyeme, ſummo eius & familiæ cum incommodo tranſtulerunt in arcem Cicenſem, Præfecto eius loci & Quæſtori mandatis præſcriptis ſeveriſſimis, ne ex arce in oppidum pedem moveret, neve quenquam ad eum peregrinum admitteret, quod vocabulum* Niemand frembdes, *Germanico Idiomate ambiguum ita accipi poterat, ut præcideretur aditus ad eum omnibus aliis, præter eius domeſticos, atque hoc modo, ut penitus in carcerem includeretur, excluſus ab omni conſuetudine hominum. Rogabat Præfectum & Quæſtorem ut mitigationem interceſſione ſua aliquam ſibi impetrarent, vel duabus ſaltem his in rebus, ne ſibi eriperetur facultas adeundi templa publica ſacrarum concionum & ſacramentorum cauſa, & benefaciendi aliis arte medica.*

Migratio Peuceri ex carcere Cicenſi in Rochlicenſem.

Retulerunt hoc reſponſum ſcripto ad Principes Præfectus & Quæſtor: ſed id conſecutum eſt, ut cùm Electoris Mauritii *filia in arcem Rochlicenſem migrare recuſaret, mutata priore ſententia.* Peucerus *revocatus ex arce Cicenſi, traderetur rurſus in manus & poteſtatem cuſtodis prioris jubereturque Rochlicium cum ſua familia & ſuppellectile regredi in priorem carcerem, ſed novo mandato: in quo poteſtas quidem ei fiebat conciones ſacras audiendi, cætera tamen ſine ulla mitigatione ita repetebantur, ut extra conciones ſacras ab oppido prorſus, & ab omni congreſſu cum peregrinis abſtinere juberetur. Ita cum pridie Natalis Domini anno* 1575. *Rochlicio profectus eſſet Cicicum, ſummo cum diſcrimine vitæ, inter extrema tumefactarum ex liquefactis nivibus aquarum pericula, Calend. Martis anni ſequentis non minore cum diſcrimine, Cicio Rochlicium ad priſtinos, ſed inclementiores & duriores carceres reverſus eſt.*

Peuceri ſupplices literæ ad Electorem.

Miſerat tamen ante migrationem Cicenſem literas ad Principes ſupplices, quibus deprecabatur hanc mutationem, ſeque in ſuas ædes collocari petebat, cùm propter difficultates alias multas, tum etiam propter ſumptuum magnitudinem quos ſuſtinere diutiùs non poſſet.

Cauſa inclementiæ Principum erga Peucerum.

Cauſam huic inclementiæ non amplius prætendi conſpirationes & practicas cum Sacramentariis initas, ſed odium doctrinæ veræ de Perſona Filii Dei, & vera eius præſentia in Cœna ſacra poſtea certò cognovit. Nimirum, quod in ſententia Principibus exoſa & diſplicente pertinaciter ac perfractè perſeveret, idque non tam veritatis ſtudio faciat, quàm ambitione, ne ceſſiſſe eis videatur. Deinde, quòd profiteri ad Rauſcherum *Conſulem Lipſenſem auſus fuerit, ſe Principibus ſi eum audiant, evidenter hæc tria demonſtraturum eſſe:* Primò *Veritatem doctrinæ ſuæ ex ſcriptis Apoſtolicis & teſtimoniis purioris Eccleſiæ, cum hiſtoria certaminum & mutationum, quæ inciderint in his articulis duobus per annos mille quingentos.* Secundò, *veram hiſtoriam, cauſas, occaſiones, circumſtantias & motorum & renovatorum certaminum, quæ* Luthero *interceſſerunt cum antagoniſtis, & quibus de cauſis* Lutherus *regredi nec potuerit citra jacturam exiſtimationis ſuæ, nec etiam voluerit.* Tertiò, *quàm gravibus de cauſis, & quomodo à* Luthero Melanthon *diſceſſerit, & inter utrumque quæ intervenerint.*

Arctioris cuſtodiæ Peuceri prætextus.

Novæ autem exacerbationi & arctiori cuſtodiæ prætexi has cauſas comperit: Quòd ſuſpicio ſit, ipſum & literis & ſermonibus queri ad exteros de injuriis, quibus ſit affectus, & Patronos ſeu interceſſores quærere ſummos Ordines. Ne quid igitur tale fiat amplius providendum eſſe. Certum autem eſt, præcipuos amicos Peuceri *patrocinium eius ſponte ſuſcepiſſe & in aula Cæſaris, & alibi. Sed unam ex verioribus coarctatæ cuſtodiæ cauſis credidit fratri* Peuceri, *aulæ Concionator* D. Mirus: *Nimirum inſidias ei ſtrui, ut cùm non habeant adverſarii quod ſævitiæ ſuæ prætendant: arripiant aliquam inſidioſè, ſi mandati ſeveriſſimi limites vel leviſſimè excedat aut violet. Idem* D. Mirus *Principem accuſantem* Peucerum *de ſcriptis literis, monuit, ne propterea ei iraſcatur. Neminem enim reperiri captivum, qui non optet liber eſſe: & venia eum maiore dignum eſſe, ſi honeſto modo per interceſſiones ſummorum Ordinum liberationem quærat. Accedant his aliæ etiam duæ cauſæ. Una, ut ipſum minis, terroribus, diuturnis carceribus, ſolitudine carceris longa excruciatum, adigant eò, ut veritatis doctrinam, eiuſque confeſſionem abjiciat tandem & abjuret, aliorumque exemplo deprecetur culpam apud Principes nunquam admiſſam. Altera, quò Adverſarii eius ipſum extinctum cuperent. Sed violentiam experiri, prætextu ſpecioſo deſtituti, verebantur, ne ſævitiæ injuſtæ jam antè conceptam in animis hominum ſuſpicionem confirmarent.*

Peuceri adverſarii per fratrem eius de veritatis confeſſione avocare conantur.

Id ſatis oſtenderunt ſermones, quod habuerunt cum fratre Peuceri M. Georgio Ioh. Ieniſius *Secretarius, iſtorum conſiliorum architectus & plures alii ex Conſiliariis & miniſtris aulæ. Dederat fratri ſuo conſolatorias literas, quas ſcripſerat ad Principes, perferendas aulam. Is profectus Annaburgum, cùm impetraſſet à Secretario, ut ſe exhibiturum eas promitteret, poſt aliquot dies revocatus, hoc reſponſum accepit. Dedit ille primùm ei legendam narrationem ſcriptam*

ptam de D. Stoeſſelii tentationibus, qui quartanâ febre correptus, conflictatus cum diuturnâ mæſtitia, inciderit tandem in deſperationem, quod admiſerit peccatum in ſpiritum S. propter quod ſit rejectus à Deo & condemnatus in æternum. Sed quo genere facti deliquerit, aliter non explicavit, quàm quod toto tempore ſui areſti, nec Sacras conciones audiverit, nec uſus ſit Sacramento Cœnæ, ne crearet periculum, vel ſibi majus, vel Paſtori ejus loci novum. Hoc exemplum juſſit Secretarius fratrem fratri inculcare. Similes enim exitus eſſe omnium, qui hac ſint opinione contaminati. Se ei cupere optimè, nec ſeſe operâ ſuâ, neque etiam alios defuturos liberationi ejus, ſi abjecto errore redeat ad ſanam mentem, & cum Principibus ſe conjungat in ea ſententia, quam ipſi profitentur. Id niſi faciat, fruſtra ſe ſperare liberationem. Lutherum & Philippum non caruiſſe judicio, qui ſi erraverint, ut multos ſeduxerint neceſſe eſſe. Conſtitutum itaque eſſe Principibus, nullum ex his qui areſto & carceribus detinentur, dimittere, ſi in hoc errore permaneant. Pro D. Mollero *plurimos interceſſiſſe Principes, Holſatios inprimis, & Doctorem ipſum ſimulare morbum: ſed nihil effectum eſſe hactenus. Cur pergat tam pertinaciter adverſando Principibus anteferre falſam opinionem jacturæ omnium rerum ſuarum, &c.*

Brambachius defectionem Peucero à veritate ſuadet.

A Secretario digreſſus frater Peuceri incidit in Brambachium *Medicinæ D. qui de eo percontatus, ſimulatâ mirificâ commiſeratione ejus, Suadere ſe, inquit, ut maturè ſuis rebus conſulat, emendatione concepti erroris. Id niſi faciat, ſubiturum ipſum graviora & atrociora paulo pòſt, peracto Liechtenbergenſi Conventu, cujus decreta velit Elector acerrimè exſequi. Nec aliam reſtare viam ad ea pericula effugienda, niſi ut agnitum errorem revocet. Neque id ipſi fore dedecori aut detrimento, cùm idem plurimi alii fecerint: atque his eum dimiſit.*

Peucerus jubetur culpam deprecari etiam ſi nullius ſibi conſcius ſit. Nota.

Reverſus Torgam frater Peuceri, *& de his rebus cum multis aliis præcipui nominis collocutus, reperit omnes conſentire in idem, &* Doctorem Peucerum *rogare ac hortari, ut citra moram omnem, non tantum abjiciat errorem protinus; ſed quod in eodem caſu alii etiam multi magni nominis in aula viri fecerint,* ſupplex ſe ad pedes Principum abjiciat: fateatur ſe ſuo merito punitum eſſe, culpam, etſi nullius delicti ſibi adverſus eos conſcius ſit, deprecetur, ſeque obliget juramento, quod oblivione perpetuâ obruere omnia, & toto tempore vitæ ſuæ contra eos mali nihil moliri, ac ne cogitare quidem velit. Non aliter enim liberationem eum conſecuturum eſſe, niſi omnia hoc modo faciat. Nec velle Principes ſubtilitates ullas in ſuis Scholis & Eccleſiis tolerare. *Hæc ita frater ad fratrem optimâ fide ſingulorum vocibus annotatis, perſcripſit, ut vehementer eum hortaretur & obteſtaretur, ſimplici animo ac ſtudio, & ejus juvandi cupido, ut ſententiam ſcripto comprehenſam, quàm proxime ad judicia & affectus Principum componeret, citra tamen omnem conſcientiæ offenſam, & ad ſe mitteret, ſe ejus causâ facturum omnia: ſed maturato opus eſſe, ne ſeveritas Principum ipſum anteverteat.*

Peucerus innocentiæ ſuæ teſtimonio lætatur.

Narrationes has fratris cùm legiſſet, etſi vehementer dolebat propter gloriam & veritatem Filii Dei Principum animos indies magis magiſque efferari, ſuo tamen innocentiæ teſtimonio lætabatur, quòd jam alto ſilentio præteritis iis calumniis, quibus eo uſque inſidiati erant vitæ ejus æmuli per annos duos integros, nihil tamen reperirent aliud in ipſo quod deſiderarent, niſi hoc unum, quòd ſentiret de Chriſti perſona in duabus Naturis, & de præſentia ejus in Sacra Cœna, id, quod certò ſciret doctrinæ Sacræ teſtimoniis expreſſe traditum, fidei analogum, totius purioris antiquitatis, imò & Scholaſticorum confeſſione comprobatum, & innumerabilium Martyrum ſanguine obſignatum eſſe. Erroris eum accuſant, & ut eum revocet hortantur, cùm ne audiverint quidem eum unquam, multò minus convicerint. Imo cùm ne obtinere quidem potuerit ut audiretur. Sed voluerunt ut exemplo Græcorum in Demetrii hiſtoria, Id pronunciet ſanctum & juſtum eſſe, Principibus quod placeat.

Ob veritatis confeſſionem multi dignitatibus ſuis ſpoliantur.

Creſcebat interea odium, ex doctrina veritatis conceptum, adverſus totum quoque literatum ordinem, prudentibus & doctis omnibus non ſolùm in aula, ſed etiam in præcipua terrarum iſtarum urbe Lipſicâ ſenatu motis, omnique dignitate ſpoliatis.

Peucerus ſe & ſuos carceres Deo commiſit.

Etſi viro minimè dubitabat Peucerus *vera eſſe omnia, quæ ex fratre & aliis didicerat: tamen ut certius exploraret quæ ad ſe pertinebant, mittebat cum mandatis filium ſuum ad Secretarium* Ienifium, *licet hoſtem, ſuo nomine, ut de iiſdem, quæ fratri indicarat, percontaretur. Ex quo cùm audiviſſet eadem, nimirum nullam ſpem fore liberationis, niſi diſcedat à ſententia ſua conſtituit penitus ſilere deinceps, ſeque & ſuos carceres Deo uni & ſoli commendare.*

Peucero atrocia quæque denunciantur, niſi errores agnoſcat & deprecetur.

Vix à Ieniſio, *reverſo filio ſequebantur reſponſa alia atrociora per fratrem à Conſiliariis, niſi maturè aut diſcedat à ſententia, aut ſcriptâ Confeſſione affectibus Principum ſatisfaciat, & ſimul fiat ſupplex, paulò poſt redundatura in eum graviſſima. Addebantur minæ, difficile ei fore demonſtrare, ſocerum etiam in hac ſententia fuiſſe, & graviter offenſos eſſe Principes, quod teſtem eum vocaſſet Vuigandus. Proponebatur exemplum ſcripti Zanchiani, & oſtendebatur ſpes occultationis, ſi deprecaretur, cum extenuatione facti, cur non velit cedere & gratificari tantillùm Principibus, ut hoc modo ipſum pellicerent*

cerent in naſſam. Quod ergo intelligeret manifeſtius Peucerus, *quæ ex Confeſſione & deprecatione ſua quærerentur, nimirum prætextus innocentiæ ſuæ obruendæ, & occaſiones opprimendi veritatem exemplo atque operâ ſuâ, imò ad mortuum Melanthonem falſo teſtimonio ſuo in ſepulchro confodiendum, & id agi ut inuratur labes ſempiterna infamiæ nomini ſuo, cum inſanabili vulnere conſcientiæ, & atroci ſcandalo Eccleſiæ, memor primarum actionum, rurſum decrevit penitus ſilere.*

Peucerus rurſus decrevit penitus ſilere, quàm in naſſam pellici.

Fratri etiam ſuo præcepit, ne quid ampliùs ſuâ causâ laboret & tentet, oſtendiique, quam illa nullius momenti ſint, quibus ex ſuggeſtione aliquorum perſuadere ſibi conabantur ſententiæ mutationem, & apud Principes deprecationem. Inculcabat is contrà et iterum errorem dogmatis, quem ignotum ante & in his Scholis & Eccleſiis invexerint pauci, ſubtilitates magis quàm veritatem ſecuti: Principum decreta, quibus conſtitutum ſit, neminem hoc infectum dogmate tolerare: exempla aliorum qui rediiſſent in viam: ſpem recuperationis amiſſorum omnium, & reſtitutionis in locum ac ſtatum priſtinum: promiſſum occultationis, ſi revocet, ſaltem ad exemplum conciliationis Zanchianæ, ac deprecetur, ſimulque oſtendat diſplicere ſibi, quæ de Philippo Vuigandus in vulgus edidit, ne diſſidia augeantur: Reprehendebat etiam obſtinationem intempeſtivam, quâ ſibi ſuiſque noceret, conjugi inprimis ac liberis, &c.

Peucerus fratri ſuo mandat ne quid amplius ſuâ causâ laboret. Peucerus tentatur.

Ad hæc D. Peucer. *in hanc ſententiam reſpondebat paucis, ut ſe affirmaret nec conſcium ſibi eſſe ullius erroris, nec de ullo unquam convictum eſſe, ſed demonſtraturum ſe eſſe, ſi impetret ut audiatur, ſententiam in qua ſit de utroque controverſo articulo, & orthodoxæ Eccleſiæ ſententiam fuiſſe omni tempore, & analogam eſſe fidei ac doctrinæ Sacramentorum, & immotam atque æternam Dei veritatem eſſe, & ſonuiſſe in Academia Vuiteb. ſocero Magiſtro ac Præceptore inde uſque à tempore initæ cum Helvet. Concordiæ à Luther. etſi paulatim magiſque ſit illuſtrata. Neque à paucis eſſe excogitatam, vel ſparſam: ſed probari eam conſenſu maximæ partis Eccleſiarum rectè ſentientium, quæ à Romana diſceſſerunt. Hanc itaque ſe non abjecturum. Nec videre ſe, quis inde ſit fructus rediturus ad Principes, ſi abnegatâ veritate contra conſcientiam jugulet mendacio ſocerum in ſepulchro, excitet horribile ſcandalum in Eccleſia, ſauciet conſcientiam ſuam inſanabili vulnere, ex quo tandem deſertus à Deo ruat in deſperationem & exitium æternum. Si ferre velint neminem, obſecrare ſe, ut ſolutum ſe areſti nexu & carceris ſeptis, ejiciant ex iſtis terris: cum hac nota,* quod propter hoc dogma eum excluſerint. *Exemplis aliorum ſe non moveri. Et quanquam recordatio priſtini ſtatus, & ſenſus præſentium ærumnarum non leviter ipſum exerceant, præviſa hæc ſibi tamen ac præmeditata eſſe omnia. Nec ſe velle æternæ ſalutis jacturam anteferre fragilibus & caducis bonis hujus vitæ, nec liberis ſuis relinquere patrimonium deſertionis à Deo. Non dubitare ſe, conjugem & liberos Deo curæ fore. In reliquis, ut in mentione Zanchianæ conciliationis, deprecatione, promiſſo occultationis, & Vuigandiani ſcripti mentione agnoſcere ſe inſidias, quæ ſibi ſtruantur. Si judicent certamen totum, λογομαχίαν tantùm eſſe, cur ipſum igitur tam acerbè perſequantur? Occultationis blando nomine ſe non capi. Viri Chriſtiani eſſe ſtatuere Deum conſcium eſſe omnium. Nec debere ſe ſibi deprecando attrahere vel ſuſpicionem culpæ, quâ prorſus vacet, aut confirmare, quæ accuſatione injuſtâ, & ſparſis in vulgus rumoribus falſo & ſycophanticè ſibi intentata fuerint.*

Peucerus reſpondet fratri tentatori. Peuceri conſtantia ſingularis in agnita veritate.

Cumque, *inquit*, prætextus nullus reperiretur, & per ſatellitii illuſtris Præfectum ſignificaretur mihi in carcere ex ore Electoris, ne ſim ſollicitus, cauſam meam meliorem eſſe opinione meâ, & pœnitere Principem cœpti; tamen contra jus & æquum extorſerunt mihi, quanquam plurimùm repugnanti & de injuria proteſtanti, ſyngrapham, quâ ſi vellem liberari, faterer practicis & conſpirationibus, quibus in promovendo novo & peregrino dogmate uſus ſim, majora me meritum eſſe; ſed deprecationi meæ condonata eſſe omnia, quâ tamen nullâ unquam eram uſus, nec culpam unquam agnoveram, ſed à me conſtanter depuleram, nimirum ut haberent, quod oſtentarent, ſi de injuriis tantis vel ego quærerer, vel famâ percrebeſceret. Deinde quando his non contenti, ex ſyngrapha, quam præſcripſerant mihi, & ad quam deſcribendam me adegerant, actionem capitalem intenderunt mihi abſenti, ſolo falſo crimine inde aſſumpto, ſed condonatione falsâ, quâ mihi innocenti nullâ opus erat, abolitâ, & nullâ meâ culpâ condemnârunt me ad pœnam deportationis, biennioque amplius aliis adhuc longè atrocioribus injuriis priores cumularunt. Harum actionum memoria obverſatur perpetuò animo meo. His ego terreor ne iterum experiar, quo ſummo vitæ, famæ & conſcientiæ meæ cum diſcrimine ſemel perfunctus ſum. Quid exiſtimas enim, *porrò dicit ad fratrem*, facturos eos, ſi nunc deprecer innocentiâ meâ patefactâ & demonſtrata tot illuſtribus teſtimoniis, & falſis commentis ipſorum eliſis, cùm antea non deprecantem reum facere & crudeliter perimere conati ſint? Vuigandiani ſcripti mentione hoc agitur inſidioſè, ut ſi me implicent, cogant deinceps vel invitum pro mendaci & ſycophantico Crellii ſcripto contra Vuigandum dimicare. Ego verò Vuigando

gando gratias ago pro utroque,& quòd verè ſcripſit, diſſenſiſſe Philippum à Luthero in cauſa Sacræ Cœnæ, & quòd ſycophanticum Crellii mendacium redarguit, Practicis videlicet paucorum hoc dogma in Academiam Vuitebergenſem introductum eſſe. Certum enim eſt utrumque, & diſſenſiſſe Philippum à Luthero, maximis & graviſſimis de cauſis, paucis annis poſt Conventum Marpurgenſem, cùm excitatus Oecolampadii reſponſo totam antiquitatem evolviſſet & perveſtigâſſet accuratiſſimè, & Luthero tamen maximis rurſus de cauſis ſe non oppoſuiſſet, verùm horridiores ejus ſententias, ut in aliis, paulatim moderari cœpiſſe. Atque exploratum mihi eſt, Luthero & Philippo vivo utrique, quæ hac in parte interceſſerunt. Inſidias ergo cùm hæc graves & periculoſas non obſcurè præ ſe ferant, ne me his irretitum deinceps impellant & adigant ad alia atrociora, volo ego patienter ferendo vel præſentes injurias, vel graviores alias Deo adjuvante, expectare & ſuſtinere. Hæc jubebat fratrem, ſi ſit occaſio, renunciare iis, à quibus ſeu mandata ſeu reſponſa ſua acceperat.

Hiſtoria Itineris Peuceri ad Carcerem Lipſiam, & quid initio iſtius carceris actum ſit cum eo, anno 1576.

CVm itaque his omnibus apud D. Peucerum nihil prorſus proficerent æmuli, devenerunt ad extrema tandem, & quòd Peucerum naturâ carcerum ſolitudinem ac ſqualores expaveſcere non ignorarent, conſilium arripiunt de ipſo incluſo in carcerem, omnibus & ſuis, & aliis humanis auxiliis & ſolatiis penitùs ſpoliando. Id quomodo ſit perfectum, priuſquam referam, hæc præmitto.

Inquiſitio in privatam Peuceri Confeſſionem.

Ne quid intentatum aut inexploratum adverſus D. Peucerum *relinqueretur, inquiſitum etiam rurſus fuit in privatam ejus confeſſionem, quæ in iſtis terris adhuc in uſu eſt. De qua re cùm Quæſtor loci mandata ſeria accepiſſet, Paſtor Eccleſiæ* M. Paulus Pfeffingerus, *graviter Quæſtori, Diaconum percontanti de arcanis, reſtitit, & edixit Diacono, nec debere ipſum, nec fas eſſe, quidquam eorum proferre, quæ in privato & clandeſtino illo Colloquio ipſis interceſſerint.*

Peucerus cum atroci accuſatione jubetur Lipſiam deportari in carcerem.

Magnitudine iſta animi in Paſtore tertia Aula, convertit à ſe conſilium de carcere, miſſiſque mandatis imperat Quæſtori, ut D. Peucerum *currui impoſitum deducat Lipſiam, tradatque in manus præfecti præſidio arcis. Capita mandati hæc erant* : Siquidem D. Peucerus non deſinat occultè & clàm ſparſis chartis propagare virus impium & blaſphemum, quòd futurum tandem ſit fax diſſidiorum inteſtinorum, & lanienæ mutuæ in iſtis terris, afferri neceſſitatem Electori, eum collocandi loco tali, qui prohibeat id facere.

Peucerus quæritur de injuria ſibi facta.

Reſpondebat, his auditis & lectis mandatis, fieri ſibi injuriam. Nihil ſe ſparſiſſe ex iſto loco pagellarum : de dogmate autem ſe reſponſurum, ac confeſſionem ſuam verbo Dei per omnia conſentaneam editurum, ubicunque & quotieſcunque ſit opus. Ad hæc Quæſtor, Non dubito, *inquit*, hoc objici tibi nullo tuo merito : Novi mores & conſuetudinem aulæ, ſi quid haberet, quod te convinceret, adjunctura id fuiſſet. Ieniſium verò optârim & velim hæc & alia mandata moderatiùs & circumſpectiùs ſcribere. Tu, ſi fecero quod juſſus ſum, mihi ignoſces : Quæ ſit conditio, quod periculum muneris mei, non ignoras. Ego verò tibi, *inquit D. Peucerus*, nihil imputo aut tribuo, ſed ut exſequaris, quod in mandatis habes, hortor: Sequar quo me duxeris.

Peucerus Lipſiæ ad locum carceris ducitur.

Carceribus hoc modo indicatis ei Calend. Auguſti die Vinculorum Petri Apoſtoli, Anno Chriſti 1579. ante prandium, poſtridiè manè curru avehebatur, comitante eum peculiari curru à longè filio ejus Caſparo, *quem ſolum eò, uſque retinuerat ſecum, cùm cæteros liberos mater mœſtiſſima abduxiſſet ad Electoris mandatum.*

In arcem Lipſicam abductus D. Peucerus *ſtabat miſer in area ſolus, deſpectus ab omnibus, per horam amplius dimidiam, donec convenirent, qui haberent ex poteſtate jus corporis ejus. Ii erant* Nicodemus von der Lynth / *præfectus arcis & præſidii, & Quæſtor* Ioh. Limmerus. *Ab his ad locum carceris perductus, Limmero fruſtra ei inculcante exemplum aliorum, qui mutatâ ſententiâ ceſſiſſent Electori, & ipſo reſpondente, quemque oportere ſuæ fidei rationem reddere, relinquebatur in carcere, concluſus duabus januis, & ſeris aliquot, quæ reſerari niſi pluribus præſentibus non poterant. In hoc carcere, in quo reperiebat annotata nomina* D. Georgii Cracovii, D. Caſparis Crucigeri & D. Freyhubii, *aſſervabatur per menſes ampliùs duos, penè uſque ad finem Octobris.*

Carceris Peuceri deſcriptio. Colloquium Rauſcheri cum Peucero in carcere.

Illo tempore conveniebat ipſum Conſul Lipſicus Hieronymus Rauſcherus *qui educto è carcere in conclave aliud proponebat initiò recitans è ſcripto cauſas, quibus impulſus Elector Auguſtus detruſerit ipſum in hunc carcerem. Illæ erant quatuor.*

Prætextus ob quem Peucerus detruſus fuit Lipſiæ in carcerem.

Prima, *Literæ Portenſes, quibus Rectori ejus Scholæ M. Balduſio commendârat Catecheſin à Theologis Vuitebergenſibus editam & captui adoleſcentum accommodatam.* Altera, *exprobrabat ei probra in* D. Lutherum *egeſta.* Tertia, *Occultationem fraudulentam & inſidioſam ſententiæ*

tentiæ de Cœna Domini. Hæc pars accuſatio-nis acerbiſſimis conviciis à Rauſchero *exaſpe-rata erat, quibus vehementiſſime gravabatur Peucerus, his verbis;* Ewer ſchemiſch Hertz wird es euch wol erinnern / wie ſchelmiſch ihr gehandelt habet: *id eſt, Tua ipſius prava conſcientia & cor perfidum convicturum te eſt perfidiæ tuæ, quam exercuiſti hac in parte* Quarta, *obiter aſpergebat, eum conſcium eſſe conſpirationis initæ* D. Cracovii *cum* D. Cratone *Medico Cæſareo.*

Peucerus reſpondet ad cauſas carceris & capita accuſationis. *Ad has accuſationes reſpondebat paucis D. Peucerus; facto initio à proteſtatione, ne quid horum quæ dicturus ſit, accipiantur in eam partem, tanquam petat Principem ipſum Electorem, qui ſibi ſatis ſuperque ſit excuſatus. Nec cum ipſo ſe diſputaturum quæ nunc fiant: nec, ſiquid trahatur, aut detorqueatur in illum violenter, ſe de eo reſponſurum eſſe.*

1\. *De Epiſtola Portenſi & Catecheſi.* *Quantum autem ad capita accuſationis, de primo in hanc ferè ſententiam reſpondit:* Miror ego, quòd renoventur literæ Portenſes, & negotium de Catecheſi, de quibus inter Principem Electorem, & me ante triennium ita tranſactum eſt, ut in præſentia præcipuorum Conſiliariorum, quorum plerique adhuc ſunt in vivis, acquieverit, non tantùm meæ excuſationi, ſed ipſi Catecheſi, & juſſerit eam è veſtigio, ſuo cum privilegio & mandato denuò recudi. Elector etiam è veſtigio porrectâ mihi dextrâ cum priſtina & conſueta antè, auctâ etiam in præſentia, declaratione voluntatis & clementiæ ſuæ erga me perpetuæ coram, & teſtificatione deinceps in menſa per τιχσποίον ita me in gratiam recepit, ut nullam potuerim fovere in animo meo ſuſpicionem alieni aut offenſi animi. Si debeo erga nunc luere tranſacta & compoſita antea, & quidem in ea cauſa, in qua oſtendi me id ſenſiſſe, ac feciſſe, quod ſciam verum eſſe & rectum, & quod mutaturus ſim nunquam; denique in quo Elector edoctus de veritate ceſſit Theologis tunc ipſis, cum aſſeveratione, ſe in ea ſententia permanſurum: Id ergo quomodo nunc luere debeam carceribus, tibi æſtimandum relinquo, ut Conſuli urbis hujus.

2\. *De probris in Lutherum conjectis.* De probris in D. Lutherum conjectis, affirmo, Deum in teſtem invocato, fieri mihi ſummam injuriam; Conſtat ex lectionibus, ſermonibus & ſcriptionibus meis quanti Lutherum fecerim, & quæ de illo recitârim ac prædicârim, &c. Hæc ut referas Illuſtriſſimo Principi ſubjectiſſimè, obnixè precor, ut habeat quod opponat æmulis, oſoribus & calumniatoribus meis.

De occultatione ſententiæ meæ, quod objicitur mihi, id ego ſatis mirari non poſſum, nec perſuaſurus ſum mihi, ut ab Electore profectum credam. Scit enim Princeps, me nunquam diſſimulâſſe, nunquam occultâſſe, quid de hac controverſia ſentiam. 3. *De occultatione ſententiæ de Cœna Domini.* Meminit Celſitudo ipſius, quibus ex accuſatione Electoris Brandeburgici *Ioachimi* 2. me pupugerit, cùm diceret, Electorem Brandeburgicum mihi iniquiorem eſſe; meque excuſante me, quod nihil ſim tale meritus, & ſciſcitante cauſas, reſponderet; Non politicas eſſe cauſas odii, ſed exiſtere illas à religione: propter hanc illum à me alieniorem eſſe, & non ob aliam cauſam ullam. Ad quæ reſpondebam: Modo hæc ſit cauſa & non alia: Dominus Deus meus cuſtodiat me à religione quam Princeps ille tuetur ac fovet. Ad hæc tunc nullâ editâ ſignificatione ullius offenſæ, ſuaviter arriſit Elector Saxoniæ.

Meminit præterea Celſitudo ejus, quas emiſerit voces, cùm ad Clementiſſimam voluntatem ſuam, & ſingularem erga me adfectionem publicè teſtificandam, vellet eſſe conviva meus in domo mea Vuitebergæ, cum Illuſtriſſima conjuge, & comitatu aulico præcipuo; nempe, quòd aſcenſurus currum ad conſiliarios præcipuos dixerit, *Proficiſcor convivatum ad Archicalviniſtam.*

Meminit etiam Elector, cùm *Iacobus Andreæ*, turbatâ & occupatâ Saxoniâ, concitâſſet in me Gynæcea in Aulis Principum Saxoniæ, & perpuliſſet Reginam Daniæ viduam ad literas penè cruentas adverſum me ſcribendas Electori Genero, & Filiæ, conjugi illius, ut me ejicerent Aulâ & Scholâ: futurum enim, niſi id fiat, ut conſuetudine iſtâ familiariore durante, infectos veneno Calviniſtico ſeducam; egoque ea de re utrunque Principem alloquerer, quòd clementiſſimum reſponſum mihi dederint; *Ne afficerer iſtis: nec quid ſiniſtri de ipſis ſuſpicarer, ſed intra veſtigia & metas ſtationis meæ ut manens, agerem eâdem fide, diligentiâ & ſtudio quæ mei ſint muneris, quâ præſtitiſſem cuncta hactenus.* Hac reſponſione ita confirmatus fui, ut exiſtimarem nihil ſuſpicari ſiniſtri, nihil diffidere Principibus amplius me debere.

Meminit etiam Princeps Elector, quid locutus ſim cum *Iemſio* Secretario ex pagella Ienæ edita, de ſubſtantia Cœnæ Sacræ: cumque interfatus Princeps Elector diceret ad me, *Doctor Peucere, hoc tibi de meo conſilio & propoſito volo notum eſſe, me id agere, ut ſit concordia & pax in Eccleſia:* ego reſponderim, *Rectè facit Celſitudo T. quòd concordiam quærit, ſed meminerit præcepta*

cepta illa apud Prophetam ; Quærite veritatem & pacem. Veritas præcedit. Nulla futura eſt pax, nulla concordia, niſi veritas explicata aſſeratur ac vindicetur , & de hac conſtitui non poſſe , unâ parte prægravatâ ac depreſſâ , alterâ ſtabilitâ. Quâ meâ παῤῥησίᾳ etſi nonnihil offenſus Princeps diſcederet , cum quadam ſignificatione commoti animi , mox tamen reverſus , & me placidiſſimè compellans rurſus , ne quid afficerer aut turbarer, jubebat. Cùm ergo nôrit Elector hæc ſic habere ſe omnia , non poſſum ego credere , quòd ex ipſo prætextus hic inſidioſæ occultationis natus ſit: cum conſtiterit illi ſemper , in qua fuerim ſententia, & voluiſſe me id notum eſſe omnibus.

Peucerus cur Electorem non edocuerit de fundamento controverſiæ de Cana.

Si exiſtimant autem accuſatores mei , caput accuſationis hujus in hoc conſiſtere, quòd Electorem de ſtatu & fundamento hujus controverſiæ non edocuerim , ſciant illi , me hujus conſilii & facti cauſas habuiſſe graviſſimas. Elector enim antea de controverſiis præcipuis, quas Flacciani lite motâ orthodoxis Eccleſiis , agitârunt , requiſivit meam ſententiam,quam etiam mea manu deſcriptam Celſitudini ejus tradidi. Perſuaſi etiâ Celſitudini ejus,ut Librum Grundfeſt de Perſona Chriſti editum à Theologis Vuitebergenſibus accuratè perlegeret totum ; de quo ſanctè affirmo , & affirmaturus ſum coram judice Deo , quòd ſcriptum illud ita intellexerit , ita probarit per omnia , ut de ſingulis mihi judicium ſuum, quaſi ſuæ ſententiæ confeſſionem repetitam deinceps recitarit , & inter Brentiana ac Schuenckfeldiana deliria nihil intereſſe non ſemel aſſeverârit. De his ergo cùm me & voluerit & potuerit audire , expectavi etiam donec de quæſtione & controverſia Cœnæ ſciſcitaretur judicium & ſententiam meam, idque me,ut privatum, decuit. Quod ſi antevertiſſem interrogationem , inde demùm adverſarii mei ſpecioſam in caput meum nunc accuſationem exſtructuri fuiſſent;nempe,me clàm irrepere,in animum Principis,& virus hoc,ſicut nominant, inſtillare ipſi conatum eſſe,&c.

Ad hæc Rauſcherus : Ne exiſtimes quod ſe per te ſeduci paſſurus fuiſſet : Ego verò , *inquit D. Peucerus* non dico , quòd ille facturus fuiſſet ; ſed quid inde adverſarii mei ad me jugulandum producturi fuiſſent. Quid vobis optatius , quid opportunius dari poſſet tali ad homines argumento ? Ad hæc, quæro ego , quomodo iſta inter ſe congruant ? In Conventu Provinciali accuſatus ſum ego nominatim capitaliter , unà cum Theologis , ſeditioſarum molitionum,

Nota.

quòd per diſſeminata nova dogmata accendere bella civilia , & committere inter ſe Ordines harum regionum ſtuduerimus. Nunc contrarium intentatis , me ſcilicet quid ſenſerim inſidioſè & aſtutè preſſiſſe. Iſta obſecro quomodo inter ſe conſentiunt?

De conſpiratione inter ſe duorum D. 4.
Cratonis , & D. Cracovii nihil prorſus ſcio.

De conſpiratione inter Cracovium & Cratonem.

Rauſcherus contra , Cracovius de te inter tormenta quid confeſſus eſt. *D. Peucerus verò* , Si quid ille , *inquit* , adverſum me, cur ad illum vivum adhuc me non adduxiſtis ? Tu mecum eras Rochlicii. Cur inter alia , quibus tunc me vexabas, non & hujus memineras ? vix tum enim , aut nondum etiam expirârat Cracovius. Si tamen extortum illi aliquid in me eſt , cruciatuum acerbitate , quod me prægravet, affirmo coram Deo mihi factam eſſe injuriam ſummam : Quanquam quæ fuit illius integritas, non mihi perſuaſerit quis , crimen aliquod illum mihi affingere aut impingere falsò voluiſſe.

Peucerus debuit deprecari errorem Sacramentarium. Nota.

His defenſionem ſuam finiens , ſubdebat D. Peucerus : Si poſſim liberari , fiam ſupplex Principi , & deprecabor , ſi quid in eum deliqui, de quo tamen non in parte ulla vel minima mihi ſum conſcius. *Ad hoc Rauſcherus:* Non ſatis hoc eſt:ſed oportet, ut dogma de Cœna Sacra , quod amplexus & profeſſus es , palàm revoces & abjures in æternum , ac ſimul commiſſum per hoc in Principem crimen inexpiabile ut & confitearis, ac ſupplex depreceris : aliter nec reconciliari Principi , nec liberari poteris. *D. Peucerus verò* , Faciat hoc , *inquit* , deſperans de Dei miſericordia , veritate & auxilio , aut à Deo deſertus : ego tale quid non ſum facturus. Nunquam evelletis hanc ſententiam animo meo. *Rauſcherus iterum :* Si aliter non poterimus , ignito forcipe id tentabimus.

Rauſcheri mina.

Addebat amplius : Fortè te pertinacem facit Friderici Palatini Electoris fiducia : ſed hunc arundineum baculum ſcias fractum & ſublatum eſſe è vivis : & intra ſemeſtre non futurum reliquum in tota Germania Calvinici dogmatis nomen , aut ſemen. *D. Peucerus contrà inquit :* Neque in Palatino optimo Principe confiſus ſum , neque in ullo hominum ; fiducia & ſpes mea ſolus Deus. Vos verò ſi deleri Veritatem cœleſtem humanis artibus aut viribus poſſe putatis , procul erratis. *Addebat amplius :* Quæ obſecro eſt cauſa , tam acerbi adverſus me odii? quæ item tam enormis ſeveritatis ? Quia, *inquit Rauſcherus* , multa tibi credita ſunt arcana. *D. Peucerus rurſus :* Vos ergo ar-

Peucerus non fregit fidem arcani.

guite

guite & convincite me non præſtiti ſilentii mei, & quibus aperuerim, aut fidem arcani ubi fregerim. Egone ſuam culpam delicti veſtri, ſi quod eſt in commiſſione arcanorum, qui me invitum ad Aulam & arcana pertraxiſtis? Dimiſiſtis alios, dimitte & me, ut ſerviam Deo & Eccleſiæ. *Rauſcherus ad hæc*: Si viveret, *inquit*, D. Ioachimus Camerarius, eodem loco eſſet, quo tu es. *Philippi mentionem nullam faciebat. D. Peucerus ſubdebat.* Profectò præclarâ eſſetis gratiâ remuneraturi; tanto viro impenſas vobis operas tot annis ſummâ fide, ad ſenectam extremam uſque *Rauſcherus denuo*, certò hoc futurum eſſe *affirmabat.*

ô felicem Camerarium mortuum.

Sed experior, *inquit Rauſcherus*, te nullâ ratione poſſe flecti. Habeo itaque aliud mandatum: *& proferens chartam in quatuor pagellas digeſtam*, Hic, *inquit*, fertur ſententia de tuo capite. Et ne a me confictum quicquam putes, aſpice manum, quam noſti. *D. Peucerus*, Agnoſco manum, tu quid contineat recita.

Caput ſententiæ & mandati, ut referebat Rauſcherus, conſiſtebat in hoc: Si nolit D. Peucerus parendo Principi diſcedere à ſua ſententia cum palinodia, & abjuratione doctrinæ de Cœna Sacra, ut ei mortem denunciet, conceſſo octidui ſpatio ad deliberandum ſecum & ſe præparandum. Tribuere tamen velle Electorem priſtinæ erga eum affectioni, ut ſupplicii & mortis genus ipſe deligat. Adjiciebat alia multa de liberis ejus, quos ejectos nidulis avitis, exules ſit & profugos facturus, redactos ad egeſtatem extremam & mendicitatem, ac perfecturus ſit, ne uſpiam hoſpitium reperturi.

Peucero mors denunciatur ſi nolit revocare veritatem.

D. Peucerus ad hæc è veſtigio, In manibus, *inquit*, veſtris ſum, facite mecum quod Deus permiſerit. Sed hoc ſcitote, quandocunque me aut quocunque modo interfeceritis, quòd ſanguinem fundetis innocentem, qui redundabit in vos omnes miniſtros & architectos horum conſiliorum & decretorum. Quæ de me aut meis adigendis ad mendicitatem adduntur, ea ego non credo profecta eſſe ab Electore, qui me pauperem antea novit eſſe & miſerum: ſcio ego & ſapientiorem eſſe & majoris animi Electorem, quàm ut inſultet mihi. *Rauſcherus non multo interpoſito ſilentio ad hæc iterum*; Multi ſunt, *inquit*, qui afficiuntur tuâ calamitate, & conſultum tibi cuperent: fortè ſupplicium illorum interceſſione averti poterit. Sed ſequetur ex ſententia & decreto aliud fortaſſe priore durius ac triſtius: Abduceris enim hinc in arcem Hohenſtein / ubi in barathrum detruderis ſubterraneum, in quo tenebris, putredine, ſordibus ac vermibus conſumeris miſerrimè. *D. Peucerus ad hæc*: Fiat, quod Deo placuerit. Qui onus imponit mihi, vires ſufficiet ad perferendum. Nihil iſtorum à me impetrabitis, quæ flagitatis.

Peuceri reſponſio conſtans & Chriſtiano homine digna.

Hæc accuſationis adverſus Peucerum *inſtitutæ & Colloquii cum* Rauſchero *habiti* 12. *Septembris anno* 1576. *ferè ſumma eſt. Diſcedens ille, ſe perſcripturum ad Principem de his ſummatim, & pro ipſo interceſſurum pollicebatur.*

Antequam verò ad Electorem hujus Colloquii narrationem mitteret Rauſcherus, *revertebatur ad* D. Peucerum *die tertio ante noctem*; *idque ſe rogatu Theologorum facere ſimulabat, cum lachrymis, quos ſecum omnes ei optimè cupere, eumque liberatum eſſe velle oſtendebat, idque factu fore facillimum, ſi modo velit ipſe. Ad quæ D. Peucerus*, Maneo, *inquiebat*, in ſententia priore. *Sic diſcedebat iterum, repetens aliquid de veteri ipſorum amicitia.*

Scilicet.

Exactis ab hoc tempore hebdomadis vix ſeptem, redibat ad D. Peucerum Rauſcherus, & è carcere accerſitum ad ſe, mox ubi ingreſſus eſſet conclave, vultu torvo & voce minaci, nihil præfatus, ſed ex abrupto compellat ipſum, Quo nunc ſit animo? *Reſpondet D. Peucerus*, Eodem, quo ante fui. *Ad hoc mox ille*: Ad tua omnia, *inquit*, quæ nuper prætexuiſti, reſpondet tibi Elector Saxoniæ. Siquidem non velis in Doctrina Eccleſiæ te mutato, idem ſentire ac profiteri, quod ipſi cum Theologis ſuis decretum eſt ac ſtatutum, ut perſeverans obſtinatè in propoſito, pereas in æternum, & cum Diabolis omnibus ruas in pœnas æternas. *D. Peucerus ad hæc*, At ego, *inquit*, neque ſequar hanc viam, neque peribo: novi enim aliam veriorem ac certiorem, quâ me, normâ Veritatis Divinæ ductrice, Spiritus Sanctus ducet ad vitam æternam. Optârim, ſi ſupplicibus & votis meis ad Deum, & precibus ad Electorem obtineri poſſit, ſic Deus ut flectat cor Electoris, ut me de hac via differentem & confitentem audiat. Nihil, *inquit Rauſcherus*, impetrabis. Nos tamen, miſerti tui & tuorum perfecimus, ut prioribus decretis aſperioribus abrogatis, decerneretur tibi carcer mitior, perpetuus tamen, in quo conſeneſces & morieris. *D. Peucerus rurſus*: Ago Deo gratias quas debeo & poſſum ardentiſſimas pro hac mitigatione. Ago & Electori Saxoniæ & omnibus iis, qui conſilium hoc adjuverunt: fecceram, auxiliante Deo, quod me ferre voluerit. Meæ miſerrimæ conjugis & liberorum meorum impuberum miſeret me. *Rauſcherus mox interrumpens*

Colloquium aliud Rauſcheri cum Peucero in carcere.

H *ſermo-*

ſermonem. Non ſis, *inquit*, de conjuge ſollicitus, cui optimè proſpectum eſt. *Id accipiens D. Peucerus de morte ejus*, Ergo, *aiebat*, exceſſit illa è vivis: Exceſſit, *ait:* Liberis quomodo conſulatur, videbunt generi duo. *Mortua eſt autem eo ipſo momento diei* 12. *Septembris anni* 1576. *quo collocutus eſt Rauſcherus in carcere cum D. Peucero, ut paulo ante indicavimus. Ad hæc D. Peucerus cum lachrymis in has erupit voces:* ô mea pia conjunx, ô fida ſocia mearum precum. *Ille mox interloquitur:* Habuiſti omnium confeſſione & teſtimonio piam, caſtam, tuique amantiſſimam conjugem. *D. Peucerus rurſus:* Lætor de hoc teſtimonio, quod aliquid ſolatii affert meis mœroribus. At vos luctu, velut ſicâ, nullâ ipſius culpâ, nec meo merito confoſſam jugulâſtis. *Nihil ille ad hæc, ſed diſſimulatis omnibus*, intra biduum, *inquit*, in mitiorem traduceris carcerem: *Ex his dictis ab eo tunc diſcedebat.*

Peuceri uxor præ dolore moritur.

Tertio ab hoc Colloquii die, poſtridie Martini, transferebatur ex priore carcere in alium: quo facto libri ejus omnes retinebantur, cætera ſequebantur. Libri, quo conſilio retenti eſſent, cognovit receptis illis octiduo pòſt, quia in omnes pagellas inquiſitum fuit, numquid annotatum reperiretur quod ipſum prægravaret, & ablatæ pagellæ omnes erant, Libri reddebantur, qui erant Biblia ſacra, Pſalterium, Medici libri tres typis excuſi, unus manuſcriptus. Atramentum autem & charta non reddebantur ei, nec quidem ſuppliciter repetenti.

Peucerus in alium carcerem deducitur.

Carceri fornax inerat parva ferreis veſtita parietibus, in qua foculus ſtruebatur Peuceri ſumptu, hyberno tempore ſemel interdiu, duabus ante prandium horis. Erat autem aditus duabus occluſus januis, quarum altera foris tota recludebatur cùm ad ipſum accederetur: altera clauſa perpetuò, & arctiſſimè ſeris duabus anguſtam habebat feneſtellam, ſuo tamen etiam repagulo munitam, per quam apertam bis in die cibus & potus præbebatur ei.

Peuceriani carceris mitioris in arce Lipſica deſcriptio.

Quòd autem in Colloquio cum Rauſchero *feciſſet mentionem* D. Peucerus *Cœnæ Dominicæ, ipſo illam expetente, non multis inde diebus elapſis, revertitur ille ad eum, adductis ſecum* Iacobo Schmidlino & Selneccero. *Neſciebat autem quid ageretur, priuſquam* Schmidlinus, *initio facto cauſam exponeret adventûs ſui, quæ ſit, quod, cùm uti cupiat Cœnâ Sacrâ, copia illius fieri ei non poſſit, niſi cum Eccleſiis iſtarum regionum conſentiat.*

Colloquium Schmidlini cum D. Peucero in carcere Lipſiæ.

Inde exorſus examen Peuceri *inſtituebat, prolato loco Pauli ad Coloſſ.* 2. *cap.* Plenitudinem Divinitatis omnem habitare in Chriſto corporaliter: *Id interpretabatur de eſſentiali inhabitatione Divinæ Naturæ in Humana aſſumpta, & communicatione reali proprietatem divinarum, reclamante collegâ Selneccero. Inhabitationem autem illam declarabat exemplo ignis in fornace; qui quò ſit major, eò vehementius urat, & fortiùs vires exerat atque extendat longius ſuas. Sic Deitatem in Chriſti corpore viribus & efficaciâ eſſe potentiorem, quàm in Moſe, Helia, &c. Et hoc differre Chriſtum & Sanctos alios, nec ullâ re aliâ. Chriſtum verò ante incarnationem adfuiſſe generi humano inde uſque à principio pernegabat, redarguente illum Selneccero iterum.*

Peucerus examinatur à Schmidlino. Schmidlini interpretatio loci ad Coloſſ. 2.

D. Peucerus ſe nec valetudinis, quam viderent eſſe afflictam admodum, nec loci, nec conditionis ſuæ causâ ad diſputandum idoneum eſſe, inquiebat, qui à nulla re jam ſit inſtructus, & illuvie, ſordibuſque inſueti atque uliginoſi carceris, ſqualoreque valde debilitatus. Reſpondebat tamen, Nunquam Eccleſiam hoc vel ſenſiſſe vel docuiſſe: ſed inhabitationem in Chriſto intellexiſſe de Vnione hypoſtatica perſonaliter, & de inhabitatione in Chriſti Perſona, non de Natura Humana. *Aſſidens Selneccerus, aſſentiebatur huic declarationi. Addebat D. Peucerus*, Iſtam Schmidlini ſententiam eſſe blaſphemam & merè Neſtorianam: *ac ſurgens addidit*, Dominus increpet in te Sathan, & obſtruat blaſphemum os tuum, nihil mihi tecum erit negotii amplius: *Et converſus ad Rauſcherum dixit*, Reduc me oro ad locum prioris carceris mei, blaſphemias enim iſtas nec poſſum, nec volo, nec debeo audire. *Rauſcherus excandeſcens*, Iſtam, *inquit ad Peucerum*, vehementiam tu carcere duriore lues. Fiat, *inquit Peucerus*, quod Domino Deo placuerit. *Regerebat* Schmidlinus *in eum convitia, & ſe ad aliud Colloquium offerebat: Rauſcherus verò*, Non permittet hoc, *inquit*, Elector. Neque ego illud deſidero *ait* Doctor Peucerus. *Sic diſceſſerunt.*

Peucerus reſpondet Schmidlino & locum Pauli rectè explicat.

Digreſſis illis, rediit iterum ad D. Peucerum Rauſcherus, *poſt dimidium menſem, non tamen cum mandatis, nec Electoris juſſu, ſed rogatu, ut præ ſe ferebat amicorum, qui D. Peucerum hortarentur & obteſtarentur, ne pertinaciâ nimiâ Electorem gravius irritare pergat. Referebat ea cum profuſis lachrymis, utrum ex ſympathia vera, an ſimulata incertum eſt. Reſpondet ei D. Peucerus:* Nemini ceſſionem & abnegationem talem profuturam: Suam verò conſcientiam, & piorum omnium animos vulnere ſæviſſimo ſauciaturam: nec veritatem ipſam tamen menti ſuæ evulſuram eſſe. Si nihil ergo, *inquit Rauſcherus*, profecerint iſta, experiemur alia, vel etiam

Redit ad Peucerum Rauſcherus & dehortatur eum à pertinacia. Peuceri reſponſio.

etiam ignitos forcipes: Hoc tibi poſtremum ſignifico. Non ſum enim ad te reverſurus amplius. *Sic cùm diſceſſiſſet, paucis diebus poſt ſubità correptus ac proſtratus ecſtaſi, & apoplectico ſimilis animam efflavit. Ex qua cauſa, & quo fine, atque exitu, id notum eſt de ſpectro terribili in cœlo viſo ipſi, & deglutitis ab eo pillulis, &c. Vide plura in hiſtoria Peuceriana pagina* 482.

Rauſcherus apoplexia moritur.

Internuncio iſto exſtincto, & reſpiratione ac quiete aliquâ D. Peucero *conceſſâ à perpetuis minarum, dirarumque terroribus ac cruciatibus, flagitatur iterum ab eo* Contextus Chronici, *cum ſignificatione clementiſſimæ voluntatis ab Electore, ſi aſſentiatur, & opus aggrediatur. Reſpondet, ſe id non poſſe præſtare, in hac ſolitudine excluſum ab omnibus occaſionibus colloquendi, vel coràm, vel per literas, cum ſummis viris ac rerum omnium peritiſſimis, aliiſque multis & gravibus de cauſis. Hoc reſponſo oſtenſa et ſpes mitigationis rurſus præciditur omnis, & aggravantur arctati carceres novis difficultatibus, quæ tamen rurſus leniuntur ab Illuſtriſſimo Principe* Vuilhelmo Landgravio, *cum impetrato aſſenſu ab Electore miſſa* ζητήματα *ſeptem, de quibus ille requirebat* D. Peuceri *ſententiam. Suppeditabantur ei ad eas operas omnia neceſſaria, papyrus, calami & atramentum.*

Peucero ob negatam continuationem Chronici aggravantur carceres, qui tamen leniuntur interceſſione Landgravii.

Inde nactus occaſionem, cùm abſolviſſet quæ Landgravius perſcripſerat, contexebat & ſuæ Confeſſionis fundamenta, & cauſas recuſatæ pertinaciter abnegationis, contra Schmidlini *horrendas blaſphemias, atque aperta mendacia idiomate Latino & Germanico. Cumque abſumptis omnibus atramenti veſtigiis, quæ uſpiam apparebant reliqua: deeſſet ei quo hæc conſignaret & abſolveret, monſtravit ei Deus rationem & atramenti conficiendi ex cremata in cinerem cruſta panis hyberno tempore, cùm foculus strueretur conclavi calefaciendo fumoque denigratis cineribus, qui per fornacis rimas atque ex luto denigrato delabebantur; & comparandi calamos cultro qui retuſus prorſus acie, & apice carebat. Chartas ſuggerebant margines librorum quos illatos ſecum primò, poſtea ademptos reſtituerant.*

Peucerus ſcribit in carcere Confeſſionis ſuæ fundamenta & cauſas recuſatæ abnegationis.

Peucero unde atramentum, calami & chartæ in carcere ſuppeditata ſint.

Fundamenta autem Confeſſionis ſuæ duobus complexus eſt capitibus. Primum eſt, orthodoxæ Eccleſiæ perpetua & conſentiens doctrina & ſententia de Incarnatione τοῦ λόγου, *Filii Dei. Alterum, Orthodoxæ Eccleſiæ prima veriſſima & antiquiſſima ſententia, de Præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Sacra Cœna: quæ integra exſtant in Peuceriana hiſtoria à pagina* 485. *uſque ad pag.* 553.

Fundamenta Peuceri Confeſſionis de Incarnatione Chriſti & Cœna Sacra duo.

Inter cauſas autem ad Electorem Auguſtum *è carcere à* Peucero *ſcriptas, Anno* 1579. 24. *Iulii, propter quas nec debuerit nec potuerit veram doctrinam de vera Incarnatione Filii Dei, Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſeu de Vnione hypoſtatica duarum naturarum, divinæ & humanæ in Perſona Chriſti, abjicere.*

Cauſæ ob quas Peucerus agnitam veritatem abjicere noluit de Perſona Chriſti.

Prima *hæc eſt, quòd certus ſit, hanc doctrinam de hoc articulo, quam ipſe profiteatur & amplectatur, patefactam & traditam eſſe hominibus, cùm ab ipſo Filio Dei voce ipſius, tum per Prophetas & Apoſtolos.*

Secunda, *quòd certò ſciat, eandem maximis certaminibus in Eccleſia per annos amplius quingentos à furoribus & molitionibus hæreticorum vindicatam & aſſertam, unoque ore deinceps ac perpetuo conſenſu Catholicæ & orthodoxæ Eccleſiæ approbatam & conſervatam, præcipuè in Europa, Aſiaticis Eccleſiis, & Africanis, Mahometico furore oppreſſis ac deletis.*

Tertia, *quòd habeat teſtimonia illuſtria probatarum & œcumenicarum Synodorum, Nicenæ, Conſtantinopolitanarum aliquot, Epheſinæ & Chalcedonenſis adverſus Arium, Neſtorium, Eutichem, Monophyſitas, Monotheletas; & Symbolorum, quæ Eccleſiæ authoritate recepta ſunt.*

Quarta, *quòd habeat conſentientia teſtimonia omnium probatorum in Eccleſia ſcriptorum, Græcorum & Latinorum. Non veterum tantùm, ſed & recentiorum, imò ipſorum etiam Scholaſticorum & Sententiariorum in Eccleſia Romana, quæ cùm reliquos articulos omnes pertinentes ad merita & beneficia Chriſti depravet, hunc de Perſona Chriſti veri Dei & hominis, ut totum etiam de Trinitate, integrum conſervavit, & incorruptum reliquit. Nec fuit hactenus ullum reformatis Eccleſiis certamen cum Pontificiis de parte hujus articuli aliqua. Sed in omnibus Conventibus & Colloquiis de conſenſu cum ipſis in eo, teſtati ſunt expreſſe. At extant Ieſuitarum diſputationes contra Schmidlinum, quibus ex perpetua doctrina Eccleſiæ evidenter convincitur, quòd ſit Arianus, Neſtorianus, Eutychianus, Monothelita.*

Quinta, *quòd infinitorum Martyrum ſanguine hæc doctrina confirmata & obſignata ſit.*

Sexta, *quòd orthodoxa Eccleſia omnes ab hac doctrina diſſentientes, ut Neſtorianos & Eutychianos, quorum ſunt dogmata, quæ nunc repetuntur, hoſtes Filii Dei, hæreticos & idololatras declaravit.*

Septimana, *quòd expreſſis ſummorum Imperatorum decretis ac legibus, authoritate publicâ ſancita ac ſtabilita ſit doctrina hæc, qui decretum Synodi Chalcedonenſis legibus ſuis inſeruerunt.*

Octava, *quòd judicium ſuum de hac doctrina*

oſtenderit ac declarârit Deus ipſe illuſtribus teſtimoniis iræ ſuæ adverſus ipſos authores primos, ac pertinaces defenſores opinionis impiæ inter Doctores & Imperatores. Cùm enim Aſiaticæ & Africanæ Eccleſiæ non deſinerent hos condemnatos furores revocare ac propugnare, delevit illas tandem Deus armis Mahometicis, & ſimul oppreſſit gentes florentiſſimas, blaſphemo Mahometis dogmate, & triſtiſſimâ ſervitute corporum Annos jam propè mille.

Nona, *quòd inter tantas Diabolorum machinationes, inter tantas colliſiones & confuſiones Imperiorum, ac diverſiſſimarum gentium inter ſe commixtiones, non minus in Europæ provinciis, quàm in Aſia & Africa; denique inter certamina tanta, Deus veritatem & puritatem hujus articuli in Occidente manifeſto miraculo conſervavit.*

Vt Schmidlinus depravavit articulum de incarnatione Chriſti.

Contra hanc verò orthodoxam doctrinam, ac perpetuam veræ Eccleſiæ ſententiam, ſcribit D. Peucerus *ad eundem Electorem, ſe ſuis auribus in carceribus ſuis* Iacobum Schmidlinum *audiviſſe, manifeſtâ confuſione Divinæ Naturæ Chriſti aſſumentis cum donis Spiritus Sancti effuſis in Humanam Naturam aſſumptam, Vnionem hypoſtaticam per omnia ac planè cum Neſtorio definire inhabitatione efficaci Naturæ Divinæ in Humana: ac declarare eam exemplo ignis accenſi in fornace, quod, ut ignis in fornace exerit & extendit vim ſuam tantò longiùs, quantò major & ardentior ſit; ita Divinitatem ex Humana Natura Chriſti, aut per eandem exp romere & oſtendere ſeſe tantò efficacius & potentius, quantò in ea longè habitet, quàm in aliis ſanctis plenius ac perfectius. Audiviſſe ſe etiam eundem* Schmidlinum, *hunc locum Pauli:* Quòd omnis plenitudo divinitatis habitet in Chriſto corporaliter, *contra omnem & veritatem & antiquitatem interpretari, non de Vnione perſonali cum Scriptura & Eccleſia: ſed, non obſcurè* Selneccero *etiam adverſante, de inhabitatione Naturæ Divinæ eſſentiali in Humana Natura cum communicatione omnium, quæ ſunt Divinæ Naturæ, ac tali quidem, qualis eſt ignis in fornace, ſeu qualis eſt in omnibus aliis Sanctis. Nec inter has facere diſcrimen aliud, quàm gradibus plenitudinis ac perfectionis. Nec, quod præcipuum & ſummum eſt, & in quo tota vis & ratio incarnationis atque Vnionis hypoſtaticæ Chriſto propriæ, & differentia inter Chriſtum & alios Sanctos conſiſtit, facere diſcrimen in Perſona Chriſti, inter Vnionem hypoſtaticam Divinæ Naturæ aſſumentis, & Humanæ citra omnem confuſionem aſſumptæ, & inter inhabitationem Divinæ in aſſumpta Humana per Spiritum Sanctum, de quo concepta eſt: Seu inter eandem Naturam Divinam in unitate Perſonæ efficacem in Humana aſſumpta, ac Sanctificantem eam per Spiritum Sanctum, & inter ipſam Naturam ſanctificatam: Seu inter ipſam Naturam Divinam in Perſona, & dona per Spiritum Sanctum effuſa in Humanam, aſſumptam in unitatem Perſonæ. Hæc audiviſſe ſe ſcribit ad Principem* D. Peucerus *ex carcere* Schmidlinum *non modo non diſcernere, ſed confundere penitùs errore maximo, eoque prorſus hæc duo abolere:* Primum, *quòd Chriſtus ſit Naturâ & ſubſtantiâ verus Deus & verus Homo, in duabus Naturis unitis Vnione hypoſtaticâ, inſeparabiliter, indiviſè, inconfuſè, immutabiliter, quæ ſumma noſtra conſolatio eſt.* Alterum, *quòd ſicut Naturam ſuam Humanam aſſumptam ſanctificat Spiritu ſuo Sancto; ita per eundem Spiritum nos miſeros homines ſibi inſertos fide, tanquam palmites viti, ſanctificat, geſtat, vivificat, fovet. Exemplum in ſua Humana Natura nobis propoſuit ſanctificationis & vivificationis noſtræ. Hunc errorem* Schmidlini *Neſtorianum eſſe, & Mahometanam blaſphemiam, Sole meridiano clarius & evidentius eſt.*

Schmidlinus Neſtorianus & Mahometanus.

Audiviſſe ſe Schmidlinum *ſcribit* D. Peucerus *dictum Ioan.* 3. Dat ei Spiritum non ſecundum menſuram, *interpretari de immenſitate & infinitate Naturæ Humanæ per omnia cum Eutyche. Quia Humana Natura immenſitatis & infinitatis capax non eſt, niſi mutetur in Divinam. Quod intelligens Eutyches, dixit* fieri converſionem Naturæ Humanæ in Divinam, *& Schuenckfeldius*, Humanam Naturam deificari. *Id verò ſi ita eſt, aboletur Humana Natura tota; & abſorbetur in Divinam, exuta ſuis proprietatibus, nullo teſtimonio Scripturæ, nullâ noſtrâ conſolatione, nec ullâ rei veritate.*

Schmidlinus ut depravavit locum Ioan. 3.

Audiviſſe ſe etiam, ſcripſit D. Peucerus, Selneccerum *de omnibus moderatius loquentem, & non ſemel monentem* Schmidlinum, *tum in interpretatione hujus dicti,* Verbum caro factum eſt, *confundere naturas in Chriſto & earum proprietates ſeorſim & in abſtracto Naturæ Divinæ proprietates tribuendo Humanæ, quod competit tantum toti Perſonæ in concreto: nec alio id aſſerentem fundamento, quàm allegatis duobus dictis* Lutheri, *quæ tamen ne minimo quidem ei ſuffragata ſunt: nam loquitur ibi* Lutherus *de tota Perſona, nentiquam verò de Naturis in abſtracto.*

Schmidlinus ut depravet locum Ioan. 1.

Eundem ſe audiviſſe affirmat apertè, Humanam Naturam in Chriſto per ſe, & ſecundùm ſeipſam & ſeorſim adorabilem eſſe, *Epheſinâ Synodo ex Sacra Scriptura de unius & ſolius Dei adoratione contrarium teſtificante: nempe, Humanam Naturam Chriſti in Perſonæ unitate cum Divina, ut carnem propriam Filii Dei propter Vnionem hypoſtaticam participem fieri adorationis, quæ ſoli debetur Deo, & Chriſto tanquam vero Deo defertur. Per ſe*

Schmidlinus aſſeris humanam Chriſti naturam in ſe conſideratam adorabilem eſſe.

verò

verò ac ſeorſim, nec adorabilem nec coadorabilem eſſe, & idololatram eſſe, qui eam per ſe & ſeorſum adorat ac coadorat, quemadmodum oſtendunt anathematiſmi Cyrilli. Hæc ergo cùm audiverit, ſcripſit Peucerus, *& intellexerit, ea totum negotium ſeu fundamentum fidei Chriſtianæ evertere, non debere ſe ſcientem ac volentem, teſtimonio Spiritus Sancti, eſſe inter rejectos à Deo, & Eccleſiæ judicio condemnatos hæreticos, Neſtorianos, Mahometanos, Eutychianos, Schuenckfeldianos & idololatras: certiſſimum enim eſſe, hos errores tanquam hæreticos & idololatricos condemnatos eſſe in duabus Synodis œcumenicis, Epheſinâ & Chalcedonenſi. Se itaque impiè facturum eſſe, & commiſſurum peccatum in Spiritum Sanctum, ſi ſciens ac volens agnitam veritatem abjiceret & abjuraret, & huic contraria amplecteretur & approbaret: Simulque ſe obtulit & ad has cauſas, & ad confeſſionem, ſeu repetitionem potius, non tantùm confeſſionis ſuæ, ſed doctrinæ perpetuæ, quæ in Eccleſia orthodoxa ſonat, uberius declarandam.*

Cauſæ ob quas Peucerus orthodoxam ſententiã de præſentia vera corporis Chriſti in Cœna abjicere nolit.

In altero verò Articulo de vera præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Sacra Cœna, cur non poſſit, nec debeat à prima & antiquiſſima Chriſti, Pauli Apoſtoli, & orthodoxæ Eccleſiæ ſententia diſcedere, & recentes errores, poſterioris ætatis amplecti, decem graviſſimas cauſas ad Principem Electorem ſcripſit D. Peucerus ex Lipſico carcere, quarum eſt,

Prima, *quòd certus ſit, hanc doctrinam quam amplectatur, & in qua acquieſcat, eſſe doctrinam* Chriſti, Pauli Apoſtoli, *qui ſit unus & ſolus inter alios omnes, qui ſecuti ſint, interpres verborum Chriſti fide digniſſimus. Deinde, quòd idem ſenſerit tota prima & purior Eccleſia inde uſque à temporibus Chriſti & Apoſtolorum per Annos amplius ſexcentos uſque ad tempora* Gregorii M. *& ſequentia, quibus paulatim cœpta ſint quæri fundamenta ac nervi, vel prætextus potius invectæ tunc recens opinioni impiæ de oblatione pro vivis ac mortuis, quam* Gregorius *ſpectris motus confirmârit. Nec dubium eſſe ante tempora* Gregorii M. *ignotas fuiſſe Eccleſiis omnes has diſputationes, quibus quaſi tum eſt de præſentia Corporali Chriſti in ſymbolis Sacræ Cœnæ Panis & Vini. Circa ætatem verò Caroli M. Imp. Annis poſt Chriſtum octingentis, primùm has quæſtiones motas & agitatas eſſe, ut appareat ex* Damaſceno & Bertramo, *ac paulò poſt magis magiſque creviſſe authoritatem & dignitatem Miſſæ, cum opinione peculiaris cultûs & ſacrificii, quod mereatur remiſſionem peccatorum ſumenti & aliis pro quibus applicetur, donec tota in terram penitus idololatriam converſa cum horribilibus ac multiplicibus abuſibus ac tetris prophanationibus Cœnæ Sacræ fœcundiſſimo partu ac proventu ediderit innumera Monachorum agmina, qui fuerint hujus idololatriæ miniſtri, & Romani Pontificis ſatellites. In Canonico Iure recitari initio doctrinam totam de Sacra Cœna rectè & integrè & perſpicuè ex* Auguſtino, *cujus ſint de orthodoxa hac ſententia valdè illuſtria teſtimonia: Deinde ſubjungi ex diametro pugnantem cum ea doctrinam Eccleſiæ Romanæ ex fundamento Tranſſubſtantiationis, quam patroni ipſi fateantur diſſidere à Scriptura, valere tamen propter authoritatem Eccleſiæ. Quaſi poteſtatem habeat Eccleſia Rom. condendi Articulos Fidei, & mutandi aut abolendi Teſtamentum & inſtitutionem Chriſti.*

Secunda cauſa, *quòd hæc opinio de Conſubſtantiatione quam à Pontificiis quibuſdam acceptam defendant Lutherani, non modò veteri* 2.
& puriori Eccleſiæ fuerit ignotiſſima, ſed cùm nata ſit in Eccleſia Romana nondum ante ſexcentos annos, tamen ne ab ipſa quidem authoritate publicâ unquam receptam & approbatam fuiſſe. Imò Lanfrancum *& alios oppugnatores* Berengarii, *tanquam hæreticam condemnaſſe non minori verborum atrocitate, quàm* Berengarium *ipſum, quòd à verbis Chriſti diſcedat. Nec fuiſſe ab eo tempore repetitam, niſi à* Petro de Alliaco & Gerſone *circa tempus Concilii Baſilienſis ante annos nondum ducentos poſt Concilium Conſtantienſe, ſed ſine ulla approbatione. Errorem itaque vix ducentorum Annorum eſſe.*

Tertia, *quia nullum habeat teſtimonium* 3.
Scripturæ Sacræ, ſicut nec Tranſſubſtantiatio, quia nulla uſpiam fiat mentio, vel inhabitationis Chriſti in Sanctis per ſuum Corpus, vel copulationis ſeu connexûs Corporis Chriſti cum pane, vino, aut cum noſtris Corporibus phyſici, ſeu naturalis aut corporei, qualis eſt duorum Corporum, aut duarum ſubſtantiarum naturalium. Nec meminiſſe Scripturam ullo verbulo quicquam de uſu, fructu & efficacia, aut de modo & duratione illius præſentiæ & copulationis, ſed uno conſenſu ubique affirmare Filium Dei, ſe per Spiritum Sanctum habitaturum in credentibus, non Corpore: qui cùm ſit Æterna veritas, & omnia noſtræ ſalutis causâ fecerit, fuiſſet id etiam diſertè & expreſſe teſtaturus in conſolationem noſtram. Si dicatur, ex verbis inſtitutionis hoc ſequi; Reſponderi poſſe, ſequi hoc, ſi verba accipiantur eo ſenſu, quo Pontificii, & commentitia ac falſa inde exſtruatur Tranſſubſtantiatio, ſeu converſio ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti. Si alio & tropico ſenſu ad Conſubſtantiationem accommodentur, nihil minus ſequi. Et qui ſe, cùm hæc affirment, retinere verba Chriſti dicant, evidenter Chriſto, & ſibiipſi contradicere: toto enim Cœlo diſcrepare has duas propoſitiones: Hoc eſt Corpus meum: *Et,* In hoc, vel

Cum, vel Sub hoc pane eſt Corpus meum. *Idque etiam expreſſe* Lanfrancum *urgere contra anthores Conſubſtantiationis.*

4. Quarta, *quòd hæc opinio penitus evertat Articulum Fidei de vera Natura Humana aſſumpta à Filio Dei in unitatem Perſonæ, & de ejus Naturæ proprietatibus, contra totum Scripturæ conſenſum, cui articulo inſiſtit fundamentum ſalutis noſtræ. Id ne facerent Pontificii, maluerunt abſurdiſſimum commentum Tranſſubſtantiationis retinere.*

5. Quinta, *quòd confirmet & ſtabiliat nervum horribilis idololatriæ in Miſſa Pontificia, in qua panis conſecratus adoratur, ut Deus, & extra Miſſam cultum etiam & adorationem repoſiti & circumgeſtati panis, ac præter hæc multiplices alios ac tetros & horrendos abuſus conſecrati panis. Quis ſit etiam abuſus hoſtiarum conſecratarum ex hoc falſo errore, innumeris exemplis notum eſſe. Hac idololatriâ nullam fuiſſe majorem ac tetriorem his proximis ſeptingentis annis in Eccleſia Romana, cujus det & daturus ſit pœnas Occidens, ſicut Oriens luat adhuc pœnas in altero articulo. Quod ſi Occidens hanc idololatriam cumulaverit blaſphemiis Neſtorianis & Eutychianis, futurum eſſe, ut etiam cumulentur & exaſperentur pœnæ.*

6. Sexta, *quòd augeat & confirmet falſiſſimam & pertinaciſſimam perſuaſionem de opere operato, vulgi animis altè infixam, quaſi proſit hæc caremonia, vel ipsâ ſolâ ſumptione ſine ſeria pœnitentia, ſine fide, ſine ullo bono motu utentium.*

7. Septima, *quòd acuat ſævitiam hoſtium Evangelii, & rogos accendat iis, qui Idolum Romanæ Eccleſiæ in Miſſa Pontificia agnoſcere & adorare nolint.*

8. Octava, *quòd audiverit de veritate in hac controverſia judicia doctiſſimorum hominum, & inprimis* Philippi Melanchthonis, *quem ſæpenumerò & diſſerentem de ea copioſè audiverit, & ſanctè affirmantem, quòd de nullo inter omnes articulos controverſos antiquitatem tantâ curâ conſuluerit & perveſtigarit, ac de hoc ipſo: Et cum lachrymis uberrimis deplorantem, quòd impediretur ejus explicatio, odiorum & diſſidiorum magnitudine: Et repetentem graviſſimam* Granvellani *vocem, qui in Ratiſponenſi Colloquio anni* 1541. *dixerit ipſe, vel hanc ſolam controverſiam Concilio dignam eſſe: Denique beatos prædicantem, qui pro hac doctrina piè & conſtanter mortem oppeterent, quòd digna ſit Martyrii teſtimonio, eo quod oppugnet inveteratam idololatriam transferentem in panem conſecratum honorem & gloriam Filii Dei, & convertentem cultum adorationis, debitum Chriſto, ad creaturam, horribili & execrando abuſu, & commemorantem alia plura ſimilia: Imò, quem viderit in hac doctrina piè, ſanctè, placidè & conſtanter mori.*

Nona, *quòd ſciat, quomodo hæc controverſia mota & agitata, ex intervallis renovata, novis & alieniſſimis diſputationibus accumulata, & à diſſimilimis actoribus diſſimilimè tractata ſit.* 9.

Decima *cauſa, quòd non debeat, nec ſciens volenſque refragari teſtimonio Spiritus Sancti in corde ſuo, & hunc rectorem ac paracletum contumaciter excutere: Nec ſuæ defectionis exemplo author eſſe ſcandali in Eccleſia, deſtruendo id quod ædificarit: Nec contriſtare Spiritum Sanctum in infirmis,* Paulo Apoſtolo *denunciante illis, qui hoc faciunt, grave judicium: Nec condemnare tot Sanctos & innocentes viros, quorum Animæ jam ſint in benedictione: Nec ſe participem facere Sanguinis effuſi propter hanc doctrinam tot jam annis. Denique nolle ſe abjurando veritatem Deum contra ſeipſum & conſcientiam ſuam falſum teſtem invocare.* 10.

Hæc ergò cùm de utroque articulo aſſiduè obverſentur animo ſuo, quomodo agnitæ veritati adverſari & Spiritui Sancto poſſit repugnare? Ac ne quidem abjurare eam aut abnegare debere, ſi incertus adhuc eſſet ac dubitaret. Nam & hoc ſi faceret in dubiis & controverſis articulis, non rectè faceret. Iuberi enim ſe Dei voce attendere lectioni & doctrinæ, ſcrutari Scripturas, quærere veritatem, &c. Non ſe juberi, ſi hæſitet veritatis inquiſitionem abjicere, aut deſerere Confeſſionem ſuam, &c. Ad hoc verò ſcriptum reſponſum nullum accepit D. Peucerus.

Atque hæ ſunt illæ literæ, ad Principem Electorem Saxoniæ, D. Peuceri, de quibus poſtea Schmidlinus *in Herzbergenſi Colloquio Anno* 1578. *Auguſto menſe habito, palàm dicere auſus fuit,* eas ſine ſtupore & horrore legere neminem poſſe. Pag.74.

Poſt hæc Anno 1581. *Maii* 5. *de* D. Peuceri *ſepultura, ſi in carcere moreretur, in Conſiſtorio Dreſdenſi decretum ſit; Etſi aſini ſepulturâ dignus ſit, non tamen conſultum fore, ut hoc fiat, quòd adverſarii Pontificii exemplum hoc imitaturi eſſent adverſus alios rectè ſentientes.*

De Peuceri ſepultura ſi moreretur in carcere decretum.

Anno 1584. *D. Peucerus quoque ſcripſit in carcere ad hæredes ſuos Teſtamentum ſuum, diſtinctis quidem, ſed tamen per literas combinatis chartulis, in defectu plenioris chartæ; in quo mox ab initio indicat, ſuarum perſecutionum, quas ſuſtineat, & carcerum, unam hanc & ſolam eſſe cauſam, quòd Confeſſionem agnitæ veritatis in duobus articulis, de Chriſto, vero Deo & Homine, in una confuſa & inſeparabili*

Peucerus in carcere ad hæredes ſuos ſcribit Teſtamentum ejuſque ſumma.

Per-

Perſona; & de vera eius præſentia in Cœna Sacra, abijcere & abjurare nolit. Expoſuiſſe quidem ſe cauſas maximas & graviſſimas Illuſtriſſimo Principi, propter quas diſcedere ab hac Æterna & immota veritate cœleſti non poſſit, & fundamenta demonſtraſſe in utroque Articulo talia contra quæ nec inferorum portæ prævalere queant. Sed quia his contradicere ullo Scripturæ teſtimonio nequiverint, ne verbo quidem uno reſpondiſſe, ſed perrexiſſe ipſum affligere carceribus multò inclementiùs quàm antea, iis etiam mutatis, quæ in medicamentorum uſu antea ei conceſſa & libera fuerint parciùs enim illa permittenda ei eſſe, mandatum fuiſſe, & ſecutam eſſe mutationem victus, quæ multò quàm prior deterior fuerit in omnibus. Hortatur deinde eos ut Deum timeant, ſeque invicem ex animo diligant, ac mutuis officiis juvent: ſimul indicans, quòd ipſe ſe totum & animam ſuam aſſiduis precibus Deo commendet. Obteſtatur quoque eos, ut gratias agant Deo, quòd & conſervarit ipſum, & illuſtribus teſtimoniis præſentiæ ſuæ oſtenderit & declararit ei miſericordiam ſuam toto tempore carcerum eius. Ad finem hæc verba adijcit, Dixit Chytræus

Nota.

de Philippo, tollendum eum eſſe, ne impediat hoc, quod ipſi moliantur in hac ipſa cauſa: Quod in ſocero non potuerunt, hoc perficiunt in genero, &c.

Adjunxit etiam huic Teſtamento & probè communitam obſignavit Confeſſionem ſuam, de duobus controverſis Articulis Fidei Chriſtianæ: nimirum, de Chriſto Filio Dei, deque Vnione hypoſtatica duarum naturarum in eo: Et, de vera præſentia Chriſti in ſacra Cœna, Sacræ Scripturæ Symbolis, Apoſtolico, Niceno & Athanaſiano, orthodoxæ item Eccleſiæ omnium temporum conſentientem.

Hucuſque hiſtoriam de exiliis & carceribus D. Peuceri breviter quidem, ſed ferè integram deducere placuit, ne interrupta, & hinc inde quæque poſita perturbarent Lectorem. Cætera, ad hanc ipſam hiſtoriam pertinentia, nempe Iudicium D. Peuceri de libro Concordiæ, ejuſdemque ex carcere decennali diutiùs factam liberationem, ſuo quoque loco ac ordine fideliter referemus.

CAPVT IX.

Acta Liechtenbergenſis conventus, poſt Torgenſem primum habiti.

Theologi in primo Torgenſi Conventu formula ſua Schmidlino non ſatisfecerunt.

De Formula Concordiæ in primo Torgenſi Conventu ſcripta, & Theologis ad eius ſubſcriptionem minis & carceribus coactis, ſupra dictum eſt. Non tamen Quindecim viri iſti in hoc primo Conventu, cæteris, qui ei non interfuerant, præſertim Ienenſibus Theologis omnino ſatisfecerunt: Qui etſi Quindecim viris illis ſummopere gratularentur, quod in Sacramentariis damnandis tam ſtudiosè, ne dicam impotenter, incubuiſſent: tamen in eo acriter illos taxarunt & reprehenderunt, Philippo quod, primario in Germania Sacramentario, pepercißent, Corpus doctrinæ eius non damnaſſent, nec Vbiquitatem carnis Chriſti approbaſſent. Diſplicuit etiam Schmidlino, quòd Domin. Paulus Crellius, Articulorum iſtorum auctor, non Vbiquitatem, ſed unicum tantum corporalis præſentiæ fundamentum in ſolis Dominicæ Cœnæ verbis ponendum eſſe & credi debere voluiſſet: quodq; etiam in ſubſcriptione ſua confirmaſſet tum totus ille obſcurorum virorum Catalogus. Cumque paulò poſt ex Conventu quodam Magdeburgico Schmidlinus cum Selneccero rediiſſet Vuitebergam, de multis rebus audaciſſimè in quodam Convivio garriens, inter alia etiam, hos Torgenſes Articulos, eorumque auctores & approbatores palam, ut ſemi-Calvinianos, taxavit atque rejecit: Ac tandem etiam ab hac blaſphema oratione temperare ſibi non potuit, ut diceret: A morte Lutheri in Vuitebergenſi Academia & Eccleſia nunquam ſonuiſſe veram, & à Sacramentariorum & Arrianorum errore puram & ſanam doctrinam: Omnes qui Vbiquitati contradicant, Arrianiſmi & Mahometiſmi reos & ſuſpectos pronunciavit: Et cùm D. Pauli Eberi incidiſſet mentio, illum quoque teterrimum Calviniſtam fuiſſe dicit: De Philippi libris dixit, in iis, quos poſt mortem Lutheri ſcripſerit, plurima falſa eſſe, quæ in aliarum gratiam ſcripta ſint, & quæ Saxoniæ Elector ipſius opera & judicio ex Scholis & Eccleſiis ſuis exterminata velit.

Schmidlini, blaſphemia.

Schmidlini judicium de Paulo Ebero & Philippi libris.

Ad hæc Paulus Crellius, antiquâ conſuetudine Vuitebergæ, intimationem in Natali Chriſti anni 1576. publicè affixerat, in qua orthodoxam ſententiam de Vnione hypoſtatica duarum naturarum in Chriſto expoſuerunt: Ac inter alia hæc verba in ea continebantur: Dominus Chriſtus exaltatus ſupra omnes creaturas ſecundùm utranque naturam, tenet omnipotentem gubernationem unà cum Patre & Spiritu Sancto. Hac intimatione offenſus Selneccerus, re delata ad Principem Electorem perfecit ut vocaretur ad dicendam ſententiam. Vocatur ergo ad Conſiliarios Torgam & objurgatur duriter. Sed non ſatis hoc viſum eſt eſſe Princip & Selneccero, præſertim cum hujus doctrinæ fontes monſtrentur in ſcriptis Philippicis.

Crellius quoque Selneccero non ſatisfacit.

D. Andreas Freyhubius quoque Theologiæ Profeſſor publicus Lipſiæ, Flaccianorum & Vbiquiſtarum errores de exaltatione Chriſti ſecundum utranque Naturam, in explicatione

Freyhubius etiã Vbiquiſtarum errorem de exaltatione Chriſti refutat.

Torgenſibus articulis diſſidia inter Theologos non ſublata ſunt.

Pſalmi 110. *intrepido animo refutavit.*

Inculcabantur præterea Electori Saxoniæ diſſidia, quæ etiam poſt Torgenſem Conventum, eiuſque articulos reſtarent inter Theologos Eccleſiarum vicinarum, Auguſtanæ Confeſſioni addictarum, peccato, libero arbitrio, uſu legis tertio, definitione Evangelii, juſtificatione, bonis operibus, &c.

Conventus igitur Liechtenberga à Saxone indicitur

Nomina Theologorum qui Liechtenbergæ cõvenerunt

His & ſimilibus de cauſis placuit Principi Electori, ut anno ſexto ſupra ſeptuageſimum decima quarta die Februarii in arcem Liechtenbergenſem, *ad Albim quatuor ſupra Vuitebergam miliaribus, convocentur certi Theologi, quos alienos eſſe à veriore ſententia conſtabat. Eorum nomina hæc ſunt:* D. Henricus Salmuth Lipſenſis Superintendens, D. Paulus Crellius Profeſſor Vuitebergenſis, D. Vuolffangus Harderus Paſtor Lipſenſis, D. Maximilianus Morlinus Coburgenſis Superintendens, Daniel Greſſerus Dreſdenſis Superintendens, D. Martinus Mirus & M. Georgius Lyſtenius aulici Concionatores, M. Nicolaus Iagenteufelius Miſnenſis Superintendens, M. Ioannes Cornicælius Haienenſis Eccleſiæ Superintendens, M. Ioannes Sagittarius Annæbergenſis Superintendens, M. Petrus Glaſerus Dreſdenſis Eccleſiaſtes & D. Nicolaus Selneccerus. *Hi etiam Synodo Torgenſi interfuerant, & Articulos illos Torgenſes ad opprimendos orthodoxos condiderant.*

Acta Liechtenbergenſis Conventus.

Paulus Crellius Palinodiã canit.

In hoc Conciliabulo primò *duriſſimè conviciis & contumeliis multis & gravibus accepti ſunt quidam ex Theologis iſtis, & accuſati, quod colluderent cum Sacramentariis, & defeciſſent à doctrina Lutheri. Imprimis* Paulus Crellius *ab his judicibus inclementiſſimè tractatur, ad abnegationem veritatis adigitur, & præſcriptam Palinodiæ formam amplectitur. Quæſitum enim eſt ex illo, quid cauſæ novam locutionem in intimatione dicta ei extorſiſſet? reſpondit ille, erratum typographicum commiſſum eſſe omiſſo commate. Sic enim legendum eſſe,* Dominus Chriſtus exaltatus ſupra omnes Creaturas, ſecundùm utranque naturam tenet omnipotentem gubernationem: & has particulas (*ſecundùm utranque naturam*) non ad vocem exaltationis, ſed gubernationis referendas eſſe. *Quæſitum præterea ex eodem eſt, num Vuitebergæ doceretur*, Chriſtum exaltatum eſſe ſecundùm utranque Naturam? *Item,* Chriſtum exaltatum eſſe ſecundum Divinam Naturam? *Ille ſtrenuè negavit ita doceri ſed adſirmavit ſanctè, exaltationem Perſonalem ſecundum Humanam tantùm Naturam intelligi.*

2. agitur Liechtenb. de cõſenſu inter Theologos

Secundò, *actum eſt in hoc Liechtenbergenſi Conventu de Conſenſu inter Auguſtanæ Confeſſionis Theologos ineundo: ſimulque ſignificatum eſt, Calvinianos Theologos ad hoc conſilium nequaquam adhibendos eſſe, nec de Concordia cum ipſis ineunda quicquam agi poſſe, videlicet, ut abſentes neque auditi neque convicti novis decretis faciliùs condemnari poſſint. In reſponſione autem Theologorum ad hæc, tria media, quibus ad aliquam concordiam perveniri denuò poſſe cenſeret, propoſuerunt: quorum* Primum *fuit, ut omnes privatæ velitationes, contentiones, criminationes & injuriæ perſonales cùm in ſcriptis publicis, tum alias paſſim, planè oblivioni traderentur, ſepelirentur & annihilarentur, abolita vindictæ privatæ cupiditate, & conſtituta Chriſtiana* ἀμνηςία *privatarum injuriarum.* Secundùm *medium fuit, ut Corpus doctrinæ Saxonicæ & omnia Philippi ſcripta exterminarentur, & ipſorum loco Lutheri ſubſtituerentur, atque ita, ut quicquid controverſum eſſet ex his decideretur. Nam quòd ſcriptorum Propheticorum & Apoſtolicorum, & ex his exſtructorum trium ſymbolorum mentionem inculcarunt, hoc tantum dicis cauſa fecerunt: revera autem, ut Lutheri ſcripta, non ſine contumelia Numinis Divini, Sacris literis exæquarent, & quoties luberet, iiſdem præferrent.*

Auguſtanæ Confeſſionis. Selnec. in Recitat. pag. 41. 42.

Media conſenſus triamonſtrans.

Et autem Theologi iſti Concordiam inter Auguſtanæ Confeſſionis ſocios ineundam prætenderint in hoc Conventu, tamen ex clauſula hujus ſecundi medii liquidò apparet, eos præcipuè ad opprimendos, quos vocant, Calviniſtas, tum conveniſſe, cui rei jam dudum additum paraverat. Schmidlinus. *Sic enim aiunt:* Reſtare jam aliquid aliud difficilius, & querelis ac lachrymis dignum, de quo ſine gemitibus & ingenti dolore verba facere ipſi nequeant, ac illud à Calviniſmo ortum eſſe, qui in modum Serpentis & Draconis jubati in Eccleſias & Scholas paulatim, opinione latius, ſe intuliſſet, volaſſet, & progreſſus eſſet, & indies manaret ac ſerperet longius quam putaretur, & multas provincias, urbes & cathedras occuparet, & in univerſum inficeret: vnde factum, ut etiam harum Eccleſiarum doctores Calviniſmi in ſuſpicionem venerint. Se igitur conſulere, ut obſtacula iſta remorantia conſenſum, ſine mora auferantur. *Debuiſſent Theologi iſti non tantùm nominis infamia illuſtriſſimas aures percellere, verum etiam rei & erroris demonſtratione, cum ipſum Magiſtratum, tum alios ad vitandum Draconis iſtius jubati venenum, certiores reddidiſſe, atque ad hunc modum verba feciſſe: Eſt quoddam genus hominum cùm in Germania, tum alibi, quod confitetur Chriſtum Æternum Dei Filium, carnem verè Humanam aſſumpſiſſe, & in Æternum retinere, eique carni omnes electos, ut mortis & vitæ eius fiant participes, per fidem & Spiritum*

Veracanſa Conventus Liechtenb. fuit oppreſſio orthodoxorum Recitat. Selnec. pag. 43. 44.

ritum

ritum Sanctum oportere, tanquam membra capiti, & palmites viti inſeri & incorporari: atque hujus non tantum Spiritus, ſed etiam carnis Chriſti communionis Sacram Cœnam Domini, eſſe omnibus fidelibus certiſſimum ſymbolum ac teſtimonium: Negat autem carnem hanc Chriſti eſſe ubique: negat eſſe in cantharis cervißariis, pomis, pyris, lignis, lapidibus, &c. negat illam ipſam carnem ore Corporis comedi: negat eandem dentibus atteri, quòd ſola fide illa manducetur: atque ita negat, ut ſi non in publica aliqua Synodo falſiſſimè illa doceri demonſtraverit ex verbo Dei antiquitatis piæ & eruditæ conſenſu, ſe quovis ſupplicio dignum judicet. Hoc igitur genus hominum è Germania exturbari petimus, hos publica imperii pace excludi rogamus. His verbis ſi Theologi uſi fuiſſent, non quidem affirmare poſſum, quid tum futurum fuerit, hoc tamen dicere auſim, multorum animos ad moderatiora conſilia traduci potuiſſe.

Conſiliū Liechtenberge datum Electori Sax. à Theologis.

Sed his omißis omnibus, hoc tandem conſilii dant Saxoniæ Electori: Se pro ſua fide, quam Deo & ſuo Principi debeant, conſulere, ut obſtacula illa remorantia conſenſum ſine mora auferantur. Obſtare autem exoptato conſenſui hos libros, novum Vuitebergenſium Catechiſmum, Corpus doctrinæ Philippi, Grundfeſt ſeu fundamenta doctrinæ Chriſtianæ, Interrogationes & Reſponſiones Vuitebergenſium Theologorum & Dreſdenſem Conſenſum. *Hinc illæ lacrymæ. Hoc urebat Theologos huius Liechtenbergenſis Conventus, piis & gravibus illis ſcriptis multarum hæreſeωn convinci illos: qui carnis Chriſti ubiquitatem defenderent, vel Naturam Humanam Divinæ exæquarent. Sed eſt hoc Theologorum conſilium puerile admodum. Si enim aliquam poſteritatis rationem habuiſſent, facile cogitare potuiſſent, illam abſque odio & malevolentia, de iis, quæ acta, ſcripta & diſputata eſſent, multò verius & rectius judicaturam, quam hodie plerique ſolent, huic vel illi parti addicti: Non reſpecturam illam quid Lipſiæ, quid Vuitebergæ impreſſum eſſet: ſed quid cum ſacris literis, & cum orthodoxo Catholicæ Eccleſiæ Conſenſu conveniret. Quis non videt, cum horum Theologorum conſilio congruere, quod olim ab Arianis, Euthychianis & aliis factitatum eſt? ut ſcilicet adverſariorum ſcripta publicis magiſtratus edictis, tanquam hæretica, eiјcerent.*

Tertiò, *neceſſarium eſſe judicarunt Theologi iſti, ut Conventus inſtitueretur Theologorum qui articulos Auguſtanæ Confeßionis ordine perlegendo, conſiderarent, num quid contra illos motum eſſet, & quicquid cum hoc vel cum illo articulo pugnaret, aut reiјcerent prorſus, aut commodè interpretarentur. Cumque* Illuſtriſſimus Princeps Vuilhelmus Landgravius Haſſiæ *ſuis literis ad Electorem ſcriptis nominatim vocandos ad talem Conventum propoſuiſſet Theologos.* D. Kemnitium, Chytreum, Marbachium & Iacobum Andreæ, *placuit Theologis hoc quoque conſilium, & perſonas has conjungendas Theologis Saxoniæ Electoralis cenſuerunt. Meliora autem* Illuſtriſſimum Landgravium *de Theologis iſtis ſperaſſe ab initio, res ipſa indicat; cum ipſius Celſitudo, cognita eorum, quæ poſtea fabricarunt & Eccleſiis obtrudere conati ſunt, abſurditate, ſemper à ſubſcritione abſtinuerit.*

Noribergæ moſtade. ſignātur ut cōſcri. bant for mulam concordia

Atque hæc de Liechtenbergenſi Conventu, in quo nihil certi definitum, ſed tota de his rebus deliberatio Principi Electori integra reſervata & commiſſa fuit.

CAPVT X.

Acta Liechtenbergenſem conventum proximè ſequuta.

HOc *Theologorum Conſilium Liechtenbergæ datum, cùm Electori renunciatum eſſet, nova agitantur conſilia de Academia Vuitebergenſi penitus abolenda, & reliquiis Lipſiam transferendis: quia non deſinat conſenſum, quem Elector quærat, & conjunctionem cum vicinis Eccleſiis impedire & perturbare. Ad eum conſtituendum quaſi viam jam ſtraverat* Selneccerus, *editis duobus atrocibus ſcriptis in quibus præterita omni mentione* Melanthonis, *ſolos præcones Vbiquitatis & eorum ſcripta amplectitur & extollit, orthodoxa contumelioſè & acerbè reiјcit.*

Hiſtor. de Peucero carc pag. 326.

Conſiliū de abolenda Academia Vuiteb.

Finito etiam hoc Liechtenbergenſi *Conventu, cùm Clariſſimus & doctiſſimus vir.* D. Andreæas Freyhubius *Theologus Lipſiæ denuò defenderet orthodoxam ſententiam de exaltatione Chriſti factam ſecundùm utranque Naturam eius, & de proprietatibus Divinæ Naturæ non realiter communicatis Humanæ aſſumptæ carni, & de Corpore Chriſti exiſtente in certo Cœli loco, Torgam ab ipſo Electore vocatus eſt, ut de his Articulis rationem redderet Theologis quos Celſitudo eius deſtinarat ad conferendum cum ipſo, ut* Selneccerus *loquitur, ſed reverà ad imperandum, ut veteres loquebantur, hoc eſt, ad parendum Theologorum mandatis. Fuerunt autem Theologi ad privatum hoc colloquium deputati,* Paulus Crellius, Vuolfgangus Harderus, Martinus Mirus, Georgius Lyſthenius & Nicolaus Selneccerus. *Hi cum per biduum egiſſent cum eo, ſubſcripſit tandem metu carceris, quem tamen effugere non potuit, certis capitibus à Theologis ei propoſitis. Primum eſt,* Exaltationem Chriſti intelligendam eſſe tantùm de Humana in ipſo Natura, & Chriſtum evectum eſſe ſecundum ſuam Humanam Naturam ad dexteram

Freyhubius revocat orthodoxā ſententiā de exaltatione Chriſti.

In recitat pag. 48.

Caput primum cui Freyhubius ſubſcripſit.

ram Dei. Econtra reijciendas eſſe has loquendi formas, Chriſtum exaltatum eſſe ſecundùm utramque Naturam, & exaltatum eſſe ſecundùm Divinam Naturam, quæ tamen, ut Æterno excellìſſima, non indigeat exaltatione, ſed ipſa ſit dextera Dei. *Divinam autem Naturam non indigere exaltatione, conceditur: ſed in Chriſto requirebat altitudinis ſuæ manifeſtationem. Ipſa etiam eſt dextera Dei exaltans, ſed non ad quam fit exaltatio. Hæc enim eſt officium & dignitas Perſonæ Chriſti, & gloria ac majeſtas viſibilis, quæ majeſtatem Deitatis ipſius inviſibilem in omnium Creaturarum conſpectu teſtatur.*

Caput ſecundùm cui Freyhubius ſubſcriſit

Alterum caput eſt. Exaltatione illa comprehendi Divinæ Naturæ proprietates συμκοινωνήτως, ut ſunt omnis poteſtas in Cœlo & in terra, gloria, majeſtas & potentia divina: quæ omnia Humanæ Naturæ Chriſti realiter communicentur & tribuantur, ita ut Humana Chriſti Natura revera ſit particeps facta Divinæ omnipotentiæ, ratione unionis cum Deitate, & exaltationis ad dexteram Dei. Econtra reijciendas locutione Calviniſtarum, quibus aſſeritur, Humanam Chriſti Naturam, exaltatam tantummodo eſſe ad officia regia & Sacerdotalia, & tamen nihil accepiſſe proprietatum Divinæ Naturæ, nec aliter participem Divinæ Naturæ fieri, quàm ſicut Petrus de Nobis loquitur 2. Epiſtola 1. c. *Item*, Dicta Patrum, quæ de exaltatione Humanæ Naturæ Chriſti loquantur, & in libro ςερεώματος frequenter citentur, tantùm ſecundum Communicationem Idiomatum, nominetenus & titulotenus accipienda eſſe. *Item*, particulas (ſervata utriuſq; Naturæ proprietate) intelligendas eſſe hoc modo, quo docetur, Humanam Chriſti Naturam non plus accepiſſe quà ad judiciale officium pertinet, & proprietates phyſicas non ſuperat, & quantum proprietate naturæ capere poteſt. *Item*, Carnem Chriſti non eſſe vivificam, ſeu non habere virtutem vivificandi, & ideo non eſſe adorabilem, ſeu adorandam. *Proprietates autem Divinæ Naturæ communicantur Perſonæ, id eſt homini, non Humanitati. Officium enim & dignitas ſunt utriuſque Naturæ, ſecundum utriuſque proprietates. Sic ſenſus & ſenſum comitantia, ſunt totius animalis, ſine Corporis & Animæ & proprietatum utriuſque eſſentialium confuſſione. Deinde dicitur*, gloriam, majeſtatem, potentiam Divinam, Humanæ Naturæ Chriſti realiter communicari: *Atqui Perſonæ iſtius hominis hæc competunt realiter: Naturæ autem Humanæ realiter, quatenus Creaturæ conveniunt: titulotenus autem, quatenus Deitatis propria ſunt. Titulo autem non inani, ſed ſignificanti unionem cum Deitate, non exæquationem. Nec credimus, Humanam Chriſti Naturam tantùm ad officia regia & ſacerdotalia exaltatum eſſe, ſed etiam ad unionem perſonalem cum λόγῳ, eiuſque per viſibile gloriam & donorum excellentiam, manifeſtationem. Inſignis & hæc eſt calumnia, quòd dicitur, nos docere*, Chriſti Humanam Naturam non aliter participem Naturæ Divinæ fieri, quàm ſicut Petrus ait de nobis, quòd Divinæ Naturæ participes fiamus. *Differt enim Chriſti humanitas à nobis donorum numero & gradu, differt unione cum Deitate, differt officio. Huic calumniæ additur alia, nimirum*, Dicta Patrum à noſtris quæ de exaltatione Humanæ Naturæ in Chriſto loquuntur, accipi tantùm ſecundum communionem Idiomatum. *Quæ enim de proprietatibus divinis hominis dicuntur, ea ſunt vera communicatione Idiomatum: quæ verò de carnis glorificatione & majeſtate, ſine tropo intelligenda eſſe dicimus. Tertia calumnia eſt, quòd dicunt, nos docere*, Humanam Chriſti Naturam non plus accepiſſe, quàm ad officium judiciale pertinet: *Imò accepit quicquid ad judicis & mediatoris officium & gloriam pertinet. Subjungitur mox quarta ubi dicunt, aſſeri à noſtris*, nihil datum eſſe Naturæ Humanæ, quod phyſicas proprietates ſuperet. *Nam fatemur, multas ei etiam hyperphyſicas datas eſſe, ſed non ἀντιφυσικὰς, quæ ſcilicet Naturam Humanam deſtruant & aboleant. Dicunt quoque à noſtris aſſeri*, Carnem Chriſti non eſſe vivificam, neque adorabilem: *Sed omittunt id, quod à noſtris additur, Homo quidem, ſed non Caro hujus hominis, eo modo quo Deitas vivificat & adoratur: Et tamen caro ſuas etiam partes habet hoc officio vivificationis, & honore adorationis. Una enim λατρείᾳ colitur unus Chriſtus.*

Tertium caput, cui D. Freyhubius ſubſcripſit, eſt, Chriſtum perſonaliter, iſt eſt, perſonam Chriſti nuſquam eſſe ſine ſua aſſumpta Humana Natura, & poſſe etiam corpore ſuo eſſe, ubicunque, quomodocunque & quandocunque velit eſſe, & certò certius ibi eſſe, quocunque verbo ſuo expreſſo & promiſſione ipſe ſe alligarit. Chriſtum etjam Corpore ſuo poſſe alicubi eſſe tribus modis; primùm, phyſico naturali, circumſcriptivo, & comprehenſibili ſeu ſenſibili modo: deinde: hyperphyſico & per omnes dimenſiones corporeas penetrabili medio, quo ſuper maria ambulalavit & à mortuis ſurrexit, clauſas januas penetravit, & ἄφαντος factus eſt ante & poſt reſurrectionem: poſtea modo majeſtatis ad dexteram Dei, hoc eſt, modo peculiari, ineffabili, incomprehenſibili, inſcrutabili, & excedente omnium Creaturatum intellectum, & ſenſum.

Caput tertium cui Freyhubius ſubſcripſit.

ſum. Econtra, reijciendas eſſe locutiones & phraſes, quæ fingant, Chriſtum Corporali locatione tantùm in vno loco Cœli eſſe,& alibi Corpore ſuo eſſe non poſſe: *Item*, perſonaliter præſentem eſſe,ſine ſua aſſumpta & exaltata Natura Humana, & Eccleſiæ adeſſe non ſecundum Humanam Naturam, ſed ſolummodo ſecundùm Divinam, *Item* Chriſti Corpus & Sanguinem non adeſſe verè & ſubſtantialiter in Cœna, ubicunque hæc ſecundum inſtitutionem Chriſti adminiſtretur. *Item*, Chriſtum in Cœna eſſe totum, quoad perſonam, ſed non totum quoad naturas, quandoquidem tantum ſecundùm Deitatem adſit. *Item*, præſentiam & manducationem, Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœna, tantum eſſe ſpiritualem, ea ratione, quæ Iohan, 6. exponatur, & non eſſe παρουσίαν καὶ μετάληψιν ἢ κοινωνίαν σωματικὴν ſecundum verba inſtitutionis. *Item* Indignos non accipere verum Corpus, & verum Sanguinem Chriſti. *Quod ad primum non audet præſcribere, Chriſtum Corpore ſuo eſſe vbique: Neque enim eſt, neque eſſe poteſt ſimul & ſemel caro in pluribus locis, quia non poteſt ſimul eſſe caro,& non caro.* Eſſe poteſt,*inquiunt*, ubicunque vult: *Sed vult uno tempore tantùm uno loco eſſe ſuo Corpore. Addunt*,Chriſtum ſuo Corpore adeſſe, quocunque ſe verbo ſuo & promiſſione alligarit. *Promiſit autem ſe uſque ad reditum ſuum fore in Cælo: Non igitur quærendus in pane, in eo enim ſe fore, nuſquam promiſit. Dicunt etiam*, Perſonam Chriſti nuſquam eſſe ſine aſſumpta Humana Natura.*Sed ambiguè hæc dicuntur: λόγος enim nuſquam eſt ſine aſſumpta Humana Natura: nempe ſibi unita; & eſt alicubi ſine ea, videlicet ſubſtantialiter præſente ubicunque eſt Deitas. Addunt*, Chriſtum poſſe eſſe corpore ſuo tribus modis. *Hoc tum credetur, ubi probaverint,Deum ſibiipſi contradicere. Penetratione januarum clauſarum ex ſcriptura nondũ probarunt,ac ut probent nihil tamen hæc ad Vbiquitatem.* Ἄφαντος, *inquiunt*, factus,eſt: *Sed quid hoc ad rem: Non videbatur, etiãſi natura erit invisibilis. Cauſa enim erat in oculis diſcipulorum, qui tenebantur, non in Corpore Chriſti,quod palpabile & viſibile erat:& his proprietatibus ſemper differt à ſpiritu. Atque ut concedatur, fuiſſe Corpus inviſibile, ne ſic tamen obtineri poterit Vbiquitas. Subjungitur*, Chriſtum poſſe eſſe ſuo Corpore vbi velit, modo etiam majeſtatis divinæ,excedente omnium Creaturarum intellectum: *Si addidiſſent, & veritatem omnem, nihil omiſſum eſſet.* Reijciendas, *inquiunt*, locutiones & opiniones, quæ fingant, Chriſtum Corporali locatione, tantum in vno loco Cœli eſſe, & alibi Corpore ſuo eſſe non poſſe. *Inſidioſè hoc dicitur Docemus enim, uno tempore pluribus in locis eſſe non poſſe, quàm uno, in quocunque cœli aut terræ loco velit.* Reijciendos *inquiunt*, negantes Chriſti Corpus & Sanguinem non adeſſe verè & ſubſtantialiter in Cœna. *At nullus ex noſtris negavit, Corpus Chriſti eſſe in Cœna, etjamſi non ſit in pane.* Reijciendas, *aiunt*, locutiones, quibus dicitur, Chriſtum Eccleſiæ adeſſe non ſecundum Humanam Naturam, ſed ſolum ſecundum Divinam. *Imò adeſt quidem ſecundum Humanam Naturam, ſed ſpiritualiter, ſicut caput membris, ſubſtantialiter autem in omnibus locis & rebus præſens: ſecundum carnem ſuam non eſt. Reijciunt denique locutionem, qua dicitur*, manducationem corporis eſſe Spiritualem, non Corporalem, ſecundum verba inſtitutionis, *Item*, indignos non accipere verum Corpus Chriſti. *Sed ubi verba inſtitutionis dicunt eſſe corporalem, ſeu oralem manducationem? Vbi item Scriptura dicit, indignos accipere verum Corpus Chriſti?*

His articulis cùm ſubſcripſiſſet Freyhubius,*ab Electore domum ad vocationis ſuæ labores obeundos redire juſſus eſt: ita tamen, ut coram Studioſis Lipſiæ revocaret & retractaret ſacramentarias, quas dictaſſet, notationes & opiniones, & revocationem ſcripto comprehenſam, anteaquam publicè proponeret, Electori mitteret, petituro judicium de ea ab aliis quoque Theologis, id quod* Freyhubius *etiam ſe facturum eſſe Conſiliariis promiſit. Cùm autem domum reverſus fuiſſet & lapſum ſuum agnoviſſet, pœnitentia ductus, literas ad Electorem ſupplices miſit, & in illis vehementer conqueſtus eſt, ſe in illa ſubſcriptione obrutum ſeu præcipitatum fuiſſe, eò quod duarum duntaxat horarum deliberandi ſpacium à Theologis impetrare non potuiſſet. Ob hanc autem querelam & revocationem in carcerem profundiſſimum conjectus, ſed tandem dimiſſus & in exilium cum cæteris detruſus fuit.*

Freyhubius revocat ſubſcriptionem ſuam, idcirco in carcerem conjicitur, ſed tandem in exilium pellitur.

Non ita multò poſt 19. Martii Anni huius 1576. *Doctor* Iohannes Stoeſelius *Theologus ex vita deceſſit, repertus in lecto mortuus manè, cum morienti nemo affuiſſet. De eo ſparſerunt poſtea Vbiquiſtæ, quòd propter defectionem à Lutheraniſmo & Vbiquiſtarum doctrina, ad orthodoxam ſententiam de Perſona Filii Dei & Cœna Domini, inciderit in tentationem deſperationis, quod hac abnegatione admiſerit peccatum in Spiritum ſanctum, nimirum peccatum blaſpemiæ, propter quod ſit rejectus à Deo & condemnatus in Æternum. Res autem ſic ſe habet in veritate: Articulos Torgenſes manu propria contra conſcientiam comprobavit: mox quartana febre correptus, cum diuturna etjam mæſtitia & horribilibus tentationibus conflictatus fuit. Rediiſſe tamen ipſum ad ſeſe & in vera pœnitentia exſpiraſſe conſtanter ferebatur.*

Stoeſelii lapſus & pœnitentia.

Hoc verò certum eſt, M. Stolzium *inſignem Vbiquiſtam, 26. Maii Anno 78. non ſine*

multis

multis animi angoribus diem ſuum finiiſſe. Quid Paulo Crellio & Cœleſtino, &c. acciderit ſuo loco referemus.

CAPVT XI.

De conventu Theologorum Torgenſi altero Anno 1576. habito, & novo Corpore doctrinæ ſeu Formula Concordiæ nova in ea fabricata.

Vbiquiſtæ indignè ferũt decreta Torgenſis Convẽtus primi.

CVm in ſuperioris Conventus Torgenſis articulis Lutherus cum Philippo adhuc conjũctus fuiſſet, præſertim articulo tertio, damnatum, etiam non fuiſſet Corpus doctrinæ Philippi, nec expreſſa Vbiquitas Corpus Chriſti, ſed potiùs damnata & rejecta, præſertim Articulo quarto, ubi manifeſtè dicitur, Neque comminiſcimur ubiquitatem carnis Chriſti: adhæc excluſi fuiſſent ab hoc Conventu, qui de Vbiquitate ſuſpecti fuerant: id verò indigniſſimè tuliſſent Vbiquiſticæ Doctrinæ Patroni & Philippi hoſtes ideoque cæpiſſent Cadmæi fratres in mutua ſævire viſcera, & hoſtiliter admodum de ſponſa Vbiquitaria inter ſe in Saxonia dimicare: Coacta eſt hoc anno juſſu Electoris juxta Liechtenbergenſe conſilium alia Synodus rurſus Torgæ ad quam convocari voluit & ſuis adjungi præcipuos ſociorum Auguſtanæ Confeſſionis Theologos nempe, Electoris Brandenburgici, & ſecundum Landgravii conſilium, Iulii Ducis Brunſvicenſi Principum Megapolitanorum ac Ducis Vuitebergenſis, & ad dicendas ſententias admitti omnes quotquot voluerint, exceptis Zuinglianis & Calviniſtis, qui minimè audiri debeant, quòd jam pridem ab Eccleſia damnati ſint. Hujus Conventus præcipui gubernatores ſeu Præſides nominati ſunt Schmidlinus, Kemnitius, Selneccerus, Chytræus, Muſculus & Cornerus.

Conventus alter inducitur Torgæ

Præſides ſecundi Convẽtus Torgenſis

Decreta Convẽtus Torgẽſis, Cõcordia in Vbiquiſtas & Flaccianos cõſtituitur.

1. Scripta Philippi damnantur.

In eo ante omnia data eſt, opera, ut inter Vbiquiſtas & Flaccianos iniretur Concordia, conſtitueretur in doctrina conſenſus, déque præteritis contentionibus, vel ultrò citroque ſcriptarum invectivarum acerbitate perpetua amniſtia ſanciretur: quod eò faciliùs fieri potuit, quòd utrinque perſonæ, ob quas iſta Tragædiæ mota erant, & quæ illarum auctores fuerant, tum ex hac vita deceſſerant.

2. Nota quouſque certamen Euchariſtici progreſſũ ſit.

Deinde, ne quis tergiverſandi occaſionem haberet, pleriſque conſultiſſimum viſum fuit, ut ſcripta Philippi, tanquam ſuſpecta, brevia, ambigua, fucata & cothurnata, ex Eccleſia exterminentur: quorum autem uſus in Scholis eſſe poſſit, libera relinqui debere, propter methodum dialecticam; ita tamen, ne ullum horum pro doctrinæ norma habeatur. Idem decernitur de ſcriptis editis à Theologis Vuitebergenſibus, tunc in exilio viventibus, & jubetur, ut ea e medio tollantur, & ad anthores ſuos in exilium relegentur.

3. Novum corpus doctrinæ cuditur. In hac nova Formula Torgenſi pro norma dijudicandi cõtroverſias Confeſſio Auguſt. & Lutheri ſcripta canonicantur.

Tertiò Theologi in hoc Conventu, annihilatis & abolitis Torgenſibus articulis cudunt & fabricant novum Corpus doctrinæ, in quo non tantum ſcripta Prophetica & Apoſtolica, ac tria ſymbola pro Regula dijudicandi controverſias ponuntur: ſed etiam Auguſtana Confeſſio & Apologia: Articuli Schmalcaldici: Maior & Minor Catechiſmus Lutheri: Et expreſſe contendunt iſti Patres, hanc Confeſſionem, hos articulos & Catechiſmos, quibus & novum ſuum Concordiæ librum accenſeri volunt, Symbolum eſſe debere omnium Eccleſiarum noſtræ ætatis, quæ quidem verè ſint Chriſtianæ, quodque proximo à verbo Dei loco, omnes verè Chriſtianos oporteat amplecti & profiteri, non ſecus ac Symbola vetera, quæ de arduis religionis controverſiis, ab Eccleſia Dei ſunt condita & promulgata, utpote in quo omnia, quæ in Scriptura prolixiùs tractantur, & ad ſalutem ſcitu neceſſaria, comprehenſa ſunt, cui omnem Eccleſiæ doctrinam conformari oporteat, & cui quicquid eſt contrarium, reiici ac damnari debeat.

Qui libri damnati in Torgenſi Conventu.

Repudiatur autem in eo Repetitio Auguſtanæ Confeſſionis, Corpus doctrinæ vetus, Examen Ordinandorum, Articuli Bavarici, Loci communes & alia ſcripta Philippi, quæ in Corpore Doctrinæ eius continentur: ab his ipſis, qui aliquantò ante Philippo, ſecundùm Deum quicquid haberent boni, ſe debere fatebantur magiſtrum & amicum ipſum agnoſcentes & venerantes, Libros eius in Scholis juventuti commendantes & prælegentes; qui in ſua, de Conſenſu Eccleſiarum Auguſtanæ confeſſionis narratione anno 70. edita, Patrem & Præceptorem, heroëm præſtantiſſimum, & cum Luthero concordem, Theologum excellentem & præ multis illuminatum, eum nominarunt; in cuius libris præſertim Corpori doctrinæ inſertis, OMNES Articulos Auguſtanæ Confeſſionis piè & rectè declaratos eſſe ibidem dixerunt.

Corpus doctrina Philippi ut damnatur in hoc Torgenſi Conventu.

Quantumvis autem aſtutè caverint damnatores & expurgatores iſti iniqui, ne in ſuo hoc libro ſcriptorum Philippi condemnationem diſertis verbis exprimerent (quum non ignorarent quam foret id omnibus odioſum) tamen (ut quæ palam in illum evomere in ipſa Vuitebergenſi Eccleſia, frementibus & indignantibus omnibus, auſus eſt Schmidlinus, nunc prætercam) quum à ſolius Lutheri ſcriptis petendum eſſe verum tum Confeſſionis Auguſtanæ ſenſum tum etiam totius doctrinæ Chriſtianæ fundamentum & formulam doceant: & de Corpore doctrinæ à Philippo conſcripto, omniumque ferè Eccleſiarum conſenſu & approbatione, edito: quodque ex illis ipſis condemnatoribus nonnulli æterna laude dignum fatentur, quia

doctina

doctrinæ Cœleſtis ſummam in eo, methodo commodiſſima, orationis genere proprio & plano, fideliſſimè ſit complexus, altum ſibi ſit ſilentium: ex eo ſatis apparet, eos hoc unum molitos eſſe, ut Corpus hoc ſuum ſeu formulam Concordiæ in illius locum ſubſtituant, illique priori omnem authoritatem deinceps abrogent, ut ſibi ſuoque hoc libro eam acquirant & vendicent. Neque ſatis ſunt idonea ad hanc injuriam excuſandam quæ pag. 13. ſui illius voluminis ab iſtis ſubijciunt, ubi proteſtantur quidem, ſe minimè reijcere alios libros utiles & ſynceros, quibus explicatio Sacræ Scripturæ, & refutatio errorum continetur, & tales utique retineri poſſe concedunt: At ſtatim poſtea exceptionem addunt, quæ ſuæ huic formulæ authoritatem omnibus illis ſcriptis anteponunt, utpotè quam certam, communem, unanimemque formam doctrinæ complecti aſſerant, ad cujus amuſſim omnia reliqua ſcripta ſint probanda, examinanda, judicanda & recipienda. Quid hoc autem aliud eſt, quàm reliqua ſcripta omnia ac præſertim Corpus illud doctrinæ Philippi, non modò ſuſpecta omnibus reddere, ſed etiam planè damnare & reijcere quaſi erronea, & à communi Eccleſiarum doctrina aliena: hocque duntaxat iſtorum volumen pro norma veræ fidei, & olim in Eccleſiis promulgatæ, & deinceps in perpetuum retinendæ, agnoſcere? Erunt ſcilicet his judicibus omnia omnium aliorum ſcripta Apocrypha, ſuum autem illud Corpus ſolùm adſcribetur tandem in Canone cum ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum.

Cauſa ob quas Corpus doctrinæ privatâ authoritate injuſte damnatum eſt.

Non potuit autem à Condemnatoribus & Ariſtarchis iſtis, nec adhuc poteſt, vel CORPUS illud doctrinæ Philippi privata authoritate, ſupervacaneum, nedum ut veritati repugnans excludi, repudiari & abrogari: vel eius loco aliud Corpus Eccleſiis obtrudi. Nam quod Repetitionem Auguſtanæ Confeſſionis attinet, quæ in Corpore doctrinæ Philippi continetur, illam non minùs, quàm Smalcaldicos articulos, acceptam, & multarum Eccleſiarum ſubſcriptionibus diſertis comprobatam fuiſſe, notiſſimum omnibus eſſe puto, nullo falſo præjudicio faſcinatis, atque nos etiam in Altera parte hiſtoriæ Sacramentariæ noſtræ Anno 51. Abundè demonſtravimus: proinde non, niſi cum ſumma earum omnium Eccleſiarum ignominia, reiici & abrogari potuit: Hoc enim nihil aliud eſt, quàm manifeſtam contradictionem aut recantationem illis affingere.

Repetitio & emẽdatio Cõfeſſionis Aug. cõmuniter approbata.

Loci communes Philippi a Luthero & [illegible] approbati.

Quod ad librum attinet, cui Locorum communium Theologicorum titulus eſt, eidemque Corpori à Philippo inſertum, is Luthero cariſſimus fuit, quem unum voce ſua prædicavit & toti poſteritati commendavit quàm maximè & honorificentiſſimè, quemque exemplo Lutheri multi tum viri excellenti eruditione pietate & virtute, ſummo cum gaudio exceperunt & complexi ſunt. Quin & ab ipſis, qui nunc in aliorum gratiam librum hunc è Scholis publicis exploſum atque ejectum volunt, cum eximio ſuo fructu, tunc à Philippo proponeretur, auditus, & aliis in ſcholis, quibus præfuerunt aliquandiu, traditus atque enarratus eſt. Nec quiſquam ante Flaccianam factionem aliter de hoc libro judicavit, quam in eo contineri verum & nativam ſententiam Auguſtanæ Confeſſionis in univerſis ac ſingulis articulis repurgatæ doctrinæ.

Confeſſio Tridentinæ Synodo exhibenda approbata communiter.

Cum hoc libro Locorum Communium Theologicorum congruit etiam alter brevior, titulo Repetitæ Confeſſionis exhibendæ Synodo Tridentinæ, quem non ſolum omnes utriuſque Academiæ Lipſenſis & Vuiteb. Doctores, & Profeſſores, & Electoralium Eccleſiarum Inſpectores, ſed alii multi exterorum Principum & Statuum legati, judicio & pietate excellentes, propriæ manus ſuæ ſubſcriptione & teſtimoniis honorificis approbarunt & prædicarunt.

Reſponſio ad Bavaricos articulos approbata quoque.

Poſtremò etiam Eccleſiarum orthodoxarum doctrina in alio adhuc libello brevi & utili declarata, & teſtimoniis ſacrarum literarum munita, oppoſita eſt à Philippo impiis articulis Bavaricæ inquiſitionis, qua tanquam in Cygnea cantione, blaſphemas & inſidioſas interrogationes, in præcipuis articulis, ſummo cum diſcentium fructu complexus eſt & refutavit perſpicuè.

Origo corporis doctrinæ veteris.

Hos omnes libros, conſentaneos, ac congruentes Auguſtanæ Confeſſioni, & explicationem illius juſtam continentes, ac velut in methodo & epitome perſpicua & explicata complectentes, prolixioribus ſcriptis ſuis Lutherus copioſiſſimè tradidit conſtabat ab omnibus piis & doctis approbatos, ſummi ac precioſiſſimi Theſauri loco habitos fuiſſe longo tempore. Ac poſtea de conſilio ac judicio graviſſimo virorum ſapientum, ut Conſenſus de doctrina in Saxonicis Eccleſiis durabilior eſſet, volumine uno comprehenſos & editos in omnes Principis & Electoris Saxoniæ Eccleſias, ad uſus Paſtorum & doctorum in his coemtos & diſtributos eſſe publicè, notum eſt, non alia de cauſa, quàm ut miniſtri Eccleſiarum doctrinæ cœleſtis explicationem principaliter ad normam librorum & Propheticorum & Apoſtolicorum & trium Symbolorum, poſtea ad libros Lutheri & hos Philippi inſtituerent. Eſt etiam notum, doctrinam in his libris expoſitam, cum vivente Luthero, tum poſtea etiam illo defuncto, ad hunc uſque diem in Academiis Saxonicis, & multis aliarum regionum Scholis & Eccleſiis, p o

conſenſu traditam & conſervatam fuiſſe: Et ideò hoc Corpus doctrinæ prorſus non potuiſſe & debuiſſe à privatis & paucis Theologis abſque publico omnium Eccleſiarum conſenſu aut damnari aut reijci.

Flaccius Illyricus primus Corpus doctrinæ vetus damnavit.

Primus hoc tentare auſus fuit ante annos aliquot Flaccius Illyricus *cum ſociis & complicibus ſuis hoc modo & ordine. Ex concepto nulla de cauſa, odio adverſus ſanctiſſimum & de univerſa Eccleſia optimè meritum virum* Philippum Melanthonem, *tanta fuit Flacci & ſociorum eius violentia & acerbitas, ut poſt annos circiter viginti, recuſis epiſtolis, quas è Conventu Auguſtano ad Luthero ille ſcripſerat, & his calumnioſè detortis, veriti non ſint eam, quam boni omnes ſemper in ipſo probarunt, moderationem & circumſpectionem, vehementer, exagitare, quod conſtitutus in acie penè ſolus, & ceu* πρόμαχος *objectus tot & tantis hoſtibus, cùm in tanta opinionum & controverſiarum perplexitate ſcribenda eſſet Confeſſio, cui tot Principes, tot hominum millia, & æternæ & huius caducæ vitæ ſuæ ſalutem niti atque inſiſtere omnem pro ſe diſcrimen vitæ, fortunarum, dignitatum, bonorum, extremum adituros eſſe, profeſſuri erant, non attulerit ad hanc rem tam audaciam, confidentiam & impudentiam, quam ipſi hactenus uſurparunt è ſuis latebris bonos omnes allatrantes.*

Primò Flaccius reprehendis in Philippo moderationem eius.

Secundò Flaccius ſparſit Confeſſionē Aug. non à Philippo ſcriptam eſſe.

Hæc verò calumnia, cum ſe nihil proficere experirentur, aliquantò poſt Confeſſionis illius capita à Philippo præſcripta non eſſe, ſed à Luthero, multi de grege illo affirmare auſi fuerunt, quantumvis & vivis teſtibus, & epiſtolis Lutheri manu ſcriptis, quas adhuc extare conſtat, manifeſtè redarguerētur, Hoc etiam figmentum, cum non adhæreſceret in vi præclarè meriti & innocentis famæ at exiſtimatione, odium tamen erga illum, vel cum jactura & detrimento omnium repurgatarum Eccleſiarum ut explerent ſuum, ad communes hoſtes perfidè confugere, & ab his prædium etiam adverſus jam mortuum Melanthonem, *accerſere non erubuerunt.*

Tertiò Flaccius in dubiū vocavit, quæ ſit vera Auguſtana Confeſſio.

Eò igitur inſaniæ tandem devenerunt, ut in dubium & controverſiam revocare auſi fuerint, quæ ſit vera & legitima Confeſſio Auguſtana. Imò contenderunt, exemplar Anno 41. Vuitenbergæ, editum, Confeſſionem Auguſtanam falsò nominari, neque admittendam eſſe, quod non ſit Auguſtæ ſcripta & exhibita, nec à Statibus, qui ſubſcripſerunt, approbata: Et Melanthonis *privatum ſcriptum eſſe garriernnt quod in ſuam normam, & novum Corpus doctrinæ recipere nolint, nec licuiſſe* Philippo *privato arbitrio eum librum innovare aut mutare, qui Eccleſiæ confitentis nomine ſcriptus ſit: Immemores eius, quod in Colloquio Vuormatienſi jam pridem* Eccio, *Pontificiæ tyrannidis, errorum & ſuperſtitionum præcipuo Patrono & propugnatori, idem prorſus objicienti, ad diſſimulitudinem exemplarium exprobanti, author tunc reſpondit:* Rerum eandem eſſe ſententiam, etſi quædam alicubi in poſterioribus editionibus commodiore, & magis perſpicuâ orationis forma ſint tractata, propterea, quod ſophiſtica ſua adverſarii circumpectiùs noſtros & accuratiùs loqui docuiſſent: *Quibus tunc antagoniſta ille Philippi repreſſus obmutuit adeò, ut nunquam poſtea diſſimilitudinis ac diſcrepantiæ, quam in illa eſſe queſtus fuerat mentionem fecerit ullam. Sed authoribus libri Torgenſis, eorumque complicibus hac* Melanthonis *reſponſio non ſatisfecit.*

Quomodo Flaccius Locos Communes Philippi & alia eius ſcripta in Corpore doctrinæ contenta allatravit.

De Locis Communibus Theologicis *aliiſque ſcriptis* Philippi, *in Corpore doctrinæ contentis, dicunt*, quædam in illis paulò antè & poſt obitum Lutheri mutata eſſe, quæ per omnia cum Auguſtana Confeſſione non conveniant, ideoque abrogandum & repudiandum illud Corpus doctrinæ eſſe, *eo ipſo autem magnam ſuam injuſtitiam produnt. Cur enim ob cauſam non etiam reijciunt* Lutheri *ſcripta polemica, de quibus certum eſt, ea multa continere, quæ cum Auguſtana Confeſſione non conſentiant, quæque nunquam ab omnibus Eccleſiis ſine exceptione probata ſint: quale eſt imprimis Vbiquitatis dogma pro fundamento præſentiæ Corporis Chriſti à Luthero primùm leviter propoſitum, & meritò poſtea repudiatum: quod quidem dogma repugnat & manifeſtè corrumpit multa fidei illius Auguſtanæ capita. Neque etiam negari poteſt, eum ipſum* Lutherum, *ſæpè in quamplurimis, maximè verò in doctrina de Cœna Domini (ob quàm ſeſe tam iniquos in Philippum præbent) ſententiam mutaſſe. Et ſi omnia eius ſcripta diligenter evolvantur, & recto judicio examinentur, multò plures diſcrepantias in illis, quàm in Philippi Corpore doctrinæ reperiuntur. Quod ergo* Luthero *non modò parcunt, ſed etiā omnia eius ſcripta indiſcriminatim pro norma ſeu regula certa purioris doctrinæ haberi volunt;* Melanchthonis *autem omnia (propter unum & alterum caput doctrinæ aliter, ut ipſis quidem videtur, in poſterioribus ipſius ſcriptis explicatum) ſuſpecta reddunt, & non niſi certis cautionibus legenda aut probandæ eſſe ſtatuunt: In eo, inquam, aut perverſum ſuum atque iniquum judicium, aut certè manifeſtam ſuam* προσωποληψίαν, *invidiam* ἀχαριστίας *erga communem Præceptorem non ferendam nimium apertè detegunt.*

Ad accuſationem autem de erroribus in Corpore doctrinæ Philippi contentis vide reſponſionem in Aldenburgenſi Colloquio pag. 439. *&c. Sed facilè conijci poteſt, quam ob cauſam potiſſimum ſublatum è medio, & ex hominum memoria deletum eſſe cupiant vetus doctrinæ*

Corpus

Corpus, nimirum, ut ipſum Torgenſis, ſeu Bergenſis liber, diſcentium manibus teratur, & ita juxta proverbium, quaſi Glauci & Diomedis permutatione facta perſpicuis obſcura, rectè dictis confuſa, ordine explicatis intricata & perplexa, infeliciter ſuccedant.

Levitas condemnatorum Corporis doctrinæ Philippi.

Vt autem Condemnatorum iſtorum Corporis doctrinæ Philippi, aliorumque utiliſſimorum ſcriptorum eius levitatem & inconſtantiam ſummam Lector intelligat, adjicere hoc loco placuit unius ſaltem ex eorum numero, judicium de hoc Corpore doctrinæ Philippi in genere, eiuſque libris in ſpecie. Selneccerus *igitur ſic ſcripſit.*

Selneccerus commendat Corpus doctrinæ Philippi quod in Torgenſi Conventu damnat.

Non melior liber eſt ullus poſt Biblia Chriſti.
Quam qui doctrinę Corpuſque Lociq; vocatur.
Hoc norunt omnes, qui dexteritate docendi
Diſcendique ſimul vera & pietate tenentur.

In eandem ſententiam ſcripſit etiam ad Comitem quendam.

Hoc etiam ſanæ Doctrinæ Corpus amato.
Non eſt hoc melior nobiliorve liber.
Omnia quę pietas, quę doctrina inclyta poſſit.
Crede mihi ſunt hoc cuncta relata libro.
Vera loquor, nihil affingo: ſi mentiar autem,
Summa ſit hæc, in qua mentiar, hora mihi,
Hinc cedant fuci, quibus atra calumnia cordi.
Quæ loquimur ſunt hæc vera, placentque Deo.

Commendavit etiam Selneccerus *judicium ſequens, cujuſdam viri doctrina, pietate & authoritate excellentis & magni, τῷ ἐν ἁγίοις, de Corpore doctrinæ Philippi Præceptoris beatæ memoriæ, quod ſic habet:* Optimus ille Liber eſt, ſcriptus à Viro optimo, id quod, ſi nihil aliud certò certiùs teſtatur, quòd peſſimi quique illum oderunt, & alios fœtidos libros illi ſubſtituere volunt. Optimi autem quique illum magnifaciunt, & prædicant, & Deo pro doctrinæ luce & dexteritate gratias agunt.

Selneccerі judiciū de ſcriptis omnibus Philippi. Arguit autores condemnatores ſcriptorum Philippi.

Rurſus Selneccerus *de ſcriptis omnibus Philippi*, Qui *inquit*, vel Philippum non audiverunt, vel à ductu & dexteritate propoſita & præcipua in eius libris, cum quoad formas loquendi, & doctrinam Prophetarum & Apoſtolorum explicandi: & Lutheri etiam aliorumque Patrum Græcorum & Latinorum ſcripta rectè cognoſcendi; tum quod ad res ipſas methodicè & integrè, quantum fieri poteſt, tradendas & percipiendas attinet, qui inquam inde diſcedunt, eos vel ambitione, vel novitatis aviditate, vel ſubtilitatum quærendarum curioſa vanitate, vel etiam ruditate & præcipitantia intricare res evidentes, turbareque & evertere rectitudinem & normam doctrinæ video & experior: & ſcio huius mei judicii omnes pios & candidè judicantes teſtes eſſe. Et auſim ſanctè affirmare, non ego verò ſolum, ſed mecum omnes veritatis ſtudioſi & patroni manſuram eſſe diligentiam inquirendorum fontium, in Hebræa & Græca lingua, & dexteritatem docendæ & diſcendæ cœleſtis doctrinæ, aliarumque neceſſariarum & utilium artium, elementa, capita & argumenta omnia in Scholis Chriſtianarum regionum, ſi methodum, verba, phraſes & res à D. Philippo explicatas, ſanctamque ſimplicitatem & ponderoſam brevitatem, magiſtri & diſcipuli retinuerint, & non alienas, novaſque & peregrinas, abſurdas etiam & periculoſas loquendi formas & diſtinctiones, ex lacunis ſordidis petitas, quam plerumque δοξομανία & alia vitia deſtruentia pulcherrima ædificia doctrinæ Cœleſtis, comitantur, inconſideratè arripuerint & uſurparint.

Sed non retinuerunt. Ergo.

Econtrario verò eadem ratione affirmare licet, ut res ipſa ante oculos poſita paſſim oſtendit, dexteritatem diſcendi & docendi, fonteſque inquirendi concidere paulatim, & corruituram eſſe poſthac, ſi ita τὸ κακοηθὲς iſtud progreſſum fuerit, faſtidiendo optimè dicta & explicata, quæ intra parietes noſtros habere poſſumus, & ſubſtituendo nova figmenta, faſtuoſa & intricata, quæ more quorundam non intelligi ab aliis, qui non omnia etiam abſurdiſſima adorant, temerario & ſuperbo judicio perhibentur, &c.

Epitheta libri Concordiæ.

Item quidem Selneccerus de Philippi ſcriptis omnibus, quæ tamen ſumma cum levitate & inconſtantia unà cum aliis in hoc Torgenſi Conventu rurſus damnavit, ac è Scholis & Eccleſiis exterminanda eſſe judicavit.

Selneccerі judiciū de re cognita & locupletata Confeſſione.

De recognita quoque & locupletata Auguſtana Confeſſione, Corpori doctrinæ inſerta ſic idem Selneccerus *in Caput* 49. *Iſaiæ ſcripſit inter alia editionis Lipſicæ Anno 69. in 4.* Es ſtehet unſers Glaubens offentliche Beiandknuß und vorzeichnuß in der Augſpurgiſchen Confeſſion/ die/ Gott lob/ keines meas vorfelſchet iſt/ men man nuh: die Exemplaria recht anſehen/ und die meynung recht und grundtlich und ohn neyd und gifft/ betrachten wil: Sondern iſt gebeſſert/ vn̄ mit worten erkleret/ und der

wegen bey vns nicht der geringſte ſtreit iſt von der Augſpurgiſchen Confeſſion / man nenne es wie mans nennet / die allererſte / die de Fladderer nennen die vnlorfeſſiſchte Confeſſion / oder nenne es der ſelben fernere vnnd weitleuferige erklerung / ſo hernach geſchehen / weyl es eben eine meinung vnd verſtand iſt.

Arrigatores condemnatores recognitæ Auguſtanæ Confeſſionis.

De eadem confeſſione ſic rurſus ſcripſit: Abeant ingrati cuculi, πιθηκαλώπεκες Lutheri, & Philippomaſtiges, crabrones & fuci, fabricentque alia quæ poſſunt, ſi modo poſſunt, corpora vel potiùs cadavera, aut objiciant, Confeſſionis Auguſtanæ, Locorumque non depravatione (hanc enim objicere, vel ſi rumpantur, minimè poſſunt) ſed Recognitionem ſed illuſtrationem, ſed vberiorem multarum rerum explicationem Limniſco nobis opus eſt, & faſciola ſola, notante, non ſententia, ſed verbis tantummodò aliter dilucidius ac copioſius relata. Iſtis autem calumniatoribus helleboro opus eſt, καὶ σιδηρᾷ ἁρπάγῃ qua cerebrum ſuum ipſi verrant, *&c. Et in Catalogo Conciliorum pag. 97. ſic ſcribit:* Non neceſſe eſt fidem habere iis, qui cavillantur diſcrepare Exemplaria Confeſſionis Auguſtanæ, cùm tantùm limniſco & faſciola opus ſit, notante diſſimilitudinem in verbis horumque copia, & non in ſententia, quemadmodum Philippus in Colloquio Vuormatienſi Eccio reſpondit. *Hæc ſic olim Selneccerus de* recognita & emendata Auguſtana Confeſſione, *qui tamen poſtea, mutata ſententia, eam ruſus in gratiam Fluccio Brentianorum impudenter allatravit.*

Torgenſis Convẽtus injuſtè Lutheri ſcripta præſertim polemica canonizavit.

Non potuerunt nec debuerunt etiam vel Torgenſes *iſti, vel poſtea* Bergenſes Patres Lutheri, *quantumvis excellentis viri ſcripta, præſertim polemica, in Formula hac concordia nova canonizare, & pro certiſſima & indubitata fidei regula obtrudere Eccleſiis: hic enim honor canonicis tantùm Scripturis debetur, quæ omnibus nævis & vitiis indubitanter carent: ideoque ſunt* αὐτόπιστα, *quæ & rerum & verborum reſpectu invariata ſemper & immutabilia permanent, Vnde D. Petrus inquit,* Hoc eſt verbum illud manens in perpetuum quod evangelizatum eſt vobis. *Graviſſimè itaque peccant in Deum & eius verbum, qui vel ſibiipſis, vel aliis fidei normam aliunde conſtituunt, quam ex hoc ipſo Dei verbo ſcripto.* Eſt enim, *inquit Baſilius in Sermone de Confeſſione fidei,* manifeſtus lapſus à fide, & crimen ſuperbiæ, vel non admittere quæ conſcripta ſunt in ſacris libris: vel iis aliquid addere: Prophetæ enim & Apoſt. *teſte Irenæo,* in hunc finem ea quæ prædicaverant, poſtea in ſcriptis nobis tradiderunt, ut in futurum illa ſola nobis eſſent fundamentum & columna fidei: *Hinc etiam factum videmus, ut vet. Orthodoxi Patr. libros S. diſtinguerent, ac alios quidem* Canonicos *alios verò* Apocryphos *appellarent: quorũ longè diverſa & impar eſſet in conſtituendis, aut confirmandis fidei articulis, authoritas.* Canonici *enim ideò dicti perhibentur, quod duntaxat ex illis certa & indubitata fidei regula conſtitui, eliciqne poſſit, ac debeat, utpote quod ſola doctrina in illa comprehenſa* certiſſimè à Deo inſpirata, *teſte Paulo credenda ſit,* non autem hominum voluntate allata: Spiritu enim Sancto, *inquit, Petrus,* impulſi homines Dei & loquuti ſunt & ſcripſerunt. *At Apocryphi libri, quia non tam certum, aut conſentiens habuerunt in Eccleſia teſtimonium, ideò non paris æqualiſve authoritatis ſunt habiti.* Hos enim, *inquit Hieronymus,* legit quidem Eccleſia ad ædificationem plebis non tamen ad authoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam. Illorum enim authoritas, *inquit alibi Hieronymus,* ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt minùs ſunt idonea.

Canonici libri unde ſic dicti.

Apocryphi libri unde ſic dicti.

Patres privatorum hominum ſcripta eo precio haberi noluerunt quo Canonici libri habendi ſunt.

Sicuti verò noluerunt Sancti & orthodoxi Patres ex ſcriptis illis Apocryphis, etſi Hagiographa & Eccleſiaſtica cenſerentur, colligi, aut ſtabiliri fidei regulas, eave paris eſſe per omnia authoritatis, cum Canonicis & indubitatis: ita multò minùs paſſi ſunt privatorum hominum quantavis eruditione & ſanctitate præditorum ſcripta, eo loco & precio haberi, quo ſcriptura illa Canonica habenda eſt, quod Torgenſes & Bergenſes Patres ſcriptorum Lutheri canonizatione fecerunt. Qua de re Auguſtinus *contra Fauſtum Manichæum lib. 11. cap. 5. ſic etiam ſcribit:* Inter hos ſumus, quibus idem Apoſtolus dicit Et ſi quid aliter ſapitis id quoque vobis Deus revelabit. Quod genus literarum non cum credendi neceſſitate, ſed cum judicandi libertate, legendum eſt: Cui tamen ne intercluderetur locus, & adimeretur poſteris ad quæſtiones difficiles tractandas, atque verſandas, linguæ ac ſtyli ſaluberrimus labor diſtincta eſt à poſteriorum libris, excellentia Canonicæ authoritatis, V. & N. Teſtamenti: quæ Apoſtolorum confirmata temporibus per ſucceſſiones Epiſcopoum & propagationes Eccleſiarum, tanquam ſedes quadam ſublimiter conſtituta eſt, cui ſerviat omnis fidelis intellectus. Ibi ſi quid velut abſurdum moverit, non licet dicere, Author huius libri non tenuit veritaté: Sed aut codex mendoſus eſt, aut interpres erravit, aut tu non intelligis. In Opuſculis autem poſteriorum quæ libris innumerabilibus continẽtur, ſed nullo illi ſacratiſſimæ Canonicarum ſcripturarum excellentia coæquantur, etiam in quibuſcunq; earum, invenitur eadem veritas, longè tamen eſt impar. Itaque in eis ſi quæ propterea diſſonare putantur à vero, quia non ut dicta ſunt intelliguntur: T amen liberum ibi habet Lector, auditorve judicium, quo

vel

vel approbet quod placuerit, vel improbet quod offenderit: Et ſi cui diſplicuerit, aut credere noluerit non reprehenditur, *&c. Idem lib. de nat. & gratia cap.* 61. Solis Canonicis ſcripturis ſine ulla recuſatione conſenſum debeo, &c. Nunc ſi ſolis Canonicis citra reniſum aſtringimur, licebit interim ab aliis literis diſſentire. Catholicis autem literis nemo non cedet, nemo non ſubſcriberet: ſive fuerit laicus, ſive Sacerdos, ſive Rex, ſive Imperator ſacris literis cedat, atque ad illius impetum molleſcat omne, quod vitam habet, quum nihil ſit ſanctius ac magis neceſſarium in hoc mundo traditum!, *&c. Item in Epiſtola ad Fortun.* III. *idem ſcribit*: Neque quorumlibet diſputationes „ quamvis Catholicorum, laudatorum hominum veluti Scripturas Canonicas habere debemus: ut nobis non liceat ſalvâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus aliquid ex eorum ſcriptis improbare atque reſpuere, ſi forte invenerimus quod aliter ſenſerunt, quam veritas habet, Divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. *Sic & Epiſtola* 48. *ad Vincentium Donat.* Hoc genus literarum, *inquit*, ab authoritate canonis diſtinguendum eſt. Non enim ſic leguntur tanquam ita ex iis teſtimonium proferatur ut contra ſentire liceat ſicubi fortè aliter ſenſerint, quàm veritas poſtulat, *&c. Item lib.* 1. *de peccatorum meritis cap.*22. Cedamus *inquit*, & conſentiamus authoritati Scripturæ ſanctæ, quæ neſcit falli, nec fallere. *Et alibi*: Hominum eſt labi, hallucinari, falli, fallere, decipi & decipere: Paulo dicente ad Col. 2. Videte ne quis decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi & ſecundùm Chriſtum. Divinæ autem Scripturæ robur, nullum ejuſmodi defectum admittit, nullum conquirit commodum, tantum ad noſtras utilitates capeſſendas non allicit, neminem fallit, nemini blanditur. Quod idem Paul. 2. Cor. 1. affirmat dicens: Non fuit in illo eſt, & non, ſed eſt, vel etiam in illo fuit: Ideò per ipſum dicimus Amen ad gloriam noſtram. *Hæc ratio diſcriminis inter Prophetica & Apoſtolica atque alia omnia hominum poſteriorum, adeoque etiam ipſius Lutheri ſcripta, ex ipſa Humanæ infirmitatis, & Divinæ firmitudinis ac certitudinis Natura immutabili. deſumpta eſt: unde conſequitur, eam ad omnes homines, quæcunque ætate, loco & Tempore extendi debere. Ideoque meritò* Auguſtinus *inter Priſcilianiſtarum hæreſes hanc quoque numeraret, quòd Apocryphas Scripturas ſimul cum Canonicis legerent, eiſque parem authoritatem tribuerent. Hinc etiam multò magis aparet, non licere cuiquam in Eccleſia ſine crimine, Humana ulla ſcripta Canonicis Scripturis exæquare, paremque illis authoritatem atque prærogativam tribuere, ut inde homines certum ſibi fidei fundamentum ſumere cogantur. Cùm igitur Patres Torg. & Bergenſes in Formula Concordiæ efficere conentur, ut Lutheri Scripta, etiam polemica, pro authentica & ſacroſancta purioris doctrinæ & ſinceræ ſibi fidei regula certiſſimoque fundamento, recipiantur, ab omnibus Eccleſiis, & qui id facere recuſarint, proſcribantur, & damnentur tanquam hæretici: manifeſtum eſt, illos tantò majoris criminis, quàm Priſcilianiſtas ſuſpectos ac reos teneri, quantò nova & contentioſa Lutheri ſcripta inferiora ſunt dignitate & vetuſta approbatione, Apocryphis illis, quæ in Eccleſia legi quidem, ſed non ad conſtituenda fidei dogmata veteres promiſerunt.*

Ipſe quoque Lutherus *vel ſibi, vel ſuis ſcriptis hanc authoritatem tribui nunquam expetivit, ſed ſe ſuamque doctrinam S. Scripturæ cenſuris ſubjecit, & ſi inde quiſquam eum erroris convincat huic ſe ceſſurum, ut meliora & veriora docenti promiſit. Nam in ipſius Oratione coram Imp. Carolo* V. *Anno* 1521. *habita* ſe fecem nominat non niſi errore valentem. *Quæ certè alio referri non poſſunt, quam ad doctrinam, ſeu ad dogmatica ipſius ſcripta, quæ etſi ſe* niſi S. Scripturis convicti in ullius hominis gratiam damnare aut revocare non poſſe teſtetur: omnium tamen, etjam minimorum, diſquiſitioni, examini, atque teſtimonio, exemplo Chriſti, ſubijcit. *Ex quibus tum verbis, tum illius publicæ actionis ſerie apparet,* Lutherum *ita de ſe, ſuiſque omnibus ſcriptis ſenſiſſe, ut videri noluerit legitimum ullum judicium unquam defugere. In Epiſt. quoque quam Vuormatiâ diſcedens, ex itinere ad Cæſarem ſcripſit,* Paratiſſimus ſum, *inquit*, adhuc ſub fide Majeſtatis tuæ, coram judicibus non ſuſpectis, eruditis, tam profanis quã Eccleſiaſticis ſiſti: quo per majeſtatẽ tuam, per Imperii Ordines, per Concilia, per Doctores ſive quicunq; poſſit ac velit docere: libelloq; meos & dogmata omnibus libentiſſimè ſubmittere, examen & judiciũ ſuſtinere & acceptare: nulla re prorſus excepta, niſi ſolo Dei Verbo, aperto, claro & liberrimo, quod meritò omnibus ſuperius, & omnium judex permanere debet, *&c. Quid dici potuit vel apertius, vel modeſtius, tum ad omnium ſuorum ſcriptorum ſubmiſſionem, tum ad ſolius Verbi Dei authoritatem, ſupra omnia humana ſcripta evehendam? Cùm igitur ille nominatim exprimat, ſe libellos & dogmata ſua omnibus libentiſſimè ſubmittere, & addat, ſe eorum judicium eatenus ſuſtinere velle, ut ſi redargutus, & de aliquo errore convictus fuerit, omnia ſit revocaturus, & primus futurus, qui ſuos ipſe libellos igni tradat &*

Lutherus ipſe ſua ſcripta pro canonicis haberi noluit.

pedibus conculcet: certè nulla temerariâ præſumptione, quod Torg. & Bergenſes Patres faciunt, ſua ſcripta putat, aut vult eſſe omni exceptione & reprehenſione majora: & tantæ tamque certæ authoritatis, ut & ea à quoquam nolit vel exanimari, vel liberè repudiari aut emendari. In alia etiam ſua Epiſtola eodem illo tempore, ad Ordines Imperii miſſa, apertiùs adhuc teſtatur, Non eſſe ullius hominis ſcripta pro certa fidei regula aſſumenda, ſed ſolis Scripturis & verbo Dei nitendum. In rebus divinis, *inquit*, & æternis Deum nec poſſe, nec velle ferre, ut in uno, vel pluribus hominibus corda noſtra acquieſcant: Sed in ſola ipſius bonitate, ut qui ſolus hanc gloriam habeat, quod verax ſit, imo veritas ipſa: Homines verò cuncti mendaces, & vani, ut Paulus eſſe docet in Epiſtola ad Romanos. Et meritò quidem, quum illa fiducia, atque hic aſſenſus, teſte Auguſtino, vera ſit adoratio & proprius cultus Dei, nulli prorſùs Creaturæ tribuendus. Hinc eſt quod S. Paulus neque Angelum de Cœlo, neque ſeipſum & proculdubio neminem Sanctorum, ſive in Cœlo ſive in Terris dignum hac latria, hoc eſt cordis fiducia, vult reputari, imò etiam tales exſecratur. Neque etiam quiſquam Sanctus eſt qui honorem iſtum ferret, multo minus expeteret unquam. Collocare enim fiduciam carnis in hominem, quid obſecro aliud eſſe poteſt, quam ex creaturis idola conficere, & ſubſtituere ea in locum Creatoris? *Hæc* Lutherus *contra Pontificios, qui abſque ulla inquiſitione aut legitima Verbi Dei autoritate, tum ſua decreta ab omnibus ſuſcipi, tum quæ illis adverſantur abjurari & damnari volebant. Quid verò Torgenſes iſti aliud moliuntur, hoc ſuo novo Corpore doctrinæ? Intelligit igitur Lector ex his* Lutheris *dicti ſummam ipſi fieri hoc modo injuriam, ſi illius ſcripta tantam obtineant autoritatem, ut in illis fiducia aliqua ac fundamentum veritatis indubitatæ conſtituatur. Hunc enim honorem nemo citra ſuſpicionem impiæ ambitionis, vel ferre vel expetere, ipſo Luthero teſte, poteſt.*

An Lutheri ſcripta Vbiquiſtæ eodem loco quo S. Scripturam habeant.

Sed negant Lutherani, ſe, quocunque tandem in pretio aut honore Lutheri ſcripta habeant, eodem tamen illa loco, quo Sacram Scripturam habere: aut ita amentes eſſe, ut non diſcernant inter verba ſeu ſcripta Spiritus Sancti, & hominum. *Negant etiam*, ſe quenquam cogere, ut in verba Lutheri juret. *Et ut hoc hominibus perſuadeant, objiciunt quo ordine & loco illa in Formula Concordiæ Torgenſi & Bergenſi conſtituantur.* Principem nempe ſe locum dare libris Canonicis Sanctæ Scripturæ: ſecundum ab illis tribus receptis in Eccleſia vetere ſymbolis: tertium Auguſtanæ Confeſſioni & ejus Apologiæ: quartum, Articulis Schmalcaldicis, & utrique Lutheri Catechiſmo, aliiſque ejus ſcriptis. *Hæc illi quidem: ſed quomodo verbis facta reſpondeant, tum ex* Pouchenii *adverſus Palmerium, tum ex Formulæ Torgenſis, & Bergenſis præſertim verbis eſt expendendum. Fatetur* Pouchenius *ingenuè* ſcripta Lutheri, Lutheranorum Eccleſiarum approbatione per multos jam annos eam autoritatem adepta eſſe, ut in rebus fidei eis NITANTUR, &c. *Et novi Corporis Compilatores apertè teſtantur* ſe aliam nullam fidei confeſſionem recipere poſſe, aut velle, quæ non conveniat cum ſcriptis polemicis & interpretatione Lutheri, ad quos omnes fidei articuli referendi ſint. *Hoc nihil eſt aliud, quàm ab unius hominis arbitrio & autoritate reipſa pendere: & unius hominis ſcripta pro regula fundamentali fidei non minus quàm libros Canonicos conſtituere*, ex quibus ſolis liceat de veritate aliarum doctrinarum judicium facere, *ut habet Præfatio libri Bergenſis, ex Torgenſi fabrefacti, Quocunque ergo loco, aut ordine ſcripta Lutheri collocent, & quibuſcunque verbis ac proteſtationibus illa ſcriptis Canonicis poſtponant: res ipſa tamen loquitur, ipſos illa pari omninò dignitate & autoritate cenſere, quam veteres non tantum Symbolis illis tribus, quibus iſti apertè ſcripta Lutheri comparant, ſed etiam S. Scripturæ tribuerunt, ex qua ſola de veritate doctrinæ judicandum, & condendos fidei articulos* Lutherus *ipſe fatetur.*

In Torgenſi hoc Conventu Vbiquitas etiam canonizatur.

Non ſolum autem novam hanc & puriori antiquitati incognitam regulam, ſi Libros Propheticos & Apoſtolicos, cum tribus ſymbolis demas, in Torgenſi hoc altero Conventu conſtituerunt, ſed in eodem etiam articulos, de quibus tunc temporis Theologi Auguſtanæ Confeſſionis paſſim in Academiis & Eccleſiis acriter inter ſe digladiabuntur, de peccato Originis, de libero arbitrio, juſtificatione, de bonis operibus, de lege & Evangelio, de tertio uſu legis, de Cœna Domini, de Perſona Chriſti, de deſcenſu ejus ad inferos, de adiaphoris & de prædeſtinatione jam tum examinarunt ac deciderunt. Theodoretum tanquam Neſtorianum exploſerunt. Negarunt Corpus Chriſti in certo Cœli loco eſſe circumſcriptum: aſſeruerunt, cœlum id, in quod Chriſtus aſcendit, eſſe ubique diffuſum: dixerunt Chriſtum ſecundum Humanam Naturam eſſe ubique, omniſcium, omnipotentem, non tantùm ſecundum Divinam: aſtruxerunt Corporalem præſentiam Chriſti in Cœna ex reali communicatione idiomatum. Atque adeò dogma Vbiquitatis, quod Lutherus ab initio certaminis ſacramentarii excogitarat, ſed mox repudiarat etiam, non ſolum canonizatum, inter Ca-

nones

nones Eccleſiaſticos relatum: ſed etiam novis additionibus, veluti de Theodoreto, de cœlo ubique diffuſo, de omniſcientia & omnipotentia Humanæ Naturæ, de præſentia Corporis Chriſti in Cœna ſecundum majeſtaticum modum, de quibus nihil prorſus apud Lutherum legitur, ex Brentii & Schmidlini ſcriptis & ſomniis in hoc Conventu auctum fuit.

Orthodoxi libri in eadem Synodo damnantur & vendi prohibentur.

In Epiſtola denique ab his Theologis, qui huic interfuerunt Conventui, ad Electorem Auguſtum miſſa, ſuppliciter inter alia conſulunt & petunt, ut libri Grundfeſt / Diſputatio Grammatica, Quæſtiones, Catechiſmus, Acta Synodica, Dreſdenſis Conſenſus, Endlicher Bericht / *& ſimilia ſcripta Vuitebergæ & alibi edita, & huic conſilio ſuo & Concordiæ prorſus adverſa, è medio auferantur, quemadmodum in Liechtenbergenſi deliberatione hoc idem conſilium datum ſit, quod ipſi repetendum eſſe duxerint. Cumque authores horum librorum non præcipuè ipſorum perſonas, ſed per latus eorum Lutherum petierint, & doctrinam ab ipſo illuſtratam, inprimis de Perſona Chriſti, & de Cœna Dominica damnaverint, & hoc conatu Satanas ipſum Chriſtum de ſede & throno Divinæ Majeſtatis deturbare, & non tantum Sacramentariis, verum etiam Arrianis Mahometanis feneſtras aperire, & viam præparare voluerit, monent Celſitudinem ejus, ut viam & media quærat, quibus etiam huic malo occurri poſſit.*

Lege illos libros & invenies falſiſſimè hæc dici.

CAPUT XII.

De Cenſuris Formulæ Torgenſis.

Formula Torgenſis ad alios etiam à Saxone miſſa Theologos. Quid actum cum recuſantibus ſubſcriptionem in Electorali Saxonia.

N*Ovum hoc Corpus doctrinæ cùm à Theologis accepiſſet Elector Saxoniæ* Auguſtus, *miſit illud ad alios quoque Auguſtanæ Confeſſionis hinc inde Theologos & Eccleſiarum miniſtros. Recuſantes in Electorali Saxonia ſubſcribere, tanquam res novas molientes, non tantùm in Eccleſia, ſed etiam in Republica calumniis oppreſſi, non auditi, non refutati, non collatis ſententiis, indictâ causâ, à ſuis accuſatoribus condemnati ſunt ad proſcriptiones & carceres: ibi cum illis actum de ſubſcriptionibus, non rationibus, ſed vel promiſſionibus, vel minis: Dictum palàm, ab iſtorum ſociis cavendum eſſe omninò, ut res ad diſputationem veniret; ſi enim accuſatis poteſtas diſputandi & ſe defendendi fieret, actum eſſe de ſua cauſa. Propoſitæ ſunt quæſtiones inquiſitoriæ, ad quas reſpondere jubebantur ſimplici affirmatione aut negatione: qui non reſpondere pro Vbiquitatis cauſa, Sacramentarius proclamatus; Anathema, qui diſputaret, quia Lutherus diſputârit ſatis.*

Formula Torgenſis aliis Electoribus Principibus, &c. mittitur.

Miſſa eſt deinceps nova hæc Formula Concordiæ ad alios quoque Auguſtanæ Confeſſionis Electores, Principes ac Ordines: petita eſt ſpecioſis rationibus libri Cenſura & approbatio. Sed plerique ſubſcriptionem multis & juſtis de cauſis recusârunt, & graviſſimas Eccleſiarum controverſias alio modo tractandas & dijudicandas cenſuerunt; quæque in hoc libro deſiderarent liberè, miſſis cenſuris, indicârunt.

Formula Torg. mittitur Philippo Lud. Palatino.

Elector Saxoniæ mittit hanc Formulam Philippo Ludovico Palatino Principi II. Iunii anno 1576. *proteſtatur, ſe illi præſcribere nolle ut eam ſubſcriptione ſuâ approbet; ſed tantùm ut de illa ſuorum Theologorum judicium requirat, quò deliberari poſſit, quid ulterius in hoc negotio agendum ſit.*

Mittit eandem Schmidlinus eidem.

Mittit 13. *Iulii hanc ipſam declarationem controverſorum Articulorum (hic enim primus fuit titulus Formulæ Concordiæ) de quibus Torgæ conſenſus factus eſt, eidem Principi Palatino* Iacobus Schmidlinus: *petit, ut illam Civitatibus Imperialibus Sueviæ, utpote* Ratiſponenſi, Tonnaverdenſi, Auguſtanæ, Nordlingenſi, Dinckelpurgenſi, Bopfingenſi; *item Comiti* Oetingenſi *tranſmittat, quò conſenſus omnium facilius impetrari poſſit. Idem etiam facturum* Kemnitium *in inferiori Saxonia. Se quoque Vuirtenbergenſem Ducem monuiſſe, ut* Vlmenſes, Algovienſes, Argentinenſes, Francofurtenſes, Alſatos *& vicinas Eccleſias de hoc ipſo ſollicitet.*

Reſpondet Palatinus.

Reſpondet Palatinus Schmidlino 24. *Iulii ſe articulos Torgenſes lecturum, & aliorum etiam de his judicia collecturum. Petit ſimul, ut ſummâ fide ſibi ſignificet, quid* Iulius *D. Brunſvicenſis, Haſſus, Brandeburgicus, Vuirtenbergenſis & alii Principes facere decreverint.*

Mittuntur articuli Torg. Ioanni Palat.

Idem Princeps fratri ſuo Iohanni Palatino *hos ipſos Articulos mittit,* 6. *Auguſti ejuſque judicium liberum de iis requirit. Reſpondet Palatinus fratri* 20. *Aug. ſibi conſultum videri, ſi reliquorum Ordinum Auguſtanæ Confeſſionis Theologi, de hoc conſenſu Declarationis, etiam ſuam Declarationem & conſenſum exhiberent. Pollicetur, ſe prius Torgenſem declarationem diligenter lecturum, quàm ſuis Conſiliariis & Theologis diſceptandam tradere velit. Idem etiam ſcribit Electori Saxoniæ* 22. *Aug.*

Neuburgenſium cenſura.

Neuburgenſes *Theologi offerunt* 8. *Aug. judicium ſuum de his Torgenſibus articulis Principi ſuo* Philippo Ludovico, *in quo teſtantur, ſe per omnia & corde, & ore, & ſcripto etiam comprobare eos. Saltem hoc ſe deſiderare, quòd contra promiſſum in principio libri factum, in nono & undecimo Articulo antitheſin omiſerint. Articulum de deſcenſu ad inferos, nimis breviter tractatum eſſe, quem in theſi & antitheſi fuſius debuiſſent explicare.*

Torgenſis formula mittitur à Saxone Landgraviis Haſſiæ.

Miſit etiam Elector Saxoniæ hunc Torgenſem librum Illuſtriſſimis Principibus Vuilhelmo & Ludovico *Landgraviis Haſſiæ, eorumque judicium de eo petit. Landgravii præcipuos ſuos* I 4 *Theo-*

Theologos Caſſellas convocant, Librum eis exhibent, diligenter eum excutere ſeu examinare jubent, eorumque judicium de toto Libro, & ſingulis ejus articulis requirunt. Theologi cùm librum iſtum in timore Domini legiſſent & examináſſent, Cenſuram & judicium ſuum Principibus ſuis ſcripto accurato offerunt 5. die Septembris Anno 1576. quòd è Germanico in Latinum verſum ſic ferè de verbo ad verbum habet. Illuſtriſſimi Principes, Clementiſſimi Domini, &c. gratias inprimis agimus omnipotenti & Æterno Patri D.N. Ieſu Chriſti, &c. deinde Illuſtriſſimo Principi & Electori Saxoniæ Auguſto: tertiò, Vobis Clementiſſimis noſtris Dominis, &c. quòd officii Veſtri memores, D.N. Ieſu Chriſti honorem, & Regni ejus propagationem, ſingulari quodam zelo & ardore promovere ſtudetis, &c. Quamvis autem nos cum illis, quæ inter Auguſtanæ Confeſſionis Theologos exortæ ſunt, contentionibus & diſcordiis nihil quicquam commercii habuerimus (ut quæ partim nobis incognitæ, partim verò ne auditæ quidem à nobis fuerunt) ſed, Dei gratiâ, in ſimplici verbi Dei intellectu, & Auguſtana Confeſſione in Eccleſiis & Scholis, noſtræ fideicommiſſis, permanſerimus, ac proinde, quod tamen abſque arrogantia dictum volumus, nullâ quantum quidem ad nos attinet, cum aliis conciliatione opus habeamus: communis tamen conſenſûs conſervandi, & ſcandala, quæ fortè nonnullis hiſce polemicis ſcriptis data ſunt, è medio tollendi causâ, ab hujuſmodi Chriſtiano Concordiæ ſanciendæ ſtudio, nos nequaquam ſegregare, ſed quantum in nobis eſt, id promovere & juvare volumus. Et quanquam nullum dubium ſit, quin Electorales Theologi, qui Concordiæ Notulam compoſuerunt, omnia, quæ ad concordiam ineundam & conſervandam pertinent ac neceſſaria ſunt, ſatis ſuperque expenderint; quia tamen vota libera eſſe decet in Eccleſia, & Celſitudines V. noſtrum judicium & cenſuram, quemadmodum & Saxoniæ Elector, juxta cujuſvis conſcientiam, requirunt: neminem fore ſperamus, qui nobis vitio vertat, ſi ex debita erga Celſitud. V. obſervantia & obedientia, fidei noſtræ rationem reddentes, in hac re maximi ponderis, ſimplex noſtrum judicium & Chriſtianam cenſuram breviſſimè exponamus. Quod tamen hac expreſsâ conditione acceptum volumus, nos in hoc ipſo judicio noſtro pertinaciter non manſuros, ſed meliora ex verbo Dei, & evidentiſſimis rationibus docenti & demonſtranti, ultrò ac libenter locum dare & cedere paratos eſſe.

Iudicium Haſſiacorum Theologorum de Torgenſi formula

Quantum primò ad Præfationem & Exordium libri attinet, ſatis copioſè in eo cauſæ judicatæ ſunt, Opus hoc non temeritate vel audaciâ quadam, aut novitatis invehendæ ſtudio, ſed ſummâ neceſſitate id exigente, inchoatum eſſe, ut concordia & conſenſus à nonnullis Auguſtanæ Confeſſionis Theologis labefacturus, & nonnihil interruptus, reſtauretur & rénovetur. Hoc nullus pacis ſtudioſus improbare poteſt. Illud autem unicuique judicandum relinquimus, an non adverſariis nos calumniandi & accuſandi materia, & quaſi gladius, quo nos feriant ac jugulent, in manus præbeatur, quando expreſsè confitentur, aliquos Theologos à quibuſdam nominatæ Confeſſionis articulis, defeciſſe, & exorta certamina non tantum λογομαχίαν, ſed maximi ponderis res eſſe. Quod etiam in conſcribendo hoc Corpore doctrinæ proteſtantur Theologi, ſe novum Corpus doctrinæ componere nolle, valdè nobis probatur. Aſſentimur in hoc etiam Theologis, Prophetica & Apoſtolica ſcripta unicum eſſe Lydium lapidem, ad quem omnes doctrinæ examinari ac probari debeant: Symbola autem & Auguſtanam Confeſſionem unà cum Apologia & Schmalcaldicis articulis, vice teſtimonii eſſe debere conſenſûs Eccleſiæ; cùm Auguſtana Confeſſio, ejuſque Apologia in Conventu Naumburgenſi Anno 61. à nonnullis Electoribus & Principibus denuò ſubſcripta, & quæ in Imperii Comitiis & Colloquiis oblatæ & exhibitæ ſunt Confeſſiones, quibus & Schmalcaldici articuli annumerandi, repetita & Imperatori *Ferdinando* tradita, adeoque unanimiter approbata ſunt.

De præfatione & Exordio libri Torgenſis

Hoc verò nobis non minus mirum, quam diligenti conſideratione dignum videtur, quòd vox IMMVTATA Confeſſioni Auguſtanæ additur: cùm tamen Electores & Principes haud dubiè ſingulari conſilio, & magnis gravibuſque de cauſis, in dicto Conventu Naumburgi, non primam tantùm, quæ Imp. *Carolo* 5. Auguſtæ exhibita fuit, ſed etiam alteram, quæ paulò poſt Anno 40. & 42. copioſius repetita, & ex Scriptura ſacra emendata, declarata & locupletata, ac Vuitebergæ in lucem edita eſt, nullatenus rejecerint, ſed ut defenſam etiam in Vuormatienſi Colloquio adverſus Eccium, & ſic authenticum ſcriptum, vivente adhuc Luthero, factum, æquè ac priores Anno 30. Imp. *Carolo* traditas, & Anno 31. Vuitebergæ excuſas, approbârint: quæ omnia verbo IMMVTATA improbantur, ut non modo ob hanc cauſam Theologi, ſed etiam Evangelici Electores & Principes levitatis & inconſtantiæ argui & accuſari poſſent.

De Immutata Confeſſione Auguſtana

Minorem Catechiſmum Lutheri, ab eo tempore quo lux Evangelii denuò inter nos accenſa

De minore & majore Catechiſmo Lutheri.

accenſa eſt, ad hoc uſque tempus propter juventutis inſtitutionem retinuimus, & in poſterum etiam ſimplicium & infirmorum causâ retinebimus. Majorem ejuſdem Catechiſmum, ut concionatoribus accommodatiorem, quàm plebi, quique non publico, ſed Lutheri privato nomine editus eſt, reliquis ejus ſcriptis annumeramus.

De ſcriptis Lutheri omnibus canonizatis. Nota.

De reliquis *Lutheri* ſcriptis, quæ tanquam communis Eccleſiarum conſenſus citantur, cùm ſæpius Theologi non ad didactica tantùm, ſed etiam ad polemica ejus ſcripta ſeſe referant, piè & Chriſtianè monendum duximus, quomodo hæc conveniant, quòd ab initio mox proteſtantur Theologi, Corpus hoc ſuum doctrinæ ex iis tantum ſcriptis confici debere, quæ publico nomine edita, & ab Eccleſia approbata atque recepta ſunt, quorum etiam in ſpecie quædam nominantur: poſtea vero omnia Lutheri ſcripta privata quoque pro regula decernuntur, ad quam proximè à Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, tanquam noſtris Symbolis, omnia certamina dirigi & componi debeant?

Lutheri, tanquam ſingularis & præſtantiſſimi organi Dei authoritas ſervanda meritò, & ut ingratitudo maxima eſſet, ſi agnoſcere nollemus, Deum his ultimis temporibus in univerſalem Eccleſiam magna & præclara beneficia per eum contuliſſe. Notum eſt autem, *Lutheri* ſcripta diſſimilia, nec ſibi conſentientia, eſſe, quod ipſemet quoque *Lutherus* ſæpè faſſus eſt, & ex illis non ſolùm Papiſtas, ſed etiam alios interdum teſtimonia contra nos proferre, unde rurſus *Lutherus* iis non plus, quàm par eſt, tribui voluit, ſicut ex præfationibus librorum ejus videre licet, ubi dicit: *Quantum ad me attinet, ferre poſſem, ut omnes mei libri perirent, ut qui iis nihil aliud quæſierim, quàm ut Sacra Scriptura & Dei veritas pateſiat, quæ nunc per Dei gratiam tantâ claritate & potentiâ lucet, ut Eccleſia meipſo, meique ſimilibus, præſertim verò diſſimilibus meis ſine damno carere poſſet.* Probè etiam cavendum cenſemus, ne calumniis detur occaſio, quum jam antea nonnulli objecerint nobis, nos *Lutheri* ſcriptis, haud ſecus quàm Captivitate Babylonicâ conſtringi: propterea eò reſpiciendum arbitramur, ut hac in parte cautè agamus & loquamur, ne malevoli nos ex propriis noſtris verbis, diſſimilium & contrariarum ſententiarum convincere & accuſare queant. Præterea hoc etiam periculoſum eſt, huic, quod homines docuerunt, nimium fidere, quum hoc ipſo conſcientiæ ſatiari nequeant: Imò præſtantiſſimi quique Doctores, quod Patrum exempla ſatis probant, non in omnibus puri fuerunt, ſed quilibet ſuos nævos & vitia habuit, quod etiam ipſe Lutherus de ſe ipſo ingenuè fatetur, inquiens, *Non ſe meliorem eſſe Auguſtino, qui glorietur, ſe docendo & ſcribendo quotidiè profecere.*

De novo Corpore doctrinæ.

Illud etiam ſilentio præterire non poſſumus, quòd etſi Theologi iſti videantur ſibi nihil novi proferre, ſed vetera ſcripta retinere, mirum tamen videbitur amicis noſtris nobiſcum ſentientibus æquè atque adverſariis, quòd deinceps antè citata ſcripta *Corpus doctrinæ* nominari debeant, cùm tamen à multis jam annis *Corpus doctrinæ* habuerimus, eoque tanquam Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis conſentiens; pro Chriſtiano conſenſu noſtrarum Eccleſiarum uſi hactenus fuerimus, cui ſcripta ea inſerta fuerunt, quorum nunc ne uno quidem verbo fit mentio. Etſi enim hæc clauſula annexa ſit, *Reliquos utiles & puros libros, interpretationes ſacrarum literarum, refutationes errorum, & fidei Articulorum explicationes, per hoc nequaquam rejici vel abrogari, ſed quatenus conſentiant cum præſente doctrinæ exemplari, pro utilibus explicationibus & declarationibus haberi & cum fructu legi poſſe:* Nihilominus quum eo ipſo quòd aliud *Corpus doctrinæ* fabricatur, prius illud vel omninò tollitur & abrogatur, vel ſaltem improbatur & reprehenditur, veremur, hanc clauſulam ſcandalo, quod ex hac mutatione in piorum & fidelium animis exoriri poſſet, cavendo, & adverſariorum calumniis avertendis, non ſatis idoneam & ſufficientem fore: ob quam cauſam jure nobis objici poſſet, quod *Sophronius Acacianis* in Seleuciana Synodo objecit, ut ſcribit Socrates lib. 2. c. 40. *Si ſingulis diebus propriam exponere ſententiam, fidei conſtituit expoſitionem, amittemus tandem veritatis certitudinem.*

De abrogatis Melanchthonis ſcriptis.

Manifeſtum eſt, nec poteſt negari, quòd juxta ſcripta incomparabilis viri *Philippi Melanchthonis*, (quæ ante hæc tempora inſerta fuerunt Corpori doctrinæ, quod non ſolùm Eccleſiæ Saxoniæ Electoralis, ſed noſtræ quoque & multæ aliæ approbârunt) omnes ferè Scholæ & Eccleſiæ informatæ, & magno cum fructu innumerabiles Animæ, quæ in vera fide, & vera Filii Dei invocatione ex hac vita migrârunt, & jam in Domino requieſcunt, inſtitutæ ſint. Hæc ipſa verò ſcripta non ſolùm novo hoc Corpore doctrinæ ſuſpecta redduntur, ſed etiam omnium Eccleſiarum, earumque miniſtrorum labor in erudiendo ex iis & inſtituendo populo in dubium vocatur; & propterea hæc res diligentem conſiderationem meretur. Quid Lutherus de Melanchthonis libris, inprimis de Locis ejus Theologicis judicarit, omnibus notum eſt, proinde eò cum primis reſpiciendum, ne rejectione præſtantiſſimorum ejus ſcripto-

ſcriptorum, auctoritas illius imminuatur, & clariſſima fama obſcuretur, noſtraque doctrina, quam hucuſque profeſſi ſumus, ſuſpecta & dubia ſimul reddatur: metuendumque ſit, ne tandem aliis quoque fidelibus Doctoribus, qui jam in magna authoritate, & de Eccleſia optimè meriti ſunt, adeoque ipſi etiam Luthero idem eveniat; ſi nimirum virgulâ cenſoriâ contra præſtantiſſimum hunc virum, & non tantum de Eccleſia Dei, ſed etiam de communibus ſtudiis præclarè meritum, tam accuratè & ſeverè utamur, ejuſque nævos, quorum aliquos etiam pro Humana imbecillitate habuit, juxta charitatis regulam, non quantum quidem in nobis eſt, legamus. Ad hoc igitur malum præcavendum & declinandum, videretur nobis juxta ſimplicitatem noſtram, conſultiſſimum fore, ſi ad ſingula nominata ſcripta ſimpliciter nos referremus, nec Corpus doctrinæ nominaremus, præſertim cum hîc non de Corpore doctrinæ præcipuè conſtituendo, ſed de componendis controverſis articulis agatur.

De peccato Originali.

Primus Articulus de *Peccato Originali*, quòd illud non hominis Natura ſubſtantia vel eſſentia, hoc eſt, hominis Corpus & Anima ſit, optimè explicatus, quicquid contra movit ac finxit *Illyricus*, inque plurimis, inutilibus & inquietis ſuis ſcriptis maximo tumultu & clamore defendit, ſatis, quantum rei neceſſitas poſtulavit, confutatum & explicatum eſt, & acquieſcimus theſi & antitheſi, neque aliter unquam hactenus ſenſimus & docuimus: & ante aliquot annos, Celſitudinibus V. noſtrum ad Librum *Vuigandi* de peccato Originis judicium clementer requirentibus, ad eundem prorſus modum ſententiam noſtram humiliter declaratam tradidimus.

De Libero hominis Arbitrio.

In Articulo de *libero hominis arbitrio* nonnulli vehementer laborarunt: ne vel Manichæorum, vel Pelagianorum ſententia defenderetur. Hoc verò negotium, noſtro quidem arbitratu, tam accuratè & perſpicuè declaratum eſt, ut nullus pacis amans de eo amplius dubitare poſſit.

De Iuſtificatione fidei.

In tertio Articulo de *Iuſtificatione fidei coram Deo*, uterque error, cùm *Oſiandri*, tum *Stancari* rectè, tanquam noxius & pernicioſus declaratur & rejicitur. Ac licet non omnia, quæ Aldenburgi de hoc Articulo diſputata ſunt, in ſpecie, ac illis ipſis verbis, quibus in Colloquio iſto uſi ſunt, repetuntur; articuli tamen hujus declaratio eò directa eſt, ut qui aliquo ſaltem judicio præditus eſt, de toto iſto Colloquio judicare, & omnes tum quidem motas contentiones & errores facilè, & ex ipſis fundamentis diſcernere & decidere poſſit.

De bonis Operibus.

Idem etiam in quarto Articulo de *bonis operibus* factum eſt: eaque propter ambos in theſi & antitheſi approbamus.

De Evangelii definitione.

Ex *definitione Evangelii*, in Locis Communibus Philippi, ubi ſcribit, Evangelium eſſe prædicationem pœnitentiæ de promiſſione remiſſionis peccatorum, certamen exortum eſt, quid propriè Evangelium ſit & ſignificet, quæ res in quinto Articulo commemoratur & explicatur. Quamvis autem nonnulli docuerunt, Evangelium in propria ſua ſignificatione, pœnitentiæ quoque prædicationem eſſe, idque ſubtilibus gloſſis declarare voluerunt: Nos tamen in illa à Theologis citata & uſurpata diſtinctione acquieſcimus: nempe, Si Evangelium pro univerſa & tota doctrina Chriſti, quam ipſe prædicavit, atque etiam in novo Teſtamento prædicare juſſit, accipiatur, ęquè pœnitentiæ prædicationem eſſe? atque promiſſionis de remiſſione peccatorum: Sin verò ſimpliciter & propriè ſumatur, pro prædicatione videlicet gratiæ Dei in Chriſto Ieſu, tunc non eſſe pœnitentiæ prædicationem, ſed tantum prædicationem remiſſionis peccatorum. Proinde in quæſtionem & contentionem vocata eſt definitio, priore ſenſu recta & vera eſt; poſteriore verò conſiſtere nequit: nec ipſe author alio ſenſu quàm primo accipi voluit eam, dum initio hujus loci de Evangelio, id doctrinam Apoſtolorum nominat. Et paulò ante hanc definitionem locum citat ex Lucæ ultimo cap. ubi Chriſtus docere jubet *pœnitentiam & remiſſionem peccatorum*. Ac paulò poſt expreſsè diſcriminis legis & Evangelii mentione factâ, dum de Evangelio propriè dicto loquitur, pœnitentiæ prædicationem, à prædicatione promiſſionis diſtinguit: Vtrunque igitur, quod in hoc Articulo ponitur, cum noſtra doctrina & ſententia conſentit.

De tertio Legis uſu.

Sicut etiam de tertio Legis Divinæ uſu, non ſecus ac Theologi declarârunt, ſtatuimus & in noſtris Eccleſiis hactenus docuimus.

De Cœna Domini.

De Cœna Domini noſtri Ieſu Chriſti, de qua ſeptimus Articulus agit, jam inde ab initio renaſcentis Evangelii lucis, ad hoc uſque tempus grave & pernicioſum certamen fuit. In noſtris autem Eccleſiis huc uſque aliter non docuimus, nec etiam in poſterum aliter docere ſtatuimus, quàm quod in vero uſu Cœnæ Dominicæ, una cum pane & vino verum eſſentiale ac præſens Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod pro nobis in arca Crucis mortuum eſt; & verus, eſſentialis Sanguis Domini, qui in ligno Crucis pro nobis effuſus eſt; non tamen externo, natura-

naturali & ſenſibus comprehenſibili, ſed interno, ſupernaturali, ſpirituali, & ſolâ fide comprehenſibili modo exhibeatur, ſumatur & manducetur à dignis & indignis. A dignis quidem ad fidei ipſorum confirmationem, adeoque ſalutem eorum; ab indignis autem ad judicium: *& cætera. Et mox:* Retinuimus, *inquiunt*, & adhuc retinemus Concordiam à Bucero anno 36. inter Vuitebergenſes, & ſuperioris Germaniæ Theologos conſtitutam, in qua etiam Illuſtriſſimus Princeps & æternâ memoriâ dignus Philippus Landgravius ſenior Celſitudines V. acquieſcere, eamque defendere in Chriſtianiſſimo ſuo Teſtamento mandavit, *&c.* Recipimus etiam & approbamus ſcriptum quoddam, quod anno 61. ſub utriuſque Vuitebergenſis & Lipſenſis Academiæ nomine, ab Electore Saxoniæ Celſitudinem V. parenti, ſanctiſſimæ memoriæ, miſſum fuit, in quo Concordiæ anno 36. initæ mox ab initio fit mentio, expreſſéque etiam de his quinque Articulis tractatur; 1. Quæ ſubſtantia Sacræ Cœnæ, &, quomodo hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum* intelligenda ſint: 2. quomodo manducatio fiat: 3. de diſcrimine duplicis manducationis, ſpiritualis & ſacramentalis: 4. de dignis & indignis: 5. de vero Cœnæ uſu. Recipimus & *Pauli Eberi* de S. Cœna Inſtitutionem & Confeſſionem, quæ anno 62. ſcripta & excuſa eſt. Et quoniam Theologorum, qui congregati fuerunt, copioſa & perſpicua hujus Articuli explicatio, quantum ad theſin & antitheſin attinet, in fundamento cum noſtra ſententia & doctrina congruit, in declaratione illa, hoc quidem ſenſu, acquieſcimus.

Haſſiaci Theologi improbant in Torgenſi formula condemnandi verbum. Hoc unum ex Chriſtiano & pio animo admonendum duximus, cùm totum hoc negotium eò directum ſit, ut inter eos, qui Evangelium purè receperunt, idque contra Pontificios pro virili defendunt, Chriſtiana & firma Concordia conſtitui & retineri poſſit, noſque omninò ſperemus & confidamus, ubi hoc Opus inter Auguſtanæ Confeſſionis Ordines ac Socios, Dei gratiâ & benedictione, exoptatum finem attigerit, fore, ut tùm, cùm primis etiam hoc cogitetur, quomodo inter Calviniſtas & noſtros, in hoc quoque Articulo, quandoquidem in reliquis ferè omnibus nobiſcum, & cum Auguſtana Confeſſione conveniunt, Chriſtiana concordia, ſi non iniri, at ſaltem quæri poſſit: An non præſtaret in antitheſibus mitiori aliquo & leniori, ſicut etiam in reliquis articulis factum eſt, vocabulo uti, quam toties repetere vehemens & durum illud Condemnandi verbum, ut omittamus alias multas odioſas voces, quibus animi alterius partis offenduntur & exacerbantur, quò Chriſtianâ hac manſuetudine futuræ Concordiæ quaſi ſemina quædam ſpargantur: præſertim cùm in ipſa quoque Auguſtana Confeſſione ſimpliciter dicatur, Et Improbant *ſecus docentes*, contra alios autem errores ab univerſa Eccleſia rejectos, verbum *Damnandi* ibidem ſæpè uſurpetur. Illud etiam negari non poteſt, quin multi infirmi inter illos, qui non malitioſè & pertinaciter in ſua ſententia perſeverant, ſed tantum ob idololatricæ Pontificiorum Tranſſubſtantiationis abominationem, & quia meliora non ſunt edocti, hac ratione graviter offenſi deterreantur, qui ſuo tempore lucrifieri poſſent. Noſtrarum igitur partium eſſe arbitramur, hoc cumprimis dare operam, ut patientiâ & manſuetudine erga illos utamur, atque vel Chriſtianam Concordiam cum illis ineamus, vel ſaltem illorum aliquos lucrifaciamus, & nulla culpa in nos meritò transferri poſſit.

Theologos quoque & ſcripti hujus Authores amicè de hoc admonendos duximus, Num approbandum ſit, quòd in hoc ipſo articulo ſcribitur, Theodoretum, ſuum errorem, propter quem in aliquot Synodis damnatus eſt, nunquam revocâſſe: quum tamen omnibus notum ſit, ipſum in Chalcedonenſi Concilio Neſtorium palàm condemnâſſe, Leonis Epiſtolam approbâſſe, & hanc ob cauſam ab univerſa Synodo receptum in gratiam eſſe: unde etiam ipſimet Authores hujus ſcripti illius authoritatem & teſtimonia ſæpè allegant. *Theodoretus errorem ſuum revocavit.*

In antitheſi 15. Artolatria, ſeu, panis Cœnæ Dominicæ adoratio rectè rejicitur: quia tamen annexa correctio, *Quòd nihilominus Chriſtus in Spiritu & veritate adorandus ſit*, à ſimplicioribus ſiniſtrè accipi, & ad Sacramenti adorationem trahi poſſet, clariùs, noſtrâ quidem ſententiâ, declarari debuit, ita quidem, ut clauſula hæc præcederet, eamque deinde rejectio idololatrici erroris ſequeretur demùm.

Octavus articulus de Perſona Chriſti, ut gravis & ſublimis eſt, ſic eidem totum Chriſtianæ noſtræ fidei fundamentum innititur: eaque propter meritò declaratur, & contra omnes errores, veteres etiam & novas hæreſes confirmatur & defenditur. Quemadmodum verò Satan Chriſti Domini ejuſque regni, & per conſequens etiam omnium piorum ac fidelium hoſtis eſt infenſiſſimus: ſic quoque in primitiva Eccleſia, mox poſt Apoſtolorum tempora, multos abominandos & blaſphemos errores ſuſcitavit, quibus hunc articulum corrumperet, & puram doctrinam de Perſona Ieſu Chriſti, obſcu- *De Perſona Chriſti.*

obſcuraret: qui tamen omnes, Dei gratiâ & auxilio, in Generalibus Conciliis, rectè explicati, & verbo Dei refutati ſunt. Hodiè verò de hoc articulo ideò controvertitur, quòd Zuingliani & Calviniſtæ, hoc ipſo & aliis articulis Fidei, de Aſcenſione Chriſti in cœlos, & Seſſione ad dexteram Patris, probant, Chriſtum nec verum & ſubſtantiale Corpus ſuum in ſacra Cœna edendum, nec verum Sanguinem ſuum bibendum nobis dare. Quamvis autem articulus hic non ſit fundamentum, ex quo præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœna probatur, ſed verba Inſtitutionis, *Accipite, edite, Hæc eſt Corpus meum*, &c. hæc faciunt, quòd certi ſumus, quod Dominus in legitimo hujus Sacramenti uſu, nos vero ſuo Corpore, & vero Sanguine cibet ac potet: fundamento tamen huic non adverſatur & repugnat, ſicuti multi opinantur. Sed quemadmodum verba Cœnæ teſtantur, velle nobis Chriſtum verum ſuum Corpus, & verum ſuum Sanguinem dare; ita quoque hic & alii articuli de Aſcenſione Chriſti & Seſſione ejus ad dexteram teſtantur, quòd ſuum Corpus & Sanguinem in Cœna nobis dare poſſit. Ideoque rectè declaratur & docetur, veritatem Humanæ Naturæ ic Chriſto ejuſque Aſcenſionem in cœlos, & Seſſionem ad dexteram Patris, præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti in ſacra Cœna nequaquam impedire. Vt enim Seſſio ad dexteram Patris, ad quam in Aſcenſione ſua receptus eſt Chriſtus, non intelligenda eſt de certo aliquo loco, in quem Chriſti Corpus, tanquam incluſum & captivum receptum ſit, ſic ut alibi etiam, quo illud verbo ſuo deſtinat ſeu ordinat, eſſe nequeat, ſed de Divina Potentia & gloria, in qua Chriſtus cum Patre ſuo omnipotente regnat ac omnia gubernat: Sic ſtatuimus & docemus, licet Chriſtus verus & naturalis homo ſit & maneat, non tamen propterea ſequi, Corpus & Sanguinem eius in Sacra Cœna non poſſe diſtribui & percipi: Sed quia Humanitas Chriſti ab æterno Dei filio aſſumpta, & ſic cum Deitate ἀδιαιρέτως unita eſt; potius inde ſequitur & irrefragabiliter probatur, quòd Chriſtus, tanquam omnipotens & verus Deus, ubicunque velit Corpore ſuo eſſe queat, ideoque etiam in Sacra Cœna, juxta promiſſionem ſuam, verum ſuum Corpus & Sanguinem ad edendum & bibendum diſtribuere poſſit. Quanquam fateri nos oportet, quòd illa omnia, quæ de perſonali Vbiquitate Humanitatis Chriſti ſubtiliter diſputantur, in ſimplici noſtro intellectu ſatis aſſequi & capere nequeamus; quod etiam unà nobiſcum multi præſtantiſſimi Theologi & Doctores conqueruntur. Abſit tamen, ut hoc ipſo alios, qui ſe hæc intelligere opinantur, redarguere, aut Chriſtianam Concordiam impedire velimus: ſperamus quoque eos hæc ſic tractaturos, ut de iis & Deo, & univerſæ Eccleſiæ rationem reddere poſſint.

Quod autem ad Notulam ipſam declarationis hujus articuli in Libro iſto attinet, eam in fundamento approbamus, & Theologis aſſentimur, cum præſertim Neſtorii & Eutychis errores perſpicuè rejiciantur & damnentur. Illud ſaltem, quòd de Divina Natura traditur & docetur, quòd Humanitati omnes ſuas proprietates ſic communicet, ut eas etiam pro ſe, & ſecundùm Humanitatem habeat, nonnulli noſtrum non aſſequi poſſunt, quomodo abſque transfuſione proprietatum & exæquatione Naturarum fieri poſſit. Hyperphyſicas quidem qualitates, vel dona, quæ Humanitati propter perſonalem Vnionem attribui debent, agnoſcimus ſanè nullo modo negari debere. Antiphyſica autem, hoc eſt dona, quæ contra hominis naturam ſunt, & hominis naturam deſtruunt, quomodo Humanitati Chriſti tribui poſſint, nos prorſus intelligere nequimus. Interim tamen Theologos amiciſſimè commonefactos & rogatos volumus, ut in hoc ſcripto publico omnium Eccleſiarum conſentientium nomine edendo, à Phraſibus abſtineant, quæ cum Regula Chalcedonenſis Synodi pugnant & occaſionem ad multa mala dare poſſunt: neque dicant, Humanitatem Chriſti, ſeu Humanam Naturam Chriſti omnipotentem & omnipræſentem eſſe: quum in Chalcedonenſi Concilio gravibus de cauſis decretum ſit, ut proprietates, quæ uni tantum Naturæ conveniunt ejuſque propriæ ſunt, alteri non niſi in Concreto, hoc eſt, quando de tota Perſona loquimur, attribuantur. Cùm enim dicitur, Humanitas Chriſti, vel, Humana Natura Chriſti eſt omnipotens, omnipræſens, &c. quid aliud agitur, quàm quòd illud ipſum, quod Divinæ Naturæ ſoli competit, Divina Natura in ac per ſe habet, etiam Humanæ Naturæ ſic attribuitur, ac ſi id etiam per ſe haberet. Sin verò dicitur, Chriſtus, vel Homo Chriſtus eſt omnipotens & omnipræſens, tunc Humanitas, vel Humana Chriſti Natura non excluditur, ſed ſimul etiam comprehenditur, ut quæ etiam propter Vnionem perſonalem omnipotens ſit & omnipræſens, non tamen per ſe, vel ex ſe, ſed propter Divinitatem, ſeu Divinam Naturam, cum qua indiviſè unita eſt. In magnis & arduis rebus facillime erratur, & hære-

hæreticis hac vel illa parte janua aperitur Tutiſſimum igitur foret, noſtro quidem judicio, illa firmiter retinere, quæ vetus Eccleſia, cui hoc certamen multum negotii faceſſit ad cavenda vtraque extrema cùm Neſtorianiſmi, tum Eutychianiſmi, decrevit & ſtatuit.

De Chriſti deſcenſu ad inferos.

De Deſcenſu Chriſti ad inferos idem ſentimus, quod Lutherus in citata ſua Concione docet, nempe, Deſcenſum Chriſti ad inferos peculiarem articulum eſſe Fidei Chriſtianæ, præſertim cùm perſpicua teſtimonia S. Scripturæ habeamus, quòd Chriſtus verè ad inferos deſcenderit, portas eorum deſtruxerit, & diabolis omnem poteſtatem eripuerit, licet intellectu noſtro percipere nequeamus quomodo id factum fuerit: hoc autem ideò factum eſſe, ut omnes Chriſti fideles ab inferno & poteſtate diaboli liberarentur. Quoniam verò Lutherus in dicta Concione vult, ut verba hujus articuli ſimpliciter ut ſonant accipiantur & intelligantur, id autem non ſatisfacit iis, qui de fide ſua certi eſſe cupiunt, neceſſarium eſſe putaremus, ut hic articulus eadem methodo, qua præcedentes, tractaretur, & breviter diverſæ ſententiæ de eo indicarentur, ſimulque aſſignaretur, quid ſacra Scriptura de eo doceat, quidque de eo credendum ſit certis teſtimoniis Scripturæ & Patrum aliquot ſignificaretur, & cur contrarium docentibus fides nulla habenda ſit. Illud enim negari nequit, quòd veteres & recentiores Theologi de hoc articulo idem non ſentiant, quod Scriptura ſaltem doceat, Chriſtum ad inferos deſcendiſſe, quo modo id autem factum ſit non ſignificet, quæ tamen diverſitas vnitatem Eccleſiæ nequaquam diſrupit.

De Adiaphoris & prædeſtinatione.

Declarationem de Adiaphoris, quæ in 10. articulo exſtat, nemo, noſtro quidem iudicio, improbare poteſt. Approbamus etiam quæ de Prædeſtinatione, & variis hæreſibus in undecimo & duodecimo articulo continentur.

Hoc eſt, Illuſtriſſimi Principes, Chriſtianum & ſimplex noſtrum judicium de inſtituto opere Concordiæ inter Auguſtanæ Confeſſionis Theologos, & quæ ſequuntur reliqua. Caſſellis 5. Septemb. anno 1576.

Landgraviorum iudicium de Formula Torgenſi. Nolunt Formulam Torgen. habere pro Corpore doctrinæ.

Landgravii Fratres cùm hanc Cenſuram ſuorum Theologorum accepiſſent reſpondent Electori Saxoniæ, & vnà Theologorum judicium ei mittunt. Et primò quidem prolixitatem libri iſtius Torgenſis improbant. Deinde, probare ſe etiam non poſſe *ſcribunt*, quòd liber iſte pro Corpore Doctrinæ habendus ſit, in quo præter S. Scripturam & tria adprobata Symbola, non modò prima immutata Auguſtana Confeſſio & ejuſdem Apologia, ſed etiam Schmalcaldici articuli, cum parvo & magno Catechiſmo Lutheri & aliis eiuſdem authoris ſcriptis contineantur: Scire enim Celſitudinem ejus, quodnam Corpus doctrinæ ante aliquot annos in ditione ſua publicatum, atque Eccleſiis & Scholis omnibus, ceu regula, quam ſequantur, commendatum ſit. Similiter Celſitudinem ejus non fugere, quodnam Corpus doctrinæ, cum reliquis politicis Electoribus & Principibus in Receſſu Francofurtenſi anno 58. ad probarit, quale idem ſcriptum poſtea in Naumburgenſi Conventu anno 61. Celſitudinis ejus, aliorumque Electorum & Principum nomine Ferdinando Imp. oblatum fuerit, in quo quidem prima etiam Confeſſio, quæ Anno 30. Auguſtæ tradita fuerit expreſsè reperita & denuò ſubſcripta ſit: nihilominus tamen Confeſſionem quoque poſtea in Colloquiis publicis oblatam, ut quæ cum prima, quoad intellectum, non modo per omnia conveniat, ſed eam etiam copioſiùs in multis neceſſariis articulis explicet, ob magni momenti rationes à Celſitudine ejus approbatam eſſe. Ac licet in Torgenſi iſto libro proteſtentur Theologi, ſe nullum novum Corpus doctrinæ facturos, quum tamen titulus expreſſe ad Corpus doctrinæ directus, & nominatim prima duntaxat immutata Confeſſio, una cum aliis ſupra nominatis ſcriptis pro Corpore doctrinæ citentur, locupletata autem & emendata Confeſſio, quæ in vtroque Ratiſbonenſi Colloquio exhibita 5 & Naumburgi anno 61. à Celſitudine ejus, aliiſque Electoribus & Principibus approbata ſit, vnà cum aliis ſcriptis, quæ in primo Corpore doctrinæ, in Celſitudinis ejus ditionibus publicato, alto ſilentio prætereantur: Celſitudinem ejus cogitare & perpendere debere, annon hæc ſilentio prætcrita ſcripta hoc pacto ſuſpecta reddantur, & adverſarii occaſionem habeant totum hoc Opus reprehendendi, nec ſolùm Theologos, ſed ipſos quoque Electores & Principes novitatis, inconſtantiæ & apoſtaſiæ à priore Corpore doctrinæ accuſandi: Tacere ſe velle, in quas cogitationes, & fortè offenſiones hac innovatione & mutatione infirmi coniici poſſint. Neque ſe hæc propterea ſcribere, quod in prima quæ Auguſtæ anno 30. exhibita fuit, Confeſſione, & Schmalcaldicis articulis, aut etiam Lutheri Catechiſmo quicquam deſiderent: Nam ſe hæc ad vulgi & juventutis captum accommodata, & in vero ſenſu Dei verbo conſentanea ſemper judicaſſe, in omnibus quoque ſuæ ditionis Eccleſiis &

K Scholis

Scholis minorem Catechiſmum Lutheri præ omnibus aliis hucuſque retinuiſſe. Sed quoniam hoc Opus ſub Celſitudinis ejus, aliorumque Electorum ac Principum nomine ſuo tempore in lucem edendum ſit, ſeſe judicare, omnia ſic ordinanda & pertractanda eſſe, ne quiſquam contrariarum actionum, aut diverſarum declarationum vel Theologos, vel Principes accuſandi juſtam habeat. Neque etiam hoc Concordiæ Opus propterea inſtitutum eſſe, ut nova Confeſſio, aut aliud doctrinæ Corpus conſcriberetur, ſed in hunc potiſſimùm finem, ut diſputationes in paucis quibuſdam articulis Auguſtanæ Confeſſionis exortæ & motæ, deciderentur & ad concordiam reducerentur. Ignorare ſe etiam profitentur Landgravii Fratres, ad quid in hoc libro mentione Corporis doctrinæ opus ſit: nam reliquos Auguſtanæ Confeſſionis articulos inter Theologos extra controverſiam eſſe: articulos verò, de quibus hactenus certatum fuerit, in theſi & antitheſi ita perſpicuè declarari, ut nullus ad pleniorem explicationem novum Corpus doctrinæ requirere vel poſtulare meritò queat.

Humana ſcripta raro citare tutiſſimum.

Quò rarius etiam poſt Verbum Dei in religionis & fidei cauſis hominum ſcripta adducantur, hoc melius & tutius id cenſendum eſſe. Nam præter quòd nullus omninò Doctor, quiſquis ille ſit, ſive Auguſtinus, ſive Chryſoſtomus, ſive Lutherus, ſive Philippus, ſive alius, ab erroribus vel nævis immunis futurus ſit, omnes enim homines eſſe, adeoque labi, errare ac decipi poſſe: plerumque etiam fieri, ut homines ex ſingulari quodam affectu & ſtudio, huic vel illi Doctori addicti, plus Perſonæ tribuant quàm par ſit, ſicut ante annos aliquot Monachi pari affectu Patres, & primos Ordinum ſuorum Authores etiam ad adorationem uſque venerati ſint. Hanc ob cauſam Paulum quoque graviter objurgare Corinthios, quòd hic Cephæ, ille Pauli, tertius Apollo nomine appellari voluerit, ipſoſque ad huiuſmodi affectibus humanis dehortari. & ut ſolum Chriſtum ſequantur monere. Ipſum etiam Lutherum multùm in hoc laboraſſe, ut homines à Patribus avocaret ad ſacras literas. Quod ſi Lutheri ſcripta, quantumvis vtilia & bona, Corpori doctrinæ inſerantur, non modo ſenſim hac ratione à ſacra Scriptura recedi, ſed etiam Papiſtis occaſionem dari Patres contra nos in aciem producendi, eoſdemque pro iudice & norma in diſſidiis Religionis conſtituendi. Hoc vero Celſitudines ſuas non propterea ſcribere, quòd quæ operatus eſt Deus poſtremis his temporibus per miniſterium Lutheri & collegarum ejus flocci faciant, aut in uno contemnant, alio verò admirentur: nam ſe hæc omnia pro Dei donis agnoſcere, & pro iis gratias Deo agere: Sed hanc ſuam ſententiam & mentem eſſe, ut juxta morem & conſuetudinem veteris Eccleſiæ, quæ in certaminibus ab hæreticis excitatis poſt ſacram Scripturam etiam ad generalia Symbola, & nullius præterea Doctoris, quantumvis excellentiſſimi, ſcripta provocavit; hodie quoque Principes & Theologi poſt Prophetica & Apoſtolica ſcripta, ad ſuum Symbolum ſeſe referant, & provocent, videlicet ad eam Confeſſionem, quæ primò Auguſtæ anno 30. exhibita, poſtea verò in vtroque Colloquio anno 40. & 42. repetita, anno 61. Naumburgi rurſus confirmata eſt, cum ejuſdem Apologia, atque etiam declarationibus de nonnullis articulis in hoc Concordiæ libro factis; & omnia reliqua ſcripta, quatenus cum verbo Dei, Auguſtana Confeſſione & hac ipſa declaratione conſentiant, pro vtilibus, bonis & neceſſariis agnoſcantur: quo pacto non ſolum quod ſui eſſet officii facerent; ſed etiam omnibus, & nominatim adverſariis omnem anſam & occaſionem calumniandi & cavillandi præriperent.

De prima immutata, & poſteriore emendata & recognita Auguſtana Confeſſione.

Nam quod ſolùm, *inquiunt porro Illuſtriſſimi Landgravii Fratres*, & nominatim ad primam immutatam Confeſſionem Auguſtanam, quæ illo quidem tempore ſcripta eſt in ſumma feſtinatione & temporis anguſtia, atque etiam in maximo metu præſentium periculorum, adeoque molliſſimè, ne offenderetur Cæſar, neve Principes Evangelici in ſummum vitæ periculum adducerentur, provocatur, eoque illa quæ poſtea in præcipuis articulis ſumma cum diligentia & cura locupletata & emendata eſt, ſi non reiicitur, ſaltem ſuſpecta apud alios redditur, id approbare non poſſumus, cum ob ſupra enumeratas cauſas, tum vero præcipuè ob Præfationem ad Ferdinandum Imp. Naumburgi anno 61. ſcriptam: præſertim quum etiam meminerimus probè, Flaccianorum factionem bono atque optimè merito Viro Philippo Melanchthoni, qui apud Celſitudinem T. & Fratrem ejus Mauritium Electorem potiùs manere, quam cum aliis Samariam migrare voluit, infenſiſſimam fuiſſe, & ex concepto ſuo odio, ad opprimendum optimum virum, confidenter de illo ſparſiſſe, quòd injuſſus & ignorantibus Principibus & Luthero, primam Auguſtanam Confeſſionem mutarit.

Cum

Cùm tamen hæc mutatio non depravatio, ſed potius irreprehenſibilis explicatio ejus, & ex Verbo Dei emendatio ſit, procul dubio ſciente & volente Luthero facta. Ea enim Natura & prudentia Philippi fuit, ſicut omnibus notum eſt, ut in dicta Confeſſione ne unum quidem verbum, neſciente Luthero & aliis, ſolus mutare auſus fuiſſet. Neque etiam demonſtrari poteſt, Lutherum, etſi annos quatuor ſupervixerit, quum Anno 42. in habito Colloquio recognitio & mutatio facta eſſet, ne verbo quidem unquam recognitionem illam reprehendiſſe, vel ſaltem aliquam ejus mentionem feciſſe. Cur igitur Electores, noſque cæteri Principes, noſtram Confeſſionem, quam hactenus in omnibus Colloquiis, & aliàs ſæpè approbavibus, ob privatarum perſonarum quarundam conceptum odium, abſque ſufficiente cauſa, magno noſtro cum dedecore & diminutione reputationis noſtræ, in ſuſpicionem injuſtam & dubium vocaremus? Et hæc quidem de Corpore doctrinæ.

De Cœna Domini & Perſona Chriſti. Quod porrò ad duos articulos de Cœna Domini & Perſona Chriſti attinet, etſi in poſteriore articulo de Perſona Chriſti, nonnulla, inprimis quæ de Vbiquitate dicuntur, noſtrum captum ſuperant, ipſique etiam Lutherani in eo minimè conſentiant, ut ex Eberi & Majoris libellis Anno 62. editis & Celſitudini tuæ exhibitis apparet, atque etiam Kemnitii, Heſshuſii, aliorumque ſcripta teſtantur: noſtrâ tamen ſententiâ tutiſſimum foret in hac miſera vita, in hoc ſublimi articulo de ineffabili, incomprehenſibili & imperſcrutabili divinæ & humanæ naturæ Vnione in una Perſona Chriſti, nullis aliis phraſibus & modis loquendi uti, aut alias inde deducere illationes, quam quæ in verbo Dei, approbatis Symbolis & Conciliis reperiuntur. Doctrinam autem in articulo de Cœna Domini approbamus, ſicut etiam explicationem verborum Hoc eſt Corpus meum, &c. Arbitramur etiam ſola hæc verba Inſtitutionis ad veram Corporis & Sanguinis Chriſti præſentiam in Cœna confirmandam ſufficere, & ad ſolidiorem ejus confirmationem diſputatione de Vbiquitate minimè opus eſſe. Et cùm articuli de Cœna Domini explicationem in theſi probemus, & potiùs expreſſis verbis Chriſti, ut ſonant, ſimpliciter credere, quàm propter hunc vel illum tropum nobis negotium faceſſere, aut præſentiæ modum noſtro intellectu curioſè perſcrutari velimus; antitheſes etiam huic articulo annexas improbare nequimus. Illud ſaltem conſultum & neceſſarium nobis videtur, ut quemamodum Papiſtica Tranſſubſtantiatio, & quicquid ei adhæret de localitate, durabili affixione, magica incantatione, circumgeſtatione & adoratione panis, item de opere operato & Capernaitica manducatione in theſi copioſè tractatur, ſic etiam in antitheſi breviter repetatur, & ut impium rejiciatur.

De condemnandi vocabulo. Præterea bono zelo & animi intentione non male hoc quoque admonendum judicavimus, quum in hoc articulo, quo contraria Doctrina rejicitur, magis quàm in aliis, adverſus illos quos Zuinglianos & Calviniſtas vocant, CONDEMNANDI verbum uſurpetur, ſicut etiam in Polemicis ſcriptis Lutheri, quæ hoc loco citantur, valdè dura & odioſa verba repeziuntur, cùm tamen hoc Concordiæ Opus non Theologorum, ſed Principum nomine publicandum & in lucem edendum ſit; an non ſatius eſſet & utilius, ac ad lucrifaciendum plures conducibilius, ſi hoc loco mitius ageretur, & verba modeſtiora uſurparentur? Auguſtana Confeſſio in hoc articulo hæc verba habet: *Improbamus ſecus docentes:* Si hæc vel ſimilia verba, nempe, Improbamus, Rejicimus, Excludimus, Non accipimus, &c. uſurparemus, nobis quidem ad ſententiæ noſtræ declarationem videretur plus quàm ſatis eſſe. Nam *condemnandi* verbum forenſe eſt, quo nos legitimos judices in cauſarum cognitione & forenſibus decretis & judiciis uti permittimus. Atqui manifeſtum eſt, horum temporum Theologos, qui partim mortui ſunt, partim verò adhuc vivunt, acriter invicem, ſine tamen legitimo ac ordinario judice, de hoc articulo certâſſe, imò tota Regna & Reſpublicas in diverſas & contrarias ſententias, quantum quidem ad hunc articulum attinet, diviſas eſſe: Et tamen Electores & Principes ne in hoc quidem Concordiæ Opere ejus litis cognitionem & deciſionem aliquam ſibi arrogare volunt, juxta Juriſconſultorum regulam, *Quod parit parem rem non habet imperium.* Celſitudinis tuæ Theologus P. Eberus in libello ſuo de Cœna Dom. ſcribit, ſe illos, qui diverſum à ſe in hoc articulo ſentiant, nec poſſe nec velle condemnare. Hujus ſententiæ nos quoque ſumus: Nam bona cum conſcientia eos non poſſumus condemnare, qui in hoc quidem articulo, noſtro judicio, errant, in reliquis autem omnibus, adverſus communem hoſtem Papam, nobiſcum ſentiunt, fidem etiam ſuam re & facto ipſo comprobant, dum non ſolum opes & honores, ſed vitam etiam ſuam propter Chriſtum amittunt. Neque illos pro Diaboli martyribus habere poſſumus, quod aliqui nimis audacter faciunt, ſed pro Chriſti martyribus eos agnoſcimus,

ſicut factum ipſum teſtatur. Nolumus etiam condemnationibus noſtris, Pontificiis ad majorem ſævitiam & horribiliores perſecutiones, ac fortè noſtri quoque condemnationem occaſionem præbere, omnemque concordiæ ſpem in hoc articulo præcidere. Neque putandum eſt, Pontificem Romanum de Zuinglianorum tantum exſtirpatione cogitare, ſed utrique parti æquè inſidiatur, & omnes in hoc articulo à ſe diſſentientes pro iiſdem habet. Et ut ſummatim dicamus, Nos ſimplicibus Chriſti verbis inſiſtentes, hos errare arbitramur, qui nudam tantum & Spiritualem manducationem abſentis Corporis Chriſti, quæ ſolâ fide fit, ſtatuunt. Qui tamen interim in hoc articulo partim Papiſticam Tranſſubſtantiationem, localem incluſionem, adorationem & circumgeſtationem Panis nobiſcum rejiciunt, partim verò in aliis omnibus articulis idem, quod nos ſentiunt, tam non condemnare poſſumus & volumus, quàm non condemnârunt Apoſtoli in Hieroſolymitano Concilio legis Doctores, in præcipuo fidei Chriſtianæ articulo de Iuſtificatione hominis errantes, & ſub Theodoſio Imp. Orthodoxi Novatianos, quos etiam, nullo reſpectu habito erroris eorum de pœnitentia poſt Baptiſmum lapſis deneganda, patienter foverunt, quòd contra Arianos unà cum ipſis pugnarent. Multò minus arbitramur eos ſacramentarios, Sacramentſchuermeros, Mahometanos, &c. appellandos, aliiſque horrendis convitiis proſcindendos eſſe; unuſquiſque enim pro ſe rationem Deo redditurus eſt.

Nota.

De convitiis maledictis & calumniis Theologorum.

Sicut autem convitia, calumniæ & maledicta Theologos minimè decent, noſque ea in neutra parte unquam probavimus, ita quoque judicamus, Electoribus, & Nobis cæteris Principibus nequaquam convenire, ut Nos hac in parte duriſſimorum verborum Lutheri, quæ in polemicis ejus ſcriptis continentur, ſibique fervore diſputationis exciderunt, participes reddamus.

Ob diſſidia inteſtina Papatus creſcit, & Evangelicorum numerus minuitur.

Quàm dicta verè, ſed Patres Torgenſes & Bergenſes nihil moverunt.

Novit Celſit. T. ut non ſolùm in tanta luce Evangelii Papiſticæ Indulgentiæ in Germaniam magis magis introducantur, ſed etiam ut Ieſuitæ majores indies radices agant, & omnia ferè regna, provincias ac oppida pervagentur, collapſumque Papatum mirificis artibus ſuffulciant & reſtaurent. Quoniam enim ſpem omnem de adultis in ſuam ſententiam pertrahendis abjecerunt, juventutem & præſtantiſſima ingenia nobilium aliorumque ad ſeſe alliciunt, venenatâ ſuâ doctrinâ eos imbuunt, ad honores & dignitates promovent, nihilque non illorum causâ faciunt. Nos contra à noſtra parte his perturbatoribus pacis publicæ non reſiſtimus, ſed noſtris contentionibus, rixis & condemnationibus nobis ipſis tantùm negotii faceſſimus, ut Ieſuitarum Ordo interea indies magis magiſque creſcat, numerus diſcipulorum illorum augeatur, noſtrorum verò minuatur: adeò, ut, ſi ita perrexerimus, metuendum valdè ſit, ne nos ipſos, vel ſaltem poſteritatem noſtram clariſſimâ luce Evangelii privemus, & in denſiſſimas funeſtiſſimaſque Papatûs tenebras detrudamus. Ad Deum itaque preces ſupplices fundere debemus, ut infauſtum hoc certamen de Cœna, ſi non ad Concordiam communem, ſaltem ad tranquillitatem aliquam clementer dirigat, *&c. Data Caſſellis* 10. *Septembris Anno* 1576.

VVilhelmus & Ludovicus Fratres Landgravii.

Theologorum Bipontinorum judicium de formula Torgenſi.

Illuſtriſſimus Princeps Iohannes Palatinus *librum Torgenſem ſuis quoque Theologis exhibet* 8. *Septembris & judicium eorum petit, cum proteſtatione, non in hunc finem hoc fieri, ut per hunc librum, ejuſque cenſuram in Eccleſiis Bipontinis controverſiæ, rixæ & diſputationes excitentur, ſed ut neglectis aliorum concertationibus, ad Scriptura normam eum examinent, nec in Præceptorum ſuorum gratiam quicquam pronuncient.* Panthaleon Candidus *igitur Superintendens Bipontinus de articulo* 8. *admonuit, quòd vocabulo* Mixtionis *impropriè in eo utantur, & ad Eutychianam Naturarum confuſionem inclinare videantur. Nonum articulum de Deſcenſu ad inferos, non ſatis explicatum eſſe, imò hunc commodè omitti potuiſſe totum exiſtimavit. Alii in articulo de Prædeſtinatione ſpecialiora deſiderârunt. In articulo de Cœna cùm tantam copiam teſtimoniorum ex Patribus adduxerint, fuerunt qui veriti ſunt, fore ut videantur ſacrarum literarum teſtimoniis prorſus deſtituti. Hanc etiam theſin,* Quòd Sacramenta res ſpirituales ſint, *copioſius fuiſſe explicandam judicârunt. Multi proteſtati ſunt, ſe Torgenſes articulos hoc adhuc tempore probare, donec ab aliis meliora edocti fuerint.*

Iohannis Bipontini Principis judicium de formula Torgenſi.

Hac cenſurâ acceptâ 12. *Sept. Illuſtriſſimus Princeps Palatinus Iohannes coram aliquot Theologis & Conſiliariis pauca præfatus,* ſe vehementer, *inquit*, cupere, has controverſias, quæ in libro Torgenſi tractentur, omninò ſepultas eſſe. Et quanquam ex Cenſura Theologorum ſuorum intelligat, quòd multi librum hunc, tanquam verbo Dei in pleriſque conſentaneum, approbent: Se tamen quædam obſervâſſe, quæ digna ſint, ut diligenter ventilentur, & excutiantur. Titulum ſic eſſe factum, ut nullo modò conſiſtere poſſit. Theologos itaque monendos,

An

An non pro his verbis, *Inter Theologos Auguſtanæ Confeſſionis*, hæc commodius reponi poſſint: *Inter Theologos, qui hactenus Auguſtanam Confeſſionem profeſſi ſunt*: ne, ſi hoc libro Pontificii, & inprimis Calviniſtæ oppugnentur, hi Auguſtanâ Confeſſione ſe tueri queant, illi verò objicere Lutheranis, eos talem amplecti Confeſſionem quæ omnibus erroribus patrocinetur. *Et hæc tum quidem Principis ſententia fuit, cùm Vbiquitariorum fraudes nondum cognoviſſet.* Admonendos etiam authores cenſuit, ut clarè exprimant, quam pro genuina & vera Auguſtana Confeſſione agnoſcant. In Articulo de Originali peccato, & aliis omnibus Lutheri authoritatem, & Patrum teſtimonia tantum narrativè, non etiam probativè alleganda. Articulum de libero arbitrio, nimis copioſè tractatum eſſe. In articulo de Iuſtitia coram Deo pugnari contra Papiſtas: Cùm tamen in titulo dicatur, *tantum agi de Statibus Auguſtanæ Confeſſionis*: hac ratione autem, Papiſtas quoque pro ſociis Auguſtanæ Confeſſionis habendos eſſe. In articulo de bonis Operibus, authoritati hominum nihil eſſe tribuendum: dicta etiam & teſtimonia ſacræ Scripturæ integra, ſeu ad verbum recitanda. Articulum de Lege & Evangelio eſſe logomachiam. Articulum de Cœna, plurimas habere peregrinas & inuſitatas loquendi formas, quæ nec in Scriptura, nec in ipſa Auguſtana Confeſſione inveniantur. Exempli causâ, quòd de figurata prædicatione dicitur: *Quemadmodum Ieſus Chriſtus per verbum caro factus eſt, ita per verbum Chriſti Corpus & Sanguinem eſſe*, &c. apud Matthæum quoque & Marcum nihil reperiri in contextu de Corporali ſumptione poculi, ut §. 5. affirmetur: Similitudines etiam Lutheri de Cœna commodâ explicatione indigere. In articulo de Perſona Chriſti multas contineri inconvenientes phraſes. Vocem *Realiter* omittendam, & concretum ponendum: Vocabulum *Mixtionis* eſſe periculoſum. Similitudinem de ferro candenti rejiciendam: phraſin hanc, *Humana Natura ſub Deo*, Arianiſmum ſapere: De inhabitatione Dei in Chriſto (*quia Deus eſſentiâ ſpiritualis, & partitionis expers ſit*) perobſcuram parentheſin eſſe, ſic enim nullum diſcrimen inter Chriſtum & Sanctos conſtitui. Articulum de Deſcenſu ad inferos, aut omittendum, aut clarius exponendum.

Bipontinus reſolutionem ſuam de formula Torgenſi differre vult.

Cùm Theologi Bipontini approbâſſent 15. Sep. hanc Cenſuram Principis ſui, ſcribit ille ad fratrem Philippum Ludovicum *Palatinum Neuburgenſem: quum liber Torgenſis debeat eſſe deciſio controverſiarum omnium inter Auguſt. Confeſſionis ſocios, ac Theologos, in ſpecie probè ac diligenter excuti & examinari debere. Res communes conſilio communi quoque tractandas eſſe. Quoniam igitur aliorum Ordinum judicia ſint etiam expetenda, atque expectanda, eouſque velle ſe reſolutionem quoque ſuam differre.*

Iudicium Holſatorum Theologorum de formula Torgenſi.

Hunc ipſum librum Torgenſem exhibuit etiam Holſatiæ Dux Adolphus Theologis ſuis 21. Sept. petiitque judicium illorum, & nominatim, An hic liber ad Eccleſiæ ædificationem utilis ac neceſſarius ſit? *Illi, lecto & examinato in timore Domini libro, reſpondent*, ſe intelligere non poſſe, quod vel ad Eccleſiam ædificandam, vel ad exorta certamina & diſſidia removenda ſeu tollenda, vel etiam ad firmam Concordiam & Confeſſionem in una religione & Doctrina fidei conſtituendam, neceſſarius & utilis eſſe poſſit: *idque quatuor potiſſimum de cauſis.*

Cauſa 1. Ob quam formula Torgenſis inutilis ſit.

Prima *eſt, quod habeant ipſi poſt Verbum Dei & Symbolum Apoſtolicum, Symbola quoque alia, ab Eccleſia Chriſtiana, & omnibus orthodoxis Patribus, omni tempore, ceu ab omni ambiguitate & contradictione libera & aliena, magno conſenſu adprobata. Præterea habere ſe Confeſſionem Auguſt. ejuſdem Apologiam, articulos Schmalcaldicos, atque utrumque Catechiſmum, majorem & minorem Lutheri. His Symbolis, Confeſſionibus & Scriptis juramento ſeſe obſtrictos & obligatos eſſe: In iiſdem etiam articulos controverſos, quos propter liber hic conſcriptus ſit, multò dilucidiùs & clariùs, quàm in Formula iſta, explicatos eſſe, ut quivis inde ſufficienter intelligere poſſit, quid recipiendum vel rejiciendum ſit. Aut ſi quid præterea obſcurum ſit, exſtare libros Philippi Melanchthonis, qui, vivente adhuc Luthero, conſcripti ſint, & omnia perſpicuè declarent. Ea propter ſubſcriptionem atque editionem hujus novæ Formulæ ſibi inutilem, & non neceſſariam videri: præſertim cùm novæ hujuſmodi Confeſſiones & ſcripta novas plerumque contentiones, diſputationes ac rixas pariant.*

Altera cauſa eſt, ob quam ſcripti illius Torgenſis ſubſcriptionem & publicationem inutilem eſſe arbitrentur, quod Scriptum hoc Pontificiis, diſſenſionem in doctrina Lutheranis objicientibus, hanc calumniandi anſam non adimat, ſed in manus porrigat potiùs; nec etiam omne genus noxiarum diſputationum præcidat, ſed magis augeat, & auctas alat atque propaget. Quòd ſi igitur adverſariorum calumnias diluere conentur, & motis diſſidiis turbiſque finem imponere, præcisè in veritate ſemel agnita, & Confeſſionib. jampridem communi conſenſu & approbatione editis ſimpliciter acquieſcendum eſſe. Tenendum præterea & obſervandum in edendis Confeſſionib. certum modũ, ne numerus earũ augeatur, & novæ veteres deleãt, nevè eò res tandẽ deveniat, ut poſteri, quorũ diligẽs habẽda ſit ratio, quid AuguſtanaCõfeſſio vel ſit, vel doceat, prorſus ignorẽt:

ne etiam ipſimet calumniandi materiam & occaſionem adverſariis præbeant incauti, ſitne Confeſſio Auguſtæ exhibita certa veræ ac indubitatæ doctrinæ ſumma? dubitentve, an Lutherus, ejuſque ſymmachi, eam rectè, ſolideque in omnibus ac ſingulis capitibus intellexerint? Neque verò illud etiam parvum æſtimandum eſſe, quòd multi pii & boni viri Confeſſionum multitudinem in eam partem accipiant, ac ſi earum fides & doctrina ſic dubia & incerta ſit, ut modò probari, modo improbari, pro docentium diverſi temporis diverſo ac mutabili in horas arbitrio poſſit. Hinc vero commodi utilitatiſque nihil ad Eccleſiam redire, ſed potius curſum Evangelii impediri certò certius eſſe.

3. Tertia recuſationis cauſa eſt, quòd hoc ſcripto omnis generis opiniones, quarum quædam jam pridem oblivioni ſint traditæ, quædam etiam non ſolum plebi, ſed ipſis quoque doctoribus incognitæ, ab inferis revocentur, iiſque lingua Germanica, quaſi labe quadam, deinceps non eluendæ, inficiatur & commaculetur, eoque res tandem deveniat, ut ſimplices quid verum aut falſum ſit ignorent.

4. Quarta ratio eſt, quod in hoc Libro multæ phraſes & diſputationes contineantur, contrariæ verbo Dei & approbatis Symbolis, multa item paradoxa ex libro Brentii de Majeſtate Chriſti, quæ ſuo tempore graves magnaſque turbas excitare poſſent.

Theologi Holſati ſuadent Schmidlino non aures præbendas.

Denique conſultum ſibi videri ſcribunt Theologi Holſatiæ, ſi Adolphus Princeps Electorem Auguſtum admoneret, ne unicum iſtum peregrinum hominem (Iacobum Schmidlinum) patiatur tot Electores, & Principes in ſuis regionibus ac territoriis reformare, cum hoc jampridem, fideliter fecerint Lutherus & Philippus, ſed ab iſto, utpote Suevo, ſibi caveant. Putare ſe quoque, ſi Elector Saxoniæ pro libro Torgenſi primum Corpus doctrinæ denuo excudendum curaret, eo ipſo ſolidam ac firmam Concordiam omnium optimè conſtitui poſſe: cum peculiari tamen Præfatione, ſi quid fortè diſputabile in eo incideret, ut explicatio illius ex Lutheri & Philippi ſcriptis petatur. Subſcripſerunt huic cenſuræ Paulus ab Eyzen Bartholomæus Embs concionator aulicus, Marcus Vuerengius, Enoldus Thirna Paſtor Schleſvicenſis, Martinus Caroncus, Ioannes Iammer & reliqui numero 72. Anno 1576. Sept. 21.

Admonitio Theologorum Helmſtadienſium ad Iulium Brunſvicenſem.

Monuerunt etiam Illuſtriſſimum ſuum Principem Iulium Brunſvicenſem Helmſtadienſes Theologi ad præcavendas multas incommoditates, quæ futuro tempore incidere poſſent, cogendos eſſe authores & approbatores Formulæ Concordiæ, ut errores ſuos multos ac varios, quos hucuſque tam vivâ voce, quàm ſcriptis publice defenderint ac propugnârint, agnoſcant & abjiciant. In Conventibus quoque Ridaggeshauſii juſſu Ducis Brunſvicenſis Anno 76. & 77. habitis, cum Kemnitio & Kirchnero iidem decreverunt, petendum à Principe humiliter, obtineat apud Electorem Saxoniæ, alioſque Principes, ut Conventus vel Synodus Formulam approbantium Theologorum inſtituatur, in qua hoc ipſum fiat, & Formula Concordiæ examini ſubjiciatur, id enim niſi fiat, Opus hoc Concordiæ non diu duraturum. Et Dux quidem Brunſvicenſis hac de re diligenter ſcripſit ad Electorem Saxoniæ, qui etiam illi aſſenſit, ſed culpâ Theologorum paucorum, quos ab obſtinata ſua ſententia nemo abducere potuit, res tota in fumum abiit. Verba Helmſtadienſium formalia hæc ſunt:

Theologorum contumacia.

Weil man beid anfängklich / da man von der Formula tractieret / die vermutung gehabt / daß es endtlich wider zu gefährlichen weiterungen gelangen wurde / wo man nicht under andern nötigen puncten auch deß fürſichtig und deutlich abhandlen möchte / daß die ſo zuvorn in Religions ſtreiten durch offentliche ſchrifften und irrige lehre zu weit gangen / und ſich nuhr zur Concordia begeben / ihre irrigen lehren oder Incommoditaten außtrucklich erkenten und gebürlich abſchafften. Als haben etliche der unſern / welche Annis 76. unn 77. zu den verſamlungen im Kloſter Riddages hauſen / von Illuſtriſſimo verſchrieben geweſen / auff D. Kemnitii eigene / und in gegenwart ſtatliche vorgebrachte erinnerungen und vorſchlege dahin ſchließen und rathen helffen / daß hochermelter unſer G. F. und Herr underthänig erſucht werden ſolte / daß S. F. G. bey andern Chur- und Fürſten Chriſtlich befürderen wolten / daß eine gemeine zuſamenkunft der approbierenden Theologen geſtattet und angeſtelt wurde damit ſolches und anders / ohne welches diß werck nit ſondte beſtendig ſeyn / verrichtet wurde. Welches D. Kemnitius und D. Kirchnerus noch geſchehener approbation der Formulæ nachmahls nötig geachtet / und derowegen mit uns und andern in einem ſambtſchreiben ad Illuſtriſſimum das ſelbige widerholet. Es hats auch Hochermelter unſer G. F. und Herr / von deßen F. G. diß werck an den Herren Churfürſten zu Sachſen kommen / wol an S. F. G. nicht manglen laßen / ſonder ſolchs ſo beweglich und unbeſtendig geſucht / daß der Hochlobliche Churfürſt mit S. F. G. eingeſtimmet / und daß ſolches nicht erfolget / hat niemand mehr vor Gott und der Kirchen zuverantworten / als die / ſo es anfänglich gerathen / und endtlich widerrathen haben. Als aber die Formula Concordiæ getruckt / und der verſtröſtete Synodus, darinn daß Concordi werck vergentzet werden ſolte / nicht allein verbliebe / ſondern eins und anders vorgegenommen ward / daß der vergleichung

chung vngemeß vnd zu wider/ da ſind wir hoch betrübt worden / vnd haben gleich wol noch hoffnung gehabt / es ſolt auff einen gelinden weg gerathen werden: Darzu dann viel Hochermelter vnſer G. F. vnd Herr eine verſamlung / der Theologe Niderſächſiſchen Kreyſes gegen Vlſen verſchriben / darin man brüderlich rathſchlagen vnnd ſchlieſſen ſolte/ womit der vorſtehenden gefahr in zeyt vor zukommen: Aber weil ſolch gutherziges vornemmen D. Kemnitio nit mit ware / als iſt es an andere ort gebracht / vnd ſteckendt gemacht worden.

His addenda eſt etiam Epiſtola Tilemanni Heßhuſii ad Martinum Kemnitium, in qua non ſolùm præclarum circumveniendarum & damnandarum Eccleſiarum artificium congratulatur Torgenſis hujus Conventus Theologis, (quorum tamen nonnullos ficlæ de ſuis erroribus. pænitentiæ tacitè inſimulat ſimul, & ſuos interim ipſe errores apertè prodit, propter quos operâ Vuigandi à ſuo Epiſcopatu Sambienſi in Boruſſia tandem expulſus eſt) ſed etiam ſuum judicium de Torgenſi Formula Kemnitio indicat, & quæ in illa corrigenda, mutanda, addenda, vel etiam detrahenda ſibi videantur ſignificat. Verba Epiſtolæ hæc ſunt:

Heshuſii judicium de Formula Torgenſi.

Salutem à Filio Dei, perpetuo Eccleſiæ cuſtode, Rev. D. P. Superintendens, Amice frater in Domino dilecte. Multis modis oſtendit Filius Dei Ieſus Chriſtus, ſe præſentem eſſe Eccleſiæ ſuæ & eius fidelem agere curam: Documentorum verò valde illuſtre eſt, detectio fraudum Calviniſtarum, confuſio perſecutorum, præclarum teſtimonium veritati datum & mutatio dextræ excelſæ in Electore Auguſto. Hæc opera regnantis Chriſti cùm aſpicio, continere non poſſum, quin prorumpam in lætam gratiarum actionem, cum precatione ut perficiat opus præclarum, quod incepit dextrâ ſuâ. Per quàm gratum mihi eſt, quod hiſtoriam conventus Torgenſis tam accuratè ad me perſcripſeris: inſignis beneficii loco id pono, & viciſſim mea offero officia, ſi qua à me proficiſci poſſunt. Facile autem colligo moleſtè te ferre, quod tardius reſpondemus: cauſæ verò multæ ſunt, quia tempeſtivè cognovimus Electorem Saxoniæ huc miſſurum eſſe formulam Concordiæ, reſponſum noſtrum ad petitionem Ducis Brunſvicenſis Iulii diſtulimus. Vbi verò Electoris formulam accepi, ſtatim eam deſcribi curavi & legi, tradidi etiam Paſtoribus legendam & D. Vuigando.

Nos toto pectore gratias agimus Deo quod tam illuſtre teſtimonium datur veritati, pro qua hactenus pugnavimus ſolùm. Hoc tantum quæſivimus & etiam nunc quærimus, ut veritas Evangelii incorrupta ſonet in Eccleſia: profligatis fanaticis ſententiis contumelioſis in Filium Dei & ſyncera Lutheri doctrina, Theſaurus mundi poſtremi, ad poſteritatem ſine fermento ſectarum transferatur. Quòd ergo ad capita controverſiarum attinet, quæ in Formula Concordiæ explicantur in Theſi & Antitheſi conſentimus. Nec Deo nos regente ſuo Spiritu ab hac ſententia nos unquam ſeiungemus. Quod ſi Theologi Vuiteb. ita perpetuo docuiſſent, nunquam ab eis diſceſſionem feciſſemus, neque contra eos ſcripſiſſemus. Quia verò ſententiam rogamur de Formula conſcripta, & Inclytus Elector petit, ut ſine metu liberè dicamus ſi quid deſideremus, candidè & modeſtè monemus de quibuſdam, non vt turbemus præclarum opus neque ut novas lites moveamus, ſed ut omnia, quæ in hoc præclaro Libro, ac veluti *Symbolo Eccleſiæ*, pias mentes offendere poſſunt removeantur, quantum fieri poteſt, præſcindantur. Exiſtimamus Eccleſiæ neceſſitatem poſtulare ut in hac formula Authores & Patroni corruptelarum, Illyricus, Philippus, Pfeffingerus, Oſiander, Major, Calvinus, Petrus Martyr, Epiſtola Philippi ad Palatinum nominentur, ac Eccleſiæ & poſteritati ſaltem indicentur, ut juventus in librorum lectione errores cum Formula Concordiæ pugnantes cavere poſſit.

Heſhuſius quæ corrigenda cenſeat in Formula Torgenſi.

Non eſt neceſſe ad generalem conventum hoc reijcere, quia libri ſunt in omnium manibus, qui corruptelas continent: & certamina ſunt in Eccleſia, non tantùm de corruptelis, ſed etiam de Perſonis. Multi reijciunt Calviniſmum, & tamen Philippum cum epiſtola ad Palatinum defendunt: ſed cauſas noſtras in ſcripto noſtro modeſtè annotavimus. Monemus etiam ut quidam Paragraphi, & quædam verba omittantur, ut de vitandis vocabulis Accidentis & Subſtantiæ: quia ſecum pugnant. Nobiliſſimum Pauli dictum, Lex eſt pædagogia in Chriſtum, Philippicè in formula exponitur de diſciplina externa: cùm Lutherus illud de ſpirituali uſu legis luculenter exponat, & rectiſſimè. Quòd operibus noſtris conſervetur Fides, defendi non poteſt. In loco de Perſona Chriſti omitti velim vocabula ſcholaſtica, ſubjectivè, formaliter, habitualiter. Quotuſquiſque enim Paſtorum intelligit obſcura illa vocabula, & metuo ne novas pariant contentiones, & res commodè exponi poteſt, ſine iſtarum vocum adminiculo. Beza talibus tendiculis inſidiatur ſimplicioribus, & inſidioſè ad iſtas ſordes nos pertrahere vel invitare conatur. Cenſeo igi-

K 4 tur

gitur omittenda eſſe iſta vocabula. Hæc ferè eſt ſumma admonitionum noſtrarum, cum petitione, ut decretum de abrogato Corpore doctrinæ Miſnico, ne ſit norma Doctrinæ, & rejectus ſpuriis illis libris, Acta ſynodica, & quæ eius farinæ ſunt intelligo publicetur, & toti Eccleſiæ promulgetur. Spero te brevi commonefactiones noſtras viſurum. Domini Vuigandi & Paſtorum conſenſu expecto Certò ſtatuas nos magnifacere Formulam Concordiæ, & læto animo agnoſcere Dei beneficium, qui noſtris certaminibus præclarum dici teſtimonium. Ardenti pectori precamur Deum ut ſuo Spiritu hunc Sanctum conatum conſtituendi concordiam in Eccleſia provehat confirmet, & ad optatum finem felici ſucceſſu perducat. Atque hujuſmodi preces pro Electore Saxoniæ & Sancto hoc conatu publicè in noſtris Eccleſiis. Oſtendemus, Deo nos juvante, nos nec quæſiviſſe aliud, nec etiam nunc aliud quærere, quam ut incorrupta doctrina Lutheri ſine omni fermento transmittatur ad poſteritatem: omnium injuriarum & exiliorum per Dei gratiam piè obliviſcemur. Iacobus Andreæ, Selneccerus, Crellius, ſi ſeriò pœnitentiam agunt, fratres nobis erunt chariſſimi. Quòd ſi etjam Philippi, Pfeffingeri, Majoris nomina ſine detrimento Eccleſiæ ſilentio præteriri poſſent, ſimpliciter aſſentiremur. Nec nos voluptatem nec emolumentum ſperamus, ſi nominatim ponatur, Philippi ſententiam de libero arbitrio & Cœna Domini adverſari verbo Dei. Quia verò videmus ſubeſſe graviſſimas & neceſſarias cauſas & exempla habemus Apoſtolorum Chriſti, veteris Eccleſiæ, humiliter petimus & rogamus, ut conſulatur juventuti nondum confirmato judicio legenti libros Philippi, & uti conſulatur poſteritati. Et hactenus de communi cauſa Eccleſiæ.

Certamē Heſshuſii cū Morgenſternio de Abſtracto & Concreto.

Nunc quædam de ſtatu Eccleſiæ in Boruſſia. Magna tranquillitate frui poſſemus ſi illi ſeriò pacem colerent, qui pacis ſe profitentur præcones, tres Paſtores, quorum Dux eſt Morgenſtern, Sax, & Schluſſelgeburgius, gravem mihi litem movent, & per totam Boruſſiam tumultum excitarunt, ob φράσιν in abſtracto, ſcripto vehementi & inerudito & prolixo me adorti ſunt, & atrociter deformarunt. Contendunt Abſtractum ſeparare naturas in Chriſto, dividere perſonam, conſtituere duos omnipotentes. Nulla inſtitutio, nulla admonitio locum apud illos invenit. Lutheri & Morlini authoritatem mihi objiciunt, reſpondi illis, variè uſurpari vocabulum Abſtracti. Lutherum aliquoties juxta Etymon pro ſeparatione uſurpaſſe: Alias verò ſcholaſticè uſurpari pro diſtinctione vocum, Deus & divinitas, Homo & Humanitas. In Abſtracto eſt locutio, quando de Humanitate Chriſti in ipſa vnione fit mentio. Monſtravi exempla aliorum, qui vocabulo iſto ſcholaſticè ſunt uſi, nihil tamen profeci. Aliud enim ſubeſt quantum video. Dominus Vuigandus dudum eos reprimere potuiſſet, ſed ſiluit, & connivendo eos confirmavit. Vuigandus hanc propoſitionem concedit: Non tantum in concreto rectè dicitur, Homo Chriſtus eſt omnipotens, viuificus, adorandus: Sed etiam in Abſtracto dicitur rectè, Humanitas Chriſti eſt omnipotens, Vivifica & adoranda. Et hoc tantum dixi, cothurnum Vuitebergenſium detegere volens. Paſtores hoc impugnarunt, ut ipſorum ſcriptum docet, & tamen non repreſſit eos: fingunt nunc novum controverſiæ ſtatum, quaſi dixerim, Humanitatem Chriſti in Abſtracto eſſe adorandam, & abſtractum ad prædicatum de adoratione attulerim, quod mihi in mentem non venit. Tantum enim ſubjecti eſt declaratio. Abſtractum, inquiunt, Scholaſtici, ſupponit pro natura. Conſiliarii cupiunt controverſiam componere. D. Ionas & D. Cancellarius & alii docti fatentur mihi injuriam fieri. Reliqui fatentur, ſe non intelligere, vix agnoſcent Paſtores ſe inſcitia lapſos eſſe. Quid futurum ſit dies docebit. Aliquoties teſtatus ſum in publica lectione & ſcripto me de vocabulo non pugnare. Verum nec hoc ſatis eſt eis. Affectibus ergo indulgent, quia me traduxerunt, quaſi dividerem perſonam: aliquantò acrius ei reſpondi Latinè, ut eorum audaciam reprimerem, Sed quantum intelligo, non remittunt vehementiam gloriantur ſe habere manum Chemnizii, quâ teſteris, te improbare meam ſententiam & vocis uſum. Ego adduci non poſſum ut credam. In tuis enim Literis ad me teſtatus es, vos idem ſentire, & Epiſtola Stamnichii quid aliud vult? Scholaſtico ſenſu vocabuli Abſtracti ſine ſeparatione naturarum aliquoties es uſus in libello de duabus Naturis in Chriſto: Ego de voce non pugno, per me licet ſepeliatur, ſed hoc ferendum mihi nullo modo eſt; quòd iſti homines ex inſcitia vocis me traduxerunt, quaſi dividerem perſonam Chriſti & duos conſtituerem Chriſtos; hic nemo jubet me patientem eſſe. Extremæ enim blaſphemiæ eſt dividere Perſonam Chriſti, & ſegregare Naturas. Verùm ſic excipitur fidelis Epiſcopus in Boruſſia, & quidem à Paſtoribus. Hanc reporto gratiam

quod

quòd confeſſionem oppoſui Sophiſmatis & convitiis Calviniſtarum.

Kirchnerus, licet controverſiam non intelligat, ut novi hominem, tamen ſuperbas ad me ſcripſit literas, leges dictans pontificialiter, & meos Antagoniſtas inſcitiâ ſtabiliendo, non parum turbavit hanc Eccleſiam: Monere eum potes, ut deinceps cautius & magis fraternè agat. Tarditatem reſponſionis epiſtolę compenſo, quanquam hęc poſteriora minus grata tibi futura ſunt: ſed talis eſt fortuna Doctorum, ubi ex acie revertuntur, ubi cum hoſtibus pugnarunt, à domeſticis & fratribus aliquantò durius tractantur, quàm ab hoſtibus.

Chriſtus ergo confirmet animum, & reprimat tetras calumnias: Ego diſtinguo inter Scholaſticum uſum vocabuli Abſtracti quando alterutra Natura conſideratur vel nominatur, ut Divinitas vel Humanitas & Etymologicum de ſeparatione, ut Lutherus & Morlinus pio ſenſu uſurparunt. Vuigandus abſtractum alias ad ſubjectum refert, ac tum probat, alias ad prædicatum, & tum improbat, quantum de ſeparatione intelligitur. Hæc quantum videre poſſum eodem recidunt. Annon igitur ob inanem λογομαχίαν turbent Eccleſiam, Dominus judicet: ſententiam tuam de hac diſtinctione expeto. Non video quomodo alias loca in tuo libello, 8. loca in Luthero (hic tacendum eſt de abſtracto) conciliari poſſint, *&c. Regiomonte Boruſſiorum* 10. *Septembris* 1576.

Tilemannus Heſhuſius Epiſcopus Sambienſis.

Judicium Theologorum Simmerii Palatini

Theologi quoque Palatini Simmerii 1. *Novembris in ſua Cenſura de Torgenſi libro, primo conqueruntur, Theologos quoſdam a Lutheri doctrina & Auguſtana Confeſſione receſſiſſe, ideoque nunc eos novum Corpus Doctrinæ concinnare quinque, partibus conſtans,* 1. *Symbolis receptis,* 2. *Auguſtana Confeſſione,* 3. *ejuſdem Apologia,* 4. *Schmalcaldicis articulis,* 5. *Catechiſmi Lutheri, Se autem Corpus doctrinæ, authore* Philippo Melanthone, *eumque Electoris Auguſti Privilegio editum, reliquis omnibus præferre, in quo ſeptem ſequentia comprehenſa ſint:* 1. *Tria ſymbola,* 2. *Auguſtana Confeſſio:* 3. *Apologia:* 4. *Repetitio Auguſtanæ Confeſſionis anno* 1552. *Tridentino Concilio exhibita:* 5. *Loci Communes Philippi:* 6. *Examen Ordinandorum:* 7. *Reſponſio ad impios articulos Bavaricos, cum refutatione errorum Serveti & Stancari: Quæ ſcripta* Philippi *æquè publicata & privilegiata ſint, ac Auguſtana Confeſſio & ſcripta Lutheri. Atque Pontificiorum quoque & Ieſuitarum inſultatione Corpus Doctrinæ Philippi non poſſe rejici. Nullam itaque condemnationem* Philippi Melanthonis *admittendam eſſe ex ſcriptis* Lutheri. Philippo *ne in mentem quidem unquam veniſſe aliquid contra orthodoxam ſententiam docere. Si* Philippus *rejiciatur, fore, ut paulò poſt etiam ſacra Scriptura rejiciatur. Quid ſi omninò conſtitutum ſit novum Corpus doctrinæ componere rogare ſe, ut id communi conſenſu omnium Ordinum Auguſtanæ Confeſſionis fiat: In ſpecie vero ſe deſiderare quædam in* 2. *articulo de libero arbitrio: in* 3. *de juſtificatione: in* 5. *de definitione Evangelii:* 10. *de Adiaphoris.*

Cum etiam Elector Saxoniæ, *&* Philippus Ludovicus *Palatinus apud ſe fratrem* Iohannem *Bipontinum reſolutionem de Torgenſi formula urgerent, reſpondit ille iterum fratri* 8. *Novembris. In opere tanti momenti non properare debere. Proinde cùm alii quoque Ordines hunc librum diligenter examinent, ſe feſtinare nolle. ſed mittere tamen ei ſuorum Theologorum judicium. Ad univerſalem Concordiam ineundam omnes Ordines convocandos eſſe. De unico etiam authentico Biblico contextu & Corpore Doctrinæ ante omnia inter Principes & Theologos conveniendum eſſe, ne ulla incertitudo ſibi obiici poſſit, propter multas diſcrepantes verſiones Latinas & Germanicas. Cavendum etiam, ne contextus ſive Præfatione ſive gloſſis hominum privatorum corrumpatur, aut in alienum ſenſum detorqueatur. Scripta Apocrypha, quum ex eis articuli fidei probari non poſſint, omittenda eſſe. Si de uno legitimo Corpore doctrinæ conveniretur, omnes phraſes & modos loquendi juxta illud examinandos. Similitudines, quæ periculo non careant in eo omittendas, & omnia ſolius Scripturæ teſtimoniis probanda eſſe. Quod fieri nequeat, niſi prius Theologi non faſtuoſi & ambitioſi, ſed pacis amantes & Deum timentes conveniant, ac poſtea Principes quoque & de his ſeriò deliberent, &c.*

Neuburgenſium Theologorum cenſura de Formula Torgenſi.

Reſponderunt quoque 3. *Decemb. Neuburg. Theologi ad Bipontinorum Cenſuram:* Si de libro conventum ſit, titulum tunc poſſe manere immutatum. Pontificios & Calviniſtas nominari & *damnari debere. De Bibliis & Corpore doctrinæ bonam eſſe admonitionem. Sed prius Concordiæ libro ſubſcribendum eſſe. Ad Biblia Germanica corrigenda multum Temporis poſtulari & maximos ſumptus. In Torgenſi libro acquieſcendum eſſe. Omittere Lutheri nomen haud conſultum eſſe. Lutheri & Patrum teſtimonia & loca omitti non poſſe. Integram textus & teſtimoniorum allegationem fore quidem ex uſu plebeiorum, ſed aliud placere Theologis Torgenſibus. Objectas peregrinas & periculoſas phraſes ſeu locutiones mutandas non eſſe. Omna ſufficienter explicata, & Lutheri ſimilitu-*

militudines ex antecedentibus & conſequentibus declaratas eſſe: Si enim quid mutaretur, Calviniſtas habituros de quo gloriarentur. Polemica ſcripta Lutheri ideò citanda, quod omnium maximè vir ille veritatem in controverſis articulis propugnarit. Paragraphus, *Inferior Deo*, excuſatur locis Philipp. 2. & 1. Cor. 15.

Bipontinorum alterum judicium de formula Torgenſi. *In Priore Cenſura Bipontinorum Theologorum nonnulla ſunt omiſſa, quæ tamen in lectione libri Torgenſis obſervata & diligentiori examini reſervata fuerunt.* Primum eſt, *quum theſes & antitheſes copioſè eo tractentur, an non utile foret, ſi in gratiam indocti ſeu imperiti Lectoris, ea in breves articulos & Canones ſeu Propoſitiones contraherentur, ut etjam in Symbolis & Conciliis à Patribus factum ſit, & vel à principio cujuſque articuli, vel ad marginem ponerentur, ita ut textus nihilominus integer maneret, quum is præcipuè ob hanc cauſam ſic ſit conceptus & ſcriptus ut non ſolùm ſit declaratio Auguſtanæ Confeſſionis, ſed etjam regula, ad quam omnes Paſtores ſuas conciones, ſermones & ſcripta dirigere debeant?* Secundò, *Tomos Lutheri nunc Ienenſes mox Vuitebergenſes citari: an non ſatius foret, unam tantum editionem, præſertim Ienenſem retinere?*
Pag.126 Tertiò, *in articulo de Cœna Domini, & in Paragrapho*, Vt Abraham quum verbum Dei de immolatione filii ſui audiſſet, *hæc verba leguntur: Contra divinam & naturalem legem eſſe hæc verba: Sed hoc durum eſſe. Si enim Deus mandarit, legem quoque eius eſſe. Ad hæc non contra promiſſionem eſſe, cùm Deus ſibi non ſit contrarius; nec pugnare etiam cum ſexto præcepto. Sic igitur ſcribi poſſe*; An hæc verba quæ videntur rationi humanæ non ſolùm Dei & naturæ legi, ſed etiam ſummis articulis fidei contraria, juxta literam, *&c.* Quarto *in* §. Ideo omnes Chriſtiani Doctores, *teſtimo-*
Pag.131. *nium*, Theodoreti *contra Zuinglianos adductum, probationem ex abundanti eſſe. Satis enim argumentorum ex ſacris literis haberi Et ſi quis dicere vellet, retorqueri in Calviniſtas teſtimonium* Theodoreti, *quem ipſi pro Patrono ſuo agnoſcant in defendenda ſententia ſua, conſiderandum e contrariò eſſe, eos non unum vel alterum, ſed plurima teſtimonia contra unicum hoc ex authore illo citare. Adhæc non convenire, ut diverſæ doctrinæ*
Pag. 129 vſque ad 134. *ex uno eodemque authore probentur.* Quintò *ſæpè phraſes & ſimilitudines mirabiles ex Patribus allegari, quæ imperitos & ſimplices potiùs offendant & in errores coniiciant, quàm erudiant. Hujus generis eſſe*, Corpus Chriſti labiis & linguâ tangi, *&c. Imo Patrum teſtimoniis ad probandam oralem manducationem omninò non utendum ſibi videri, ne adverſarii dicant, eos non ex Verbo Dei, ſed ex aliis ſcriptis ſua probare. Similia etiam non eſſe eadem, ſed ita plerumque comparata, ut ſimpliciores potius à vero ſenſu abducant, quam in eo erudiant: tutiſſimumque eſſe ſi ſolis verbis Scripturæ inſiſtatur & homines, ut iis fidem habeant admoneantur.* Sextò, *In articulo de Perſona Chriſti eiuſque Maieſtate maximam partem teſtimoniorum ex Luthero allatam eſſe, cum tamen errantes ex Verbo Dei convinci debeant.* Septimò, *duorum generum Schmalcaldicos articulos allegari, de annis* 1537. *&* 1538. *Quæri igitur poſſe, an poſteriores quoque in hoc Corpore doctrinæ contineantur? Nam authores Formulæ huius ad eos ſe tantum referre, qui anno* 38. *in lucem primum editi ſunt, & Concilio Mantuano offerri debuerunt.* Octavò, *& ultimo, in recitatione Suenkfeldii erroneorum articulorum, ſextum de Excommunicatione melius declarari debere, voce* publicæ excommunicationis, *vel ſimili: nam in vera Eccleſia, non ſolum claves ſolvendi, ſed etiam ligandi in uſu eſſe debere.*

Elector quoque Saxoniæ Auguſtus 15. *menſis Decemb. reſpondit Landgraviorum fratrum literis, & una miſit Theologorum ſuorum aculeatum ſcriptum ad Cenſuram Haſſiacorum Theologorum de libro Torgenſi. Nam in illo non ſolum eos accuſant diſcordiæ & diſſenſionis inter ſeſe, ut qui de articulis in religione controverſis nihil firmi & certi ſentiant, ſed etiam mendacii eos haud obſcurè inſimulant, quòd ſcripſerint, ſe certaminum & controverſiarum, inter Auguſtanæ Confeſſionis Theologos exortarum, particeps non eſſe, eſſe eos partim manifeſtos, partim occultos, vel ſaltem ſemi-Zuinglianos, qui ſententiam ſuam de Cœna dubiè & lubricè exponant, & nihil expreſſè vel affirment vel urgent. Hortantur in eodem ſcripto Landgravios fratres, ut Theologos ſuos diligenter obſervent, eſſe enim illos inter ſe diſcordes & Calviniſmo infectos, &c. Hanc invectivam cum accepiſſent à Principibus ſuis Haſſiaci Theologi, alio ſcripto diligenter ſeſe ipſis de atrocibus his injuriis purgarunt, vehementerque ſunt conqueſti, fidelem & amicam ſuam admonitionem tam male à Theologis Saxonicis acceptam fuiſſe.* — Saxonicorum Theologorum reſponſio ad Haſſiacorum Cenſuram.

Quod, *inquiunt*, Electorales Theologi Saxoniæ, ad Concordiæ Opus deſtinat, adeò confidenter ſcribere audent, nobis in noſtris Eccleſiis inſtitutam Concordiam æquè, vel potius magis quam aliis in ſuis Eccleſiis neceſſariam eſſe, eò quod non concordes ſimus, & noſtrorum aliqui Zuinglianæ doctrinæ vel apertè, vel occulte addicti & hac accuſatione noſtras Eccleſias prægravare, noſque ipſos Electori Saxoniæ, Celſitudinibus V. aliiſque Principibus ſuſpectos & inviſos facere conantur, optaremus certè Theolo- — Reſponſio Haſſiacorum Theologorum.

Theologis iſtis ſtatum & conditionem noſtrarum Eccleſiarum melius cognitam perſpectamque eſſe, ipſoſque etiam noſtram ſententiam abſque omnibus affectibus accepiſſe & expendiſſe. Neque enim ſcripſimus, noſtras Eccleſias & nos, qui in iis docemus, omnibus nævis carere, nam ubique Satan in agro Domini zizania inter triticum ſeminat: ſed beneficia, quæ his regionibus noſtris tributa & data ſunt à Deo ſilentio præterire noluimus. Nam in veritate dicere poſſumus, in cathedris noſtris mentionem hactenus nullam factam fuiſſe. Oſiandriſmi, Majoriſmi, Adiophoriſmi, Synergiſmi, & ſimilium, de quibus à nonnullis certatur, & magnæ turbæ in Eccleſiis excitantur, eaque propter etiam conciliationes & Concordiæ inſtituuntur: inter Profeſſores etiam Scholarum de his nullas unquam controverſias exortas, vel diſputationes motas fuiſſe, neque etiam Calviniſmum vel Zuinglianiſmum ſuggeſtus noſtros occupaſſe: Sed docuiſſe nos ſemper verbis Chriſti inſiſtendum, eaque ſimpliciter intelligenda eſſe, quod ipſe ſit omnipotens & verax, & quæ promittat præſtare poſſit ac velit, & ſic Eccleſias noſtras in pace & tranquillitate conſervaſſe.

De Iohanne Pincièro Quod autem *Iohannes Pincierus*, qui Zuinglianiſmi nomine multis ſuſpectus fuit, ob ſingularem ſuam eruditionem, pietatem & vitæ integritatem à Celſitudinibus V. earumque Parente ab officio ſuo non remotus & dimiſſus fuit, nobis non imputari, ſed ſummæ Veſtræ Clementiæ tribui debet.

Cur in examine Torgenſis formulæ Haſſiaci Theologi non fuerint concordes. Quod etiam in noſtra Synodo & libri Torgenſis examine ſententiæ non fuere concordes, noverunt Celſitudines Veſtræ, quanto zelo noſtri juramenti & officii, quo Deo imprimis, deinde Celſitudinibus V. atque Eccleſiis noſtræ fide commiſſis obſtricti ſumus, nos commonefecerint, petierintque, ut quiſque ſuam ſententiam, nulla ratione habita ullius hominis, vel præſentis vel abſentis, ſincerè, candidè ac liberè dicat; adhæc etiam ex Zapfenburgo Synodum diligenter graviterque monuerint, ut librum hunc non obiter & perfunctoriè percurramus, ſed accuratè expendamus: adeoque unuſquiſque non alterius, ſed ſuam ipſius ſententiam quam verbo Dei conſentaneam eſſe judicet dicat, & abſque omni timore declaret. Hinc conſequutum eſt, ut nonnulli ſua dubia in quibuſdam articulis expoſuerint, deque iis cum aliis contulerint, ſed tandem in unam eandemque ſententiam ierint, præter *Egidium Hunium*, qui ante ſex ſeptimanas Tubingâ Marpurgum venit, & *Danielem Arcularium*, qui etiam ante paucos Annos Tubingæ literis operam dedit: hi duo juvenes ſententiam ſuam de Vbiquitate, quàm à Præceptoribus ſuis didicerunt, mordicùs retinuerunt, & cunctorum vota per omnia libera fuerunt, nulluſque à ſua ſententia in allam pedibus ire coactus eſt. *De Egidio Hun.*

Haſſiaci Theologi an ſint Zuingliani. Quod autem Celſitudines V. Theologi Electorales Saxoniæ ſemel iterumque hortantur in dicto ſuo ſcripto, ut Theologos ſuos diligenter obſervent: multos namque illorum, & quidem præcipuos Zuinglianos eſſe, metuendumque ſi diligens inquiſitio fieret, futurum, ut plures alterius ſententiæ ſint, quam nunc ore & ſcriptis profiteantur: Reſpondemus, nos de articulo Cœnæ Dominicæ nunc iterum ſic rationem reddituros, ut non ſolum C. V. ſed omnes etiam pacis amantes homines intelligere poſſint, nos ſententiam noſtram non lubricè expoſuiſſe, vel aliud corde occultaſſe, aliud ore pronunciaſſe. Diſertè enim & expreſſe confitemur, Chriſtum Dominum, ubicunque hoc Sacramentum juxta ordinationem & inſtitutionem ſuam celebratur, diſpenſare & exhibere verum & ſubſtantiale ſuum Corpus & Sanguinem, non propterea quod is, qui accipit, fidelis ſit, ſed quod ille, qui hoc promiſit, omnipotens ac verax ſit, & quæcunque promiſit certò præſtare poſſit. Ad hujus ſententiæ confirmationem uti ſolemus his Auguſtini verbis *Nihil intereſt cùm de Sacramenti integritate & Sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus ſit ille qui accipit hoc Sacramentum: intereſt quidem plurimum ad ſalutis viam, ſed ad Sacramenti quæſtionem nihil intereſt.* Quod autem in Cenſura noſtra addimus, IN VERO VSV non calliditate aut dolo aliquo à nobis factum eſt, ut ſub his verbis errorem hunc, quod ſoli fideles Corpus & Sanguinem Domini in Cœna percipiant, occultemus, quod Deum noſtramque conſcientiam teſtamur: ſed ſic illa intelleximus, ubicunque juxta ordinationem & inſtitutionem Chriſti Panis & Calix Domini benedicitur, frangitur, diſtribuitur, percipitur & ſumitur, ſicut hucuſque verba hæc uſurpata fuerunt; nec iis Corpus & Sanguinem Chriſti incredulis eripere voluimus, ſed tantum excludere abuſus Papiſtarum aliorumque, qui ad alios uſus tranſtulerunt, quàm propter quos à Chriſto inſtituta eſt Cœna. Similiter etiam non periculosè

Haſſiacorum Theologorum ſententia de Cœna.

culoſè dignorum & indignorum tantum mentionem fecimus, ſicut etiam Paulus loquitur, nulla fidelium & infidelium mentione factâ. Nam, ut diximus, hæc noſtra ſententia eſt, Corpus & Sanguinem Chriſti adeſſe, non propter fidem ſummentis, ſed propter ordinationem & promiſſionem Domini.

Vocem INTERNE oppoſuimus vocabulo EXTERNE, non novas & inuſitatas phraſes introducendi ſtudio, ſed excludendi ſaltem illam craſſam ſeu Capernaiticam manducationem, quæ dentibus fit.

De novis Zuinglianis qui ſe communibus phraſibus tuentur, & ſub illis errorem ſuum occultant, nos nihil ſcimus. Illud autem nobis mirum videtur, qui fiat, quòd nunc demum declaratione hac noſtræ de Cœna Domini ſententiæ tantum ſcelus admiſerimus, quum ante decennium hanc ipſam Vuitebergenſes approbârint & Principi ſuo *Chriſtophoro* ut orthodoxam commendârint.

De Ubiquitate Corporis Chriſti cum nemine diſputare aut contendere cupimus, ut etiam in Cenſura noſtra proteſtati ſumus: nec unquam in mentem nobis veniſſet, fore ut noſtra candida ſimplicitas in tam malam partem acciperetur, & omnia noſtra verba in alienum ſenſum detorquerentur. Quia tamen ſcriptum illorum etiam de hoc articulo plenum eſt ſtomachi & querelarum, breviter quoque quibus calumniis ab illis oneremur, indicabimus.

An perſonalis unio ſit fundamentum corporalis præſentiæ Chriſti in Cœna.

Diximus, articulum de Perſonali unione duarum naturarum in Chriſto, non eſſe fundamentum præſentiæ Corporis & Sanguinis Chriſti in Sacra Cœna, ſed verba inſtitutionis, Accipite, edite, Hoc eſt Corpus meum, &c. Hoc iſti Theologi tanquam Torgenſi libro contrarium reprehendunt. Eſt autem hæc non ſolùm omnium orthodoxorum unanimis ſententia, ſed etiam Torgenſis articulus non aliter loquitur: nempe ex perſonali unione præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti non per ſe & ſimpliciter probari, ſed quod verba inſtitutionis ſimpliciter ut ſonant, abſque ullo tropo & figura intelligi debeant, quod etiam nos fatemur. Lutherus ipſe in libro, *Quòd verba Chriſti, Hoc eſt Corpus meum, adhuc firma ſtent*, in quo de Perſonali unione duarum Naturarum copioſè diſputat, & doctrinæ de Vbiquitate viam ſternit, probat, omnia illa quæ in libro iſto de Perſonali unione continentur, in hunc tantùm finem ſcripta eſſe, ut inde probetur verba Chriſti non figuratè, ſed ut ſonant intelligenda eſſe. Ita etiam Kemnitius in libro ſuo de Cœna Domini, cujus titulus eſt, Repetitio ſanæ doctrinæ de vera præſentia Corporis & Sanguinis Domini in Cœna, atque etiam inferioris Saxoniæ Theologi in ſua repetita Confeſſione, & declaratione, apertis verbis teſtantur, diſputationem de Vbiquitate propriè non pertinere ad quæſtionem, an verum Corpus & Sanguis Chriſti ſint in Cœna Domini. Huc pertinet etiam quòd Lutherus in ſua majore Confeſſione de Cœna Domini, ſic ſcribit: *Vt probarem, quod Chriſti Corpus ubique ſit, quoniam Dextera Dei ubique eſt, hoc ideò feci, ut unicum ſaltem modum oſtenderem, quo Deus poſſit efficere, ut Chriſtus ſimul in cœlo & Corpus ejus in Cœna ſit, non ignorans, ſapientiam & potentiam Dei adhuc alios modos, habere & ſcire, quomodo Corpus Chriſti alicubi poſſit eſſe.* Ex quibus verbis clarè intelligitur, Lutherũ non ſolum Vbiquitatem Corporis Chriſti pro fundamento præſentiæ Corporis & ſanguinis eius in Cœna non agnoviſſe, ſed etiam affirmare noluiſſe, Vbiquitatem illum ipſum modum eſſe, juxta quem Dominus ſuum Corpus & Sanguinem in Cœna diſpenſet. Eo ipſo verò ſignificare & probare voluit, quòd Chriſto, tanquam vero Deo & homini, non impoſſibile ſit corpore ſuo in Cœlo eſſe, & ſimul etiam in terra ubicunque Cœna ſacra celebratur. Nam Numer. 23. ſcribitur, Non eſt Deus quaſi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus eſt, & non implebit? præterea Angelus Gabriel ad Mariam Virginem dicit, *Apud Deum non eſt impoſſibile omne verbum.* David in Pſalmis inquit: *Deus noſter in Cœlis eſt, & poteſt facere quicquid vult.* Paulus etiam dicit *Deus verax eſt*: Et Deus ipſe apud Prophetam inquit: *Deus ergo ſum & non mutor.* Sunt etiam, omnipotentem & veracem eſſe, eiuſmodi proprietates in Deo, ut, ſi eas non haberet & declararet facto verus Deus non eſſet. Quum igitur præſtare vult & poteſt quicquid promittit, ſequitur, Chriſtum verum Deum & hominem, verum ſuum Corpus & Sanguinem in ſacra Cœna ad edendum & bibendum diſtribuere, quandoquidem hoc tam claris & perſpicuis verbis promiſit. Hic ipſe Dominus 5000. homines quinque hordeaceis panibus & duobus piſcibus ſaturavit, quod etiam contra omnem Naturam eſt & intellectum noſtrum ſuperat & tamen nullo loco promiſit ſe hoc facturum Cur igitur nobis etiam, quibus hoc promiſit Corpus & Sanguinem ſuum dare non poſſet etiamſi hoc ſit contra Naturam Humanam Corporis & intellectum noſtrum ſuperet? Hæc eſt vera declaratio verborum Chriſti de Cœna Domini, quam hucuſque in noſtris Eccleſiis retinuimus, atque etiam in poſterum

poſterum Deo ſic volente,retinebimus.

Ex his, quæ diximus, expedita quoque reſponſio eſt ad quæſtionem, An Deo pro ſua omnipotentia poſſibile ſit efficere,ut modo arcano & ſupernaturali Humanum Corpus ſimul in pluribus, vel omnibus locis præſens eſſe poſſit? Speramus enim nos minimè inſimulari, quòd de omnipotentia Dei dubitemus, de qua nos tot præclara teſtimonia habemus in ſacris literis. Atroci igitur injuriâ afficimur, quòd pro Calvinianis vel Zuinglianis habemur,hanc ob cauſam,quòd Vbiquitatem fundamentum præſentiæ Corporis & Sanguinis in Cœna Sacra eſſe negamus, alioquin ſequeretur, Kemnitium etiam, & Lutherum ipſum Zuinglianum vel Calvinianum eſſe: Nam & illi docuerunt, præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti in Sacra Cœna non Vbiquitate, ſed verbis inſtitutionis niti. Notum eſt, unde quæſtio de Vbiquitate Corporis Chriſti nata ſit.

Vnde quæſtio de Vbiquitate nata.

Zuinglius cum ſuis ſic argumentatus eſt: *Natura & proprietas veri Humani Corporis hæc eſt, ut non poſſit ſimul & ſemel eſſe in pluribus locis. Sed Chriſtus verum & Naturale Corpus habet. Ergo.* Reſpondit autem Lutherus cum ſuis, verum eſſe hoc argumentum, ſi Chriſtus nudus homo, non autem ſimul verus Deus eſſet Quoniam autem æternus Dei Filius Humanitatem in unitatem perſonæ inſeparabiliter aſſumpſit, atque ideò Corpus Chriſti maiores prærogativas quam alia Corpora Humana habet, ut quod ſuper aquas ambulavit, per clauſas ianuas intravit,multa miracula fecit, imò Diabolum, mortem & infernum ſuperavit: ideò poſſibile eſt, ut verum & circumſcriptum Corpus habeat & retineat, & tamen illud, iuxta promiſſionem, in omnibus locis ubi Cœna celebratur ad edendum exhibeat. Cyrillus inquit: *Vnigeniti Filii Dei Corpus exiſtens omnia humana tranſcendit* & Ambroſius, *Quid,* ait, *tu quæris Naturæ ordinem in Chriſti Corpore, cùm præter Naturam ſit ipſe natus ex Virgine.* Huic ſimplici & Chriſtianæ reſponſioni acquieſcimus, nec vllis diſputationibus de Vbiquitate nos immiſcere volumus; quòd ea ſubtilis ſit, & ita ſe habeat, ut etiam multi miniſtri eam intelligere nequeant: quo ipſo, noſtro quidem iudicio, tantum ſcelus non admittimus, ut propterea pro hæreticis & Zuinglianis vel Calvinianis habendi, aut damnandi, vel ex Eccleſia Chriſti eiiciendi ſimus.

Quòd enim hic rurſus nobis tribuitur,nos talibus verbis vſos, quum de diſpenſatione Corporis & Sanguinis Chriſti verba fecimus, ſub quibus Calviniſtæ quoque errores ſuos occultare queant, cum veritate dicimus, id nullo ex dolo à nobis factum eſſe.

Quod etiam liberè profeſſi ſumus, nos non intelligere, quâ ratione abſurda, quæ ex Vbiquitate ſequantur, declinari aut excuſari poſſint, ſi ea tanquam approbatum dogma recipiatur, & in Eccleſiam introducatur, quam tamen tota erudita antiquitas ignoravit, id ſperamus omnes æquos judices, qui candidè & ſine omni affectu judicare volent, nobis vitio non daturos, quum idem præſtantes & docti viri etiam ante nos fecerint, inprimis *Heſhuſius*, qui apertè ſcripſit, ſe nullum adhuc tam firmum argumentum audiviſſe, quo perſonalis Vbiquitas ſibi obtrudi potuerit; allegauit etiam locum *Auguſtini* dicentis, *In illis ſublimibus myſteriis multa ſunt quæ in hoc caliginoſo tempore doctè neſciuntur*, &c. Hæc eſt, Illuſtriſſimi Principes, noſtra ſimplex & Chriſtiana reſponſio,ad ea quę de nobis ſparguntur,&c.

Landgravius Vuilhelmus Electori Auguſto reſpondet.

Reſpondet quoque Electori Saxoniæ Landgravius Vuilhelmus 3. *Febr. anno* 1577. *& unà Theologorum ſuorum excuſationem ac defenſionem mittit. In literis ſuis ſimiliter conqueritur Landgravius*, Theologos Saxonicos ſuos Theologos Zuinglianiſmi ſuſpectos reddere, & diſcordiæ accuſare,hanc præcipuè ob cauſam, quòd inter eos duo ut plurimum, triceſimum annum nondum attingentes, & nuper admodum ex Schola Tubingenſi prodeuntes, ſubtile dogma Vbiquitatis, & quæ ei adhærent, præ aliis cognitum habere ſibiipſis videantur; reliqui verò ætate longè graviores, munuſque Eccleſiaſticum multis ab hinc annis, imò ab eo tempore, quo lux Evangelii refulgere cœpit, obeuntes, & qui omnibus ferè Colloquiis, Comitiis ac Conventibus interfuerunt, id approbare recuſantes, & ingenuè in hoc dogmate ruditatem ſeu imperitiam ſuam agnoſcentes, nihil aliud aptent, quam ut ſibi permittatur hunc articulum ad regulam verbi Dei & Auguſtanæ Confeſſionis expendere, & vſitatis phraſibus, veterique Eccleſiæ comprobatis formis loquendi ſimpliciter vti. Sanctè ac verè Celſitudinem ſuam affirmare poſſe, Eccleſias & Scholas Haſſiacas pacatas & tranquillas hucuſque fuiſſe,nec ſe certaminibus iſtis immiſcuiſſe, propter quæ Concordiæ opus inſtitutum ſit: Parentem enim ſuum,Sanctiſſimę memoriæ Principem, cui Religio non minùs cognita perſpectaq́; fuerit quàm ſummis Theologis,diligētiſſimè caviſſe, ne ſophiſticæ,ſubtiles atque inutiles & ad ædificationē nihil facientes quęſtiones, in Eccleſias & Scholas ſuæ ditionis introducerentur: pręterea in Teſtamento ſuo mādaſſe

Vbiquitatem qui in Haſſiam importârint.

Haſſiacas Eccleſias hucuſque pacatas fuiſſe.

L quoque

quoque Filiis ſuis, ut toto animo, curâ & ſtudio in id etiam incumbant: præſertim in re Sacramentaria, illos, qui Bucceri concordiam amplectantur, & paci tranquillitatique ſtudeant, profundis & ſubtilibus quæſtionib. non gravent, nec in conſcientias eorum vlteriùs inquirant. Huic mandato paterno ſe parere diligenter, atque in exſtirpatione zizaniorum, talem ſe, juxta Chriſti mandatum, prudentiam adhibere, ne ſimul etiam bonum ſemen eradicetur.

Theologos Saxonicos ſub prætextu libri Concordiæ ſuos errores ſolùm defendere velle.

Celſitudinem ſuam Concordiæ tractationem ab initio ſtatim approbâſſe, & Theologorum Conventum ſuaſiſſe: in eadem ſententia ſe adhuc eſſe, & concordiam ſe non ſolùm non impedire, ſed etiam ad optatum finem perducere cupere. Sibi tamen videri, Theologos nonnulos id ſolùm agere, & ſub Concordiæ tractatione hoc potiſſimùm quærere, ut opiniones ipſorum canonizentur, ipſique gloriam & honorem inde apud homines acquirant. Hanc autem non eſſe veram viam ad Concordiam conſtituendam.

Vbiquitatem inutilem eſſe.

Scire ſuam Celſitudinem & ex animo etiam credere, Chriſtum verum Deum & hominem, virtute omnipotentiæ ſuæ, in omnibus locis, quibus verbo ſuo veraci ſe alliget, certò poſſe & velle eſſe; ideoque etiam verba omnipotentis Filii Dei, quibus ſuum Corpus & Sanguinem in Sacra Cœna cum pane & vino promittit, ſufficere etiam debere Chriſtianis hominibus ad comprobandam ejus præſentiam. Ad quid igitur de Vbiquitate tantopere laboretur? Quicunque enim de verbis Chriſti omnipotentis & veracis dubitet, ei inperſcrutabilem perſonalem Vbiquitatem nunquam ſatisfacturam. Se etiam nullum alium fructum perſpicere poſſe, qui ex periculoſa veterique Eccleſiæ incognita diſputatione de perſonali Vbiquitate percipiatur, quàm quòd homines eâ in mirabiles & inextricabiles cogitationes conjiciantur, proprietates Naturarum in Chriſto confundantur, recepta & vſitata doctrina in Eccleſia de communicatione Idiomatum reprobetur, & inſuper etiam omnis generis partim contraria, partim periculoſa & offendiculo non carentia paradoxa introducantur. Authores enim & propugnatores huius opinionis hoc largiri, Chriſtum juxta proprietatem Humanæ Naturæ phyſicè & localiter in uno certo loco eſſe: & tamen ſimul docere, cum ſecundum eandem Humanitatem perſonaliter vbique, & extra locum eſſe: Ita Chriſtum reguli filium Capernai juxta humanitatem abſentem, & tamen ſecundum eandem etiam perſonaliter præſentem ſanâſſe: Hinc porrò etiam inferre eos, cum Chriſtus in vtero materno fuerit & in cruce pependerit, eum etiam Perſonaliter in aliis locis fuiſſe ſimul. Hoc autem modo Chriſto duo corpora affingi & Zuinglianorum ſententiam confirmari. Ex eodem quoque dogmate perſonalis Vbiquitatis inferri, Cœlum & fidelium manſionem vbique eſſe; & ſimul Cœlum & Infernum confundi: alias abſurditate: & conſequentias, quæ hinc oriantur & paſſim ſpargantur, Celſitudinem ſuam ſcienter præterire, quibus ad atheiſmum via ſternatur.

In articulo de Perſona Chriſti intra Scripturæ metas manendum.

Cumque in articulo de Perſona Chriſti facilè fieri poſſit, ſicut olim etiam hæreticis mullis acciderit, ut vel in Neſtorianiſmum vel Eutychianiſmum delabantur homines, ſuæ Celſitudini neceſſarium, omniumque tutiſſimum videri, ut in hoc præſertim articulo intra metas Scripturæ nos contineamus, & vtamur vſitatis ac receptis phraſibus loquendi, ut in Symbolo Athanaſii & decretis Chalcedonenſis Concilii ſummâ diligentiâ & ſtudio expreſſæ ſint, & de iis vlteriùs diſputare à Chriſtianis Imperatoribus graviter prohibitum ſit: adhæc Theologis noſtris frenum iniiciamus, ne in myſteria Dei, rationi Humanæ imperſcrutabilia, curioſis & ad ædificationem nihil pertinentibus quæſtionibus, altiùs inquirant, quàm nobis in verbo Dei patefacta ſunt, ne nimiùm perſcrutando maieſtatem opprimamur à gloria.

Articuli fidei non allegoricè interpretandi.

Neque etiam vllo modo convenire, ut articuli Fidei Chriſtianæ & Scriptura Sacra nimiùm ad myſticum ſenſum, & ſubtilem ſeu Spiritualem intellectum detorqueantur. Qui namque errores inde conſequantur plerunque, exempla Hymenæi & Phileti, qui tum Apoſtolorum temporibus articulum de reſurrectione mortuorum, per Spiritualem ſenſum corruperint; Origenis item & aliorum noſtrâ memoriâ ſatis ſuperque probare.

De emendata Auguſtana confeſſione, & condemnandi verbo.

Quod verò Celſitudo ſua monuerit in poſtremis literis, de novo Corpore doctrinæ, de Auguſtana Confeſſione, quæ vivo adhuc Luthero emendata, in aliquot Colloquiis exhibita, & ab Electoribus aliiſque Principibus Naumburgi confirmata ſit, denique de duro verbo *Condemnandi*, id ex bono Animo & in hunc ſaltem finem factum eſſe, ne quid novi iam cudatur, quod prioribus actionibus prorſus contrarium ſit, hacque ratione adverſariis occaſio detur, veram religionem, Electores, Principes & ſynceros Doctores inconſtantiæ accuſandi. In emendata quoque Confeſſione aliquot articulos multo nervoſius explicari, quam in prima illa Carolo

Imperatori

Imperatori exhibita Auguſtæ, in qua nonnulli articuli partim breviter, partim obſcurè ſint tractati, & quos pro ſe facere Pontificii acriter contendant, nempe, 4. 5. 6. & 20. de fide & bonis operibus, item in ſecunda parte, de abuſibus Pontificiis, de vna ſpecie Sacramenti, de Conjugio Sacerdotum, de Miſſa, Confeſſione, Ciborum delectu, Votis monaſticis & Epiſcoporum poteſtate. Si iam Confeſſionis exemplar emendatum improbetur, vel minimùm ad primam immutatam Confeſſionem provocetur, hoc ipſo nihil aliud agi, quàm quòd nunquam ſatis laudatos maiores ſuos, ſeipſos & Eccleſiarum ſuarum levitatis accuſent, atque etiam teſtentur, ſe nominatos articulos emendatos improbare, quod nequaquam conſultum ſibi videatur.

De Philippo.

Ad *Philippum* quod attinet, conari quidem nonnullos eum Zuinglianum facere, hanc ob cauſam, quòd ipſe pacis amantiſſimus, omnibus concertationibus ſeſe immiſcere noluerit, aut potiùs Vbiquitatem approbare recuſarit, ſed hoc Celſitudinem ſuam affectibus & ſupercilio Theologico tribuere. *Philippum* publicè de Zuinglianiſmo ſcripſiſſe, aut eum defendiſſe, ſe non meminiſſe. Aut ſi aliquibus ſuſpectus fuerit, cur non, dum adhuc in viuis eſſet, de eo accuſatus ſit? cur id ipſum ad hoc vſque tempus dilatum, quo obiectis calumniis reſpondere nequeat? aut cur conentur aliqui omnia eius vtiliſſima ſcripta, quæ Lutherus ipſe vivens adhuc viderit & vehementer commendârit, non citra contemptum inſignem Chriſtianæ ſuæ Religionis, ſuſpecta reddere, vel prorſus exauthorare & ex memoria hominum delere. Hoc ipſum illis ipſis etiam evenire poſſe, qui optimum & Doctiſſimum hunc virum nunc opprimere conentur, cujus rei ſatis magno exemplo *Illyricus*, qui *Philippum* vivum tantùm non devorare voluerit: poſteros enim vniuſcujuſque ſcripta, poſthabitâ noſtrâ canonizatione vel ſuppreſſione, candidè & ſyncere judicaturos.

Quæ denique monuerit Celſitudo ſua de duro verbo *Damnamus*, deque afflictis & ſub cruce gementibus Chriſtianis, ea ex Auguſtanæ Confeſſionis ſuggeſtione ſe monuiſſe; & veteris quoque Eccleſiæ conſuetudine, quæ nullam unquam hæreſin abſque præcedente Concilio damnârit; ſeverâ etiam comminatione Amoſi Prophetæ, qui fœderis cum fratribus icti non meminerint. Germanos iam longo tempore, Dei gratiâ, altâ pace vſos, ſed cavendum, ne ſævitiâ contra illos, quos Antichriſtus ad mortem vſque perſequitur, Deus offendatur. Illos, quos turris in Siloa obruerit, non ſolos peccatores fuiſſe. *In fine proteſtatur*, ſe hæc omnia ex ſyncero & candido animo ſcribere; ſimulque cavendum monet, ne expurgando figuralitatem Zuinglii, omnes, vel ſaltem præcipuos fidei articulos in allegorias vertant, & ſic ex Scylla in Charibdim incidant. *Dabantur Zigenhain* 3. *Feb. Anno* 1577.

Vuilhelmus Landgravius.

Anhaldinorum Cenſura Torgenſis formula

Anhaltini Theologi in ſua Cenſura, iuſſu & mandato Principis ſui ſcripta 7. *Mar. proteſtantur, ſe hoc vnum optare atque etiam operam dare, ut Eccleſiæ Anhaldinæ in ſimplici veritate confirmentur potiùs, quàm peregrinis certaminibus turbentur & ſcindantur. Nihilominus quum præter voluntatem ſuam Torgenſem librum examinare debeant, ſe id in timore Domini facturos. In genere Electoris Saxoniæ aliorumque Principum intentionem, curam & ſtudium, utpote Chriſtianis Principibus dignam, laudant, hortantur eos, ut in Eccleſiis Concordiam Chriſtianam inſtituant: ſed veram viam, quâ eò perveniri poſſit, librum Torgenſem non monſtrare.*

Librum Concordiæ veram viam ad concordiam non monſtrare.

Nam licèt omnia, quæ in iſto Libro continentur, vera eſſent, tamen iſtam prolixitatem in Eccleſia inuſitatam, & veteribus Symbolis, Canonibus Conciliorum, atque etiam Auguſtanæ Confeſſioni contrariam eſſe. Quaſdem hæreſes ſeipſas confodiſſe, & unà cum ſuis authoribus interiiſſe. In antitheſi quoque hujus libri ejuſmodi concluſiones reperiri, quæ in Saxonicis Eccleſiis nunquam audita ſint. Malum benè poſitum non movendum. Rem apud Pontificios offendiculi plenam fore, ſi in Proteſtantium conciliationibus inveniant, eos intra 47. *Annorum ſpatium in* 100 *ſectas ſciſſos eſſe. Magno etiam probro ſibi futurum eſſe, ſi ſuam turpitudinem in hoc Pfafforum bello coram adverſariis revelent, infirmos offendant, & adverſarios magis exaſperent. Conſtantinum M. Imp. polemica ſeu contentioſa ſcripta, non in theatrum mundi produxiſſe, ſed igne exuſſiſſe, & vitia Epiſcoporum pallio ſuo contexiſſe. Si concordia Saxonicarum Eccleſiarum tantùm quæratur, cur in hoc Libro mentio fiat Arrianorum, Neſtorianorum, Eutychianorum, Pelagianorum, Manichæorum, Anabaptiſtarum, Antinomorum, Sacramentariorum, Servetanorum, Schuenckfeldianorum, &c? quid enim ad Saxonicas Eccleſias qui foris ſint? Sibi etiam vehementer dolere, optimè meritum de Eccleſiis & Scholis earumque Profeſſoribus & Scholis* Melanchthonem *ex hominum memoria hac Formulâ deleri*: Lutherum *canonizari, &* Philippum *deformari, qui unicâ ſæpè definitione Eccleſiis magnam lucem accenderit. Hinc autem barbariem conſequi neceſſe eſſe & Theologici ſtudii contemptum, & iam quidem vix* 8. *vel* 10. *Theologiæ ſtudioſos Vuitebergæ reperiri,*

quam antea maxima eorum fuerit frequentia. Si Principibus placuerit, ex Theologorum inſtinctu, rem ab exſequutione perſequi & inchoare, malum abſque dubio in authorum caput redundaturum. Corpus doctrinæ Philippi *non abiiciendum, ſed ſi quid in illo dubium inveniatur, ex Sacra Scriptura, tanquam normâ normarum diſjudicandum. Articulum etiam de Perſona Chriſti malè poſtremo ferè loco poſitum eſſe. Hæc in genere: in ſpecie verò in omnibus duodecim articulis aliquid deſiderant: Denique monent, detur opera, ut* Lutherus & Philippus *conjuncti maneant.*

CAPVT XIII.

De Conventu Bergenſi, in quo à ſex Theologis Liber Torgenſis emendatus, & Bengenſis factus eſt.

FActis his Cenſuris, in quibus alii Torgenſem formulam probârunt, alii reiecerunt, multi multa in ea mutari cenſuerunt, nonnulli etiam graviter monuerunt de Philippo, de ſcriptis ejus, quorum mentio facienda eſſet, de Corpore doctrinæ Philippi non exterminando, de Confeſſione Auguſtana cùm priore, tum poſteriore, de Theodoreto, de libero arbitrio, præcipuè vero de Perſona Chriſti, de Cœna Domini, de Vbiquitate, de verbo Damnandi, deque aliis ſimilibus, juſſu Electoris Saxoniæ conveniunt in Dominica Exaudi *ſeu* 12. *die Maii menſis Anno* 1577. *ſex delecti Vbiquitatis patroni* Schmiddinus, Muſculus, Selneccerus, Kemnitius, Chytræus *&* Cornerus *in* BERGENSI *monaſterio propè Magdeburgum.*

Bergenſis Concilii Patres

Hi cognoverunt & examinârunt Cenſuras tranſmiſſas, ac ex iis aſſumſerunt quædam in Torgenſem formulam; quædam expunxerunt & omiſerunt in ea, ut de Theodoreto, quòd mera calumnia eſſet, de Cœlo & Aſcenſione in Cœlum, de qua graviter adhuc controvertebatur, nec cum Luthero doctrina hæc Vbiquiſtarum conſentiret, adhac de duplici Maieſtate & divinitate, item, quòd cum omnibus Creaturis Deus unitus ſit perſonaliter; & alia complura Brentii & Schmidlini prodigioſa figmenta, quædam mutârunt ad cauſam ſuam ornandum provt libitum fuit. Scribit quidem Selneccerus *in Recitationibus ſuis, Sex iſtorum Theologorum munus tantùm fuiſſe legendo cognoſcere Cenſuras, & nihil in ſententiis, cùm in ea conveniretur vt plurimùm, mutare, licet interdum voculas quaſdam addiderint. Sed hanc ejus impudentiam illiipſi Theologi ſine dubio non probârunt. Multum enim in rebus & verbis diſſimiles ſunt libri Torgenſis & Bergenſis. Sicut ergo initiò ab ipſis ſcriptus eſt, ſic etiam ab ipſis mutatus eſt liber, ac proinde reverâ ipſorum eſt, imò potius unius* Schmidlini, *cujus cæteri ſenatores fuerunt pedanei: hi enim multa in eo improbârunt, præſertim* Muſculus *&* Chytræus.

Acta hujus Concilij

Pag. 63.

Scribit etiam Selneccerus, *mentiri* Danæum, *qui ſcribat*, Bergæ damnatum fuiſſe Philippum & ſcripta ejus a Theologis ſex, cùm tamen ne ſiniſtra quidem ejus, in negotii ipſius publici tractatione, mentio facta ſit, *Quaſi diceret, tantum abfuiſſe in ipſius negotii publici tractatione, ut dextra aliqua mentio Philippi fieret, ut ne ſiniſtra quidem audita fuerit, niſi hac, Philippum minùs animosè machinationibus Sacramentariis reſtitiſſe, & ſeipſum literis, quas Sacramentarij protuliſſent, & vſurpatione quarundam formularum, aliiſque modis ex facilitate & credulitate ſuſpectum feciſſe: id eſt, in eo peccâſſe, quòd contra veritatem agnitam loqui & ſcribere noluerit. Obſervandum eſt autem, quod ait* Selneccerus *id tractatione publica nullam eſſe factam mentionem ſiniſtram Philippi. Non ergo negat, nec, ſi negaret, crederent homines, non eſſe factam ejus multam mentionem ſiniſterrimam in tractationibus privatis, quarum tanquam* προβουλευμάτων *executio fuerunt tractationes publicæ. In his enim doctrina Philippi Sancta damnatur, quoties præfigitur illud*, Reiicimus *&* damnamus.

Pag. 63.

Ex formula igitur Torgenſi, ab his ſex Theologis delatâ, mutatâ & emendatâ, fit BERGENSIS, *quæ hodiè exſtat, & iam vulgò* CONCORDIÆ LIBER *appellatur.*

Nomina Bergenſis formulæ

Ab initio hunc fœtum Elector Saxoniæ Au-
guſtus *in ſuis literis ad* Philippum Ludovi-
vicũ *Palatinum, tanquam privatum opus prop-*
ter Electorales Saxoniæ Eccleſias bona inten-
tione ſuſceptum, vocavit, Torgenſem librum, 1.
Torgenſes articulos, *&* Torgæ inſtitutam 2. 3.
Conciliationem. *Anno* 1576. *Iun.* 2. *Heſhuſius ad Simonem Muſæum ſocerum, vocavit*
eum Formulam Concordiæ inter Saxonicas 4.
& Suevicas Eccleſias. *Iacobus Schmidlinus ad*
Principem quendam vocat Articulos Torgæ 5.
conciliatos: *In alio ſcripto ad doctum quendam*
virum, vocat Declarationem conſenſûs de 6.
controverſis articulis. *Anno* 1576. *Aug.* 22. *à*
Principe quodam in ſuis literis vocatur, Tor- 7.
genſis declaratio, *&* Torgenſis libellus. *An-* 8.
no 1576. *Nov.* 11. *in deliberatione quadam vo-*
catur, Saxonicus libellus, *&* Saxonicum 9. 10.
Concordiæ Opus. *Anno* 1576. *Dec.* 4. *Mar-*
bachius ad Principem quendam vocat eum, Tor- 11.
genſem conſiderationem, ſeu Iudicium de
controverſis religionis articulis. *Anno* 1577.
Ian. 27. *Saxoniæ Elector vocat eum in qui-*
buſdam literis Formulam Concordiæ Torgæ 12.
delibera-

13. deliberatam: *Item*, Opus Chriſtianæ Con-
14. cordiæ. *Vocatur etiam* Torgenſis Concor-
15. diæ, & Bergenſis Concordiæ liber, *Item*,
16. 17. Bergenſia Collectanea. Emendatus Torgen-
18. ſis liber. *Holſati Theologi vocant*, Torgæ
conſcriptum librum de Concordia: *&*
19. Novam Confeſſionem, *Anhaldini Theologi*
20. 21. *vocant etiam* Torgenſe convolut, & Mag-
num volumen. *Richardus Palatinus vocat*
22. Novam Concordiæ formulam. *Landgra-*
23. *vius Vuilhelmus vocavit* Recognitionem Ber-
24. genſis libri. *Landgraviani Theologi*, Notu-
lam Concordiæ. *Nerobergenſes in ſua Cenſu-*
25. *ra*, Bergæ emendatum Concordiæ librum.
26. *Iulius Dux Brunſvicenſis*, Emendatam for-
27. mulam Concordiæ: *Regina Angliæ*, Novam
religionis formulam. *A quodam Principe in*
28. *literis ad Caleſtinum vocatur*, Diſcordiæ li-
29. 30. ber, & Concordia diſcors, *item*, Anguis in
31. herba. *Vuormatienſes*, Conſcientiæ Opus.
32. *Alii ab Effectu*, Materiam litis perpetuam, *quòd litem ex lite ſerat, cæloque committat Avernum*: Ein Zanckeyſen und Haderbuch. *Ipſi authores hunc librum, quum ederent eum in lucem, tali titulo ornarunt:* Concordia: *hoc*
33. Pag. 67. *eſt*, Repetitio ſeu Expoſitio unanimis, clara & poſtrema aliquot articulorum Auguſtanæ Confeſſionis, qui inter Theologos con-
34. troverṫuntur. *Selneccerus in ſuis Recitationibus, vocat*, poſtremum opus, quo Deus ingrato mundo ſit valedicturus.

Epigramma de authoribus Bergenſis formulæ.

De authoribus etiam & compilatoribus huius Libri Epigramma tale prodiit:

Muſculus, Muſcipula incautos didicit qui prendere mures,

Cornerus. Et qui fallacem præbere volucribus eſcam,

Chytræus Quique lutum verſare rota atque infringere doctus.

Kemnitius. Quique trahit lentam dentato pectine lanam,

Selneccerus. Schmidlinus. Et variè intortos ſuevit qui nectere funes,
Et faber inflato ſpirans mendacia folle,
Hi ſunt funeſtum qui formavere cothurnum.

Bergenſis formulæ partitio. Sanguine qui implebit totum atque erroribus orbem.

Duæ autem ſunt hujus libri Bergenſis præcipuè partes. Vna, quâ Religionis doctrina, ſex tantùm iſtorum hominum arbitratu comprehenſa eſt: Altera, quâ CONDEMNATIO, *atque adeò proſcriptio eorum omnium continetur, qui etſi ab impio Antichriſti Romani dominatu ſeſe in libertatem Evangelicam, Dei beneficio, vindicarunt, tamen hujus Libri decretis omnibus ſtare, & in ejus leges iurare detrectant, Ejus autem condemnationis ea vis eſt, ut aliam de paucis quibuſdam Religionis capitibus ſententiam habent, inprimis de Perſona Chriſti, eiuſdemque ſacra Cœna, ſed etiam* Galli, Angli, Scoti, Poloni, Itali, Hungari, Bohemi, Belgæ, Helvetii, *qui venerari hoc Palladiũ detrectant, pro* Hæreticis *habeantur, ex pace religionis excludantur, iiſque ſecundùm Brentij Teſtamentum, aquâ & igni per univerſam Germaniam interdicatur.*

Condemnationum Bergenſium vis.

CAPVT XIV.

Doctrina de Cœna Domini in Libro Concordiæ Bergenſis.

Status controverſiæ. STatus controverſiæ hic eſt, An in Cœna Sacra verum Corpus, & verus Sanguis D. N. Ieſu Chriſti verè & ſubſtantialiter præſens ſit & cum pane & vino diſtribuantur, & ore ſumatur ab omnibus qui hoc Sacramento vtantur, ſive ſint digni ſive indigni, pii vel impii, fideles vel infideles: à piis quidem ad conſolationem & vitam, ab impiis verò ad iudicium. Sacramentarij hoc negant, Nos verò affirmamus.

Declaratio. Ad declarationem hujus certaminis notandum eſt, non vnius generis Sacramentarios eſſe. Sunt enim craſſi, qui ſimpliciter & rotundè confitentur, prout in corde credunt, quòd in Cœna nihil aliud præter Panem & vinum præſens ſit, diſtribuatur & ore percipiatur. Sunt deinde callidi, aſtuti & pernicioſi Sacramentarii, qui partim noſtris etiam verbis confitentur, ſe credere quoque veram præſentiam veri, eſſentialis & vivi Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœna Sacra, hoc tamen fieri ſpiritualiter, per fidem: qui tamen ſub his ipſis ſpecioſis verbis primam craſſam ſententiam retinent, nempe, nihil præter panem & vinum in Sacra Cœna eſſe præſens, & ore percipi. Spiritualiter enim eis nihil aliud ſignificat, quam Spiritum Chriſti, vel virtus ſeu efficacia abſentis Corporis eiuſque meritum, quod præſens ſit: Corpus autem illius nullo prorſus modo præſens eſſe, ſed tantum in ſupremo Cœlo, ad quod nos fidei noſtræ cogitationibus evehamus in Cœlum, ibique, non autem apud panem & vinum Cœnæ, hoc ejus Corpus & Sanguinem quæramus.

Affirmativa Lutheranorum de Cœna Domini contra Sacramentarios. Nos autem credimus, docemus & confitemur, quòd in Sacra Cœna Corpus & Sanguis Chriſti verè & ſubſtantialiter præſens ſit, & cum Pane & Vino verè diſtribuatur & percipiatur.

Credimus, Docemus & confitemur, verba Teſtamenti Chriſti non aliter intelligenda eſſe, quam ut juxta literam ſonant, ſic, quod panis non Corpus abſens. & vinum ab-

ſentem Sanguinem ſignificent, ſed quòd verè, propter Vnionem Sacramentalem, Corpus & Sanguis Chriſti ſint.

Quod ad conſecrationem attinet, credimus, docemus & confitemur, hanc præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti in Sacra Cœna, non efficere vllius hominis opus aut pronuntiationem miniſtri, ſed hanc ſoli omnipotentiæ Chriſti adſcribendam eſſe.

Simul tamen credimus, docemus & confitemur quoque vnanimiter, in uſu Cœnæ Dominicæ verba Inſtitutionis nullo modo omittenda, ſed clarè & palam recitanda eſſe, ſicut ſcriptum eſt, 1. Cor. 10. Poculum benedictionis, cui benedicimus, &c. Hæc autem benedictio recitatione verborum fit.

Fundamenta autem, quibus in hac cauſa innitimur contra Sacramentarios, hæc ſunt, ut etiam à Luthero in Confeſſione maiore ponuntur. *Primum* eſt, articulus Fidei noſtræ Chriſtianæ, Ieſus Chriſtus verus, eſſentialis, Naturalis & perfectus Deus & homo, in una Perſona indiviſa. *Alterum*, quod Dextera Dei ubique eſt, ad quam Chriſtus ſecundùm humanam Naturam vere ſedens, omnia regit, in manibus & ſub pedibus ſuis cuncta habet, quæ in Cœlo & in terra ſunt, unde etiam hoc poteſt. *Tertium*, quod Dei verbum verum ſit & non mendacium. *Quartum*, quod Deus plures modos ſciat & habeat, alicubi in aliquo loco eſſendi, & non tantum illum, quem Philoſophi localem appellant.

Credimus, docemus & confitemur, Corpus & Sanguinem Chriſti, non tantum Spiritualiter, fide, ſed etiam oraliter, non tamen Capernaitico modo, ſed ſupernaturali & Cœleſti, propter Vnionem Sacramentalem cum pane & vino percipi, ſicut hoc verba Chriſti perſpicuè docent, *Accipite, edite, bibite*, quod etiam ab Apoſtolis factum eſt. ſcriptum enim eſt, *Omnes ex eo biberunt*, Mar: 14. & Paulus inquit 1. Cor. 10. *Panis, quem frangimus, eſt communio Corporis Chriſti*: hoc eſt, Qui panem hunc edit, etiam Corpus Chriſti edit; quod etiam veteres Patres Chriſoſtomus, Cyprianus, Leo, Gregorius, Ambroſius & Auguſtinus teſtantur.

Credimus, docemus & confitemur, non ſolùm verè fideles & dignos, ſed etiam indignos & infideles, verum Corpus & Sanguinem Chriſti, non tamen ad vitam & conſolationem, ſed ad judicium & condemnationem percipere, ſi non emendentur & reſipiſcant.

Credimus, docemus & confitemur etiam vnum tantum genus indignorum convivarum eſſe, nempe, qui non credunt, de quibus ſcriptum eſt, *Qui non credit, iam condemnatus eſt*, Ioan. 3. Hæc autem condemnatio, indignorum abuſu Sacramenti accumulata, maior & gravior fit, 1. Cor. 11.

Credimus, docemus & confitemur, quòd nullus verè fidelis, quandiu verà fide præditus eſt, quantumuis infirma ea ſit Sanctum Sacramentum ad judicium accipiat, quod inprimis infirmis in fide; pœnitentibus tamen, ad conſolationem & confirmationem in fide inſtitutum eſt.

Credimus, docemus & confitemur, omnem dignitatem convivarum Sanctiſſimæ hujus Cœnæ, in obedientia & merito Chriſti conſiſtere, quod nobis verà fide applicamus, & hoc Sacramento nobis obſignatur: nullo autem modo conſiſtere in noſtris virtutibus, vel internâ & externâ aliquâ præparatione.

Negativa ſententia libri Concordiæ de Cœna Domini

E contra verò relicimus & damnamus unanimiter, omnes ſequentes erroneos articulos, cum hac doctrina & confeſſione pugnantes, nempe.

Papiſticam Tranſſubſtantiationem: quum videlicet in Papatu docetur, panem & vinum in Cœna ſuam ſubſtantiam amittere, in Chriſti Corpus mutari, & externas ſaltem ſpecies manere.

Papiſticum Miſſæ Sacrificium pro peccatis Vivorum & Mortuorum.

Quòd laicis una tantùm ſpecies datur, & contra manifeſta verba Teſtamenti Chriſti, poculum eis eripitur.

Quandò docetur, verba Teſtamenti Chriſti non ſimpliciter intelligi & credi debere, ut ſonant, ſed obſcura eſſe, ideoque verum illorum intellectum alibi quærendum eſſe.

Quòd corpus Chriſti in Sacra Cœna non oraliter cum pane, ſed tantum panis & vinum ore, Corpus autem Chriſti Spiritualiter tantum fide percipiatur.

Quòd panis & vinum in Cœna nihil aliud ſint, quàm teſſeræ, quibus Chriſtiani ſeſe mutuò agnoſcant.

Quòd Panis & vinum tantum figuræ, ſimilitudines & repræſentationes procul abſentis Corporis & Sanguinis Chriſti ſint.

Quòd Panis & vinum nihil amplius ſint, quàm memorialia, ſigilla & pignora, quibus certi ſiamus, quòd fides noſtra in Cœlum evecta, ibi tam certò Corporis & Sanguinis Chriſti particeps fiat, quàm verè hìc in terris panem & vinum edamus & bibamus.

Quod confirmatio fidei noſtræ in Sacra Cœna tantum fiat per externa ſigna Panis & Vini, non autem per verè præſens Corpus & Sanguinem Chriſti.

Quod

Quod in ſacra Cœna tantum ἐνέργεια, virtus & meritum abſentis Corporis Chriſti diſpenſetur.

Quod Corpus Chriſti ſic Cœlo concluſum teneatur, ut nullo modo ſimul, & uno eodemque tempore, in pluribus, vel etiam omnibus locis præſens eſſe poſſit in Terris, vbicunque Cœna ejus celebratur.

Quod Chriſtus veram præſentiam Corporis & Sanguinis ſui in Cœna, non potuerit promittere & præſtare, quum Natura & proprietates aſſumptæ Humanitatis hoc non patiantur fieri.

Quod Deus omni potentiâ ſuâ, quod dictu horrendum eſt, efficere nequeat, ut Corpus Chriſti uno tempore in pluribus locis verè præſens eſſe poſſit.

Quod non omnipotentia verba Teſtamenti Chriſti, ſed fides, præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœna efficiat.

Quod fideles Corpus Chriſti non in pane Cœnæ Dominicæ, ſed extra panem oculis fidei in Cœlo quærere debeant.

Quòd increduli & impœnitentes Chriſtiani in Sacra Cœna, non verum Corpus & Sanguinem Chriſti, ſed tantùm panem & vinum percipiant.

Quòd dignitas convivarum in Sacra Cœna, non in fide in Chriſtum tantùm, ſed etiam in hominum externa præparatione conſiſtat.

Quòd etiam verè fideles, qui verâ & viva fide in Chriſtum præditi ſunt, hoc Sacramentum ad iudiciũ ſumere poſſint, eo quod in externa vita ſua adhuc imperfecti ſunt.

Quòd externa viſibilia elementa panis & vini adorari debeant.

Damnamus denique & reijcimus omnes prophanas & blaſphemas quæſtiones, quæ de hoc ſupernaturali & Cœleſti myſterio à Sacramentariis moventur: Capernaiticum quoque eſum carnis Chriſti, quæ dentibus laceretur, & in ſtomacho concoquatur; nam contra docemus & credimus, juxta verba Chriſti, verum, ſed tamen ſupernaturalem eſum corporis Chriſti, quem intellectus & ratio Humana capere non poteſt.

Doctrina Libri Concordiæ affirmativa & negativa de Perſona Chriſti, ex ea parte, quæ vocatur Repetitio ſeu Expoſitio aliquot Articulorum Auguſtanæ Confeſſionis, &c.

FActa etiam eſt controverſia inter Theologos Auguſtanæ Confeſſionis de Perſona Chriſti: quæ tamen inter ipſos non primùm cœpit: ſed initium à Sacramentariis ſumpſit. Nam evictâ à Luthero contra Sacramentarios verâ & ſubſtantiali præſentiâ Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœna firmiſſimo fundamento ex verbis inſtitutionis: obiectum ei fuit à Cinglianis: Si Corpus Chriſti ſemel & ſimul in Cœlo & in Terra in Cœna adſit: non poſſe illud verè Humanum Corpus eſſe. Talem enim majeſtatem ſoli Deo propriam eſſe: cujus Corpus Chriſti non ſit capax. Huius objectioni cum D. Lutherus contradiceret & fortiter eam confutaret: ſicut ipſius Apologetica & Agoniſtica ſcripta de Cœna Domini commonſtrant: quæ nos manifeſtè perinde atque alia didaſcalica amplectimur: poſt obitum ipſius quidam Auguſtanæ Confeſſionis Theologi, licet pedem apertè & expreſsè in caſtra Sacramentariorum de Cœna Domini figere noluerint: eadem fundamenta de Perſona Chriſti, quibus Sacramentarii veram & ſubſtantialem præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti ex ſua Cœna tollere conati ſunt, in crebro uſu habuerunt: quòd ſcilicet Humanæ Naturæ in Chriſto non attribui debeant ea quæ ſunt ſupra & contra ipſius Naturæ eſſentiales proprietates. Inſuper doctrinam Lutheri, omneſque eos, qui illam, ut verbo Dei reſpondentem, ſequuntur, inſimulatione omnium penè veterum prodigioſarum hæreſium onerarunt. Nota.

Ad hanc controverſiam dextrè ex verbo Dei ſecundùm Analogiam ſimplicis noſtræ fidei declarandam. & Deo favente omninò tollendam, eſt hæc noſtra unanimis fides, doctrina & confeſſio, ut ſequitur. Nos credimus, docemus & confitemur, quamvis filii Dei alia, diſtincta, perfectè Divina perſona, atque ita verus, eſſentialis, perfectus Deus cum Patre & Spiritu Sancto ab æterno fuit: cum tamen, expleto tempore, Humanam etiam Naturam in vnitatem ſuæ Perſonę aſſumpſiſſe: non quod duæ ſint perſonæ, vel duo Chriſti: ſed quòd Ieſus Chriſtus nunc in una perſona ſimul verus Æternus Deus ſit, à Patre ab æterno genitus, & verus homo ex benedicta Virgine Maria natus, ut ſcriptum eſt, Rom. 9. Ex quibus Chriſtus venit ſecundum carnem, qui eſt Deus ſuper omnia benedictus in ſecula.

Nos credimus, docemus, & confitemur, in illa una inſeparabili Perſona Chriſti eſſe duas diſtinctas Naturas, Divinam, quæ ab Æterno: & Humanam, quæ in tempore humiliationis à Filio Dei aſſumpta eſt, Quæ duæ Perſonæ in Perſona Chriſti neque ſeparantur, neque inter ſe confunduntur: neque altera in alteram tranſmutatur: ſed quælibet ſuam Naturam & eſſentiam in Perſona Chri-

ſti in æternum retinet.

Nos credimus, docemus, & confitemur etiam, ſicut illæ duæ Naturæ in ſuis naturis & eſſentiis inconfuſæ & inextinctæ manent: quòd ita quælibet ſuas naturales & eſſentiales proprietates retineat: & in omnem æternitatem à ſe non deponat: neque vnius naturæ eſſentiales proprietates, alterius naturæ eſſentiales proprietates unquam fiant.

Ita credimus, docemus, & confitemur nos: omnipotentem, æternum, infinitum, vbique ſimul eſſe naturaliter (hoc eſt, ſecundùm proprietatem naturæ & naturalis eſſentiæ, per ſe præſentem vbique eſſe) omnia ſcire, eſſentiales proprietates eſſe Divinæ Naturæ, quæ nunquam Humanæ Naturæ eſſentiales proprietates in omnem æternitatem fiant. Et contra: Corporalem Creaturam vel Naturam eſſe, carnem & Sanguinem eſſe, finitum & circumſcriptum eſſe, pati, mori, aſcendere & deſcendere, de loco ad locum ſe movere, eſurire, ſitire, frigus & æſtum pati, &c. eſſe proprietates Humanæ Naturæ, quæ Divinæ Naturæ proprietates nunquam fiant.

Nos credimus, docemus, & confitemur etiam, iam poſt incarnationem non vnamquamque Naturam in Chriſto per ſe ita conſiſtere, ut quælibet ſit Perſona, vel Perſonam efficiat: ſed ita unitas eſſe, ut vnam conſtituant Perſonam, in qua ſimul perſonaliter eſt & conſiſtit tam divina quàm aſſumpta humana natura: Et ſicut ſine ſua Deitate, ita etiam ſine ſua humanitate Perſonam Chriſti aut Filii Dei incarnati non notam eſſe. Hinc Chriſtus non duæ diſtinctæ, ſed una perſona eſt; etiamſi duæ diſtinctæ Naturæ in ſuis naturalibus ſubſtantiis & proprietatibus inconfuſè in ipſa inveniuntur.

Nos credimus, docemus, & confitemur, etiam aſſumptam Humanam Naturam in Chriſto non tantum ſuas naturales & eſſentiales proprietates habere & retinere: ſed præter has propter Perſonalem Vnionem cum Deitate: & deinde propter glorificationem: eſſe ad dextram Maieſtatis, virtutis & potentiæ ſuper omne quod nominari poteſt, non tantum in hac, ſed etiam in futura vita exaltatam.

Quantum ad hanc Maieſtatem attinet, ad quam Chriſtus ſecundum Humanam Naturam exaltatus eſt: non accepit illam primùm poſt reſurrectionem à mortuis, & aſcenſionem ad Cœlos: ſed cùm in vtero matris ſuæ conciperetur, & homo fieret: atque Divina & Humana Natura ſimul Perſonaliter unirentur. Quæ perſonalis Vnio non tamen ita intelligenda eſt, ſicut quidam eam ſiniſtrè accipiunt: quaſi duæ illæ Naturæ Divina & Humana ſimul adunatæ ſint, ſicut duo aſſeres conglutinati: ut ipſæ realiter, hoc eſt, re & facto nullam prorſus inter ſe communionem habeant. Nam hic error & hæreſis Neſtorij & Samoſateni fuit: qui, ut Suidas & Theodorus Presbyter Rhetenſis teſtantur, docuerunt, δύο φύσεις ἀκοινωνήτες πρὸς ἑαυτὰς παντάπασιν, hoc eſt, naturas duas omnimodò incommunicabiles eſſe: quâ locutione Naturæ inter ſe divelluntur, & duo Chriſti fiunt: ut alius ſit Chriſtus, & alius ſit Deus λόγος in Chriſto habitans. Sic eim ſcribit Theodorus Presbyter: *Paulus quidam, iidem quibus Manes temporibus, Samoſatenus quidem ortu, ſed Antiochiæ Syriæ Antiſtes, Dominum impie dixit nudum fuiſſe hominem, in quo Deus Verbum, ſicut & in ſingulis Prophetis habitavit: ac proinde duas Naturas ſeparatas & citra omnem prorſus inter ſe communionem in Chriſto eſſe, quaſi alius ſit Chriſtus, alius Deus Verbum in ipſo habitans.* Contra hanc damnatam hæreſin Sancta Eccleſia ſemper ſimpliciter credidit: Divinam & Humanam Naturam in Perſona Chriſti ita vnitas eſſe, ut realem communionem inter ſe habeant: qua naturæ non in unam ſubſtantiam, ſed ut D. Lutherus ſcribit in unam Perſonam miſcentur: Ideò propter illam perſonalem Vnionem & communionem Orthodoxi veteris Eccleſiæ ſæpe numero ante & poſt Concilium Chalcedonenſe vocabulum *Mixtionis* in bono ſenſu & diſcrimine uſurparunt: ſicut huius rei multa teſtimonia, ſi opus, præferri poſſent: quæ etiam ſæpè in noſtrorum ſcriptis obviam veniunt. Et Perſonalis Vnio atque communio ſimilitudine Animæ & Corporis, item ferri candentis explicatur. Nam Corpus & Anima, ſicut ferrum & ignis non per phraſin, ut modum loquendi, aut verbaliter, ſed verè & realiter communionem inter ſe habent: neque tamen aliqua confuſio fit, aut exæquatio naturarum, quemadmodum quando ex melle & aqua fit mulſum: quod amplius non diſcretum mel aut aqua eſt, ſed commixtus potus: ubi Humanæ cum Divina Natura Vnionis in Perſona Chriſti longè alia ratio eſt. Multò enim major communio & ineffabilis Vnio eſt inter Divinam & Humanam Naturam in Perſona Chriſti propter quam Vnionem & communionem Deus eſt Homo, & Homo eſt Deus; quâ tamen neque Naturæ, neque harum proprietates commiſcentur; ſed quælibet natura retinet ſuam eſſentiam & eſſentiales proprietates,

Propter hanc Perſonalem Vnionem (quæ abſque illa reali communicatione naturam nec cogitari nec eſſe poteſt) non nuda Humana

mana Natura pro totius mundi peccatis paſſa eſt: cujus proprietas eſt pati & mori: ſed ipſe Filius Dei realiter, ſed tamen ſecundùm aſſumptam Humanam Naturam paſſus eſt: & eſt (ut habet conſtans & ſimplex Fides noſtra) verè mortuus, etiam ſi Divina Natura neque pati neque mori poteſt, ſicut D. Lutherus hoc in ſua magna Confeſſione de Cœna Domini contra impiam Allœoſin Cinglii, quâ docuit Naturam alteram pro altera debere ſumi, quæ ceu ipſius Diaboli doctrina in abyſſû inferni damnatur, declaravit.

Quare etiam veteres, vtrumque verbum κοινωνίαν & ἕνωσιν in expoſitione hujus myſterij conjunxerunt, & alterum per alterum expoſuerunt. Irenæus lib. 4. cap. 3. Athanaſius in epiſt. ad Epictetum, Hilarius de Trinitate lib. 9. Baſilius & Niſſenus in Theodoret. Damaſcenus lib. 3. cap. 19.

Propter hanc perſonalem Vnionem & communicationem Divinæ & Humanæ Naturæ in Chriſto, credimus, & docemus, & confitemur, nos juxta ſimplicem fidem noſtram, quicquid de Majeſtate Chriſti ſecundùm humanitatem ſuam ad dexteram omnipotentis Virtutis Dei, & quæ inde conſequuntur, dicitur: quæ omnia nihil eſſent, neque conſiſtere poſſent, niſi hæc perſonalis Vnio & communicatio Naturarum in Perſona Chriſti realiter conſtaret.

Propter hanc perſonalem Vnionem & communicationem Naturarum, Maria virgo benedicta non merum hominem, ſed talem Hominem, qui realiter eſt Filius Dei altiſſimi, peperit: ut Angelus teſtatur: quod etiam ſuam Divinam Maieſtatem in vtero matris patefecit, cum ex virgine illæſâ virginitate, natus eſt. Ideoque ipſa realiter Dei genitrix eſt, virgo tamen incorrupta.

Per eam ipſam etiam omnia ſua Miracula operatus eſt: & hanc ſuam Divinam Maieſtatem pro ſuo beneplacito quando & quomodo voluit, & non primùm poſt ſuam reſurrectionem & aſcenſionem, ſed etiam in ſtatu humiliationis ſuæ manifeſtavit: ut in nuptiis Canæ Galileæ: Item cùm 12. Annos natus eſſet inter docentes: Item, cùm in horto uno verbo ſuos hoſtes ad terram proſterneret: ſimiliter in morte, vbi non ſimpliciter, ſicut alius homo mortuus eſt: ſed cùm & in morte peccatum, mortem, Diabolum, infernum & æternam damnationem devicit: quæ humana natura ſola nunquam præſtare potuiſſet, ſi non cum divina natura perſonaliter unita fuiſſet, & communionem habuiſſet.

Hinc facta eſt etiam Humanæ Naturæ exaltatio poſt Reſurrectionem à mortuis ſuper omnes creaturas in Cœlo & in Terra: quæ nihil eſt aliud, quàm quod Chriſtus formam ſervi in vniverſum depoſuit, non depoſitâ tamen Humanâ Naturâ, ſed in æternum ſervatâ, atque in plenam poſſeſſionem & vſurpationem Divinæ Maieſtatis collocatâ: quam Majeſtatem tamen in ſua conceptione & in vtero matris habuit: verùm ut Apoſtolus teſtatur ἐξεκένωσε, hoc eſt, ut D. Lutherus explicat, in ſtatu ſuæ humiliationis clam ſervavit, & non ſemper, ſed quando voluit, vſurpavit. Iam verò poſtquam non ſimpliciter ſicut alius quiſpiam Sanctus in Cœlum, ſed ut Apoſtolus atteſtatur, ſuper omnes Cœlos conſcendit, etiam verè omnia implet, & vbique non tantùm ut Deus, ſed etiam ut Homo præſens regit à mari ad mare, & vſque ad finem mundi, ut Prophetæ ſunt vaticinati, & Apoſtoli teſtati, quòd vbique cum ipſis operatus ſit & ipſorum verba confirmaverit per ſubſequentia ſigna.

Pſal. 8. & 93. Zach. 9. Rom. 15.

Neque tamen hoc terreno aliquo modo factum eſt, ſed ut, D. Lutherus exponit, ratione Dexteræ Divinæ, quæ nullus certus locus eſt in Cœlo, quemodmodum Sacramentarii ſine fundamento ſacrarum literarum dicunt. Sed eſt nihil aliud, quàm omnipotens virtus Dei, quæ Cœlum & terram implet: in qua Chriſtus ſecundum ſuam Humanitatem realiter ſine confuſione & exæquatione naturarum in ſua ſubſtantia & ſubſtantialibus proprietatibus collocatus eſt: ex qua communicatâ virtute, ut ſonant verba Teſtamenti, ipſe ſuo Corpore & Sanguine in Sacra Cœna realiter præſens eſſe poteſt & eſt, quod aliàs nulli homini poſſibile eſt: quoniam nullus homo hoc modo cum Divina Natura vnitus eſt, & in eam Divinam omnipotentem Majeſtatem & virtutem Dei per & in perſonali Vnione duarum naturarum in Chriſto collocatus, ſicut Ieſus Filius Mariæ, in quo Divina & Humana Natura Perſonaliter ſimul vnitæ ſunt, ita ut in Chriſto omnis Deitatis plenitudo corporaliter habitet: Coloſ. 2. Et in hac perſonali Vnione ejuſmodi ineffabilem communionem habet, quam ipſi Angeli mirantur, obſtupeſcunt, & in ea ſpectanda, ut S. Petrus teſtatur, voluptatem & lætitiam capiunt: ſicut hæc omnia ſuo loco fuſius à nobis declarabuntur:

Ex hoc fundamento, quemadmodum eſt jam indicatum, & Vnio perſonalis declarat, hoc eſt quo modo Divina & Humana Natura in Perſona Chriſti ſimul vnitæ ſint, ut non ſolùm nomina communia, ſed etiam realiter inter ſe & ſine omni permixtione earum in ſua ſubſtantia communionem habeant:

beant: oritur etiam doctrina de Communicatione Idiomatum, hoc eſt, de reali communione proprietatum naturarum: de qua deinceps copioſiùs dicetur.

De Communicatione Idiomatum. Quia enim verum eſt illud, quod proprium non egrediatur ſua ſubiecta, hoc eſt, quòd quælibet natura ſuas eſſentiales proprietates retineat, & eas à natura non ſeparet, atque in alteram naturam, ſicut aqua ex aliquo vaſe in aliud transfundatur: non poſſet aliqua communicatio proprietatum eſſe, nec conſiſtere, ſi perſonalis Vnio & communio Naturarum in Perſona Chriſti non realis eſſet: quod juxta articulum Sanctæ Trinitatis longè maximum myſterium in Cœlo & in Terra eſt, ſicut Paulus ait, *ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί.* 1. Timot. 3. Nam quia Apoſtolus Petrus claris verbis teſtatur, etiam nos, in quibus Chriſtus ex gratia habitat, propter hoc ſummum myſterium in Chriſto participes fieri Divinæ Naturæ, quam communionem Divinæ Naturæ hanc eſſe oportet, de qua Apoſtolus loquitur; quod in Chriſto omnis plenitudo Deitatis corporaliter habitet: ita ut Deus & homo uno Perſona ſit.

Sed quia permultum refert, ut doctrina de Communicatione Idiomatum juſto diſcrimine tractetur & explicetur (propoſitiones enim aut prædicationes non habent omnes unam eandemque naturam: & quando promiſcuè ſine diſcrimine de iis dicitur, confunditur ipſa doctrina: & ſimplex Lector facilè perturbatur) ſequens tractatus diligenter obſervari debet: qui melioris & ſimplicioris intelligentiæ gratia non incommodè in tria capita dividi poteſt.

1. Cùm in Chriſto duæ diſtinctæ Naturæ in ſuis naturalibus ſubſtantiis & proprietatibus ſalvæ & inconfuſæ ſint & maneant: duarum autem naturarum una tantùm perſona ſit, id quod proprium eſt unius perſonæ, non naturæ tantùm tanquam ſeparatæ, ſed toti perſonæ, quæ ſimul Deus & homo eſt (nominetur ſive Deus ſive Homo) attribuitur. Sed in hoc genere loquendi non ſequitur: Quicquid perſonæ attribuitur, ut idipſum ſimul vtriusque naturæ proprium ſit: ſed diſtinctè declaratur, ſecundum naturam unumquodque perſonę attribuatur. Ita *Filius Dei natus eſt ex ſemine Davidis ſecundum carnem Rom.* 1. Item, *Chriſtus eſt ſecundum carnem: & paſſus eſt in vel ſecundum carnem,* 1. Pet. 2. & 4.

Quia autem ſub verbis illis, quibus dicitur (*toti perſonæ tribuitur, quod vni naturæ proprium eſt*) clandeſtini & manifeſti Sacramentarii ſuum turpiſſimum errorem occultant (cùm totam quidem perſonam dicunt, ſed tamen tantùm nudè alteram naturam ſubintelligunt, alteramque prorſus excludunt: quaſi nuda Humana Natura pro nobis eſſet paſſa: quemadmodum D. Lutherus in ſua Magna Confeſſione de Cœna Dom. de Cinglii Allœoſi ſcripſit) ipſius D. Lutheri verba hîc ponemus, quò Eccleſia Dei contra talem errorem etiam atque etiam præmuniatur. Verba ejus ita ſonant. *Hoc vocat Cinglius Allæoſin, quando aliquid de Deitate dicitur, quod tamen Humanitati competit: aut contrà: ut Luc.* 24. *An Chriſtum non oportebat pati, & ſic intrare in gloriam ſuam? Hìc ſomniat ille, Chriſtum ſumi pro Humana Natura. Cave inquam tibi ab Allæoſi iſta: eſt enim Diaboli larva: & talem facit Chriſtum, ſecundum quem nolim ego eſſe Chriſtianus: videlicet, quod Chriſtus in poſterum nihil amplius ſit nec faciat ſuâ paſſione & vitâ, quàm alius ſimplex homo Sanctus. Nam ſi hoc credo, quod tantum humana natura pro me paſſa eſt, tum eſt mihi ille Chriſtus vilis ſalvator: & opus eſt ipſi ſalvatore. In ſumma dici non poteſt, quid Diabolus ſuâ Allæoſi quærat.* Et paulo poſt. *Si vetula illa venefica domina ratio Allæoſeos avia dixerit: Atqui Deitas non poteſt pati nec mori. Reſpondebis, Hoc verum eſt, ſed quia Deitas & humanitas eſt una perſona in Chriſto, propter talem perſonalem unionem Scriptura tribuit etiam Divinitati omnia quæ Humanitati eveniunt, & contrà: Et ita ſe revera habet. Nam hoc fatendum eſt, Perſona (Chriſtus) patitur, moritur: hæc perſona eſt verus Deus: Ideo rectè dicitur, Filius Dei patitur: Nam etiamſi una pars (ut ſic dicam) ut Divinitas non patitur, patitur tamen ea perſona, quæ eſt Deus in altera parte, ut in Humanitate. Nam realiter eſt Filius Dei pro nobis crucifixus, hoc eſt illa perſona, quæ Deus eſt: nam ipſa, ipſa inquam perſona eſt crucifixa ſecundum humanitatem:* Et iterum paulò poſt. *Quod ſi Allæoſis vera, eſt, quemadmodum Cinglius eam proponit, tum Chriſtum oportebit duplicem eſſe Perſonam, Divinam unam, & Humanam unam: quandoquidem dicta de paſſione tantùm ad Humanam Naturam refert, & prorſus à Deitate abſtrahit. Nam quando actiones dividuntur & ſeparantur, tum etiam perſona ſeparabitur, quia omnes actiones ſive paſſiones non naturæ, ſed perſonæ attribuuntur. Perſona enim eſt, quæ omnia facit & patitur: hoc quidem ſecundum hanc naturam, illud verò ſecundum aliam naturam. Sicuti hæc omnia homines docti norunt. Ideoque credimus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Deum & hominem in una perſona, non confundentes naturas, nec dividentes perſonam.* Item D. Lutherus de Conciliis & Eccleſiis. *Nos Chriſtianos* *Tom. 7. Vueb f. 530.*

ſcire

ſcire oportet, niſi Deus ipſe unà ſimul in lance & pondus dederit, tum feremur nos cum noſtra, lance in profundum · hoc ſic puto: ni dicatur Deus eſt pro nobis mortuus, ſed tantùm homo perimus. Quando autem Dei mors vel Deus mortuus in lāce iacet, tum ille in profundum defertur, & nos ſurſum efferimur tanquam lanx facilis & inanis. Poteſt autem ille etiam iterum ſurſum elevari, vel ſuâ lance exilire? non verò poteſt in lance ſedere niſi nobis ſimilis homo factus: ut dici poſſit: Deus mortuus, Deus paſſus: Dei ſanguis, Dei mors: Deus enim in ſua natura non poteſt mori. Sed quando Deus & homo unitus eſt in unam perſonam, rectè dicitur, Dei mors. Homo enim ille moritur, qui cum Deo unum ſive una perſona eſt.

Hinc manifeſtum eſt, non rectè dici, quando dicitur vel ſcribitur, illas locutiones, Deus eſt paſſus, Deus eſt mortuus, eſſe tantùm prædicationes verbales, hoc eſt, eſſe tantùm nuda verba & non realia. Noſtra enim ſimplex fides demonſtrat, Filium Dei fuiſſe incarnatum, pro nobis paſſum & mortuum, & ſuo nos Sanguine redemiſſe.

Secundò, quod attinet ad conſummationem officii Chriſti, agit & operatur perſona nihil in, cum, per & ſecundùm alterutram naturam ſolam, ſed in, ſecundum, cum & per vtramque naturam: vel ſicut Concilium Chalcedonenſe loquitur: *Vna natura operatur communicatione alicujus, quod eſt cuiusque proprium.* Ita Chriſtus eſt noſter Mediator, Redemptor, Rex, Sacerdos, Caput, Paſtor, &c. non ſecundum alterutram naturam tantùm, ſive ea ſit Divina, ſive Humana, ſed ſecundum vtramque Naturam: ſicut hæc doctrina alibi vberius tractatur.

Tertiò, eſt adhuc longè aliud, quando de eo interrogatur, dicitur aut agitur: An naturæ in perſonali unione in Chriſto nihil magis quâm tantùm ſuas naturales & eſſentiales proprietates habeant. (nam quod eas habeant & retineant ſuprâ eſt affirmatum.) Quod ad Divinam in Chriſto Naturam attinet, quia apud Patrem nulla eſt mutatio Iac.1. Deo ſuæ Naturæ per incarnationem in eſſentia & ſua & proprietatibus nihil nec acceſſit nec deceſſit: Eſt in & per ſe, illâ incarnatione, neque minor neque maior facta. Quod autem attinet ad Humanam aſſumptam Naturam in Perſona Chriſti, contendere quidem voluerunt aliqui, quod ea etiam in perſonali cum Deitate unione aliud & amplius nihil habeat, quàm tantùm ſuas naturales & eſſentiales proprietates, ſecundum quas ſuis fratribus per omnia ſimilis ſit: & quod propterea Humanæ Naturæ in Chriſto non debeant nec poſſint aſcribi, quæ ſunt cōtra vel ſupra ſuas naturales proprietates etiamſi Scripturæ teſtimonia ita ſonent. Sed hanc opinionem falſam eſſe & iniuſtam eſt ex verbo Dei tam clarum, ut etiam illorum contribules iam iſtum errorem reprehendant & reiiciant. Sacra enim Scriptura, & veteres ex Sacra Scriptura rectè teſtantur, quòd Humana Natura in Chriſto (ideo & inde, quia cum Divina Natura in Chriſto perſonaliter eſt unita, & depoſita ſervi formâ & humiliatione eſt gloriſicata atque ad Dexteram Majeſtatis & virtutis Dei exaltata) iuxta & ſupra ſuas naturales & eſſentiales manentes proprietates, etiam alias immenſas, ſupernaturales, imperſcrutabiles, inenarrabiles, Cœleſtes prærogativas in Maieſtate, Sanctitate, Virtute & Potentia ſuper omne nomen, non tantùm in hoc, ſed etiam in futuro Mundo, acceperit, ut ita Humana Natura in Chriſto ad actiones officii Chriſti ſuo modo unà adhibeatur, & ſuam etiam efficaciam, hoc eſt, virtutem & operationem habeat: non tantùm ex & ſecundum ſuas eſſentiales proprietates aut duntaxat quantum facultas patitur, ſed præcipuè ex & ſecundum Maieſtatem, gloriam, virtutem & potentiam: quam ipſa perſonali unione, glorificatione & exaltatione accepit. Et hoc non poſſunt etiam adverſarii negare: tantùm diſputant & certant eſſe dona creata, aut finitas qualitates, ſicut in Sanctis, quibus Humana Natura in Chriſto donata eſt & ornata. Et ſuis cogitationibus propriiſque argumentationibus vel rationibus metiri & computare volunt, quid Humana Natura in Chriſto abſque ſui deſtructione capere vel non capere poſſit aut debeat. Verum optima, certiſſima & tutiſſima via in hac controverſia eſt hæc, videlicet: Quòd ea quæ Chriſtus ſecundum ſuam aſſumptam naturam humanam perſonali unione, glorificatione aut exaltatione accepit, & quæ ſua eſſentia humana natura ſupra naturales proprietates abſque illarum deſtructione capere poteſt: Ea inquam, nemo melius & certius ſcire poſſit quam ipſe Chriſtus. Is autem ea quæ nobis in hac vita ſunt ſcitu neceſſaria in ſuo verbo manifeſtavit. De quibus igitur in hoc caſu certa teſtimonia habemus, ea ſimpliciter debemus credere & nullo modo contra diſputare, quaſi poſſit Humana Natura in Chriſto eius non capax eſſe. Eſt quidem hoc certum & verum, quod de creatis donis Humanæ Naturæ in Chriſto datis & communicatis dicitur, quod ea illa per ſe habeat: ſed illa adhuc non attingunt Maieſtatem, quam Scriptura & veteres ex Scriptura aſſumptæ Humanę Naturę in Chriſto attribuunt. Vivificare enim, omne iudicium & omnem poteſtatem

ſtatem habere omnia ſuis pedibus ſubiecta tenere, à peccatis mundare, non ſunt creata dona, ſed divinæ, infinitæ proprietates, quæ tamen iuxta Scripturas Homini Chriſto datæ & communicatæ ſunt. Ioh. 5. 6. Matth. 28. Dan. 7. Ioh. 3. & 13. Matt. 11. Eph. 1. Heb. 2. 1. Cor. 15. Ioan. 1. Et quod hæc communicatio non per phraſin aut modum loquendi (hoc eſt tantum verbis) de perſona, ſolùm ſecundum Divinam Naturam, ſed ſecundum aſſumptam humanam naturam intelligenda ſit, demonſtrant tria firma indiſſolubilia argumenta & fundamenta.

Primum eſt, communis regula totius Orthodoxæ Eccleſiæ: Quicquid Sacra Scriptura dicit Chriſtum in Tempore accepiſſe, id non ſecundum Divinam Naturam, ſecundum quam ipſe omnia ab æterno habuit, ſed ſecundum Humanam intelligendum eſſe.

Secundum, teſtatur Sacra Scriptura apertè Ioan. 5. & 6. Virtutem vivificandi, & iudicium agendi Chriſto datam eſſe, ideò quia Filius Hominis eſt, & ſicut Carnem & Sanguinem habet.

Tertium, dicit Scriptura non tantum in genere de perſona filii hominis, ſed loquitur etiam expreſſe de aſſumpta Humana Natura Ioan. 1. *Sanguis Chriſti mundat nos, ab omnibus peccatis.* Sic Ioan. 6. *Eſt caro Chriſti vivificans cibus*, ſicut ex eo etiam concilium Epheſinum concluſit, quòd caro Chriſti virtutem habeat vivificandi. Sicut de hoc articulo alia multa illuſtria teſtimonia veteris Orthodoxæ Eccleſiæ alibi ſunt propoſita.

Proinde quòd Chriſtus juxta ſuam Humanam Naturam hæc accepit & Humanæ Naturæ in Chriſto ſint data & communicata, debemus & oportet nos ſecundum Scripturá credere. Sed, ſicut ſuprà dictum eſt, quia duæ illæ Naturæ in Chriſto ita unitæ ſunt, ut non inter ſe commixtæ aut altera in alteram commutata ſit: cujus libet etiam proprietates eſſentiales alterius Naturę proprietates nunquam fiant.

Eſt hæc doctrina etiam rectè declaranda & accuratè contra omnes hæreſes munienda. In qua nos nihil novi ex nobis ipſis fingimus: ſed amplectimur & conſervamus declarationem, quam veteres Orthodoxæ Eccleſiæ ex bono fundamento ſacræ Scripturę de hac re reliquerunt, videlicet, quod Divina virtus, vita, poteſtas, Maieſtas & gloria aſſumptæ Humanæ Naturæ in Chriſto data ſit: non ita ſicut Pater filio ſecundum Divinam Naturam ſuam eſſentiam & omnes Divinas proprietates ab æterno communicavit; unde etiam unius eſſentiæ eſt cum Patre & Deo æqualis. Chriſtus enim tantum ſecundum Divinam Naturam Patri æqualis eſt, ſed ſecundum aſſumptam Humanam Naturam eſt infra Deum. Ex quo planum ſit, nos nullam confuſionem, exæquationem, abolitionem Naturarum in Chriſto facere. Prętcrea virtus vivificandi non ita eſt in carne Chriſti ſicut in Divina Natura, videlicet tanquam eſſentialis proprietas. Neque facta eſt hæc communicatio per eſſentialem aut naturalem aliquam transfuſionem proprietatum Divinæ Naturę in Humanam Naturam, ita vt Chriſti Humanitas eam per ſe & à divina eſſentia ſeparatam habeat: aut quaſi per eam Humana Natura in Chriſto ſuas naturales proprietates omninò depoſuerit: & iam vel in Deitatem mutata ſit vel his communicatis proprietatibus in & per ſe ęqualis facta: aut quod nunc vtraque Natura una ſit: aut denique æquales eſſentiales proprietates & actiones eſſe debeant.

Hæ & ſimiles corruptelæ in veteribus approbatis Conciliis ex fundamento ſacrę Scripturæ meritò reiectæ & condemnatæ. Minimè enim facienda vel admittenda eſt aut cõverſio aut confuſio, aut exęquatio ſive Naturarum in Chriſto, ſive eſſentialium proprietatum. Quo pacto etiam nos voces illas *Realis communicatio, vel Realiter communicari*, nunquam de aliqua phyſica communicatione, vel eſſentiali transfuſione intelleximus: ſicut quidam illas perversè & malignè, ut puram doctrinam ſuſpectam redderent, contra conſcientiam interpretati ſunt: ſed tantùm verbali communicationi oppoſuimus, cum tales homines dixerunt, quòd tantùm phraſis & modus ſit loquendi, quam etiam adeò vrſerunt, ut nullá aliam cõmunicationé ſcire voluerint. Econtrà ad maioré Maieſtatis Chriſti declarationem, quomodo hæc verba (de reali cõmunicatione) uſurpentur, ſic exponere voluimus: quòd hæc communicatio realiter, ſine omni tamen permixtione naturarum & eſſentialium proprietatum facta ſit.

Sentimus igitur & docemus, Nos cum veteri Orthodoxa Eccleſia, ſicut ea hanc doctrinam ex Scriptura tradidit: Humanam Naturam in Chriſto illam Maieſtatem accepiſſe ratione Perſonalis unionis, videlicet, quia tota plenitudo Dei, talis in Chriſto habitat, non ſicut in aliis ſanctis hominibus aut Angelis, ſed corporaliter, ut in ſuo corpore proprio, quod cum omni ſua Maieſtate, virtute, gloria & operatione in aſſumpta Humana Natura liberrimè, quando & quomodo vult, lucet: in, cum, & per eam, ſuam Divinam Potentiam, Gloriam & actionem oſtendit, exerit & perficit: ſicut Anima in Corpore, & ignis in ardente ferro facit (his enim ſimilitudinibus, ſicut ſuperius etiam eſt dictum, tota vetuſta Eccleſia hanc doctrinam explica-

explicavit) Hoc tempore humiliationis fuit occultatum & abſconditum, ſed jam depoſitâ ſervi formâ, fit hoc perfectè, efficaciter, & manifeſtò coram omnib. Sanctis in Cœlo & in Terra: & nos etiá in illa vita hanc ſuá Majeſtatem à facie ad facie ſpectabimus. Ioa. 17.

Ita eſt, & manet in Chriſto tantum una Divina omnipotentia, virtus, Majeſtas, & gloria, quæ tantùm Divinæ Naturæ propria eſt: eadem verò lucet, exerit & oſtendit ſe perfectè, liberè tamen, in, cum, & per aſſumptam & exaltatam Humanam Naturam in Chriſto: ſicut in candente ferro non duplex vis eſt lucendi & ardendi, ſed facultas lucendi & ardendi eſt ignis propria. Quia autem ignis cum ferro unitus eſt, exerit & oſtendit ſuam vim lucendi & ardendi in, cum, & per ipſum candens ferrum ex tali unione vim habeat ardendi & lucendi, ſine tranſmutatione ſubſtantiæ & eſſentialium proprietatum ignis & ferri.

Ergo intelligimus illa teſtimonia Scripturæ, quæ de Majeſtate Chriſti loquuntur, ad quam Humana Natura eſt exaltata, non ita: quòd illa Divina Majeſtas, quæ Divinæ Naturæ Filii Dei propria eſt, in perſona filii hominis ſimpliciter tantùm, ſecundum ſuam Divinam Naturam tribui debeat: aut quòd illa Majeſtas in Humana Natura Chriſti tantùm hoc reſpectu eſſe debeat, quòd ſua Humana Natura ab illa nudum duntaxat titulum & nomen per phraſin & modum loquendi, hoc eſt, tantùm verbis, re vero ipſâ nullam prorſus communionem cum illa habeat. Hoc enim modo (quia Deus ſpiritualis, indiviſibilis eſſentiâ, & ubique præſens, & in omnibus creaturis eſt: & in quibus eſt, potiſſimùm autem in fidelibus & Sanctis habitat: ibidem ſuam Majeſtatem cum & apud ſe habeat) etiam verè dici poſſet, in omnibus creaturis, cum & in quibus Deus eſt, præſertim autem in fidelibus & Sanctis in quib. Deus habitat, omnem plenitudinem Deitatis Corporaliter habitare, omnes theſauros ſapientię & ſcientiæ abſconditos eſſe, omnem poteſtatem in cœlo & in terra datam: quia ipſis Spiritus Sanctus, qui omnem poteſtatem habet, datur: Quâ ratione inter Chriſtum ſecundum ſuam Humanam Naturam & inter alios Sanctos homines nullum diſcrimen eſſet: & ita Chriſtus ſuâ Majeſtate, quam præ omnibus aliis creaturis ut homo vel, ſecundum ſuam Humanam Naturam accepit, ſpoliaretur. Nulla enim alia Creatura, neque homo, neque Angelus, dicere poteſt, nec debet: Mihi data eſt omnis poteſtas, cùm tamen Deus totâ plenitudine ſuæ Diviniratis, quam ubique ſecum habet, in ſuis Sanctis ſit: ſed non corporaliter in ipſis habitat, aut perſonaliter cum ipſis unitus eſt, ſicut in Chriſto. Ex hac enim perſonali unione illud eſt, quod etiam Chriſtus ſecundum ſuam Humanam Naturam dicit Matth. 28. *Mihi data eſt*, &c. Item Ioan. 13. *Cùm Chriſtus ſciret à Patre ſibi omnia in ſuas manus tradita eſſe.* Item Coloſ. 2. *In ipſo habitat tota plenitudo Deitatis corporaliter.* Item, *Gloria & honore coronâſti eum ſuper opera manuum tuarum: omnia ſubiecisti pedibus ſuis:* & quod ſubjecit illi omnia, nihil reliquit quod non ſubjectum ſit illi. Hebr. 2. excepto eo, qui ipſi omnia ſubjecit. 1. Corint. 15.

Nos credimus, docemus & confitemur autem nequaquam talem effuſionem Majeſtatis Dei, & omnium illarum proprietatum in Humanam Naturam Chriſti, quâ Divina Natura minor fiat: aut aliquid de ſuo alteri tradat, quod non per ſe ſervet: aut quòd Humana Natura in ſua ſubſtantia æqualem Majeſtatem acceperit a Natura & eſſentia Filii ſeparatam & diſtinctam, ſicut quando ex uno vaſe in aliud aqua, vinum aut oleum transfunditur. Humana enim Natura, ſicut etiam nulla alia Creatura, neque in Cœlo neque in Terra tali ratione omnipotentiæ Dei non capax eſt, ut per ſe omnipotens eſſentiâ fiat, vel omnipotentiæ proprietates in & per ſe habeat, quâ certè Humana Natura in Chriſto negaretur, in Deitatemque omninò tranſmutaretur: quod noſtræ fidei, & omnium Prophetarum Apoſtolorumque doctrinæ repugnat.

Sed nos credimus, docemus & confitemur, Deum Patrem Filio ſuo Chriſto ſecundum aſſumptam Humanam Naturam Spiritum Sanctum ita dediſſe (ideò enim quoque Meſſias, hoc eſt, unctus appellatur) ut non ad menſuram, ſicut reliqui ſancti, illa dona acceperit. In Chriſto enim ſecundum aſſumptam Humanam Naturam (quia ſecundum Divinam Naturam cum Spiritu Sancto una eſt eſſentia) requieſcit Spiritus Sapientiæ & Scientiæ, conſilii, roboris, & cognitionis: non ſic, ut inde tanquam homo, quædam tantùm ſciat & poſſit, ſicut alii Sancti Divino Spiritu, qui tantum creata dona in ipſis operatur, ſciunt & poſſunt. Sed quia Chriſtus ſecundum Deitatem ſecunda perſona eſt S. Trinitatis: ab eo, ſicut etiam à Patre, Spiritus Sanctus procedit: & ita ſuus & Patris proprius Spiritus eſt & manet in ęternum à Filio Dei inſeparabilis: Chriſto ſecundum carnem quæ cum Filio Dei perſonaliter unita eſt, tota plenitudo Spiritûs (ut Patres aiunt) illâ perſonali unione communicata eſt: quæ ſe liberè omni virtute in ea, per eam, & cum ea oſtendit & exerit: ut non tantum quædam ſciat & quædam neſciat: quædam poſſit & quædam non poſ-

 ſit:

ſit: ſed ſciat & poſſit omnia: in quem Pater ſine menſura Spiritum ſapientiæ & virtutis effudit, ut tanquam homo per illam perſonalem unionem omnem ſcientiam, omnem poteſtatem reipsâ & facto acceperit, & ita omnes theſauri ſapientiæ in ipſo ſint reconditi. Ita ei omnis poteſtas eſt data, & collocatus eſt ad dexteram Majeſtatis & virtutis Dei. Et ex hiſtoriis ſcimus, tempore Imperatoris Valentis inter Arianos aliam ſectam fuiſſe, quæ dicta fuit Agnoitarum: propterea quòd finxerunt Filium Patris λόγον quidem omnia ſcire, ſed ſuam aſſumptam Naturam multarum rerum eſſe ignorantem, contra quos etiam Gregorius Magnus ſcripſit.

Propter hanc perſonalem unionem, & quæ inde conſequitur, communicationem, quam Divina & Humana Natura in Perſona Chriſti realiter invicem habent, Chriſto ſecundum carnem attribuitur, quod caro ipſius ſecundum Naturam & eſſentiam per ſe non ſit, & quòd extra hanc unionem Chriſtus habere non poſſit, ut ipſius caro verè vivificans cibus, & Sanguis verè vivificans potus ſit, ſicut illi 200. Patres Concilii Epheſini teſtati ſunt, Carnem Chriſti eſſe vivificam, ſeu vivificantem. Vnde etiam hic homo ſolus, & aliàs nullus homo, neque in Cœlo neque in terra dicere poteſt: *ubi duo vel tres in nòmine meo congregati ſunt ſum in medio illorum.* Item, *Semper ſum vobiſcum uſque ad cõſummationem ſeculi.* Quæ teſtimonia nos etiam non ſic accipimus, quaſi apud nos in fideli congregatione tantùm Deitas Chriſti præſens ſit: & talis præſentia ad Chriſtum ſecundum ſuam Humanitatem nihil omninò attineat. Quo pacto etiam Petrus, Paulus & omnes ſancti in Cœlo, quando Deitas ubique exiſtens in ipſis habitat, etiam apud nos in terris eſſent. Quod tamen tantùm de Chriſto & de nullo alio homine Sacra Scriptura affirmat. Verùm nos credimus, his verbis, Majeſtatem Chriſti declarari, quam Chriſtus ſecundùm ſuam Humanitatem in dextera Majeſtatis & virtutis Dei accepit, quòd ipſe ſcilicet etiam ſecundum & cum illa ſua aſſumpta Humana Natura præſens eſſe poteſt, & etiam eſt, ubi vult, inprimis verò in ſua Eccleſia in terris tanquam mediator, caput, rex & ſummus Sacerdos, non ex dimidia tantùm, ſed tota perſona Chriſti, ad quam pertinent duæ Naturæ Divina & Humana, adſit non tantùm ſecundum Deitatem, ſed etiam ſecundum & cum Humanitate, ſecundum quam frater noſter eſt, & nos caro ſumus de carne ejus, & os de oſſibus ejus, ſicut ad confirmationem & conſignationem hujus rei ſacram Cœnam inſtituit, quòd etiam ſecundum eam Naturam, ſecundum quam Carnem & Sanguinem habet, apud nos eſſe, in nobis habitare, operari & efficax eſſe velit. In hoc ſolidum fundamentum D. Lutherus beatæ memoriæ etiam de Majeſtate ſcripſit, ſecundum ſuam Humanam Naturam. In magna enim Confeſſione de perſona Chriſti ita ſcribit de Cœna: *Cum autem talis homo eſt Chriſtus, qui ſupernaturaliter cum Deo una Perſona eſt, & extra hunc hominem nullus Deus eſt: neceſſe eſt ſequi, ut etiam ſit ſecundum tertium modum ſupernaturalem & eſſe poſſit ubique ubi Deus eſt, & omnia per totum plena ſint Chriſti etiam ſecundum Humanitatem: non juxta primum comprehenſibilem modum, ſed ſecundum ſupernaturalem Divinum modum. Hic enim cogeris dicere & fateri: Chriſtus ſecundum Deitatem ubi eſt, ibi naturalis Divina Perſona: & eſt quoque Naturalis & perſonalis ibidem: ſicut hoc demonſtrat conceptio ejus in utero Matris. Si enim debebat eſſe filius Dei, conveniebat eum naturaliter & perſonaliter in utero Matris eſſe & hominem fieri. Si eſt Naturalis & Perſonalis ubicunque eſt, neceſſe eſt ut ibi etiam homo ſit: non enim ſunt duæ diſtinctæ perſonæ, ſed una perſona eſt, ubicunque ea eſt, ibi eſt una inſeparabilis perſona. Et ubi dicere potes, Hic eſt Deus: cogeris etiam dicere ibi Chriſtus homo quoque eſt. Et ſi quem locum oſtenderis, ubi Deus ſit & non homo, tum perſona eſt ſeparata: Si igitur verè dicere poſſem, Hic eſt Deus, qui non eſt homo neque unquam homo eſt factus, talem Deum ego non reciperem. Hinc enim ſequeretur, quòd ſpacium & locus duas illas naturas ſepararent & perſonam diſtraherent, cùm tamen neque mors neque omnes Diaboli illas poſſint ſeparare, neque divellere: debet enim tantùm unus Chriſtus manere, qui non in pluribus quàm in uno loco ſimul & Divina & Humana Perſona eſſet: & in omnibus aliis locis oporteret ipſum tantum nudum ſeparatum Deum, & Divinam Perſonam eſſe ſine Humanitate. Non mi homo, quò mihi Chriſtum ponis & Humanitatem mihi ponas neceſſe eſt: non ſinunt ſe ſeparari & ſejungi: eſt una perſona facta: neque unquam ſeparatur Divina ab Humana.* Tom. 5. Viteb. 2. Ger. fol. 192.

In libello de ultimis verbis Davidis, quem D. Lutherus paulò ante mortem ſuam ſcripſit, ait ipſe in hunc modum: *Secundum alteram temporalem Nativitatem, eſt ei quoque æterna Dei poteſtas data, tamen temporaliter & non ab æterno. Humanitas enim Chriſti non fuit ab æterno ſicut Deitas, ſed (ut numeratur & ſcribitur) Ieſus Mariæ filius eſt hoc Anno natus Annos M. D. XLIII. A momento autem illo, quo Deitas & Humanitas unitæ ſunt in unam Perſonam, eſt & vocatur homo Mariæ filius, omnipotens æternus Deus, qui æternam Potentiam habet, & omnia creavit & adhuc ſuſtentat* Tom. 5. Viteb. Ger. 545.

ſuſtentat per communicationem Idiomatum. Ideò quod cum Deitate una perſona & etiam Deus eſt. De eo loquitur Matth. ultimo. Mihi data eſt omnis poteſtas, &c. Matth. 11. *Omnia mihi à Patre tradita ſunt. Cui? Mihi Ieſu Nazareno filio Mariæ & homini nato: ab æterno habeo à Patre antequam homo fierem, ſed cùm homo fierem, temporaliter eam accepi ſecundum Humanitatem, & clam ſervavi uſque ad meam Reſurrectionem & Aſcenſionem, quando manifeſtari & declarari oportuit. Sicut & Paulus Rom.* 1. *inquit: Declaratus eſt Filius Dei potenter. Ioh.* 17. *appellat Glorificationem.* Similia teſtimonia in D. Lutheri ſcriptis, præſertim autem in libro, Quòd hæc verba adhuc firma ſunt: & in magna Confeſſione de Cœna Domini inveniuntur: ad quæ ſcripta ceu ad bene fundatas declarationes Majeſtatis Chriſti ad Dexteram Dei, & ſui Teſtamenti nos brevitatis ergò in hoc Articulo, ſicut etiam in Articulo de Cœna Domini, ut dictum eſt, referimus.

Quare pernicioſum errorem judicamus, Chriſto ſecundum ſuam Humanitatem tantam Majeſtatem detrahere, quâ Chriſtianis ingens conſolatio detrahitur: quam in illa promiſſione de præſentia & inhabitatione ſui capitis, regis & Sacerdotis habent: qui ipſis promiſit, quòd non tantum nuda ſua Deitas ipſis adeſſe velit: quæ erga nos peccatores tanquam conſumens ignis eſt in aridas ſtipulas: ſed ille ipſe homo, qui cum ipſis locutus eſt, qui omnes afflictiones in ſua aſſumpta natura expertus eſt, qui etiam nobiſcum, tanquam hominibus & fratribus & ſuis condoleſcere poteſt, velit nobiſcum eſſe in omnib. noſtris neceſſitatibus, etiam ſecundum eam naturam, quâ noſter frater eſt, & nos caro de carne ipſius ſumus.

Itaque rejicimus & damnamus unanimiter ore & corde, omnes errores à prædicta doctrina diſcrepantes, tanquam pugnantes cum ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, cum veris Symbolis, & cum noſtra quoque Confeſſione Auguſtana.

1. Veluti ſi quis in hoc argumento crederet, aut à quoquam edoctus eſſet, Humanam Naturam propter hanc Hypoſtaticam unionem permixtam eſſe Divinitati, aut in eam mutandam fore.

2. *Item*, Naturam humanam in Chriſto præſentem ubique eſſe ſui ipſius viribus eſſentialibus & proprietatibus naturæ ſuæ, eodem prorſus modo, quo Divinitas, id eſt, tanquam eſſentia infinita.

3. *Item*, Humanam Naturam in Chriſto evaſiſſe ſimilem Naturæ Divinæ ſubſtantiâ, eſſentiâ, vel ſuis proprietatibus eſſentialibus.

4. *Item*, Humanitatem Chriſti eſſe in omnibus locis Cœli & Terræ localiter extenſam (quod ne Divinæ quidem Naturæ tribuendum eſt) ſed Chriſtum omnipotentiâ ſuâ Divinâ poſſe corpore ſuo præſentem eſſe ubicunque voluerit, maximè verò ubi expreſſis verbis promiſit ſe futurum, veluti in Sacra Cœna. Quum enim Corpus ſuum ad Dexteram Majeſtatis & Potentiæ Dei collocaverit, poteſt utique id efficere virtute & ſapientiâ ſuâ: non mutatâ aut diviſâ verâ ſuâ Humanâ Naturâ.

5. *Item*: Quòd ſola Humanitas paſſa ſit pro nobis, nobiſque redemerit: Nec ullam cum illa in ipſa paſſione Filius Dei communicationem veram habuerit.

6. *Item*, Chriſtum ſecundum ſuam Divinitatem duntaxat interiùs nobis præſentem eſſe in Prædicatione verbi & in legitimo Sacrorum Sacramentorum uſu, hancque præſentiam nullo modo pertinere ad Naturam Humanam.

7. *Item*, Humanam Naturam Chriſti nullam reverâ effectualem Communionem habere cum virtute, potentia, ſapientia, Majeſtate, & gloria Dei, ſed nomine & titulotenus duntaxat cum illa communicare.

Hos inquam errores omneſque ejuſmodi alios, ſupradictæ doctrinæ adverſantes, repudiamus tanquam puro Dei verbo ſcriptiſque Prophetarum & Apoſtolorum ac Chriſtianę noſtræ fidei Confeſſionique contrarios. Et omnes Chriſtianos hortamur, quandoquidem Chriſtus myſterium in Scriptura S. nominatur, ne in hujuſmodi myſteriis (etiamſi hæretici de illis plurimùm ſe torqueant & fatigent) inquirendis rationem ſuam ſcrupuloſius intendant, ſed ſimpliciter cum dilectis Apoſtolis credant; oculos rationis obturent, intellectumque ſuum captivum ad obedientiam Chriſti deducant: ſeſe conſolentur & aſſiduè gaudeant quòd caro Sanguiſque noſter ita ſint in Chriſto ad dexteram majeſtatis & Omnipotentiæ Dei evecta. Id ſi fecerint, certam firmamque conſolationem in omnis generis afflictionibus comperient, eruntque adverſus omnes pernicioſos errores munitiſſimi.

CAPUT XV.

Cenſuræ Seu Iudicia De Libro Torgenſi correcto & emendato Bergæ.

Non omnia correcta in libro Bergenſi de quib. Principes & Theologi monuerunt in Bergenſi formula omnia Lutheri ſcripta canonizata etiam.

SUperioribus cenſuris factis à Principibus & Theologis, correcta quidem ſunt nonnulla Bergæ à ſex Patribus in Libro Torgenſi, ut antea dictum eſt, ſed non omnia, de quibus monuerunt illi: Nam in exemplari Bergenſi, unà cum Prophe-

Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis , non ſolùm Non mutata Auguſtana Confeſſio , ejuſque Apologia, Major & Minor Catechiſmus Lutheri, & Schmalcaldici Articuli, *ſed etiam generaliter omnia* Lutheri ſcripta , tam polemica , quàm didactica , *pro norma ſeu regula doctrinæ rurſus poſita & recepta ſunt , ſic ut tota Chriſtiana Religio , & quæ in ea exoriuntur certamina , contentiones & diſſenſiones , juxta Lutheri polemica & didactica ſcripta intelligi , declarari & componi debeat. Provocant in eo quoque , ut in priore libro , ad* Immutatam Auguſtanam Confeſſionem. *In quibuſdam etiam articulis ſtatus cauſæ ſeu controverſiæ, & antitheſes in proprio verborum ſenſu non rectè formantur. Corruptelæ quoque à quibuſdam Theologis Proteſtantibus introductæ , vehementer exaggerantur, & numeroſâ antitheſium cumulantur rejectione: multæ inſuper antitheſes finguntur, de quibus nemini fortè in mentem venit ne cogitare quidem. Retinentur etiam odioſa & infamiam redolentia multa epitheta: ſicut etiam novum illud , & tempore oblatæ Confeſſionis Auguſtanæ prorſus incognitum dogma* Vbiquitatis , *ſive* Omnipræſentiæ Corporis Chriſti ; *unà cum rigida exterarum Eccleſiarum , nondum auditarum, condemnatione.*

Approbatio libri Bergenſis à Saxone flagitatur.

Cùm itaque Elector Saxoniæ à Patribus Bergenſibus hunc Librum accepiſſet eumque ſine mora ad Electores, Principes , & Civitates Auguſtanæ Confeſſionis miſiſſet, & petiiſſet ſingulorum ſtatuum conſilia ac judicia de hoc ipſo libro, ad hæc flagitaſſet enixè ; ut ſubſcriptionibus ſuis illum approbarent, quo in lucem edi poſſet, miſerunt haud gravatim ad Saxonem dicti Ordines Iudicia & Cenſuras ſuas, in quibus graviter rurſus monuerunt cùm de hîs ipſis σφάλμασι & erroribus, quorum paulò, antè meminimus ante libri editionem corrigendis, tum etiam de Subſcriptionibus differendis, antè quàm in libera Synodo liber examinatus & diligenter approbatus eſſet. Nos igitur Statuum & Theologorum admonitiones de Correctione libri Bergenſis priore loco poſteriore verò Subſcriptiones etiam, ordine referemus.

In Conventu Caſſellano pauci Theologi Bergenſem formulam probant.

Anno itaque 77. *in Caſſellano Conventu Liber Concordiæ ab Illuſtriſſimo Landgravio VVilhelmo Theologis ſuis propoſitus eſt & ſententia eorum requiſita. Libro perlecto, pauci quidam eum receperunt ſine omni exceptione, atque etiam probarunt ſubſcriptione ſuâ. Nonnulli cum conditione eum approbarunt , eique ſubſcripſerunt. Ad articulum de Cœna Domini quod attinet, ita ſe declararunt , quòd nollent recedere ab ea Confeſſione de Cœna , quæ fuiſſet exhibita Landgravio ſeniori Philippo , laudatiſſimæ memoriæ Anno* 61. *cui etiam* Andræas Hyperius *tum ita ſubſcripſit; Andræas Hyperius in ſumma negotii conſentit : eandem D. Pincierus & Rodingus ſuâ quoque ſubſcriptione approbarunt illo tempore: addidit tamen Pincierus poſtea ſuæ ſubſcriptionis declarationem.*

In Caſſellano altero Conventu Landgravii Wilhelmi Theologi Vbiquitatem probare nolunt.

Ac proximè ſequenti hyeme ejuſdem Anni menſe Novembri , alter Conventus habitus eſt, ad quem pauci tamen vocati fuerunt. In eo maximè diſceptatum fuit de Perſona Chriſti. Ibi Concionatores, à Principe Wilhelmo *juſſi, apertè ſeſe declararunt, Quòd dogma de Vbiquitate Corporis Chriſti recipere non poſſint, idque multis argumentis oſtenderunt. Perſonalem verò omnipræſentiam Chriſti approbarunt & retinuerunt, quam etiam* Simlerus *in Libro ſuo De vera Chriſti ſecundum Humanam Naturam in Terris præſentia , pag.* 83. *non rejicit , ſano ſenſu intellectam: Quòd ſcilicet Humanitas ubique ſit, quia perſona Chriſti, cujus Humana Natura pars quædam eſt, ubique ſit: vel quia Humana Natura non in ſe ſubſiſtat , ſed in Verbo : illa autem perſona , à qua ſuſtentatur , ubique præſens eſt. Vide* Simlerum *dicto loco. In hanc ſententiam præcipui à Landgravio* Wilhelmo *miſſi Theologi diſceſſerunt: à Landgravio* Ludovico *autem miſſi Concionatores non potuerunt adduci , ut hanc quoque ſententiam probarent & amplecterentur , & à* Schmidlini *doctrina recederent.*

Landgravii Ludovici Theologi quo argumento Vbiquitatem Schmidlini defenderint.

Vſi autem ſunt hoc maximè argumento, à noſtris centies refutato:

Chriſtus non ſolùm ſecundum Deitatem, verum etiam ſecundum Humanitatem ad Dextram Dei Patris ſedet.

Ad Dextram Dei autem ſedere , nihil aliud eſt, quàm ejuſdem Majeſtatis & Potentiæ eſſe, atq; ubique cum Deo Patre regnare.

Quare humanitas à Divinitate ſeparari non poteſt.

Hæc & ſimilia oppoſuerunt , atque aliter ſentientes pro Calviniſtis habuerunt. Nihil ergo certi in illo Conventu ſecundo concluſum & definitum eſt ; niſi quòd ſuſpenderunt Landgravii ſubſcriptionem , ſuiſque Theologis injunxerunt, ne dogma hoc novum de carnis Chriſti ubiquitate ſive Omnipræſentia , vel in Eccleſiis , vel in Scholis proponant , neque etiam de eo diſputent, aut cuiquam litem intendant.

Iudicium Theologorum in Marchia Brandenb. de libro Bergenſi.

Theologi quoque in Nova ſeu Brandenburgenſi Marchia Primò *petunt , ut vota ſua libera potiùs ſibi relinquantur , quam ut inconſideratè & intempeſtivè judicium ſuum de hoc libro proferant : præſertim cum locus de Perſona Chriſti ita innovatus & obſcurè explicatus ſit , ut ingenuè fateantur , ſe eum intelligere non poſſe , non ſe igitur decere inconſideratè & temerè quicquam de eo pronunciare.* Secundò *petunt, ut Synodus generalis convocetur , quòd res tanti ſit momenti, ut paucis tutò committi nequeat.* Tertiò, *ſibi videri, ſi hic liber pro formula Concordiæ recipiendus ſit : neminem ab hac Synodo excludendum eſſe, ne quis meritò conqueri poſſit, quòd*

non

non auditus condemnatus ſit Quartò, quum liber hic Corpus doctrinæ eſſe debeat, ad Corpus autem doctrinæ multò plures loci ſeu capita doctrinæ requirantur, ex quibus non minùs errores & controverſiæ oriri poſſent, quàm ex his 12. articulis in libro hoc contentis; rogare ſe, ne Paſtores cogantur ex ſuo cerebro explicationem reliquorum Articulorum petere; ut ipſis talis Liber monſtretur, in quo omnes articuli doctrinæ Chriſtianæ breviter & methodicè contineantur. Cùm vero jam inde ab Apoſtolorum temporibus: ipſo quoque Luthero teſte, utilior liber non conſcriptus & in lucem editus ſit, quàm Loci communes Philippi, ſe quidem arbitrari, ne Lutherus levitatis accuſari poſſit, neceſſitatem poſtulare, ut Loci communes & qui eis adjuncti ſunt libri Philippi, huic Libro quoque inſerantur. Quintò, rogare ſe, ut pro loco de Deſcenſu ad inferos Articulus de Aſcenſione Chriſti ponatur, præſertim cùm eum nonnulli in meras allegorias convertant. Sextò, Diſcrimen inter Lutheri Libros habendum eſſe, præſertim quum eò res devenerit, ut quoſdam Paſtores non pudeat, Articulos fidei ex Lutheri Sermonibus Convivialibus probare maximo cum detrimento & ludibrio Eccleſiæ, ut ex Ieſuitarum cavillis conſtet: cum tamen ex Lutheri Poſtilla Domeſtica, Dominicâ jubilate Ienenſis editionis, facilè intelligi poſſit, quid de his Sermonibus ſeu Colloquiis ipſemet Lutherus judicarit. Septimò, iſtos ipſos ſex Theologos, authores Libri Concordiæ, Locos communes Theologicos Philippi mirum in modum commendaſſe, ſicut ex ipſorum ſcriptis, non diu ante hoc tempus editis, ſatis demonſtrari poſſit. Octavò, Selneccerum ipſum cauſas & rationes oſtendiſſe, ob quas formâ loquendi, de Reali communicatione Idiomatum non ſit utendum. Nonò, in Libro Bergenſi has falſas theſes poni, Quod tota Trinitas habitet in omnibus ac ſingulis hominibus. Item, quòd Chriſtus à momento Conceptionis Humanæ Naturæ omnia habuerit, cùm tamen Lutherus contrarium affirmet. Decimò, In hac Formula dici, ei inſerenda eſſe ſcripta illa, quæ ante controverſias & certamina edita ſint; ſibi igitur videri, etiam Locos Communes Philippi eidem inſerendos, ſiquidem ante confeſſionem Auguſtanam & Apologiam ſcripti ſint. Vndecimò, in explicatione Articuli de Cœna, ad vitandam tædioſam prolixitatem, remittit Lectorem ad ſcripta de hac materia edita: In ſcriptis autem Selneccери hoc ipſum diſcrimen indignè manducantium reperiri, quod hic in D. Ebero condemnent: Non immeritò igitur quæri poſſe, quomodo ipſi inter ſe conveniant? &c.

Bipontinorum judicium.

Bipontini etiam Theologi in Cenſura Principis ſui juſſu ſcriptâ, eidémque exhibitâ 23. Auguſt. monuerunt, Primò, utile ſibi videri, cùm exemplaria Auguſtanæ Confeſſionis in aliquibus locis ſint diſſimilia, quod etiam à Papiſtis ſociis Confeſſionis hujus ſæpè objiciatur, ut ea Confeſſio, quæ Anno 30. Latinè & Germanicè Imperatori Carolo Auguſtæ exhibita eſt, verbotim huic Libro inſeratur. Secundò, ſibi videri, inconvenienter citatum eſſe in Articulo de Libero arbitrio, locum Pauli 2. Cor, 6. cap. qui ſic habet. Sed & ut operam noſtram ei accommodantes hortamur, ne fruſtra Dei gratiam vos receperitis: Nam propoſitionem ejus loci, quæ per ſe vera ſit & bona, hoc loco non confirmari: Non enim Apoſtolum ibi Corinthios poſt converſionem Spiritus Sancti cooperarios vocare, ſed de Dignitate & effectu Miniſterii loqui, de quo etiam in præcedentibus capitibus multa ſcripſerit, & Miniſtros Dei cooperarios vocarit, quod etiam ex textus cohærentia facilè demonſtrari poſſit: Hunc igitur nævum, ſuo quidem judicio corrigendum, ne authoribus libri vitio ab adverſariis vertatur. Tertiò in ex Extractu hujus Articuli (Paragrapho, Converſio autem) verbis, Sacramento quoque quæ etiam media Spiritûs Sancti ſunt, ſibi videri addendum, Prout in copioſa ſeu longa explicatione demonſtratur, ne quid neceſſarium in extractu omittatur, præſertim cùm Sacramentis aliqui hunc effectum derogare conentur. Sic etiam in eodem §. pro Pſalmo 95. ad confirmandum, nos ad auditum verbi Dei aures obturare non debere, quod adhuc in voluntate non regenerati ſitum ſit, commodiorem Scripturæ locum reponi poſſe, quum David non de obturatione aurium, ſed cordis loquatur potiſſimum: quod fortè ad probationem Liberi arbitrii citari poſſet, quaſi in hominis poteſtate poſitum ſit, non ſolùm aures, ſed etiam cor ipſum aperire & recludere. Quartò, in Articulo de juſtificatione hominis quæſtio moveri poſſet, An non etiam dogma de obedientia Chriſti activa, quòd ea ad noſtram juſtificationem nihil faciat, non minus ac alii errores in hoc Articulo rejici debeat? Quintò, in Articulo de Deſcenſu Chriſti ad inferos, fortè non incommodè omitti poſſet, quod affirmatur, Chriſtum poſt Sepulturam demùm ad Inferos deſcendiſſe, hoc enim à nonnullis Theologis negari, & in ipſo Extractu diſertè dici, Non diſputandum, utrum ante vel poſt mortem hoc factum ſit: adhæc, multas controverſias hinc exoriri poſſe.

Explicatio loci 2. Cor. 6.

Declaratio & judicium Anhaldinorum Theologorum de libro Bergenſi.

Etſi prior Anhaldinorum Theologorum Cenſura de Libro Torgenſi indigniſſimè ab Electoribus Saxoniæ & Brandenburgenſi, Schmidlini inſtinctu, accepta eſſet: denuò tamen juſſu & mandato Principis ſui, communem, perſpicuam & claram Declarationem & judicium de Libro Bergenſi, Prid. Calend. Sept. ſcripſerunt, & Celſitudini ejus exhibuerunt. In eo Primò tractant de ipſo opere hujus voluminis in genere: Secundò, de duodecim ejus Articulis in ſpecie:

 Tertiò,

Tertiò, *de proceſſu & modo agendi per Saxoniam & Marchiam Brandenburgenſem in Libri hujus negotio:* Quartò, *de ſeipſis proteſtantur, & Animum ſuum erga Electores & Principes ingenuè declarant.*

I. *De opere libri Concordiæ in genere.* *Adprimum quod attinet*, Quanquam, *inquiunt*, omnes homines Chriſtianam, fidelem, piamque ſolicitudinem, labores & moleſtias laudatiſſimorum Electorum & Principum in conſtituenda Concordia Eccleſiarum, plurimi facere, & pro ea Deo gratias agere debeant immortales: nos tamen in noſtrâ antè exhibita reſolutione multas & graves cauſas indicavimus, ob quas prolixa illa tractatio Electoralium Theologorum inutilis & incommoda nobis quidem videatur, nec quenquam audivimus, quo cum hac de re ſermocinati ſimus, qui hoc negare aut inficiari potuerit. Iiſdem igitur cauſis & rationibus etiam nunc inſiſtimus, uſque dum juſta de iis facta fuerit cognitio, & nos nullum ad ineundam & conſequendam concordiam medium libro illo accommodatius eſſe, convicti ſimus: Dicimus itaque rurſus ex bono animo, & conſtanter prolixitatem iſtam nobis omninò diſplicere. Adhæc, quandoquidem mota certamina, una cum ſuis authoribus, ſic collapſa ſint, ut eorum authores in deſpectum venerint, nobis ipſis perſuademus, librum hunc compoſitas lites, atque ſopitas vel exſtinctas, ab orco potius revocaturum quàm conciliaturum. Ille ipſe præterea liber Eccleſias reformatas Pontificiis proculdubio deridendas, deformandas & contemnendas propinabit ac proſtituet, cùm nullâ ratione ſolidâ probari poſſit, omnes iſtas corruptelas, quæ in libro iſto confutatæ dicuntur, unquam publicè exortas fuiſſe inter Proteſtantes, qui non obſcurè in titulo ejus inſinuantur. Quòd ſi hæc etiam ſub laudatiſſimorum Electorum ac Principum nomine publicarentur, eo ipſo, tanquam ſolenni teſtimonio contra nos ipſos teſtaremur, religionem Proteſtantium multò magis in partes & ſectas, quàm Papiſtarum ſciſſas eſſe, maxima cum Electorum & Principum reputationis diminutione. Poſtremò, verbum hoc durum *Damnamus* neutiquam probamus, niſi contra contumaces & blaſphemos. Cùm verò infirmi ac dociles in Eccleſia ſemper ſint, arbitramur ſacris literis & Chriſtianæ charitati, quæ omnia ſperat conſentaneum fore, verba illa Auguſtanæ Confeſſionis, *Et improbamus ſecus docentes*, retinere, ne quid deterreantur etiam à docilitate, ad quam nos Chriſtus diligenter hortatus eſt. Notiſſimæ quoque
Matt.7. Rom.14. 1.Cor.4. ſunt, Chriſti & Apoſtolorum admonitiones, *Nolite condemnare, ne condemnemini. Infirmum in fide accipite. Tu quis es, qui judicas ſervum alterius. Qui ſtat, videat ne cadat.*

Antequam verò ad uberiorem duodecim Articulorum Libri Concordiæ cenſuram accedamus, ne quis nobis inter omnes proteſtantes ſeceſſionem objiciat, nunc denuò, ut priùs, & priùs, ut nunc recipimus & amplectimur normam ſanorum verborum ab Electoralibus Theologis propoſitam; nempe, Verbum Dei, tria approbata Symbola, Auguſtanam Confeſſionem, Schmalcaldicos Articulos & Catechiſmos Lutheri, in recto, vero & ſimplici ſenſu, quo hactenus omnes Proteſtantes, extra certamina, hæc intellexerunt. Teſtamur etiam, citra tamen arrogantiam & temeritatem, nos, tametſi non ignoremus, quibus convitiorum aculeis, quòd librum non ſimpliciter, abſque omni cenſura, approbavimus (quod tamen libenter paci publicæ condonamus) pungamur, ex noſtris eſſe neminem, qui contra hanc normam hactenus aliquid docuerit. Eodemque prorſus modo nos ipſos jam antè reſolvimus, atque ab Electoralibus Theologis petiimus, ut ex dictis libris normæ ſuæ, libri Bergenſi Articulos examinent, utque omni ſuſpicione ſe liberent, cætera Lutheri ſuaque ipſorum ſcripta, quorum pag. 65. 100. in fine, & 104. mentionem faciant. Normę huic ſubjiciant. II. *De duodecim capitibus libri Bergenſis in ſpecie.*

Quantum igitur primò ad peccatum Originis attinet, licet Theologorum ſententiæ non adverſemur, nihilominus, etſi non omnia, quæ in moto de hoc Articulo certamine neceſſaria fuiſſent admonere, adeò clarè & expreſsè in duabus paginis declaraverimus, ut ab ipſis 15. paginis, & in Philippi definitione tribus vel quatuor lineis factum eſt, pro confeſſo tamen ſumimus, Chriſtum ſecundum carnem nobis eſſe ὁμοούσιον & hujus reſolutionis noſtræ ne in minima quidem ſyllaba nos pudet. 1. *De peccato Originis.*

Secundò, de arbitrio non libero, gratum nobis accidiſſet, ſi Theologi, cùm in bona cauſa duo vel tria verba ſufficiant, hunc articulum ſimplicibus & perſpicuis propoſitionibus comprehendiſſent, & à prolixis odioſiſque declamationibus abſtinuiſſent. Mittimus tamen etiam hunc locum, neque enim de feſtuca judicare volumus: Sin verò in hoc Articulo à proprio ſtatu deflectere noluerimus, tria hæc verba probè obſervare oportet, *Quis, Quem, Quomodo*. Duo priora Lutherus ipſe declaravit, nempe, in rebus divinis velle, aſſentiri, credere, ſeipſum noſcere, &c. ſolius gratiæ Dei opus in nobis eſſe, hominemque ad hæc nihil ex viribus propriis, ſine Verbo & Spiritu Sancto conferre. 2. *De libero arbitrio.*

ferre. *Deus enim dat reſipiſcentiam*, Actor. 5. *Dei datum eſt*, Epheſ. 2. Iacobi 1. Iſa. 26. Philippus autem ipſum Quomodo declaravit. Nam cùm Actor. 5. dicitur, *Deus dat pœnitentiam*, mox ſubjungitur, *& Spiritum Sanctum obedientibus ipſi*. Quæritur autem, quomodo ad obedientiam perveniatur, quandoquidem homo ad bonum non idoneus, nihilque boni ex ſe ipſo poſſit? reſpondet Philippus, *Primò*, per verbum, *Secundo* operatur Spiritus Sanctus; *Tertiò*, in hominibus. Atque hæc tria Schuenkfeldianis, Pelagianis & Manichæis opponit. Sic in hominis converſione tria concurrunt, Verbum, Spiritus & Animus. Hæc tria annis 11. continuis Luthero adhuc vivente, ſic conjunxit, tametſi non merè pro cauſis efficientibus habeantur, ſicut nec ipſe Philippus efficientes, ſed concurrentes appellat: eundemque etjam ordinem obſervavit in Locis Communibus anno 35. editis, ubi orditur à verbo, non à Spiritu. Simile illud, *Quemadmodum mortuus ſeipſum non reſuſcitat, ſic qui ſpiritualiter mortuus eſt, non poteſt ſeipſum convertere*, dexterè intelligi debet. Nam is, qui naturaliter mortuus, vel nihil eſt, non etiam impedire poteſt, ut creetur, vel vitæ reſtituatur: Dei autem opus *contumaciter repugnando* ſingulis momentis impedire poſſumus. Ideoque diſtinctio inter repugnantiam ex infirmitate, & repugnãtiam ex contumacia probè tenenda eſt, juxta quam teſtimonia Scripturæ *pag.* 27. *&* 29. in proprias ſuas claſſes referimus. Suo præterea relinquimus loco, an non Patrum teſtimonia *Volentem trahit*, rectius in priore Torgenſi libro, quam in correcto Bergenſi citata ſint, Probamus itaque & recipimus hunc articulum, quatenus *convenit*, cum prædicta Norma, cui etjam cuncta ſubijcimus, quæ nos ipſi in eo notavimus & monuimus. Ad normam hanc etiam referimus Examen & Locos communes Theologicos Philippi, priorem quoque & poſteriorem editionem Auguſtanæ Confeſſionis, præſertim quum ipſe *David Cytreus* in ſuis Actis fateatur, poſteriores editiones non depravatas & corruptas, ſed locupletatas & correctas fuiſſe pag. 47. & 60. Quoad autem ad comparationem Philippi cum Solomone attinet, qui in gratiam concubinarum ſuarum idolatra factus ſit, ut neſciri poſſit ſalvuſne an non factus ſit, qua comparatione, nuper Lipſiæ, Zuiccaviæ & alibi locorum uſi ſunt, veremur Deum hoc judicium rurſus judicaturum: Deus illuminet & regat eos.

3. *De juſtitia noſtra corã Deo.* Articulus de juſtitia noſtra coram Deo, juxta noſtram aliorumque admonitionem mediocriter emendatus eſt, cui etiam acquieſcimus. Illud ſolùm, quod pro his verbis, quæ in libro Torgenſi pag. 58. leguntur: *Manemus peccatores ad mortem uſque*, nunc in Bergenſi libro legitur, *Iuſtitiam illis quoque imputari, qui in peccatis perſeverant*, nos depravationem, non emendationem eſſe arbitramur.

4. *De bonis operibus.* De bonis operibus idem docemus quod Electorales Theologi. Deus largiatur, ne bonis operibus ſine fructu diſputemus.

5. *De lege & Evangelio.* Controverſia de Lege & Evangelio, in veritate ſupervacanea eſt, modo odium adverſus Philippum conceptum concoqui poſſet, atque duo iſta vocabula μετανοίας καὶ μεταμελείας diligenter juxta Sacræ Scripturæ uſum obſervarentur.

6. *De Tertio uſu Legis.* Articulum de tertio Legis uſu quoque arbitramur nulla conciliatione opus habere, quum de eo nullum certamen ſit: nam omnes hujuſmodi inutiles & non neceſſariæ controverſiæ non omnibus placent.

7. *De Cœna Domini.* De Cœna Domini non equidem arbitramur Theologos in reſolutione & declaratione noſtra quicquam deſiderare. Nam & nos probamus, quod in Libro Bergenſi Corpus Chriſti & Panis unio Sacramentalis pag. 90. 94. & 103. pag. item 9. licet Patres, *Iuſtinus Cyprianus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Leo, Gelaſius*, ut habet liber iſte pag. 94. præſentiam Corporis Chriſti in actione hac per perſonalem unionem Divinæ & Humanæ Naturæ declarent. Deinde nobis imprimis placet, quod Electorales Theologi præſentiam Corporis Chriſti non ſolùm diſertè & expreſsè fatentur, ſed eandem etiam claris & perſpicuis verbis, citra omnem dubitationem & & diſputationem, pag. 91. & 92. ſolius Dei, ſeu inſtitutionis verbis, tanquam unico & veriſſimo fundamento probant. Hoc enim conceſſo, reliquis argumentis, quibus Lutherus uſus eſt etiam, minimè opus habemus. Rectiſſime quoque liber iſte loquitur de tota formali actione, extra quam, juxta Philippi regulam, Sacramenta non ſunt, pag. 103. hoc ipſo namque omnes inutiles diſputationes præciduntur & actio his verbis comprehenditur, benedicere, recitare, verba, diſtribuere, accipere, comedere, bibere, & mortem Domini annunciare. De modo etjam probamus Lutheri verba citata pagin. 105. *Quomodo hoc fiat, omnem Humanam rationem ſuperat.* Nolumus etiam oppugnare Modalia, *cœleſtis, ſupernaturalis, arcana ſumtio quæ ore fit*, & pagin. 106 in Libro iſto habentur: Sunt enim hæc Lutheri formalia verba Tomo Iehenn. 3. pag. 362. *Objectum non eſt ſpirituale, ſed uſus ſpiritualis eſſe debet:* Quibus etiam adſtipulantur *Irenaus, Nazianzenus*, inprimiſque *Damaſcenus* 3. c. 16. & lib 4. c. 13. Græcus Canon Niceni Concilii, & alii

alii. Speramus denique nos luculenter declaratione hac omnibus ad oculum demonſtraſſe, vim nobis & injuriam inſignem fieri ab iis, qui nobis neſcimus quos errores ſacramentarios adſcribunt. Neque etiam nos abduci patiemur ab hoc unico fundamento ad Lutheri aliorumque ſcripta, niſi quatenus nos ad fundamentum hoc deducunt, Quòd verba Chriſti adhuc immota & firma ſtent.

De Perſona Chriſti. Quoniam ab initio ſtatim contra Articulum in hoc correcto Libro de Perſona Chriſti proteſtati ſumus, non autem intelligere poſſumus noſtræ fideli, & ex animo ſyncero ac candido profectæ admonitioni locum datum eſſe, cauſam noſtram Deo nos commendare oportet. Non poſſumus autem nos quoque ſalva conſcientia & veritate, à noſtra reſolutione diſcedere, Deo eventum commendantes. Vt autem omnes intelligant, nos nullo vel odio, vel iracundia, vel curioſitate, vel etiam ambitione aliqua, ſed neceſſitate ſumma & periculo extremo ad hanc proteſtationem compulſos ſeu adactos fuiſſe, non cognoſcere poſſumus, quod juxta admonitionem noſtrã amicam in hoc Libro diſtinguatur, inter Communicationem Idiomatum ſic verè & propriè dictam, quæ ipſo Luthero teſte, phraſis ſeu forma loquendi eſt, & inter Communionem, ſeu potiùs Vnionem naturarum: hæc enim Res, illa verò forma loquendi eſt. Similiter neque etiam ornamenta & doctrina hyperphyſica, quæ non deſtruunt, ſed perficiunt Naturam, non diſcernuntur ab eſſentialibus proprietatibus in æternum immobilibus, nec egredientibus ſuum objectum. Tertiò, nec ipſa Vnio quæ cœpit in utero ſimpliciter & perſpicuè diſcernitur ab Exaltatione perſonæ ad dexteram Dei, juxta ſtatum humiliationis: quemadmodum etiam Vnio & Communio per ſe invicem, ac unum per alterum, ſicut conſequens & antecedens declaratur, nec tamen unum idemque ſunt. Servi formam & Servi naturam nos, ut etiam totus Patrum chorus, accipimus & intelligimus pro humana Natura. Servi enim forma tota, inquit *Athanaſius*, eſt divinitas. Contra verò, ſi liber hic aſſerit, Chriſtum Servi formam totam depoſuiſſe, manifeſtum eſt, hoc ipſo inter officium & nomen Mediatoris non diſcerni: Cum tamen, etiamſi Chriſtus depoſuit paſſiones & preſſuras, quas in carne ſuſtinuit, & jam ad dexteram Dei exaltatus eſt nihilominus humiliatio perſonæ maneat reſpectu officii, nec deſinit etiam ad Dexteram Dei, quandoquidem ibi pro nobis indeſinenter intercedit, & ratione officii Deus eſt & manet, ſicut Scriptura dicit, *Caput Chriſti Deus*. Eodem prorſus modo nec Concretum & Abſtractum, neque omnipotentia, quæ eſſentiale, ideoque commune idioma totius divinitatis eſt, diſcernuntur. Ex his & id genus aliis Confuſionibus, quæ in hoc Libro manifeſtiſſimè continentur, nemo ſe facilè expedire poteſt: Quod ipſum acceptum ferendum eſt iis, qui ſplendiſſimum Definitionum & regularum Philippi lumen, in hoc potiſſimum articulo exſtinguunt. Hæ tenebræ ex Eccleſia ſero expellentur novis iſtis & nuper admodum confictis Diſtinctionibus *Verbalis & Realis Communicationis Idiomatum*, de quibus in Sacra Scriptura & Patribus ne unum quidem verbum exſtat. Hanc verò regulam ſequi deberemus, *Lucerna pedibus meis verbum tuum*. Provocamus etiam omnes & ſingulos, ut ex totis Bibliis vel unicum teſtimonium proferant, eoque probent Scripturam de Chriſto ſimpliciter, ut Liber Bergenſis in abſtracto, loqui. *Mihi*: inquit Scriptura, *data eſt omnis poteſtas*, &c. non dicit, *Humanæ carni omnipotentia*, &c. *data eſt*. Sic etiam intelligimus citatam regulam, *Quicquid Scriptura dicit datum eſſe in tempore Chriſto, datum eſſe ei propter Naturam aſſumtam, ratione œconomiæ*, ut veteres loquuti ſunt, & Philippus adhuc clarius loquitur, ratione miſſionis ſeu officii: Diſcernendum enim eſt inter Divinitatem mittentem, & Perſonam miſſam, inquit Philippus: longè eſt enim alia forma loquendi, Filio Dei, qui homo factus eſt & ad extremam uſque paupertatem ſe humiliavit, Majeſtas Divina, honor & ſeſſio ad Dexteram Patris data eſt; quam, caro eius omnipotens & omniſcia facta eſt. Contra verò valdè neceſſarium eſſe judicamus, ut ſic loquatur de Chriſto, quemadmodum Act. 1. dicitur, quod nobis ſecundùm carnem ὁμοούσιος ſit & maneat in æternum, & hanc ipſam ob cauſam Naturarum propria non debent eſſe communia; & contra, communia perſonis, non naturis & unitis in abſtracto attribuenda ſunt: Differentia enim eorum differentium ſunt differentia; Vtque eorum ſubſidium declinetur, qui ex realiſſima Idiomatum communicatione carnem alterius ſpeciei inferunt, ſub quo ipſiſſimus Atheiſmus latet, conqueſti ſumus etiam, bonos viros, qui ſe huic carni alterius ſpeciei oppoſuerunt, pro Sacramentariis haberi. Ex hac plana & perſpicua declaratione, civis judicandum relinquimus, quid de his phraſibus ſentiendum ſit, *Humana Natura in plenam poſſeſſionem Divinæ Majeſtatis collocata eſt, & ex hac virtute ſeu Potentia Humanitati communicata, etiam in Sacramento eſt.* Item, *Realis communicatio Idiomatum* Item, *Divinæ proprietates Humanæ Naturæ: non per phraſin, ſed realiter communicatæ ſunt*, &c.

Benè

9. *De Deſcenſu ad Inferos.*

Benè fecerunt Theologi Bergenſes, quod admônitionibus noſtris aliorumque adducti Articulum de Deſcenſu ad Inferos expunxerunt: ac optaremus, ut eius in locum ſubſtituerentur Articuli de Aſcenſione & Seſſione ad dexteram: ita tamen explicati, ut doctrinam dej Cœna magis confirmarent, quàm enervarent.

10. *De Adiaphoris.*

De Adiaphoris nulla controverſia eſt. Quum tamen de Adiaphoris, tanquam minimo articulo, ante Annos 29. hoc ipſum incendium, & ſequentia certamina inter Proteſtantes exorta ſint; eoque magis cavendum eſt in maximo Articulo de Perſona Chriſti, ut intra metas Scripturæ nos contineamus.

11. *De prædeſtinatione.*

Etſi Articuli de prædeſtinatione exordium cum Libri Torgenſis inſcriptione & titulo non conveniat, approbamus tamen Articulum ipſum, nam & Philippi ſententiam confirmat, & hæc tria concurrentia, Verbum Spiritus, Homo in juſto ſuo ordine relinquuntur. Atque hæc de Articulis inter Proteſtantes controverſis.

12. *De Sectis variis.*

Quod ad Articulum duodecimum attinet, quum liber hic ad componenda & dirimenda certamina, inter proteſtantes exorta, conſcriptus ſit, quid ad nos Anabaptiſtæ Schuenckfeldiani, Arriani, Antitrinitarii, & reliqui qui foris ſunt?

III. *De modo agendi quẽ Bergenſes in conſcribendo & ſuffragiis muniendo Concordiali libro ſecuti ſunt.*

Narrant poſt hæc modum agendi, quem Bergenſes Patres, præſertim verò Iacobus Schmidlinus in conſcribendo, ſubſcribendo & ſuffragiis muniendo Libro Concordiæ ſequuti ſint, quem nos ſuo loco paulò infra referemus.

IV. *Protestatio Anhaldinorum Theologorũ.*

Pollicentur denique ſe coram Electoribus & Principibus, ſi neceſſitas poſtulaverit probaturos, Lutherum non in Schmidlini, ſed Philippi ſententia eſſe. Deinde, ſe cum Theologis Bergenſibus pacem habere & ſervare velle, quandiu ab ipſis ad certamen non provocentur, & Schmidlinus Vbiquitatem ſuam vel damnet & abjiciat, vel ex verbo Dei probet & confirmet. Offerunt ſe etiam ad Colloquium, in quo vivâ voce cum dictis Theologis de controverſis Articulis amicè & placidè conferre poſſint. Vel, ſi Colloquium tale Electoribus & Principibus diſplicеat, petunt ut ſaltem ſcriptis ultro citroque miſſis de his Articulis diſputare liceat, ſepoſitis omnibus affectibus, conviтiis, calumniis & declarationibus prolixis ac inutilibus, utque victa pars Deo honorem det veritati cedat, &c. Subſcripſerunt *Dionyſius Braunſdorff Præpoſitus Vuerlizii: Ambroſius Hezler Bernburgenſis: Abrahamus Huldrychus Superindens Serveſtanus: Iohannes Leſſe Deſſavienſis: Petrus Haringus Kotenſis: Vuolffgangus Amlingus Eccleſiæ Serveſtanæ paſtor: Valentinus Faber & Martinus Vueiſſer, prid. Cal. Septembris, Anno* 1577.

Miniſterii Magdebugenſis admonitiones.

Miniſterium quoque Magdeburgenſe in ſuo judicio, Adminiſtratoris juſſu ſcripto, Primò, *monet, poſteriorem editionem Auguſtanæ Confeſſionis retinendam eſſe,* 1. *quia non niſi verba prioris in ea mutata ſint, rebus iiſdem manentibus: quod etiam Philippus Eccio Ratisbonæ in os dixerit:* 2. *quòd Philippus propter temporis anguſtiam, non tam conſideratè verba in prima Confeſſione ponere potuerit, & Papiſtæ quædam ſiniſtre interpretati ſint: neceſſitatem itaque poſtulaſſe, ut in poſteriore verba magis convenientia ponerentur:* 3. *quia poſterior pariter atque prior publica fide ſit edita.*

Secundo, *non eſſe conſultum ut ex Formula Concordiæ expugnantur illi Libri, qui multos jam Annos in Corpore doctrinæ contenti fuerint ut ſunt Loci Communes Philippi & Examen Theologicum:* 1. *quia viderentur ſuæ Eccleſiæ hactenus non veram & orthodoxam doctrinam habuiſſe:* 2. *quod in huius Confeſſionis doctrina multa millia hominum perſequutiones & mortem pertulerint:* 3. *quòd Examen Philippi hactenus fuerit Norma ordinandorum.*

Tertiò, *quod ad ſingulos Articulos Formulæ attinet, teſtantur, Articulum de peccato Originis adverſus Pelagianos, & novos Manichæos directum: eum, qui eſt de Libero arbitrio, nimis prolixum eſſe: in Articulo de bonis Operibus, ambiguas phraſes tollendas: de diſcrimine Legis & Evangelii alium ſtatum ponendum: de Cœna Domini volunt, præſentiæ carnis Chriſti non Vnionem perſonalem duarum Naturarum, ſed inſtitutionem Chriſti fundamentum eſſe: in Articulo de Perſona Chriſti, non indicari, quid ſit Vnio Naturarum, Cõmunicatio Idiomatum, & quodnam utriuſque diſcrimen: in Articulo de Deſcenſu ad Inferos requiri aliquot dicta Scripturæ, non enim nudum Lutheri teſtimonium ſufficere, &c.*

Literæ Landgravii de Recognitione libro Bergenſi ad Senatores ſecreti Conſilii Noriberg.

Vuilhelmus Landgravius *quoque de Recognitione Libri Bergenſis ad Senatores ſecreti conſilii* Noribergenſis *Reipublicæ ſcripſit Septembris* 4. *Electorem Saxoniæ de iſto Libro, totoque adeò Concordiæ negotio ſuum judicium petere: Quia verò res magni momenti ſit, Celſitudinem ſuam ad præcavendas majores diſſenſiones & Animorum diſtractiones hoc ipſis ſignificare & communicare voluiſſe. Et cum Reſpublica Noribergenſis inter Ordines Auguſtanæ Confeſſionis non ſit poſtrema, ſe illis de hoc Opere omnia ſua mittere judicia. Scribit, Bergæ congregatos Theologos non, ut antea, Librum hunc novum Corpus doctrinæ vocare: Retinere tamen phraſin,* Immutata Confeſſio Auguſtana, *quâ ipſi majoribus ſuis turpem notam levitatis & inconſtantiæ inurant: nam conſtare, eos emendato & locupletato exemplari Auguſtanæ Confeſſionis vivente,*

vivente adhuc Luthero, anno 41. & 42. in Colloquiis uſos eſſe: idque etiam poſtea Naumburgi anno 1561. ab omnibus Proteſtantibus Principibus approbatum, & tandem etiam Francofurti Ferdinando in electione eius exhibitum eſſe. In prima quoque Apologia Tranſſubſtantionem approbari, ad eam igitur provocari non poſſe. Conari præterea eos Lutherum & omnia eius ſcripta canonizare. Quamvis autem Lutherus inſignis Eccleſiæ Doctor, & eximius donis à Deo ornatus fuerit, eundem tamen nomen, & proinde Humani nihil ab eo alienum fuiſſe, potuiſſe igitur labi: errare, neſcire ac decipi: Vnde panis tranſmutationem conceſſerit, adorationem eiuſdem, elevationem & circumgeſtationem approbarit; de matrimonio quædam perperam docuerit, & exorciſmum non abrogarit: &c. Quamobrem ſcripta eius cum judicio legenda, nedum pro canone ſeu norma & regula doctrinæ Chriſtianæ habenda, niſi velint ſocii Auguſtanæ Confeſſionis uni Luthero, ſicut Franciſcani ſuo Franciſco addicti eſſe, & in omnia eius verba & ſcripta jurare. Controverſias non ex Patrum teſtimoniis decidendas eſſe, multò minùs ex Luthero. Celſitudinem quoque ſuam dubitare, an ſtatus controverſiæ in Articulo de Cœna Domini & Perſona Chriſti in Libro Bergenſi fide bona ſit expreſſus & declaratus. Odioſam etiam Zuinglianorum condemnationem impedimento futuram, quo minus firma Concordia iniri poſſit: Pontifices Romanos in hos, qui tamen in omnibus ferè reliquis articulis cum proteſtantibus & Auguſtana Confeſſione idem ſentiant, & communi opera Papatum oppugnent, vehementer armari, maximo cum poſteritatis detrimento. Theologos Bergenſes dogma ſuum periculoſum de Vbiquitate Articulo de Cœna immiſcuiſſe. Per indirectum paradoxa Brentii his etiam canonizari & Eccleſiæ obtrudi. Dei eſſe pronuntiatum, Non addetis verbum *&c. Curſum denique Evangelii his valde impediri.*

Nerobergenſium Senatus & Theologorum reſponſio de libro Concordiæ Bergæ recognito

Reſponderũt Nerobergenſes *non ſolùm Landgravio, ſed etiam Electori Saxoniæ, eiuſque Theologis; Se bonam quidem intentionem in hoc toto Concordiæ negotio agnoſcere, nam controverſias & lites non neceſſarias omninò amputandas, atque Eccleſiæ tranquillitati & paci quocunque modo conſulendum eſſe. Verum multas & graves cauſas obſtare, propter quas ipſi hunc librum Bergenſem, ſalva conſcientia, approbare eique ſubſcribere nequeant. Nam* primò, *habebere ſe ſuam Confeſſionem pro norma controverſiarum, cui ſemel ſubſcripſerint, eam approbarint, & à qua recedere nolint.* Secundò, *cùm anno 1563. controverſia inter Theologos Noribergenſes exorta eſſet, determinationem & declarationem de Articulis controverſis factam eſſe. In Bergenſi autem libro longo aliter Articulos illos decidi & declarari: Eam ob cauſam ſe Formulam illam recipere & approbare non poſſe, niſi leviſſimè ab omnibus ſuis tranſactionibus, tanquam furioſi, recedere velint.* Tertiò, *novas & in ſuis Eccleſiis inauditas opiniones poni & confirmari de Libero arbitrio, de Lege & Evangelio; de uſu Legis, de Perſona Chriſti, cum noſtra norma & Auguſtana Confeſſione pugnantes: In quibuſdam etiam Articulis contraria fundamenta poni. In Articulo de Libero arbitrio ſtatum controverſiæ perverti: Multos Articulos, ſuæ normæ antea conſentientes, alio jam planè modo in Concordiæ formula declarari: Hominem in converſione inſtar trunci, lapidis & columnæ ſalis eſſe. In Articulo de Lege & Evangelio, Vocabulum* Evangelii *non generaliter pro tota doctrina Verbi Dei in definitione Philippica accipiendum, ſicut authores Formulæ Concordiæ contendunt, ſed ſpecialem eſſe definitionem. In Articulo de Cœna, quæ in Torgenſi Formula benè ſint determinata, in Bergenſi Concordia depravata eſſe. Ponere Bergenſes fundamenta contraria. Se conſtanter retinere Formulam Vuitebergenſis Concordiæ Anno 1536. facta, Francofurtenſem Receſſum Anni 1558. & Auguſtanam Confeſſionem Naumburgi Anno 1561. approbatam. Repudiare quoque maleferiatum & veteribus planè incognitum dogma Vbiquitatis, vel realis Idiomatum communicationis. Nam ſub initium renaſcentis lucis Evangelii Eccleſias reformatas in tribus his articulis, de Perſona Chriſti & perſonali Vnione duarum naturarum in eo, de Aſcenſione einſdem & Seſſione ad Dexteram Dei, à Romana Eccleſia nunquam diſſenſiſſe, & conſtanter in hunc uſque diem in ea doctrina permanſiſſe. Miniſterium namque de Trinitate quatuor œcumenicis Conciliis fortiter propugnatum, in Auguſtana Confeſſione pro vero & orthodoxo receptum & approbatum, ideoque ſemper etiam in omnibus Colloquiis cum Pontificiis exceptum fuiſſe hunc Articulum. Iſtos autem tres Articulos longè aliter in Formula Concordiæ Bergenſis declarari, quam in dictis Conciliis decretum ſit, & etiamnum hodie à Pontificiis doceatur. Hinc verò conſequi neceſſe eſſe, vel Conciliis novum intellectum affingi quod authoribus defendendum relinquant, vel fatendum, per priorum Conciliorum decreta hanc opinionem Formulæ Bergenſis refutari & reiici aut ſimul duas contradictorias doctrinas in eodem libro approbari.*

A Papiſtis accuſari Proteſtantes, eos ab Auguſtana Confeſſione defeciſſe: Iam probandum eſſe Proteſtantibus Vbiquiſtis, Papiſtis receſiſſe ab illa doctrina quam tempore exhibitæ Auguſtanæ Confeſſionis docuerunt: Cum autem hoc non poſſit demonſtrari, & Norbergenſes adhuc eandem doctrinam defendant, ſequi, non ſe, ſed Vbiquiſtas Bergenſes a vero ſenſu Auguſtanæ Confeſſionis receſſiſſe, ideoque ſe excu-

ſandos

ſandos, quòd non probare eorum dogmata poſſint.

Mirari quoque ſe vehementer, quod in hac ſua Concordiæ Formula Articulum de Aſcenſione Chriſti in Cœlum, tam varie ab ipſis in ſcriptis & Libris ſuis detortum, altiſſimo ſilentio præterierint.

Deterreri ſe etiam poſtulatione ſimplicis ſubſcriptionis, incerto proceſſu ante cauſæ cognitionem ſubſcribendi, nullius Synodi exemplo. Quales enim inde confuſiones exorituræ ſint, docere Epheſinum Concilium 2. eam ob cauſam etiam in ſequenti Chalcedonenſi Concilio multos ſubſcriptiones ſuas, non abſque levitatis & infamiæ notæ, revocaſſe, quod idem eventurum eſſet, ſi hic Liber generali Synodo examinandus & dijudicandus offerretur.

CAPVT XVI.

Acta Conventus indicti Francofurti ad Mœnum.

D*Vm hæc & alia, de corrigendo & in Synodo examinando Bergenſis Concordiæ Libro, inter Auguſtanæ Confeſſionis Principes ac Theologos ſic geruntur, auſpiciis Illuſtriſſimi Principis* Ioannis Caſimiri *Comitis Palatini Francofurum ad 26. Menſis Septembris diem Anni* 1577. *Conventus indicitur. Eo enim veniſſent Legati Sereniſſimæ Reginæ Angliæ: Internunciis & Deputatis Eccleſiarum Gallicarum, Polonicarum, Hungaricarum, Belgicarum & aliarum, unà cum Illuſtriſſimi Principis Ioannis Caſimiri Palatini Conſiliariis & Miniſtris, in*

Cauſæ Conventus Francofurtenſis.

primo congreſſu 27. diei Menſis huius Clariſſimus vir D. Vuenceſlaus Zulegerus *Illuſtriſſimi Principis* Ioannis Caſimiri *Conciliarius, copioſè expoſuit, quibus rationibus & cauſis permotus fuiſſet Dux* Caſimirus, *ut ad Sereniſſimam Angliæ Reginam, denique etiam ad Gallicas, Polonicas, Hungaricas, Bohemicas, Helveticas, Belgicaſque Eccleſias ante aliquot Menſes de habendo Conventu, in quo communis prædictarum Eccleſiarum omnium Confeſſio ederetur, ſcriberet: Nimirum, quod non ſine ingenti animi dolore intelligeret, hoſtes veritatis magno cum applauſu imperitæ multitudini paſſim dicere, & perſuadere, tot eſſe diverſas in prædictis Eccleſiis opiniones atque hæreſes, quot exſtarent earundem diverſæ atque inter ſe diſſentientes Confeſſiones, quâ calumniâ, non tantùm Cæſareæ Majeſtati, Principibuſque Romano Pontifici adhærentibus, verum etiam nonnullis Auguſtanæ Confeſſionis Principibus ac Statibus fucum facerent, atque propemodum iis etiam perſuaderent, dictas Eccleſias pro Orthodoxis non eſſe habendas. Hanc vero malevolorum calumniam utiliter retundi poſſe, ſi prædictæ Eccleſiæ omnes, e compluribus Confeſſionibus unam eandemque (variis tamen loquendi formulis) aſſerentibus, unam aliquam omnes nomine concipiendam atque edendam curarent, quæ malevolis, de Fidei unitate falſo gloriantibus, & prædictas Eccleſias Schiſmatum injuſte accuſantibus opponi poſſet.*

Hoc conſilium quum eo tempore probaſſet Sereniſſimæ Angliæ Reginæ Legatus, Illuſtris & Generoſus Dominus Philippus Sidneius, *ſeque illud apud Sereniſſimam Reginam promoturum polliceretur, è re Eccleſiarum Illuſtriſſimam Celſitudinem eius judicaſſe, ſi præfatarum Eccleſiarum Legati, ad hujus tam utilis negotii tractationem, hoc menſe Septembri Francofurtum venirent, quare etiam eaſdem, ut ſuos in hunc finem eò ablegare non gravarentur, obnixè rogaſſe.*

Intellexiſſe autem Illuſtriſſimis Celſitudinem eius poſt Menſes aliquot, pacis quoſdam hoſtes, & ambitioſos homines, novum quoddam Corpus Doctrinæ cudere, in quo contra mentem Auguſtanæ Confeſſionis, nihilominus tamen ſub ipſius titulo & velamine portentoſum Vbiquitatis dogma Eccleſiis per Germaniam obtruderent eiuſdem ſubſcriptionem provinciatim ac oppidatim emendicarent, & hoc unum agere, ut Eccleſiæ omnes huic Corpori doctrinæ ſubſcribere nolentes, Hæreſeos reæ, & à pace Religionis alienæ ac propterea intollerabiles declararentur: Et ad hujus rei tractationem Conventum Magdeburgi indictum fuiſſe.

Verum conſilio prædicto cum vicinis aliquot Principibus communicato, deprehendiſſe, uniformem Confeſſionis ſubſcriptionem multis de cauſis difficilem futuram, aut ſaltem longioris deliberationis atque moræ. Quare non tam, nunc quidem de illius conſcriptione, quam de remediis expeditis eſſe cogitandum, quibus illa tot florentiſſimarum Eccleſiarum inauditarum injuſta condemnatio præveniri ac impediri poſſet. Optaſſet vero Celſitudinem eius ex Helvetiis & Bohemia veniſſe aliquos: verum literis excuſaſſe ſe Bohemicas Eccleſias, ſeque ad omnia illa comprobanda & promovenda, quæ ad pacem & conſervationem Eccleſiarum neceſſaria futura judicarentur, fore paratiſſimas ſignificaſſe: & de Helveticarum Eccleſiarum promptiſſima voluntate Illuſtriſſimam Celſitudinem certam quoque eſſe. Supereſſe igitur, ut hic tam celebris Conventus, qui ſingulari Dei Providentia ex tam remotis & procul à ſe diſſitis Provinciis convenerit, de hiſce potiſſimum capitibus deliberet. Nimirum,

Capita ad deliberandum in hoc conventu propoſita

1. *Quomodo impendens omnium Eccleſiarum exterarum condemnatio, quam Vbiquitarii novi ſui Corporis doctrinæ ſubſcriptione quærerent, præveniri atque impediri poſſet?*

2. *An*

2. An expediat hoc tempore communem ac uniformem fidei Confeſſionem omnium Eccleſiarum nomine conſcribere: Et ſi expediat, quâ potiſſimum methodo conſcribi debeat?

3. Quibus hæc ſcribendi provincia demandanda ſit: & qua ratione hæc Confeſſio cum prædictis Eccleſiis communicari, & ab ijdem ſubſcribi & comprobari poſſit?

De primo capite: videlicet, de impedienda condemnatione exterarum Eccleſiarum.

HIs ita expoſitis ab Illuſtriſſimi Principis Palatini Legato, Gallicarum, deinde etiam Polonicarum & Hungaricarum Eccleſiarum Legati ac Internuncii, ſe hoc potiſſimum nomine accitos, & à ſuis Eccleſiis amandatos eſſe expoſuerunt, ut de communi Confeſſione fidei omniū Eccleſiarum nomine conſcribenda agerent: conſcripta ſi qua jam eſſet, eam legerent, atque ſi res ita ferret, comprobarent, vel exemplar ad ſuas Eccleſias referrent: Attamen cum præſentem ſtatum illud etiam requirere intelligant, ut de impedienda prædictarum Eccleſiarum jam impendente infauſta Condemnatione maturè atque ſedulò cogitaretur, ſe etiam non gravatè in medium allaturos, quod ad hanc rem facere poſſe exiſtimarent. Pomeridiano itaque tempore præmiſſis precibus, ordine inſtituta & habita fuit de primo capite deliberatio.

Reginæ Angliæ Legati conſilium.

Sereniſſimæ Reginæ Angliæ Legatus, Ampliſſimus atque clariſſimus vir, D. Daniel Rogerus cùm multis eruditè expoſuiſſet propenſiſſimum Sereniſſimæ Reginæ, Dominæ ſuæ Clementiſſimæ animum & indefeſſum ſtudium, quo pacem Eccleſiis procuraret, & iſtiuſmodi, Condemnationes impedire non intermitteret, quod multis Legationibus in hunc finem miſſis, hac poſtremâ Magnifici Roberti Beli in hunc præcipuè finem ablegatione palàm feciſſet, abundeque teſtata eſſet, ſubjunxit, commodum ſibi videri, ut hujus Cœtus nomine aliquis cum ſupplici admonitione ad illos Principes, unà cum dicto D. Belò amandaretur, quâ peteretur, ut ab Eccleſiarum inauditarum Condemnatione abſtinere velint tantiſper, donec auditæ, atque ex Verbo Dei erroris convictæ fuerint. Cumque in hanc ſententiam multa graviter prudenterque dixiſſent Clariſſimi viri D. Hieronymus Zanchius, Hubertus Languetus, & Eccleſiarum præfatarum Legati ordine, unà cum Illuſtriſſimi Principis Ioan. Caſimiri Conſiliariis atque Theologis, cumque ſecundò ſingulorum ſententiæ Sereniſſimæ Reginæ Angliæ Legatum, qui actionem (omnibus qui interfuerunt hoc ipſi deferentibus, & obnixe rogantibus) moderatus eſt, rogatæ, auditæ atque conſignatæ fuiſſent, tandem hæc ad primi capitis deciſionem fuerunt ſtatuta atque decreta.

Decreta Conventus Francofurtenſis.

1. Expedire, imo neceſſarium eſſe, ut Sereniſſimæ Reginæ Angliæ Legato ad Electores, Palatinum, Saxonem, Brandeburgenſem, aliosque Principes ituro, unus etiam Legatus hujus Conventus & Eccleſiarum, a quibus ſinguli ablegati ſunt nomine adjungeretur, qui idem quod Anglicus Legatus apud eoſdem Principes poſtulaturus eſſet, etiam humiliter peteret atque ſedulò procuraret.

2. Concipiendam eſſe brevem, ſupplicem & nervoſam ad Principes Admonitionem, quâ oſtendatur, primò, quam ſit iniquum tot florentiſſimorum Regnorum & ampliſſimarum Provinciarum, pias Eccleſias inauditas damnari, atque hac ratione ab inſtituto Principis, ſi fieri poteſt, dimoveantur. Secundo, petatur etiam libera Synodus, in qua controverſi Articuli diſceptari, atque ex verbo Dei decidi poſſint.

3. D. Hubertum Languetum hunc Libellum, pro ſingulari, quâ præditus eſt prudentia, conſcripturum.

4. Legatum verò, qui hujus cœtus nomine Principes aditurus ſit, fore Clariſſimum virum, D. Paulum Knibbium Iuris utriuſque Doctorem, quod officium ut in ſe recipiat, Magnificus vir D. Iunius effecturus eſt.

5. Legatum hunc inſtruendum eſſe, Primò, Literis Credentialibus ad ſingulos Principes: Secundò, prædicta ſupplici Admonitione, quæ à ſingularum Eccleſiarum Internunciis, deinde à Regis Navarræ ac Principis Condeani Legatus, poſtremò à Sereniſſimæ Reginæ Angliæ Legato ſubſcribentur.

6. Rogabitur hujus Conventus & Eccleſiarum nomine Magnificus vir D. Robertus Belus, ut prædictum Eccleſiarum Legatum in ſuum comitatum recipiat, aditum ipſi apud Principes conciliet, quò benignè ab illis audiri poſſit, & Reſponſum, quod à ſingulis eſt accepturus, prædictus Eccleſiarum Legatus, ad Illuſtriſſimum Principem Caſimirum prædictus Belus perſcribat, quò illud aliarum Provinciarum Eccleſiis communicari poſſit.

7. Vtile eſſe, ut prædictæ Admonitionis exemplar Illuſtriſſimo Principi Landgravio & Anhaldino mittatur, cum ſubmiſſa petitione, ut ipſi non tantum in iniquam hanc inauditarum Eccleſiarum Condemnationem non conſentiant, ſed alios etiam ab ea dehortentur.

De ſecundo capite, nimirum, de communis Confeſſionis Conſcriptione.

Decreta de ſecundo capite.

POſt maturam 27. & 28. Septembris ſuper hac re habitam deliberationem, & diligentem omnium argumentorum ac rationum, ultrò citroque adductarum, ponderationem atque conſiderationem, hæc quæ ſequuntur, fuerunt

deciſa

deciſa atque decreta.

1. *Expedire, imo multis nominibus neceſſarium eſſe, ut conſcribatur uniformis omnium Eccleſiarum prædictarum dilucida, plena & ſolida Confeſſio, quæ perſpicuam etiam & brevem omnium hæreſeon noſtri temporis confutationem contineat.*

2. *Vt hæc eo modo, qui infra dicetur, ab omnibus Eccleſiis prædictis examinetur, ac tum demum collatis judiciis Subſcriptione omnium approbata, velut commune Symbolum omnibus veritatis hoſtibus opponatur, & ad poſteritatem tranſmittatur.*

3. *Et quanquam Methodus & ordo hujus Confeſſionis in libertate eorum relinquatur, qui ad eam deſcriptionem à Sereniſſima* Regina Angliæ, *& Illuſtriſſimo Principe* Ioan. Caſimiro *diligentur: attamen neceſſario putat hic Conventus exordium hujus Confeſſionis, ab enumeratione librorum veteris & novi Teſtamenti, qui ſummo ſemper conſenſu Canonici habiti ſunt, faciendum eſſe.*

4. *Stylum autem ita temperandum, ut quantum ſalva veritate fieri poteſt, ad reconciliationem & concordiam excitentur illi potius, qui Confeſſionem Auguſtanam pure profitentur, quam ut irritentur, & a noſtris Eccleſiis magis avellantur.*

De tertio Capite, quibus videlicet Confeſſionis hujus conſcriptio vel exaratio potiſſimùm demandari poſſit.

Decreta Conventus hujus de hoc tertio capite.

Poſt diligentem hujus capitis conſiderationem viſum eſt omnibus atque placuit.

1. *Vt Illuſtriſſimus Princeps* Dux Caſimirus *totius Conventus nomine humiliter rogetur, ne gravetur Sereniſſimæ Reginæ Angliæ, velut primariæ Eccleſiarum nutrici atque fautrici, & quæ primum inter Principes, puriorem religionem profitentes, locum obtinet, ſcribere, & ab eius Majeſtate petere, ut ad hujus Confeſſionis conſcriptionem, Theologum unum in Germaniam mittere dignetur, qui una cùm aliis, huic tam neceſſario operi incumbat.*

2. *Vt ampliſſimus vir* D. Rogerius *ſuis ad Sereniſſimam Reginam Angliæ literis idem ſubmiſſè cœtus nomine petat atque ſuadeat.*

3. *Interea vero quo tempus redimi, hoſtiumque conatibus obviam iri poſſit, utile viſum eſt Conventui, ut Clariſſimus vir* D. Zacharias Vrſinus *S. Theologiæ Doctor, cui Eccleſiæ in hac languida mundi ſenecta, vulnera & remedia ad eorundem curam neceſſario, notiſſima ſunt, perlectaque diligenter & cognita omnes omnium Eccleſiarum Confeſſiones, per Illuſtriſſimum Principem* Ioannem Caſimirum *totius huius Conventus & Eccleſiarum, à quibus Legati amandati ſunt, nomine rogetur, ut hujus Confeſſionis exarationem & delineationem in ſe recipere non gravetur. Cui, ſi ſuſcipiat, doctiſſ. vir* D. Hieronymus Zanchius, *ſi hoc ab eo petatur, ſuam operam ultro pollicetur atque defert.*

4. *Quamprimum vero hujus pars aliqua conſcripta fuerit, illa ad ornatiſſimos & præſtantiſſimos viros ac Dominos* D. Rodolphum Gualtherum *Eccleſiæ Tigurinæ Paſtorem, &* Theodorum Bezam *Genevenſis Eccleſiæ Miniſtrum, ſtatim tranſmittatur, ut illi perpoliant, atq; velut ultimam manum addant. Tandemq; tota atque integrâ Confeſſione conſcripta, tradi itemque tam Theologo Anglicano, ſiquidem à Regina miſſus fuerit, quam præfatorum revocata, abſque titulo, præfatione aut nomine cujuſquam typis excudatur, ad ſublevandum deſcriptionis laborem, ita ut centum tantum fiant & non plura exemplaria, quot ad ſingulorum Regnorum & Provinciarum Eccleſias mittentur, ut in Synodo aliiſve Conventibus legantur, examinentur, & ſi neceſſitas poſtulantur, corrigantur.*

5. *Hujus Confeſſionis privatam iſtam editionem, de qua jam dictum eſt, eiuſdemque in alia Regna & Provincias miſſionem vel diſtributionem, & eorum omnium, quæ præterea ad hanc rem neceſſaria erunt, procurationem, Conſiliarii Ducis Caſimiri in ſe non gravatè receperunt. Qui etiam rogati ſunt à toto Cœtu, ut præter Scotos, atque paſſim toto orbe Chriſtianas Eccleſias, qui apertè doctrinam eandem nobiſcum profitentur, non dubitent etiam invitare cæteras Eccleſias & Principes, qui ab ea non procul abſunt, aut quos ſpes ſit in eundem nobiſcum conſenſum pellici poſſe, ad eoſque exemplaria hujus Confeſſionis in tempore mittere, quo de ea conſilium capere, legatoſque etiam ſuos una cum cæteris, ſi videbitur, amandare poſſint. Inprimis autem Bernam, Baſileam Scaphuſium, Montbelligardum, Embdam, Bremam, Duisburgum, Veſaliam: ad Principes item Landgravium, Anhaldinum: Comites Naſſovium, Nevenarium, &c.*

6. *Vt autem Eccleſiarum omnium de hac Confeſſione Cenſuræ & judicia examinentur, tandemque Confeſſio ſubſcriptione omnium comprobetur, additaque Præfatione, qualem temporis circumſtantiæ requirant, evulgetur, ac toti mundo publicetur, venient omnium Provinciarum Legati Francofurtum ad Mœnum, ad 15. Auguſt. Anni 1578. inſtructi procuratoriis literis, quibus ipſis abſoluta poteſtas ſiat, non tantum ad ſubſcribendum prædictæ Confeſſioni, verum etiam ad deliberandum & faciendum ea omnia, quæ tam celebris Conventus ad prædictarum Eccleſiarum utilitatem, ædificationem & & conſervationem, atque imprimis ad gloriæ Dei propagationem utilia & neceſſaria judicabit,*

7. *Literis, quas Eccleſiarum Legati attulerunt,*

N *totius*

totius Conventus nomine reſpondebunt Daniel Toſſanus & Petrus Dathenus, qui ſimiliter in Scotiam, in Bohemiam, in Belgium, in Helvetiam & Genevam ſcribent, & quid Conventus hic ab ipſis in hoc communi Eccleſiæ periculo fieri cupiat, ſignificabunt.

8. Legati Eccleſiarum ad ſuos reverſi, inſtabunt, ut quibus fieri poterit modis impendens Condemnatio præveniatur atque impediatur: utque accepta Confeſſione, Eccleſiæ illæ legant, atque examinent, ſuoſque Legatos ad indictum diem & locum certò emendent, niſi ex literis Illuſtriſſimi Principis Ioannis Caſimiri gravibus de cauſis in hoc conſilio aliquid mutatum eſſe intellexerint.

Hæc ſunt Acta Synodi Francofurtenſis 27. & 28. Septemb. Anni 1577. habiti, quæ in ſempiternam rei memoriam Hiſtoriæ noſtræ inſerere volui, ut inde pia poſteritas intelligat, longè alium de his rebus agendi modum in hoc tot Regnorum & Provinciarum Conventu, quam vel in Torgenſi, vel Bergenſi, vel aliis Vbiquiſtarum Conciliabulis propoſitum ac obſervatum fuiſſe, indeque judicet, quinam æquiores & moderatiores fuerint.

Tigurinæ Eccleſiæ judicium de Confeſſione Francofurtenſis Conventus.

Cùm hæc Confeſſio conſcripta eſſet, miſſa quoque eſt Tigurum, & eius Eccleſiæ judicium poſtulatum. Reſponderunt Tigurinæ Eccleſiæ miniſtri 24. Iunii Anno 1579. vereri ſe, vix omnibus Eccleſiis hanc Confeſſionem probari poſſe, niſi in quibuſdam locis quædam detrahantur, adjiciantur, mutentur, aut ſaltem clariùs explicentur: ne qui hactenus ſuam de omnibus Chriſtianæ fidei Articulis ſententiam perſpicuè & ſimpliciter expoſuerunt, nunc obſcuriùs loqui & adverſariis aliquid dediſſe videantur, quorum contumaciam nulla moderatione expugnari poſſe exempla quotidiana doceant. Quia verò, ſi ſibiipſis tantum tribuerent, ut pro ſuo modulo annotarent ea, quæ ſibi aliter & commodius explicari poſſe videantur, non poſſe ſe ſcire, num aliorum judicia cum ſuo congruerent, & fortaſſis iſta, niſi habita inter præſentes collatione accurata ac diligenti, non poſſint ſatis commode decidi quid in tota hac cauſa fieri debeat ſe ferè neſcire. Nam ut Synodus tot nationum cogatur hoc tempore, vix poſſibile eſſe: & licet ad eam Eccleſiarum deputati convenirent, & iidem inter ſe probè conſentirent, num quæ ipſi ſtatuant, domi omnibus placitura ſint, incertum eſſe quandoquidem cauſa hæc non ad ſolos Eccleſiarum Miniſtros, verùm etiam ad Magiſtratus pertineat, qui, quæ ad religionem ſpectant, omnia perſpicuè & ſimpliciter tradi velint, neque faciles ſint admiſſuri aliquid, quod vel in ſpeciem à recepta inter ſuos conſuetudine diſcrepare videatur. Timere ſe præterea, ne edita nova Confeſſione, optatam calumniandi occaſionem adverſariis præbeant, qui ipſos fidem ſuam & eius Confeſſionem quotannis mutare, nec quicquam certi habere, ſed & novas quotidie ad ipſos tranſeundi vias quærere, vel potius hoc agere dicturi ſint, ut ipſorum Principibus fucum faciant. Tutiſſimum ergo futurum, ſi qua alia ratione ſuum in doctrina fidei conſenſum toti mundo declarare poſſent, ut novâ Confeſſione non eſſet opus. Editam eſſe Anno 1566. authore & ſuaſore Illuſtriſſimæ & laudatiſſimæ memoriæ Principe Friderico Electore Palatino Eccleſiarum Helveticarum Confeſſionem, cui Genevenſes, Neocomenſes, Rhæti, Galli & Scoti ſubſcripſerint: Polonos quoque eandem, in ſuam linguam tranſlatam, Regi ſuo obtuliſſe, & Hungaricas Eccleſias ſimiliter illam approbaſſe, ſeque eam amplecti publico ſcripto ad Regem Tranſſylvaniæ teſtatas eſſe: Edidiſſe ſuam jam antea Gallos, Anglos item ſuam Concilio Tridentino oppoſitam: Extare præterea Belgarum & Bohemorum fratrum Confeſſione: poſſe has omnes certis capitibus diſtributas, ne verbo quidem ullo mutato, in Harmoniam redigi, adjecta duntaxat ſingulis capitibus brevi explicatione, quâ ſummus inter has omnes conſenſus indicaretur, & quæ diſſenſionis ſpeciem, quæ interdum propter locutiones diverſas occurrit, removeret: Hunc librum communi iſtarum Eccleſiarum nomine editum, & Principum atque Magiſtratuum calculo approbatum, luculentiſſimarum nationum Eccleſias, teſtimonium firmum item ac perpetuum illius conſervandæ vinculum: Poſſe etiam Apologeticam ad Auguſtanæ Confeſſionis Principes atque Eccleſias Præfationem præfigi, qua ſeipſos à Concordia cum illis facienda non abhorrere teſtarentur, ſi ſuam illam ſano ſenſu exponi patiantur: Intellexiſſe ſe idem planè Genevenſis Eccleſiæ Miniſtrorum de hac re judicium eſſe, & in hac Harmonia concinnanda operam ſuam non negaturum D. Bezam, &c.

CAPVT XVII.

De Legatione à Sereniſſima Angliæ Regina & celebri Francofurtenſi Conventu miſſa ad Electores, alioſque Principes Proteſtantes, ad impediendas Condemnationes exterarum Eccleſiarum, in Concordiæ Libro factas.

QVamvis ea, quæ piè graviterque in Francofurtenſi Conventu, de communi Confeſſione edenda, Gallicarum, Anglicarum, Hungaricarum, Polonicarum, Bohemicarum, Helveticarum, Belgicarum & aliarum Eccleſiarum nomine, deliberata ac decreta ſunt, poſtea gravibus de cauſis ſuſpenſa fuerunt tamen finito hoc Conventu Sereniſſimæ Angliæ Reginæ

Legatus Magnificus Robertus Belus *ad Electores, alioſque Auguſtanæ Confeſſionis Principes, ad impediendas condemnationes exterarum Eccleſiarum, in Bergenſi Libro à Sex Theologis promulgatas, profectus eſt, eique ob eandem cauſam adjunctus fuit à Francofurtenſi Conventu* Paulus Knibbius, *qui etiam, quæ in mandatis habuerunt, diligenter, ſummaque fide apud Celſitudines eorum expedierunt, ut ex ſequentibus intelligetur.*

Oratio Legati Anglici ad Electores ac Principes Auguſtanæ Confeſſionis.

ILluſtriſſimi Principes, cùm Sereniſſima Angliæ Regina.&c. pro ratione officii ſibi à Deo Optimo Maximo commiſſi, (pro quo & ipſam, & cæteros omnes Principes in tremendo ipſius judicio reſpondere oportet) ſuper omnia ſolicita ſit de defenſione & propagatione Eccleſiæ Dei, cujus omnes Principes conſtituti ſunt nutritii; Intelligens in Regno Sacro Germanicæ nationis de nova quadam Religionis formula conſcribenda, & Conventu celebrando deliberari, in quibus ſub plauſibili prætextu defenſionis Auguſtanæ Confeſſionis Majeſtas ſua putat fieri poſſe, ut cæteræ Eccleſiæ condemnentur, quæ in pluribus Chriſtianæ Religionis articulis adverſus communem hoſtem Pontificem Romanum cum Eccleſiis Germanicis conſentiunt & in unico tantùm diſſentiunt, qui reſpectu incommodorum impendentium ab eodem communi hoſte, non magni momenti eſt: Quia tempore valdè importuno hæc fiunt, rebus Gallicis & Belgicis in eo ſtatu, in quo nunc ſunt, exiſtentibus: Germania etiam undique hoſtibus circumcinctâ, Guiſio Duce neſcio quid non ita dudum in Lotharingia moliente: Ioanne Auſtriaco in Belgio cauſam Religionis, & libertatem Provinciarum oppugnante: Poloniæ Rege Gidanum obſidente, per quod ab altero latere Turcæ hæreditario nominis Germanici hoſti in Imperium, & mare Balthicum introitus poterit patere: Pontificiis in omnes occaſiones intentis: Ita ut non minima pericula expectanda ſint in univerſis Sacri Imperii Ordinibus, ſi ejuſmodi ſubtilibus communium adverſariorum artibus disjungi, & inter ſe committi Principes Proteſtantes poterint, ubi potius conjungi eos ab aliquo pio fœdere oporteret Sereniſſima Majeſtas ſua, & officii ſui erga Deum ejuſque Eccleſiam cauſa, & propter amorem ac benevolentiam, qua Celſitudines Veſtras complectitur, conſultum duxit, Me ad Celſitudines Veſtras mittere, ut amanter commonefierent, de periculis, quæ tales Cenſuras & Conventus ſubſequi neceſſe eſt: ut etiam intercederem apud eaſdem Celſitudines Veſtras ut (ad requiſitionem Sereniſſimæ Majeſtatis ſuæ) Celſitudinum veſtrarum opera (à quibus omnem benevolentiam & amicitiam expectabat) efficiatur, ne talis aliqua Cenſura & Conventus fiant, per quos non tantum paucis in Germania Eccleſiis, ſed omnibus quæ ſunt in Regno Galliæ, Angliæ, Hiberniæ, Scotiæ, Poloniæ Hungariæ, Helvetiæ & aliis multis locis præjudicium fiat, quæ a dicta formula diverſum ſentiunt. Non dubitat Sereniſſima Majeſtas Regia, quin hæc proveniant a commune inimico Pontifice Romano, ut inter ſe Principes & Status Religionem reformatam profitentes, hac ratione disjungantur & viribus & animis, quo enervata ipſorum potentia, poſtea facilius omnes prædæ eſſe poſſint: Cùm interim Principes, qui ab eo dependent, jungantur fœdere, & relictis antiquis jurium querelis, quas in alterutrius Provincias ſolebant prætendere, & propter quas Majores ipſorum gravia magnaq; bella geſſerunt, in hoc tantum intenti ſunt, ut noſtræ Religiones profeſſores opprimant. Hinc mutuæ vires, uti dicitur, in Belgii Status conjunctæ, & Induciæ quinque annorum, quas conſtat Hiſpanorum Regem cum Turca jam dudum moliri, relicto penitus multo Golletiæ & Regni Tunetani dedecore, nec non Feſſiana in iſtis faucibus Hiſpanię per Turcicum vaſallum invaſione: quæ omnia oſtendunt, univerſas vires Pontificiorum in has partes eſſe convertendas. Quod ſi nunc Illuſtriſſimi Imperii Principes & Status, & inter ſe invicē & cum aliis eandem religionem reformatam profitētibus, per tales Cenſuras & Condemnationes disjungentur, occaſioneſque omiſerint, nulloq; pio fœdere inter ſe fuerint juncti, fieri poteſt, ut ſingulatim poſthæc non ſint futuri pares reſiſtendo tantis Pontificiorū viribus. In ſacro Romano Imperio fieri non poteſt, quin per tales Condemnationes magnæ fiant & virium & animorum diſtractiones: foris etiam conſtabitur invidia, cum tot Regna & Provincię inauditę, immerētes, abſq; cauſa & illegitimo ſunt condēnandæ & perſtringendæ. Quod factum Sereniſſima Majeſtas ſua valdè alienū putat ab illo ſtudio charitatis, tranquillitatis & unionis, quam à Theologis præſertim inter Eccleſias Chriſti foveri oporteret: Et putat Majeſtas ſua pacem & ſalutem Imperii (quæ ſuprema lex eſſe deberet) eo modo conſervari non poſſe cùm Cenſuræ & Condemnationes iſtæ occaſionem daturæ ſint diſſenſionum, atque fortaſſis (quod tamen Deus avertat) hoſtilitatis inter membra Imperii, eorumque vicinos

ita ut ubique Chriſtiani nominis vires ſint labefactandæ. Petit igitur Sereniſſima Majeſtas Regia, ab Illuſtriſſimis Celſitud. veſtris, ut perpenſa periculi magnitudine; omnibus modis conentur pacem & unionem inter Sacri Romani Imperii membra nunc conjuncta conſervare, & eam cum Regnis & Provinciis religionem reformatam profitentibus, benevolentiam & amicitiam continuate & colere, ſicut hactenus facere conſueverunt: & non permittere Celſitudines Veſtras pertrahi ad approbationẽ vel receptionem alicujus formulæ decreti, vel alterius alicujus actionis, quę in contrarium conſcribi poſſit. Proferri poſſent ex ſuperiorum temporum memoria, atque recenti, exempla, quibus oſtenderetur, quæ mala ſequuta fuerint ex eiuſmodi diviſionibus & diſtractionibus in Imperio Germanico: quæ orta ſint ex eiuſmodi cauſis & perſonis Eccleſiaſticis. Produci etiam exempla poſſent non obſervatæ fidei & inanium promiſſorum, quibus multi Principes (tanquam cauſæ non eorum agerentur) decepti ſunt, donec occaſionibus oblatis tum demum, ſed nimis ſerò, apparuerit, quæ fuerint communium hoſtium intentiones. Quæ non dubitat Sereniſſima Majeſtas ſua Celſitudines Veſtras memoria tenere, ut longiore commemoratione uti non ſit neceſſe. Amanter itaque rogat Celſitudines V. Sereniſſima Regia Majeſtas, ut conſiderent, multa tentari poſſe ab hominibus pietatis magis quam charitatis amantibus, qui nonnunquam (uti Evangelica ſcriptura teſtatur de diſcipulis Ioannis Baptiſtæ, conjungentibus ſe cum Phariſæis) relictis communibus adverſariis, quos oppugnare debebant, cum iiſdem vires ſuas conjungunt adverſus Chriſti Diſcipulos, ruinam Eccleſiæ & ſubmerſionem multarum Rerumpublicarum. Sic igitur exiſtimat Sereniſſima Majeſtas Regia, id nunc intendi & agi (prout multa indicia indubitata fidem faciũt) ſubornatione & artibus Pontificiorum communium adverſariorum, uti primò per eiuſmodi formam & cenſuram condemnentur nonnulli Status Imperii. Deinde in Comitiis futuris ad ſollicitationem Pontificiorum, iidem à pace Imperii ſecludantur & proſcribantur, id quod eos, qui prius eoſdem condemnarunt, neceſſariò approbare oporteat. Quâ ratione in Imperio & natione Germanica (cujus virtus ſi conjuncta fuerit, invicta eſt) novæ excitabuntur turbæ, debilitabuntur vires Proteſtantium, deridebunt Pontificii inconſideratas noſtras actiones, ac poſtea inſultabunt & ipſis, per quos effectum eſt, ut hæ diviſiones & diſtractiones factæ ſunt, cùm conſtet eos, qui Lutheri ſequaces videri volunt æquè ac noſtros Pontificiis inviſos eſſe, imò magis, cum principium omnium harum turbarum (ipſorum quidem opinione) à Luthero proceſſerit, & nemo Luthero vehementius Papatum, eiuſque membra oppugnarit. Sed præter priora mala, quæ Sereniſſima Majeſtas ſua in Germania (de cujus ſalute valdè eſt ſolicita) eventura putat, eſt & aliud gravius malum ex hac Formula ſubſecuturum, quod longius ſe extendet, & ſicut credimus in Symbolo, Eccleſiam Chriſti eſſe univerſalem, ita univerſaliter omnes Eccleſias perſtringet, quæ diverſum à nova hac Formula ſentiunt: hoc eſt, Eccleſiæ omnes Anglicæ, Hibernicæ, Gallicæ, Scoticæ, Polonicæ, Helveticæ inauditæ, & immerentes, & abſque ulla legitima cauſæ cognitione condemnabuntur: quod eſt diſſolvere unitatem Eccleſiæ, offendere & ſcandalizare Eccleſiam Chriſti, atque temerarium judicium facere de Eccleſiis non auditis. A qua re non dubitat Sereniſſima Majeſtas Regia, Celſitudines V. valdè abhorrere, utcunque Theologis privatis moti affectibus rem tam periculoſam tentare audeant, quos cavere oportebat, ne tantorum malorum authores, & culpæ & pœnæ offenſionis membrorum Chriſti futuri ſint participes. De re controverſa (quæ ſi benè intelligeretur, non magni momenti res eſt) non vult Sereniſſ. Majeſtas Regia in præſentia me quicquam dicere. Rem enim in medio relinquit, reſpectu multorum malorum impendentium à communi adverſario non judicet dignam, quæ tantas diſtractiones inter veros Chriſtianos operetur: Sed cum Spiritus Sanctus, ut Apoſtolus docet in 1. ad Cor. 12. diverſo modo pro menſura, & prout vult, dogma fidei, cognitionis, Propheticæ interpretationis, Linguarum & Scripturarum diſcretionis membris Eccleſiæ ſuæ diſtribuat, neque in ullo homine donorum ſuorum complementum & plenitudinem eſſe voluerit, quæ in ſolo Chriſto capite eſt; Sicuti Eccleſiæ noſtræ non arrogant ſibi jus ſupra alias Eccleſias, vel condemnandi, vel cenſurandi ut ita loquar. ſed communionem (uti in Symbolo docemur) conſervare cupiunt, imò præclarè & fraternè de Eccleſiis Germanicis ſentiunt: ita valdè duriter actum iri nobiſcum & cum aliis, Sereniſſima Majeſtas Regia putat, ſi noſtræ Eccleſiæ ita imperioſè à quibuſdam Eccleſiis condemnentur, quaſi, ut idem Apoſtolus dixit, cognitio ſola ad unius gentis Theologos pervenerit, vel ab ipſis proficiſci oportuerit, & idem Spiritus Sanctus poteſtatem non habeat eadem & conſimilia

ſimilia dona majora etiam ſi vellet, aliis Eccleſiis impertiendi. Quem faſtum & contemptum communium membrorum reprehendit Apoſtolus in nonnullis Corinthiorum, & nunc non approbandum Sereniſſ. Majeſtas Regia cenſet: ſperat autem Illuſtr. Celſitudines V. honorificentius de perſona ſua, & de Eccleſiis Regni ſui, aliarumque Provinciarum ſentire, quam ut id acturæ ſint, vel permiſſuræ agi, per quod Religio Majeſtatis ſuæ, Regni ſui, atque aliorum Regnorum & Provinciarum ſit ſubijcienda cenſuræ, judicio & condemnationi paucorum. Nam ſi conniventiâ Celſitudinum V. hoc nunc permittatur, peſſimum introducetur in Eccleſiam Dei exemplum, ut in omni controverſia, quæ etiam de re leviſſima oriri poterit, crebræ ſint futuræ per eiuſmodi cenſuras, diſtractiones Eccleſiarum & Rerumpub. Quod quàm ſit contrarium Chriſtianæ charitati (quæ multa ferre debet) Celſit. veſtræ facilè percipere poterunt. Non in hac una re ſiſtet ſe Theologorum ambitio, ſi Principes in præſentiarum, id quod ipſi quærunt, fieri permiſerint, majora molientur & audebunt, quæ ſine dubio tendent ad ruinam Eccleſiæ & Reipub. ac novum Papatum & Primatum conſcientiarum & bonorum Principum conſtituendum, à quibus vix & difficulter, & non ſine aliquo ſuo malo ſe deinceps extricare poterunt. Exempla proferri poſſunt, eaque non longè remota: Nam in hac controverſia Sacramentaria præter rationes & argumenta Lutheri, alii voluerunt introducere novam quandam ἀρτολατρείαν: ab aliis progreſſum eſt ad dogma de Vbiquitate, & omnipræſentia carnis Chriſti, Eccleſiis hactenus inauditum: alii quæſtiones contentioſas & inutiles moverunt de Adiaphoris, de Libero Arbitrio, de Prædeſtinatione, Bonis operibus & Peccato originali, quibus valdè turbatæ ſunt Eccleſiæ, atque etiam num turbarentur, niſi Principum authoritas reſtitiſſet: Ita ut ſi ad libitum ipſorum Principes permiſſuri ſint, ſe nunc ad hujus novæ Formulę approbationem aliorumque condemnationem pertrahi, veriſimile ſit, futurum progreſſum de noviſſimis dogmatibus, ad nova dogmata cudenda pro voluntate paucorum ad ruinam & confuſionem Eccleſiarum & Rerumpub. quæ talia fieri permiſerint. Mirum etiam Sereniſſ. Majeſtati Regiæ, aliam nunc Religionis Formulam cudi, & non ſufficere priorem jam & longo tempore receptam multorum Electorum & Principum defunctorum & viventium ſubſcriptionibus & authoritate comprobatam: Qua ratione omnes præteritæ actiones in Conventibus Imperii & Eccleſiis inde promanantes & dependentes, reddentur ſuſpectæ & invalidæ. Quod qualem confuſionem ſit pariturum in Repub. & Eccleſia, quando hac ratione, exiſtimatio & honor tot Illuſtriſſ. Principum viventium & mortuorum ſit nouâ hæc Formulâ perſtringenda, Sereniſſ. Majeſtas ſua petiit, ut Celſitud. veſtræ attentè accurateque conſiderent. Cumque ſæpius Ampliſſimis legationibus miſſis Illuſtriſſ. Germaniæ Principes Statum Eccleſiarum Gallicarum, quæ in hæc Formula condemnabuntur, Regibus Galliæ magna ſolicitudine condemnarint, quidnunc exiſtimabunt adverſarii de hac nova mutatione, quam Celſitud. veſtris Theologi perſuadere conantur. Annon indignum erit Illuſtriſſimos & hactenus conſtantiſſimos Germanię Principes eos nunc condemnare quos prius commendarunt omnique favore dignos judicarũt? Quis hic erit adverſariorum triumphus? quod de actione hac judicium? Nonne occaſio præbebitur iis, Eccleſias illas gladio & flammâ perſequendi, quibus ſubjugatis poſtea aliis non ſint parcituri. Nonne jam dudum hoc conati ſunt Pontificii ad diſjungendas Eccleſias exteras à Germanicis ſub prætextu Auguſtanæ Confeſſionis? id quod ſapientiſſ. Principes hactenus viderunt eo tendere, ut hac fallaci & ſubtili ratione una parte ſublata impeteretur altera? Ideoque quamvis multa antehac ſubdolè à Pontificiis pro more ſuo ad hoc efficiendum tentata ſunt, ad deliniendos & aucupandos nonnullos Auguſtanæ Confeſſ. Principes, non permiſerunt tamen ſe eo pertrahi. Cum enim Anno 1557. in Wormacienſi: Anno 1561. Numburgi in Conventu Principum: & Anno 1566. in Comitiis Imperii idem tentaretur Auguſtæ laudabili virtute & modeſtia Illuſtriſſ. Principum & doctiſſimorum Theologorum effectum eſt, ut nihil tale fieret: & nunc ſperat Sereniſſ. Majeſtas Regia, Celſit. veſtras idem effecturas. Non ſunt enim recipiendi & approbandi inter tantos tamque Chriſtianos Principes tales procedendi modi, hactenus in Germania, atque adeò in Pontific. Rom. eiuſque aſſeclis improbati, ut qui ſint Partes, ſint etiam Iudices, altera parte legitimè non audita, niſi rectè & ambitioſè novus Primatus & Papatus a Theologis quęratur, quod metuendum eſt. Vnde Sereniſſ. Majeſtas ſua non poterit ſatis mirari, ſi quicquam tale nunc fiet ante hac in Eccleſia Chriſti, & Germania non auditum, tot regna & Eccleſias inauditas condemnari: fabricari privatim nova dogmata: condemnari recepta in multis Eccleſiis: cum ipſa æquitas naturalis flagitet, convocari eas prius debere & audiri: & regula Iuris requirat, *Id quod omnes tangit, ab omnibus tractari debere.* Itaque

ſi omninò tale aliquid faciendum erit, putat Sereniſſ. Majeſtas Regia æquum eſſe, convenienti aliquo tempore Synodum vel Conventum indici, ad quem convocentur omnes, qui Religionem profitentur reformatam ad quem credo Sereniſſimam Majeſtatem ſuam non dedignaturam viros authoritate & doctrina præditos mittere, per quos non dubito Illuſtriſſ. Celſitud. Veſtris ſic ſatisfactum iri, ut melius ſint de noſtris Eccleſiis judicaturæ, neque ad tales Cenſuras & Condemnationes proceſſuræ. Iterum etiam Sereniſſima Majeſtas Regia exiſtimat, valdè neceſſe eſſe, ut abſtineatur à talibus Condemnationibus, quales fama eſt dictam Formulam continere, & ut authoritate Principum inhibeantur invectivæ utrinque, donec Chriſtianè de re controverſa agi & conveniri poterit. Quod ſi Illuſtriſſ. Celſitud. V. videatur fortè hoc Theologorum factum particulare eſſe, ſolius Germaniæ, cujus Inſtitutiones duas tantùm permittant Religiones: longè aliter judicat Sereniſſ. Majeſtas ſua. Nam cùm credamus Eccleſiam Chriſti univerſalem eſſe, & negotia eandem concernentia univerſalia, & non particularia eſſe oportet, & propter communionem, quæ inter membra Eccleſiæ eſſe debet, non poteſt aliquod judicium offerri Eccleſiis in Germania, quin idem etiam ad nos ſpectet & pertineat. Poſtremò, cum Sereniſſ. Majeſtas Regia nuper Celſitud. Saxoniæ Electoris interpellandem curaverit per famulum ſuum Danielem Rogerium de fœdere defenſivo contra communem hoſtem ineundo, voluit etiam Majeſtas ſua, ut ego idem repeterem amanter rogans Celſitud. V. ut conſideratis periculis imminentibus Eccleſiæ Dei, ipſique potiſſimùm Germaniæ, talem curam & ſollicitudinem ipſius habeat, qualem tantum Principem habere deceat. Neque dubitat, quin, ſi id Celſitud. V. primario Imperii Electori placuerit, facilius interceſſione & authoritate ſua perſuadebuntur, cum neceſſitas requirat, vniri membra Eccleſiæ oportere ne ſingulatim impedita omnia pereant, & adverſariorum exemplum non eo provocet. Et quamvis Dei beneficio, ſic ſunt Majeſtatis ſuæ res compoſitæ, ut non multum ei timendum ſit ab adverſariorum inſultibus, amòre tamen Germaniæ Celſitud. V. & conſanguineis ſuis, hoc proponi potiſſimum voluit. Deque conſimili nunc fœdere tractatur inter Sereniſſ. Majeſtatem ſuam, & Sereniſſ. Daniæ Regem, de eodem etiam dudum conventum eſt cum Galliarum Rege, nominatimque in literis Regiis compreheuſa cauſa Religionis, ita ut nihil ab Illuſtriſſ. Celſitud. D. petatur, quod non ſit iiſdem futurum utile & neceſſarium, habeatque aliorum magnorum Principum exemplum. Hæc ſunt Illuſtriſſ. Principes, quæ Sereniſſ. Majeſtas Regia Celſitud. V. amanter communicandas eſſe putavit, quæ peto, ut eadem Celſitud. V. dignentur pro magnitudine negotii perpendere, & gratioſum reddere reſponſum, quale & ab Illuſtriſſ. Celſit. V. proficiſci æquum eſt, & Sereniſſ. Majeſtati Regiæ ſit placiturum, utque ſalutis Eccleſiæ Dei Veſtratumque Celſitud. ſummam curam habeat.

In hac legatione Anglicus legatus D. Belus apud Saxonem & Brandenburgenſem, præter bona verba & epulas lautas, nihil aliud recepit. *Legatus Anglicus quale reſponſum acceperit à Palatino & Saxone, Brandeb. & Brunſvicenſe.*

Palatinus Elector reſpondit, hanc rem ad multos alios pertinere, ſe igitur inconſultis aliis reſponſum nullum dare poſſe.

Dux Brunſvicenſis honorificentiſſimè, & benigniſſimè hunc Legatum excepit, & per totam ſuam ditionem 180. equitibus circumduci, nec non omnes ſuas urbes ſuiipſius impenſis perluſtrare voluit, & ſeſe ad conſervandam utrinque pacem propenſiſſimum declaravit, ipſumque muneribus donatum clementer à ſe dimiſit, & perpetum Reginæ amicum ſe permanſurum ſanctiſſimè promiſit.

Supplex Conventus Francofurtenſis Admonitio ad Electores, Palatinum Saxonem & Brandeburgicum, alioſque Principes Auguſtanæ Confeſſionis de condemnationibus exterarum Eccleſiarum in Libro Concordiæ factis.

Illuſtriſſimi Principes ac Domini Clementiſſimi ex variis orbis Chriſtiani partibus Francofurtum miſſi ſumus, ut de iis, quæ ad ſalutem noſtrarum Eccleſiarum pertinent, unà deliberemus, & rationem iniremus, quà occurri poſſit impendentibus nobis malis, ex machinationibus Pontificis Romani, qui nihil intentatum relinquit, quo poſſet Reges ac Principes ſibi addictos in noſtram perniciem concitare Ex variis autem locis ad nos perſcriptum eſt potentiſſimos orbis Chriſtiani Principes, procurante ipſo Pontifice, iniiſſe inter ſe fœdus, quo poſſent nos facilius opprimere. Quæ res quidem nobis & dolorem & ſollicitudinem attulit: verùm cùm audidiviſſemus, quoſdam ex Illuſtriſſ. Germaniæ Principibus, qui eundem nobiſcum Deum invocant, & Antichriſti Romani tyrannidem deteſtantur, hoc agere, ut publico ſcripto ab Imperii Ordinibus, Confeſſioni Auguſtanæ addictis

addictis, approbato doctrinam noſtrarum Eccleſiarum condemnent: dici non poteſt, quam graviter ea res animos noſtros percuſſerit. Nihil enim magis præter exſpectationem noſtram nobis accidere potuit, quam audire in tantis noſtris calamitatibus periculum nobis imminere ab iis, in quorum virtute & ſapientia bonam partem noſtræ ſalutis ponebamus. Cum verò quidam boni viri nobis ſignificaſſent, Celſit. Veſtras ad eiuſmodi conſilia ſuſcipientia impelli calumniis quorundam ambitioſorum hominum, qui pacem & tranquillitatem Eccleſiæ ideo oderunt, quia vident ſe turbatis rebus, pluris fieri quàm tranquillis & pacatis, & probum & doctum virum D. Paulum Knibbium Iuris V. Doctorem ad Celſit. V. ablegandum judicavimus cum literis, quibus à Celſit. V. petimus ut diligentius animo revolvant ac perpendant, quàm grave ac periculoſum ſit, decreta facere, quæ tot piis & innocentibus hominibus exitium afferant, & ſint in cauſa ut tyranni nefaria facinora, quæ hactenus perpetraverunt, ſe juſtè perpetuaſſe credant, & ad eadem in poſterum perpetranda alacriores reddantur. Quanto rectius ſibi & Eccleſiæ Dei conſulerent Celſit. Veſtræ, ſi communicatis conſiliis rationem inirent, quâ occurri poſſet impiis & ſanguinariis Pontificis Romani conatibus, qui omnia ſua conſilia eo dirigit, ut non minus vos omnes, quàm nos perdat. Errant enim qui Religionem Auguſtanæ Confeſſionis profitentur, ſi putant, ſe eſſe minus ei exoſos, quàm ſint ii, qui extra Germaniam ipſi adverſantur. Qui enim poteſt minus odiſſe eos, qui primi inflixerunt ipſi graviſſimum illud vulnus, quod ipſius authoritatem ita labefactavit, ut jam cogatur aſſentari Principibus, quibus antea pro arbitrio imperabat. At licet nihil prætermittat, quod ad ſtabiliendam ſuam dignitatem pertinere exiſtimet, ſitque in ea re longè cautior & attentior, quam fuerint ii Pontifices, qui ante Lutheri tempora vixerunt, vix tamen efficere poteſt, ut differatur ruina, quæ tandem ipſum obruet, cum ſcelerata illa colluvie, cujus opera maximam partem orbis Chriſtiani, ſuis blaſphemiis contaminat & quo propiorem ſe videt exitio, eò impotentius ſævit in eos, à quibus ſua nefaria conſilia impediri ſentit. Eius autem pernicioſis co[illegible]bus occurrendi expeditiſſima eſſet ratio, ſi Illuſtr. Germaniæ Principes conferrent conſilia cum aliis gentibus quæ eundem, quem ipſi Deum invocant fieri commodiſſimè poſſet, ſi Synodus indiceretur, ad quam mitterentur docti pii, ſapientes & moderati viri, qui ex verbo Dei, ſepoſitis omnibus affectibus dijudicarent controverſias, quæ noſtras Eccleſias exercent, & faciunt, ut apud Pontificios male audiamus, paucioreſque ex Ipſis ſe noſtris adjungant Eccleſiis. Quod ſi Celſitud. Veſtræ & locum & Tempus ad eam rem idoneum diligerent, non dubitamus, quin Principes & Eccleſiæ, quæ extra Germaniam ſunt, iſtud veſtrum Sanctum inſtitutum approbaturæ eſſent, ac pro eo Celſit. V. gratiam habituræ. Nos verò inauditos condemnare, ab Humanitate alienum eſſet, & ab ea charitate, quam ſuos inter ſe jubet colere Chriſtus, & à conſuetudine veteris illius & purioris Eccleſiæ. Graviter, noſtro judicio, errant, qui putant eiuſmodi condemnationibus ſopiri poſſe controverſias, quæ Eccleſias turbare videntur. Non ſolum enim ſopientur, ſed magis ac magis accendentur. Imponetur enim iis, qui ſe non legitimè condemnatos judicabunt, neceſſitas ſe defendendi, quod vix fieri poterit, quin utcunque perſtringant eos, à quibus fuerint condemnati: & ita recrudeſcent & in infinitum excreſcent certamina, dum utraque pars exiſtimabit ſe ſuam innocentiam tueri, ſeque ab adverſa parte injuſtè oppugnari. Nec ſane tantum eſt difficultatis in controverſia, quæ inter nos præcipuè agitatur quantum plurimi exiſtimant, ſi moderati viri de ea differant: ſed videtur facta difficilior ambitione nonnullorum Theologorum, qui dum in diſceptando victoriam de adverſariis potius, quam Dei gloriam quærunt, involverunt eam innumeris labyrinthis, ex quibus ſe jam explicare non eſt ita facilè. Quod ſi quis objiciat, noſtram doctrinam dudum eſſe condemnatam, reſpondebimus, ab iis condemnatam eſſe, qui nobiſcum contendebant, nec jus nos condemnandi habebant. Et ſcimus in omnibus publicis Conventibus, qui ob diſcrepationes de Religione à 20. Annis in Germania ſunt habiti, non eſſe judicatas legitimas condemnationes, quæ partibus inauditis & ſine cauſæ cognitione fierent. Porrò nobis magna fit injuria ab iis, qui dicunt, nos reijcere Confeſſionem Auguſtanam. Nequaquam enim id facimus, ſed de eius ſententia tantùm in aliquibus capitibus diſceptamus: Ac cùm Confeſſio Auguſtana exhibita fuerit Carolo Imperatori, ſub initium ferè naſcentis Eccleſię in Germania, nemini fit injuria, ſi dicantur quædam eius capita fuiſſe dilucidius poſtea explicata à Luthero & aliis præſtantibus viris, qui poſt eam exhibitam vixerunt, quod ſatis apparet, ex emendatis illis Confeſſionibus, quæ anno Domini 1540 & poſtea 1542. a Luthero & Philippo Melanthone editæ fuerunt Witebergæ. Hæc cùm ita ſe habeant, obteſtamur Celſit. V. ut hanc rem diligentius perpen-

ſi omninò tale aliquid faciendum erit, putat Sereniſſ. Majeſtas Regia æquum eſſe, convenienti aliquo tempore Synodum vel Conventum indici, ad quem convocentur omnes, qui Religionem profitentur reformatam ad quem credo Sereniſſimam Majeſtatem ſuam non dedignaturam viros authoritate & doctrina præditos mittere, per quos non dubito Illuſtriſſ. Celſitud. Veſtris ſic ſatisfactum iri, ut melius ſint de noſtris Eccleſiis judicaturæ, neque ad tales Cenſuras & Condemnationes proceſſuræ. Iterum etiam Sereniſſima Majeſtas Regia exiſtimat, valdè neceſſe eſſe, ut abſtineatur à talibus Condemnationibus, quales fama eſt dictam Formulam continere, & ut authoritate Principum inhibeantur invectivæ utrinque, donec Chriſtianè de re controverſa agi & conveniri poterit. Quod ſi Illuſtriſſ. Celſitud. V. videatur fortè hoc Theologorum factum particulare eſſe, ſolius Germaniæ, cujus Inſtitutiones duas tantùm permittant Religiones: longè aliter judicat Sereniſſ. Majeſtas ſua. Nam cùm credamus Eccleſiam Chriſti univerſalem eſſe, & negotia eandem concernentia univerſalia, & non particularia eſſe oportet, & propter communionem, quæ inter membra Eccleſiæ eſſe debet, non poteſt aliquod judicium offerri Eccleſiis in Germania, quin idem etiam ad nos ſpectet & pertineat. Poſtremò, cum Sereniſſ. Majeſtas Regia nuper Celſitud. Saxoniæ Electoris interpellandem curaverit per famulum ſuum Danielem Rogerium de fœdere defenſivo contra communem hoſtem ineundo, voluit etiam Majeſtas ſua, ut ego idem repeterem amanter rogans Celſitud. V. ut conſideratis periculis imminentibus Eccleſiæ Dei, ipſique potiſſimùm Germaniæ, talem curam & ſolicitudinem ipſius habeat, qualem tantum Principem habere deceat. Neque dubitat, quin, ſi id Celſitud. V. primario Imperii Electori placuerit, facilius interceſſione & authoritate ſua perſuadebuntur, cum neceſſias requirat, vniri membra Eccleſiæ oportere ne ſingulatim impedita omnia pereant, & adverſariorum exemplum non eo provocet. Et quamvis Dei beneficio, ſic ſunt Majeſtatis ſuæ res compoſitæ, ut non multum ei timendum ſit ab adverſariorum inſultibus, amòre tamen Germaniæ Celſitud. V. & conſanguineis ſuis, hoc proponi potiſſimum voluit. Deque conſimili nunc fœdere tractatur inter Sereniſſ. Majeſtatem ſuam, & Sereniſſ. Daniæ Regem, de eodem etiam dudum conventum eſt cum Galliarum Rege, nominatimque in literis Regiis comprehenſa cauſa Religionis, ita ut nihil ab Illuſtriſſ. Celſitud. D. petatur, quod non ſit iiſdem futurum utile & neceſſarium, habeatque aliorum magnorum Principum exemplum. Hæc ſunt Illuſtriſſ. Principes, quæ Sereniſſ. Majeſtas Regia Celſitud. V. amanter communicandas eſſe putavit, quæ peto, ut eadem Celſitud. V. dignentur pro magnitudine negotii perpendere, & gratioſum reddere reſponſum, quale & ab Illuſtriſſ. Celſit. V. proficiſci æquum eſt, & Sereniſſ. Majeſtati Regiæ ſit placiturum, utque ſalutis Eccleſiæ Dei Veſtrarumque Celſitud. ſummam curam habeat.

Legatus Anglicus qualem reſponſum acceperit à Palatino & Saxone, Brandeb. & Brunſvicenſe.

In hac legatione Anglicus legatus D. Belus apud Saxonem & Brandenburgenſem, præter bona verba & epulas lautas, nihil aliud recepit.

Palatinus Elector reſpondit, hanc rem ad multos alios pertinere, ſe igitur inconſultis aliis reſponſum nullum dare poſſe.

Dux Brunſvicenſis honorificentiſſimè, & benigniſſimè hunc Legatum excepit, & per totam ſuam ditionem 180. equitibus circumduci, nec non omnes ſuas urbes ſuupſius impenſis perluſtrare voluit, & ſeſe ad conſervandam utrinque pacem propenſiſſimum declaravit, ipſumque muneribus donatum clementer à ſe dimiſit, & perpetum Reginæ amicum ſe permanſurum ſanctiſſimè promiſit.

Supplex Conventus Francofurtenſis Admonitio ad Electores, Palatinum Saxonem & Brandeburgicum, alioſque Principes Auguſtanæ Confeſſionis de condemnationibus exterarum Eccleſiarum in Libro Concordiæ factis.

ILluſtriſſimi Principes ac Domini Clementiſſimi ex variis orbis Chriſtiani partibus Francofurtum miſſi ſumus, ut de iis, quæ ad ſalutem noſtrarum Eccleſiarum pertinent, unâ deliberemus, & rationem iniremus, quâ occurri poſſit impendentibus nobis malis, ex machinationibus Pontificis Romani, qui nihil intentatum relinquit, quo poſſet Reges ac Principes ſibi addictos in noſtram perniciem concitare. Ex variis autem locis ad nos perſcriptum eſt, potentiſſimos orbis Chriſtiani Principes, procurante ipſo Pontifice, iniiſſe inter ſe fœdus, quo poſſent nos facilius opprimere. Quæ res quidem nobis & dolorem & ſollcitudinem attulit: verùm cum audidiviſſemus, quoſdam ex Illuſtriſſ. Germaniæ Principibus, qui eundem nobiſcum Deum invocant, & Antichriſti Romani tyrannidem deteſtantur, hoc agere, ut publico ſcripto ab Imperii Ordinibus, Confeſſioni Auguſtanæ

addictis

addictis, approbato doctrinam noſtrarum Eccleſiarum condemnent: dici non poteſt, quam graviter ea res animos noſtros perculerit. Nihil enim magis præter exſpectationem noſtram nobis accidere potuit, quam audire in tantis noſtris calamitatibus periculum nobis imminere ab iis, in quorum virtute & ſapientia bonam partem noſtræ ſalutis ponebamus. Cùm verò quidam boni viri nobis ſignificaſſent, Celſit. Veſtras ad eiuſmodi conſilia ſuſcipientia impelli calumniis quorundam ambitioſorum hominum, qui pacem & tranquillitatem Eccleſiæ ideò oderunt, quia vident ſe turbatis rebus, pluris fieri quàm tranquillis & pacatis, & probum & doctum virum D. Paulum Knibbium Iuris V. Doctorem ad Celſit. V. ablegandum judicavimus cum literis, quibus à Celſit. V. petimus ut diligentius animo revolvant ac perpendant, quàm grave ac periculoſum ſit, decreta facere, quæ tot piis & innocentibus hominibus exitium afferant, & ſint in cauſa ut tyranni nefaria facinora, quæ hactenus perpetraverunt, ſe juſte perpetraſſe credant, & ad eadem in poſterum perpetranda alacriores reddantur. Quanto rectius ſibi & Eccleſiæ Dei conſulerent Celſit. Veſtræ, ſi communicatis conſiliis rationem inirent, quâ occurri poſſet impiis & ſanguinariis Pontificis Romani conatibus, qui omnia ſua conſilia eo dirigit, ut non minus vos omnes, quam nos perdat. Errant enim qui Religionem Auguſtanæ Confeſſionis profitentur, ſi putant, ſe eſſe minus ei exoſos, quàm ſint ii, qui extra Germaniam ipſi adverſantur. Qui enim poteſt minus odiſſe eos, qui primi inflixerunt ipſi graviſſimum illud vulnus, quod ipſius authoritatem ita labefactavit, ut jam cogatur aſſentari Principibus, quibus antea pro arbitrio imperabat. At licet nihil prætermittat, quod ad ſtabiliendam ſuam dignitatem pertinere exiſtimet, ſitque in ea re longè cautior & attentior, quàm fuerint ii Pontifices, qui ante Lutheri tempora vixerunt, vix tamen efficere poteſt, ut differatur ruina, quæ tandem ipſum obruet, cum ſcelerata illa colluvie, cujus opera maximam partem orbis Chriſtiani, ſuis blaſphemiis contaminat & quo propiorem ſe videt exitio, eò impotentius ſævit in eos, à quibus ſua nefaria conſilia impediri ſentit. Eius autem perniciosis co[...]ibus occurrendi expeditiſſima eſſet ratio, ſi Illuſtr. Germaniæ Principes conferrent conſilia cum aliis gentibus quæ eundem, quem ipſi Deum invocant fieri commodiſſimè poſſet, ſi Synodus indiceretur, ad quam mitterentur docti pii, ſapientes & moderati viri, qui ex verbo Dei, ſepoſitis omnibus affectibus dijudicarent controverſias, quæ noſtras Eccleſias exercent, & faciunt. ut apud Pontificios male audiamus, paucioreſque ex ipſis ſe noſtris adjungant Eccleſiis. Quod ſi Celſitud. Veſtræ & locum & Tempus ad eam rem idoneum diligerent, non dubitamus, quin Principes & Eccleſiæ, quæ extra Germaniam ſunt, iſtud veſtrum Sanctum inſtitutum approbaturæ eſſent, ac pro eo Celſit. V. gratiam habituræ. Nos verò inauditos condemnare, ab Humanitate alienum eſſet, & ab ea charitate, quam ſuos inter ſe jubet colere Chriſtus, & à conſuetudine veteris illius & purioris Eccleſiæ. Graviter, noſtro judicio, errant, qui putant eiuſmodi condemnationibus ſopiri poſſe controverſias, quæ Eccleſias turbare videntur. Non ſolum enim ſopientur, ſed magis ac magis accendentur. Imponetur enim iis, qui ſe non legitimè condemnatos judicabunt, neceſſitas ſe defendendi, quod vix fieri poterit, quin utcunque perſtringant eos, à quibus fuerint condemnati: & ita recrudeſcent & in infinitum excreſcent certamina, dum utraque pars exiſtimabit ſe ſuam innocentiam tueri, ſeque ab adverſa parte injuſtè oppugnari. Nec ſanè tantum eſt difficultatis in controverſia, quæ inter nos præcipuè agitatur quantum plurimi exiſtimant, ſi moderati viri de ea differant: ſed videtur facta difficilior ambitione nonnullorum Theologorum, qui dum in diſceptando victoriam de adverſariis potius, quam Dei gloriam quærunt, involverunt eam innumeris labyrinthis, ex quibus ſe jam explicare non eſt ita facilè. Quod ſi quis obijciat, noſtram doctrinam dudum eſſe condemnatam, reſpondebimus, ab iis condemnatam eſſe, qui nobiſcum contendebant, nec jus nos condemnandi habebant. Et ſcimus in omnibus publicis Conventibus, qui ob diſcrepationes de Religione à 20. Annis in Germania ſunt habiti, non eſſe judicatas legitimas condemnationes, quæ partibus inauditis & ſine cauſæ cognitione fierent. Porrò nobis magna fit injuria ab iis, qui dicunt, nos reijcere Confeſſionem Auguſtanam. Nequaquam enim id facimus, ſed de eius ſententia tantum in aliquibus capitibus diſceptamus: Ac cùm Confeſſio Auguſtana exhibita fuerit Carolo Imperatori, ſub initium ferè naſcentis Eccleſię in Germania, nemini fit injuria, ſi dicantur quædam eius capita fuiſſe dilucidius poſtea explicata à Luthero & aliis præſtantibus viris, qui poſt eam exhibitam vixerunt, quod ſatis apparet, ex emendatis illis Confeſſionibus, quæ anno Domini 1540 & poſtea 1542. à Luthero & Philippo Melanthone editæ fuerunt Witebergæ. Hæc cùm ita ſe habeant, obteſtamur Celſit. V. ut hanc rem diligentiùs perpen-

N 4 dant

dant, & homines in conſilium adhibeant, qui non ſuam, ſed Dei gloriam quærant. Conſiderent etiam Celſitudines V. quid judicatura ſit poſteritas, ſi audiat, nos causâ non cognitâ condemnaſſe eos, adverſus quos nullum genus crudelitatis prætermittitur, ideò tantum, quòd ſe Romanâ idololatriâ contaminare nolunt. Si ii, qui in Gallia, & inferiore Germania tot jam annos impetum tyrannidis Romanæ ſuſtinent tandem (quod Deus avertat) oppreſſi fuerint ab hoſtibus: Verendum eſt, ne Celſit. V. ſerò intelligant, eos non minus pro veſtrâ, quàm pro ſuâ ſalute corpora ſua toties hoſtium gladiis objeciſſe. Quis enim credet, hoſtes per ſe arrogantes, victoriâ inſolentiores factos, ac obſequentes Romani Pontificis conſiliis paſſuros, nos frui felici iſto otio, quod Deus ſuâ benignitate per plures Annos Celſit. V. conceſſit. Suppliciter itaque petimus, à Celſit. V. ut potius ineant conſilia, quæ ad ſtabiliendam Eccleſiarum pacem pertineant, quàm ſuis condemnationibus acuant gladios tyrannorum, qui tot innocentium hominum jugulis imminent, quorum exitio, ſi Celſitud. V. poſtea unquam intelligant, ſe vel cauſam, vel occaſionem aliquam præbuiſſe, non dubitamus, quin ex ea re ſummum dolorem ſint ſenſuræ. Quare ſatius fuerit, præcavere, abſtinere à condemnationibus, quàm ubi iſta acciderint dicere, non ideo iſtos condemnavimus, ut eos in ejuſmodi pericula conjiceremus. Speramus autem Celſit. V. fore memores dicti Chriſti, qui jubet nos à ſe diſcere, quòd ſit mitis & humilis corde, nec fore apud C. V. irritas tot miſerorum hominum preces & lachrymas. Oramus Deum ut velit Celſit. V. donis Spiritus S. omnique benedictionum genere, magis m[a]giſque indies cumulare, ad gloriam ſui nominis, ad Eccleſiæ ædificationem, & veſtrorum Principatuum conſervationem, & fœlicitatem.

CAPVT XVIII.

Acta, Scripta & Reſcripta, quæ Francofurtenſem Conventum & Anglicanam legationem, de corrigendo Libro Bergenſi & impediendis condemnationibus, exterarum Eccleſiarum, proximè ſecuta ſunt.

Electoris Palatini literæ ad Electores Saxonem & Brandenburg. de correctione libri Bergenſis.

LVdovicus *Comes Palatinus & Elector, quæ in Libro Bergenſi ante ſubſcriptionem Synodum atque editionem ejus corrigenda Celſitudini ſuæ videantur, ad Saxonem & Brandenburgenſem Electores in hanc ferè ſententiam prudenter graviterque* 17. *Octobris Anno* 1577. *ſcripſit*: Illuſtriſſimi Principes &c. *Primò*, cauſas objectas non tam validas & graves eſſe judicamus, ut propter illas diſcrimen ac differentiam aliquam inter Auguſtanæ Confeſſionis editiones faciamus, eoque nomine eas ſuſpectas reddamus, eo, quod in hoc Libro ad primam tantum & immutatam ſubinde provocatur. Pontificiis enim aliiſque hac provocatione daretur occaſio, ſimiliter, primam illam tantùm editionem urgendi, in qua tamen Tranſſubſtantiatio non obſcurè confirmatur, id quod in eo Exemplari, quod Saxoniæ Electori tranſmiſimus, videre licet. Cumque alii quoque Principes idem nobiſcum hîc ſentiant, conſultiſſimum fore judicamus, ſi omiſſis iſtis vocabulis (*Prima immutata*) nos ſimpliciter ad Auguſtanam Confeſſionem referremus, quemadmodum etiam à Majoribus noſtris Electoribus, Principibus, aliiſque Auguſtanæ Confeſſionis Ordinibus ante nos factum eſt.

Non equidem animus nobis eſt, ullis erroribus & falſis doctrinis in Eccleſiis ac Scholis noſtris locum dare aliquem: quoniam autem Opus hoc ad plantandam & propagandam Concordiam præcipuè ſuſceptum eſt, *Secundò* conſultum nobis videretur, ſi in loco de Libero arbitrio odioſum *Synergiſtarum* nomen omitteretur, ſicut etiam in aliis omnibus articulis, in quibus ſchiſmatum ac diſſenſionum inter noſtros mentio fit, neque *Oſiandriſtæ*, neque *Flacciani*, neque *Antinomi* nominati ſunt. Similiter videntur nobis dicta illa, *Deus trahit, ſed volentem.* Item, *Hominis voluntas non eſt otioſa.* Item, *Tres ſunt cauſæ converſionis*, vel planè omittenda, vel ſecundum candidam illam interpretationem, quæ in Torgenſi libro habetur, exponenda fuiſſe: eoque magis, quòd Opus iſtud non ſub Theologorum, ſed Electorum, Principum ac Ordinum nomine in publicum edendum ſit.

Tertiò, non conſultum judicamus, ut in Articulo de Cœna Domini, doctrinæ noſtræ de vera preſentia, diſtributione & participatione Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœna Dominica, ullum aliud argumentum ſeu fundamentum addatur, extra & preter verba Inſtitutionis: neque enim opus eſt. Nulli tamen prohibitum ſit reliquos articulos fideî noſtræ, ad declarandam hanc doctrinam, modeſte & ſine diſputatione ſubtili de Vbiquitate, in medium adducere.

Quarto, in articulo de Majeſtate Chriſti, quædam phraſes in abſtracto poſitę, in hoc Libro vitari ac omitti meritò potuiſſent quod eę neque in Sacris Literis, neque in illorum ipſorum libris, ſic uſurpatę reperiantur, qui Bergenſe exemplar pro norma doctrinę

ctrinæ conſtituunt: quibus etiam non ſolum Zuingliani, ſed etiam alii ſimplices Chriſtiani homines plurimum offenduntur, eoque magis à nobis abalienantur: poſſent autem de iis doctiores in Scholis publicè privatimque piè ac ſobriè conferre.

Denique etſi Calviniſmo toto pectore adverſemur, non ingratum tamen nobis foret, in antitheſi durum illud verbum *Damnandi* vel planè omitti, vel ſaltem mitigari: Non quòd Miniſtri Eccleſiarum hunc errorem taxare, ac pio zelo refutare non debeant: vel quòd hunc tacitè tolerare, vel lenire, vel etiam excuſare velimus: ſed tantùm hanc ob cauſam, ne Electores, Principes ac Ordines Imperii, ſub quorum nomine Liber iſte aliquando in lucem edi poſſet, Papiſtarum immanem tyrannidem hoc ipſo confirmare videri queant, neve Zuingliani (quemadmodum ex Anglicana legatione intelligitur) jure conqueri poſſint, quòd & nos illos ex Pace Religionis, atque ipſo Cœlo excludere conemur. Nec dubitamus, omnes pios ac ſapientes homines, qui à noſtris ſtant partibus, contentos fore, ſi Chriſtianâ Majorum noſtrorum moderatione (qui in Auguſtana Confeſſione IMPROBAMUS poſuerunt) utentes, in apertam & perſpicuam noſtræ ſententiæ declarationem atque teſtimonium poneremus, *Nos Zuinglianiſmum tam verbo Dei, quàm Auguſtanæ Confeſſioni contrarium ſtatuere.* Habemus inſuper præter has, alias etiam privatas cauſas ſatis graves & arduas, propter quas verbum iſtum DAMNANDI nimis durum & grave nobis videtur.

Quum igitur Nos cum C. V. in Fundamento doctrinæ per omnia ac verè conſentiamus, conſtituendæque Concordiæ cupidiſſimi ſimus, ſimul tamen aliquas, præſertim jam commemoratas phraſes juſtiſſimis de cauſis à C. V. aliiſque Auguſtanæ Confeſſionis Ordinibus vel mitigari, vel mutari vellemus: idcirco C. V. amanter rogamus, ut hæc diligenter expendant ac emendari curent, antequam cum ſubſcriptione ac Synodo, vel alio Conventu procedatur: inprimis verò dent operam, ne vel Extractus Libri, vel Liber ipſe interea publicetur. Si enim cum ſubſcriptione, Synodo ac editione procedatur, antequam unanimi conſenſu Principum, Comitatum ac Civitatum Auguſtanæ Confeſſionis, omnes & ſinguli Articuli approbati receptique ſint, quid eventurum ſit inde, pro ſumma veſtra prudentia facilè intelligitis: Illud nimirum, quaſi noſtris ſuffragiis reliquos ad aſſentiendum cogere vellemus. Imò nova hoc modo magnarum ac periculoſiſſimarum diſcordiarum ſemina ſpargerentur, quæ ad ſummam noſtram contumeliam apud adverſarios facerent, maximumque Eccleſiis noſtris detrimentum & nunc, & poſteris temporibus adferrent. Horum igitur malorum principiis C. V. obſtare debent. Sin verò minùs dicti Articuli corrigantur, Nos non videmus, quâ ſpecie aut quo prætextu reliquos Principes & Status ad ſubſcriptionem Libri atque Extractus Bergenſis ſollicitare poſſemus. Ad Nos verò quod attinet, ſi maximè commemoratæ cauſæ non obſtarent, tamen hoc adhuc tempore ſubſcribere nondum poſſemus, quòd Eccleſiæ, Academiæ & Scholæ noſtræ in eum ſtatum nondum redactæ ſint, quem optamus, &c.

Landgravius improbat Damnandi verbum in Formula Concordiæ.

Landgravius Auguſto Electori propriâ manu ſcripſit 24. Octobris eique ſignificat, quid Legatus Reginæ Angliæ egerit: præcipuè de omiſſione in Libro Concordiæ Condemnationum exterarum Eccleſiarum non auditarum, nulliuſque erroris hactenus convictarum. Ex condemnationibus talibus præjudicialibus exoriri plerunque ſchiſmata periculoſiſſima, eamque ob cauſam Sereniſſimam Reginam pro iis intercedere: Nec licere parti in partem, inprimis non legitimè auditam, multò minus causâ exutam, aliquid gravius tentare & ſtatuere. Sibi ob oculos verſari Dn. Parentis ſui exemplum, qui paulò ante obitum, ut aliàs ſæpè, odioſis condemnationibus ambitioſiſſimorum Theologorum acriter reſtiterit, Rogare ſe Electorem, ut inconvenientias hinc exorituras diligenter ſecum perpendat. Reginam hanc conſtantiſſimè in religione probam ſuſtinuiſſe, cùm juſſu Mariæ ſororis in carcere captiva detineretur. Electores & Principes, ſicut etiam Theologos in hoc Concordiæ Opere hunc ſcopum propoſitum habere debere, ut animi hominum concilientur, ſed excitari indies majora ſchiſmata & perſecutiones, quibus Evangelii curſus vehementer impediatur. Satius fore uſitatam hanc formulam retinere, *Improbamus ſecus docentes*, quàm in Theologorum quorundam ambitioſorum gratiâ ſub cruce laborantes Eccleſias dânare.

In eandem etiam ſententiam ſcribit 28. *Octobris ad Electorem* Palatinum Landgravius, *ſe coram Deo & in conſcientia ſua confiteri, Anglicani legati rationes, de omittendis Condemnationibus, tanti eſſe momenti & roboris, ut refutari nullo modo poſſint. Sint licet duæ partes contrariæ Lutherani & Zuingliani, tamen ipſam Naturam docere, unam partem alteram nec poſſe, nec debere damnare: neque ita in veteri Eccleſia unquam factum eſſe; ſed ſemper, controverſiis exortis, Synodos habitas, æquos & nulli parti addictos judices electos, & controverſias legitimè dijudicatas fuiſſe, hactenus tamen neque legitimam cognitionem, multò minus dijudicationem factam*

factam eſſe: nec ullam authoritatem partis in partem eſſe : hanc ipſam ob cauſam quoque Proteſtantes Tridentinum Concilium rejeciſſe : ſeipſos hoc pacto præjudicium ferre contra ſeſe: Authoritatem unius Lutheri, vel unicum hunc Concordiæ librum in cauſa hac non ſufficere: nervoſiora Pontificum Rom. Anathemata eſſe, ut quæ ſpeciem aliquam cum quadam cauſæ cognitione habeant, nec non authoritate Eccleſiæ & Patrum munita ſint. Nihil prodeſſe Theologorum hactenus editas diſputationes, & promulgatas condemnationes, quarum Electores & Principes nunc quoque ſe participes faciant. Eccleſias, quæ ſic condemnentur, numero non pauciores quàm Proteſtantium, eodem jure in ipſos Proteſtantes viciſſim uſuras, & ſic Evangelii curſum impediri. Eos, qui membra ſecus ejuſdem Corporis ſint, hoc modo à pace Religionis excludi, quod etſi tentatum quoque fuerit Anno 1566. obtineri tamen non potuiſſe. Hoc medio etiam Pontificem Rom. armari, & qui omnis generis perſequutiones ſuſtineant, hoc pacto magis aggravari. Cum etiam Pontificii Lutheranos ne pili quidem chariores habeant quàm Zuinglianos, ſed omnia ſua conſilia eò dirigant, ut decreta Tridentini Concilii exequantur tam contra Lutheranos quàm Zuinglianos, non tantùm ſe Pontificios ad hoc opus ſtrenuè & fortiter aggrediendum incitare, ſed etiam ſibiipſis vires frangere, quò citiùs ab ipſis opprimantur. Animos per condemnationes exacerbari, omnemque reconciliationis ſpem amitti. Curandum, ut Concordia ad ædificationem, non deſtructionem dirigatur. Vbiquitati non innitendum eſſe, ut quæ nuper admodum excogitata ſit, nec defendi poſſit : ſufficere verba inſtitutionis ad præſentiam Corporis Chriſti in Cœna Sacra probandam. Si in verba Lutheri jurent, & Brentianum dogma de Vbiquitate approbent, Papiſtas ipſos accuſaturos, quòd ab Auguſtana Confeſſione defecerint, cùm ſemper hactenus teſtati ſint, Papiſtas & Lutheranos in tertio articulo conſentire. Se legato Anglico reſpondiſſe, quoſdam Theologos nimium affectionibus erga ſuos Præceptores indulgere: omnia tamen contra Papiſtas maxime directa eſſe: cætera per Conventum poſſe tranſigi. Condemnationes ſibi omninò diſplicere, & velle ſe eas omnibus modis impedire, & qui ſic condemnentur pro fratribus agnoſcere.

Landgravius Vbiquitatem improbat.

Landgravius ſcribit Brunſvicenſi multa in in Formula Concordiæ corrigenda eſſe.

Reſpondet quoque Landgravius 1. Novembr. Iulio Brunſvicenſi & ſcribit, Concordiæ opus Chriſtianâ humanitate, circumſpectè, ſobriè, ſine ambitione & calumniis inſtituendum & tractandum eſſe. Plurima in hac Formula Concordiæ contineri, quæ nequaquam ad Concordiam, ſed potiùs ad Religionis contemptum faciant. Auguſtanam Confeſſionem pro fidei norma citari quidem, verbo autem Immutata, quod in Formula addatur, Ordines ſibiipſis maculam levitatis inurere, & adverſariis anſam calumniandi dare : eam enim vivente adhuc Luthero, emendatam & locupletatam, in Colloquiis uſurpatam, & Naumburgi approbatam eſſe. Verbum autem hoc, Immutata, in odium ſolius Philippi confictum eſſe : quum tamen Tranſſubſtantiationis dogma in prima immutata Auguſtana Confeſſione ejuſque Apologia contineatur, ideoque correctione opus fuerit. Lutheri ſcripta omnia in hac Formula canonizari, & tamen Proteſtantes Papiſtis largiri nolle, ut controverſiæ de fidei articulis ex Patrum ſcriptis decidantur : iniquum autem eſſe hoc ipſum jus Papiſtis denegare, quo tamen Proteſtantes contra ipſos utantur. Lutherum multa Papiſtis conceſſiſſe de mutatione panis, matrimonio, Revocatione Berengarii, quæ tamen improbatur in Syngrammate Suevico, quod Lutherus præfatione ſuâ probarit. Eundem Lutherum diſputationis fervore Vbiquitatis dogma primum excitaſſe, idque ab aliis poſtea auctum & propagatum, tandem pro fundamento præſentiæ Chriſti in Cœna uſurpatum eſſe, ex quo multa paradoxa ſequantur. Condemnationes ex privatis affectibus profectas, non ſecundum charitatis regulam moderari, eoque nullum conſenſum, ſed querelas excitari. Authores conari multitudine nominum obſcurorum virorum Concordiæ opus promovere, & ſic vi perrumpere, &c.

Landgravii judicium prudentiſſimum de Libro Concordiæ ad Auguſtum Sax. Electorem. Excuſat moram reſpondendi.

Miſit etiam aliud eodem fere tempore hac de re, adeoque de toto iſto Concordiæ Libro luculentiſſimum, graviſſimum, ſapientiſſimumque ſcriptum ac judicium VVilhelmus Landgravius ad Auguſtum Electorem Saxoniæ quod de verbo ad verbum ſic habet. Illuſtriſſime Princeps, quum à vobis nuper, & ab Illuſtriſſimo Principe Electore Brandenburgio, cognato noſtro, noviſſimum exemplar libri Concordiæ, à Theologis Bergæ recogniti & emendati accepimus, ſanè moram quandam in reſponſione & ſententiæ noſtræ declaratione, hactenus à nobis interpoſitam fuiſſe fatemur: quam tamen, ut boni conſularis, etiam atque etiam rogamus, tum ob eas cauſas, quas in ſuperioribus noſtris literis ad vos miſſis, explicuimus: tùm verò etiam, quòd hujus operis gravitas, habitâ diligenti ratione, & noſtri & totius poſteritatis noſtrę, maturo & præponderato conſilio, accurataque diligentiâ indigeat : unde nihil dubitamus hanc morę excuſationem, apud vos locum inventuram eſſe, & vos eam de nobis ſpem habere, nos religioſum & bene inſtitutum, inter Proteſtantes Concordiæ ineundæ opus, omni curâ & ſtudio promoturos, & in eo quam fideliſſime laboraturos, ut optatum ſuum finem conſequatur: obſervatâ interim norma divinarum literarum, & ſalva actionum omnium authoritate, quæ antehac in rebus Theologicis & piè inſtitutæ, & bona conſcientiâ approbata ſunt.

Librum

In Formula Bergenſi multas admonitiones neglectas.

Librum igitur Bergæ reviſum, interea temporis quibuſdam noſtris primariis Theologis, non abſque gravibus & neceſſariis admonitionibus, & legendum & ponderandum propoſuimus: adeoque ipſi aliquoties ſingulari ſtudio perlegimus, & cum Torgenſi exemplari contulimus: & re diligenter penſa & examinata, agnoſcimus quidem librum illum in pleriſque capitibus piè & benè compoſitum, & hoc nomine authorum operis diligentiam meritò laudandam eſſe: in quibuſdam tamen articulis etiamnum videmus & deprehendimus amicas & neceſſarias obſervationes & admonitiones noſtras, de eodem Concordiæ Libro, parvi ponderis & momenti fuiſſe, quum authores libri magna ex parte, prout homines ſunt, magis ex privatarum affectionum, ſuarumque opinionum tuendarum, quàm religionis & majorum noſtrorum honeſtiſſimi nominis & authoritatis conſervandæ curam & rationem habuiſſe videantur. Quæ ſanè niſi corrigantur, videre non poſſumus, quâ ratione inſtitutum Concordiæ opus finem optatum conſequi conſtanterque conſervari poſſit.

Etſi verò hîc cum nemine rixari, vel in diſputationem venire, ſed Auguſtanam Confeſſionem, & maiorum noſtrorum bono maturoque conſilio introductam, probatas & receptas declarationes & actiones, per Dei gratiam retinere decrevimus, nunquàm permiſſuri, ut ab his diverſum & alienum quidpiam ſubditis noſtris, vel in Eccleſiis, vel in Scholis obtrudatur: tamen committere non potuimus, nec debuimus, quin ſententiam vobis noſtram de libro Bergæ recognito, nobiſque tranſmiſſo, candidè & ſimpliciter aperiremus, & quæ in eo notatu digna, & quâ viâ fructuosè corrigi, noſtro quidem judicio, poſſint, apertè, liberè, & pro ea quæ inter nos intercedit neceſſitudine, fideliter ſignificaremus, ut pium illud propoſitum ad optatum finem aliquandò tandem ducatur, neque omnes nos tandiu fruſtra in hac cauſa laboraſſe videamur, rogantes, ut conſilium hoc noſtrum, pro negotii gravitate inſtitutum, tanquam à bono & pio animo profectum, accipiatis.

Ac primum quidem quum hic totius Operis & ſcopus & finis ſit, ut inter Proteſtantes Theologos hactenus exortæ contentiones & controverſiæ decidantur, & communis omnium Proteſtantium & Principum & Statuum Imperii Conſenſus in Religione Publico teſtimonio confirmetur, calumniis etiam adverſariorum, quòd ne in uno quidem Religionis noſtræ Articulo conveniamus, obviam eatur: & tamen ſi hic Concordiæ liber finem ſuum conſequi, & publicè typis evulgari debeat, non ſolùm inter Proteſtantes ſe continere poſſit, verùm etiam in ipſorum adverſariorum Papiſtarum & Ieſuitarum manus, exterarum nationum venturus ſit, multoſque & graves Cenſores habiturus, maximè neceſſarium eſſe judicamus, ut non modo doctrinalia hujus Libri, fundamentum ſuum in Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis, & omnium minimè in authoritate doctrinaque hominum, verum etiam ea in Libro moderatio & prudentia adhibeatur, ut Chriſtianæ Religionis noſtræ Theologorum noſtrorum, & Statuum Proteſtantium, adeoque laudatiſſimorum Majorum noſtrorum decens & æquabilis reputatio & anteactorum authoritas in omnem partem ſarta tecta conſervetur, & adverſariis noſtris omnis calumniandi occaſio, quoad ejus fieri poteſt, præcidatur, atque erga fidei noſtræ conſortes, qui in paucis Articulis ſuam quandam peculiarem opinionem habent, is modus Chriſtianæ dilectionis ſervetur ac uſurpetur, ut qui boni inter ipſos ac dociles ſunt, de errore ſuo erudiantur, magiſque lenitate & manſuetudine ad nos perducantur, quàm verbis atrocibus & moroſâ inhumanitate terreantur.

In doctrinâ lib. Libri Concordiæ Conſenſus.

Quantum igitur ad doctrinalia attinet, etſi optandum eſſet, ut propter ſimpliciores paulò brevius propoſita & explicata, adeoque brevibus & perſpicuis Propoſitionibus ſivè theſibus comprehenſa eſſent, ut non ſolùm quilibet, quid verum, quid falſum ſit, eò rectiùs & faciliùs poſſet percipere: verùm etiam adverſarii noſtri, & item alii minùs anſam invenirent, in iſta libri prolixitate, hoc vel illud pro ſe arripiendi, & graviores contentiones movendi: tamen doctrinalia iſta majori ex parte ita videmus inſtituta & explicata, ut nos, & quidem ſperamus omnes Auguſtanæ Confeſſioni addictos verè, in fundamento rei (quatenus tamen ſequentes noſtræ animadverſiones, pro eo ac decet, æſtimentur ac corrigantur) facilè acquieſcere poſſe putemus.

Ad normam doctrinæ, fundamentum fidei noſtræ quod pertinet, etſi in exemplari Bergæ recognito, ob noſtram fortaſſe hoc nomine factam admonitionem, hæc verba, *Corpus doctrinæ*, omiſſa ſunt, tamen in eodem libri exemplo, unà cum Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, non ſolùm Non Mutata Auguſtana Confeſſio, ejuſque Apologia, Major & Minor Catechiſmus Lutheri; verùm etiam generaliter omnia ejus ſcripta didactica & polemica, pro norma doctrinæ ponuntur & recipiuntur; ſic, ut totus Liber Concordiæ juxta D. Lutheri & didactica & polemica ſcripta intelligi

telligi & declarari debeat.

Admonitio de mutata Auguſtana Confeſſione.

Iam verò non ignorati, quòd antehac bono animo de particula illa (*Non mutata Auguſtana Confeſſio*) monuerimus, ac etiamnum vos amanter rogamus, ut de his rebus, ac periculoſis inde manantibus conſequentiis, diligenter cogitare, & ſingula ſtudiosè perpendere velitis. Etſi namque æquum eſt, ut Auguſtanam illam Confeſſionem, quæ Imperatori Carolo Anno 30. oblata eſt, nominemus: conſtat tamen omnibus, quam ob cauſam deinceps illa Confeſſio, vivente adhuc Luthero, & tam de ipſius, quàm præcipuorum Statuum, Theologorumque conſilio & voluntate, in quibuſdam articulis, non ſine magno fructu locupletata, ac deinceps in Colloquiis, publico nomine Imperii habitis, propoſita & uſurpata; imò & à nobis, & à D. Parente noſtro, aliiſq; Electoribus & Principibus anno 61. Naumburgi appenſis ſigillis, non minùs quàm prior illa confirmata, & Imperatori Ferdinando Francofurti propoſita oblataque fuerit. Quæ ſanè omnia unica hac voce (*Non mutata*) improbamus atq; rejicimus. Quamvis enim id expreſsè non dicamus, reipsâ tamen oſtendimus, non ſolùm Philippum Melanchthonem qui & côcinnavit Confeſſionem, ac primam pòſtea editionem locupletiorem reddidit: ſed vos etiam ipſos, & Dn. Parentem noſtrum, & alios Electores ac Principes malè ac temerè egiſſe, dum locupletatam Confeſſionem approbarunt, quam incogitantiæ & levitatis notam ne Dn. noſtro Parenti, felicis memoriæ, inuri patiamur, & honeſtas ipſa, & filialis erga ipſum reverentia & obedientia vetat.

Admonitio de prima editione Apologiæ Auguſtanæ Confeſſionis.

Accedit eodem (quod quum primis conſiderandum eſt) in prima Apologiæ Anno 31. typis excuſæ editione, quam Concordiæ liber ſpeciatim & diſertè urget, Papiſticam & idololatricam Tranſſubſtantiationem in Articulo Cœnæ acceptari & ſtabiliri, id quod poſtea optimo jure & merito eſt mutatum, & ab opere planè reſectum. Quod ſi igitur Apologiam Anno 31. excuſam ſalvam & non mutatam eſſe volumus, oportebit nos neceſſariò Papiſtarum commentum de Tranſſubſtantiatione admittere, cum annihilitate anteactorum, & gravi veritatis ac conſcientiæ noſtræ læſione: quum tamen liber iſte Tranſſubſtantiationem damnet.

De Lutheri ſcriptis omnibus pro norma doctrinæ canonizatis, ubi & de Luthero.

Hinc de Catechiſmis, & didacticis polemiciſque Lutheri ſcriptis, pro norma doctrinæ in Libro poſitis, hoc noſtrum eſt judicium: quod etſi Lutherus, vir præclarus, multiſque Spiritus Sancti donis illuſtratus fuerit, & ſingulari Dei gratiâ noviſſimis hiſce temporibus ad hoc excitatus, ut unà cum Collegis ſuis verbum Dei, multis hactenus errorum tenebris involutum & obſcuratum, repurgaret, & crudeliſſimi Antichriſti regnum demoliretur: tamen minimè conſultum & fructuoſum fuerit, ad aſſequendum optatiſſimum Concordiæ finem, ſi privata Lutheri ſcripta, quocunque etiam nomine appellentur, ita præ aliis orthodoxis ſcriptoribus extollantur, ut ipſa pro normâ doctrinæ agnoſcantur, ad quorum etiam ſenſum, cùm hic Concordiæ liber, tùm alia ſcripta intelligi & explicari debeant. Cauſæ verò, quibus inducimur, hæ ſunt.

Cauſæ cur Lutheri ſcripta pro norma non ſint recipienda.

Primùm, quia cum mandato Dei Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, & omnibus in re Theologica hactenus inſtitutis & approbatis actionibus, decretis & Proteſtationibus pugnat, uni privato homini tantum tribuere. Is enim fons eſt omnium ſectarum, & per conſequens idololatriæ. Vnde quoque electum Dei organum Paulus, qui multò ſublimiori ſpiritu, & donis præclarioribus quam Lutherus, ornatus fuit, nequaquam permittere voluit, ut ſe hic Pauli, ille Cephæ, alius Apollo eſſe diceret, ſed nos omnes ad unum Chriſtum duxit & ablegavit, haud dubie intelligens, quorſum hoc erupturum eſſet, & quantæ idololatriæ futuris ſeculis occaſionem daturum: id quod, proh dolor, conſequenter eventus docuit, nempe dum ſanctis Patribus & Præceptoribus ex humana erga ipſos affectione, tantum eminentiæ & authoritatis tributum aſcriptumque fuit; certè effectum eſt, ut hic Auguſtinum, ille Bernhardum, alius Dominicum elegerit, & ſic ſinguli propemodum ordines ſingula idola in Præceptoribus ſuis coluerint. Sola Prophetica & Apoſtolica ſcripta gladius ille anceps ſunt, utrinque inſecans, & puriſſimi Iſraelis fontes, quibus ſanè quantum minus humanorum ſcriptorum adjicitur, tanto rectius Chriſtiana Religio habet, tantoque plus authoritatis & applauſus huic Concordiæ operi conciliabitur. Quod ſi Auguſtanæ Confeſſionis ſcriptum, breve illud quidem & paucis, juſtiſque Articulis comprehenſum, tot graves & infelices generе diſputationes potuit, quid Concordiæ Libro fiet, ſi pro norma Religionis noſtræ, juxta Auguſtanam Confeſſionem prolixa Lutheri ſcripta ponantur, & ad ipſorum lectionem Chriſtiani Lectores remittantur.

Secundò, & hoc diligenter ponderandum eſt, quod Proteſtantes hactenus nunquam Pontificiis permittere voluerint, ut controverſos Religionis articulos juxta ſcripta Patrum, qualiſcunque etiam authoritatis illi eſſent,

eſſent, deciderent. Quare æquum eſt, ut eodem jure, ſicut hactenus contra Pontificios, ita quoque inter nos ipſi vtamur, neque adverſariis noſtris cauſam demus, canonizando Lutherum, aut quemvis alium, contumeliis adverſum nos, in tuendis Patribus, eorumque authoritate defendenda, perſeverandi, quum ne Lutherus quidem ipſe Patrum authoritatem tanti fecerit, ſed prudenti conſilio homines ad Lectionem non tam Patrum, quàm divinarum literarum, ſæpenumo ſit cohortatus. Quod eius conſilium, ut fructuoſum & neceſſarium eſt, ita quoque etiamnum hodiè meritò obſervamus & colimus.

Tertio, contra decorum eſt, hunc Concordiæ librum tanquam publicum & ſolenne ſcriptum, & omnium Electorum, Principum, cæterorumque Proteſtantium nomine publicè evulgandum, inverſo ordine ad vnius Lutheri ſcripta privata intelligi, iiſdem ceu Canoni ac Regulæ ſubiici debere, quum potiùs & Lutheri & aliorum omnium Doctorum privata ſcripta, ſecundum huius libri normam (ut qui publico conſenſu probatus acceptusque ſit, & pro certa deciſionis regula in omnibus diſputationibus Proteſtantium habendus) intelligenda & æſtimanda fuerint.

4 *De corpore doctrinæ veteri in Formula Bergenſi tacitè reiecto.*

Quartò, accuratè etiam, tum vobis, tum aliis expendendum eſt, multis nunc annis in Ducatu veſtro Electorali, certum & religioſè vſurpatum doctrinæ Chriſtianæ Corpus fuiſſe; quod etiam Dn. parens noſter, Sanctæ memoriæ, in omnibus ditionis noſtræ Eccleſiis & eſſe, & vſurpari voluit, in multiſque aliis vicinis regionibus receptum, decentique conſtantiâ vſurpatum hactenus eſſe non ignoramus. Tum etiam in Synodis & publicis Principum Conſtitutionibus antehac cautum eſt, ut idem Corpus pro normâ doctrinæ ab omnibus agnoſcatur: in cuius etiam, tanquam veritatis ex ſcripturis erutæ, inconcuſſam regulam, multa Eccleſię Chriſti Paſtorum millia ad Officium docendi, & Sacramenta adminiſtrandi admiſſa & in ſuo miniſterio confirmata fuerunt. Etſi verò in propoſito Concordiæ libro, huius Corporis doctrinæ, nec in bonam, nec in malam partem mentio fit: tamen idem doctrinæ Corpus ob id tacitè reiicitur, & abrogatur, quod in Libro Concordiæ alia ſcripta, quæ in Corpore Doctrinæ non habentur, pro norma doctrinæ ponuntur: ex qua re inconvenientia hæc ſequuntur. Primum, & vos & Dn. noſtrum Parentem, & cæteros Imperii Status, totque ex omni parte & Eccleſias & Scholas hactenus non ſolùm imprudenter, verùm etiam malè egiſſe, dum ſæpiùs iam dictum doctrinæ Corpus probavimus, & pro veritatis forma agnovimus: & ſic nos ipſos magnæ levitatis arguimus, omniaque anteacta veſtra inconſiderate reprehendimus atque enervamus. Deinde Philippum Melanchthonem & eius ſcripta, in Corpore doctrinæ comprehenſa, in graviſſimam inducimus ſuſpicionem, atque ſic præcipuos doctrinæ & religionis noſtræ antiſtites, nocentiſſimâ ſeparatione ab inuicem divellimus, quum tamen in ſummâ & optimâ animorum coniunctione ſemper vixerint, & ſeriò Chriſtianam Religionem propugnaverint: atque (quod minime diſſimulandum eſt) D. Philippus Auguſtanam Confeſſionem, eiusque Apologiam conſcripſerit, & in omnibus Comitiis aliiſque Conventibus contra Pontificios, tam dicendo, quam ſcribendo maſcule & graviter defenderit. Quod ſi hæc omnia ſimplici huius libri approbatione in dubium vocaverimus, actiones noſtras in publicis Conventibus confirmatas leviter reſciderimus; & præcipua noſtræ Doctrinæ lumina, acerrimoſque propugnatores, tanquam in Religione diſcrepantes, abinvicem ſeparaverimus, atque hac ratione Religionem noſtram in turpem invidiam, contemptum & incertitudinem adduxerimus: Quis quæſo cordatus & ſanæ mentis homo non videt, quantam hinc calumniandi occaſionem Pontificiis & Ieſuitis daturi ſimus? Taceo hic quantam incurſuri perturbationem & dubitationem ſint, non ſolùm Chriſtiani ſimpliciores, boni alioquin & veritatis amantiſſimi; verùm etiam multi ex Paſtoribus Eccleſiæ ſimplicioribus partim veſtri, partim noſtri, aliarumque regionum ſubditi, qui hactenus ad normam Corporis Philippici & fidem & doctrinam ſuam accommodârunt, ſi, eo abrogato, novæ doctrinæ forma introducatur. Vix enim, ac ne vix quidem ab his ſe cogitationibus ſimpliciores eximere poterunt, nempe, deceptos ſe hactenus, & ſeductos fuiſſe: nec tamen intelligent, in quo Corporis Articulo error commiſſus ſit, quum ſpeciatim eius nullam mentionem Concordiæ liber faciat.

Ad extremum, ob hanc etiam cauſam Lutheri ſcripta, nec pro Canone agnoſcenda, nec Concordiæ liber iiſdem ſubmittendus fuerit, quòd Lutherus non tantum magnorum Regum, principum & Dominorum, vtriusque noſtrum cognatorum, quemadmodum etiam privatorum quorundam hominum, honeſtam famam dicacitate quâdam ſuâ arroſerit, & graviſſimis quibuſdam accuſationibus indecenter traduxerit (quo vel uno nomine adducti, Lutheri ſcripta abſque omni exceptione, nullo

5 *Nævi aliquot ſcriptorum Lutheri.*

planè modo probare volumus: nec ſine, tum noſtri, tum laudatiſſimorum Maiorum noſtrorum famæ & honoris læſione poſſumus) verùm etiam quòd de Coniugio quædam & alia haud quaquam probanda ſcripſerit, dum & Miſſam ab initio repurgatæ doctrinæ, & Purgatorium, & id genus alia Pontificiis permiſit: & in Confeſſione ſua maiori de Cœna Domini, Revocationem Berengarii (in qua commentum Transſubſtantiationis docetur, apertè probavit, atque adeò confeſſus eſt, Nicolaum Papam in hac parte rectè cum Berengario egiſſe. Ita quoque Lutherus in Abrogatione Miſſæ ſcribit, quòd Chriſtus verbo virtutis ſuæ panem mutet in corpus ſuum, id quod Transſubſtantiationi admodum eſt affine. In eadem ſua maiori Confeſſione Transſubſtantiationem in numerum indifferentium rerum ponit. Alibi non dubitat aſſerere, in Proceſſionibus Papiſtarum verum Chriſti Corpus (quanquam contra mandatum Dei fiat) circumgeſtari: Adorationem etiam & venerationem Sacramenti eſſe adiaphoron, hoc eſt, rem in verbo Dei neque præceptam neque prohibitam. Etſi verò hæc in Lutheri neque invidiam, neque ignominiam ſcribimus, quippe quem eximium Eccleſiæ doctorem, multis præclaris animi dotibus ornatum fuiſſe agnoſcimus (ſiquidem vos haud latet, ipſum non minus quàm Doctores Eccleſiæ alios, qui absque nævis non fuerunt, Hominem fuiſſe, &, ipſo teſte: indies magis profeciſſe) tamen ex paucis hiſce periculoſis loquutionibus & aſſertionibus, quarum plures in ipſius ſcriptis invenire eſt, facile poteſtis intelligere, quanto cum periculo, quantaque inconvenientiâ fieret, ſi omnia abſque diſcrimine, cùm Lutheri, tum cujusvis alterius hominis didactica & polemica ſcripta (quemadmodum Bergenſe exemplar poſtulat) approbaremus & pro Canone admitteremus.

Ad eundem modum, quanquam in Schmalcaldicis Articulis, & in minori, maiorique Catechiſmo Lutheri nihil deſideramus, quum minorem eiuſdem Catechiſmum in omnibus noſtris Eccleſiis & Scholis hactenus retinuerimus, & etiam num hodiè in iiſdem vſurpetur: tamen ad tollenda & devitanda omnia ſupra dicta inconvenientia, omnium eſſe tutiſſimum iudicamus, ſi nos ſimpliciter & candidè in terminis laudatiſſimorum maiorum noſtrorum, & in decretis hactenus à nobis publicè confirmatis, contineremus, & proximè poſt Prophetica & Apoſtolica ſcripta & approbata ſymbola, Auguſtanam tantum Confeſſionem, Imperatori Carolo Anno 30. oblatam (tanquam ſymbolum fidei noſtri temporis) eiuſdem Apologiam, abſque omni aliorum ſcriptorum adiectione collocaremus, ſalvis interim & inconcuſſis, tùm Lutheri, tùm Melanchthonis & quorumvis aliorum ſcriptis, juxta veritatis regulam manentibus, ſicut hactenus à nobis factum, & memoriæ proditum eſt.

Admonitio de ſtatu controverſia in proprio verborum ſenſu referendo

Porrò operæ etiam precium eſt, quoniam hic Concordiæ liber publico Electorum & Principum nomine evulgabitur, ut ob noſtram reputationem quàm diligentiſſimè provideamus, ut in ſingulis controverſis Articulis ſtatus cauſæ ſive controverſiæ, & antitheſes in proprio verborum ſenſu, & abſque ambagibus rectè formentur, & bonâ fide referantur. Nam ſi quid hîc neglectum vel prætermiſſum fuerit (quemadmodum in quibuſdam libri capitibus fieri accepimus) & poſtea reiectarum antitheſium authores, doctrinæ ſuæ defenſionem, & adverſus nos accuſationem ſententiæ ſuæ malâ fide à nobis allegatæ inſtituerint, profectò parùm id honorificum nobis omnibus fuerit.

Corruptelas à Theologis Proteſtantibus non exagerandas in libro Concordiæ.

Optaremus inſuper in Libro Concordiæ corruptelas à Theologis Proteſtantibus introductas, non tantopere exaggerari, nec tam numeroſâ tot antitheſium cumulari reiectione: ſed, quia errores iſti, partim emortui, partim multis incogniti ſunt, nonulli etiam commodâ & brevi interpretatione corrigi poſſunt, multæ item antitheſes finguntur, de quibus fortè nemini in mentem venit cogitare, nedum ſcribere vel docere, conſultiſſimum eſſe iudicamus, pro conſervanda noſtra & religionis noſtræ authoritate, ſi ſublata prorsùs odioſâ, affectatâ & prolixâ iſtâ tot errorum & antitheſium enumeratione, nullum nobis adverſarium, qui nuſpiam eſt, ipſi fingeremus, & omnium maximè, ſi odioſa iſta, & infamiam redolentia, epitheta, quæ ædificationi non ſerviunt, ſed potiùs animos hominum exaſperant, nominibus minoribus corrigerentur, & non minus erga eiuſcemodi homines decenti moderatoque ſtylo vteremur, quàm in reliquis articulis Flaccianos ſpectantibus fieri animadvertimus. Ita namque futurum putamus, ut Authores Libri non ſolùm ab his, quos odioſis nominibus perſtrinxerunt, nullius adverſum ſe præpoſterè concepti odii accuſari queant, verùm etiam Pontificiis ipſis omnem nos noſtramque religionem calumniandi anſam, quam ex multiplici errorum enumeratione arrepturi ſunt, omninò

præci-

præcidant.

Admonitio de Vbiquitatis dogmate accurate examinanda.

Cæterum novum illud, & tempore oblatæ Confeſſionis Auguſtanæ prorſus incognitum dogma Vbiquitatis, ſive Omnipræſentiæ Corporis Chriſti, accurato iudicio examinandum eſt, quum ſemper Proteſtantes confeſſi ſint, convenire ipſis per omnia cum Pontificiis in Articulo de S. Trinitate, de hypoſtatica vnione duarum Naturarum in Chriſto: Et primus omnium Lutherus in ſcriptis ſuis polemicis, fervore diſputationis dogma iſtud introduxerit, novumque eſſe his ſuis verbis confirmaverit; mirari ſeſe tam paucos inter Theologos inventos eſſe, qui hunc Articulum de Chriſto profundè ſatis perpenderint & decenter crediderint. Quamvis verò alibi talem Vbiquitatem improbat, dum ſcribit, *De Vbiquitate, vel in omnibus locis eſſe, diſputari non debet: multò enim alia res eſt in hoc negotio:* tamen in libro Bergæ recognito Vbiquitas etiam in articulo Cœnæ Domini pro fundamento veræ præſentiæ Corporis & Sanguinis in Cœna ponitur; atque in hunc finem, ut nos quidem arbitramur, nempe ad introducendam & confirmandam Vbiquitatem, polemica ſcripta Lutheri in Libro Bergenſi canonizantur, & integri ex eis paragraphi de verbo ad verbum inſeruntur. Quamvis igitur tam Neſtorii, quam Eutychetis damnatos errores toto animo & corde quàm maximè deteſtamur, neque Sacramentariorum opinionem in articulo Cœnæ probamus: ſed diſertè confitemur, quemodmodum de hoc Articulo in tranſmiſſo Libro ſtatim ab initio benè & piè ſcribitur, nempe duas Naturas in Chriſto non verbaliter, nec inſtar duorum aſſerum conglutinatorum (tametſi quis unquam ita locutus ſit, nemo nobis hactenus ſignificare potuit) ſed realiſſimè, abſque tamen confuſione ſui & ſuarum proprietatum, unitas eſſe: ſicuti hæc doctrina in ſymbolis & decretis Conciliorum, præſertim Epheſini & Chalcedonenſis plenè & rotundis verbis explicatur; unde libenter & abſque vllo ſcrupulo confitemur & credimus, Chriſtum Dominum omnipotentem, & promiſſionibus ſuis veracem, Corpore ſuo in Sacra Cœna, & quocunque ſe verbo ſuo alligavit: vere præſentem eſſe & exiſtere poſſe. Ideoque abſurdiſſimum cenſemus in iis rebus ab impoſſibilitate & ex rebus phyſicis rationibus argumentari velle, vbi notiſſimæ promiſſiones Chriſti ob oculos habentur: quum hoc Chriſtianorum omnium & noſtrum indubitatum axioma ſit, & veracem Chriſtum eſſe, & Dominum omnipotentem: tamen ignorare non poteſtis, & nunc, proh dolor, nimis manifeſtum eſt, quanto contentioni ſtudio hoc Vbiquitatis dogma, primùm quidem à Luthero fervore diſputationis contra Zuinglianos introductum, & ab aliis deinceps revocatum, maiorique copiâ amplificatum fuerit. Addo etiam abſurdas, periculi plenas, & ad deſtructionem præcipuorum Articulorum Chriſtianæ noſtræ fidei ſpectantes conſequentias, quæ ex hoc infelici dogmate hactenus profluxerunt, & indies magis ac magis cum magno Eccleſiæ detrimento, afflictaque perturbatione eruuntur. Ad ſummam, ex hac portentoſa Vbiquitate præcipuæ & vſque dum benè ſopitæ hæreſes, ab inferis quaſi revocantur, atque ſic ſimpliciorum animi miſere involvuntur, ut hoc dogma ſemel ingreſſi à graviſſimis hæreſibus abſtinere & eruere ſe nequeant. Qua re olim Chriſtianiſſimi Imperatores moti, in quatuor probatis Oecumenicis Conciliis Niceno, Conſtantinopolitano, Epheſino primo & Chalcedonenſi, prudentiſſimo conſilio, graviſſimiſque de cauſis ſtatuerunt, ut brevibus, paucis, juſtiſque theſibus ſive Canonibus, ſignificanti præſcriptione à Sanctis Patribus notaretur, quibus modis & phraſibus loquendi & docendi, ad inconcuſſam fidei noſtræ veritatem, in tantis hiſce myſteriis de perſonali duarum Naturarum in Chriſto vnione, ſimpliciter & Chriſtianè vtendum eſſet. Graviſſimis etiam pœnis propoſitis caverunt, ne extra hæc Patrum decreta de myſteriis à quoquam ſubtilius diſputaretur, & profundius inquireretur. Hanc prudentem maiorum noſtrorum ſimplicitatem, & in quatuor Oecumenicis Conciliis magno ſtudio, & ſingulari prudentiâ decretas, & vnanimi conſenſu hactenus in Eccleſia receptas & vſitatas phraſes meritò etiamnum hodiè & imitaremur & retineremus: & ſub gravi pœna omnes curioſas & imperſcrutabiles quæſtiones præcideremus, neque animos Chriſtianorum malè affligeremus. Fieri etiam non poteſt, quin Pontificii & Ieſuitæ, qui Vbiquitatem, & quæ inde eruuntur abſurda, graviſſimè oppugnant, ex ſubtilibus hiſce, arguciſque diſputationibus occaſionem arripiant, nos calumniandi, ut qui à primis Auguſtanæ Confeſſionis Articulis, nempe de Trinitate & Perſona Chriſti, de quibus hactenus inter nos & illo nihil certarum ſit, deſciverimus. Conſtat etiam ad confirmandam in Cœna Domini veram Corporis & Sanguinis Chriſti præſentiam, ipſa inſtituentis verba, *Accipite, edite, Hoc eſt corpus meum,* &c. pro ſufficienti demonſtratione hactenus & agnita & vſurpata fuiſſe, quum Deus omnipotens ſit, & quæ promiſit fideliter præſtet; quæ etiam ratio & firmitas omnibus

verè credentibus, quantumuis afflictis & tentationum fluctibus ſubiectis, abundantiſſimè ſatisfacit. Quamobrem non ſolùm operæpretium non eſt, ſed etiam detrimentoſum, ſi iuxta verba Chriſti, etiam pro fundamento præſentiæ veræ Corporis & Sanguinis in Cœna ponatur, ambiguum & fluxuoſum, & tam à multis præclaris viris Lutheri ſententiam probantibus, quàm à Pontificiis & Zuinglianis oppugnatum dogma Vbiquitatis. Quod enim in hac cauſa omnipotentis Filii Dei, vera & inconcuſſa verba, *Accipite, edite, Hoc eſt Corpus meum*, &c. ædificant, id rurſus anceps & ſinuoſa Vbiquitas deſtruit, & in dubium vocat. Et quum nonnulli exiſtiment, ſe hoc novo Vbiquitatis dogmate Sacramentariorum errorem refutare poſſe, metuendum profectò eſt, id quod & ipſa experientia docebit, ne in errore ſuo magis confirmentur, & Articuli fidei noſtræ, ſi non planè evertantur, ad minimum tamen apud multos in dubium vocentur. Certè quidem periculosè omninò, nec in verbo Dei fundatæ phraſes & locutiones ſunt, ſi dicatur, *Cœlum eſſe vbique*, &, *in Cœlo etiam Infernum eſſe*. Item, *Chriſtum Corpore ſuo ſecundùm Humanam ſuam Naturam non ſolùm in Cœlo eſſe*, qui, Scripturâ teſte, aſcendit: *verùm etiam in omnibus Creaturis, in lapidibus, in aquis & ſimilibus rebus aliis*. Et, *quòd cùm in vtero Matris ſuæ, ſecundùm Humanam ſuam Naturam eſſet, non ſolùm localiter, & circumſcriptivè, verùm etiam perſonaliter vbique fuerit, & ſic Cœlum & Terram impleuit. In ipſo etiam conceptionis momento omnes proprietates Divinæ Naturæ in Humanam eius Naturam iſta effuſas eſſe, ut caro eius immortalis facta fuerit, & quod paſſa ac mortua ſit per diſpenſationem tantùm factum eſſe*: quibus hactenus inauditis paradoxis multa quoque alia abſurda paucis antè annis à quibuſdam adiecta, propugnata & tantùm non cumulata ſunt, & etiamnum defenduntur ac cumulantur. Etenim ſi caro Chriſti in vtero Mariæ propter unionem Perſonalem eſt vbique, ut docetur, & ſic etiam extra uterum matris fuit, næ multi dubitarunt an verè homo conceptus & natus fuerit. Et ſi carni Chriſti omnes Divinæ Naturæ proprietates, & inter hac etiam impaſſibilitas, immortalitas & ſimiles realiter communicatæ ſunt, non abs re in dubium vocabitur, Verumne ſit, quod Scriptura dicit, Chriſtum eſuriuiſſe, ſitiviſſe, calorem & frigus ſenſiſſe; & an vere cæſus, Crucifixus & Mortuus ſit, quum nihil horum in Divinam Naturam cadat. Quod ſi verè mortuus non eſt, nullâ à mortuis reſurrectione opus habuit: & ſi cœlum & terra vbiquaria, ſimiliter Chriſtus non habuit neceſſe, ut in infernum deſcenderet, & in Cœlum aſcenderet. Atque hac ratione Articuli fidei noſtræ de Incarnatione Chriſti, paſſione, morte, & in Cœlos aſcenſione, quibus omnibus noſtra conſolatio & ſalus poſita eſt, in opus merè allegoricum, & Comœdiæ ſimile rediguntur, id quod auditu horrendum, & deploratione digniſſimum eſt. Etſi verò de aſſertoribus Vbiquitatis hoc pollicemur, eò ſententiam eorum directam non eſſe, ut abſurdas & impias haſce conſequentias ſuo dogmate Eccleſiæ obtrudant: tamen à quibuſdam hac noſtra memoriâ nimis ſtudiosè & præpoſterâ diligentiâ huiuſmodi res exaggerantur & paſſim in vulgus ſparguntur: unde ſimplicioribus, & negotii hujus inexpertis ad hujuſmodi, & his recentiores cogitationes occaſio & via oſtenditur. Non enim quieſcit Satan. Quod ſi Pauli Epiſtolis Spiritûs Sancti inſtinctu & afflatu ſcriptis vſu venit, ut à multis ſtatim ab initio, ad proprium ſuum interitum, in peregrinum ſenſum detorquerentur, vti Petrus Apoſtolus teſtificatur; quanto id magis de Vbiquitatis dogmate, & de inuſitatis ſupra poſitis phraſibus & paradoxis metuendum eſt? Quocirca ad tollenda omnia hæc inconvenientia, & amovendas Pontificiorum & Ieſuitarum calumnias, quibus nos perſequuntur, & ad promovendum Opus Concordiæ piè inſtitutum hanc viam & rectiſſimam, & tutiſſimam eſſe judicamus, ut quicquid in hoc Libro Vbiquitatis commentum redolet, planè omittatur, inque hujus locum doctrina de his capitibus, in quatuor œcumenicis Conciliis approbata collocetur, ad cuius etiam normam apertè & candidè ſententiam noſtram explicemus, atque exemplum pientiſſimorum Imperatorum imitantes, omnem de hiſce imperſcrutabilibus myſteriis diſputandi & inquirendi rationem ſeriò prohibeamus: Sunt enim & manebunt myſteria, quæ non in hac vita, ſed in altera demùm intelligimus.

Poſtremò, quantum condemnationem Zuinglianæ ſententiæ attinet, non dubitamus, quin & noſtrum ante hac vobis communicatum, & à bono animo profectum conſilium, & prudentem Reginæ Angliæ de hac re admonitionem recenti memoria teneatis: in his etiam nunc acquieſcemus. Nam ſi quilibet legimus iudex, vel notoriè facinoroſum, abſq; iuris ordinario proceſſu, & legitimâ cauſę cognitione reformidat damnare:

quantò

quantò minus nobis licebit, qui legitimi ipſorum judices non ſumus, quum ad cauſæ ſuæ cognitionem & auditionem vltrò ſeſe offerant, eos inauditâ cauſâ damnare, pro quibus ſanguinem ſuum Chriſtus fudit, & qui fortè apud Deum in æquali nobiſcum gratia ſunt; quique fidem ſuam hactenus Sanguine ſuo & probârunt & obſignarunt. Satis igitur nobis erit, ſi improbatione & rejectione ſententiæ ipſorum, & ad imitationem Maiorum noſtrorum, talium verborum vſurpatione, ut in Confeſſione Auguſtana leguntur, diſſenſum ab ipſis noſtrum teſtemur.

Itaque quum has admonitiones iam commemoratas bono conſilio & matura deliberatione dignas putemus, & aliis etiam Electoribus, Principibus & Statibus Imperii hæc omnia ſummæ curæ eſſe intelligamus, noſtro quidem judicio convenientiſſimum erit, ut antequam in hoc negotio Status Imperii progrediantur, pacifici quidam Theologi, qui in Bergenſi libro hoc, vel illud deſiderant, convocentur, ut de graviſſima hac cauſa deliberent, amicè & fideliter conſilia ſua conferant, & ad Eccleſiæ Dei vtilitatem dirigant: in hoc etiam ſummâ animi contentione incumbant, quâ ratione & viâ vnanimi conſenſu & ſalutariter inſtitutum Concordiæ Opus ad optatum finem perducatur. Neque enim rectè negotio conſuli arbitramur, præpoſterâ iſtâ à Paſtoribus & Scholarum moderatoribus, ſubſcriptionum poſtulatione, & collectis undiquaque præjudiciis, quum boni iſti homines & ex maiori parte, Bergenſem librum defunctoriè, ut Moniales Pſalterium, vel legerint, vel legi audierint, nec earum rerum admoneantur, quas diligenter hic ponderari maximè neceſſarium eſt. Accedit eodem, quòd maturè de tantis rebus cogitandi, & ſententiam ſuam liberè ac intrepidè dicendi, nec tempus nec commodam occaſionem habent. Exempla quoque teſtantur, quid aliquando bonæ frugis hujuſmodi ſubſcriptiones multis attulerint. Quamobrem amanter vos rogamus, ut hæc omnia quæ ſcripſimus, non aliter quàm ex bono, aperto, & zelo Dei permoto animo profecta accipiatis, & in hac cauſa in omnem partem id tantum agatis (ut haud dubiè facitis) quod ad gloriam Dei, ad Chriſtianæ concordiæ conſervationem, ad Religionis & omnium noſtrûm, tum Electorum, tum Principum, authoritatis tuitionem, ad diſſidiorum & rixarum in Eccleſia Dei profligationem, fructuoſum & ſalutare fuerit: In quam rem pro noſtrâ virili parte omnia noſtra ſtudia, conſilia ac vires conferre ſumus quàm paratiſſimi, vobis ſimul amanter offerentes noſtra ſtudia & officia. 20. Decemb. An. 1577.

Vvilhelmus D. G. Landgravius Haſſiæ.

Cenſuræ ſeu Animadverſiones quorundam Theologorum Germanorum in Librum Concordiæ.

Scripta eſt quoque & edita Anno 1577. *Cenſura à Theologis quibuſdam in Germania de Libro Concordiæ: in qua* primò *agitur de Auctoritate hujus libri, ejuſque Inſcriptione.* Secundò, *de Præfatione ejuſdem, in qua Compilatores Libri hujus pro baſi & fundamento ſuarum deciſionum aſſumunt non ſolùm verbum Dei & tria Symbola, nimirum Apoſtolicum, Nicenum & Athanaſii, omiſſo tamen Epheſino & Chalcedonenſi: quorum non minor fuit ſemper in Eccleſia, quàm reliquorum, auctoritas, & quæ idcirco videri poſſunt ab iſtis præterita, quod eorum dogmati ex diametro repugnent: & pro iis adiiciunt ſuperioribus Confeſſionem Auguſtanam, Cæſari Anno* 1530. *oblatam, ejuſque Apologiam: Item, Schmalcaldicos Articulos, Magnum & parvum Lutheri Cathechiſmum, cum reliquis eius omnibus tam didacticis, quàm polemicis ſcriptis.* Tertio, *tractatur de nova Vbiquitatis doctrina per totum hunc librum ſparſa, de peccato Originali, de Iuſtitia fidei coram Deo, de Lege & Evangelio, de Cœna Domini, de perſonali Vnione, de Prædeſtinatione, &c.* Quartò, *de condemnationibus huic Libro contra Orthodoxos inſertis.* Quintò, *An hoc ſcriptum probè cum Auguſtana Confeſſione conveniat, & iiſdem; ut authores ejus iactitent, fundamentis nitatur. Et quia graviter de his omnibus orthodoxi illi Theologi Germani pronuntiant ac judicant, totam eorum Cenſuram ſeu Iudicium de hoc Concordiæ Libro, in Benevoli Lectoris, nullo falſo præiudicio faſcinati, gratiam adiiciam.*

De Authoritate & Inſcriptione Libri Concordiæ.

Primùm: Cùm polliceantur libri huius auctores ſummam, integramque omnium dogmatum, quæ inter Auguſtanæ Confeſſionis Profeſſores, ac Theologos controverſa eſſe cœperunt, deciſionem ac conſenſum: non explicant tamen vllibi quâ auctoritate, aut à quibus, aut quomodo fuerit Liber hic compoſitus: Et tamen

De modo inuſitato quo vſi ſunt Patres Bergenſes in conſcribenda formula Concordia.

O 5 men

men magiſtraliter (ut Scholaſtico verbo vtamur) in eo tum deciſiones ſuas, tum aliorum condemnationes, concipiunt & pronuntiant. Hæc autem agendi ratio prorſus eſt intolerabilis in Eccleſia Dei, in qua ſi quæ unquam diſſidia de rebus alicujus momenti orta ſunt, in liberis legitimiſque ſemper Synodis ſolita ſunt decidi, & componi: auditis prius liberè, & piè examinatis vtriuſque partis rationibus & argumentis: iiſque vel receptis, ſi cum ſyncero Dei verbo convenirent, vel repudiatis, ſi cum illo pugnare convincerentur. Hoc verò ipſum eſt, quod & Lutherus, & Eccleſiæ omnes Chriſtianæ à Regibus, & Principibus, adverſus Papam ejuſque aſſeclas, ſemper experiverunt.

Quod ſi aliquando certis quibuſdam viris, eiuſmodi controverſiarum compoſitio commiſſa eſt, electos illos prius communi Synodi alicujus conſenſu fuiſſe oportuit, ad quam poſtea omnia referrentur. Quum igitur contrariâ omninò ratione, hoc ſcriptum conceptum fuerit, nec debet, nec iure poteſt à quoquam propter incommoda, quæ inde conſequerentur, aut recipi aut probari, multoque minus temerè ſubſcribi: ne ſi quidem doctrinam omninò puram contineret: quod quidem de hoc ſcripto (quantum nos ex verbo Dei iudicare potuimus) dici non poteſt.

Quòd ſi fortaſsè prætexere Principum quorundam authoritatem audeant, quorum iuſſu aliquot Theologi convenerint, ut de componendis controverſiis in Religionis negotio rationes inirent: hoc tamen tantam authoritatem huic ſcripto conciliare non potuit, ut pro unanimi, & ab omnibus Germanicis Eccleſiis recepta controverſorum dogmatum deciſione ſtatim agnoſci debeat, atque omnibus obtrudi, ut ſine publici & generalis Synodi examine & approbatione ſyngraphis omnium obſignetur. Neque hic diſſimulare poſſumus, perveniſſe ad nos exemplar reſponſionis ſeu potius conſilii, quod ſex illi Theologi (qui hujus libri authores, ſeu compilatores fuiſſe ab omnibus perhibentur) Bergæ apud Magdeburgum ad 5. Calend. Quintileis nuper congregati Illuſtriſs. Principi Saxoniæ Duci obtulerunt: Quo reſponſo apparet, ipſos fines mandati non ſolùm tranſiliiſſe, ſed planè pervertiſſe. Nam quum ſcriptum quoddam duntaxat examinandum ſibi à Principe fuiſſe propoſitum ipſimet fateantur, ut ad Celſit; ipſius ſuum de eo judicium referrent: ac ſimul de publica & generali Synodo (ſive Conventu omnium Ordinum Imperii qui Auguſtanam Confeſſionem profitentur) cogenda cogitarent, in qua liber ille offerri, proponique (cum aliis, quæ ad concordiam Eccleſiarum neceſſaria viderentur) commodè poſſet: Illi contra ſtatuunt, non expedire ut vlla Synodus de doctrina hoc ſcripto contenta (quam ſciunt, agnoſcunt & fatentur, pleriſque tum Principibus atque Ordinibus Imperii Auguſtanæ Confeſſionis, tum quamplurimis eorum Theologis, & paſtoribus non probari) cognoſcat & judicet. Sed tutius fore, ſi prius ſubſcriptiones à ſingulis Theologis eorum Ordinum (quos iſti certo ſtatuunt, ſecum ſentire) cautè extorqueantur ad eius approbationem. Itaque piam Principis mentem iſti ſic eludunt, & conſilium fraudulentum & penitus iniquum ac verè tyrannicum ſuggerunt.

Quâ fronte igitur aut Principis auctoritatem prætexere, ut huic ſcripto publicam auctoritatem acquirant, quia ipſis eius inſpectio à Principe commiſſa eſt: aut vnanimem in doctrina conſenſum hoc ſcriptum inſcribere ac tanquam publicè ab omnibus approbatum venditare audent? quod à pauculis tantùm, ſex nimirum, ut aiunt, ſcriptum, probatum, & quâ voluerunt formâ compactum eſt. An non hoc eſt alienæ fidei dominari, ac tyrannidem in Eccleſiam vſurpare, ſi paucorum hominum placitis reliqui omnes ſine diſquiſitione quoquo jure, quaque injuriâ ſubſcribere vel jubeantur, vel cogantur? Hæc ergo primùm intolerabilis eſt arrogantia, quæ olim à D. Luthero, hodieque tum à nobis, tum ab iſtis meritò in Pontificiis reprehenditur, & damnatur: quòd ſcilicet privatorum hominum ſcripta Dei verbo exæquare fas non ſit. Quid autem aliud faciunt iſti, dum clandeſtinis ſuis conſiliis hoc agunt apud Principes, ut nemini liceat in hoc ſuum ſcriptum inquirere, ſed cogantur omnes illi aſſenſum præbere & ſubſcribere, tanquam certiſſimæ fidei Regulæ? Audiant quæſo, quomodo D. Lutherus, in ejuſmodi vſurpatam auctoritatem (qua ſibi unis Pontificii de aliorum ſcriptis iudicium arrogant, cum à nemine tamen ſua decreta iudicari patiantur) invehatur; *Vbi manet*, inquit ille contra Eraſmum de ſervo arbitrio, *libertas & poteſtas iudicandi Decretores illos? ut Paulus* 1. *Cor.* 14. *docet, dicens: Cæteri diiudicent, Non placet tibi eſſe judicem in Decretis Eccleſiæ (quod Paulus tamen præcipit) Quæ iſta nova religio, & humilitas? ut nobis tuo exemplo poteſtatem adimas*

judicandi decreta hominum? & ſubiicias nos ſine judicio hominibus? Vbi nos hoc mandat Scriptura Dei? Hactenus Lutherus: cujus verba, an non meritò in iſtos Theologos vſurpari poſſunt, qui aliis omnibus ſua placita præſcribere audent: & interim miris artibus libertatem dijudicandi Eccleſiis adimere conantur: ac tantundem auctoritatis humanis ſuis ſcriptis arrogant, quantum ſolis Scripturis Sanctis deberi omnes orthodoxi ſemper confeſſi ſunt? Quid hic Pontificii? An non jure conquerentur ad privatum iſtos Doctores colloquium accitos, plus ſibi iuris & authoritatis vſurpate in Eccleſias, quàm ipſi toti Papiſtico Clero in unum publicè convocato concedere velint? En quomodo non ſe duntaxat, ſed Eccleſias omnes Germaniæ, adverſariorum ſannis, atque exprobrationibus exponant: & pios ſimul omnes hoc ſuo factu & arrogantiâ offendant & irritent. Taceo de Dei excandeſcentia in ejuſmodi arrogantes juris ſui vſurpatores. Non eſt ergo quòd de authoritate hujus libri magnopere vel ipſi glorientur, vel pii homines ſint de eius ſubſcriptione deneganda ſoliciti. Ea enim planè nulla eſt, cum nec Eccleſiaſticum ejuſmodi ſcriptum dici, nec Theologicum dici mereatur, ut pote contra morem veteris Eccleſiæ, & non à Theologis, ſed potius à factioſis hominibus conſcriptum: qui nihil faciunt Eccleſiarum iudicium, ſed omnibus ſemel os obſtruere hac ſuâ finali ſeu poſtremâ, ut vocant, determinatione ſatagunt: damnatis omnibus qui illis aſſentiri recuſabunt.

De Præfatione Libri Concordiæ eiuſque Inſcriptione.

Bergenſes in ſua Formula non ſolum verbum Dei, ſed etiam Auguſtanam Confeſſionem & Lutheri ſcripta omnia pro norma doctrinæ ſtatuunt. Inter Symbola Epheſinum & Chalcedonenſe omittunt. Diſcrimen ſemper in Eccleſia

SEcundò, aſſumunt quidem huius ſcripti auctores in ſua *Præfatione* pro baſi & fundamento ſuarum deciſionum, Verbum Domini: quod certiſſimam regulam eſſe ſtatuunt, ad quam omnes tum Doctores, tum doctrinæ ſint examinandæ. Qua in re facilè cum illis conſentimus. Deinde addunt tanquam teſtes omni exceptione majores, tria Symbola, nempe Apoſtolicum, Nicenum, Athanaſii, quæ & nos probamus. In eo tamen ab iſtis diſſentientes, quod Epheſinum, & Chalcedonenſe omiſerint, quorum non minor fuit ſemper in Eccleſia, quàm reliquorum auctoritas, & quæ idcircò videri poſſunt ab iſtis præterita, quod eorum dogmati ex diametro repugnent.

Quòd autem tertio loco iſti adiiciunt Confeſſionem Auguſtanam Cæſari Anno M. D. XXX. oblatam, ejuſque Apologiam; Item, Articulos Schmalcaldicos, & poſtremò Magnam & parvam Lutheri Catecheſin; Id verò non ita ſimpliciter & ſine exceptione recipiendum eſſe in Eccleſia Dei, exiſtimamus: in qua ſemper diſcrimen conſtitutum eſt, & obſervatum inter ſacram Verbi Dei Scripturam, ſymbolaque illa quæ vocant, & privatorum Doctorum ſcripta quantavis doctrinâ & ſanctitate illi excellerent. Verbum enim Dei à ſeipſo authoritatem habet inexpugnabilem. Symbola verò pro authenticis teſtimoniis ideò habita & recepta fuerunt, quod decreta & deciſiones ex puro Dei verbo communi vniverſæ Eccleſiæ conſenſu, decerptas continerent. Non fuit tamen eorum tam certa & illibata auctoritas, quin liceret ſemel in eis conſtituta iterum atque iterum ad examen & regulam verbi Dei in aliis æquè legitimis Synodis, revocare & exigere, quoties id neceſſitas requireret. Id quod D. Lutherus ſonorè & graviter in primis illis heroicarum actionum ſuarum defenſionibus palam & voce & ſcriptis eſt teſtatus, cui magnam injuriam faciunt iſti, qui audent hæc pro irrefragabili divinæ Scripturæ interpretatione omnibus obtrudere. Id verò etiam apparet vel ex eo, quòd primum illud œcumenicum Concilium (cujus præcipua ſemper fuit auctoritas) Nicenum videlicet, ſæpiſſimè fuit diſcuſſum & examinatum, atque toties probatum ac confirmatum, quoties impugnare, & arguere illud quidam auſi ſunt.

fuit ſtater S. Scripturam & ſcripta hominum.

De Auguſtanæ Confeſſionis authoritate.

Quod verò ad Auguſtanam Confeſſionem attinet, notum eſt omnibus (quod tamen ſine præiudicio veritatis in ea contentæ dictum ſit) neque fuiſſe primùm conſcriptam generali omnium Principum, Ordinumque Germaniæ (qui Tyrannidem Papæ Romani ejurârant) nomine & conſenſu, ſed ſeptem duntaxat Principum, & duarum Civitatum neque poſtea niſi paulatim modò ab his, modò ab illis approbatam, idque ſine Eccleſiaſtica vlla diſquiſitione & examine. Denique quod non levioris eſt momenti, nō fuiſſe unquam ab aliis Eccleſiis vel Helvetiorum, vel eorum qui illis fœdere iunguntur receptam. Vnde duo conſequuntur. Primùm, etſi minimè ſit elevanda eius ſcripti auctoritas, tamen nullâ ratione habendam illam eſſe ſine exceptione pro Symbolo Eccleſiarum, quas reformatas vocant, vti in huius voluminis præfatione appellatur. Deinde etiamſi Symboli nomen illi competeret, tamen ſubiacere adhuc Eccleſiæ vniverſalis examini & judicio per verbum Dei: in quo audiantur liberè qui vel illi contradicere, vel de ejus germana interpretatione

diſputare contendunt: maximè cum conſtet ab eo ipſo, qui tam Confeſſionem, quàm Apologiam eius, conſcripſit, aliter intellecta & expoſita pleraque fuiſſe, quàm à Luthero atque huius libri authoribus exponantur.

De Apologia Auguſtanæ Confeſſionis.

De Repetitione Auguſtanæ Confeſſionis.

Porrò Apologiam, Confeſſioni adiectam, (unde iſti volunt peti veram & germanam Confeſſionis interpretationem) nuſquam apparet publicè fuiſſe vel ab vllis Principibus, atque Ordinibus Imperii: vel ab vllis ipſorum Theologis ſubſcriptam, & ſigillis authenticis approbatam. Et exſtant alia ſcripta magis authentica, ut Confeſſio Saxonicarum Eccleſiatum (quæ & repetitio Auguſtanæ Confeſſionis inſcribitur) non ſolùm à triginta uno Saxonicis Theologis, tam Paſtoribus, quàm Doctoribus ſolenniter ſubſcripta: ſed etiam à legatis quatuor Illuſtriſſimorum Principum: Item ab omnibus Paſtoribus Eccleſiæ Argentinenſis, & denique à tota Eccleſia, atque Academia citerioris Pomeraniç, ſolennibus ſcriptis & teſtimoniis in Eccleſiaſtico Conventu Vvittebergæ, 10: Iul. Anno 1551. approbata, tanquam certa, ſolida, ac (ut quidam ex illis loquuntur) conſummata, magiſque clara & perſpicua Auguſtanæ Confeſſionis expoſitio, quę nullis cavillis ſophiſticis labefactari poſſit. Ea verò cum pro legitima Confeſſionis repetitione & expoſitione publicè tot Annis à tot tantiſque viris & Eccleſiis probata, edita, atque recepta hactenus fuerit: mirum cur ab iſtis prorſus ſilentio prętereatur, aut cur diſſimulent conſenſum publicum huic potius repetitioni (quamvis multò explicatius, & ad noſtram de hoc Sacramento ſententiam accommodatiùs interpretetur articulum de Cœna Domini, quàm vel Apologia, vel Articuli illi Schmalcaldici, de quibus iſti tantum in hoc ſcripto meminerunt) præbitum fuiſſe: quàm vllis aliis ſcriptis ab iſtis ſex viris in hoc ſuo Libro citatis, & pro authentica ſuæ Confeſſionis expoſitione probatis. Oportuit enim ſex iſtos Theologos (qui hoc ſuum ſcriptum, *Vnanimem Auguſtanæ Confeſſionis Repetitionem, & rectam ac poſtremam expoſitionem*, ad hanc Apologiam & Schmalcaldicos Articulos referendam inſcribere & omnibus Eccleſiis ſubſcribendam, obtrudere audent) priùs vel fidem facere, quomodo & quando omnes tam Eccleſiæ quàm Principes ac Theologi (qui priorem illam ſolenni ritu approbârant & ſubſcripſerant) eandem authoritatem in hanc contulerint, quam priori illi tribuerant: vel ſi hoc non poſſunt, illos apertè ex albo ſociorum Auguſtanæ Confeſſionis eximere: vel denique agnoſcere falsò ſe hunc titulum huic Libro præfixiſſe, ut hoc fuco faciliùs ab incautis ſubſcriptionem extorquerent. Hinc ergo & ipſi Apologiæ, & huic ſcripto omnis authoritas adimitur.

De Lutheri ſcriptis

Reliqui autem tractatus, quibus ſuam doctrinam niti affirmant, ut eſt Catecheſis, tam parva quàm magna D. Lutheri, privati hominis ſcripta ſunt: quem nos certè pro eximio viro, & prę cæteris excellentibus donis ornato, hominem tamen agnoſcimus: Cuius vnius ſententia omnibus reliquis, fidei normam ac regulā ſine controverſia pręſcribere nec poteſt, nec debet. Nec ille ipſe D. Lutherus ſe eo loco vult haberi, quaſi nuſquam errâre potuerit, ſed ſępè contrarium teſtatur: vt in pręfatione ad Geneſin de ſuis operibus loquens hæc liberè profitetur: *Mallem*, inquit, *pias operas, & bonas horas in meliorem authorem collocatas eſſe: Neque enim ego is ſum, de quo dici poſſit, fecit: neque is de quo dicere poſſis, faciebat: In vltimo ordine conſiſto qui vix dicere audet, voluit facere: Et vtinam eſſem dignus in hoc ordine vltimo vltimus eſſe.* Et paulò poſt: *Denique non ille optimus, qui omnia comprehendit, aut nuſquam defecit; nullus enim talis fuit, aut erit.* Hæc ille non fictâ & hypocriticâ modeſtiâ: ſed ſuam (ut reliquorū omniū hominum) tenuitatem, & ad ignorāda multa, imò ad errandum quoque proclivitatem ex animo agnoſcens. Et ſanè negari non poteſt D. Lutherum in quibuſdam aliquando hallucinatum fuiſſe. Veluti cùm alicubi ſcribit: *Liberum cuique eſſe citra periculum ſalutis, alterutrum imaginari, opinari, aut credere.* Videlicet *vel panem remanere in Sacramento* (ut nos omnes à Scripturis edocti rectè ac verè credimus, & docemus) *vel pane mutato in corpus, ſola eius accidentia reſtare* (quod Scholaſtici ſophiſtæ falsò tradiderunt, & totus Papatus perperam opinatur) *cùm hic nulla ſit*, inquit Luterus, *fidei neceſſitas.* Itane verò ex Lutheri ſententia, impunè Scripturam Sacram corrumpere cuique liberum erit? Nec Tranſſubſtantiatio, & quæ eam conſequuntur abſurda, contra Articulos fidei eſſe cenſebitur? Ergóne quidvis de Sacramentis ſentire & imaginari cuilibet citra piaculum licebit? Sed hæc fortè Lutherus adhuc novitius ſcripſiſſe dicetur. Illud verò quā durum & ambiguū quod longo poſt tempore de Virgine Maria ſcriptum reliquit. Tom. 7. fol. 402. *Nos in Deum fiduciam noſtram ponimus, qui à Maria corporaliter & ſpiritualiter in hanc lucem edi, nec tamen corporaliter nec ſpiritualiter ab eadem manducari & bibi, voluit.* Vnde verò id habet Lutherus? quod ſi omnimodo verum eſſet, de Mariæ fide ac proinde de eius ſalute ut cætera abſurda attingamus) merito dubitari poſſet: cùm de Spirituali Carnis ſuæ manducatione & Sanguinis

Sanguinis bibitione, quę fit per fidem, dixerit Dominus Ioan, 6. *Niſi ederitis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Hîc certè nemo fidelium excipitur. Et quòd pagina ſequenti addit, falſi etiam argui poſſet. *Quocunque*, inquit, *in Scripturæ loco, ſibi invicem opponuntur Caro & Spiritus, ibi Caro non poteſt de Corpore Chriſti intelligi, ſed ſemper de Carne veteri, quæ de Carne nata eſt.* Hæc ille. Atqui in fine 3. capit. 1. ad Timoth. Caro & Sanguis ita opponuntur, ut Caro non de veteri Carne, quæ de Carne nata eſt: ſed de Corpore Chriſti, quod ex Spiritu Sancto in Maria conceptum & ſine labe veteris hominis ex Maria natum eſt, manifeſtè intelligatur. *Sic Deus*, inquit Paulus, *manifeſtatus in Carne, juſtificatus in Spiritu*, &c. Item Roman. 1. *De Filio ſuo facto ex ſemine David ſecundùm Carnem: & declarato Filio Dei ſecundùm Spiritum Sanctificationis.* Et 1. Pet. 3. *Chriſtus mortificatus Carne, vivificatus autem Spiritu.* Quibus omnibus locis caro pro tota Natura Humana Chriſti incorrupta: Spiritus autem pro Natura Divina vſurpatur. Poſſent & alia exempla proferri: ex quibus apparet Lutherum non ſolùm ut hominem errare potuiſſe, ſed etiam manifeſtè erraſſe. Vt meritò optàrit in Præfatione ſuorum operum ſua ſcripta cum ſumma miſeratione & iudicio legi: ut infra citabimus. Ergo firmum fundamentum fidei eſſe non poſſunt D. Lutheri (quantumvis excellentis ſervi Dei) ſcripta, ut iſti volunt.

De aliorum Doctorum ſcriptis.

His omnibus addunt, probari & recipi ab ſe tanquam authentica teſtimonia ſuę doctrinæ, aliorum etiam Doctorum ſcripta, quę ante controverſias de vera Auguſtanæ Confeſſionis interpretatione inter ipſorum Theologos ortas, edita & recepta fuerunt. Hoc verò uti ab ipſis dicitur nullo pacto admitti debet, cùm neque ſcriptorum nomina, neque tempus vllum certum exprimant, quo ſcripta illa in lucem prodierunt. Tanta enim reperitur ſcriptorum varietas, ut nemini conſtare certò poſſit, quæ probanda, quęve improbanda ſint.

Habuerunt certè & noſtræ Eccleſiæ iampridem communem Confeſſionem Baſileæ primùm ab Helvetiis compoſitam. Habent & aliam generalem, Tiguri poſtea conſcriptam: quæ non ſolum ab omnibus Eccleſiis Chriſtianis, quæ ſunt in Helvetia, Rhetia, & confœderatis Provinciis, ut Geneva, &c. ſed etiam ab iis quę ſunt in Belgio, in Gallia, Scotia, & maxima parte Polonię, Hungarię atq; Tranſſylvaniæ diligenter examinata, approbata, & tandem etiam ſubſcripta fuit. Neque vlla eſt in doctrina controverſia inter Anglicanas Eccleſias, & eas omnes, quę hanc Confeſſionem ſunt amplexæ. Pleræque etiam ex ſupra nominatis Eccleſiis receperunt & vtuntur formulâ Catechiſmi, quam Calvinus pro Genevenſi Eccleſia conſcripſerat. Abſit tamen, ut vel vlla prædictarum Confeſſionum, vel illa Catecheſis, aliave hujuſmodi ſcripta, à quoquam noſtrûm obtrudâtur cuiquâ, pro Symbolo aut fidei Regula. Sed ſummis ſemper votis hoc unum optavimus, optamuſq; adhuc, ut liceat omnia eiuſmodi ſcripta in œcumenica omniũ Eccleſiarum Chriſtianarum Synodo, liberè diſcutere (auditis omnibus qui contradicere cupiant) & tandẽ ex puro puto Dei verbo omnes cõtroverſias dirimere, & ab omnibus receptá veritatis doctriná communi omnium conſenſu ſtabilire.

Hæc igitur de Auctoritate, Inſcriptione & Præfatione hujus Libri dicenda & notanda viſa ſunt. Nunc inquiremus *primò*, An hæc Formula Concordię nova quędam dogmata contineat, quæ verbo Dei & doctrinæ Chriſtianæ adverſentur? *Secundo*, An in hac Formula pars quædam verè doctrinæ condemnetur? *Tertiò*, An hęc Formula cum Auguſtana Confeſſione in omnibus probè conveniat, & iiſdem cum illa fundamentis nitatur?

1 In Formula Bergenſi novas & verbo Dei contraria dogmata contineri.

Ac primùm quod ad nova dogmata, & veræ doctrinæ, quæ in noſtris Eccleſiis inde ab initio prædicata eſt, contraria ſpectat: hæc potiſſimùm deprehendimus.

De peccato Originis.

In tractatu ſeu cap. 1. *De peccato Originis*, ſectione ſeu art. 21. ſcribunt, *hominem naturaliter à patre & matre ſecundum corpus & ſecundum animam genitum in ſua natura univerſa, omnibusq; facultatibus, ad ſummũ eſſe corruptũ.* Quibus verbis dogma de Traduce animę invehunt in Eccleſiam: quod tamen hactenus à nulla receptum eſt, & quod nos minimè recipiendum eſſe exiſtimamus.

De Iuſtitia fidei coram Deo.

Item in tractatu ſeu cap. 3. De iuſtitia Fidei coram Deo (in ſexto errore ab ipſis damnato ſub finem ferè capitis) ſtatuunt, *non ſolùm Dei dona, ſed & Deum ipſum in credentibus habitare:* At nos cum univerſa Eccleſia Eccleſia docemus, Deum quidem ſuâ eſſẽtiâ vbique eſſe, nuſquam autem habitare perſonaliter niſi in unica Ieſu Chriſti perſona: ſecundum virtutem verò & efficaciam bonitatis ſuæ, quæ illi propria eſt, habitare duntaxat in Sanctis.

De bonis operibus.

Item in tit. ſeu cap. 4. De bonis Operibus ſect. 17. & 19. volunt, *Fidem & Spiritum Sanctum prorſus amitti à fidelibus, quoties ſcienter & voluntariè peccant.* Nos verò docemus cum Apoſtolo, veram fidem atque perſeverantiam, quemadmodum & electionem, dona eſſe Dei ἀμεταμέλητα in iis qui verè credunt, & ideò penitus amitti non poſſe, quamvis interrumpantur eorum effecta, illius

vitio

vitio qui à tentatione vincitur.

De Lege & Evangelio. In tract. 5. de Lege & Evangelio, confundunt ferè vbique terrorem conſcientiæ qui à lege proficiſcitur, cum reſipiſcentia, quæ cordis eſt converſio, & à Spiritu Ieſu Chriſti procedit, per Evangelii prædicationem.

De pœnitentia. Sic etiam eiuſdem cap. ſect. 6. ubi de Pœnitentiæ ſignificatione agitur, ita tribuunt ſpiritualem Legis expoſitionem, prædicationi Evangelii à Chriſto factæ, ut eam prorſus à Moſis miniſterio excludant: Cùm conſtet eam legis explicationem, quæ à Domino Ieſu Chriſto eſt tradita, eandem eſſe cum ea quam & Moſes ipſe & Prophetæ docuerunt. Neque enim propriè expoſitio illa ad Miniſterium Evangelii pertinet: quamvis qui Evangelium annunciat, idem & Legem prædicare debeat.

De Cœna Domini. In tractat. de Cœna Domini capit. 7. ſect. 22. affirmant, in nullo neque veteris neque novi Teſtamenti Sacramento Dominum vſum fuiſſe verbis figuratis: ſed ſemper propriis & ſimplicibus. Hanc autem falſam propoſitionem, dum ad Cœnę verba accommodant, & ſimplicem ac naturalem ſingulorum verborum ſignificationem retineri debere contendunt, ipſi ſibi aliis in locis contradicunt. Alibi enim fateri coguntur, Prædicationem ſacramentalem inuſitatam eſſe, neque tamen figuratam. Quid hoc aliud eſt quam pugnantia ſcribere? An enim propriæ enũciationes inuſitatę ſunt? An verò figuratę paſſim vſitatæ? Item, quamvis nullum tropum, nullam horum verborum aliam quam ſimplicem expoſitionem agnoſcant, aut ab aliis afferri patiantur: ſibi tamen ſcribunt licere aliis enunciatis Chriſti verba exponere, exemplo Scripturę, quæ hanc propoſitionem, *Verbum caro factum eſt*, aliter alibi enunciat, ut *Deum manifeſtatum fuiſſe in carne*, item *Aſſumpſiſſe carnem*. Sic ergo ſibi licere pro *Hoc eſt Corpus meum*, dicere *In hoc, vel cum hoc, vel ſub hoc* (ſcilicet pane) *eſt Corpus meum*. Quid hoc verò eſt, ſi non eſt Scripturę authoritate abuti, & idipſum agere, quod in aliis ferre non poſſunt? Si tam clara ſunt verba Chriſti, quid hac expoſitione indigent? Si naturalis eſt verborum ſignificatio retinenda, cur à verbi ſubſtantivi naturali ſignificatione recedunt? Eſſe enim aliquid, nonne aliud eſt, quam eſſe cum aliquo, aut in aliquo, aut ſub aliquo? Eſt ergo & hæc nova doctrina veteri Eccleſiæ incognita, & ſecum pugnans ac diſſidens.

Evangeliſtas in hiſtoria Inſtitutionis Cœnæ, non iiſdem verbis vſos. Et ſect. 23. eiuſdem cap. aſſerere audent, *tam tres Evangeliſtas, quàm Paulum in hiſtoria inſtitutionis & diſtributionis Cœnæ iiſdem verbis & ſyllabis vſos fuiſſe abſque ulla vel expoſitione vel mutatione.* Quod ex contextus collatione falſi convincitur. Vbi enim Matthęus ſimpliciter de Corpore loquitur, ut & Marcus: Lucas addit ad maiorem expreſſionem, *Quod pro vobis traditur*, & Paulus pro *traditur* habet *frangitur*. In porrectione item calicis vtuntur aliis, & quidem diverſiſſimis verbis, Lucas & Paulus, quàm Matthæus & Marcus. Vbi ergo illa verborum & ſyllabarum identitas?

In eodem cap. ſeu tract. ſæpè affirmant, *verum Corpus Chriſti in ſua naturali ſubſtantia recipi & manducari ore Corporis.* Item, *& ipſammet ſubſtantiam ipſius Sanguinis ori ſumi & bibi.* Vnde aliud abſurdiſſimum colligant, nempe *hypocritas & indignos vere fieri participes veri Corporis & Sanguinis Chriſti:* quâ ratione Chriſti Corpus à Spiritu ipſius ſeparant & contradicunt verbis Chriſti, qui ait: *Qui comedit meam carnem & bibit meum Sanguinem habet vitam Æternam. Caro enim mea vere eſt cibus*, &c. Item alibi volunt, *verba inſtitutionis Cœnæ Domini cantari in Eccleſia debere.*

Item, eodem tract. ſect. 41. quæ incipit, *An Deus plures modos*, &c. affirmare audent, *Deum efficere poſſe ut vnum idemque Corpus, uno eodemque momento ſit pluribus in locis: modo etiam corporali & ſenſibili.* At nos fatemur quidem, Deum facere poſſe, ut Corpus deſinat Corpus eſſe, & ſtatim in nihilum abeat: Vt verò Corpus (quod ex Dei decreto finitum eſt) dum Corpus revera eſt, & manet, pluribus locis ſimul eſſe poſſit, hoc eſt, ſit infinitum: id certè negamus Deum aut velle aut facere. Cùm enim finitum eſſe, & infinitum, ſint è diametro oppoſita, alterutrum falsò de eodem Corpore dici neceſſe eſt: Deum autem falſa & pugnantia velle, aut facere, non poteſt ſine blaſphemia affirmari.

De Perſonali Vnione.

De Perſona Chriſti. TOto porrò Tractatu, ſeu Capite 8. de Perſona Chriſti, novum dogma confingunt De Hypoſtatica ſeu Perſonali duarum Naturarum in Chriſto Vnione, atque (ut nos quidem certò exiſtimamus) planè contrarium, tum ſacræ Scripturæ, tum doctrinæ à Chriſtiana Eccleſia iam inde ab initio vſque ad hæc tempora receptæ.

Primùm enim nomine Perſonæ IESV CHRISTI duas quidem Naturas, (nempe Deitatem Filii Dei, & Humanitatem) in Chriſto unitas intelligunt, ſed ita ut nuſquam exprimant hoc nomen *hypoſtaſeos*, ſeu *perſonæ* ad Naturam Divinam propriè referendum, & in ea ſola conſiderandum eſſe, quia humanitas non in ſeſe, ſed in Divinitate ſubſiſtat.

Secundo,

Secundò, non diſtinguunt inter proprietates eſſentiales Naturæ Divinæ incommunicabiles (quales ſunt Æternum eſſe, infinitum eſſe, ac proinde vbique eſſe) & illas, quarum effectus Creaturis communicantur (quales ſunt eſſe, vivere, bonum eſſe, fortem eſſe & ſimiles.) Quamvis enim propriè loquendo omnes Dei proprietates per ſe ſint incommunicabiles, effecta tamen illarum (quæ in nobis qualitates creatæ dicuntur) incommunicabilia non ſunt,

Tertiò, abutuntur vocabulo *Communionis* ſeu *Communicationis duarum naturarum*: cùm eius loco potiùs *Conjunctionis* ſeu *Vnionis* nomine vti debuerint propter harum locutionum abuſum.

4 *Quartò*, confundunt pariter proprietates eſſentiales Naturæ Humanæ (quales ſunt finitum, corporeum, circumſcriptum, & proinde uno duntaxat loco eſſe,) cum illis, quæ ſunt accidentariæ, ut ſunt famere, ſitire, pati, mori, &c.

5 *Quintò*, nullam adhibent diſtinctionem inter hæc nomina, Deus & Divinitas, Homo & Humanitas: Quæ tamen neceſſariò diſtinguenda ſunt, ut vitentur hæreſes Neſtorij & Eutychetis. Iſtæ enim propoſitiones, *Filius Dei eſt homo*: item; *Hic homo eſt Filius Dei*: veriſſimæ ſunt adverſus Neſtorium: Sicut & hę, *Divinitas non eſt humanitas*, & contra *Humanitas non eſt Divinitas*, veræ ſunt adverſus Eutychen.

6 *Sextò*, inducunt realem Communicationem proprietatum eſſentialium Divinitatis in Humanitatem: verbi gratiâ, eſſe eodem temporis momento pluribus in locis: Item, implere omnia: Et hanc vocant *Maieſtatem hominis Chriſti*: quâ volunt Humanitatem Chriſti realiter (ut vocant) eſſe præſentem vbicunque vult.

7 *Poſtremò*, etſi fateantur, proprietates humanitatis, communicari realiter (ut loquuntur) ipſi Divinitati (qua in re illis aſſentimur) fateri tamen nolunt, ſolam Ieſu Chriſti Humanitatem paſſam eſſe: Quæ tamen ſunt ex diametro pugnantia. Ex hac autem perſonali ſeu hypoſtatica unione malè intellectâ, iſti errores conſequuntur.

Errores qui ex hypoſtatica vnione malè intellectâ conſequuntur in Formula Bergenſi.

1 D. Ieſum Chriſtum non ſolùm ſecundum Divinitatem, ſed & ſecundum ſuam humanitatem (quæ realiter ſit omnium Divinarum proprietatum particeps) eſſe vbique ſeu vbicunque vult, maximè verò in pane & vino Cœnæ Domini.

2 Et ex conſequenti, Corpus & Sanguinem D. Ieſu Chriſti, ſumi, manducari, ac bibi ore Corporis, ab iis omnibus qui panem & vinum participant, ſive digni ſint, ſive indigni.

3 Item, eos qui Dominum Ieſum eſſentialiter negant in Cœna, tam ſecundum ipſius humanitatem, quàm ſecundum Divinitatem præſentem vbique eſſe, ſeparare duas Naturas. Quaſi quicquid de perſona dicitur in Concreto, etiam & quidem neceſſariò, de vtraque Natura dici debeat in Abſtracto.

4 Vnionem ſacramentalem Corporis & Sanguinis Chriſti cum pane & vino Cœnæ non pendere à ſola Inſtitutione, & mandato Domini, ſed præcipuè ab hac perſonali unione.

5 Glorificationem Humanitatis Chriſti cœpiſſe iam inde ab ipſo conceptionis momento.

6 Omnia Miracula à Chriſto facta, manâſſe ab hac Maieſtate, quæ humanitati ipſius communicata eſt: atque unicam eſſe in Chriſto potentiam ſeu virtutem.

7 Articulum Seſſionis ad dexteram Patris, intelligendum de hac communicatione Maieſtatis quæ à momento conceptionis cœpit.

Item, ſub finem ferè huius tractatus, videntur aſſerere, ipſam Divinitatem ſecundùm ſuam eſſentiam, habitare vel habitâſſe in Petro quemadmodum & in Chriſto. In expoſitione autem Articuli de Deſcenſu Chriſti ad Inferos affirmant, totam perſonam Dei & hominis Chriſti poſt ſepulturam Corporis, deſcendiſſe ad Inferos, quæ doctrina adeo nova eſt, ut hactenus in Eccleſia Dei nunquam fuerit audita.

De ordinatione Paſtorum.

In tractatu 10. de Cæremoniis, &c. *Ordinationem Paſtorum & Miniſtrorem Eccleſiæ* ponunt *inter ſe indifferentes*: quam tamen conſtat legitimam non eſſe, niſi ex verbo Dei reformata & reſtituta obſervetur, & Paſtores juxta pręſcriptum à Deo ordinem eligantur.

Ibidem, *ordinationem* vel *confirmationem Paſtorum & Miniſtrorum verbi ab Epiſcopis Papiſticis* (qui Evangelii doctrinam amplecti volent) *factam, legitimam eſſe, illique ius ordinationis competere, etiam in Eccleſiis reformatis concedunt*: quod certè nos probare non poſſumus, quum ij ipſi Epiſcopi, & plerique ab eis ordinati, ſint ex veteribus ipſis canonibus purioribus, imò & à recentibus multis, inordinatè ordinati: adeò ut ne Papiſtica quidem Eccleſia fuerit eos receptura, ſi qua illic ſupereſſet vera ordinationum ſpecies.

De Prædeſtinatione.

IN tractatu de Prædeſtinatione confundunt *vocabulum præſcientiæ Dei*, quâ ſcilcet Deus ſcit novitque omnia, *cum nomine providentiæ*, quâ rectè iuſteque decernit de omnibus

nibus. Sic etiam eandem *Providentiam Dei*, quâ cuncta adminiſtrat, confundunt *cum ipſius Prædeſtinatione*, quæ propriè pertinet tum ad ſalutem Electorum, per Dei miſericordiam, tum ad reliquorum condemnationem, ex iuſto ipſius iudicio.

Non agnoſcunt *Deum* (etſi malum, ſeu peccatum ex ſola peccantis malitia oriatur, ob quam juſtas pœnas luat) nihilominus *juſtè decernere quæcunque & Diabolus & homo malè agunt*: Neque propterea mali authorem vllo pacto exiſtere. Nec diſtinguunt inter *æternum Dei conſilium* (quod ſemper iuſtum eſt tam reſpectu Electorum, quàm reproborum) *ejuſq́. exſecutionē*, quæ à cauſis ſecundis pēdet.

Vocationem, quæ fit per Evangelii prædicationem, *ita generalem conſtituunt ut ad ſingulos quosque homines pertinere eam exiſtiment*: Cùm potius indefinita cenſenda dicendaque ſit, hoc eſt, pertinere ad quodvis genus hominum duntaxat, non ad ſingula individua. Quę ipſorum doctrina manifeſtè pugnat cum iis, quæ ipſimet ſcripſerunt & docuerunt hoc ipſo libro in tractatione de Peccato Originis & libero arbitrio.

Licet autem fateantur, electionem non ad omnes pertinere, ſuſpenſum tamen lectorem retinent de Dei conſilio circa reprobationem, de qua ne verbo quidem meminerunt.

In ſumma toto hoc capite multa ab illis dicuntur præter modum ab Auguſtana Confeſſione præſcriptum: multa à ſeipſis admiſcent: & à Lutheri doctrina de Prædeſtinatione longiſſimè recedunt. Denique locis Sacrarum Literarum ſæpiſſimè abutuntur & in alienum ſenſum detorquent: Errores omninò paucos accumulant, à nullis adhuc proditos: ut meritò dici poſſit, hanc tractationem minimè omnium eſſe Theologicam & cum ſana Doctrina convenientem, cuius ipſos authores pudere neceſſe fuerit, ſi coram legitimo cœtu rationem ſcriptorum ſuorum edere, ſicuti in Eccleſia fieri conſuevit, tenerentur, ut minimè profectò mirum ſit, eos examen iſtud refugiſſe. Atque hæc hactenus de nova doctrina toto hoc libro ſparſa. Nunc de condemnationibus huic ſcripto adverſus nos inſertis,

11 *De condemnatione orthodoxarum Eccleſiarum in Formula hac facta.*

Quamvis nemo niſi legitimè vocatus Iudicis officio fungi, iusque tum abſolvendi tum damnandi vſurpare poſſit aut debeat, nec authores huius ſcripti quicunque tandem illi ſint, appareat vſquam legitimè ad hoc munus vocatos: Quamvis item nulli iudici iure liceat quenquam damnare, niſi prius legitimè vocatum, auditum atque convictum, toto tamen hoc Libro, doctrina quæ inde in initio ab aliis Eccleſiis recepta aut prædicata fuit, & cui oſtendimus longè plurimas Nationes ſubſcripſiſſe, magiſtrali ſupercilio, & ſummâ quadam poteſtate & authoritate damnantur; idque non ſine atrocibus iniuriis atque contumeliis. Quin etiam ſub finem Præfationis, non ſolùm apertè dicunt, *non eſſe recipiendam illam aliarum Eccleſiarum doctrinam*, ſed addunt nominatim *partem errantem* (id eſt, eos omnes, qui huic aliarum Eccleſiarum doctrinæ aſſentiuntur) *non poſſe, nec debere in Eccleſia ferri, ac ne excuſatione quidem, aut vllo patrocinio dignam eſſe*. Et alibi inter ſectas & hęreſes exploſas atque damnatas à veteri Eccleſiâ noſtram doctrinā ideò duntaxat recenſent, quia cum ipſorum Confeſſione non conveniat: Vt meritò in eos idipſum, quod D. Lutherus in Pontificiorum condemnationes adverſus *Vuiclevum* & *Ioh. Huſs*, cordatiſſimè exclamat, torqueri poſſit: *Nolo eos audire* (inquit Lutherus in Captivitate Babyl.) *nec tantilli facere, qui clamaturi ſunt, Hoc eſt Vviclephiſticum, Huſſiticum, hæreticum & contra Eccleſiæ determinationem: & qui ſuas ſententias non aliâ re probare, nec contrarias aliâ ratione improbare poſſunt, quàm dicendo hoc eſt Vviclephiſticū, Huſſiticū hæreticū. Hoc enim elumbe in ſumma ſemper nata ſaliva, atque aliud nihil. Vbi ſi petas Scripturam dicūt, Nos ſic ſentimus, & Eccleſia (id eſt nos ipſi) ſic determinavit: Adeò homines reprobi circa fidē, & incredibiles, nobis ſua phantaſmata authoritate Eccleſiæ pro Articulis fidei audent obtrudere.* Hęc Lutherus in Pontificios perverſos innocentium piorumque hominum cenſores, ac iniquos de doctrina ipſorum ſuaque iudices, quales certè iſti ſex in nos noſtramq́; doctrinam ſe eſſe, ſatis ſuperque tum aliàs ſemper, tum in hoc ſcripto providerunt. Quid enim frequentiùs ab iſtis auditur, quàm, Hoc eſt *Calvinicum, Zuinglianicum, Sacramentarium, hæreticum*. At verò ſatis ex ſuperioribus cōſtat quibus quantiſque ipſi hęreſibus ſint contaminati, & non ſolùm à noſtris (quos tanquam Sacramentarios odioſè, ſibiq; adverſantes plenis buccis damnāt, ſine vlla iuſta cauſę cognitione, ſed authoritate plus quàm pontificiâ, ne dicam Phariſaicâ) de multis erroribus admoniti: ſed & à ſuis hominibus, qui Auguſtanam Confeſſionem amplectuntur, & quos de Calviniſmo, ut ipſi vocant, ſuſpectos habere non poſſunt. Teſtis eſt inter alia, Epiſtola ipſa *Heshuſii* ad D. *Chemnitium*, in qua ille deſiderat ſeriam tum in *Iacobo Andrea*, tum in *Selneccero*, tum in *Creſſis* reſipiſcentiam & recantationem: priusquam pro fratribus eos agnoſcat. De *Andrea Muſculo* quę ſit omnium piorum in Germania opinio, reſtantur aliorum ſcripta. En igitur quales habeantur iſti cenſores & judices inter ſuos. Taceo enim aliorum de his iudicia, à quibus meritò ut novatores

& hæ-

& hæretici taxantur. Habeant ergo ipſi D. ipſum Lutherum judicem hujus temeritatis, & audaciæ, quâ non ſecus in nos feruntur, quàm olim Pontificii in *Vviclephum*, *& Huſſium.* Quomodo enim non ſolùm ſuos calamos, ſed etiam Principum gladios & ſeveritatem in noſtros acuere ſtudeant, tum ex *Brentii* teſtamento, tum aliunde quoque conſtat. Et hunc librum omnes norunt fuiſſe ab ipſis ſcriptum non alio fine, quàm ut optimorum Principum (qui noſtra nunquam cognoverunt) authoritate ad eos omnes proſcribendos abutantur, qui non fuerint ſex virorum iſtorum tyrannidi aſſenſi.

At ſi juſtus hic eſſet defenſionis locus, adverſus ipſorum criminationes, quibus nos ut hæreticos & ſectarios apud omnes Ordines traducunt : poſſemus meritò innocentiâ noſtrâ non ſolùm verbis gloriari : ſed reipſa (Deo ſit omnis hæc gloria) palam facere, quanta nobis fiat ab ipſis injuria. Hoc certè ne ipſis quidem Pontificiis ignotum eſt, in noſtris Eccleſiis quantumvis latè pateant, & per varias Europæ regiones diffuſæ ſint, nullas hucuſque ſectas fuiſſe, nullum peregrinum dogma aut à præcipuis Confeſſionis noſtræ capitibus diſſidens, adhoc repertum ſummo Dei beneficio, qui puras illas ſub tot crucibus hucuſque ſervavit. Vt de illis omnibus, quæ in Anglia, Scotia, Belgio, Germania, Helvetia, Polonia, Bohemia, Vngaria, Gallia denique, eandem atque nos doctrinam variis Confeſſionibus profeſſæ ſunt, verè illud uſurpari poſſit, quod de *Zuinglio & Oecolampadio D. Lutherus* aliquando dixit: *Hoc certum eſt* (inquit Lutherus) *Zuinglium, & Oecolampadium licet verbis diſſonent, tamen de re idem ſentire.* Non poſſe autem iſtos ad ſuarum Eccleſiarum tali concordiâ & puritate gloriari, hoc ipſum eorum ſcriptum manifeſtè teſtatur. In quo incautè ſanè, & intempeſtivè proferunt & quodammodo velitant omnes controverſias, & diverſiſſima dogmata, quæ in omnibus ferè doctrinæ capitibus in ſuis Eccleſiis adhuc reperiuntur. Hoccine eſt Pontificiis os obſtruere? quos non ignorant ipſis jamdudum exprobraſſe (utinam non tam verè, quàm invidioſè) nullas uſquam Eccleſias magis nunc de fidei doctrina diſſentientes reperiri, quam eas, quæ ab uno architecto *Luthero* fundatæ, in tot ſectas diſſectæ, ſe mutuo conficiunt miſereque proſcindunt. Satius foret igitur iſtas controverſias ſilentio conſopitas, quam hoc Libro vulgatas, ut ſolis Sacramentariis major conflaretur invidia, quos præcipuè in hoc Libro exagitant, & temere multa illis falsò impingunt.

Nam, ut tandem præcipuas ipſorum calumnias toto hoc Libro ſparſas recenſeamus, præter illas generales condemnationes, quas ſuprà attigimus initio ferè capitis de Cœna Dom. noſtram de ea Confeſſionem & ſententiam, *pernicioſiſſimum errorem & verbo D. penitus repugnantem, ac ſæpè damnatum* pronuntiare audent : quamvis nullâ unquam ad eam examinandam aut convincendam, legitimâ cognitio habita, aut Eccleſiaſtica Synodus coacta adhuc fuerit. Eandem alibi ſæpè condemnationem repetunt ; & quidem verbis multò atrociorib. ut ſect. 31. quæ incipit: *Quamobrem omnes orthodoxi* &c. & ſect. 228. 230. & 232. Vbi nos quidem hiſce injuriis proſcindunt, ut nos vocent *Sacramentarios, hæreticos, phreneticos, venenoſos, pernicioſos, ſtupidos, verveces, fantaſticos*, Doctrinam autem noſtram *errorem pernicioſum, falſum, erroneum, decipientem*, &c.

Vbiquitariorum calumniæ generales, quib. orthodoxos gravant. 1.

Vt autem conſtet de fundamento, quo iſtiuſmodi Magiſtrales condemnationes nituntur, præterquam quod omnes quibus ipſorum opiniones non probantur, pro hæreticis habent: iſtas inſuper calumnias nobis imponunt.

Calumniæ ſpeciales quibus Vbiquiſtæ orthodoxas Eccleſias onerant.

Primùm initio tractatus de Cœna Domini. ſect. 1. & 4. dicunt, *Noſtras Eccleſias ſtatim ab initio receſſiſſe ac ſeſe ſegregaſſe à Theologis Confeſſionis Auguſtanæ, non ſecus ac ſi ſeparatam ab illis Religionem colere inſtituiſſemus, nihilque eorum probaremus, quæ Confeſſione illorum continerentur.* Quod certè tam eſt à vero alienum, ut pauca ſint in ea Confeſſione quæ ad amuſſim verbi Dei examinata noſtri non facilè omni tempore recipere & probare parati fuiſſent : ſi ad illam non acceſſiſſent tot variæ ac diſſidentes ipſorum interpretationes.

2. Deinde ſect. 2. & 49. ejuſdem tractatus falsò nos accuſant, *quaſi Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti à Sacra ipſius Cœna prorſus ſecludamus*, quia dicimus illud jam non in terris eſſe corporaliter, ſed in Cœlo.

3. Eadem item ſect. 2. & 6. calumnioſè dicunt, *nos non plus tribuere communicationi Chriſti, quæ fit per Sacramentorum diſtributionem, quàm illi quæ fit ſolâ nudaque Verbi prædicatione.*

4. Item ſect. eadem & ſect. 43. & 50. Arguunt nos, ſed perperam, quod doceamus *in Cœna Domini ore nihil aliud recipi quàm panem & vinum:* quaſi nullum conſtituamus diſcrimen inter panem & vinum quæ Sacramenta ſunt, & panem ac vinum commune.

5. Ibidem & ſect. 44. ac 45. Cauſantur nos perinde ac Anabaptiſtas, docere *Sacramenta nihil aliud eſſe quàm externas notas, & teſſeras, quibus Chriſtiani ab infidelibus diſtinguantur:* quod millies à nobis refutatum eſt.

6. Item, nos ſtatuere *Chriſtum in S. Cœna ſecundum Divinam tantùm Naturam præſentem eſſe, & per communicationem*, ut aiunt, *Idiomatum*: de quo dogmate nunquam cogitavimus.

7. Item ſect. 24. & 44. falsò aſſerunt, Nos docere, *quòd in S. Cœna non fiamus participes veri Corporis Chriſti, ſed tantum ac ſimpliciter Virtutis ipſius, energiæ, meriti, & efficaciæ*: Quaſi idcirco ſeparemus Virtutem atque meritum Chriſti ab ipſo Chriſto, ita ut alterius ſine altero dicamus nos fieri participes, quòd ſubſtantiam Chriſti negemus noſtræ agglutinari, aut Chriſtum aliter quàm fide percipi.

8. Item, ſect. 3. quòd doceamus, *Nos non communicare in Cœna, niſi Symbolo Corporis Chriſti.*

9. Item, alibi ſect. 22. imponunt nobis quaſi dicamus, *Panem ipſum Cœnæ Metonymicè ſumi pro cibo Spirituali Animarum, non pro vero pane naturali.*

10. Item ſect. 37. *Quòd panis & vinum Cœnæ ſint Sacramenta virtute fidei noſtræ, non autem virtute inſtitutionis Ieſu Chriſti, aut omnipotentiæ ipſius.*

11. Item, ſect. 43. & 44. *Quòd panis & vinum ſint ſigna abſentis Chriſti à Cœna ſua*, quandoquidem dicimus, Corpus Ieſu Chriſti in Cœlo eſſe, Panem verò & Vinum in Terra. Quæ conſecutio tam valida eſt, ac ſi quis diceret, caput à pedibus ſeparatum eſſe, quia non ſit caput eodem loco quo pedes.

12. Item, eadem ſectione fingunt nos aſſerere, *fidem diſcedere à Cœna*, quia dicimus, eam à ſignis ſeſe in cœlos attollere: quamvis & ipſi canant, *Surſum corda.*

13. Item, ſect. 45. accuſant nos falſi, *quòd perfidè & malitiosè locum illum, Act. 3.* (Oportet Chriſtum Cœlo capi uſque ad tempora reſtitutionis omnium) *corruperimus*, quum ipſi inficiari non poſſint, verum eſſe Corpus Chriſti, ac proinde in Cœlis capi, id eſt, ſecundum veri Corporis modum ibi contineri.

Item, ſect. 47. dicunt, *nos omittere verba inſtitutionis in celebratione Cœnæ*: Quod putidiſſimum mendacium & noſtris liturgiis, & hominum myriadibus convinci poteſt.

Vbiquiſtæ orthodoxorum doctrinam tãquam impiam damnãt, quia Lutherus eam pro tali habuit.

Atque ut hanc doctrinam impiam, & in Sacramentum Corporis Chriſti blaſphemam, eſſe probent, ſubinde *Lutheri* authoritatem proferunt, qui eam pro tali habuit, & ad ipſius ſcripta nos relegant. Quaſi nobis non perinde liceret à Lutheri ſcriptis ad noſtrorum Doctorum ſcripta eos revocare, ſi Humanâ authoritate fidem noſtram ſtabilire & confirmare ſufficeret. Cæterùm etſi de *Luthero* (ut ſupra dictum eſt) id ſentimus, quod de excellente Dei organo, hominem tamen eum fuiſſe & aliorum quoque Doctorum Eccleſiæ judiciis ſubjectum, ipſemet ſi ſuperſtes eſſet, non negaret. Sed & illud res ipſa clamat eum æſtu & ardore diſputationum extra metas nonnunquam fuiſſe abreptum. Verumtamen iſtis condemnationibus & criminationibus *Lutheri* opponi etiam poſſunt multæ aliæ præclaræ ipſius ſententiæ, a noſtra doctrina non ita alienæ. Nam quod iſti in nobis reprehendunt, dum dicimus cum *Auguſtino*, *modo loquendi Sacramentali, nomen rei ſignificatæ tribui: Vt panis dicatur Corpus Chriſti quia ſit Sacramentum, id eſt, Sacrum ſignum Corporis Chriſti*: Hoc ipſum *Lutherus* quoque fatetur in ſuis ad cap. 6. Eſaiæ commentariis: Vbi dicit Propheta, ſe vidiſſe Dominum, *cùm tamen* (inquit Lutherus) *non niſi in viſione viderit: Et tamen appellat id quod in viſione vidit Dominum. Et ut ſpecies Domini, & Dominus, figura ſermonis, rectè pro eodem accipiuntur: ſic Corpus Domini, & panis Domini, pro uno accipiuntur.* Quid dici potuit magis perſpicuè, ad confirmandam noſtram ſententiam, quâ dicimus, figuratam eſſe locutionem in verbis Domini? Simile eſt & illud, quòd iſti Theologi tantopere exagitant, dum dicimus, ita diſtinguendum eſſe ſignum à re Sacramenti, ut non ſtatim conſequatur, quod quicunque ſumit ſignum, fiat etiam particeps rei ſignatæ. Infideles enim tantùm ſumere panem non Corpus. Hoc etiam fatetur & Lutherus dum ſcribit Tom. 2. pag. 31. b. *Turpiſſimum fœdiſſimumque eſt opprobrium, vel unum inveniri Epiſcopum, qui neſciat Sacramentum à Corpore Chriſti diſtinguere, quæ ſic differunt, ut nec Oriens nec Occidens tanto diſtinguantur*, Item Tom. 7. f. 4. 12. *Vtile eſt*, inquit, *& bonum ſuperbos & impios convitiatores ita ſeparari, ut à participatione Sacro-Sanctæ Cœnæ arceantur, & ſejungantur: Nam Sanctum non eſt dandum canibus, neque margaritæ porcis projicienda.* Et paulò poſt (quod tamen immeritò in nos detorquet) *Quare cùm Sacramentarii credant tantùm panem, & vinum ibi adeſſe, certum eſt rem, fidei ſuæ reſpondere, nihilque amplius adeſſe quàm quod credunt. Merum igitur panem & vinum ſumunt, & Corpore Domini neque ſpiritualiter, neque carnaliter fruuntur. Et hoc quidem utile bonumque cenſeri debet, quòd noſter ille theſaurus ad indignos non diſpergatur: ſed integer, & Sanctus in Cœna reconditus conſervetur.* Hæc Lutherus, quibus manifeſtè comprobat noſtram de indignorum manducatione ſententiam, ſicut etiam ab initio in lib. de Captivitate Babylonica ſcripſit rectiſſimè, *Dominum Cœnam inſtituendo, hæredes eos inſtituiſſe Corporis & Sanguinis ſui, qui acceptant, & credunt promiſſioni teſtatoris, fides enim hic hæredes facit.* Et poſtea addit:

Lutherus interdum docuit, quod diſcipuli eius in nobis damnãt.

Si

Si promiſſio eſt (ut dictum eſt) nullis operibus, nullis viribus, nullis meritis ad eam acceditur, ſed ſolâ fide. Ubi enim eſt verbum promittentis, ibi neceſſaria eſt fides acceptantis. &c. Quid potuit clarius dici in noſtrę cauſę, quam cenſores iſti condemnant, patrocinium? Quod ſi iſti repudient, & ex aliis locis *Lutheri* agere in nos non deſinant, concilient prius iſtas *Lutheri* antinomias: deſinant denique ſe ejus unius authoritate tueri, & nos damnare.

Ubiquiſtæ culpam controverſiæ de Perſona Chriſti & Ubiquitate in noſtros immeritò transferunt.

Sed ut ad reliquos errores redeamus quos iſti nobis immeritò aſcribunt: eadem fide initio Capitis de Perſona Chriſti culpam controverſię & diſputationis de Ubiquitate ſuâ monſtroſâ, in Zuinglium & doctores noſtrę Confeſſionis transferre conantur: Neque enim noſtra doctrina de Humana Natura & veri ac naturalis Corporis Chriſti in Cœlum aſcenſu: (quę Sacris Literis Conſentanea eſt) cauſa fuit, ut iſti invehere monſtrum illud Ubiquitatis cogerentur, ſed potius falſa ipſorum theſis de pręſentia corporali & orali ſumptione Corporis Chriſti realis In, Sub, & Cum pane, quam mordicus retinere ac tueri quo jure quave injuria conſtituerunt, in cauſa fuit cur deſciverint non ſolùm ab omnibus aliis Auguſtanæ Confeſſionis ſociis, verùm etiam ab omnibus aliis Eccleſiis quotquot unquam in toto terrarum orbe Chriſtianiſmum ſunt profeſſæ. In quibus nemo repertus eſt (iſtis unis exceptis) qui errorem iſtum Ubiquitatis impiiſſimum, & toti primitivæ Eccleſiæ ignotum, non ſit deteſtatus. Adeò ut hæc ſit prima ipſorum valdè imprudens calumnia, quâ nos in hoc capite doctrinæ de Perſona Chriſti ejuſque Majeſtate, gravare nituntur.

Ubiquiſtæ orthodoxos accuſant, quod negent Majeſtatem humanæ naturæ Chriſti à Divinitate acceptam.

Addunt autem poſtea alias, non minus falſas: Ut quum initio ejuſdem tractatus dicere & inferre audent: Nos, quia ex Dei verbo docemus, proprietates eſſentiales Divinitatis, quarum nulla Creatura capax eſſe poteſt, non poſſe tribui Humanitati Chriſti, quod alioqui Natura ejus Humana eſſe deſineret: propterea inquam dicunt, nos negare Majeſtatem humanæ ipſius Naturæ a Divinitate acceptam, cum Humanitati ad omnem plenitudinem (longè alio modo, & ſupra quam cum aliis ullis creaturis) Divinitas unita ſit.

Accuſationem noſtrorum quod dividant Perſonam.

Item, quia dicimus, Ea, quæ propria ſunt, & eſſentialia Humanitatis, Humanitati eſſe tribuenda, ut & illa quæ propria ſunt & eſſentialia Divinitatis Divinitati, quamvis modo illo loquendi, qui vocatur à Theologis κοινωνίας ἰδιωμάτων, vel Alloeoſis in Concreto, at non in Abſtracto fiat, ut vel ea, quæ ſunt propria Dei, tribuantur homini, veluti quum dicitur, Filius hominis fuiſſe in Cœlo, etſi Nicodemum alloqueretur in terris, vel quæ ſunt hominis Deo, ut quum dicitur, Deus gloriæ fuiſſe Crucifixus dicunt, nos non toti Perſonæ Chriſti tribuere, ea quæ unius tantùm ſunt Naturæ propria, & ita dividere Perſonam.

Hæc ſunt præcipua argumenta, quibus putant nos jam de hiſce erroribus convictos, meritò pro hæreticis eſſe damnandos. At prius juſto judicio & examine diſcutiendum fuit, an ita, ut ipſi putant, ſentiamus, quod longiſſimè à nobis abeſſe, Deum & homines teſtamur: Deinde, an errores, aut hæreſes ſint, quæ ipſi pro hæreſibus & erroribus nobis imputant. Nec fuit tam temerè falſis tot piarum & celebrium Eccleſiarum condemnationibus indulgendum.

III.

Formula Bergenſis non convenit cum Auguſtana Confeſſione.

Nunc verò ad tertium & ultimum caput veniendum eſt, quo quæritur: An hoc ſcriptum probè cum Auguſtana Confeſſione conveniat, & iiſdem, ut ejus auctores jactant, fundamentis nitatur.

Eſt autem luce meridianâ clarius, & ſatis ex novis dogmatibus, quę ſupra à nobis commemorata, & ex hoc Libro collecta ſunt, probatum, abuti iſtos ſex Theologos non ſolùm authoritate & nomine Auguſtanæ Confeſſionis atque Apologiæ, ſed & ſcriptis ipſius *D. Lutheri*, quem toties citant tanquam authorem omnium ſuorum dogmatum: cuique plus tribuunt, quàm ipſe ſibi unquam arrogare auſus ſit, idque ut audacius aliis omnibus Eccleſiis quæcunque volent præſcribant, & velut ex Tripode aliqua pronuntient.

Id verò à nobis non fingi aut falsò illis imponi, ex ipſius *D. Lutheri* teſtimonio, patebit & ex collatione ſincera aliquot capitum doctrinæ ipſorum cum Auguſtana Confeſſione.

I.

Auguſtana Confeſſio oralem manducationem corporis Chriſti non docet.

Ac primum quidem neque Auguſtana Confeſſio, neque ejus Apologia, de orali corporis Chriſti manducatione ullam mentionem continent: Sed loquuntur tantùm de vera ipſius corporis in Cœna Dom. præſentia, diſtributione & perceptione. Quæ nos, modò ſincerè & juxta fidei analogiam, & ſacramentales locutiones, intelligantur, nunquam negavimus, ac ne nunc quidem negamus. Quamvis autem *D. Lutherus* de ea orali manducatione, multa in polemicis ſuis ſcriptis odioſè ſatis & vehementius certè quàm tantum virum decuit, in noſtros ſcripſerit: tamen doctrinam eam ex Auguſtana Confeſſione, aut ejus Apologia probare iſti non poſſunt: Et ſcimus quantum *D. Lutherus* ipſe ſuo huic dogmati authoritatis tribuendum ſentiat. Sic enim ille de

Lutherus ab initio nimis præſcribere noluit ut ſuam doctrinam de cœna retinerent.

de ſe ſcribit ſub finem Libri de Captivitate Babylonica, in quo multa certè modeſtius de hoc dogmate tradidit, quàm poſtea ubi contenrionibus exacerbatus bilem continere non potuit. *Finem*, inquit, *hic faciam hujus præludii, quod piis omnibus, qui ſinceram Scripturæ intelligentiam germanumque Sacramentorum uſum deſiderant noſſe, libens & gaudens offero. Eſt enim non parvi momenti donum, noſſe ea, quæ nobis data ſunt, ut* 1. *Cor.*2. *dicitur, & quâ ratione donatis uti oporteat. Hoc enim ſpiritus judicio inſtructi non fallaciter innitemur iis quæ ſecus habent. Has duas res cum nobis Theologi noſtri nuſquam dederint, quin velut data opera obſcurarint, ego ſi non dedi, certè id feci ne obſcurarem, & aliis occaſionem præbui* MELIORA COGITANDI. *Conatus meus ſaltem fuit ut exhiberem utrumque: non tamen omnia poſſumus omnes.* Ex quibus rurſus apparet non ſolùm ſuam conditionem, & mediocritatem modeſtè *D. Lutherum* agnoviſſe, ſed nullis etiam præſcribere in doctrina Cœnæ Domini voluiſſe, ut ſuam opinionem mordicus retinerent: meliora enim fatetur poſſe ab aliis afferri, quæ ipſe videre aut præſtare non potuerit, Idem de ſe ſuiſque aliis & quidem poſtremis ſcriptis judicium fieri cupit in Præfatione ſuorum operum, hæc enim ſunt ipſius verba. *Ante omnia oro pium Lectorem, & oro propter Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ut iſta legat cum judicio, imò cum multa miſeratione, & ſciat me aliquando fuiſſe monachum*, &c. Quæ eſt igitur hæc modeſtiæ ipſius injuſta nota, cùm vel omnes Eccleſias ad hujus unius ſcripta iſti alligare contendunt, vel quicquid iſte ſenſit, pro oraculo haberi volunt, adeò ut ne hiſcere quidem contra liceat: omniaque aliorum ſcripta ad hujus ſententiam revocare, etſi nihil ejuſmodi contineant: Inde igitur apparet primùm, hoc dogma de orali manducatione, nullum habere in Confeſſione, aut ejus Apologia fundamentum, ac proinde condemnationes in nos hoc ſcripto effuſas, horum ſcriptorum authoritate minimè niti.

Auguſtana Confeſſio Vbiquitatem corporis Chriſti non docet.

Idem & de dogmate de Majeſtate Corporis Chriſti, qualem iſti, ut ſuam illam monſtroſam Vbiquitatem ſtabiliant, toto hoc Libro aſtruunt contra veteris Eccleſiæ, & omnium piorum & Orthodoxorum ſententias, dici meritò poteſt. Nam de his duobus capitibus neque Auguſtana Confeſſio; neque ejus Apologia uſquam meminit. Et teſtis eſt ipſe *Lutherus* in Articulis Smalcaldicis, nullam fuiſſe tum temporis inter Evangelicas Eccleſias, & Pontificios de his capitibus, ſcilicet de Deo & de Perſona Chriſti, controverſiam, quia ab utraque parte idem ſentirent & confiterentur omnes. Qualis autem fuerit ſemper Romanæ Eccleſiæ, quamvis in pleriſque aliis doctrinæ Chriſtianæ capitibus corrupriſſimæ, in hoc dogmate ſententia, non eſt difficile ex ipſorum ſcriptis colligere. Et maximè ex theſibus olim adverſus *Iacobi Andreæ* Theſes conſcriptis de Majeſtate hominis Chriſti: quæ ſanè Orthodoxam reſipiunt omninò, & puram veterum Patrum doctrinam, de duabus in Chriſto naturis, ut ipſos appareat ſententiam hac in parte nunquam mutaſſe & ab Vbiquitatis doctrina, quàm iſti nunc invehunt, ſemper fuiſſe alieniſſimos. Adeò ut hinc manifeſtè conſtet, vel *D. Lutheri* ipſius teſtimonio, novam, & Confeſſioni Auguſtanæ prorſus adverſam eſſe hanc iſtorum opinionem. Si enim cùm hæc Confeſſio exhiberetur, Pontificii olfeciſſent iſtud monſtrum à Theologis Auguſtanis ali, non utique diſſimulaſſent: Nec *Lutherus* Eccleſiarum nomine ſcripſiſſet, doctrinam de Perſona Chriſti nihil habere apud utroſque controverſiæ, ſed ſalvam & integram illam apud Papiſtas manſiſſe. Quia tamen ſex iſti Theologi hoc maximè agunt, ut perſuadeant, ſe hanc doctrinam ex *Lutheri* ſcripris hauſiſſe, diſſimulandum non eſt, quid ab initio in ſuis Poſtillis *Lutherus* de duabus in Chriſto naturis earumque proprietatibus ingenuè ſenſerit, confeſſuſque ſit. In Concione igitur de Natali Domini hæc ipſius verba leguntur: INTEMPESTIVAM *quidam enarrationem adferunt, dicentes: Filius neſcit, id eſt, non vult ſcire. Chriſtus verus homo fuit, quare ut alius purus, ſed Sanctus homo, non quolibet tempore cogitavit, dixit, voluit, intellexit omnia: ſicut imperiti quidam omnipotentem ex eo hominem faciunt, permiſcentes duas naturas, atque opera earum parum prudenter. Sicut enim non quolibet tempore omnia vidit, audivit, atque ſenſit: Ita etiam corde non omnia ſemper agnovit, ſed quantum eum duxit ac docuit Dominus. Videmus Scripturam multò dexterius & explicatius de Chriſto loqui, quàm nos ſoleamus. Pulchrè Perſonam cum Natura jungit, ac rurſus Naturas nequaquam confundit. Vt pauci ſint, quod debemus Humanis commentis, quibus ætatem noſtram attrivimus, & ingenium corrupimus, qui id percipiant, ut ipſe profectò perſæpè in his & ſimilibus locis erraverim, & naturæ tribuerim, quod competit perſonæ, & contrà.*

Lutherus quid de duabus in Chriſto naturis & earū proprietatibus ab initio docuerit.

En candidum & apertum *Lutheri* teſtimonium, quo & quid de duabus Chriſti naturis ſentiendum ſit ex Scripturis, & quomodo ipſe ſæpè in his diſtinguendis erraverit ingenuè fatetur. Sic etiam alibi apertè monet de Vbiquitate in hæc verba: *De Vbiquitate*, inquit, *non eſt diſputandum: neque Scholaſtici Doctores quicquam hac de re tradiderunt.* Quin obſequatur igitur huic Præceptoris ſui

ſui admonitioni boni iſti diſcipuli, potius quàm ut hoc novum dogma illi affingendo, turbas tantas excitent? Cur Eccleſiarum pacem, quam tantopere optare ſe ſimulant, ſilentio ſuo potius non redimunt? Scimus quid ad hoc ultimum *Lutheri* teſtimonium eludendum alicui reſponderit *Iacobus Andreas* cùm illi in privato Colloquio objiceretur: nempe, adjecta fuiſſe hæc verba à Philippo Melanthone, in Tomis Vuittembergicis. Verùm arguunt hominis verſutum reſponſum Ienenſia exemplaria Colloquii Maulbrunenſis jampridem edita, in quibus eadem verba leguntur.

Formula Bergenſis in aliis etiam articulis cum Auguſtana Confeſſione non convenit.

Ex his igitur ſatis liquet, doctrinam hanc de Majeſtate corporis Chriſti, realique communicatione proprietatum eſſentialium divinæ naturæ in humanam; itemque Vbiquitatis dogma pro quibus in hoc ſcripto maximè laborant hi Theologi: nullo Confeſſionis Auguſtanæ niti teſtimonio, ac ne cognitum quidem eo tempore à quoquam fuiſſe. Itaque novatores potius, quàm veteris doctrinæ aſſertores, meritò dicendi ſunt, quod ex pleriſque etiam aliis ſuprà notatis capitibus apparet. Vbi enim habetur in Confeſſione, aut Apologia, *Infantium Animas à parentibus non minus quàm Corpora generari.* Item, *vocationem, quæ fit per Evangelii prædicationem, univerſalem eſſe, & ad ſingulos homines pertinere.* Quod item de Libero arbitrio tradunt, in rebus maximè externis, nonne apertè pugnat cum iis, quæ ſcribit Lutherus in cap.10. Ierem. quæ ſic habent ad illud: Scio Domine, quia non eſt hominis via ejus? *Si eventus,* inquit, *rerum iſtarum non eſt in manu noſtra, quæ ſunt temporales, & in quibus homo Dominus conſtituitur, obſecro quomodo erit in manu noſtra, res illa cœleſtis, Gratia ſcilicet Dei, quæ à ſolius Dei arbitrio pendet? An liberi Arbitrii conatus, poteſt ſalutem æternam obtinere, qui non poteſt obolum, imò ne pilum capitis retinere?* Et in eodem libro ſequitur poſtea: *Liberum arbitrium eſſe plànè divinum nomen, nec ulli poſſe competere, quàm ſoli divinæ Majeſtati: Ea enim poteſt & facit, ut Pſaltes canit, omnia, quæ vult in cœlo & in terra. Quòd ſi hominibus tribuitur, nihilo id fit rectius, quàm ſi illis Divinitas tribueretur: quo ſacrilegio nullum majus eſſe poſſit. Proinde Theologorum erat hoc vocabulo abſtinere.* Hæc Lutherus. Ipſa quoque Confeſſio Auguſtana hac in parte actiones politicas & ad hanc vitam pertinentes gubernationi Dei ſubjicit, & Auguſtini ſententiam laudat, quâ dixit: *Omnia bona quæ ad vitam præſentem pertinent, non ſine Divina gubernatione ſubſiſtere, imò ex Deo & per ipſum eſſe & eſſe cœpiſſe.*

Neque in hoc dogmate igitur iſtis planè vel cum Confeſſione Auguſtana, vel cum Luthero convenit: quemadmodum nec in illis quæ de Prædeſtinatione ab iſtis aſſeri, ſuprà notavimus. Quin imò ex Commentariis & locis communibus Melanchthonis, quinquennio ante Confeſſionem, ex conſenſu Lutheri editis, apparere poteſt, noſtram doctrinam de Prędeſtinatione communiter & expreſsè fuiſſe tum temporis receptam, & probatam. Ejuſmodi igitur dogmata peregrina, apparet non eſſe ex Confeſſionis Auguſt. formula deprompta, ſed nova additamenta fucoſo interpretationis titulo ornata. Quæ tamen ſi propter *Lutheri* unius authoritatem nobis importunius obtrudantur: licebit haud dubiè nobis aliorum contra ſentientium expoſitiones, iſtis opponere: atque etiam in pleriſque à Luthero irato ad Lutherum pacatum appellare: & in aliis etiam à diſcipulis ad magiſtrum provocare, a cujus doctrina iſti ſæpenumero longiſſimè diſcedunt. Vt exempli gratiâ, quæ iſti de Deſcenſu Chriſti ad inferos ſuo ſcripto inſeruerunt, recipiunt quidem ea, quæ Lutherus ex Papiſtarum Scholis in concione quadam Torgæ declamavit. Tum enim exprimunt, totam perſonam Chriſti ſecundum utramque naturam ad inferos deſcendiſſe: At alibi fatetur Lutherus plurimis in locis, *ſe hunc articulum non intelligere, neque quicquam de eo vel apud ſe certi conſtituere, vel alios confidenter docere poſſe.* Hic igitur non ſatis ſibi conſtat Præceptor, quem diſcipuli per avia ſequuntur. Alibi verò contra Præceptoris authoritatem, in cujus tamen verba volunt omnes ſine exceptione jurare, quædam probant, quæ ille improbat. Vt cùm in tractatu de Iuſtitia fidei, Divi Iacobi Epiſtolam pro Canonica Scriptura agnoſcunt, & ex illa doctrinam Fidei illuſtrari & confirmari contendunt: cùm *Lutherus* pleriſque in locis, ac præcipuè ad 22.cap. Gen. illius authoritatem elevet & quaſi irrideat, dú ait, *malè concludere Iacobum, imò Iacobum delirare & cum Iacobo ſuo faceſcere jubet eos qui ejus authoritate nituntur.*

Ex his igitur patet falſum eſſe fundamentum, & authoritatem quam ex Auguſtana Confeſſione & Apologia, item, ex ſcriptis *Lutheri* huic ſuo ſcripto ſubſternunt: cùm plurima ſint de novo ab ipſis excogitata, & pro arbitrio adjecta, multa etiam illis contraria: alia depravata & in contrarium ſenſum detorta, quod ex eorum maximè ſcriptis apparet, qui tum Confeſſionem, tum Apologiam ſcripſerunt.

Auguſtana Confeſſio ejuſque Apologia ab initio non ſunt conſcriptæ ut eſſent regula fidei.

Neque hoc ſilentio præterire poſſumus, ut conſtet quantum authoritatis tribuere tam ipſi Confeſſioni, quàm Apologię ejus

conveniat, palàm eſſe, ex *D. Philippi Melanthonis*, à quo utroq; conſcripta eſt Epiſt. ad Lutherũ Norimbergę ſcripta & Vuitembergę excuſa: Non fuiſſe ab initio vel Confeſſionem, vel Apologiam, eò compoſitam atq; editá, ut certa & immota ac generalis eſſent omnibus totius Religionis ac fidei Chriſtianæ Regula & fundamentum: ſed ut inſtar juſtę defenſionis Cæſari adverſus Pontificiorum calumnias exhiberentur: qui Germanicas Eccleſias, tùm primum renaſcentes, tanquam impias & hæreticas variis ſcriptis & vociferationibus damnabant: eaſque omnibus Ordinibus exoſas reddere conabantur. Sic enim ille ſcribit, tam de Confeſſione, quàm Apologia loquens, *Vellem percurriſſes Articulos fidei. In quibus nihil ſi putaveris eſſe vitii, reliqua utcunque tractabimus. Subinde enim mutandi ſunt, atque ad occaſiones accommodandi.* Et in alia Epiſtola ad quendam amicum iſta leguntur: *Ego conatus ſum eam ſententiam in Apologia explicare: ſed ibi propter adverſariorum calumnias, non ſic loqui licet, ut nunc coram loquor, & reipſa idem dico.* Nonne ergo Philippus ipſe teſtis erit idoneus ſuorum ſcriptorum, quomodo ſcilicet, & in quem finem ab ipſo ſcripta fuerint?

Ex hoc ergo teſtimonio, ad ſuperioris firmiſſimas rationes addito, duo turſus neceſſariò concludimus. *Primùm* hujus Libri authores, nullum habere vel ex Confeſſione Auguſtana, vel ex ejus Apologia fundamentum, in præcipuis illis doctrinæ capitibus, in quibus nos tanquam hæreticos condemnant. *Secundò*, cùm tam Confeſſio quàm Apologia adeo variè ab illis ipſis exponantur, à quibus fuerunt conſcriptæ: neutram vel poſſe, vel debere pro certa fidei Regula & Norma aut præſcribi aut agnoſci: ex qua omnia controverſa dogmata decidi legitimè poſſint. Sed contra ſubjiciendam eſſe utramque non ſecus ac reliqua omnia utriuſque partis ſcripta examini verbi Dei, ut ſecundum illud in œcumenico ſancto, ac legitimo aliquo Conventu, judicium de illis omnibus fiat.

De Melanthonis nomine in Formula Bergenſi ſuppreſſo.

In ſumma, quod ad auctores hujus libri ſpectat, qui tantopere Confeſſionis & Apologiæ authoritatem prædicant, urgent & nobis objiciunt, hoc poſtremò addere cogimur, non ſincerè ac cordatè ab ipſis, ſed malitiosè & per invidiam ſummamque ingratitudinem fieri, quod *Philippi Melanthonis* nomen in hac tota ſcriptione ſupprimant, quum præcipuam ille in Apologia & Confeſſione conſcribenda operam navaverit, & ideò doctrinæ in eis comprehenſæ certiorem cognitionem & intelligentiam habuerit præ omnibus. Quum denique vir ille non ſolùm de Eccleſiis omnibus, ſed & de literis tam Divinis, quàm humanis, apud omnes gentes, & Nationes, optimè ſit meritus, quæ juſta cauſa fuit his ſex Theologis, ut ejus ne minimam quidem mentionem toto hoc Libro fecerint, niſi impia in communem parentem ingratitudo, & malevola quædam etiam in mortuum invidia? Alibi enim non diſſimulant odium. At longè aliud fuit. *D. Lutheri* de hoc ſummo viro judicium cum quo in finem uſque jucundam, gratam atque indebilem amicitiam & familiaritatem coluit: Cujus encomium etiam adverſus omnes ingratos diſcipulos nunquam obliterandum in Præfatione omnium operum ſuorum ſculpere, & ad poſteros in omne ævum tranſmittere voluit. Hæc enim ſunt poſtrema ejus encomii verba: *Quid operatus ſit Dominus per hoc organum (Philippum ſcilicet) in non literis tantum, ſed in Theologia ſatis teſtantur ejus opera, etiamſi iraſcatur Satan, & omnes ejus ſquamæ.*

Quos per ſquamas Satanæ intelligere voluerit Lutherus, viderint iſti, piiſſimi hujus & eruditiſſimi nec unquam ſatis laudati viri, obtrectatores invidi: quorum hoc ſcriptum vel hac unica de cauſa, ſuſpectum piis omnibus eſſe debet.

Habetis noſtrum integrum de hoc ſcripto judicium. Quod ut à nobis denegari juſtis veſtris precibus non debuit: ita teſtari poſſumus bonâ conſcientiâ, nos hæc collegiſſe, ac demum etiam vulgaſſe, ut infirmis conſcientiis quas iſti, ad ſubſcriptionem importunius urgendo, mirum in modum turbant, quantum in nobis eſt, conſulamus: facilè enim his perlectis intelligere poterunt omnes quicunque adhuc micam ſani judicii retinent, nec ab iſtis faſcinati ſunt: non ſolùm non eſſe puram & ſinceram horũ Theologorum doctrinam: ſed etiam maximum impendere omnibus Eccleſiis periculum, imò certam perniciem, niſi iſtorum conſiliis opportunè obviam eatur: & totus hic liber mandato & authoritate piorum Principum ſupprimatur, nec illi patiantur à ſuis Doctoribus & Paſtoribus ſubſcribi, niſi prius communi omnium Eccleſiarum, quarum præcipuè intereſt, conſilio atque conſenſu libero, examinatus & approbatus fuerit. Quod ad vos attinet, habetis exempla quæ ſequamini, earum ſcilicet Eccleſiarum, quæ liberè & ſtrenuè ſubſcriptionem illis denegarunt: inter quas etiam quædam ſunt, de quibus iſti Theologi longe aliud expectabant. Valete in Domino.

Pomeranorum judicium de Formula Bergenſi.

Pomeraniæ *quoque Theologi cenſuram libri Concordiæ conſcripſerunt, quam* Pomeraniæ Duces *Electori* Auguſto *menſe Iulio Anni* 1578.

1578. *miſerunt; quid autem reſponderit Elector cognoſcere non potui.*

CAPVT XIX.

De Subſcriptione Libri Concordiæ Electorum ac Principum, & modo agendi, quem Principes & Patres Bergenſes ſecuti ſunt.

Electores & Principes ab initio rectè judicarunt Formulæ Bergenſi non eſſe ſubſcribendum priusquã in libera Synodo approbata eſſet.

ADmonitiones, *judicia & Cenſuræ Principum, Civitatum, & Theologorum de Libro Concordiæ fecerunt, ut plurimi ex Principibus quoque, non eſſe vel Subſcriptiones urgendas, vel librum publicandum in lucem edendum prudenter judicârint, niſi prius examinatus & ab erroribus, quibus ſcateat repurgatus, approbatuſque eſſet in libera & generali Synodo, in qua etiam diſſentientes à Libro iſto audirentur.*

In hac ſententia ab initio fuit Illuſtriſſimus quoque Princeps Auguſtus Elector Saxoniæ, *ut qui optimè ſciret, & ex ipſa Auguſtana Confeſſione didiciſſet, non poſſe meliùs conſenſum doctrinæ in Eccleſia retineri, neque erroneas opiniones tutius profligari, quàm ſi in publica omnium quantum fieri poteſt, Eccleſiarum Synodo, in qua ſententiæ libri ex Verbo Dei & regentur, & pronuncientur, controverſa dogmata exponantur & examinentur.*

Patres ſex Bergenſes dehortantur totis viribus Principes à Synodo.

Sex autem Theologi iſti hac de re certiores facti, vires & artes ſuas omnes adhibuerunt, ut Principes ab hoc pio & Chriſtiano conſilio averterent. Ac primò ſcripſerunt literas Bergâ 28. Maii Anno 1577. *ad* Auguſtum *Saxoniæ Electorem in quibus omnibus modis ipſum dehortantur à Synodo, cauſamque hanc aſtute prætendunt, quòd viderent, Librum Bergenſem tam multis non tantùm doctoribus Eccleſiarum & Scholarum, ſed etiam Principibus, & aliis Ordinibus improbari, ut ſi ad Synodum liberam veniretur, de ejus ſubſcriptione & publicatione parum eſſet ſperandum.*

Conſiliũ Bergenſium Patrum datũ Principibus de ſubſcriptionis modo libri concordiæ. A majoribus ad minores progrediẽdum Cũctantes aliorum præjudiciũ gravare Sine ulla declaratione, appoſitis ſaltẽ nominibus ſubſcribendum.

Ipſi igitur conſilium alium Principibus dant & priori opponunt, nimirum; ſubſcriptionem ſigillatim ab Ordinibus Auguſtanæ Confeſſionis per literas petendam eſſe. Hæc autem ut videretur, petendam eſſe ordine à Theologis nominatim præſcripto: primùm videlicet ab iis, quos Librum probare & ſubſcribere paratos eſſe, ex eorum Cenſuris non eſſet dubium, & quorum authoritatem cæteri non detrectaturi viderentur: atque ita deinceps à majoribus ad minores progrediendum: reſervatis ad extremum iis, de quibus perſuadendis dubitaretur: excluſis verò ac præteritis, de quibus deſperaretur: Recuſantibus autem ſubſcribere, proponendum eſſe conſenſum eorum Principum ac Ordinum, qui jam ſubſcripſiſſent, adjuncta confutatione rationum, quibus illi ſubſcriptionem detractarent.

Ne quid autem in diſſimilitudine ſubſcriptionum pateret deinceps cuiquam effugii, ſeveriter huc adigendos omnes Theologos, ut ſine ulla exceptione vel declaratione, ſolum nomina ſua & locorum, in quibus ſerviunt, ſubſcribant.

In horum porrò ſubſcriptione eundem, quem in Principum & Ordinum ſubſcriptionibus, Ordinem ſervandum: ut primùm inhibeantur ſubſcribere Theologi Doctores in Academiis & Conſiſtoriis: deinde in ſingulis diœceſibus Superintendentes: tum demum Paſtores, & Miniſtri Eccleſiarum & Scholarum reliqui ſingulis nominatim: Atque has ſubſcriptiones Libro Concordiæ annectendas eſſe, ut quæ non parum ad dogmata Libri hominibus perſuadenda, & ad refutandam Papiſticam de Eccleſiarum Schiſmatibus calumniam, momenti eſſent allaturæ.

In civitatibus Imperialibus ac Liberis, ne quis Miniſtrorum poſſit principium ſubſcriptionis detrectare, non ſingulis, ſed ſimul omnibus à Magiſtratu mandandam eſſe ſubſcriptionem.

His demum confectis, ad reſiſtantes mittendam recuſationis ipſorum refutationem, & poſtulandam ab ipſis ſubſcriptionem. Si perſtent in ſententia, nihilominus in cœpto progrediendum: Sic enim illos non habituros, quod de uſitata & juſta Eccleſiæ libertate per ſuffragiorum pluralitatem ſibi ademta, & de neglectis, aut non refutatis ſuis ſententiis, poſſint conqueri.

Callidè Bergenſes rem decidũ volunt antè Pontificaliter Exemplo conſilii Bergenſium.

His ſubſcriptionibus omnium non impetratis nihil in Synodo proponi poſſe: illis autem extantibus: jam obtentum fore quod in Synodo quærendum eſſet.

Vt autem deinceps non liceat cuivis movere quæſtiones de Religione, Principum fore officium, hanc Concordiam exſequi, & ſeveriter tueri.

Brachiũ ſeculare invocant.

Hanc voluntatem Principum, ipſorum nomine ſcriptæ Præfationi inſerendam. Libros proximis ſuperioribus annis editos, nempe, Stereoma novum Catechiſmum, *Vuitebergenſium, & ſimiles, dogmatibus Libri Concordiæ adverſantes, publico ſcripto damnandos, & ſimilibus deinceps officinas Typographycas claudendas eſſe. Hæc eſt ſumma literarum Bergenſium Theologorum.*

Sed adſcribam ipſas Bergenſium literas ad Illuſtriſſimum Electorem Saxoniæ Auguſtum, *quò non ſolum intelligatur ex verbis eorum realibus, quemadmodum optimo Principi perſuadere conati ſint, ut ſine ulla legitima cognitione aut Eccleſiaſtico judicio, ad Concordiæ libri ſubſcriptionem, omnes tum ſuos, tum vicinarum regionum atque Ordinum Theologos invitet, imo adigat; ſed etiam ut inde facilè omnes judicare*

poſſint, quorſum ſpectarint omnia iſtorum Theologorum conſilia, & quam confidenter piorum Principum authoritate abuſi ſint, ut ſuam culpam omnem in eos derivare queant. Literæ igitur eorum ſic de verbo ad verbum, ex Germanico Latinè redditæ habent.

Literæ Theologorum Berga ad Electorem Soxoniæ ſcriptæ, in quibus dehortantur eum à Synodo, & viam procedendi monſtrant.

ILluſtriſſime Princeps optatâ inprimis Celſitudini veſtræ Dei gratiâ per Chriſtum, & ſimul noſtrum omnium humillimo, promptiſſimo atque ſupplici obſequio precibuſque præmiſſis. Notum Celſitudini veſtræ cum omnis reverentia facimus, quod, cum proximâ Dominicâ, *Exaudi*, hoc eſt die XIX. hujus menſis Maii Bergæ, prope Magdeburgum ſimul conveniſſemus, nihil nobis prius fuit quàm ut ſtatim in eo Conventu diligentiſſimè Torgenſis illa Concordiæ Formula, cum omnibus additamentis & animadverſionibus hinc inde adſcriptis à nobis perlegeretur & expenderetur: ſtudioſeque cogitaremus, quâ ratione menſe Martio proximè elapſo, ex illis omnes magis neceſſariæ utileſque ſententiæ in Torgenſe illud ſcriptum ſuo quæque loco inſertæ, ac veluti incorporatæ aliæque etiam nonnullæ additæ fuerint. Adeò ut tandem ex iis omnibus undique collectis (nullibi tamen vero ac Chriſtiano ſenſu mutato) unum volumen confecerimus. Cujus exemplar à nobis ſubſcriptum C. V. reverenter ac demiſſe nunc offerimus, certiſſimâ fiduciâ ſpeque ducti, fore, ut id piis omnibus Doctoribus ſatis faciat, qui incorruptæ doctrinæ Verbi Dei (qualem Deus omnipotens perbeatæ memoriæ Doctorem *Lutherum* in lucem revocare dignatus eſt) firmiter adhærent, nec ſeſe hodiernis doctrinis opinionibuſque abripi clam patiuntur.

Quum autem propter quorundam adjectas animadverſiones factum ſit, ut non peræque omnes prolixæ illi Declarationi Torgæ conceptæ acquieverint: perlegimus etjam atque diligenter expendimus illius ſummariam Epitomem: Convenitque inter nos tandem, ut illa Epitome majori illi operi ſive Formulæ Torgenſi præponeretur: quod non ſine maximâ fiet utilitate. Hinc enim ſtatim Chriſtianus Lector animadvertere & perſpicere poterit, qua de re in ſingulis articulis controvertatur: quidque ex authoritate Verbi Dei in iis credi, vel non credi debeat & ſic deinceps utilius faciliuſque prolixam illam Declarationem percipiet.

Quia porrò C. V. hoc quoque nobis benignè injunxit, ut invicem colloqui & conferre, ac etiam ſtatuere vellemus, quonam pacto iſta Theologis reliquorum Ordinum Auguſtanæ Confeſſionis, cùm generalis Synodus convocata fuerit, proponenda, ulteriuſque in hoc toto negotio progrediendum cenſeamus: denique ut ubi de ſingulis ad hoc tam ſalubre opus promovendum neceſſariis, aut utilibus conſultaverimus, id totum C. V. ſignificemus, diſſimulare certè iſtud apud C. V. non debemus, Nihil fore nobis optatius nec amabilius, quam ſi ea eſſet omnium Miniſtrorum Auguſtanæ Confeſſionis apud omnes Ordines, qui eam profitentur, conſenſio: ut ex iis omnibus Chriſtiana Synodus ſine periculo graviorum diſſidiorum ac controverſiarum, cogi poſſet. In qua de rebus Eccleſiæ magis neceſſariis ac ſalutaribus ſimul conſilia inirentur.

Verùm, heu, nimium nobis compertum eſt, (vel ex additamentis ad Torgenſe illud ſcriptum adjectis) eſſe adhuc in pleriſque locis pleroſque Eccleſiarum Miniſtros, qui circa Doctrinam prorſus moroſos ac pertinaces ſeſe præbeant: ſed & Principes nonnullos in illis regionibus eiuſmodi opinionibus & præjudiciis imbutos eſſe, maximè ſuſpicamur. Si ergo tanta frequentia ac multitudo Theologorum conveniret, & ex iis quidam (etſi fortè pauciores) alii in alios inſurgerent, ſuoſve Magiſtratus animarent, aut ab illis ipſi in ſuis opinionibus obfirmarentur, neque ullus inter nos conſenſus obtineri poſſet, ſed ita alii ab aliis re infecta diſcedere cogerentur: ſatis animadvertere poteſt C. V. quantum inde lætitiæ non ſolùm Sacramentarii, ſed & Papiſtæ concepturi eſſent: quamque graves in Eccleſiis noſtris apud pios hinc offenſiones oriri poſſent. Neque enim quicquid ibi geſtum fuerit ſilentio obtegetur aut occultum eſſe poterit. Itaque noſtra quidem hæc eſt ſententia, tutius omninò fore & extra omne periculum ſi prius Chriſtianæ Concordiæ ſubſcriptio ab aliis Auguſtanæ Confeſſ. Ordinibus ſcripto aut per literas exigatur: Cujus noſtri conſilii executio hoc pacto poſſet inſtitui. *Hinc illæ lachrymæ*

Primùm, ut ſubſcriptio hæc ante omnes exigatur à Theologis, qui penes eos ſtatus reſident, quos certò conſtat ex ipſorum adjectamentis purioris eſſe doctrinæ, quorumque haud dubiè ſubſcriptio mox ſubſequetur. Quales ſunt inprimis ambarum Celſitudinum veſtrarum: itemque, nunc Dei gratiâ, Illuſtriſſimi Electoris Ludovici Palatini Theologi: per quos ipſius Celſitudinem Conſiſtoria ſua atque Eccleſias in toto Palatinatu *Modus exequutionis cõſilii Bergenſis.*

tinatu nuperChriſtianè reſtauravit.Deinceps verò ab iis, qui ſunt in inferiore Saxonia, & Mechelburgenſi, Luneburg. atque Brunſvicenſi ditione: Item, in Grubenhagio, ſimulque in maritima Saxoniæ parte, ac Civitatibus illi adjacentibus (unicâ Bremâ, nunc quidem, excepta.) Tum demum ab iis, qui ſunt in Franconiâ Germaniæ ſuperioris atque in Sueviâ. Item in Marchionatu Georgii Friderici ab Anſpach. Item in ditione Comitis Palatini Ludovici ac Palatini Comitis Iohannis, Ducis Vuitembergici: Marchionis item Badenſis: Tandem verò etiam à Theologis Civitatum liberarum ſuperioris Germaniæ, quales ſunt Ratisbona, Auguſta Vindelicorum, Vlma, Danavertum Francofurtum, Argentina & pleræque aliæ multæ numero: de quarum (exceptâ Noribergâ) Theologis, eorumque ſubſcriptionibus dubitari non poteſt.

Cum verò eiuſmodi ſubſcriptio à ſupranominatis Illuſtriſſimis Electoribus Principibuſque aliis atque liberis Civitatibus impetrata fuerit: poſſet deinde & à reliquis Imperii Ordinibus hiſce rationibus exigi: ſi hoc quidem tempore deliberandi ſpatium liberum illis relinquatur, quo de hoc Chriſtiano inſtituto amplexando & ipſi ſeriò cogitent. Vbi enim illis de horum trium Illuſtriſſ. Electorum aliorumque Ordinum unanimi conſenſu per hanc ſubſcriptionem conſtabit: eorumque motivæ cauſæ, quibus hactenus viſi ſunt retineri atque impediri, refutatæ fuerint: fieri divinâ mediante gratiâ poterit, ut & ab illis facilius eadem ſubſcriptio impetretur.

Cautel. Cæterùm ne diverſitas ulla in eiuſmodi ſubſcriptionibus accidere poſſit, ſub qua falſi, inquieti atque pertinaces Doctores latitare valeant: non erit hæc admonitio in eo ſcripto, quod ad hanc ſubſcriptionem obtinendam emittetur, præmittenda: Ut videlicet omnes Theologi ſedulo caveant ne ſinguli pro arbitrio in ſubſcribendo longas periodos, quæ ſpecialem aliquam explanationem contineant, uſurpare audeant: Sed nudum nomen duntaxat cum cognomine, ac loci, cui ſerviunt (ſive Eccleſiæ ſive Scholæ) deſignatione adſcribant.

Et quandoquidem adverſarii noſtri Papiſtæ, tam intra quàm extra Germanicæ Nationis Imperium, Eccleſias noſtras accuſant, quaſi vix duo in illis Concionatores reperiantur, in quo omnis Confeſſionis Auguſtanæ capitibus, idem ſentiant: hæc eſſet noſtra in eo ſententia, ut in ſubſcriptionibus obtinendis hic ordo ſervetur: Vt primi quidem ſubſcribant Doctores Theologiæ, qui in Academiis ad Conſiſtoria accedunt, quo certius de illis conſtet quales ſint, nec ſcilicet per ipſos falſi Doctores in Scholis, aut impuri Concionatores in templis introduci, recipive aliquando poſſint.

Deinde in ſingulis civitatibus Parochus cum ſuis Capellanis ſeu vicariis (ubi hi deſunt Superintendens cum duobus Parochis ruri habitantibus) non ſolum proprio ſuo nomine, ſed etiam aliorum Parochorum, Capellanorum & Scholarcharum, qui ad eandem pertinent diœceſin) modò prius ab ipſis approbationem & poteſtatem ſubſcribendi obtinuerint) ſubſcribant in hunc ferè modum:

Ego Iohan. N. Parochus & Superintendens apud N. & cum eo N. & N. Parochum apud N. & N. N. parochi itidem N. N. illi adjuncti ſubſcribimus tam pro nobis ipſis quàm pro N. parocho, Capellano & & Scholarcha, qui ſunt omnes numero N. N.

Totidem ferè verba nec plura poſſent poſt generales iſtas (Theologorum cujuſque Principatus, ac Ordinibus) ſubſcriptiones adſcribi, quæ non non multas paginas in hoc toto opere occuparent. Et multos bonos viros fortè juvare poſſent, & à tam gravi hæſitatione liberare, in quam falſis Papiſtarum perſuaſionibus induci potuerunt: Quaſi nullus ſit omnino inter ullos Evangelicos Concionatores doctrinæ conſenſus. Et modo multa oborta ſcandala tolli facilè poſſent, quibus alioqui Spiritus Dei in multorum piorum cordibus fuit magnâ triſtitiâ affectus.

In Civitatibus autem liberis cùm non multi ibi ſint Eccleſiarum Miniſtri, Ne alii ab aliis effugii prætextum, ſuæ opinionis tuendæ causâ, ex eo captent, quòd ſinguli pro ſeipſis non ſubſcribant: neceſſe foret, omnes ſimul ad ſubſcriptionem convocari, quod à Conſulibus & reliquis Magiſtratibus facilè præſtari poterit.

Ne porrò reliqui Principes Ordineſque Imperii (qui ad hucuſque tempus nondum ſuam de eiuſmodi ſubſcriptione ſententiam clarè expoſuerunt) cauſari, conquerive juſtè poſſint, eiuſmodi ſubſcriptionem à nobis pluralitate potiùs votorum illis obtrudi, quàm ullo veritatis teſtimonio: Et omnibus potius legitimam libertatem relinquendam, qualem in Eccleſia eſſe, & æquum & ſolitum eſt; Hanc (inquam) ob cauſam exiſtimamus, omninò conſultius eſſe, ut, ſiquidem illi intra aliquod tempus clarius ſuam ſententiam non explicabunt, ſed pertinaciter in ſemel concepta opinione perſtiterint neque ſimpliciter ab illis ſubſcriptio mordicuſque exigatur, ſed ſcripto prius ipſorum motivæ rationes firmiſſimis argumentis confutentur

futentur, addaturque neceſſaria admonitio firmis fundamentis ſubnixa, cur non potuerimus nec poſſimus adhuc ulla alia ſcripta Philippi in hoc corpus inſerere, quam Auguſtanam Confeſſionem eiuſq; Apologiam. Quamvis alioqui eius expreſſa fiat alibi mentio: & Liberum tum ſingulis Eccleſiis tum in Scholis relinquatur, non minus ipſius reliquis ſcriptis (ad præſcriptum tamen hujus Declarationis ſeu Formulæ) uti, quam Cæterorum omnium ſcriptorum tam novorum quàm veterum.Quà admonitione ad ipſos miſſa, & ſubſcriptione hujus formulæ demum amicè expetita: ſi tamen adhuc ſemel conceptæ opinioni pertinaciter adhæſerint, nec ſeſe melius erudiri patiantur: erimus ſanè erga ipſos debito officio functi: & facilè tum Illuſtriſſimi Electores, cæterique Ordines, tum ipſorum Theologi excuſationem legitimam apud omnes cōſequentur. Illi verò ſive Principes ſive Ordines, qui ſubſcribere noluerint,nullam juſtæ querimoniæ occaſionem prætexere poterunt, cùm ipſorum rationes non ſolum ſilentio non fuerint prætermiſſæ, ſed etiam contrariis rationibus ex verbo Dei confutatæ. Ex quibus omnibus C. V. jam ſatis animadvertere & exiſtimare poteſt, nos nunc quidem in hoc Conventu nullo modo ſtatuere potuiſſe, quomodo hæc præpoſitio in generali Synodo, ſi quæ cogenda fuerit, Theologis Auguſtanæ Confeſſionis foret proponenda. Nam cùm illa non ſolùm ex principiis hujus laudabilis ac verè Chriſtiani operis, repetenda ſit: ſed & tota pendeat ex Principum ac Statuum Auguſtanæ Confeſſioſionis mente & voluntate, de qua nondum conſtare ante inſtitutam & impetratam ſubſcriptionem poteſt: Ea propter cùm certò coniici adhuc nequeat quis ſit huius ſubſcriptionis futurus eventus, exiſtimamus, non poſſe adhuc eam propoſitionem hoc tempore concipi, ſed eſſe omninò eius rationes eo uſque differendas, dum ſubſcriptio fuerit impetrata. Tum enim (ſi quidem eo modo quem inſtituimus, ſubſequetur) clariùs conſtabit,quid præcipuè in eo generali Conventu proponendum foret. Neque tum valdè ſollicitos eſſe. Illuſtriſſimos Principes Electores, alioſque Ordines oportebit, de contentionibus periculoſiſque illis diſcordiis, quas plerunque ex eiuſmodi Synodis ſubſequi ſolere, tum Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, tum quotidiana experientia teſtantur.

Quod vero ad totius hujus negotii executionem & cætera, quæ inde pendent, attinet Celſitudines Veſtræ ſatis pro ſua prudentia per ſe intelligent, quibus rationibus per Dei gratiam unio inter vos ſentiri poterit, atque unanimi conſenſu provideri, ut ſeriò ac diligenter in hoc omnes incumbant ne poſthæc cuilibet pro arbitrio conceſſum ſit in Eccleſiis aut Scholis nova certamina excitare, ſed ea moderatio ordoque ſervetur ubique ut nulli juſta occaſio conquerendi data videatur, quaſi os Spiritui ſancto obſtruere velitis, dum rixas ac frivolas contentiones inhibere, quantum in vobis eſt, nitimini. Hæc portò omnia, ut & pleraque alia. in Præfatione, quæ Illuſtriſſ. Electorem aliorumque Principum nomine huic de controverſis capitibus Formulæ & eius epitomę præfigenda erit, contineri ac inſeri neceſſe eſt.

Quum autem harum Regionum Eccleſiæ & Scholæ per quoſdam publicè editos libellos (veluti eo, cui titulus eſt Grundfeſt id eſt, Fundamentum: & Novo Catechiſmo aliiſque eiuſmodi de Perſona Chriſti tractatibus) in errorem miſerè ſint inductæ, ac pleræque etiam ex illis in maximam periculoſiſſimamque dubitationem adductæ indeque Sacramentariis via in has regiones patefacta: quumque libri illi adhuc in manibus verſentur multorum, qui fortè nondum agnoſcunt lethale venenum in illis contineri: Operæ pretium, imò per quàm neceſſarium judicamus, Eccleſias Dei communi aliquo Theologorum, hujus præcipuè regionis, ſcripto admoveri, quid in iſtis libellis manifeſtè adverſetur ſimplici fidei ac puræ doctrinæ, quam in his regionibus ante hæc gravia ſchiſmata magno conſenſu Chriſtiani Doctores ex verbo Dei ſunt profeſſi.

Sic enim ſperandum eſt, fore, ut non ſolùm qui nos ſubſequentur ab omni errore præmoniti caveant, ſed & plerique errantes in viam revocentur, qui eiuſmodi ſcriptis irretiti, neque ſeipſos, neque alios extricare vel liberare poſſunt. Id verò omnes brevi,ſyncera, ſimplici firmiſque fundamenmentis nitente admonitione, ex ipſis impuris ſcriptis articulatim excepta, confici quam facillimè atque expediri poterit.

Quæ ſuperſunt capita, maximè verò ad Typographiam ſpectantia per quam fit, ut multi infrugiferi libri, & ad Chriſtianam unitatem in Eccleſia retinendam, minimè utiles in Publicum ſpargantur, & Eccleſiæ Dei multis minus neceſſariis, quibuſque facilè caruerint, ſcriptis graventur: Vtilia verò multa ac præcipuè Doctoris Lutheri ſcripta ex hominum manibus excutiantur, unde denique exordium hujus tam funeſtæ diſſentionis in hiſce regionibus, nuper manavit. Quod præterea ad hujus unionis executionem

cutionem pertinet, quomodo ſcilicet illa ſit conſtituenda, & cùm conſtituta fuerit, quo pacto per Dei gratiam firma & conſtans retineri poterit: adeò, ut nemo de injuſta vi ſibi illata meritò conqueri poſſit, & nihilo minus ad obſervationem juſti alicujus ordinis omnes inducantur: Hæc (inquam) omnia nos ad præſcriptam formam, quæ menſe Martio proximè elapſo, (cum Torgenſis Formula aut Corpus Doctrinæ emendaretur) conſtituta fuit, remittimus.

Non potuimus autem iſta V. C. pro officii noſtri debita exſecutione celare. Rogamus itaque omnipotentem Deum ac Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut virtute Sancti ſui Spiritus dignetur totum hoc Opus Chriſtianum, (non ſolùm ſalutare & neceſſarium) ſic ad optatum, & hactenus multorum piorum ſuſpiriis expetitum finem perducere, quemadmodum illud feliciter in ipſius nomine cœptum, & per ipſius gratiam, V. C. nimirum opera, tam longè fuit jam perductum: nec illud vſpiam quaſi fixum & impeditum hærere aut retardari patiatur: ſed faxit, ut ſemel tandem adverſariis noſtris Pontificiis hoc ſcripto os obſtruatur & eorum blaſphemiis occurratur. Sacramentariorum etiam & aliarum ſectarum errores diſſipentur, & miſera afflictaque Eccleſia rurſus ex animo exhilaretur. Cùm hoc opus vltimum fortaſſe Vale Domini noſtri Ieſu Chriſti hoc extremo Seculo futurum ſit. Quod ſupereſt, Deus Opt. Max. hanc C. V. operam ſine mercede eſſe non patietur, ſed tum temporariis, tum æternis Benedictionibus amplè cumulabit. Eccleſia verò Dei, noſque omnes humili noſtro ſervitio & precibus apud Deum promerebimur. Cujus paternæ potentiſſimæque tutelæ & protectioni C. V. Nos verò V. C. gratiæ ac benevolentiæ humillimè commendamus.

Actum Bergæ propè Magdeburgum 28. Maii Anno &c. 1577.

C. V.

Addictiſſimi atque obſervantiſſimi ſervi, Kemnitius, Muſculus, Cytræus, Selneccerus, Cornarius & Iacobus Andreæ.

Iudiciũ de hac Bergenſium Epiſtola dictatoria.

In hac plus quàm Dictatoria Epiſtola reperiuntur varia Argumenta perſuaſoria, quibus & Formulam Concordiæ, & eius ſubſcribendi modum ad ſe præſcriptum, commendant, & omnibus probari cupiunt ſapientes & cauti iſti conſiliarii. Atque huc poſtea ſpectarunt ſemper omnia ipſorum ſtudia, ut quoquo modo ſubſcriptiones juxta præſcriptum conſilii hujus ſui, extorqueant: Vt vel hinc manifeſtè probari poſſit, novam & inauditam eſſe hanc ipſorum procurandæ Religionis, & exigendarum per occulta ſuffragia ſubſcriptionum, rationem.

Auguſtus Elector Saxoniæ de convocanda Synodo ſolicitus fuit.

Bergenſes Theologi cur Synodum diſſuaſerint.

Apparet etiam ex hac Epiſtola, Illuſtriſſimum Principem Electorem Auguſtum, de generali Synodo convocanda, ad Eccleſiarum pacem & doctrinæ conſenſum conſtituendum, ſolicitum fuiſſe, ut qui etiam ab Apoſtolorum, & piorum ac Chriſtianorum Principum atque etiam Epiſcoporum primitivæ Eccleſiæ exemplo, & veſtigiis deflectere nollet, quo omnia ritè & ordine ſine cujuſquam præjudicio fierent. At verò non placuit uſitatus ille & laudatiſſimus mos ſex iſtis Bergenſibus Theologis, & diſſuaſerunt, ne illum Illuſtriſſimus Elector Auguſtus *ſequeretur. Veriti ſunt enim, ut ex literis eorum ad Electorem intelligitur, ne ita toti mundo manifeſtum fieret, quam multi ab illorum doctrina & ſententia, tum inter Paſtores, tum inter Principes & Ordines Auguſtanæ Confeſſionis diſſentirent: quos diffidebant abs ſe poſſe in ſuam ſententiam facilè pellici. Niſi potius veriti ſunt etiam, ne eorum tum errores, tum perverſa ſtudia, tum denique manifeſta tyrannis, quâ omnium fidei dominari, & ſoli in Eccleſia authoritatem Pontificiam obtinere nituntur, & detegerentur, & damnarentur. Noluerunt igitur in publicam Synodum produci ſuam illam Concordiæ & condemnationum Formulam, ne detectis, ut ipſimet inquiunt, in literis ſuis diſſidiis, quæ inter ipſos in pleriſque doctrinæ capitibus reperiri potuiſſent tum Sacramentariis, tum Papiſtis exultandi & triumphum de ipſis agendi, materiam ſuppeditent, & ita fiant poſteriora priora prioribus. Egregia ſanè ratio, quaſi vel non omnibus plus ſatis conſtiterit, quam plurimos in Germania ab horum novis & pernicioſis opinionibus abhorruiſſe: vel ipſi in hoc Libro texerint & charitatis pallio operuerint ſuarum Eccleſiarum diſſenſiones, ac non magis eas omnium oculis & ſannis hoc ſuo libro objecerint. Quis vero, ſi hujus conſilii rationem inveſtiget, non dicat potius, iſtos Patres non auſos fuiſſe ſua illa præclara inventa, publico Synodi alicujus liberè judicio proponere. En ergo cur conſultius exiſtimaverint prudentes iſti & providi Patres, occultas primùm ſubſcriptiones ab illis exigere & extorquere, quos ſecum in omnibus ſentire arbitrati ſunt: nempe, ut quod publicis atque liberis colloquiis, & diſputationibus ſe conſequi poſſe diffidebant, id eorum Principum authoritate conſequerentur, à quorum Theologis & Paſtoribus ſine controverſia ſubſcribendum librum hunc præſumebant: quorum deinde exemplo reliquos faciliùs ad ſubſcribendum pellici poſſe confiderent, ut ita publicam authoritatem ſuis condemnationibus ſine ullo aut labore, aut diſcrimine acquirerent.*

At ſi totius vetuſtatis authoritate conſtitutum

Synodo-

Synodorum ordinem ad decidendas doctrinæ & Religionis controverſias ſummi iſti Pontifices in tanta neceſſitate contemnendum duxerunt, debuerunt ſaltem cavere, ne in hac conſultatione ab Auguſtana ſua Confeſſione diſcederent, neve contraria aut ſuaderent, aut ſtatuerent. In eius enim Confeſſionis Epilogo his verbis uſus, neceſſitas, & utilitas, atque etiam authoritas Synodorum ipſi Cæſari proponitur atque commendatur. Faciet igitur, (*inquiunt Auguſtanæ Confeſſionis Ordines*) Imperator rem digniſſimam ſua magnitudine, exoptatam univerſæ Eccleſiæ, ſi in Synodo permiſerit judicium de tantis rebus,, non illis, qui privatos affectus in conſilium adhibent, ſed delectis, piis ac doctis viris, qui gloriæ Chriſti & ſaluti univerſæ Eccleſiæ conſulere ſciant. Hæc eſt uſitata (*aurigite aures Bergenſes*) & legitima via in Eccleſia derimendi diſſenſiones, videlicet ad Synodos referre controverſias Eccleſiaſticas. Hunc morem ſervavit Eccleſia inde vſque ab Apoſtolis. Et præſtantiſſimi Imperatores Conſtantinus ac Theodoſius, etiam in rebus non valde obſcuris & dogmatibus abſurdis, tamen ſine Synodo nihil conſtituere voluerunt, ut Eccleſiæ libertatem in judiciis dogmatum conſervarent. *Hæc cum totidem verbis in ſua Auguſtana Confeſſione, pro qua accerrimè pugnare ſeſe ſimularunt, ſcripta eſſe non ignorarint Patres iſti Bergenſes, cur ab hac trita & juſta via deflectere ſibi, in tantis ſuarum Eccleſiarum controverſiis licere putarunt? Cur aliud Illuſtriſſimo Principi* Auguſto *ſuaſerunt, quàm pii ipſorum anteceſſores inde ab initio reformatæ Religionis, ſequendum voluerunt? Cur denique ſuam Eccleſiæ Chriſti libertatem adimere conantur? Quæ eſt hæc tanta authoritas? nempe ſuſque deque eſt novis iſtis Confeſſionis Auguſtanæ expoſitoribus & defenſoribus ab illa cum volunt diſcedere, illam pro Arbitrio mutare, minuere, augere, & denique totam transformare & ſine conſcientia pervertere, ut ſua dogmata & authoritatem ſtabiliant. Nam quod de ſcandalo tantopere videri volunt eſſe ſolliciti, ſi videlicet ſimplices intelligant, non planè in omnibus inter ſuos Theologos convenire, prætextum eſſe prorſus puerilem & frivolum, vel ex eo etiam deprehenditur, quod non æquè ſunt interea ſolliciti, an turbæ & ſcandala ex hac ipſorum in Eccleſiam tyrannide, quâ dominium in ipſas conſcientias uſurpant, & omnia pro Arbitrio, per fraudes & captioſas artes gerunt, oxoriantur. Quid enim hoc aliud eſt quæſo, quàm deglutire camelum, & culicem excolare?*

Elector Saxoniæ approbat conſilium Bergenſium & vrget ſubſcriptionem ante Synodum.

Hoc tamen Bergenſium Patrum reſponſum & conſilium quum accepiſſet Elector Auguſtus *aliiſque paucis Principibus communicaſſet, approbant iſtorum ſententiam & conſilium, urgenteſque ſubſcriptionem Libri etiam ante Synodum vel Conventum. Extant hac de re literæ Saxonis & Brandeburgenſis, quas ad* Philippum Ludovicum *&* Ioannem *fratres Palatinos ſcripſerunt 9. Iunii Anno* 1577. *petieruntque, ut non ſolùm ipſi huic Formulæ ſubſcribant, ſed etiam vicinis Principibus & Ordinibus Auguſtanæ Confeſſionis eam diligenter commendent, atque ei ſubſcribant ſedulò hortentur & curent. Generalem quidem Conventum omnium Ordinum indicendum ſed prius ſubſcribendum, & quidem ſine omni conditione vel declaratione, nudè & ſimpliciter.*

Mann ſoll den Narren für die Roß ſtellen.

In eandem quoque ſententiam ſcribit Elector Saxoniæ ad Richardum Palatinum Principem 9. Iulii, & Ducem Vuirtenbergenſem: & hic etiam ad Iohannem Bipontinum 16. *Iulii.*

Alterius partis Principes ac Theologi Conventū vrgent ante ſubſcriptionem.

Dum hæc ſic deliberarentur & urgerentur ab Electoribus & Principibus aliquot, atque etiam à Bergenſibus Patribus, nihilominus ex altera parte Principes & Theologi aliqui perſtiterunt in ſua ſententia, de Synodo generali convocanda, de examinando in ea Concordiæ libro & corrigendis multis in ea Formula.

Ad hunc modum ſcribit Iohannes *Princeps Bipontinus ad fratrem* Philippum Ludovicum *Neuburgenſem* 20. *Iulii Anno* 77. *atque urget, ut Conventus omnium Auguſtanæ Confeſſionis Ordinum habeatur. Queritur in Conventu aliquot ſuorum Theologorum* 20. *Auguſt. Librum Concordiæ non in ipſa ſubſtantia, ſed aliquot ſaltem phraſibus mutatum & correctum eſſe: mandat ſimul eis, ut de titulo, præfatione & toto Libro ſua rurſus ſibi exhibeant judicia. Parent illi Principi, &* 23. *Aug. ſcripto ſignificant, quæ deſiderent in Articulis de Libero arbitrio, Iuſtificatione & Deſcenſu ad inferos: improbant etiam, quod diſſimilitudinis Auguſtanæ Confeſſionis in Formula Concordiæ mentio fiat. His omnibus* Iacobus Heilbrunnerus D. *tunc temporis aulicus Biponti Concionator etiam ſubſcripſit.*

Inter ipſos Theologos quoque, qui Bergenſium factionis erant, aliquot fuerunt, qui, ſive conſcientia ſtimulante, ſive metu de rerum ſucceſſu adducti, illos monuerunt, à plurimis non probari, quod res tanta, & ad omnes Eccleſias attinens, tam paucis hominibus committeretur ſine generali Synodo: Subſcriptio ſimplex ab iis poſtularetur, qui deliberationi & decreto faciendo non interfuiſſent: in ipſo etiam Libro eſſe non pauca, quæ emendationem, vel additionem requirerent: dogmata quædam, anathematiſmos & ſimilia pugnare cum cæteris libris Normæ: imò & in illis ipſis confirmari Tranſſubſtantionem & alia, quæ in declaratione damnentur: Condemnatio-

damnationes omittendas, Philippi honeſtam mentionem faciendam, & ſimilia multa.

Collegium certè & Decanus Theologorum in Roſtochienſi Academia de hac re Bergenſes Patres fideliter ac diligenter ſuis literis ad vos ſcriptis monuerunt.

Reverendi & Clariſſimi Viri, *inquiunt*, fratres in Chriſto colendi, non dubitamus, omnes pios & bonos ubique locorum Veritatis & pacis Chriſti amantes conjunctis vobiſcum ardentibus Votis Filium Dei Doctorem & Redemptorem noſtrum Ieſum Chriſtum aſſiduè precari, ut vos in tanta deliberatione, quâ nulla gravior & magis neceſſaria in genere humano institui poteſt de puritate Doctrinæ & Concordiæ Eccleſiarum reſtituenda, & ad poſteros conſervanda clementer doceat, regat & gubernet, & oculum videntem, & aurem audientem tribuat, ut vera, recta & ſalutaria conſilia Electoribus & Principibus pacem & tranquillitatem Eccleſiarum magno deſiderio expetentibus ſubjicere, & docentium & gubernatorum conſenſum & felices ac optatos ſucceſſus obtinere poſſitis: Nos quidem & precibus noſtris privatis & publicis deliberationibus veſtris adſumus, & ſummam doctrinæ & dijudicationis ſeu deciſionis diſputationum de articulis controverſis in libro Concordiæ comprehenſam probamus, ut ſubſcriptione noſtra teſtati ſumus, nec ab illa doctrinæ norma nos Deo juvante nunquam ſejungemus. Cum autem non ſolum libellos in publicum editos, verùm varia & multorum gravium virorum, qui adverſariis noſtris non ſunt addicti, judicia cognoſcamus, quæ authoritatem & fidem huic Concordiæ libro detrahunt, quod res tanta ad communem Eccleſiæ totius & poſteritatis & omnium piorum ſalutem pertinens à tam paucis hominibus ſuſcepta & acta, nec in communi aliqua piorum & eruditorum Synodo communiter deliberata, & tractata ſit: exiſtimamus pro benevolentia, fide & obſervantia in vos noſtra non alienum ab officio noſtro futurum eſſe, ſi de his ſapientum judiciis quæ vicinis gentibus Inclyto Regi Daniæ & aliis Principibus ſuperius eandem nobiſcum Fidei Confeſſionem amplectentibus aſſiduè aures noſtras circumſonant amicè vos moneremus. Etſi enim ſcimus periculoſum eſſe Synodos Theologorum frequentes convocare, quas triſtioribus diſſidiis & bellis occaſionem præbere ex Hiſtoriis novimus, tamen cum ingens aliqua utilitas petit, aut neceſſitas cogit non ſemper incommoda & pericula quibus nulla magnarum rerum conſilia vacant, & quæ mitigari & regi aliqua ex parte bonorum moderatione & principum conſilio & authoritate poſſint, recuſanda ſunt. Neque verò non vidit incommoda Synodorum Vetus Eccleſia, in qua tamen, quoties extiterunt diſſenſiones de dogmatibus, Synodos cogerunt primum Apoſtoli, poſtea Principes optimi & ſapientiſſimi Conſtantinus, Theodoſius, Martianus, & alii, quorum aliqui Synodis ipſis interfuerunt, ut ſua authoritate impetus turbulentorum quorundam & diſtractiones majores cohiberent. Neque verò aut Apoſtoli, aut illi ſapientes Principes Synodos habituri erant, ſi exiſtimaſſent, eas ſemper magis, ad diſſipandas, quàm ad conſiliandas Eccleſias facere. Et nunc hoc etiam tempore in tantarum controverſiarum dijudicatione, & quidem cum ſubſcriptio ab omnibus, qui docent in Eccleſia communiter petatur, communis etiam vel certè frequentior præcipuorum doctorum Synodus inſtitui debebat. Nec dubitamus quoſdam, (ut omnes aliquid humani patimur) hanc unam ob cauſam vehementius & pertinacius huic negotio adverſari, quia ipſi ad communem deliberationem initio non vocati, nec poſtea adhibiti fuerunt. Exiſtimamus igitur, horum æmulationis ac invidiæ & politicorum ſapientum perpetuæ objectioni de paucitate Iudicum, ex non ſervato proceſſu judicii legitimo, hac ratione occurri aliquo modo poſſe, ſi ante libri publicationem ex omnium Auguſtę Confeſſionis Principum & ſtatuum, & qui ſubſcripſerunt, & qui non ſubſcripſerunt Eccleſiis ad communem deliberationem Theologi convocarentur, futurum, ut major pars, quæ jam ſubſcripſit conſenſura eſſet, nec facilè turbare illorum conſenſum pauci diſſentientes poſſent. Quod ſi qui hactenus adverſati ſint, etiam vocati non venirent, ut aliqui ſe emanſuros non obſcurè oſtendunt, tum ſpecioſiſſimus hic prætextus, quod ad communem deliberationem adhibiti non fuerint, ipſis adimeretur. Hæc bono & ſimplici ſtudio nos pro amicitia noſtra communi Spiritu Chriſti, ac ejuſdem de Deo fidei & confeſſionis ſocietate copulata monere voluimus. Prodeſt etiam in ipſo libro Concordiæ, quædam diligentius conſiderari, ut ſtatus controverſiæ de Libero arbitrio rectè formaretur, ut Renovatio naturæ per Spiritum Sanctum Iuſtificationi non præponeretur, ut dogmata quædam, & errorum damnationes cum libris, qui normæ loco ponuntur, non pugnarent. Scitis enim in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ expreſsè dici Totam novitatem ſalvare, quod certè plus eſt, quam opera ad ſalutem neceſſaria

eſſe. Iuſtificatio enim ſubinde per regenerationem definitur, & Tranſſubſtantio graviſſimè in Formula Concordiæ rejecta, non ſolùm non damnatur, verùm etiam non obſcurè ſtabiliri videtur. In loco de Cœna Domini Formula Lutheri dictum recitat, Quod Sacramentarii ideo nihil niſi panem & vinum in Cœna habeant, quod Corpus Chriſti adeſſe non credant. Atque eodem in loco prolixè diſputatur, nec ſumentium fidem eſſe cauſam præſentiæ, ſed ſolam Chriſti veracis, & omnipotentis inſtitutionem, cujus verba Sacramentarios retinere conſtat. Doctrinam de Lib. Arbitrio in Confeſſione & Apologia Latina ſcitis ita verbis conformatā eſſe, ut Pontificiorum & Synergiſtarum ſententiam non expreſsè damnet, ſicut etiam illo ipſo tempore exhibitę Confeſſionis,(ut Acta teſtantur) Pontificii ſe prorſus de eo loco nobiſcum conſentire teſtati ſunt. Rectius igitur Confeſſionis & Apologiæ dicta nihil ad ſolidam confirmationem noſtræ ſententiæ aut refutationum Synergiſtarum facientia omitterentur. Tres autem cauſas concurrentes converſionis & pœnitentiæ in tota fidelium vita durantis, & dictum Trahit Deus ſed volentes trahit, rectè & piè explicari & declarari potiùs, ut in Torgenſi Formula factum eſt, quod ſimpliciter damnari optaremus. In articulis Smacaldicis Spiritus Sanctus per decē præcepta datus eſſe dicitur. Item Iuſtificatio ipſa nō remiſſione peccatorum ſola, ſed etiam renovatione definitur. Hæc & ſimiliâ an ſint mutanda in editione, vel in præfatione, aut Appendice Libri Concordiæ declaranda, pro veſtra pietate & prudentia cogitabilis. Valde etiam optaremus in præfatione aut Appendice ad quædam Cinglianorum, & præcipuè ad Apologiam Orthodoxo conſenſui præmiſſam & ad proteſtationem nullitatis breviter & nervosè reſponderi. Cumque in cæteris doctrinæ controverſæ articulis omnibus nulla omnino illius Perſonæ mentio nominatim fiat, exiſtimaremus in loco de Cœna Domino etiam idem ſervari oportere. Et cum tantopere quidam urgeant & in Antitheſibus pro, damnamus, ęquivalens verbum, reijcimus vel improbamus, ſubſtituamus, exiſtimamus ſine veritatis damno ipſis morem geri poſſe Philippi quoque nomen & authoritatem valde plauſibiter Cingliani & alii qui à nobis diſſentiunt, paſſim inculcant. Omnino igitur neceſſarium judicamus, ſi non ipſi Libro Concordiæ, ut ſaltem præfationi mentio D. præceptoris, & ſcriptorum ipſius modeſta & gravis cum ſignificatione pietatis & gratitudinis tam bene merito præceptori debitæ inſeratur. Sed vobis hęc & alia rectiora Spiritum Sapientiæ & conſilii divinum ſuggerere, & tamen ſidas amicorum monitiones gratas eſſe non dubitamus: Itaque veniam nobis benignè à pietate veſtra datum iri planè confidimus. Bene & fideliter valete. N. Ianuarii Anno 1579.

Decanus & Collegium Doctorum Theologiæ in Academia Roſtochienſi.

De Sangershuſiano Conventu.

V*T igitur & ſuis ipſius promiſſis, & aliorum etiam Principum ac Ordinum poſtulatis ſatisfaceret* Auguſtus *Elector, jubet aliquot Theologos ad diem* 8.*Septemb.Anni* 1577.Sangerhuſii *convenire, ibique de modo congregandi Synodum vel Conventum Electorum Principum, aliorumque Ordinum, atque etiam Theologorum deliberare, ut obſtacula omnia amoveantur. Ibi decreverunt rurſus, poſtulandam eſſe omninò ſeorſim ante Synodum à ſingulis ſubſcriptionem ſine omni exceptione, aut conditione ulla.*

Obſervet quæſo totus mundus ſummam iſtorum Theologorum injuſtitiam. Majorum noſtrorum memoriâ, in VVeſtphalia apud aliquos mos erat, prius ſuſpendere furem, aut homicidam, quàm cauſa ejus, qui ſuſpendebatur cognoſceretur. Homicidā mortuo, judicium habebatur an rectè de mortuo ſupplicium ſumptum eſſet. Quid iniquius? quid injuſtius? quid crudelius in hac conſuetudine? Annon autem iſtorum Theologorum ratio iſti VVeſtphalicæ rationi eſt ſimilima? Condemnant & jam diu condemnarunt Eccleſias exteras in hac ſua Formula, & ut huic condemnationi Principes Theologi &c. ſubſcribant, poſtulant: tum deinde fore Synodum & judicium pollicentur: ut poſteaquam condemnatæ fuerint, judicetur an rectè ſint condemnatæ exteræ Eccleſiæ. Sin autem prorſus habenda ſit antè Synodus, eam exequutionis cauſa hęc modo indicendam & inſtituendam eſſe.

Electorem Palatinum debere ad eam vocare ſequentes Comites; Wetterauwiſche/ Königſtein/ Erpach/ Eyſenbergk/ Rhemgrauen/ Flecken-ſtein/ Leiniaen/ Weſterburgk. *cum tribus Theologis: Civitates autem* Speyer/ Wormos/ *cum uno duntaxat Theologo.* Quomodo Synodus indicanda.

Saxoniæ Electorem vocare debere Epiſcopum Meinenſem: Comites von Schwarzenburg/ Stolberg/ Mansfeld/ Honſtein/ Kenſtein/ Barbi/ Solms/ Schönberg/ *cum tribus Theologis: Civitates autem* Erdfurdt/ Northauſen/ Mullauſen *cum uno tantum Theologo.*

Philippum Ludovicum & Iohannem Palatinos fratres debere vocare Comites Oettinge & Ortenburg/ *cum uno Theologo: Civitates verò* Dinckelsbühl/ Augſpurg/ Regensberg/ Donawerd/ Nortlingen/ Bopfingen/ Alen/ Weiſſenburg *in Nortgavia, cum duobus Theologis.*

Marchio-

Marchionem Anſpacenſem vocare debere Comites, Caſtel/ Hohenlohe/ Wertheim/ *cum uno Theologo: Civitates autem* Nüremberg/ Weinßheim/ Schweinfurt/ Rotenburg *ad Deberam, cum uno Theologo.*

Iulium Brunſvicenſem debere vocare Comites in Vueſphalia, Lipp/ Oldenburg/ *cum uno Theologo: Vrbes verò* Goßlar/ Lübeck/ Hamburg/ Lüneburg/ Braunſchweig/ Hildeßheim/ Hanower/ Hammeln/ Einbeck/ Göttingen/ Bremen/ Halberſtadt/ *cum quatuor Theologis.*

Marchionis Caroli Badenſis Tutorem vocare debere Comites Hanaw *&* Erberſtein/ *cum uno Theologo: Civitates* Straßburg/ Colmar/ Mönſter/ Hagenauw/ Landauw/ Weiſſenberg/ Keyſersberg/ *cum tribus Theologis.*

Ducem Vuitebergenſem debere vocare Comites Löwenſtein/ Limpurg/ *cum uno Theologo: Vrbes verò,* Ulm/ Memmingen/ Kempten/ Kauffbüren/ Feldkyrch/ Lindauw/ Rauenſpurg/ Biberach/ Eßlingen/ Reutlingen/ Heilbrunn/ Wimpffen/ Schwäbiſch Hall/ Eiſenac/ Leutkyrch/ Giengen/ *cū tribus Theologis.*

Decreverunt porrò in hoc Conventu, Theologos à Principibus, Comitibus & Civitatibus mittendos eſſe abſque omni inſtructione præter Biblia & ſuam conſcientiam, cum plenaria poteſtate ſubſcribendi, etiam contra ſuorum Magiſtratuum & Collegarum voluntatem. Politicorum officium hoc eſſe debere duntaxat, ut caveant, ne Theologi diſſentiant, ſed intra limites Concordiæ ſe contineant, eoſque ad ſubſcriptionem tanquam ἐργοδιῶκται, *adhortentur. Quod ſi omninò aliqui ne tunc quidem vellent ſubſcribere, reliquos tamen ad ſubſcriptionem & publicationē Libri progredi oportere.*

Quum autem interea Subſcriptiones Libri partim emendicarentur, partim extorquerentur aut aliis modis colligerentur, promiſſus talis Conventus prorſus evanuit.

Polycarpus Leyſerus Michaelem Iudicem literis certiorem fecit, 20. Octob. quid in hoc Conventu Theologorum Sangershuſii actum ſit, & Colloquium Iacobi Schmidlini cum Cyriaco qua Spangenbergio in eo habitum ſimul deſcripſit, tamen ad manus meas nunquam pervenerunt.

Formulæ Bergenſi ſubſcribunt aliquot Electores, Principes Comites & Civitates.

Vicit tandem & perrupit ſuperbiſſimus Bergenſium Spiritus. Nam neque in Synodo examinato, neque correcto & emendato ſubſcripſerunt Libro quorum judicia & ſententiæ conveniebant, Elector Saxoniæ & Brandeburgenſis, Principes etiam, Comites & Civitates aliquot, ut eſt videre in Catalogo, quem initio Libri, tanquam Meduſæ caput, præfixerunt Theologi.

CAPUT XX.

De Subſcriptione Profeſſorum, Paſtorum, aliorumque Miniſtrorum in Academiis, Eccleſiis & Scholis, & modo agendi Bergenſium in colligendis ſubſcriptionibus.

D*Iximus de Subſcriptione Formulæ Concordiæ publicâ Electorum, Principum, Comitum & Civitatum aliquot; nunc de privata quoque Profeſſorum, Paſtorum, Miniſtrorum, Ludimagiſtrorum, eorumque Collaboratorum & Calefactorum aliqua referemus.*

Vt in genere Liber Concordiæ Eccleſiarum & Scholarum Miniſtris à Bergēſibus cōmendatus ſit.

Convocati ſunt igitur per diœceſes Eccleſiarum, Academiarum & Scholarum omnis generis Miniſtri & Profeſſores. Ac primùm *coram illis recitata eſt hiſtoria de diſſenſionibus ortis poſt Lutheri mortem, & de ſcandalis in Saxonicis Eccleſiis, Academiis, Scholis, domibus ac familiis.*

Deinde *dictum eſt de Electoris* Auguſti *conſilio & propoſito, volente conſulere & mederi Eccleſiis Auguſtanam Confeſſionem amplectentibus, non tantum contra Pontificias idolomanias & Calvinianam doctrinam, ſed etiam contra domeſtica certamina.*

Tertiò, *de Conventu Torgenſi Theologorum aliquot commemoratum eſt, quo conſilio, quomodo, ad quem finem indictus, & quid effectum eſſet.*

Quartò, *dictum eſt de libro ipſo, oblato Torgæ Electori Saxoniæ à Theologis convocatis & ab Electore ad alios Electores, Principes & Ordines Proteſtantium miſſo, ut judicia exterorum, qui Torgenſi Conventui non interfuiſſent, Theologorum inquirerentur, quorum magna pars librum probaſſet, & Deo pro tantâ luce & dexteritate gratias egiſſet, petiiſſetque ab Electore, ut ad Dei gloriam, & Eccleſiarum Auguſtanæ Confeſſionis Concordiam ſalutarem in hoc propoſito conſtanter pergeret: de iis autem qui Librum improbarunt, & multa in eo corrigenda ac mutanda judicarunt, magnum fuit ſilentium.*

Quintò, *de Conventu Bergenſi propè Magdeburgum narrarunt, ut in eo perlectæ eſſent Cenſuræ omnes & ſingulæ, ſed quid illæ admonerent & flagitarent verbulo quidem indicarunt, quemadmodum nec de Synodo & Conventu, ad quem non ſolùm Theologi Auguſtanæ Confeſſionis, ſed etiam aliarum Eccleſiarum convocarentur, & in eo audirentur, ante quàm damnarentur.*

Sextò, *de eodem Libro jam exhibendo & prælegendo Miniſtris Eccleſiarum & Scholarum*

in Saxonia, tanquam de poſtremo Opere, quo Deus proculdubio in tanta luce Evangelii, quam ſecuritas hominum ſupra modum aſpernaretur, mundo immundo valedictus eſſet.

Septimò, *properanter illis prælectus eſt Liber.*

Octavò, *à Theologis, authoribus Libri, Principum nomine, imperata fuit omnibus ſubſcriptio. Additæ ſunt adhortationes ſpecioſæ ut ſcilicet unuſquiſque ſuæ conſcientiæ rationem haberet, nihil vel in gratiam vel odium cuiuſquam faceret, nec dubiâ & hæſitante conſcientiâ propoſitis capitibus ſubſcriberet; cum hac tamen correctione: Tam diligenter, & accuratè, & ſæpè ſingula Libri verba, à ſe examinata trutinâ monetariâ, & pectine textorio & Stylo Spiritus Sancti ſic exarata eſſe, ut nullius conſcientia hac ſubſcriptione lædi poſſit: & ſimiles ſubſcriptiones jam fieri in toto Imperio: nominatim etiam in multis Eccleſiis celebribus, quæ tamen nunquam ſubſcribere decreverant, & quarum Cenſuræ, cupientibus eas videre, denegatæ ſunt.*

Nonò, *Promiſſum etiam liberaliter; ſi quis haberet aliquid ſcrupuli illum, & quantum ſatis eſſent auditum iri: cogendum eſſe neminem.*

NB. Decimò: *quum quidam petiiſſent, ſaltem Libri copiam ſibi fieri, ut eum in prælectione non ſatis intellectum poſſent relegere, promiſſus illis Liber, nunquam verò datus & exhibitus eſt ipſi autem paulò poſt locis ſuis moti ſunt.*

Vndecimò, , *qui etiam ſubſcriperunt cum conditione Liberæ conſcientiæ, ſi qua deinde illis occurreret in Libri conſideratione dubitatio locis ſuis moti ſunt.*

Duodecimò, *cùm in cœtu à quibuſdam in dubium vocata eſt ſubſcriptio, quorum ſententiis auditis alii quoque movebantur, ſinguli deinceps ſeorſum ad ſubſcribendum ſunt accerſiti.*

Cauſæ ob quas aliquib. Libro Concordiæ ſubſcribere grave fuit. Imò Patres Bergenſes, ut ex Dictatoria eorum Epiſtola, ad Auguſtum Electorẽ ſcripta liquet.

Sed ne ſic quidem effugere Theologi potuerunt quin multa & magna gravamina multi ipſis obijcerent, præſertim quòd ſubſcribere juberentur libro nunquam perlecto. Vituperarunt hunc agendi in re tanta modum, tanquam novum & injuſtum, etiam viri politici. Sed illis reſponſum à Theologis, ſic velle Principes, *illos interrogent, quare ſic velint? illos reſponſuros: Si librum inter prælegendum non ſatis intellexiſſent, ac ſpectarent ipſos, ut qui nihil non rectum ſcripſerint: ſicut de audita concione, ſic etiam de libro hoc ex prælectione ipſos judicare poſſe. Objectum fuit illis, ſuſpectum eſſe merito, quod nulla in Libro mentio fieret* Philippi *& Scriptorum eius: reſponſum ab illis eſt*, Philippum *quidem ſtudiis philoſophicis & literariis multum profuiſſe, ſed ſecus eſſe in Theologicis: Sic Solomonem ſcripſiſſe multa Spiritu prophetico, & tamẽ in ſenecta prolapſum in idololatriam, ut ſalus ipſius in dubio ſit. Apud alios tamen encomiis etiam* Philippi *recitatis, negarunt ſe illius ſcripta reijcere, eius autem mentionem in Libro non fieri, eò quòd à multis nimiùm eius authoritati tributum fuerit neque hanc eſſe injuriam, quum ne* Brentii *quidem meminerint, qui longè meliùs quàm* Philippus *meritus ſit de Eccleſia*, Lutheri *autem ideò ſe meminiſſe, quia ſit præcipuus Doctor Auguſtanæ Confeſſionis, & quia ab illo, ipſi & ſynceri Eccleſiæ Doctores nominent ſe* Lutheranos *Sive tamen* Philippus, *ſive* Brẽtius, *ſive* Lutherus *aliquid normæ Bergẽſi contrarium ſcripſiſſet, hoc eſſe reijciendum. Objectum, miniſtros priùs Corpori doctrinæ ſubſcripſiſſe, quod nondum ſit publicè retractatum, aut refutatũ, non ergo ſe poſſe conſcientiâ & honore ſalvo, hac ſubſcriptione ab illo deficere: Reſponſum, Corpus doctrinæ obtruſum fuiſſe Eccleſiis, inſciis Principibus, & hoc per illud eſſe quæſitum, ut libri* Lutheri *removerentur ex Eccleſiis & Scholis: Etiam ex ipſis Theologis Bergenſibus eſſe aliquos, qui exiſtimarint, ſe non errare; qui tamen jam victi conceſſerint in aliam ſententiam, publicè damnato Corpore doctrinæ. Objectum, priùs ſe coactos ſubſcripſiſſe Articulis Torgenſibus, his Librum Bergenſem adverſari: grave igitur ſibi eſſe, toties ſubſcribere contradictoriis doctrinæ formulis: Reſponſum Torgenſes ſubſcriptiones eſſe irritas, quia articulis illi non fuerint rectè conſcripti: ſe igitur ipſos nomine Principum abſolvere ab omnibus priùs factis ſubſcriptionibus. Objectum ipſos quoque Theologos antea probaſſe Corpus doctrinæ, & confeſſos eſſe, omnes articulos doctrinæ rectè in eo explicari, Sic enim ſcribunt in Itinerario ſuo, ſeque conſenſiſſe cum Theologis Vuitebergenſibus, ſecundùm Corpus doctrinæ teſtantur: Reſponſum, etiam ipſum* Philippum *ſubjeciſſe ſcripta ſua iudicio Eccleſiæ. Objectum, illos priùs confeſſos eſſe, non tantum voce, ſed etiam in eodem Itinerario ſuo Anno 70. edito, quod in Saxonia ubique puram & conſentientem doctrinam invenerint, ab ea quum non ſit diſceſſum, quare nunc mutare eam cogantur? Ne quidem reſponſo hos dignati ſunt. Objectum, diſcedi à veteribus decretis Principum, factis Francofurti, Naumburgi: Reſponſum uno verbo, illa non aboleri. Objectum, Bergenſem Librum novam eſſe Confeſſionem: Reſponſum Normam conſtitui exemplar Confeſſionis oblatum Carolo Imperatori, non eſſe novam Confeſſionem. Objectum, gravem eſſe condemnationem tot Eccleſiarum exterarum: Reſponſum, non homines, ſed dogmata condemnari.*

Mendacium.

Rationes afferentibus, quare dogmata Libri multa probare non poſſent, reſponderunt ſimpliciter, ſe non diſcendi, ſed docendi causâ veniſſe.

Multos

Multos, quibus hoc modo perſuadere ſubſcriptionem non potuerunt, hortati ſunt, ut ſaltem ſubſcribant, manentes in priſtina ſua ſententia; eoque fraudulentis verborum captationibus irretire, & à ſe invicem disjungere omni ratione tentaverunt. Si qui contra librum & ſubſcriptionem vel hiſcerent, Sacramentarii proclamati, calumniis atrocibus proſciſſi & obruti ſunt. Principibus perſuaſum à Theologis iſtis, quicunque recuſarent huic Libro ſubſcribere, eos tanquam homines ſuſpectæ fidei cavendos eſſe.

Hæc & ſimilia in diverſis locis acta ſunt, alibi per Theologos dogmati Ubiquitariis faventes; per Magiſtratus, ut ſuos ad ſubſcriptionem cogerent, perſuaſos; alibi Theologorum technis; alibi authoritate & gratiâ Principum; alibi populo adverſus Magiſtratum incitato; alibi incuſſo metu invidiæ, alienationis animorum à ſe, excluſionis ex pace religionis, &c. Acriùs ſecundò aut tertio recuſantibus dictum eſt, non aboleri Corpus doctrinæ; privatim eis permiſſum, ut ſubſcriberent hac annexâ conditione, Quatenus Formula Bergenſis cum Corpore Doctrinæ conſentit: coram teſtibus autem, objicientibus conditiones, quibus cum ſubſcripſerant, reſponſum; eos ſubſcripſiſſe ſimpliciter. Quibuſdam perſuaſum, ut non Formulæ Concordiæ, & huic annexæ obligationi, ſed tantum libris ei præfixis ſubſcriberent.

De exemplarium Libri Concordiæ diſſimilitudine plurimi conqueſti ſunt, ſed fruſtra. In editione Libri conditiones omnes, quibus multi ſubſcripſerunt, penitus omiſſæ, ſolis eorum nominibus in Catalogum relatis: ac nec omiſſa nec mitigata Formula obligationis conſcientiarum, ad finem Libri annexa, quam ſine illis conditionibus non fuiſſent accepturi.

Minæ Bergenſium ſi qui ſubſcribere recuſarunt.

Sparſi ſunt etiam à tribunitiis Theologis ſermones minaces, ſi qui perſtarent in recuſatione ſubſcriptionis, removendos, aut ſi ultrò dimiſſionem peterent, arreſto detinendos, Muſæa & ſcrinia quoque ipſorum perſcrutanda eſſe. Similiter olim ab hæreticis hic modus agendi uſurpatus quoque fuit. Eleuſium Cyzicenum Epiſcopum, referente Socrate lib. 4. c. 6. coegit Valens Imperator dogmati Ariano ſubſcribere comminatione exilii & publicationis bonorum territum. Lucius Arianus Valentis Imper. favore fretus, & cùm militibus in Eccleſiam Alexandrinam irrumpens, Petrum Epiſcopum & Arianæ hæreſi reſiſtentem expulit, ut Theodoretus narrat. Lib. 4. c. 22. In Epheſina ſecunda Synodo, judices armatis militibus ſepti fuerunt, & confirmata eſt Eutychis hæreſis factione Dioſcori Alexandrini Epiſcopi: Flavianus Conſtantinopolitanus Epiſcopus orthodoxus, ſic percuſſus & calcibus ex conceſſu expulſus, ut triduò poſt mortuus ſit, quem mortuum etjam Dioſcorus pedibus calcavit. Theodoreto Cyrenſi, functio Epiſcopalis adempta, ac multi, quorum vi vel fraude extorta fuerant ſuffragia, deinceps teſtati ſunt conſcientiæ vulnera, deteſtantes captivæ manus impiam ſubſcriptionem.

Atque hæc fuit via, hic modus agendi, hoc aucupium, quo Theologi Sex Libri ſui ſubſcriptiones collegerunt. Etſi autem ingenia callida & ſophiſtica nihil tam inconveniens dicere aut facere poſſint, cujus excuſationem & prætextum ſpecioſum non inveniant: tamen ex hac rerum geſtarum Epitome, omnes boni nec pravo aliquo præjudicio faſcinati intelligerent quàm, procul in his actionibus ab omni jure & æquitate, à Regula Verbi Dei, à dilectione Chriſtiana, à more Apoſtolico & Eccleſiaſtico, Theologi iſti receſſerint.

De hoc etiam novo & in Eccleſia Chriſti inuſitato agendi modo, injuriis etiam ac impoſturis Bergenſium Theologorum cum multis lachrymis & ſuſpiriis multis in locis multi honeſti viri, Miniſtri Eccleſiarum, graviter conqueſti ſunt, & propterea etiam ſubſcriptiones ſuas, tanquam per fraudem extortas, retractari palam profeſſi, ſe non ſecundùm novum ſed ſecundùm vetus Corpus doctrinæ, & jam docere, & deinceps etiam docturos ſuas Eccleſias, neque aliud ſe promiſiſſe.

Etſi autem in hac Epitome nihil narraverimus quod non ſit actum, quodque non in tota Germania notorium ſit: Tamen ut viis, quæ diximus, major fides habeatur, aliquot ſaltem exempla in teſtimonium adducam.

Anhaldinorum teſtimonium de Schmidlini modo agendi.

Anhaldini Theologi in Cenſura ſua de Libro Bergenſi, juſſu Principis Anhaldini ſcriptâ Anno 77. pridie Calend. Septembris inter alia referunt, Ante Annos ferè ſeptem Iacobum Schmidlinum non accerſitum ad Principem Anhaldinum veniſſe, graviſſimeque conqueſtum fuiſſe, Proteſtantium Eccleſias longè lateque per effrenem calumniandi libidinem diffamari, non duos in iis reperiri Paſtores, qui in uno vel altero Articulo Auguſtanæ Confeſſionis conſentiant. Tunc autem ipſum non plures quam quinque ſolùm articulos exhibuiſſe, de quibus controvertatur, ideoque ſe dimiſſum dixiſſe, ut diligenter in hanc rem inquirat, quò calumniatoribus iſtis impudentiſſimis os obſtruatur. His Schmidlini querelis ſe condoluiſſe & fidem ſimpliciter habuiſſe, deque Principis ſui conſenſu, talem fidei ſuæ Confeſſionem coram Schmidlino edidiſſe, Theologi Anhaldini teſtantur, ut ipſe, ſublatis in Cœlum manibus, Deo, Principi Anhaldino, eiuſque Theologis gratias egerit, fratreſque dilectiſſimos Theologos nominarit. Se etiam arbitratos fuiſſe, ſi tantum pro Auguſtana Confeſſione pugnaret Schmidlinus,

ſatis teſtimoniorum, in vel una Anhaldina ditione, adverſus calumniatores iſtos reperiſſe. Ad hæc, licet admoniti fuerint, ut ſibi ab eo caverent, tanquam nòn ubique veraci, ſibique ipſi ſimili, ſecum etiam tum circumferret Appendicem *quandam ad Articulum de Cœna Domini, in qua Anhaldinis blandis verbis ſuam Majeſtaticam realitatem commendare & obtrudere conatus ſit, ſe tamen* Appendicem *iſtam nũquam purè & ſimpliciter approbaſſe, neque tamen etiam* Schmidlinus *in propoſito ſuo impedire voluiſſe, præſertim quum ſanctiſſimè teſtatus ſit quicquid hac in parte faceret, id omne adverſus Flaccianos vicinæ Academiæ fieri, & in honorem* Philippi, *pro cujus Corpore doctrinæ ad extremum uſque vitæ Spiritum pugnare decreverit. Ipſum præterea, prinſquam in Saxonia & vicinis terris fixum locum & patrocinium aliquod nactus eſſet, dictam* Appendicem *de Realitate his blandis verbis, tãquam aſtutiſſimam vulpem, inſinuaſſe:* Nulla nos πολυπραγμοσυνῃ vel curioſitate in hác diſputationis arenam deſcendimus, ſed libenter volumus pacẽ & concordiam cum illis colere, qui nobiſcum verba Chriſti ſimpliciter retinent, veramq; Chriſti Corporis & Sanguinis præſentiam fatentur in Cœna Sacra, *&c. Ab utraque verò parte, tam Flaccianorum quam Vuitebergenſium, tum quidem temporis ita exceptum fuiſſe, ut ſuam confictam majeſtatem & realitatem, tum quidem ſuppreſſerit & ſuo loco reliquerit, donec his annis proximis ita ſe in aulas Principum inſinuarit, ut eius opinio de majeſtate & realitate authoritate & patrocinio eorum Torgenſibus Articulis, & tandem etiam Libro Concordiæ inſerta fuerit. Seſe autem ex Scriptura Sacra, Conciliorum decretis & Patribus didiciſſe, Articulos de Perſona Chriſti & Cœna Dominica, diſtinctos eſſe Articulos, & unumquemque ſuo peculiari fundamento inniti. Cùm itaque rurſus Anno 77. in Dominica* Iudica *ad Principem* Anhaldinum *veniſſet, eiuſque Theologi ſuam ſententiam modeſtè* Schmidlino *indicaſſent, eique in faciem dixiſſent,* Tu in æternum hoc argumentum non ſolves, *ſeipſum confeſtim magna cum importunitate adverſarium eorum profeſſum eſſe, & coram Filio Dei teſtatum, ſe in æternum ſententiam illorum non approbaturum: coram Principe verò Anhaldino dixiſſe, diſcrepantiam tantùm in verbis eſſe inter ſe eiuſque Theologos. Denique, eum jam aliquot mille vota & ſubſcriptiones hominum ſupplicium & magna ex parte ineruditorum, novo planè & inuſitato proceſſu, conſequutum eſſe, eoque rem adduxiſſe, ut nulli tuto liceat diverſum quid ab hoc Libro credere, & contra eum vel clam, vel publicè aliquid loqui, &c.*

Aliud teſtimonium P. S. de modo agendi quo uſus eſt Schmidlinus cum ſociis.

Ex Iena 11. *Calend. Ianuar. Anni* 1576. *ſcripſit P. S. ad amicum quendam ad hunc modum:* Si me turbulentorum Flaccianorum & Vbiquitariorum turbis immiſcere vellem, de conditione minimè laborarem. Sed Deum in hac delira mundi ſenecta me conſervaturum ſpero, ne eorum virulentâ contagione, quæ animum & corpus penetrat, inficiar. Status Academiarum in his regionibus eſt certè miſerrimus, & inprimis noſtræ Therſites Tubingenſis, inventor, pater, acerrimus defenſor novæ Vbiquitatis Sphyngis, jam ceu Aeolus excelsâ in arce ad gubernacula ſedet, tenens præ omnibus ſolus clavum: expanſis velis & plenis ventis jam navigat, viſitans & perreptans omnia loca, plenariam poteſtatem habens reformandi Academias, ab officio deponendi, ad faſtigium honoris evehendi Paſtores, Profeſſores, Ludimoderatores omnes, pro ſua libidine, qui futili & hactenus in noſtris Eccleſiis inaudito Vbiquitatis dogmati ſubſcribere rècuſabunt. Academia Lipſenſis ardelioni, & duobus Conſiliariis nobilibus ex aula *Laſero* videlicet & *Einſidelio*, privilegia omnia offerre legenda coacta eſt. Singuli privatim examinantur. Subſcribent, aut eis aquâ & igni interdicetur. Altum præterea omnibus & ſingulis ſilentium impoſitum eſt, ne quis ſub maxima pœna aliquid evulget, donec examinatæ fuerint & reliquæ Academiæ. Fraudem hujus rei etiam lippi vident. Iam profecti ſunt Vuitebergam, ibi, ut ſcis, multis adhuc latitant boni viri & Nicodemi, qui Chriſtum noctu conveniunt: ſed illis os obturatum eſt. Multi præ timore hinc inde veritatem agnitam abijciunt, & ſunt quaſi Apoſtoli Tempore Paſſionis derelinquentem Chriſtum. Ad feſtum Epiphaniæ noſtram Academiam Vbiquitarii viſitabunt. Noſtrates valdè ſibi metuunt, & verentur vel inſignem mutationem, aut totius Scholæ diſſipationem. Ne noſtra Academia, labantibus pedibus, corruat, valdè vereor. *Dom. Dom. David* vir bonus, ut ſcis, metuit neſcio quid: vereor ne ſubſcribat: ſi recuſaverit hoc, eius locum Gigantea proles *Vuigandus* occupabit.

Sed audi quid ille circumforaneus Tubingenſis in aula conſequutus ſit. Sunt hic quidam candidati, qui Doctoribus titulum petunt: Illis remora injecta eſt, ne in profito pergant uſque ad Ceretanei âdventum. Et, quod deplorandum, mandatum eſt, ne aliquis interea ad munus

Eccle-

Eccleſiaſticum ordinaretur. Quo hęc inhibitio vergat dies docebit. *Sartorius* mœrore conficitur: proculdubio removebitur quoque quòd non approbet Vbiquitatis φαύσματα. De conſtantia N.N. integerrimi viri & noſtri hoſpitis non dubito. Plures ſunt hic Nicodemi & Ioſephi ab Arimathea quàm ſperaſſem: Sed ignis probabit brevi. Deus ſuos conſervet, ne ab agnita veritate recedant,&c.

De modo agendi in emendicandis ſubſcriptionibus Formulæ Bergenſis ex Selnecceri Recitationibus.

Actionum autem injuſtitiam & modum agendi inuſitatum Patrum Bergenſium in circumcurſitando, & emendicandis, ſeu potiùs extorquendis votis & ſuffragiis, breviter à Neuſtadianis in Admonitione ſua & ſtrictim adumbratâm, vivis quaſi coloribus depinxit in Recitationibus ſuis Nicolaus Selneccerus, *ex quibus præcipua ad hunc locum, cum* Iohannis Balæi *animadverſionibus, referam. Omnibus enim ſine præjudicio Narrationes illas legentibus apparet, ex multorum puerilibus ac ridiculis aſſentationibus, magnam partem ex inſcitia, vel affectibus, vel ſtudio partium aut gratiæ hominum ſubſcripſiſſe Concordiæ libro, qualium vel ſexcenta ſuffragia turpe eſt cum unius viri docti & cordati ſententia conferre. Apparet etiam ex multorum objectionibus, pleroſque, in quibus aliquid doctrinæ, eruditionis ac judicii fuit, & libri dogmata, & actiones Theologorum minimè probaſſe. Apparet denique ex Theologorum iſtorum, ſeu Bergenſium Patrum reſponſionibus, quàm frigidè, quàm ſophiſticè & fraudulenter cauſam ſuam egerint, quamque, vel imperiti doctrinæ Chriſtianæ & rerum Theologicarum fuerint, qui reſponſis talibus acquieverint, vel metu periculorum, & multitudine ſervilium ſuffragiorum oppreſſi, qui argumenta ſua tam leviter deſeruerint & proiecerint, quæ tamen ſuâ firmitate facilè ſe tutata fuiſſent, ſi loquendi tam fuiſſet locus,quàm audiendi, & tacendi, & imperata faciendi.*

Quid actum Vuitebergæ in collectione ſuffragiorum.

Anno Domini igitur 1577. *Iunii* 15. *die ſubſcriptionum petitio Vuitebergæ cœpit. Ibi integro biduo omnibus Eccleſiarum diœceſi Vuitebergenſi ſubjectarum Miniſtris Librum iſtum* τῶν Παραδόξων *in Arce*, Schmidlinus & Selneccerus, *prælegerunt: interjectis à* Schmidlino *explicationibus, exquiſitis ſcilicet, de Perſona & Majeſtate Chriſti fictitia, de Libero arbitrio, Euchariſtia & aliis: quibus omnibus effectum eſt, ut univerſi ſubſcriptionibus ſuis tandem confirmarent Articulos illos in novo illo Libro comprehenſos. Sciſcitantibus aliquibus cauſam, de profundo* Philippi *in novo iſto Libro ſilentio, & quomodo liberari à juramento ſuo, quo Corpori doctrinæ* Philippi *obſtricti eſſent, tandem poſſint; reſponſum fuit à* Schmidlino, *Electorem Saxoniæ jam facto eos abſolvere à prioris juramenti obligatione*, quia, ut ſcitis, *dixerat*, Philippus jam longo tempore eſt & fuit ſuſpectus non tantùm de Calviniſmo, ſed etiam de aliis articulis, & inprimis de Libero arbitrio, de quo quanta certamina inter docentes in his terris Saxonicis mota fuerint, neminem veſtrum latere poteſt. Daß Buch aber / ſo ihr ietzt habt hören vorleſen / iſt ein ſolches Buch / daß nicht ein Mann allein / ſondern der ihr viel / nicht in einem / ſondern in vielen Jahren gemachet haben: Iſt auch ſo wol durch die Hächlen gezogen worden / daß weder ietziger Zeit noch hernach iemands etwas daran wirdt wiſſen oder können tadlen: und darnach ſolt ihr auch alle ewer Lehr und Predigen richten.

Poſtea 26. *Iunii in templo publicè gloriatus eſt idem* Schmidlinus, *de Concordia non ſolùm feliciter inchoata,ſed penè etiam confirmata.*

De Academiæ Vuitebergenſis ſubſcriptione.

De hac autem Vuitebergenſis Academiæ ſubſcriptione,ſic inter alia quidam ad Amicum ſcripſit: Academia Witebergenſis in extremis conſtituta eſt agonibus. Omnium facultatum Profeſſores (paucis exceptis) partim minis fracti,partim fraudibus mirificis circumventi, Pandoræ Vulcaneæ ſubſcripſerunt. Quotquot ſubſcriptionem recuſant, ſtationibus ſuis relictis ſolum vertere coguntur. Interea paſſim horrenda prodigia conſpiciuntur, proculdubio fatalem ruinam, vel alias quaſvis triſtiſſimas calamitates regionibus iſtis minitantia,&c.

Die 27. *Iunii excurrerunt in vicinas regiones,in quibus tamen minori felicitate de ſucceſſu impari pleraque acta ſunt de iis* 10. *Iulii* Polycarpus Leyſerus *Paſtor novus Vuitebergenſis, conqueſtus eſt in Concione publica Mercuriali: Eſſe videlicet Principes nonnullos, & alios homines, qui impedire conentur Divinum illud Reformationis Eccleſiarum Saxonicarum opus, ſed ſpem tamen eſſe,ut per gratiam Dei inceptum feliciter ad finem perducatur, ideoque diligenter monuit & hortatus eſt populum ad preces.*

Tandem 11. *Iulii è cathedræ loco ſummo Auditorii maximi novus hic Paſtor affirmavit inter alia,*Formam Servi aſſumptam (*Philip.* 2.) nequaquam accipiendam eſſe de Natura Humana, ſed de exinanitione ſeu humiliatione, quam poſtea Chriſtus Aſcenſione & Seſſione ad dexteram Patris rurſus depoſuerit. *Item*, Majeſtatem ſtatim in ipſa Conceptione communicatam eſſe Humanæ Naturæ Chriſti. *Item*, Divinam Naturam in Chriſto eſſe ipſam omnipotentiam: Humanam autem Naturam eſſe omnipotentem. *Item*, λόγον eſſe omnipotentem per ſe,Hominem Chriſtum verò per gratiam. *Diſcrimen etiam inter omnipotentiam & Omnipotentem*

tale ſtatuit: ὁ λόγος, *inquit*, omnia agit & operatur per aſſumptam carnem, cui realiter communicata eſt Omnipotentia, quemadmodum patet ex miraculis Chriſti, & ex illo dicto, Pater adhuc operatur, & ego operor. Ergo, *inquit*, non de Divina natura intelligendum eſt, ſed de Humana: Sicut & illud, Mihi data eſt omnis poteſtas: Mihi, ſcilicet, non Divinæ Naturæ, ſed Humanæ. *Sic igitur* Polycarpus *hic cum ſuo* Schmidlino ἕνωσιν ὑποστατικὴν *in Chriſto evertit: duas in ipſo Naturas diſtinctas cum Eutyche vel tollit vel certè confundit: Voluntates etiam & operationes Naturarum diverſas cum Monothelitis pervertit: Deificationem Naturæ Humanæ Serveticam & Schuenckfeldianam denuò aſſerit: Antitrinitariorum violentas locorum Sacræ Scripturæ detorſiones confirmat: diſcrimen inter Chriſtum & alios Sanctos tollit: Naturas cum Perſona & officio Chriſti permiſcet: Naturæ item Divinæ proprietates cum præclariſſimis donis in naturam humanam collatis per reſurrectionem, glorificationem & exaltationem involuit: Mediatoris officium ſecundum utranque naturam conſideratum infringit, & falſiſſima expoſitione plurimos Sacræ Scripturæ locos corrumpit.*

Leyſeri errores.

Poſtquam autem blaſphemias has 11. *Iulii evomiſſet, ſtatim* 13. *die poſt, evidentiſſimo divini judicii teſtimonio, fulmine tactum eſt utrunque Arcis & Parochiale Templum, & ſimul unà* Collegium, Auguſti *nunc dictum, olim Lutheri Monaſterium. Hæc ubi in Aulam Electoris allata fuiſſent, Concionator aulicus* Mirus, Iacobi Schmidelini *juratus hoſtis, publicâ concione in conſilia & conatus ipſius, tecto tamen nomine, vehementiſſimè invectus eſt.*

Vuitebergæ Arcis & Parochiale templum fulmine tangitur.

VVitebergâ Herzbergam excurrunt Vbiquitatis Apoſtoli. Ibi, quum Liber perlectus eſſet, motæ ſunt ab aliquibus ejuſmodi quæſtiones, ut reſponſionibus ad eas datis, nemo niſi aut ſtupidus, aut mancipium acquieſcere poſſit. Quidam quæſiverunt de communicatione Idiomatum, an ſcilicet ageretur tantùm de Humana Natura in abſtracto, an verò de Perſona, cùm de omnipræſentia diceretur, & putarunt extendi Humanam Naturam. *Sententia horum fuit, ſi non tantùm homo Chriſtus, ſed etiam Humanitas ejus dicatur eſſe ubique, ſequi Naturarum confuſionem & coextenſionem. Reſponſum eis fuit,* quòd Humana Natura non extra perſonam τοῦ λόγου, ſed in ipſa Perſona conſideraretur. *De Humana autem Natura Chriſti extra Perſonam, nullam unquam quæſtionem quiſquam movit, cùm extra aſſumptionem nulla fuerit. Non ergo explicat, ſed eludit hæc reſponſio quæſtionem, quæ quærit, An caro unita* λόγῳ *ſit ubique, atque hoc ipſum negat. Additur,* Omnipræſentiam non de extenſione & diductione in infinitum, ſed de omnipotente gubernatione intelligi. *Non credibile eſt Schmidlinum hæc dixiſſe: neque enim ille omnipræſentiæ loco, cuius causâ tot labores & peregrinationes ſuſcepit, omnipotentem gubernationem ſubſtituere ſolitus fuit. Fraus etiam ſubeſt & eluſio in extenſionis, diductionis & expanſionis vocabulis. Hæc enim propriè loquendo competunt ei, quod partem extra partem habet, ita ut alia pars in alio loco ſit. Propriè igitur nec ipſa Deitas per extenſionem ubi eſt. Eſt enim ubique tota & individua. Sic autem ſi Corpus dicant eſſe ubique, palàm abolent & confundunt cum Deitate naturam Corporis, ut quod infinitum ſit, & partem extra partem non habeat. Eadem ergo manet abſurditas, ſive extenſam, ſive non extenſam corporis ſubſtantiam ſtatuant ubique.*

Pag. 68. *Herzbergæ ut collectæ ſint ſubſcriptiones.*

Ea etiam ſequuntur, Schmidlinum non dixiſſe, ſed Selneccerum, apertè teſtantur. Fabro aliis fortaſſe tum occupato, aut connivente, quòd hanc ſuam & Selnecceri diſcrepantiam neminem ex præſentibus animadverſurum putaret: additur enim, Omnipræſentiam intelligi de præſentia ſecundum expreſſum verbum. *Hæc redolent non Vbiquitatem generalem* Schmidlini, *ſed reſtrictam* Selnecceri, *& ſenſus eſt, Carnem Chriſti non eſſe in omnibus locis præſentem, ſed tantùm in pane Sacramenti, ad quem ſe expreſſo verbo allegarit. Et tamen huic reſponſioni opponentes acquieverunt. Aut igitur fraudes Vbiquitariorum non animadverterunt, aut ſuo metu periculorum urgere non fuerunt auſi.*

Quæſiverunt ibidem nonnulli de voce Realis communicationis, *& reſponſum eis fuit,* realiter omnia Idiomata communicari, ſalvis ſubſtantiis & proprietatibus utriuſque naturæ. *Quo pacto autem proprietates Naturarum manere poſſunt, ſi realiter altera alteri ſuas communicet? Proprietatem enim communicatio tollit. Ineſt his verbis etiam altera contradictio: Si enim omnia Idiomata realiter communicantur, quomodo ſalvæ manent utriuſque ſubſtantiæ & proprietates? Ineſt & tertia: Nihil enim volunt realiter prædicari de homine, quod non realiter prædicetur de Humanitate: Et tamen realiter hominem eſſe Deum æternum, conditorem mundi, cum Luthero fatentur; Humanitatem eſſe Deum æternum conditorem mundi, negant. Ergo non oportet carnem eſſe omnipræſentem, quia homo eſt omnipræſens.*

Additur, monuiſſe quoſdam, Inſtitutionem unicum fundamentum eſſe doctrinæ de Cœna. *Conceſſit illis hoc Schmidlinus. In Expoſitione autem controverſiæ de duabus Naturis in Chriſto, &c. docet,* Vbiquitatem fundamentum eſſe præſentię Corporis Chriſti in Cœna, *pag.* 91. *Et in ſcripto contra Heydelbergenſes, pag.* 61. Quicunque, *inquit*, hanc Majeſtatem Vbiquitatis nobiſcum fateri nolunt, iſti

verum

verum fundamentum præſentię Corporis Chriſti in Cœna negant: Et niſi ex hypoſtatica unione duarum Naturarum in Chriſto concedatur, Corpus ejus in omnibus ubique locis eſſe, fruſtra, dicunt *Vbiquiſtæ*, inculcari veritatem verborum, Hoc eſt Corpus meum; pro quibus etiam ne ad momentum quidem amplius velint dimicare, *Brentius & Schmidlinus fatentur.*

Quidam denique de Libero arbitrio quædam monuerunt, eſſe *nimirum* tres cauſas converſionis, quo ad modum, non quo ad effectionem ęqualem; & niſi voluntas hominis ut ſubiectum convertendum adderetur, infuſionem Spiritus Sancti, & coactionem ad converſionem ſtatui oportere, & ita in Deum cauſam indurationis & damnationis conferri. *His reſponſum eſt de mediis, Verbo & Sacramentis, per quæ Spiritus Sanctus efficax eſſet, & quibus homo uti poſſet propriâ ſuâ facultate. Hic verò cæcus ſurdaſtro verè litem movit. Non enim audiunt verbum, niſi quibus Deus miſerit præconem verbi: nec aſſentiuntur & obtemperant verbo audito niſi qui ordinati ſunt ad vitam. Nec tamen Deus eſt author cæcitatis & contumaciæ, cum omnes naturâ cæci & contumaces ſint; illuminantur autem & emolliuntur, quorum Deus miſeretur. Rom. 9. & 10. Act. 12. Dum intra hos limites ſe non continent, neque novas inclinationes ab actionibus voluntatis diſcernunt, aut plus, aut minus Libero arbitrio tribuunt, quàm oportet.*

Pag. 68. & 69. *Et tamen boni illi Paſtores his frigidis reſponſionibus acquieverunt, ſibi ſatisfactum eſſe teſtati ſunt, egeruntque gratias pro his commonefactionibus, & pro toto hoc Opere; & ſe in libri Concordiæ ſententia permanſuros eſſe promiſerunt, ſi vera ſunt quæ Selneccerus refert.*

Quæ Torgæ acta ſint in ſuffragiorum collectione.

Herzbergâ Torgam pervenerunt. Ibi cùm Paſtoribus & Scholarum Miniſtris Concordia Formula prælecta eſſet, quæſiverunt nonnulli, cur Philippi Melanchthonis communis Pręceptoris mentio in libro omiſſa eſſet, qui tamen Auguſtanam Confeſſionem & Apologiam ſcripſiſſet, & Lutheri fidus Achates fuiſſet? *His reſponſum eſt*, Philippum quidem optimè de omnibus meritum eſſe, nec obliterari memoriam ejus: quia tamen Sacramentarii & ipſum, & ſcripta ejus in ſuas partes inflecterent, mentionem ejus omiſſam eſſe. *Sed etiam Scripturam ipſam, Patres & Lutherum in ſuas partes inflectunt, quos vocant Sacramentarios: cur ergo etiam nomina illorum non ſunt omiſſa? Additur*, Philippi *ſcripta* majori cum fructu, quàm Auguſtini & aliorum Patrum legi poſſe. *Ergo Lutheri ſcripta ejuſdem authoritatis cum Scriptura ſacra ſunt. Si enim Philippus Auguſtino & aliis Patribus major eſt, & Lutherus Philippo, vel cæco apparet, quo loco Lutherum habeant. Nihil enim Patribus præfertur quàm Verbum Dei. Dicitur*, neminem ἀναμάρτητον eſſe, *ergo nec Lutherum excipere poſſunt, niſi ſecum ipſi pugnare velint. Subjicitur*, in Philippi ſcriptis legendis opus eſſe judicio: *eo verò judicio opus quoque habent ſcripta Lutheri. Additur*, In Locis communibus Philippi poſt mortem Lutheri multa eſſe mutata & inſerta. *Sed hoc falſum eſt*; *Nihil enim docuit Philippus mortuo Luthero, quod non etiam vivo illo docuerit, & quidem Luthero non ignorante.*

Porrò quæſitum eſt ibidem de Brentii verbis, Pag. 70.
quibus Iohan. 7. c. dicitur, Os corporis accipere panem & vinum, ſed os fidei accipere corpus & ſanguinem. *Et reſponſum eſt*, Brentium ibi pugnare contra eos, qui aiunt, externis ſenſibus debere & poſſe percipi Corpus & Sanguinem Chriſti. *Imò pugnat contra Bergenſes Patres Brentius, qui dicunt ore comedi Corpus Chriſti. Nullum enim habuit Brentius adverſarium, qui diceret, viſibiliter aut ſenſibiliter comedi Corpus Chriſti: Et palàm opponit os Corporis & os fidei, hoc eſt, probat manducationem fidei, rejicit autem manducationem oris, reſpectu Corporis: oralis autem manducationis viſibilis & inviſibilis diſtinctionem eo adhuc tempore ignoravit* Brentius. *Additur*, de ſenſibili, viſibili, naturali & craſſâ comeſtione Corporis Chriſti in Cœna nihil agi: *Ergo de Spirituali agitur & inviſibili, quam nos fidei eſſe dicimus. Nam de orali inviſibili tam nihil dicitur, quàm de viſibili. Si ergo illam amplectuntur: nobiſcum ſentiunt: ſin hanc probant à nobis diſſentiunt, eamque verba Chriſti non docent.* Pręſens, *aiunt*, Corpus Chriſti eſſe ſecundum verba. *Verba autem nihil habent de Corpore in pane, ſed ſunt verba inſtitutionis Sacramenti. Ergo præſentia eſt Spiritualis, qua eſt in verbo & omnibus Sacramentis.* Negant diſputandum de modo. *Cur igitur ipſi modum exprimunt, videlicet, ore corporis manducari Corpus? Verba autem longè alium modum exprimunt. Verba enim inſtitutio Sacramenti ſunt: Sacramentum ſignum & teſtimonium eſt voluntatis Dei erga nos in Evangelio patefacta, ut habet Auguſtana Confeſſio. Et modum hunc Paulus etiam indicat, cùm dicit*, eſſe κοινωνίαν corporis illam, quâ unum corpus cum Chriſto ſunt fideles. *Hinc ergo modus omnibus patet, quo panis ſit Corpus Domini, nempe, ut ſignum Corporis & teſtimonium ejuſdem oblati pro nobis in cruce ſecundum voluntatem Patris, & nobis exhibiti & communicati per fidem in eſcam vitæ æternæ. Nihil ergo reſponderunt* Schmidlinus & Selneccerus *ad objectionem, neque etiam conciliata eſt ab ipſis vetus Brentii doctrina de Cœna cum ejuſdem nova.*

Poſt

Pag. 70. & 71. *Poſt hæc quidam hoc argumentum attulit,* Quicquid fit in unione, non ſolvit unionem. Eſſe in loco fit in unione: Ergo eſſe in loco non ſolvit unionem. *Reſponſum eſt ei*, nequaquam negari argumentum, nec περιγραφὴν Corporis Chriſti, *ſed hoc dici*, Finitum Corpus Chriſti eſſe infinitę potentię, cùm ratione unionis, tum ratione exaltationis in ipſa unione ad Dexteram Patris. *Quaſi verò περιγραφὴν Corporis Chriſti non tolleret Vbiquitas. Sed tamen implicatæ ſunt inſidiæ: tribuunt Corpori infinitam potentiam, quàm ſi obtineant, facilè ſperant conſecuturum Vbiquitatem. Sed demus illis, Corpus Chriſti eſſe circumſcriptum, id eſt, uno tempore non niſi uno loco exiſtens, potentiam verò ejus infinitam: quid tum fiet de eſu orali & præſentia corporali in pane, aut quomodo circumſcribetur uno loco, quod ſimul eſt in multis panibus? Iam verò, quomodo*, Selneccero *cum* Schmidlino *ſuo ſocio in hac peregrinatione convenit, qui non tantùm potentiam, ſed etiam ſubſtantiam corporis vult eſſe omnipræſentem? qui rectè contendit, eiuſdem eſſe omnipotentiam & omnipræſentiam: qui rectè contendit, quod eſt ſimul in multis locis, etiam in omnibus locis neceſſariò eſſe. Poſtremò, rurſus ponamus, Corpus Chriſti finitum & circumſcriptum, potentiam verò eius infinitam & omnipræſentem. Illa potentia igitur extendetur latiùs quàm Corpus. Quid autem erit? Subſtantiane an accidens. Si accidens cuius generis accidens, & in quo ſubiecto erit extra Corpus exiſtens? Si ſubſtantia: corporeane an incorporea? Creatane an increata? Scriptura nos docet, Spiritum & Deitatem omnipotentem & omnipræſentem, nos corpori finito & circumſcripto in ſuo loco manenti inſerere, & ſpiritualiter nobis illud præſens facere, ſicut caput omnibus membris corporis, etiamſi corporaliter & localiter à nobis diſtet.*

Pag. 71. *Quidam præterea quæſivit*, an caro ſive humana Chriſti Natura habeat omnipræſentiam? *& reſponſum fuit*, quod ad proprietatem ſuam phyſicam, non habere; habere autem proprietate Divinæ Naturę, cui unita eſſet, & habere eo modo, qui in verbo Dei manifeſtè expreſſus eſſet. *Illum autem modum ex Verbo Dei manifeſtè oſtendere debuerunt Patres Bergenſes illi bono viro qui hoc quæſivit. Dixerunt, Chriſti Humanam Naturam habere omnipræſentiam proprietate Divinæ Naturæ. Verùm non caro, ſed homo eſt omnipræſens, proprietate Naturæ ſuæ Divinæ. Homo enim habet in ſubſtantia perſonæ ſuæ Naturam Divinam: ideo & proprietates omnes Divinæ Naturæ habet. Caro autem unica eſt Divinæ Naturæ, non habet divinam naturam, ideò nec proprietates Divinæ Naturæ: id eſt, homo eſt Deus realiter, ergo & omnipræſens realiter. Caro non eſt Deus, ergo nec omnipræſens, neque re neque nomine, cum de carne loquimur, etiam unita Deitati. Nomine autem, non re omnipræſens eſt caro, cùm de homine carnem habente loquimur, & perſonam, quæ Deus eſt, à carne ſua denominamus: atque ita de perſona tota, quod ei ſecundum alteram duntaxat Naturam competit prædicamus. Deinde contradictio eſt, ſimul carnem habere proprietatem ſuæ Naturæ, quæ eſt, non eſſe ubique, & proprietatem Divinæ Naturæ, quæ eſt, eſſe ubique. Addiderunt in fine reſponſionis ſuæ ad hanc quæſtionem,* Sibi de abſoluta Vbiquitate nihil conſtare. *Vbi* Schmidlinus *apertè mentitur, qui abſolutam Vbiquitatem cum* Brentio *mordicus defendit. Sed nec reſtricta nec abſoluta Vbiquitas ex Scriptura probari poteſt, ideoque à noſtris meritò rejicitur.*

Quæſitum eſt etiam de definitione Evangelii, An Evangelium non eſſet pœnitentiæ prædicatio propriè loquendo? *Reſponſum eſt*, ſi ſalutaris pœnitentia intelligatur, nihil ſcrupuli eſſe in definitione illa Evangelii, ſed particulas (*propriè loquendo*) reprehendi. *An igitur* Philippus, *cuius hæc eſt definitio, Evangelium dixit eſſe concionem pœnitentiæ non ſalutaris? aut docere & efficere pœnitentiam Iudæ? Si ergo de ſalutari pœnitentia, id eſt, de converſione ad Deum nihil ſcrupuli, quid reprehenderunt? Cur carpunt particulas*, propriè loquendo? *An hoc non eſt in paucis verbis ſibi contradicere? propriè loquendo Evangelio commune eſt cum lege, in genere peccatum arguere: proprium autem legis in ſpecie. Proprium etiam Evangelii eſt, in ſpecie arguere incredulitatem in Chriſtum: ſicut legis, incredulitatem in genere, & in aliis ſpeciebus. Proprium etiam Evangelii, vocare peccatorem ad converſionem ad Deum, eiuſque modum docere, & eam efficere, quam nec docet nec efficit lex, ſed tantum ſuis terroribus & ſententiâ damnatoriâ, conſcientias & corda ad veram & ſalutarem pœnitentiam, quæ eſt reditus peccatoris ad Deum, præparat.*

De tribus cauſis converſionis, reſponſum eſt, eas non negari, ſervato ordine. *Atqui nec* Philippus *eas æquales poſuit. Ergo maligne calumniati ſunt Bergenſes, quæ candidè accipi poterant. Addiderunt:* Hominis mentem & voluntatem eſſe cauſam materialem in qua. *Hoc verum eſt, quod ad qualitates ſive inclinationes novas attinet: quod verò ad actiones, etiam efficientis ſecundarii rationem: agimus enim à ſpiritu Dei acti.*

Ex his intelligit Lector, eos, qui iuxta Selnecceri *relationem, his frigidis commonefactionibus, explicationibus & reſponſionibus acquieverunt, & Bergenſibus Patribus pro iis gratias egerunt, aut nimis timidos, aut nimis rudes fuiſſe.*

Torgâ

Miſenæ quæ acta ſint in colligendis ſubſcriptionibus. *Torgâ Miſenam perventum eſt, atque ibidem etiam de quæſtionibus aliquib. reſponſum ac inprimis locus Apoc. 3. c.* Ego ſto ante fores & pulſo; *expoſitus, tanquam de auditu verbi loquens. ex quo fides eſt, & quo Deus pulſat cor, quod vult verbo audiendo aperiri: Imò & de auditu & de fide loquitur. Nam pulſatio, auditus eſt: apertio cordis eſt fides, quæ & opus Dei eſt & noſtrum, ſequens inclinationem novam ad credendum & obtemperandum Deo, quæ non noſtrum, ſed Dei ſolius opus eſt in nobis.*

Pag. 72. *Deinde monuit quidam,* de duabus in Chriſto naturis, & reali omnium proprietatum communicatione, uſurpare Sacramentarios cornutum argumentum, vel de Naturarum exęquatione, vel de μερισμῷ vel de Patripaſſianorum & Sabellianorum hęreſi: hęc enim eſſe, quæ Sacramentarii Lutheranis Eccleſiis imputent: Reſpondiſſe autem Lutherum ad cornutum iſtud argumenrum graviter in verbis noviſſimis Davidis, & ſe petere, ut locus Lutheri integer inſeratur Libro Concordię. *Cornuti huius argumenti cornua non explicat* Selneccerus. *Facit autem tria iſtius Syllogiſmi non ſyllogizati cornua, quæ inter abſurda ex reali communicatione Idiomatum conſequentia meritò ponuntur: quæque verbis quidem Bergenſes à ſe removent, ſuis autem dogmatibus reipſa ſtabiliunt. Nam ab exæquatione & confuſione naturarum realis communio proprietatum eſſentialium, non niſi nomine differt, teſtante hoc vel ipſo Luthero, Confundentem proprietates, confundere naturas. Divulſio autem naturarum, quam* Selneccerus *μερισμὸν vocat, neceſſariò ſequitur: ſi unio hypoſtatica transformetur in communionem Idiomatum & operationem unius naturæ per alteram. Sabellianiſmus autem, id eſt, trium perſonarum incarnatio, & in unam perſonam confuſio ſequitur, ſi realis communio Idiomatum & unius per alteram actio fecit unitatem perſonæ. Hæc enim in tribus perſonis divinitatis multò magis reperiuntur, quàm in duabus naturis Chriſti. Et ſi realis communio Idiomatum λόγυ cum carne, incarnat λόγον, eadem etiam incarnat Patrem & Spiritum Sanctum, cùm eadem ſint horum trium Proprietates eſſentiales, quæ ſunt ipſa trium eſſentia. Hæc abſurda fruſtra à ſe repellunt Bergenſes, ſtante reali communione Idiomatum, & novâ unionis hypoſtaticæ definitione, quam* Brentius & Schmidlinus *excogitarunt.* Lutherus *autem rectè & ſolidè ea repellit in loco illo de ultimis verbis Davidis, dum fortiter refutat communionem realem. Docet enim disertè,* per eandem communionem Idiomatum veras eſſe has propoſitiones de Chriſto: Homo iſte, Filius virginis, eſt Deus, eſt æternus, omnipotens, creator mundi, conſervator rerum omnium. *Eant jam Bergenſes & dicant carnem eſſe Deum, æternam, creatricem mundi, per realem communionem Idiomatum. Si hoc non audent, cur igitur faciunt realiter carnem omnipotentem, & conſervatricem eorum quæ non creavit? Hanc ergo Lutheri explicationem recitans* Selneccerus, *vel rem non intelligere & manifeſtè prævaricari ſe oſtendit. Nam ſecundum humanam Naturam non per realem communionem Idiomatum, ſed propter unitatem Perſonæ cum Deitate, dicit Lutherus Chriſtum accepiſſe potentiam æternam, conditricem rerum. Hæc ergo Lutheri ſententia eſt: Poſt carnis aſſumptionem non tantum dici poſſe Filium Dei eſſe Deum æternum, ſed etiam Filium Mariæ eſſe æternum & omnipotentem Deum per communicationem Idiomatum, quæ reſpectu perſonæ quidem realis eſt, non autem reſpectu naturarum. Non enim natura humana, ſed homo realiter eſt Deus æternus, omnipotens, creator, &c.*

Dreſdæ quæ geſta ſint in collectione ſubſcriptionum. *Dreſdæ, ubi Selneccerí ſocer Superintendens Greſſerus fuit, & proinde nemini vel mutire contrà licuit, plerique Deo pro miraculoſo hoc Opere (utor enim verbis ipſorum) gratias egerunt. Nonnulli tamen de Corpore doctrinæ quæſiverunt. His reſponſum fuit,* Philippum ipſum non indidiſſe Libro ſuo titulum Corporis Doctrinę, ſed primum nolente, deinde inſcio Philippo, Lipſię, à quibuſdam iſtà inſcriptione Librum inſignitum fuiſſe. *Hoc autem nihil ad rem facit. Non enim de titulo quæritur, ſed de doctrina, quæ in libro illo continetur. Hanc non refutatam jubentur Miniſtri abjicere, & nullâ ratione habitâ prioris obligationis, adſtringere ſe ad dogmata ex diametro cum illâ pugnantia. Adhoc fuerat reſpondendum Bergenſibus.*

His adiecerunt, ne per ſomnium quidem ſe cogitaſſe unquam de Corporis doctrinę libro exterminando & condemnando. *Rectè. Res autem loquitur, eos ad opprimendam, damnandam & exterminandam eius libri doctrinam plus ſatis advigilare.*

Fatentur, Lutherum & Philippum diviniùs conjunctos fuiſſe. *Cur igitur à* Schmidlino *ſeparantur? Cur etiam* Philippus Lutheri *interpres non eſſe permittitur, quemadmodum ipſe* Lutherus *voluit?*

Poſt obitum, *inquiunt,* Lutheri, quędam incidiſſe adverſa puritati doctrinę. *Philippus autem illa ipſa vivo Luthero docuit, quæ mortuo in omnibus articulis.*

Queruntur, per Corpus doctrinę non poſſe iniri Concordiam cum exteris Eccleſiis, *Intelligunt autem Suevicas & Virtenbergicas Eccleſias, quarum Theologi non poterant ferre Corpus doctrinæ, quòd Ubiquitatem damnet. Sed ipſi ulcus aperiunt, cum hanc rationem addunt,* Quia in corpore doctri-

næ

næ nuſquam refutentur Sacramentarii.

Neque tamen, *inquiunt porrò*, quidquam Corpori doctrinæ detrahitur. *Scilicet. Cur igitur Mahometanum, Arianum & hæreticum ſubinde ab his ipſis ſalutatur?*

Illuſtriſſimum, *aiunt*, Electorem velle Verbo Dei cedere omnia vota, juramenta, ſubſcriptiones & conteſtationes. *Verum hic dicunt. Quâ autem fide Theologi Bergenſes, hanc voluntatem optimi Electoris exſecuti ſunt? Perſuaſerunt Celſitudini ejus, fraudem fuiſſe, quicquid ipſorum conatibus reſiſtebat. Retractanda eſſe, quæ ab ipſis nunquam refutata erant, nec refutari poſſunt: Verbum Dei eſſe placita Bergenſia, &c.*

Pag. 876. Friberga quid factum in ſuffragiorum collectione.

Friberga quæſiverunt aliqui de Examine Theologico ordinandorum, & de toto Corpore doctrinæ, an retinendum illud ſit in Eccleſiis, quum plerique in id juraverint in Ordinatione? *Reſponſum eſt his quidem honorificè*, non eſſe eam mentem vel Electoris Auguſti, vel Theologorum, ut Philippi Examen, & Corpus, & ſimilia ſcripta tollantur, & eſſe hoc figmentum à Calvinianis per calumniam ortum, vociferantibus, Philippum damnari & Libros ejus prohiberi: & unumquemque fateri oportere, ſe, ut diſcipulum multa & utilia & neceſſaria ex Philippi libris percepiſſe. *Hoc ſi ita eſt, Cur ergo impediit* Selneccerus, *grandi mulctâ indictâ, quo minus impreſſio Corporis doctrinæ Lipſiæ inchoata abſolvèretur? Cur doctrina Philippi de Perſona Chriſti & Cœna eius ut hæretica, Ariana, Neſtoriana, Mahometana, Sacramentaria damnatur? Cur ob doctrinam hanc* Schmidlinus, Hunius *& ſimiles de Philippi ſalute dubitant? Quâ fronte dicunt, libros non damnari, quorum doctrina atrociſſimè ab ipſis damnatur & proſcinditur?*

Additur, In Corpore doctrinæ quædam ambigua & non ſatis explicata reperiri, quæ declaratione eguiſſent, ac inter alia & hoc, De unione faciente communia nomina, *Hæc autem eſt doctrina orthodoxa* Theodoreti *& omnium veterum: Item*, De Generali definitione Cœnæ Domini: *Hæc verò eſt Pauli Apoſtoli: num igitur rejicienda, quòd approbetur à Sacramentariis? Et ut ſeſe ſegregent à noſtris Eccleſiis, novas definitiones excogitant, ab analogia fidei longiſſimè recedentes.*

Adfirmare audent, Philippum proculdubio correcturum fuiſſe ea, quæ ipſi notaſſent, ſi diutius vixiſſet: *Ac ſtatim obliti eorum quæ dixerunt, addunt*, Non poſſe quidem negari, Philippum poſt Lutheri obitum inclinare cœpiſſe ad Sacramentarios, ut literæ, ad ipſos, præſertim ad Palatinum Electorem ſcriptæ teſtentur, &c. *Si inclinavit Philippus ad Sacramentarios, quâ coniecturâ affirmare audent, futurum fuiſſe, ut Philippus vera tolleret, falſa ſurrogaret? Quæro etiam ex Schmidlino, an credat futurum fuiſſe, ut Philippus Bergenſium declarationes admitteret? Non hoc affirmat in concionibus ſuis de libro Concordiæ præſertim ubi hæc verba Philippi recitat:* Man laſſe mich auß dem Landt / ſo wil ich dem Faß den boden gar außſtoſſen. *Sed hic iterum produnt ſuam levitatem. Si enim Philippus inclinavit ad Sacramentarios, cur eum in ſuas partes trahunt? Dicunt*, ſtudendum eſſe ut Lutherus & Philippus conjuncti maneant. *Conetur hoc qui volet, nunquam tamen efficiet, ut ſalvâ veritate in doctrina de Cœna copulentur.*

Volunt Philippi ſcripta cum judicio ad normam Sacræ Scripturæ compoſito ac directo legi debere. *Cur ergo non etiam Lutheri ſcripta ſic legere jubent: præſertim cum ipſe Lutherus hoc fieri voluerit?*

Falſum & hoc eſt, quòd poſt Lutheri obitum tandem Philippum ad orthodoxorum partes acceſſiſſe dicunt: *Notiſſimum enim eſt, Philippum acerrimè Lutherum Camarinam illam denuò moventi reſtitiſſe, atque etiam propter eam cauſam de relinquenda Vuitebergâ cogitaſſe.*

Ex Selneccero quoque peculiariter quæſitum eſt, An Præfationem, quam explicationi Geneſeos præmiſiſſet, adhuc probaret, in qua Corpus Doctrinæ maximoperè commendaſſet. *Reſpondit*, nequaquam ſe vel Præfationem, vel commendationem Corporis doctrinæ revocare, ſed Lutherum & Philippum à ſe conjungi, & Lutheri verba recitari, quibus Locos Communes prædicaſſet: *& addidit*, in cæteris, quæ in recognitione poſt Lutheri obitum acceſſiſſent, opus eſſe lemniſco & faſciolâ ſolâ quâ notarentur paulò aliter & copioſiùs relata, & intelligerentur non diverſâ à prioribus ſententiâ. *Suprà autem diximus, Philippum poſt obitum Lutheri non alia docuiſſe & ſcripſiſſe quàm ante illum. Præterea Selneccerus prius in ſua inquirat, quàm ad Philippicorum emendationem accedat, ne audiat ſibi occini illud*, quid Sus Athenas.

Allegarunt etiam epiſtolam cuiuſdam Velleri *ſatis vehementem contra Corpus doctrinæ Philippi, & utcunque colaphos impingentem volentibus conciliare Philippum cum Luthero de Cœna. Ex eadem quoque apparet, non mentitos fuiſſe Neoſtadienſes de privatis, occultis & vafris Theologorum Bergenſium machinationibus in aulis & gynæceis.*

Inſimulantur à Schmidlino & Selneccero quoque Theologi Vuitebergenſes, quòd prætextu Corporis doctrinæ quæſiverint oppreſſionem Lutheri & ſcriptorum ejus. *Non quæſiverunt Lutheri oppreſſionem, ſed ſcriptorum polemicorum de Cœna: nec quæſiverunt prætextu Corporis, ſed ſolidis fundamentis veritatis.*

Negant

Negant in Confeſſione Auguſtana dandam fuiſſe & præbendam manum hoſtibus Sacramentariis, omiſſione particularum, Improbamus ſecus docentes. *Hoc erat ulcus. Rectè autem ſunt mutata, quæ Papiſtis & Vbiquiſtis anſam præbuerunt ſua monſtra in Confeſſionem intrudendi.*

Addunt, Non debuiſſe mutari vel in minimo ſine eorum conſenſu quorum eſſet Confeſſio. *A pluribus autem Confeſſio Auguſtana emendata fuit approbata quàm prima. Aſſenſerunt omnes, qui correcta exemplaria Vuormatiæ & Ratisbonæ, communi nomine oppoſuerunt adverſariis. Nequaquam ergo ſatisfecerunt Bergenſes quæſtioni de Conſenſu formularum Confeſſionis. Poſteriores enim ſunt piorum declarationes & illuſtrationes: ac proinde quæ expuncta ex prima formula, rurſus inſerciunt, nihil juvant cauſam ſuam, ut quæ aut falſa, aut ambigua ab authoribus & ſociis Confeſſionis judicata ſunt, & ſecundum poſteriores formulas vel corrigenda vel intelligenda.*

Fuerunt qui quærerent, An in hominis regeneratione interveniret aliquis motus cordis: *& his reſponſum eſt*, motum Spiritualem cordis aſſenſum & fidem eſſe ſimpliciter opus Spiritus Sancti. *Imò actum fidei ſic efficit Spiritus Sanctus, ut ſimul ſit ipſius & noſtrum opus. Non enim eſt ocioſa voluntas, neque movetur ſicut truncus aut lapis etiamſi agat acta.*

Kemnitii quid ſit actum in colligendis ſubſcriptionibus.

Kemnitii quidam Paſtor in Schonbrunn exclamavit: Sumus ſicut ſomniantes, *&c. Hoc etiam intelligitur ex ſubſcriptionibus, nempe omnes illos nimiùm ſomniculoſos, rudes & negligentes fuiſſe. Is etiam inter cætera fecit mentionem* Nicolai Amsdorfii, *de quo* Lutherus *dixiſſet*, Spiritus meus requieſcit in Amsdorfio: *& Vuellerus*, Nemo tantùm hauſit de ſpiritu Lutheri ac Amsdorfius, *Quæſivit igitur*. Cùm Amsdorfius propoſitione Pauli & Lutheri uſus eſſet, quòd bona opera noxia ſeu pernicioſa eſſent ad ſalutem, cur propterea reprehenſus eſſet, cùm tamen & Rorarius ante viginti Annos caput Ioannis 18. & 19. in publicum emittens, eadem propoſitione Lutherum ſemper uſum fuiſſe oſtendiſſet. *Huic reſponderunt Bergenſes*, propoſitionem iſtam in contextu poſitam, additâ explicatione, quam Lutherus ſemper ſimul addidiſſet, non improbari, videlicet, ſi quis illis inniti & confidere vellet coram Deo: nudè verò & abſolutè uſurpatam, admitti non poſſe, & Lutherum nunquam illam nudè uſurpaſſe ſine explicatione: Paulum quoque reſpectivè loqui, & pronunciare, etiam perfectiſſima & ſanctiſſima opera, quæ rationi, & ſapientiæ Humanæ maximè placeant, extra Chriſtum eſſe σκύβαλα & detrimentum. *Quidam exclamarunt*, Magnificat Anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus in Deo ſalvatori meo. *Quantum de ſpiritu Lutheri Amsdorfius hauſerit alii noverint. Hoc certum eſt in maledicendo & conviciando Amsdorfium Luthero ſuperiorem fuiſſe. Certum & hoc eſt, eum non ſine Eccleſiarum ſcandalo & deformatione ſparſiſſe, Bona opera eſſe pernicioſa ad ſalutem. Nam propoſitionem iſtam Pauli eſſe, falſum eſt: & ejus defenſio, quæ hic offertur à Bergenſibus eſt futiliſſima, Noxia nimirum eſſe, ſi quis illis inniti & confidere velit. Quibus enim innituntur homines, non ſunt bona opera coram Deo, ſed hypocritica, ac proinde peccata & ſaluti obſtantia. Verè autem bona opera, hoc eſt, nova obedientia fidelium, nullius unquam ſaluti nocuit. Nam quæ Paulus σκύβαλα vocat, ea opera intelligit, quæ in phariſaiſmo fecerat. Miror itaque, cur à Bergenſibus hic perfectiſſima & ſanctiſſima opera nominentur. Non enim quæritur, qualia Paulo tum fuerint viſa, ſed qualia coram Deo fuerint.*

Additur, alium quendam ſenem Lutheri diſcipulum Paſtorem in Iansdorff de libris Lutheri & Philippi monuiſſe aſſiduâ lectione digniſſimis, ſed diſcrimine obſervato, quod inter vectorem & vectum ſeu ſedentem in curru eſt. *Facetè dictum: ſed fraudavit Selneccerus voluptate Lectorem, quòd non adjunxit, utrum ex his ſenex iſte vectorem vel aurigam nominarit. Si Philippum voluit vectorem fuiſſe, hoc indicavit, Philippi ductum Lutherum ſequi debuiſſe: Sin Lutherum aurigam appellavit, imprudens eo ipſo Philippum Luthero, ut Achillem Automedonte Homerus honoratiorem fuiſſe ſtatuit, quod inter Lutheranos dicere periculoſum eſt. De ſcriptis autem Lutheri & Philippi alii docti & prudentes viri multò meliùs teſtari poſſunt, quàm omnes Paſtores in Iansdorff.* Pag. 84.

Alius coram omnibus exclamavit: Adveniſti deſiderabilis, quem expectabamus in tenebris: cum Luthero ſepulta fuit veritas & concordia: ecce nunc ſumma animi lætitiâ audivi librum perlegi reducentem nos ad Lutherum: Deus hujus mei ſenii Confeſſionem confirmabit & conſervabit. Alius, *& ipſe ſenex*, gratias Deo egit pro veritate reſtituta, & Luthero reſuſcitato, & articulis derivatis ex fontibus Iſrael. *Quis, niſi planè ſtupidus, commendatorum iſtorum κολακευτικὸν καὶ δουλοπρεπὲς ἦθος non animadvertit obſecro?*

Quidam probavit novum eſſe certamen Vbiquitarium, & contendit inter Lutherum & Pontificios nunquam controverſiam extitiſſe de Perſona Chriſti, cùm Lutherus ipſe ſcripſerit in Smalcaldicis articulis, nullam eſſe de hoc articulo controverſiam inter Papiſtas & Proteſtantes. *Hoc ſic Bergenſes eluſerunt*, quod Luthero de duab. naturis quidem

convenerit cum Papiſtis, ſed non de natura humana, & Lutherum expreſsè dixiſſe, multos eſſe Neſtorianos inter Pontificios. *Iſta verò eſt una è contradictionibus Lutheri, quib. cauſam ſuam evertit. Si enim de altera Natura diſſentit à Papiſtis, quomodo conſentit de utraque? qui Neſtorianiſmum illis impingit, quomodo conſentit cum illis de Perſona? Sed Lutherus de Vbiquitate ne ſomniavit quidem, antequam urgeretur certamine Sacramentario, & illam ſibi advocaret ſubſidio. Poſtea vero, cùm videret hunc eſſe baculum arundineum, rurſus abjecit eum in articulis Smalcaldicis & alibi, Neque vel Papiſtas vel Orthodoxos eſſe Neſtorianos probavit. Sed neque Confeſſio Auguſtana Vbiquitatem admittit, neque Pontificii Confeſſionem admiſiſſent, ſi vel Vbiquitatem oluiſſet. Conſiſtit igitur illius argumentum, qui hoc modo novitatem dogmatis Vbiquitarii oſtendit. Quod autem Selneccerus ſubjicit, ſe Theſibus Ingolſtadianis Vuitebergæ anno 71. editis, oſtendiſſe, Pontificios Neſtorianos eſſe, eo ipſo Ieſuitis magnam calumniandi vel potiùs inſectandi Eccleſias Lutheranas anſam præbuit. Quòd etiam Vuitebergenſes accuſat, quaſi Antichriſto adſtiterint, edendis illis Theſibus Ingolſtadianis, calumnia eſt. Non enim Antichriſto, ſed veritati adſtiterunt, quod ſemper faciendum eſt, ſive Papiſtæ, ſive alii ſint, qui illam confitentur.*

Ad quæſtionem de cauſa rejectionis & receptionis, reſponderunt, Deum non eſſe cauſam interitus Saulis, Davidem receptum ex gratia, ſed audientem, legentem, conſiderantem verbum & adjungentem preces. Sed duo deſiderantur adhuc, ſine quib. non expeditur quæſtio. Alterum, Deum tamen eſſe cauſam pœnæ Saulis, ſtudium & preces Davidis ex eadem gratiâ Dei emanaſſe ex qua ipſius receptio, alioqui non meliorem futurum fuiſſe Saule.

Pag. 85. Martinus Obendorferus *quendam animi ſui dolorem coram Bergenſibus & cæteris Paſtoribus indicavit,* quòd plagas videret intentari & impingi Præceptori Philippo in quibuſdam negativis, ſuppreſſo tamen nomine: judicare autem ſe, Philippum & Lutherum conjungendos eſſe, ita tamen, ut Lutherus ſemper interpres ſit & maneat eorum, quæ obſcura & ambigua videantur. *In hoc judicio Obendorferi acquieverunt cæteri. De plagis autem reſponderunt Bergenſes, nihil ſibi conſtare, cum errores taxentur, & ambiguæ formæ explicentur, & abuſus earum reprehendatur & tollatur, &c. Subſcripſit igitur bonus* Obendorferus *Chimeræ Vbiquiſticæ, lachrymulis uxoris motus, ut quidam retulerunt: alii Muſculi exemplum eum ſequutum fuiſſe perhibuerunt: quidam odio Sacramentariorum adductum eum eſſe affirmarunt: Fuerunt etiam qui ex inſcitia factum dixerunt: ac epiſtola quædam ejus in eam opinionem aliquos traxit ut crediderint, controverſiam ab eo non intelligi. Ac mirum, quare ambiguè vel obſcurè dictis à Philippo, ſatius eſſe duxerit, adhiberi Lutherum interpretem, quàm Lutheri ἀκυρολογίαις proprietatem Philippi.*

Neapolitani ſubſcripſerunt quidem, ſed, ut, Pag. 86. *multi fide digni viri teſtati ſunt, ob metum exilii maximè.* Neapoli quid factum. *Hæc objectionum ſolutio fortiſſima omnium fuit. Fuerunt aliqui, qui de Corpore doctrinæ, de Conſenſu Dreſdenſi, de definitione Evangelii, de tribus cauſis converſionis, de unico fundamento præſentiæ Corporis Chriſti in Cœna quæſiverunt: Cumque ſuperiora frigida reſponſa accepiſſent à Bergenſibus, tamen illis acquieverunt, tales tantique fuerunt Theologi.*

Quæſivit alius, quinam eſſent indigni in Cœna? *& prætendit Eberi diviſionem, quâ in libello ſuo de Cœna tria genera indignorum conſtituiſſet, ſibi ſcrupulum injicere. Huic reſponſum eſt,* Eberi diviſionem triplicem, carere teſtimonio Scripturæ & Eccleſię & planè novum afferre commentum: indignos enim alios non eſſe, niſi carentes verâ & vivâ fide, Iudam, hypocritas, ſecuros, impœnitentes & impios in Eccleſia, Epicuræos, propoſito emendandi vitam & mores, prorſus deſtitutos. *Cœna autem Domini non magis inſtituta eſt Iudæ, quàm Caiaphæ & Pilato: non magis hypocritis & Epicureis profitentibus, quàm non profitentibus nomen Eccleſiæ, neque illis plus quàm his promittit. Nondum ergo refutarunt Bergenſes commentum Eberi.*

Quærenti, quòd voluntas etiam non renata requiratur ad apprehendendam gratiam, *reſponſum eſt:* Voluntatem non renatam reſpectu gratiæ habere ſe tantum paſſivè: reſpectu eſſentiæ paſſivè. *Pro hac reſponſione miſer ille ac rudis Paſtor illis gratias egit. Hæc autem reſponſio rem magis involuit quàm explicat: & ſunt Sibyllæ folia. Cur non rotundè reſponderunt, voluntatem non renatam nequaquam poſſe apprehendere gratiam? In recipienda autem facultate apprehendendi gratiam ſeu aſſentiendi promiſſioni, habere ſe tantùm paſſivè: In apprehenſione ſeu actu aſſentiendi activè & paſſivè? Eligit enim bonum, & repudiat malum, poſtquam jam renata, & facultate eligendi & fugiendi, quod Deus jubet, à Spiritu S. donata eſt.*

Pfuntelius *Paſtor Plavenſis argumentum at-* Pag. 87. *tulit, explicatione quidem dignum, ut Selneccer ait, quod tamen ipſe neque explicavit neque ſolvit.* Si omnia Idiomata Divina τοῦ λόγου realiter communicantur aſſumptę Humanæ Naturę, etiam genitum eſſe à Patre ab æterno communicatur: Sed gigni à Patre, quod eſt proprium Filii, non communicatur. Ergo non omnia Idiomata communicantur. *Reſponſum eſt, Idiomata alia eſſe* συγκοινώνητα alia ἀσυγκοινώνητα. *Hæc vero diviſio, ſi de eſſentialib.*

proprie-

proprietatibus intelligatur (de his enim eſt quæſtio,) ex quo loco Scripturæ deſumpta ſit, Bergenſes demonſtrare debuiſſent. Sed non in Scriptura, verùm in Schmidlini *officina reperitur. Quis autem illis poteſtatam dedit cudendi* ἰδιώματα κοινωνητὰ καὶ ἀκοινώνητα, ὑποστατικῶς καὶ ἐνεργητικῶς *communicata, & redigendi ad unamquamque claſſem iſtorum, quæ ipſis collibitum eſt? Quot jam reales communicationes Idiomatum una Vbiquitas peperit nobis? Dicunt ipſi*, quæ de homine dicuntur, de carne dici oportere, alioquin ea non verè & realiter de homine dici. *At verò Idiomata Perſonalia, & quæcunque fatentur de carne non dici poſſe, dicuntur de homine verè & realiter. Hic enim homo eſt Deus, æternus, &c. & Filius Dei ex Patris eſſentia ab æterno genitus. Ergo aut hæc etiam erunt dicenda de carne: aut ſi non ſunt, veri & realiter non dicentur, de homine: aut ſi neutrum horum eſt verum, falſum erit ipſorum realis communicationis fundamentum. Creare mundum, operari per Spiritum Sanctum, ſunt opera ad extra, ut Bergenſes vocant. Ergo ne dicentur etiam de carne? Quænam hæc Bergenſium eſt oratio?* Omnia Idiomata Divina communicari realiter carni, & tamen quædam eſſe incommunicabilia. *Vnde habent, proprias divinæ omnipotentiæ operationes, fieri per organum, cui proprietates Divinæ realiter communicentur? Vnde didicerunt, operationem per organum, eſſe differentiam ſpecificam hypoſtaticæ unionis? Stat igitur immotum adhuc* Pfuntelii *argumentum, ad ædificium Vbiquitarium funditus evertendum, & demonſtrandum, nequaquam proprietates divinas oportere realiter prædicari de abſtracto, id eſt, de humanitate; propterea quòd realiter prædicantur de concreto, id eſt, de homine. Vbiquiſticæ autem fictitiæ & ſophiſticæ diſtinctiones nihil ſunt, niſi futiliſſima eluſio, & Principii petitio. Tam enim eſſentiales, quàm perſonales proprietates* τοῦ λόγου *verè dicuntur de homine Chriſto, nec tamen verè dici poſſunt de ejus humanitate.*

In altero Pfuntelii *argumento, de unico Corporalis præſentiæ Chriſti in pane, non minus ſe turpiter Bergenſes dederunt cum Præfatione Libri Concordiæ. Si enim inſtitutionis verba unicum ejus ſunt fundamentum, ex Vbiquitate igitur non poteſt probari præſentia in pane: & per conſequens, Vbiquitas eorum figmentum eſt. Si enim vera eſſet, omninò fundamentum eſſet & probatio firmiſſima præſentiæ in pane. Quod enim ubique eſt, etiam in pane eſt. Sin verò Vbiquitas eſt fundamentum, quid fiet Lutheri & ejus adhærentium de unico fundamento Proteſtantibus? Vnde Vbiquitatem è Scriptura probabunt? Nam dicta Scripturæ de Vbiquitate humanitatis Chriſti omnia, præcedenti argumento ipſis è manibus extorta ſunt. Patet ergo hic omnibus ipſorum Principii petitio, qui præſentiam in pane per Vbiquitatem, & Vbiquitatem per præſentiam in pane probare nituntur. Similiter patent eorū doli & fraudes, qui Principib. & populo perſuadere conantur, ſe unico fundamento niti, ut ex Præfatione Libri Concordiæ manifeſtum eſt. Cum autem* τὸ ῥητὸν *verborum Cœnæ corporis præſentiæ in pane, non modò non favere, ſed etiam adverſari oſtenditur, ſubitò ad alterum fundamentum Vbiquitarium, & corruptelas Articulorum fidei de Chriſto confugiunt. Atque ita fumos vendunt Principibus & Theologis.*

Præterea cùm quidam interrogaret Bergenſes, An Chriſtus eodem modo Corpore & Sanguine ſuo in Cœna eſſet, quomodo eſt alibi? *reſponſum fuit*, hâc actionem eſſe peculiarem, & præſentiam Sacramentalem, & inſtitutionem ſingularem, quâ ſubeamur manducare Corpus, & bibere Sanguinem Chriſti: quapropter differre hanc præſentiam & actionem ab aliis modis præſentiæ. *De modis autem illis præſentiæ corporis Chriſti, quot numero ſint, & quomodo inter ſe diſcernantur, & (quod etiam* Aleſius *ex Luthero quæſivit) quid interſit inter panem Sacramentalem & communem, ſi Corpus Chriſti ubique eſt, reſpondere Bergenſes debuerunt. Interrogati autem de cæpis, reſponderunt de alliis. Non quæritur, an ubique manducetur, ſed an ubique eodem modo exſtat & præſens adſit. Aliud eſt præſentia, & aliud manducatio. Etiam quis cibus corporalis eodem modo adeſt in loco in quo manducatur, neque manducatio diſcrimen præſentiæ facit. Nihil ergo ad quæſtionem Bergenſes reſponderunt. Liber Concordiæ diſertè dicit*, & in pane & ubique corpus Chriſti adeſſe ſecundum modum dextræ Dei. *Cum hac ſententia ex diametro hic pugnant. Et ſanè eùm præſentiam piis & impiis communem faciant, non poſſunt eam diſcernere à præſentia in quovis alio loco, & quovis alio pane. Quàm autem hoc abſurdum?*

Alius, definitionem Cōmunicationis Idiomatum uſitatam, *quam Selneccerus per contemptum* Scholaſticam *vocat, quâ dicitur*, illam eſſe prædicationem, in qua proprietas uni naturæ conveniens tribuatur toti perſonæ in concreto, *dixit in Bergenſium gratiam*, eſſe anguſtiorem definito. *Hoc approbarunt Bergenſes: cumque, juxta illorum quidem ſententiam, diverſitas magna ſit Propoſitionum de Chriſto, quarum quædam ſecundū hanc Scholaſticam definitionem rectè explicentur, quædam de officiis ſecundum utramque Naturam accipiatur, quædam de ſolius Humanæ Naturæ glorificatione & exaltatione intelligantur, oſtendit bono illi viro Selneccerus definitionem, ſuo quidem judicio, magis ſufficientem, & ad Propoſitiones diverſas accōmodatam; quâ dicit*, Communicationem Idiomatum eſſe prædicationem veram: in qua aut propter uni naturæ in Chriſto conveniens tribuatur Perſonæ *Pag. 88. & 89. Selnecceri definitio Communicationis Idiomatum.*

ſonæ in Concreto : aut quando una natura agat cum communicatione alterius, id, quod ſuum eſt, & Chriſtus ſecundum utramque naturam officia & beneficia ſua præſtet & conferat : aut cùm proprietas Divinæ Naturæ totâ ſuâ plenitudine habitantis in aſſumpta carne, evecta ad dextram Dei exerceatur, & perficiatur, neque abſque carne aſſumpta, nec extra eam, ſed in ea, & per eam, ſine confuſione & exæquatione naturarum.

Examen huius definitionis. *Hæc definitio Selneccеriana ita anguſtias vitat, ut latiſſimè non tantùm extra definiti, ſed etiam extra veritatis terminos evagetur. Multa enim partim falſa, partim ad Communicationem Idiomatum non pertinentia, in hanc definitionem infarſit.* Primò, *otioſum epitheton addit generi, cùm dicit, eſſe prædicationem veram. Non enim falſa definitio quæritur.* Secundò, *dicit eſſe prædicationem, in quo agat una Natura cum alterius communicatione: ineptiſſimè confundens actionem cum prædicatione. Nemo enim ſic loquitur, naturam agere in prædicationes. Eadem abſurditate dicit, in hac prædicatione proprietatem Divinæ Naturæ exerceri per carnem.* Tertiò, *ad appellationes officii Chriſti quod attinet, conſtat eas non pertinere ad communicationem Idiomatum, quæ in illis tantùm eſt in quibus humana de Deo, aut divina de homine tantùm prædicatur. Propoſitiones enim de proprietatibus naturarum conveniunt perſonæ ſecundum alteram naturam, non ſecundũ utramq; Propoſitiones autem de officio conveniunt perſonæ, non ſecundum alteram duntaxat, ſed ſecundum utramque naturam: ſervatis tamen & diſtinctis utriuſque naturæ proprietatibus & operationibus in ejuſdem officii perfectione. Ideoque mediatorem, redemptorem, ſalvatorem, ſacerdotem, regem & paſtorem Chriſtum vocamus, non unius, ſed utriuſque naturæ reſpectu, ſic tamen, ut utraque agat quod ſuum eſt. Multò igitur latiorem hic facit* Selneccerus *definitionem definito, extendens eam ad loquutiones de officio, quæ ad communicationem Idiomatum non pertinent.* Quartò, *committit falſum, cùm ait,* unam naturam agere cum communicatione alterius. *Omittit enim id, quod* Leo *addidit,* utraque faciente (*non quod alterius, ſed*) quod ſuum eſt. Quintò, *ineſt quoque alia falſitas. Tertia enim ſpecies communicationis Idiomatum, quàm nuper in* Schmidlini *officina didicit, Scripturæ & veteribus prorſus ignota eſt. Nam ſatis apparet, plenitudinem Divinitatis in Chriſto Habitantem corporaliter, non pro unione, ſed pro effuſione reali divinarum proprietatum in humanam naturam eum accipere. Huic enim aſſuit figmentum ſuum, quò λόγος omnia ſua opera exſequatur per carnem.* Poſtremò, *adiungitur implicatio contradictionis. Negat enim fieri confuſionem & exæquationem. Atqui realis communicatio eſt ipſiſſima confuſio & exæquatio naturarum. Quanquam & hic alia lateat antilogia luculenta. Paſſim enim repudiat Vbiquitatem carnis abſolutam. Hic verò arctiſſimo vinculo eam ſibi devincit. Vult enim λόγον operari, ſuſtentare, regere omnia ubique per carnem unà ibi præſentem, ubi ipſe eſt, & nuſquam extra Corpus ſuum exiſtentem.*

Quidam alius confeſſus eſt, ſe fidem ſuam aſtrinxiſſe hactenus Conſenſui Dreſdenſi, & Pag. 89. libris nuper Witebergæ editis, & hoc officium diſcipulorum eſſe, ut authoritatem ſuorum Præceptorum & tueantur uſque ad aras: nunc autem ex libro & declaratione (*lutulenta potius quàm*) luculenta ſe intelligere alium ſibi animum aſſumendum eſſe, & ſe veritati cedere debere, quærere tamen de tribus cauſis concurrentibus in converſione. *Is reſponſum accepit*, unam cauſam eſſe efficientem, Spiritum Sanctum: verbum verò cauſam eſſe inſtrumentalem: & voluntatem hominis concurrere quidem, quatenus illa ſit ſubſtantialis potentia animæ, quæ eſt ipſum velle, quod eſt naturale, & manet etiam in natura corrupta, ita ut converſio hominis non fiat ſine ejus voluntate: ſed eſſe ſubjectum in quo, & materiam in qua & circa quam fit & verſatur converſio, non creatâ novâ voluntatis ſubſtantiâ, ſed ſanatâ depravatione. *At verò voluntas hominis eſt quidem ſubjectum novæ δυνάμεως benè volendi: ſed ipſius actûs rectè volendi eſt cauſa efficiens ſecundaria. Prima enim eſt Spiritus Sanctus, eam flectens ad ſequendam voluntatem Dei cognitam ex verbo.*

Alius quæſivit, de qua præſentia hæc verba Chriſti intelligenda ſint, Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi. *Reſponderunt Bergenſes*, de præſentia totius perſonæ ſecundum utramque naturam. *Vigilius aliter & quidem melius reſpondit:* Sed & nobiſcum eſt, & non nobiſcum eſt, quia quos reliquit, & à quibus diſceſſit humanitate ſuâ, non reliquit neque deſeruit divinitate ſuâ. Per formam enim ſervi, quam abſtulit à nobis in Cœlum, abſens eſt nobis, per formam Dei, quæ non recedit à nobis, in Terris præſens eſt nobis. *Sed etiam Selneccerus hic ſe refutat. Ait enim,* hæc verba Chiſti loqui de præſentia Naturæ Humanæ, quę Eccleſię & credentibus promiſſa eſt. *Hæc autem eſt ſpiritualis, quâ Chriſti humanitas credentibus præſens eſt in terra ſicut nos ipſi ſumus præſentes exiſtenti in Cœlo: Spiritu videlicet ſancto nos ipſi uniente, velut membra capitis. Hæc præſentia non requirit præſentiam corporalem in terris, communem etiam infidelibus. Cur ergo ad præſentiam talem carnis in terris detorquetur?*

Geor-

Pag. 90. *Georgius Ferber Paſtor in Muſel librum Concordiæ his rhytmis approbavit, eique ſubſcripſit:* Aureum hoc volumen placet & placebit: Inque eo Muſellanus ſtudebit? Id quod ſuâ manu teſtatur: Quoniam liber ex corde ipſius amatur. Dignus ſanè plauſus fabulâ, & ſpecimen ſuffragatorum & ſubſcriptorum Bergenſium.

Choldicii quæ ſint acta. *Vt Choldicium perventum eſt, quidam monuit* de proprietatibus eſſentialibus Divinæ Naturæ, quòd ſi dicantur communicari humanæ Chriſti naturæ, ſimul eſſentiam divinam communicari neceſſe ſit. *Huic reſponſum eſt:* Cuicunque tribuitur proprietas eſſentialis, ſcilicet ut fiat & ſit proprietas alterius tanquam ſubjecti, cui formaliter & eſſentialiter inhæreat. Sic autem carni Chriſti non tribuuntur Idiomata Deitatis, quia non fit communicatio eſſentialis aut transfuſio phyſica, ſed realis modò. *Negant hic Bergenſes, Idiomata divina communicari Humanæ Naturæ eſſentialiter: Negant transfuſionem fieri phyſicam Idiomatum, & ſtatuunt tamen realem communicationem, quæ nihil à transfuſione & naturarum confuſione omninò diſtant. Ad argumentum autem ſic reſpondent:* Communicationem hanc realem fieri gratiâ & modo unionis in hypoſtaſi τοῦ λόγου. *Atqui etiam Deitas gratiâ & modo unionis communicata eſt carni. Hæc enim ἀκυρολογία nihil aliud ſignificat quàm uniri. An autem propterea caro dicitur Deus eſſe, quia Deitati unita eſt? Nemo hoc dixerit. Cur ergo caro dicitur omnipotens, quia omnipotentiæ unita eſt? Aut enim non viderunt aut callidè diſſimularunt Bergenſes fundamentum objectionis, nempe quòd idem eſt Deitas & omnipotentia: ac propterea non alio modo omnipotentia, quàm Deitas carni communicari poteſt, videlicet unione, quæ hominem facit Deum & omnipotentem, non autem reali communione, quæ carnem pariter & λόγον faciat Deum & omnipotentem. Hunc nodum debuerunt ſolvere Bergenſes: ſed eum cautè præterierunt. Conſtant autem ſibi hìc Patres iſti, ut etiam liber Concordiæ, in quo negant, Naturam Humanam, etiam in ipſa unione omnipotentiam, omniſcientiam, & omnipræſentiam habere, neque in ſe, neque per ſe. Si igitur neque in ſe, neque per ſe Natura Humana eſt omnipotens, omniſcia & ubique præſens, quo pacto erit realiter, ſive per communicationem Idiomatum realem? Hæc enim ſe mutuò evertunt, ut omnes intelligunt, Humanitatem Chriſti eſſe realiter omnipotentem, omnipotentiam tamen illam neque in ſe, neque per ſe habere.*

Pag. 91. *Probant autem Bergenſes ſuam realem communicationem ab unione illa, quâ Corpus Humanum Perſonaliter unitum eſt Animæ. Sed uniri alteri Naturæ perſonaliter, non eſt communicare, vel ab ipſa accipere, realiter ipſius eſſentiales proprietates: ſed eſt arcano & ineffabili nexu cum altero fieri unius perſonæ ſubſtantiam. Neque realis communicatio Idiomatum in naturis, ex unione, tanquam effectus ex ſua cauſa, conſequitur, quod illa ipſa exempla, quibus utuntur, oſtendunt. Probant idem ſimilitudine ferri igniti. Sed notetur hic contradictio in tribus lineis. Negant realem communicationem ita fieri, ut ſit proprietas alterius tanquam ſubjecto, cui formaliter inhæreat: & probant ſimilitudine animæ & corporis, itemque ferri candentis: Sed anima corpori tanquam forma hominis, calor & candor ferro tanquam ſubjecto: de quibus doctiſſimè illos admonuit Neoſtadianorum Admonitio pag. 252. & 302. Sed accommodatio ad ſimilia per quàm quadrat.* Sicut enim, *inquiunt*, Humana Natura Chriſti non ſubſiſtit in ſemetipſa, ſed in Perſona τοῦ λόγου, ita divinam majeſtatem (*id eſt, divinam naturam vel divinitatem*) non habet in ſemetipſa, ut in ſubjecto, ſed in perſona τοῦ λόγου, in cujus unitatem verè & realiter aſſumpta eſt. *Si non habet Natura Humana Deitatem, ac proinde nec omnipotentiam in ſemetipſa, ut in ſubjecto, cur debachantur in Orthodoxos, dicentes, carnem non eſſe omnipotentem, perinde ut caro non eſt Deus, & tamen hominem verè eſſe Deum & omnipotentem.* Habitat, *inquiunt*, & lucet divinitas τοῦ λόγου in Natura aſſumpta, & exercet & exerit in & cum ea ſuas proprietates. *Quid hæc ad communicationem Idiomatum realem? Aliud enim eſt habitare & lucere in humanitate, aliud eſſentiales ei proprietates communicare. Neque enim lumen in laterna ſuas eſſentiales proprietates transfundit in laternam, etiamſi in ea lucet. Ad lucendum non requiritur Vbiquitas: lucebat enim in carne Chriſti majeſtas Divinæ cum videretur à Stephano, & cùm nos eam videbimus, lucebit, & jam lucet in Cœlo: Vbiquitas autem carnis nuſquam lucet, nec lucebit.*

Quidam alius quæſivit de propoſitione, Humanitas Chriſti eſt omnipotens; An in abſtracto, de Natura Humana Chriſti, quaſi ſeparata, an in concreto in perſona Chriſti, ita dicendum eſſet. *Vel bonus hic vir neſcivit quid quæreret, vel Selneccerus non bonâ fide verba ejus recenſuit. Crediderim in hanc ejus fuiſſe quæſtionem*, An in abſtracto dicendum ſit, humanitatem Chriſti eſſe omnipotentem? An verò in concreto hominem eſſe omnipotentem? *Neque enim iſtud ſophiſma dudum notum fuit, ſed recens invētum de vocabulo abſtracti, ut pro ſeparato ſumatur, quo ſenſu Eccleſia nunquam uſurpavit: ſed abſtracta ſemper intellexit naturas & formas per ſe conſideratas, etiam inter ſe unitas. At cùm quæritur, humanitas Chriſti ſitne omnipotens? non de ſeparata à λόγῳ huma-*

humanitate, qualis Chriſti humanitas nunquam fuit, quæritur, ſed de humana natura cum λόγῳ unita. De hac non poſſumus dicere quòd ſit omnipotens, cùm tamen verè dicamus de homine Chriſto quòd ſit omnipotens. Hoc enim eſt efferre prædicatum de ſubjecto Concreto, id eſt, de perſona hominis, habente & carnis & Deitatis naturam in ſua ſubſtantia: Non autem de Abſtracto, id eſt, de Natura Humana, quæ tantùm carnis, non autem Deitatis etiam naturam habet in ſe, tanquam partem ſuæ ſubſtantiæ. Bergenſes autem ad quæſtionem hanc ita reſponderunt, ut à ſua conſuetudine, ambiguitatibus & involucris ludendi non diſcedant. In perſona, *inquiunt*, τῦ λόγυ facta eſt Natura Humana particeps Æternæ poteſtatis, omnipotentiæ, virtutis & gloriæ divinæ. *Si de unione hoc intelligunt cum Orthodoxis ſentiunt.* Non enim, *inquiunt*, aliena eſt gloria, ſed propria, quam Chriſtus, ut Deus habet *Sicut ergo Berg. Deitas eſt propria hominis, ut ipſe revera Deus ſit, caro autem non ſit Deus. Sic & omnipotentia hominis eſt propria, ut non caro, ſed homo ſit omnipotens. Sic etiam caro & ejus propria, ſunt facta Dei propria, ut non Deitas, ſed Deus ſit caro, ſit homo, ſit mortuus, ſuſcitatus, aſſumptus in cœlum, &c. Nihilo plus agunt, cùm addunt:* Vt homo accepit omnipotentiam ab habente & communicante eam, nimirum à Deo: Sicut enim Deus ſe communicat per unionem, faciens Deum non carnem hominis, ſed hominem: Sic & omnipotentiam communicat ſive carni, ſive homini. Ipſe enim Deus eſt ſuâ omnipotentiâ: ac proinde non poteſt aliter omnipotentiam, quàm Deitatem ſuam homini communicare. Concretum igitur, *inquiunt*, intelligimus, Chriſtus homo eſt omnipotens, proprietate divinæ naturæ. *Inſidiosè hoc dicunt, intelligunt enim proprietatem Divinæ Naturæ, non tantùm quæ ſit ipſa Divina Natura, ſed etiam quæ communis realiter ſit Humanæ Naturæ. Scriptura autem docet, Chriſtum declaratum eſſe Filium Dei ſecundum Spiritum ſanctificantem: Vivificatum eſſe Spiritu: Et Eccleſia orthodoxa credit eum omnipotentem eſſe ſecundum naturam divinam. Contradictio autem eſt:* Humanam naturam non dici, nec eſſe omnipotentem in abſtracto, & tamen humanam naturam eſſe omnipotentem. *Humana enim natura nomen abſtractum eſt.* Omnipotentia, *inquiunt*, ſemper eſt & manet proprietas Naturæ Divinæ, & tamen communicatur Naturæ Humanæ. *Hic rurſus contradictionem vides: Proprietatem eſſe, & communem eſſe.*

Pag. 93. *Quidam alius de Prædeſtinatione dixit:* eam eſſe univerſalem, quo ad cauſam, *id eſt*, quoad voluntatem Dei. *Hanc quæſtionem etiam vel non ſatis intellexit, qui eam propoſuit, vel ineptè eam recitavit Selneccerus. Reſponſio autem magis inepta eſt, videlicet,* Licet Deus velit omnes ſalvos, tamen Prædeſtinationem & promiſſionem univerſalem eſſe determinatam ad credentes. *Deus autem vult omnes ſalvos, ſcilicet bonitate ſuâ, invitatione & mandato, ſed non decreto & efficaciâ. Vbi enim hæc accedunt, ſalus certò conſequitur. Ac promiſſio univerſalis & Prædeſtinatio determinata ſeu reſtricta eſt ad credentes: Sed ita, ut fides ex Prædeſtinatione, non prædeſtinatio ex fide ſit: Non enim, ſi credituri eſſemus, aut quia credituros nos prævidebat, ſed ad hoc ipſum, ut fide in Chriſtum nos donaret, Deus nos prædeſtinavit. Hoc dum negligitur, tota Prædeſtinationis doctrina & conſolatio obſcuratur.*

Qui hanc quæſtionem movit, Choldicenſis Pag. 93.
Eccleſiæ Superintendens fuit: Is in declaratione hac ſe acquieſcere dixit, & libro Concordiæ ſubſcripſit. Cùm autem in Norico agro conditionem & hoſpitium nactus eſſet, ſcriptis literis ſubſcriptionem ſuam annihilavit & revocavit, eoque ipſo ſatis oſtendit, quid facturi fuiſſent plerique doctiores & meliores è ſubſcriptoribus, ſi tam haberent, quò fugerent, quàm unde fugerent.

Vt Lipſiam pervenerunt Bergenſes, & Super- Pag. 94. Lipſiæ quid actum in collectione ſubſcriptionum.
intendentes, Paſtores cæterique Miniſtri legiſſent librum, vel potius ipſis prælectus fuiſſet, monuerunt ex iis nonnulli quædam de Libero arbitrio, συνεργία voluntatis, de tribus cauſis concurrentibus, de purè paſſiva converſione, de Evangelii definitione, de ambigua propoſitione, Iuſti ſumus imputatione & inchoatione, de Cœnæ Dominica definitione, quòd Cœna ſit communicatio Corporis & Sanguinis, de Philippo, de Corpore doctrinæ, de Examine Theologico, de Auguſtana Confeſſione, de Vbique præſentia carnis Chriſti, de præſentia in miniſterio, & de præſentia in Cœna, deque aliis. Ad hæc verò quæ Bergenſes reſponderint à Selneccero non indicatur.

Attende autem Lector quid Lipſiæ acciderit. Omnes ſubſcripſiſſe ait Selneccerus, excepto Bornenſi quodam Cantore ebrio, qui editionem Libri ſe expectaturum eſſe dixerit. Hinc enim intelligitur, etiam Cantores debuiſſe augere exercitum Subſcriptorum, quin etiam ebrios. Quanquam quòd Cantor iſte fuit, non debet eſſe ei fraudi: Quòd autem ebrius fuit valde vituperandum, quo tamen nomine fortè non traductus fuiſſet à Selneccero, ſi ſubſcripſiſſet. Quanquam Choldicii etiam ſobrium quendam dixit rejeciſſe ſubſcriptionem, uſque ad editionem Libri: Nec fruſtra, ſcicbant enim iſti, ſe habituros multos recuſationis ſocios.

Pag. 95. Martiſburgi ut collecta ſuffragia.
Lipſiâ excurſum eſt Martisburgum, Repetitæ ibi ſunt priores quæſtiones, inter quas hæc peculiaris fuit, Cur Marci 13. Filius dicatur ignorare

rare

tare diem judicii. *Reſponderunt*, Chriſtus in ſtatu ſuæ exinanitionis, in quo ſecundum Humanam Naturam ſuam, quò ad dona creata & habitualia, quæ ſubinde in eo creverunt, non ſtatim omnia novit, ita loquutus eſt. Poſtquam vero reſurrexit, & ſtatum humiliationis depoſuit, non amplius ſic locutus eſt, *&c. Hinc autem ſequitur, aut non requiri omniſcientiam & omnipoteniam carnis ad unionem perſonalem, aut Naturas in ſtatu humilitatis non fuiſſe unitas. Humilitatis autem depoſitio non eſt omniſcentia Divina carnis. Nam in Chriſto omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi fuerunt, etiam tempore humilitatis, quando fatetur carnem non fuiſſe omniſciam: Et nunc etiam ſunt ita, ut diſcernatur non tantùm ſtatus glorificationis & exaltationis à ſtatu exinanitionis & humiliationis, ſed etiam ita, ut diſcernatur intellectus Divinus ab intellectu ejus Creato & humano, qui ſemper manet finitus, & intellectui Divino inæqualis, ex quo ſcit, quicquid ſcit mens Humana Chriſti.*

Quæſitum porrò eſt de dicto, Me non ſemper habebitis vobiſcum: Quod *juxta Bergenſes*, Hieronymus interpretatur de corporali illa præſentia, quod nequaquam cum diſcipulis futurus eſſet poſt reſurrectionem eo modo, quo antea in omni convictu & familiaritate cum ipſis fuerit, viſibiliter, localiter, circumſcriptivè, &, ut Bucerus inquit ſecundum rationem vivendi in hoc Seculo ſenſibus expoſitam, quandoquidem nunc ad Patrem Chriſtus abierit in glorioſam & cœleſtem vivendi rationem. *Ita quidem Bergenſes Patres. Si Auguſtinus adfuiſſet, ſic reſpondiſſet:* Secundum præſentiam majeſtatis ſemper habemus Chriſtum, ſecundum præſentiam carnis, rectè dictum eſt diſcipulis: Me autem non ſemper habebitis. Habuit enim illum Eccleſia ſecundum præſentiam carnis paucis diebus, modò fide tenet, oculis non videt. *Secundum præſentiam carnis dicit* Auguſtinus, *nos Chriſtum nunc non habere nobiſcum, neque viſibilem, neque inviſibilem. Nam Chriſtum habere nobiſcum ſecundum carnem, & oculis videre præſentem*, Auguſtino *idem eſt. Nullam ergo agnoſcit præſentiam carnis inviſibilis. Ait, fide nunc eum teneri, id eſt nobis præſentem eſſe: Ergo non agnoſcit præſentiam carnis in terris etiam ſine fide, qualem Lutherani & Vbiquiſtæ fingunt. Eadem eſt* Hieronymi *ſententia & Buceri, qui ſenſilem præſentiam Corporis negantes, corporalem negant, nullamque agnoſcunt corporalem inſenſilem. Bergenſes autem, quid* Bucerus *dicat, non intelligunt. Non adeſt nobis modò in terris viſibiliter localiter, circumſcriptivè, cùm ſic exiſtat ſuo Corpore in Cœlis: Adeſt tamen unitus nobis ſuo Spiritu, ſicut caput membris. Atque hæc præſentia non eſt expoſita ſenſibus, ſecundum* Bucerum *ſed fide apprehenditur.*

Ibidem de diſcrimine Miraculorum & Sacramentorum quidam diſſeruit non inerudite, ut Selneccerus ſcribit, ad hunc modum. Miracula phyſica in oculos incurrunt, aut in alios ſenſus, Sacramenta verò talia miracula non ſunt, ſed myſtica ſunt, & majora ac auguſtiora omnibus phyſicis miraculis, imò miracula miraculorum in animis piorum ſive credentium. *Hæc ſunt illa eruditè diſputata. Sed ſi miracula teſte* Auguſtino, *Divina quædam opera ſunt præter & contra uſitatum curſum ordinemque Naturæ facta, cur miracula Bergenſes appellent phyſica, non intelligo. Nam ea de cauſa miracula dicuntur, quod, cùm fiunt, admirationem omnibus incutiant, idque ideò quòd non fiant ſecundum Naturam. Sacramenta verò quis unquam miracula miraculorum appellavit? Neque enim ſtatim, quod admiratione dignum eſt, Miraculum vocari poteſt. Sic enim omnia opera Dei miracula eſſent: Cùm tamen velit Deus Miracula ab operibus ſuis ordinariis diſcerni. De ſignis autem divinitùs datis alii doctius & rectius Bergenſibus ſic ſcripſerunt. Eſſe eorum alia miraculoſa, ut, quæ Moſes faciebat coram Pharaone, & alia; quorum in Sacris Literis fit mentio, ut de rubo ardente ſine combuſtione, de umbra horologii per decem gradus reverſa, &c. Alia non Miraculoſa, ut, Circumciſio, Agnus Paſchalis, & in Novo Teſtamento Baptiſmus. Cœna Dominica, cujus panem* Auguſtinus *lib. 3. de Trinitatis capitul.* 10. *illis ſignis annumerat, quæ peracto miniſterio tranſeunt & conſumuntur, & quia per homines fiunt, honorem tanquam Religioſa habere poſſunt, ſtuporem, tanquam mira, non poſſunt. Idem de Doct. Chriſti lib. 3. cap. 9. de Sacramentis novæ legis ſic ſcribit.* Hoc tempore, poſteaquam reſurrectione Domini noſtri, manifeſtiſſimum judicium libertatis noſtræ illuxit, ne ipſorum quidem ſignorum, quæ jam intelligimus, operatione gravi onerati ſumus, ſed quædam pauca, pro multis, factu facillima, intellectu auguſtiſſima, & obſervatione clariſſima ipſe Dominus & Apoſtolica tradidit diſciplina, ſicut eſt Baptiſmi Sacramentum, & Celebratio Corporis & Sanguinis Domini. Quæ unuſquiſque, cùm percipit, quò referantur, imbutus agnoſcit, ut ea non carnali ſervitute, ſed Spirituali potius libertate veneretur. *Hæc Auguſtinus. Quod ſi jam Sacramenta Miracula Miraculorum eo ſenſu, quo ab* Auguſtino, *intellectu auguſtiſſima dicuntur, ferri hoc fortè poſſit, ſed καταχρήσει vel ἀκυρολογία admodum prolixâ: Sin verò miraculoſam aliquam vel converſionem, vel incluſionem, vel alligationem corporis ad panem ibidem fieri*

aſſeveretur, illicò opponimus illud: Stuporem ut mira, Sacramenta habere nequeunt, quæ *ut paulò antè dictum* quò referantur, imbutus agnoſcit. *Videat igitur ſibi quiſque, ne ſpirituali libertate amiſſa, carnalis ſervitutis onus ſibi ipſe attrahat: Signa nimirum pro rebus ipſis accipiendo, aut cum illis confundendo. Sacramentalia & miraculoſa ſigna oportet eſſe viſibilia, Sacramenta quia confirmare debent fideles, ſignificando res inviſibiles: Ideoque ſunt velut verbum viſibile: Miraculoſa, quia debent convincere infideles, & confirmare etiam fideles: Ideoque neceſſe eſt, ut ſenſui ſint expoſita: Vt patet Marc. 16. Iob. 2.4.6.7.9. 12. Actor. 2.1. Cor. 1. & 12. 2. Cor. 12.*

Quidam diſputarunt de titulo Libri, Forma
Pag. 96. Concordiæ, qui nimis videatur glorioſus, & extendi longè lateque, cùm tamen talis concordia non poſſit iniri & conſtitui. *His reſponſum eſt à Bergenſibus*, agi de concordia ſuarum Eccleſiarum, non de hoſtibus, Pontificiis & Sacramentariis. Ante multos annos Formam Concordiæ inter paucas Eccleſias Vuitebergæ ſcriptam eſſe, & Philippum ipſum de forma Concordiæ ſcripſiſſe, Calvinum etiam Conſenſionem mutuam de re Sacramentaria inter ſuas Eccleſias edidiſſe, ſibi igitur hoc quoque licere. *Sed multa obſtant huic reſponſioni. 1. Non eſt Bergenſium Patrum ſtatuere, qui ſint admittendi ad concordiam, & qui non. 2. Non excludendi nondum conuicti. 3. Mala concordia eſt in falſis dogmatibus, quam Bergenſes fabricati ſunt. 4. Res ipſa oſtendit qualem concordiam fecerint ut Eccleſiæ in plures jam partes diſceſſionem fecerint. 5. Philippi & Buceri formulam utriuſque partis Eccleſiæ totam poſſunt admittere: Complectitur enim ea, de quibus conſenſum eſt, non de quibus eſt diſſenſio. A Calvino ſcripta ad Helveticas & Gallicas Eccleſias reſtricta eſt, neque novum aut falſum aliquod dogma habet, neque excludit ab Eccleſia Catholica Chriſti omnes ab ea diſſentientes. Qui autem ſunt Patres Bergenſes, & quæ ipſorum proterva & audax impudentia, qui nova, abſurda, monſtroſa & impia commenta veſtra univerſo mundo volunt obtrudere, ita, ut nullum, qui his ipſorum placitis non ſubſcribat, quantumvis Auguſtanæ Confeſſionis & Apologiæ formulam agnoſcat atque tueatur, in Chriſtianorum numero, & veræ Eccleſiæ ſocietate cenſeri patiantur? Quis hanc authoritatem prætoriam ipſis dedit.*

His actis Superintendens Epiſcopatus Merſ-
Pag. 96. *burgenſis ſignificavit*, multa de libro Concordiæ paſſim fuiſſe ſparſa: quæ non eſſent caritura grandi ſcandalo, ſi recitarentur, ſe autem agere Deo gratias pro reſtituta luce & dexteritate. *Ergo iſti Superintendentes qui per Annos viginti & amplius docuerunt in Eccleſiis, Schmidlino nunc demum agunt gratias pro reſtituta luce, ideoque antea verſati fuerunt in tenebris. Quæ autem eſt illa lux & dexteritas è Suevia allata? Nihil ergo ante adventum Fabri lucidè & dextrè traditum & explicatum eſt in Eccleſiis & Scholis Saxonicis? Ergòne tam obſcura & ſiniſtra fuit Lutheri & Philippi doctrina ſine luce & dexteritate Fabelli? O dignas labris lactucas!*

Naumburgi lecto Libro quæſitum eſt de omniſcientia Humanæ Naturæ, *& reſponſum fuit*, eam omniſciam fuiſſe in ſtatu humiliationis δυνάμει ratione unionis, non actu. *De hoc autem quæri poſſit amplius. Si enim communicatio realis ab unione, quemadmodum volunt, dependet: Atque in ipſa humiliatione unio tam perfecta fuit, atque poſt exaltationem, quid igitur impediit, quo minus etiam tum natura humana omniſcia eſſet? Obſerva igitur hic rurſus, Lector, novam & magiſtralem Bergenſium diſtinctionem realis Communicationis Idiomatum, nempe aliam potentialem, aliam actualem. Vbi enim potentialis Vbiquitas non ſufficit, ad obtinendam præſentiam Corporis Chriſti in pane, ad actualem progredere: Vbi excluderis ab actuali, tum ad potentialem recurrito: Idem in omniſcentia & omnipotentia licebit facere. Hoc tamen cave, ne impingas in ſcopulum divulſionis perſonæ, ſi humanitas non ſit actu ubicunque eſt Deitas. Item in abſconſione omnium theſaurorum ſcientiæ in Chriſto, etjam tum, quando mens ipſius Humana actu non fuit omniſcia.* Naumburgi quid actum.

Propoſitum etiam fuit de exaltatione Humanæ Naturæ in Chriſto, cùm tamen ab aliis exaltatio intelligatur de officiis ſecundum utramque Naturam. *Differte reſponſionem Bergenſes. Non tantum de officiis dicimus, quæ ſemper habuit Chriſtus, ſed etiam de adminiſtratione eorum glorioſa, quam reſuſcitatus demùm inchoavit. Iam audiemus veſtram reſponſionem.* Cùm gloria & poteſtas ab extra, [illegible] Deitatis.
aliunde in carnem non ſit invecta, ſed ipſa Deitas per eam luceat & ſe exerat, exaltatio propriè loquendo ad ſolam Humanam in Chriſto Naturam referenda eſt. *Conceditur hoc quatenus exaltatio eſt acceptio novorum donorum: Sed etiam ad Deitatem pertinet alio ſenſu accepta, nempe, quatenus attributa illa quæ ſemper in Deo ſunt immutabiliter, in glorificatione Humanæ Naturæ manifeſtata ſunt. Quod additur*, Humanam Chriſti Naturam accipere etiam hoc, ut idonea & ſufficiens ſit, ad Ἀποτέλεσμα unum cum divina natura perficiendum: *In officiis perſonæ conceditur, cum adjunctione hujus clauſulæ, cujus ſubinde obliviſcuntur*, operando *nimirum* quod ſuum eſt, non quod Deitatis proprium. *Differt enim operatio Naturæ ab officio Perſonæ, ſicut pars à toto.*

Quæſitum

Pag. 97. *Quæſitum quoque eſt* de æternitate, an & hæc ſit communicata? *Reſponderunt Bergenſes acutè, argumento ducto à minori ad majus, hoc modo:* Æternitas hominibus etiam communicatur: Multo igitur magis Humanitati Chriſti.. *Æternum autem id eſt propriè, quod & initio & fine caret. Ideoque Deum ſolum æternum dicimus. Atque hujus æternitatis particeps nulla Creatura poteſt eſſe, & per conſequens ne ipſa quidem Chriſti Humanitas: Multò minus alii homines. Quòd* καταχρηστικῶς *æternitatem ſumant pro immortalitate & incorruptione,* ἀντιλογία *hæc eſt eorum; Ac reſpondeant Bergenſes ſuo Luthero, dicenti,* quòd homo iſte ſit verè Deus æternus, creator mundi. *Hanc gloriam Vbiquiſtica realis Communicatio Idiomatum detrahit Chriſto. Nam ſi homo non eſt omnipotens, carne non omnipræſente, etiam homo non erit Deus æternus, carne non exiſtente ab æterno.*

De Lutheri, *inquiunt*, verbis, quibus improbantur Anabaptiſtæ, qui Chriſtum aiunt eſſe ſimpliciter omnipotentem hominem, reſponderi poſſe ex ipſo Luthero, *nempe*, loqui eum de ſtatu exinanitionis, paſſionis & mortis, & de donis habitualibus, non de ſtatu gloriæ & majeſtatis Chriſti ad dexteram Dei, de inhabitatione totius plenitudinis Deitatis in aſſumpta carne Chriſti. *Imò loquitur de ſenſu Apoſtoli Heb. 1. ubi agitur de Chriſto glorificato, loquitur univerſaliter de diſcernendis naturis in humilitate & gloria. Dicit Lutherus*, Scripturam loqui de Chriſto alias ſecundùm Divinam, aliàs ſecundum Humanam Naturam, & unius Naturæ propria, non eſſe alteri Naturæ adſcribenda. *Dixi expreſſe*, qui faciunt Chriſtum hominem (*quâ homo eſt*) omnipotentem, eos confundere naturas. *Item*, Deitatem ſolam omnia videre ac ſcire. *Item*, Chriſtum omnia, creare quâ Deus, nihil creare, quâ homo eſt. *Ser. ſuper Heb. 1. in Natalitiis Chriſti. Item de poſtremis verbis Davidis*, Reſuſcitationem & vivificationem tribui Chriſto ſecundum Naturam Divinam. *Ibidem*, Hominem hunc eſſe omnipotentem, æternum Deum, habentem æternam Potentiam, Creatorem & conſervatorem omnium rerum, per commicatem Idiomatum.

In illo ſtatu exinanitionis, *inquiunt Bergenſes*, non eſt ſimpliciter & ſemper actu. *Blaſphemia hæc eſt. Chriſtus enim ſemper fuit actu omnipotens homo, quia ſemper actu fuit verus Deus, etiam in cruce pendens, & in ſepulchro jacens. Illud autem Bergenſium* (ſimpliciter) κρυπτοφύγιον *eſt. Si dicant, Chriſtus non ſimpliciter, id eſt, non ſecundùm utramque ſuam Naturam, ſed ſecundum Divinam, eſt omnipotens, rectè dicunt. Sin autem, ut volunt Bergenſes, ſecundum Humanam Naturam partim eſt, partim non eſt omnipotens, mendacium eſt. Robuſtior quidem & potentior eſt, Natura Humana in gloria, quàm in humilitate, ſed nũquam facta eſt omnipotens, hoc eſt, æquans ſua virtute Deitatem in Chriſto. Præterea ineptiſſima contradictio eſt in his verbis:* Omnipotens eſt caro Chriſti non ſimpliciter. *Si enim non ſimpliciter, ergo ſecundum quid erit omnipotens. An ergo ſecundum aliam ſui partem eſt, ſecundum aliam non eſt omnipotens? An aliam partem omnipotentiæ habet, aliam non habet? Atqui non eſt omnipotentia, quæ non eſt reſpectu rerum Deo poſſibilium.*

In ſtatu autem illo glorioſo, *aiunt*, Chriſtus in æternum actu omnipotens homo eſt. *Rectè. Sed hoc erat etiam in ſtatu humilitatis: Et tamen in eo, fatentibus Bergenſibus, caro non erat omnipotens, & ſi erat caro omnipotentis hominis: Quia caro erat Dei. Addimus & hoc: Etiam in ſtatu gloriæ: Sed non ſecundum humanitatem: Quia caro & oſſa Chriſti, tam non ſunt omnipotentia, quàm ſunt omniſcia & omnipræſentia, & tamen ſunt unita* λόγῳ, *non minus quàm anima.* Verum eſt, *inquiunt*, Patres aliquos loqui de manifeſtatione Divinitatis τοῦ λόγου, in explicatione dicti, Omnis poteſtas data eſt mihi. *Cur igitur Bergenſes ſic loquentes damnant hæreſeos? Addunt.* Sed verum & hoc eſt aſſumptæ datam eſſe in tempore omnem poteſtatem, *&c. Omninò, nempe reſpectu unionis & officii. Sed hoc nihil ad Vbiquitatem & ad omnipotentiam carnis.*

Etiam ad Calvinum & Bezam confugiunt, dicentes, reſpectu carnis hæc dicta, de poteſtate data Chriſto, accipienda eſſe, non divinitatis. *Sed facilis eſt explicatio. Data eſt homini omnipotentia, ſicut ei data eſt Deitas. Nam Deitati Deitas dari non potuit, nec omnipotentia Humanitati autem unita eſt Deitas atque ita homo Deus, eodemque modo omnipotens factus. Quomodo enim, qui Deus eſt, non eſſet omnipotens, etiamſi ſecundum carnem ſuam neque Deus, neque omnipotens eſt? Hæc reſponſio etiam contra contentioſos ſufficit. Sed Chriſtus in illis dictis loquitur de officio ſuo, id eſt, de gubernatione cœli & terræ, & præſertim Eccleſiæ ſuæ. Hanc ſemper adminiſtravit cum Patre & Spiritu ſancto, ſecundum Deitatem ſuam, cœpit autem eam adminiſtrare & patefacere ſecundum Humanitatem in tempore deſtinato, idque ſervato Naturarum diſcrimine.*

Hæc igitur acta ſunt in colligendis ſubſcriptionibus & ſuffragiis in Eccleſiis & Scholis Electoratus Saxonici, ex Selnecceri relatione in cujus fine dixit, Conceſſum fuiſſe omnibus Miniſtris & Paſtoribus libertatem quærendi

An in collectione ſuffragiorũ omnibus data fuerit libertas contradicendi Pag. 69.

rendi & contràdiſputandi, *ſed hac tamen conditione opinor, ut qui reſponſionibus Patrum Bergenſium contenti non eſſent, nec ſubſcribere vellent, ii functionibus ſuis abire & aliis cedere juberentur. Hoc eſt Campelle intrare. Et quàm bonâ omnium pace & voluntaria ſubſcriptione hæc omnia tranſacta ſint, ut prædicat Selneccerus teſtantur evidentiſſimè plurimorum objectiones à Bergenſibus non ex Verbo Dei ſolutæ, ſed authoritate partim præſentium, & exemplis exulum & captivorum, repreſſæ. Negat, quoſdam Libro non perlecto ſubſcripſiſſe. Atqui plerique omnes, juxta Selnecceri Recitationes, Libro tantùm ſemel prælecto ſubſcripſerunt. Prælectio autem non eſt perlectio, præſertim in ſophiſmatum λογολογίας, ex quibus etiam cautus & diligens perlector vix ſe expediat. Quin fuerunt etiam, qui ne prælecto quidem ſibi Libro ſubſcripſerunt, quia ſive lecto ſive non lecto ſubſcribendum ſibi fore ſcirent.*

An quidam Libro non perlecto ſubſcripſerint.

An mendacium ſit quoſdam cum conditione ſubſcripſiſſe. Pag. 90.

Quod autem ait Selneccerus, putidum eſſe mendacium, quoſdam annexâ privatim conditione ſubſcripſiſſe, in eo ſibi ſimilis eſt. Negari enim non poteſt, factum hoc eſſe in Franconia; nota ſunt & loca & perſonæ. Ac ne quidem in Saxonia & Miſnia facta omnia Selneccerus recitavit. Iſta enim ſufficiunt ipſi. Alibi facta ignoſcemus ei, ſi ignoret.

Orthodoxi nõ allatrãt iniquiſſimè Eccleſias.

Invidiâ præterea injuſtiſſimâ noſtros gravare conatur, cum ſcribit, eos Eccleſias allatrare, quæ ipſorum conſilia non requirant. Eccleſias enim nullas allatrarunt, ſed tantum Selneccerum & ſocios eius apud tribunal Dei, & apud omnes viros doctos, honeſtos, amicos & adverſos eis, accuſarunt, quòd doctrinam Verbi Dei nefariè corrumpant, Eccleſiam Dei ſcandalis & ſchiſmatibus diſcerpant ac deforment, idola Antichriſti ſtabiliant, homines innocentes atrociſſimis calumniis proſcindant, membra Chriſti conculcent, & ſævitiæ hoſtium objiciant. Si condemnati contra ius & fas inauditi ſeſe purgent noſtri & quærantur de injuriis allatrant Eccleſias? Scilicet noſtros ſilentio ſuo cauſam Chriſti prodere, & ſceleratiſſimè adverſus orthodoxam doctrinam effuſas calumnias confirmare vellent Bergenſes. Sed errant ſi hoc futurum ſperant.

Ienæ quibus argumentis Schmidlinus multis perſuaſerit ut ſubſcriberent. Pag. 95.

Quod in Saxonia Electorali, eiuſque Eccleſiis & Scholis factum eſt, idem quoque Ienæ factum eſt, inquit Selneccerus. Et licet paroxyſmus in curia oriretur, non tamen ille ob doctrinam ſive librum Concordiæ movebatur, ſed perſonalis erat, &c. Adſcribam autem Epiſtolam Germanicam cujuſdam boni viri, ad amicum ſuum R. G. ſcriptam, ut inde intelligat Lector, quam doctè, acutè & ſolidè ad objectiones & quæſtiones Schmidlinus ibi reſponderit, quamque jocosè in re ſeria luſerit, & ob quod paroxyſmus ſeu tumultus ille exortus fortè eſt. Sic igitur illa de verbo ad verbum habet.

Den 6. Tag Auguſti hat Jacobus Schmidlin das gāſchrieben Buch / ſo er intituliret Formulam Concordiæ / vnſerem Superintendenten Doctor Daviden Voit zugeſchickt / mit vermeldung / er ſolle alle Pfarꝛherꝛen ſo in ſeine Superintendentz gehörig / hieher beſchreiben / vnnd das Buch offentlich in der Kirchen verleſen laſſen: welches dann nachmahlen den 8. tag Auguſti geſchehen. Folgends iſt er / Jacobus / ſampt dem Selnecker hie ankommen den 9. gemeltes Monats / vnnd folgends die Pfarꝛherꝛen ſamptlich auff das Rathauß beſcheiden: alda ein Teutſche Oration gethan / offentlich vnd weitläufftig præſirt / von den erbärmlichen Streithändlen / ſo in den Kirchen dieſes Landes / nach Herꝛen Luthers todt eyngeriſſen: nochmahlen angezeiget / daß er hieher kommen auß deß Churfürſten von Sachſen Lande / gebürlich von einem ieden Pfarꝛherꝛen bericht eynzunehmen was er von verleßnem Buch halte / vnd ſie auch zu der Subſcription halten / Er hat auch ſie die Pfarꝛherꝛen vermahnet / ſie ſollen ſich gut rundt vnd klar auff gut Lutheriſch erklären / vnd nicht vnder dem Hüthlin ſpielen wie vor etzlichen Jahren die verloffenen Theologi in dieſem Landt gethan. Wo es auch ſach wer / daß einer ein ſcrupulum oder ſonſt verhündernuß hette / ſol ers frey offentlich anzeigen dann einem ieden beſcheidene vnd Chriſtliche anhörung ſolle gethan werden.

Da haben nun erſtlich etliche Pfarꝛherꝛen vorgewandt / es ſey nicht müglich / daß man mit gutem Gewiſſen könne ſubſcribiren / ſintemal das Buch nur ein mahl vorgeleſen ſey worden / auß welcher bloſen vnd eylender gehör vnmüglich als baldt von ſo hochen vnnd wichtigen Artickulen zu iudiciren vnnd dieſelbigen zu approbiern. Darauff hat Schmidlinus kurtz geantwortet / Es ſoll ein ieder Pfarꝛherꝛ zu ieder zeit mit allen Artickulen / wie ſtreittig ſie auch ſeyn / gefaſt gefunden werden. Zudem ſeyen es keine neuwe Artickul / ſondern eben die / ſo vor viel Jahren alſo ſtreittig geweſen. Das ſey auch einem ieden Schuſter vnnd Schneider bekant.

Zu dem andern hat einer gefraget / wie es dann zu verſtehen ſey / daß Herꝛen Philippi Melanchthonis im vorgeleßnem Buch gantz vnnd gar kein Meldung beſchehe? Hat Jacobus geantwortet / Her Philippus hette etliche Brieff an Calvinum geſchrieben / darauff dann Calvinus ihm widerumb zugeſchrieben / welches etlichen Herꝛen etwas zuwider geweſen / haben derhalben Herꝛen Philippum vermahnet / er wolle wider Calvinum ſchreiben / daß männiglichem kund werde / er ſey nit ſeiner lehr vnd meinung. Welcher vermahnung aber Philippus gar keinen platz geben / vnd ſich alſo deß Calviniſchen Teufels verdachtig gemacht. Was aber deß

Philippi

Nota. Philippi ſcripta anlange/ halte man ſie wie die ſcripta Salomonis / der erſtlich herꝛlich ding beſchꝛiben/ aber hernach ſey verfüret worden/ alſo / daß auch von ſeinem end in der Schrifft nichts funden wirt/ vnd man nit weiſt ob er zu vnſerm Hergott / oder zu dem Teuffel gefahren ſey.

Zum dritten/ wie er doch die realem Communicationem idiomatum in Naturis Chriſti verſtehen ſol : Sintemal er nit gnugſam verneme / was ihꝛe meinung da von ſey. Antwortet Schmidel / es ſey nit ein ſolch verbalis Communicatio/ wie es der Calviniſch argliſtig teuffels glaub außgebꝛeitet hab: Namlich/ es ſolte die Gottheit nicht anders in der Menſchheit ſeyn / vnd ihꝛ eigenſchafften der ſelben mitgetheilt haben/ als wann man wein in ein glaß ſchencket : oder aber wann der Fugker zů Augſpurg bey einem armen mann ſtande / vnd mit im ſchwatzte/ ſpꝛäch iederman/ da ſtehn zween reyche mannen beyſamen / welches dann alſo ſimpliciter geredt wahꝛ were : Jedoch ſo man es bey dem liecht beſähe / blibe iener ein armer teufel / vnnd der Fugker ein reycher mann. Oder wil noch ein beſſer gleichnuß geben / damit man ſähe wo mit der Calviniſch vnnd Arianiſch teuffelsglaub vmbgehe : Sie halten es von Chriſto/ als wenn ein armer Pawꝛ ſich vberꝛeden ließ / er were Churfürſt zu Sachſen / vnnd gebe ihm menniglich deß Churfürſten titel/ vnd erzeigte ihm gebürende ehꝛ/ nicht deſtoweniger het der Pawꝛ weder land noch leut. Sollen derhalben die vmbſtehende iugendt ſagen / oder gedencken / Sie haben keinen tag ihr lebtag beſſer angelegt / als dieſen : vnd ſollen ietz nur das behalten / daß die Göttliche natur der menſchlichen / alle ihꝛe eigen ſchafften realiter mitgetheilet habe : daß alſo nit allein die Communicatio in Perſona geſchähen ſey / wie es ietz der Calviniſch teufel erdichtet hat/ ſonder auch in Naturis. Wil noch ein exempel geben. Es iſt eben als wann man mich vnd einen Edelman mit einem ſeil zůſamen bunde / vnd wir fieſſen mit einander die ſtägen hinab / wurde einer ſagen / Schauw / da iſt ein Pfaff die ſtägen hinab gefallen : der ander wurd ſpꝛächen / Nit / es iſt nur ein Edelman die ſtäge hinab gefallen / wurden alſo die beid mit einander zangken / da es doch grund alle beide wahꝛ weren. Wil noch ein beſſere gleuchnuß geben. Es iſt ein mal eine arme Dienſtmagt geweſen / welche ein iunger Geſell hat wöllen freyen/ vnd begäret zůwiſſen was ſie vermögens ſey : hat ſie es lang nich wöllen ſagen : Letzlich aber hat ſie zum iungen Geſellen geſpꝛochen/ Ey wann du mich freyeſt / ſo hab ich ſo viel als du. In ſumma er nam ſie. Als ſie nun zum ſamen kommen/ ſpꝛacher zů ihꝛe / Nun laß mich deine ſchatz beſchauwen. Sprichet ſie wider / laß mich deinen zůvoꝛ ſehen. Welches als ers gethan / ſagt ſie / Sich / dieweil du mich genommen haſt/ iſt diß alles ſo wol mein als dein / hab derhalben ſo viel als du / wie ich dir erſtlich geſagt hab.

Zum vierten / hat einer gefraget / wie er den articul de Converſione hominis verſtehen ſol ? Ob voluntas hominis in der ſelbigen auch etwas vermöge ? Antwortet D. Iacobus : Voluntas in Converſione eſt ſubjectum. Welches ich alſo declarir. Es iſt eben als wenn man einem dieb häncken wölt / vnd führet in hinauß : das volck aber lieffe weit voꝛ ihm anhin zum galgen / wurde der dieb ſagen / Ey liebe leute / lauffet doch nicht ſo faſt / wann man mich häncken wil / werde ich iack auch dabey ſein müſſen.

Zum fünfften/ als der Pfarꝛer von Dornberg ſo nur ein meyl von hinnen gelegen/ ſein Judicium von dem verläßnen bůch thůn ſolt / vñ das ſelbig auch vnderſchꝛeiben / ſpꝛicht er / Ich bekenne vor Gott vnd der welt / daß in dieſem bůch die rein Lutheriſche lehr begriffen iſt. Vnd ſolches deſto mehꝛ zůbezeugen / hab ich ein mal Lutherum ſeligen zu Hall geſehen / vnd als er im Gaſthofe eingekehꝛt / bin ich hinein gangen/ vnd hab im vber tiſch mit gunſt zů melden der iungken gewehꝛet. Nota.

Ferner hat auch D. Jacob die iugendt voꝛ dem Calviniſchen vnnd Arrianiſchen teufel treuwlich gewarnet / vnd das exempel Adami Neuſeri auch Sylvani angezogen / vnd das ſelbig gewaltig herauß geſtrichen. Haben alſo die Herꝛen Paſtores alle in nomine Domini vnderſchꝛieben / vnd warten nur auff weitern beſcheid.

Was aber Selneccerum anlanget / hat er nichts geredt / iſt nur bey D. Jacob am tiſch geſeſſen vnd was verhandlet worden/ hat er aufgezeichnet.

In Turingia quoque ut quidem Selneccerus ſcribit ſine violentia omni actum eſt, in Vinarienſium & Coburgenſium Principum Saxoniæ ditionibus. Vinariæ, *inquit*, prælecto Libro in æde Aulæ, præſentibus ipſis Illuſtriſſimis Principibus, Conſiliariis, &c. ſinguli egerunt Deo gratias, & omnes ſcrupulos penitùs exemptos eſſe, & ſe ſine omni hæſitatione ſubſcribere, imò ſe jamdudum talem Librum exoptaſſe, & hanc formam non eſſe novam, ſed Lutheri doctrinam, unanimiter affirmarunt. *Principes autem à Bergenſibus huic actioni adhibitos fuiſſe, ut rudes, famelicos & timidos Paſtores authoritate eorum perterrerent & ad ſubſcriptionem cogerent, plurimi tum quidem ſuſpicati ſunt.* Pag. 99. *In Vinarienſi & Coburgenſi ditione ut ſuffragia collecta ſint.*

Etſi

Etſi verò Selneccerus in his ſuis Recitationibus actionum injuſtitiam & modum agendi in Eccleſias hactenus inuſitatum Theologorum Bergenſium in circumcurſitando & extorquendis ſubſcriptionibus quàm molliſſimè expoſuerit, tamen ex objectionibus & interrogationibus aliquot haud obſcurè intelligitur, plurimos, in quibus aliquid ſaltem eruditionis ac judicii fuit, non ſolùm Libri dogmata, ſed actiones etiam Theologorum iſtorum improbaſſe, nihilominus autem vel ex affectibus & ſtudio hominum, vel etiam metu carcerum, exiliorum & proſcriptionum ſubſcripſiſſe. Atque hoc veriſſimum eſſe ut Lector intelligat, pauca quædam ex fide digniſſimorum hominum ſermonibus ac literis in ſequentibus referam.

Coacti ſubſcripſerunt multi. *In Herzbergenſi Colloquio Clariſſimus vir* D. Vuolfgangus Amlingus *coram* Kemnitio, Muſculo, Selneccero & Schmidlino *retulit, hoc ipſo tempore, anno videlicet 77. ante Serveſtanas nundinas ad Div. Bartholomæi diem, in Thuringia quendam nobilem cum mercatore in hoſpitium quoddam veniſſe, & unà cum ipſis Paſtorem ruralem, ac monachum Erdfurtenſem menſæ aſſediſſe: Cumque nobilis interrogaſſet Paſtorem, Cur tam triſtis eſſet? reſpondiſſe illum, Qui poſſem, nobiliſſime Domine, hilaris eſſe? hodie in noſtro conventu Bergenſi Libro* coacti *ſumus ſubſcribere: Cui nobilis;* Coacti? *atqui conſcientia cogi non poteſt: Tum rurſus Paſtorem reſpondiſſe, Verè quidem hoc dicis Domine: ſed pauperes habemus vxores, ac liberos, proinde aliquid faciendum fuit, ne officiis & ſedibus noſtris moveamus & in exilium pellamur: monachum autem ad hæc effuſè riſiſſe. Vide pag.* 184. *Herzbergenſis Colloquii.*

Fatetur hoc etiam & affirmat ingenuè Heshuſius, *anteſignanus eorum, in ſua Confeſſione, ſeu Excuſatione ad Brunſvicenſem Principem Anno 78. edita: dicit enim* MVLTOS CONTRA VOLVNTATEM ſuam ſubſcripſiſſe, NEC in corde ſic vel ſentire, vel credere.

Authores Catholicæ doctrinæ de ſubſcriptioni- qui vi exortis. *De hoc ipſo quoque authores Collationis Catholicæ & Orthodoxæ Chriſtianorum fidei de Perſona Chriſti & Sacra eius Cœna cum diſputatione Schmidlini Anno 80. Vuitebergæ habitæ, ſic ſcribunt in Præfatione ad Lectorem:* Quis ſine juſta & gravi indignatione legat eam Præfatiunculæ Schmidelinæ (*præfixæ videlicet Theſibus quæ Anno 80. Vuitebergæ diſputatæ ſunt*) particulam, in qua impudenter audet aſſerere, iſtum, quem vocat Librum Concordiæ, omnium piorum in Eccleſiis Auguſtanam Confeſſionem amplectentibus docentium, liberis judiciis ac ſuffragiis approbatum: & neminem omnium ad ſubſcriptionem illius Coactum fuiſſe; cum hoc fictum & falſum eſſe experientia ipſa abundè teſtetur. Ut enim prætereamus eos, qui tantùm quaſi pedanei fuerunt Senatores, & recitationi diſcordioſæ Formulæ Concordiæ ſomniculoſi interfuerunt, & fatentur, ſe eam neque intellexiſſe, neque argumentum illius meminiſſe, quique partim perſuaſionibus dulcibus illecti, partim mori exemplis aliorum & metu carceris, atque exilii terriri ac fracti, manus ſuas iſti libro ſubjecerunt: Rogentur ſaltem illi, qui ſuperioribus diebus in utraque Academia, Vuitebergenſi & Lipſica ſubſcripſerunt, an volentes, an verò id fecerint inviti. Non enim dubitamus, vltrò eos faſſuros eſſe, ſi ſibi ſine extremo periculo ſuo recuſare ſubſcriptionem licuiſſet, ſe eam grandi etiam precio fuiſſe redempturos. Et ne quid à nobis, vel vanis ſuſpicionibus conijcii putes, jam multorum in hanc ſententiam miſerabiles auditæ ſunt querelæ, id quod plerique viri pii & docti apertè teſtarentur, niſi ſcirent, quibuſdam bonis viris & ſanabilibus eo modo nova pericula creari. Quid verò de aliis dicemus, qui, quòd in recuſanda ſubſcriptione piè & fortiter perſtiterant, per tuorum fraterculorum operam qui abs te (*Schmidlino*) inſtructi fuerunt ad hujuſmodi artes, ſuis profeſſionibus ſpoliati, ſuis commodis exuti & cum conjugibus ac liberis recens (horribile dictu) alieno Anni tempore in exilium compulſi ſunt. An non hi manifeſtæ te vanitatis & turpiſſimi mendacii cōvincunt? Atque hujus tuæ tuorumque ſævitiæ & immanitatis non paucæ aliquæ Reſpublicæ ac Scholæ, ſed jam diu fuit, & deinceps quoque teſtis erit univerſus orbis Chriſtianus. Eas igitur, etiam non veritus, teipſum, ſi aliter ſe res habeat, diris devovere, & à participatione pretioſi Sanguinis Chriſti teipſum excludere, eas nunc, inquam, & glorieris, nullam abs te, & tuis ſociis in hoc negotio Religionis vim uſurpatam, neminem ad ſubſcriptionem Sphingis iſtius Bergenſis coactum fuiſſe. Huc uſque illi.

De ſubſcriptione in Marchia Brandenburgenſi ſic quidam ad amicum ſuum 13. Calend. Octob. Anno 77. ſcripſit: Schmidlini ſocii circumcurſant, ut ſubſcriptionem emendicent. In Burgraviatu Nerobergenſi imperavit Princeps ſuis ut ſubſcriberent: quod cum Superintendens quidam feciſſet cum aliis, deſperabundus cœpit furere, & clamare, ſuę perditionis cauſam Schmidlinū eſſe. *In Marchia Brādeburgē. ſi juſſu Magiſtratus ſubſcribere coacti ſunt.*

eſſe. *Alius in eandem fere ſententiam* 13. *die Decemb. anno eodem ſcripſit:* Pandoram Saxonicam, à multis magno cum applauſu approbatam, plurimi averſantur. Et in vicina Marchia recepta, ſed renitentibus à principio omnibus ferè paſtoribus. Victi verò tandem & ſubſcribere iuſſi ſunt, ex Principis edicto, additâ tamen hac declaratione, ut in poſterum, ſicut hactenus, ſentire & docere poſſint. *Item*: Incipiunt plerique ex iſtis, mutatâ ſententiâ, proteſtati, ſubſcriptionem ipſorum neque factam ab iis fuiſſe, neque intelligi debere ſimpliciter & categoricè.

Quid acciderit in nova Marchia, refert Iacobus Capito Eccleſiæ Tnirienſis Paſtor, in editis ſuis Theſibus de perſona Chriſti & aliis ſimilibus articulis ſub lit. H. pag. 8. & omnes qui ſubſcripſerunt ſuæ narrationis teſtes eſſe vult. Primum, inquit ubi conventum eſt Cuſtrini, recitabatur de ſcripto Illuſtriſſimi Principis ſententia, quo animo conſilioque illa ejus libri ſubſcriptio ſuſcepta eſſet. Nimirum, ad reconcilianda Eccleſiarum dogmata, quæ titulo Auguſtanæ Confeſſionis cenſerentur, & ad ſanandos nævos, qui poſt exhibitam Confeſſionem oborti eſſent, Porrò ſi qui contra Formulam libri argumentando inſurgerent, eſt Cornerus, & qui huic adjunctus erat alter ille, incontinenti refutarent, ſi acquieſcere nollent, nomina ipſorum indicarentur.

Demùm ſubſcriptio omnibus impetata eſt in univerſum, nec quiſquam ad dicendum de re ſententiam eſt compellatus, neque hoc omnino eſt requiſitum. Quid faceremus? ſanè in tam laudabili ſtudio & intentione Chriſtianorum Principum, qui ſive ab iſtis Theologis ſic perſuaſi erant, ſeu motu proprio ad tollendam omnem diſſenſionem, & ad ſananda vulnera Eccleſiæ contenderent, detrectare imperium honeſtè non potuimus, præſertim cùm ad deliberationem articuli ejus libri nobis non proponerentur. Acceſſit, quòd expreſsè cautum fuit, ut ſemel duntaxat ſermo ejus libri datâ voce pronuntiaretur, quæ pronunciatio ita continuatâ eſt ut paucis horis abſolveretur. Iam omnes ſani intelligunt, quàm fuerit impoſſibile in tanto curſu lectionis de una quaque ſententia ſtatuere, cùm ſi de uno loco cogitationem inſtituiſſet aliquis, ſequentia interim prætervolaſſent: Taceam præterea ſcribendum convocati erant, ſuaviter in ſomnos, dum pronunciatio fit ſoluti, dormiendo auſcultârint, quod tamen vitio datum eſt nemini. Atqui non nulli adeò rudes extiterunt, ut nomina ſua literis pingere vix poſſent. Quid ergo illi de doctrina judicarent? Quin etiam qui in ſcholis juventuti præſunt adoleſcentes plerique, adeóque æditui, partim per ætatem partim per imperitiam iudicare nihil poterant, erunt verò nihil ominus ad ſubſcribendum accerſiti. Quæ res argumento eſt, non judicia ſcribentium, ſed ſubſcriptionem tantum expetitam eſſe, ut quadam ſpecie multitudinis ſubſcribentium, liber iſte Eccleſiæ obtruderetur, vel etiam fallerent Germaniæ Principes. Quanquam ex fide dignis Theologis compertum habeo, cùm primùm ad ſubſcribendum liber aliquibus Lebuſii proponeretur, hoc uſos fuiſſe fuco Theologo, ſubſcriptionem illam ideo fieri, ut deliberatio de re totâ in publica ſynodo aliquando inſtitueretur. Hæc omnia Capito.

Magdeburgenſes quoque Theologi ſubſcripſerunt, ut paulò poſt referemus.

Mompelgardiminis territi multi ſubſcripſerunt.

Quid etiam Anno 78. in Mompelgardenſi Comitatu Iacobi Schmidlini inſtigatione actum ſit, notum eſt omnibus & vulgatiſſimum: nempè, quòd blanditiis primùm, deinde minis & terriculamentis Magiſtratûs omnes ad ſubſcriptionem compulſi fuerint. Qui verò conſtanter eam denegârunt: illi mox Miniſterio ſuo privati & abdicati ſunt.

Quibus etiam blandimentis verborum, & amicis in ſpeciem compellationibus, vtque illis nihil profecerunt conviciis cum Anhaldinis Theologis Herzbergæ eodem tempore egerint, Kemnitius, Selneccerus & Schmidlinus, *ut eos ad ſubſcriptionem pellicerent, paulò infrà indicabimus.*

Principis cujuſdam querela de injuſtitia Theologorum.

De hac ſumma injuſtitia & modo agendi iniquiſſimo Theologorum Bergenſium & Sociorum eorum, graviter etiam conqueſtus eſt magni nominis Princeps in literis ad Cœleſtinum *ſub dato 9. Sept. Anno 1579. ſcriptis, quòd inſtar Hammani, & hoſtium Danielis, ſanguinolentis conſiliis Optimos Principes eò vi quodammodo adigere conati ſint, ut non ſolùm ſubditos ſuos, ſed etiam alios, licet iuriſdictioni & inſpectioni ſuæ non ſubiectos, ad approbationem errorum & Paradoxorum, atque etiam ſubſcriptionem Formulæ Concordiæ, ſub pœna amiſſionis officiorum,* COGANT.

Pag. 435 D. Beutherus de Bergenſium Theologorum injuſtitia in colligendis ſubſcriptionibus

De hoc ipſo quoque D. Beutherus, *in ſua ad Argentinenſium Agendam reſponſione, ſic ſcribit:* Es haben nit allein etliche hocherleuchte Chriſtliche Fürſten in ihren Schrifften an beyde Churfürſten / Sachſen und Brandenburg / geklagt / ſonder es iſt auch an ſich ſelbſt mehr als zu viel am tag / wie jämerlich die Kirchen und Schulen in den dreyen weltlichen Churfürſtenthumen und andern Herrſchafften / durch das fälſchlich alſo genannte und vermeinte Concordibuch zerriſſen und verſtöret worden: wie erbärmlich man hin und

wider mit vielen armen Kirchen und Schůl‑dienern iſt umbgangen: was für ſcharpffe Inquiſitiones man wider ſie / und uber ihre Bibliothecas angeſtellet: wie tyranniſch auß anſtifftung der Authorum ſolches Bůchs / gegen den fürnemſten und gelehrteſten in Kirchen / Schůlen und Poliniſchen dienſten gehandelt: wie lang / unmenſchlich ihrer etliche viel iar / in harten ſchwären gefängnuß gepeyniget / gemartert und auf gehalten: denen man nit erlaubt daß ſie von iren eignen weybern und kindern / oder blůts verwandten in irem gefängniß dörffen beſůcht (welches doch Herodes der iüngern Johannis weder gewehret noch verbotten) noch mit notiger ſpeyß / tranck / kleidung / artzney zů erhaltung oder ſterckung ihres leibs geſundheit / hetten können verſähen werden: darzů ihnen weder feder oder dinten / noch papier / ſonder mehr meſſer und ſtrick under ire hände gegeben. Wie un mitleidenlich ſie ihrer dienſten entſetz und beurlaubet: wie unchriſtlich ſie von ihrẽ weibern / kindern / freunden und gůtern vertrieben / und bey Sonnenſchein auß ihrem vatter land und wonungen / ohn erlaubnuß oder bewilligung nur den iren ein gůte nacht zůſagen / von den Diſcordimachern / gar nit ſecundum charitatem Chriſtianam, vel juxta ſpiritum manſuetudinis, vel ex operatione Spiritûs Sancti, ſed inſtinctu diaboli agitatis hinweg geſtoſſen worden: welches alles die traurige erfahrung / ſo vieler gantz unbarmhertzigen exempeln: ſo viel exilia und perſecutiones der beſtändigen Bekennern der warheit Göttlicher lehr / welche ſich dieſem Bůch / als einer Lernæ errorum & Paradoxorum, Chriſtlich widerſetzet haben: ſo offentliche Schrifften und Hiſtorien vieler hochgelehrten auch Privat perſonen: ſo vielen witwen und weyſen / auch anderer ins ellend veriagter heißbrennende / und uber ſich durch die wolcken / in den himel / zů Gott dem gerechten Richter eintringende / vergoßne threnen / und bittere / ſchwere / ſchmertzliche ſeufftzen / auch flehtliches klägen: ſo vieler frommer unſchuldiger leuthe verfolgung: ſo vieler angſthafften / betrůbten / und eins theils auch verwundten gewiſſen / heimliche / innerliche anfechtungen und beſchwerungen: ſo vieler offenliche / erſchröckliche und abſchewliche Abfäl bezeugen ꝛc.

Numerus eorum qui ſubſcriptione ſuâ librum Concordiæ approbarunt.

Hoc autẽ agẽdi modo collegerũt Suffragia 8208. *vel iuxta alia exemplaria* 8250. *Doctorum, Profeſſorum, Paſtorum, Diaconorum, Calefactorum & ſimilium, qui Libro Concordiæ ſubſcripſerunt.*

Non omnes voluntariâ ſubſcriptione Concordiam approbarunt.

Hæc omnia quum ita ſe habeant, vel ipſo quoq; Selneccero teſte, affirmare tamẽ eum non puduit, Omnes voluntariâ ſubſcriptione Librũ iſtum approbâſſe, *& mendacij eos arguit, qui dicũt,* nomine Electoris ac Princip. Sax. extortam, & vi imperatam ſubſcriptionem fuiſſe. *Et paulò poſt,* Atq; ita ſubſcriptio, *inquit,* facta eſt, & liberum vnicuique fuit, ſua cogitata promere: nec deprehenſus vllus eſt, qui in declaratione facta, non hilari & pacato animo acquieviſſet, & Libro ſubſcripſiſſet. Pag. 98. 99.

Iacobus Schmidiinus *etiam in Herzbergenſi Colloquio palàm dixit.* Ich kan war aiffing ſagen / daß kein menſch zur Subſcription getrungen / noch deß halben vertrieben / ſo wahr der Sohn Gottes mit ſeinem blůt mich erlöſet: Dann ich wil ſonſt deß blůts Jeſu Chriſti nit theilhafftig werden. *Hoc eſt: Tam verè affirmare poſſũ, neminem ad ſubſcriptionem coactum, vel ob denegatam ſubſcriptionẽ officio ſuo motum & in exilium pulſum eſſe, quàm vere me Filius Dei Sanguine ſuo redemit, & ſi res aliter ſe habet, nõ peto ut Sanguinis eius particeps fiam. Et paulò antè in eodem Colloquio dixit,* Iniquum eſſe ut quiſquã ſubſcribat hæſitãte, contradicente & reclamante conſciẽtiâ. *Item,* Neminẽ ſubſcribere, niſi ſit planè confirmatus: nam & in bona cauſa nihil faciendũ eſſe dubiâ conſciẽtiâ. Pag. 100 Pag. 184 Pag. 183.

CAPVT XXI.

Quæ paulo ante & poſt Subſcriptionem Electorum, Principum, Eccleſiarum & Scholarum tentata & acta ſint cum iis qui ſuſcriptionem recusârunt, & qui Conventus ob hanc cauſam habiti ſint.

Electores urgent Principes recuſantes ſubſcriptionem.

C*Vm forma Synodorum & Conventuum, quæ à Theologis Bergenſibus præſcribebatur ut ſuprà à nobis indicatum eſt, tanquam iniuſtiſſima & iniquiſſima, nequaquam probari poſſet à ſaniore parte Principum, Civitatum ac Theologorum, perſuaſerunt Bergenſes Electoribus & Principibus, ut ſecundum decretum Bergenſe, Anno 77. die 28. Maii editum, res peragеretur. Iuxta hoc igitur decretum tres præcipue Principes, Elector Saxoniæ & Brandenburgenſis, ac Iulius Brunſvicenſis Dux, negotium hoc vehementer urſerunt, & omnibus modis hoc egerunt, ut ab omnibus Principibus ac Ordinibus qui Auguſtanam Confeſſionem amplectũtur, eorumque Theologis, Liber Concordiæ ſubſcriptione approbaretur.*

Conventus Theologorum Magdeburgenſis. Adminiſtratores propter ſubſcriptionem libri Concordiæ.

Magdeburgi Conventus Theologorum habitus fuit, in cujus initio diverſa judicia & diſcrepãtes ſententiæ de re propoſita auditæ fuerũt: & niſi Politicorum authoritate, pietate & ſapientiâ moderata fuiſſent cõſilia, nunquã ad ſalutarem exitum res deducta fuiſſet. Plerią; enim nullis adhibitis rationibus, inſano clamore negotium egerunt, ut Suevicum ſcriptum, ob authoritatẽ eorum, qui id cuderunt, communi calculo õprobaretur. His Tribunitijs clamoribus moderate & fortiter ſe oppoſuerunt una cum D. Siegfrido Sacco *&* Maio Hallenſi, *nec non & alij ſuperiſq; qui Magdeburgi & in illa vicinia docent, delecti Commiſſarij Adminiſtratoris, inprimis Cancellarius* D. Heideman, *& alij prudentes Politici. Cancellarius gravi oratione quorundam Linguæ intemperiem* repre-

reprehendit, eosq́; inſanire dixit, quòd ad ſubſcriptionem ſponte ſe offerrent, nemine eos cogẽte, nec iuſtis adhuc expoſitis rationibus, cur hoc aut illud fieri, aut non fieri debeat. Redarguit & quorũdam iuvenum Flaccianorum incivilitatem, qui non habitâ ratione Principis, cujus loco politici ſederent, neq; moti ullâ reverentiâ erga venerandos ſenes, præceptores ſuos, pluſquam barbaricâ rabie vociferarentur de rebus nec intellectis, nec in deliberationem juſtam adhuc deductis. Quare univerſos & ſingulos iterum ſevere obteſtatus eſt per gloriam Dei, & cujusq́; conſcientiam, ut ſepoſitis affectibus, liberè & moderatè de ſingulis capitibus Libri conferrent, nec autoritatibus, ſed rationibus ac teſtimoniis ſacræ Scripturæ certarent, ac Principẽ de negotio religionis admodũ ſollicitum docerent, nunquid bonâ conſcientiâ huic libro ſubſcribi poſſit. Si enim ſit ex uſu & commodo Eccleſiæ, & ex veritatis cæleſtis propagatione, ut tunc ſubſcribant: Sin verò diſtractiones maiores indè metuendæ eſſent, ſubſcriptionẽ differendam; & iuſtis rationibus Princip. Celſitudinem edocendam eſſe. Ordine igitur de ſingulis capitibus diſputatũ fuit, ita ut plures ſe adiunxerint melioribus: qui tandem peculiari ſcripto ſententiã ſuam complexi ſunt. Inter cætera ſignificant, Se nolle, nec poſſe bonâ cõſcientiâ volumini toties mutato ſubſcribere, quò maiores diſtractiones in Eccleſiam inducantur, cùm nõ adhibiti fuerint initio plures Eccleſiæ Doct. qui de pleriſque rectius admonere potuiſsẽt. In primis verò nolle ſe, ut ſuſpectum reddatur Corpus doctrinæ Philippi, in quo multa ſint ſcripta vtilia, quibus remotis, pleroſq; in Eccleſiam nõ vtiliter alios docturos. *Oſtendunt,* non tantùm Philippi Melanthonis Locos communes primæ editionis, ſed & poſterioris à D. Luthero viſos & approbatos eſſe. *Præterea Sanctè confirmant,* à Luthero poſtremam Auguſtanam Confeſſionem, quæ Tridentino Concilio exhiberi debuiſſet, receptam eſſe, eique omnes Auguſtanæ Confeſſionis Ordines ſubſcripſiſſe. Nunquam igitur ſeparaturos ſe hæc vtiliſſima ſcripta à norma veræ doctrinæ. Adhæc non confirmaturos ſuo exemplo, ut hi duo, Philippus & Lutherus, ſeiungantur, quos Deus, tanquam organa ſalutaria, Eccleſiæ & Scholę coniunxiſſet. *In loco de perſona Filij Dei* reiiciunt & damnant Iacobi Andreę Vbiquitatem. *De adiaphoris nomine Conventus huius oblatum eſt Adminiſtratori, cuius deinceps novum exſpectant reſponſum.*

Magdeburgenſes Theologi ſubſcriptionem libri Concordiæ diſſuadent

Eo ipſo deliberationis inſtitutæ tempore in urbem Magdeburgenſem venit nobilis Meiendorpius, *unà cum aliis, qui authoritate & potentiâ valent. Hi nomine nobilitatis literas toti Convẽtui inſcriptas, tanquam pomum ἔριδος, miſerunt delectis Commiſſariis, quos hortantur ad ſubſcriptionem à Theologis exigendam. Præcipuè verò incommoda, quorum Abbas Bergenſis (cuius in hac deliberatione primum votum requiſitum; & ab ipſo hoc opus egregium & aureum & ipſius autores prolixâ oratione commẽdatum) meminerat, egregiè amplificârunt, ut ex compoſito egiſſe videantur. Non vocati, accurrerunt eò* D. Tilmannus Heshuſius *&* D. Kemnitius, *qui in diverſorio publicè per biduum manſerunt, unde ad Abbatem Bergenſem egreſſi ſunt, haud dubiè eo conſilio, ut tanquam Gorgone terrerent meliores, ſuæ verò farinæ homines in propoſito confirmarent,* Saccus *nullius autoritate ac minis deterritus, moderatè ea dixit, quæ veritati congrua & Eccleſiaſticæ Reip. accommodata iudicavit; cujus ſententiam non tantùm Hallenſis Superintendens, ſed pleriq́; paſtores Eccleſiæ Magdeburgenſis, unà cum vicinis Eccleſiarum inſpectoribus probarũt. Conſentiens itaq; horum fuit ſententia (ſicut antea narratũ eſt) ut de ſingulis doctrinæ capitibus placide diſputatio inſtitueretur, & victoriam obtinerent ij, qui non ſuo judicio nec authoritate aut ſuſpicionibus cæcis, ſed teſtimoniis ſacræ Scripturæ, aut firmis rationibus ſuã enunciationẽ cõfirmarẽt.*

Theologi Magdeburgenſes nobilitati ſeſe opponunt, & in ſua ſententia perſtant.

Huic Conventui interfuerunt Iacobus Schmidlinus, Selneccerus & alij.

Ex his non obſcurè intelligitur, etiam Adminiſtratorem *Magdeburgenſem hactenus ſubſcriptione libri Concordiæ conſentire noluiſſe. Quum autem, ut Languetus retulit, affinis eius,* Dux Brunſvicenſis *ad eum veniſſet, & palàm Zuinglianiſmi eum accuſâſſet, ipſiusq́; Theologos cum Zuinglianis colludere dixiſſet,* tum Adminiſtrator *metu perculſus, totius ſuæ diœceſis Paſtores Vvolmerſtadium convocatos ad ſubſcriptionem Bergenſis Sphingis adigere voluit. Inter eos initio 26. tandem autem 13. tantum reperti ſunt, qui adductis in medium cauſis graviſſimis ſubſcriptionem diu recuſarunt. Tandem tamen ipſi quoq́; ſubcripſerũt perſuaſi certis cõditionibus, reſervata præſertim ſibi libera controverſorum in libro illo articulorum declaratione ex corpore doctrinæ: Cuius tamen facilitatis ſuæ paulo poſt pœnitentia ducti, deprehenſa præſertim impia fraude Bergenſium Patrum, factum improbare, erroreſque in Libro contentos publicè taxare cœperunt. Hæc res cùm intollerabilis videretur Patribus Bergenſibus, non deſtiterunt Adminiſtratorem incitare contra eos. Hinc factum eſt, ut Brãdeburgici Theologi Schmalcaldia nuper redeuntes, Halæ M. Majum Superintendentem vocarint, ac cum eo graviter expoſtularint, inq; ſuam ſententiam partim minis, partim promiſſis pertrahere, ſed fruſtrà omninò, conati ſunt. Itaque de eo denuò ad Adminiſtratorem querelas detulerunt, obtinueruntq́;, ut mandaretur Senatui Halenſi, de ipſo dimittendo, quod Senatus recuſavit, impetratâ ei manſione ad feſtum Paſchæ.*

Magdeburgenſes Theologi coacti tamen ſubſcribunt

De his duobus Conventibus vir quidam doctus ad D. Ioannem Iacobum Grynæum *hæc*

 ſcripſit,

rum *excuſari non poſſe, qui nunquam huius mentionem fecerit, licet ſex totis adhuc ſupervixerit Annis. Locum de Tranſſubſtantiatione Papiſtica in prima Apologia, & à Luthero approbatam Palinodiam Berengarij, non poſſe in ſaniorem ſenſum detorqueri. Ad Lutheri authoritatem quod attineat, placere Celſitudini ſuæ, quòd Brūſvicenſis Princeps cenſeat, non omnia pro Canone ſeu norma recipienda, quæ minus convenienter interdum ſcripſerit; ſecundum illud Auguſtini:* Quod in eis literarum ſacrarum authoritati convenit, cum laude ejus recipimus: quod autem non congruit, cum pace eius reſpuimus. *Et ſcripta* Lutheri *tam non pro norma doctrinæ recipienda ſe arbitrari, quàm* Auguſtini *vel alterius Patris: Quòd etiam Vbiquitatem in Formula Concordiæ pro fundamento præſentiæ Chriſti in Cœna conſtitui Brunſvicenſis neget, provocare ſe ad ipſum librum Concordiæ, & citatum in eo paragraphum* Lutheri, *in quo rationibus ſeu fundamentis quatuor Omnipræſentiam Corporis Chriſti probare nitatur. Incommodas loqutiones vitandas: reliquos autem Articulos de unione Perſonali, Idiomatum Communicatione, Aſcenſione & Seſsione ad dexteram Patris commodè & dextrè explicandos eſſe. Authores Formulæ Concordiæ in plurimis ſibiipſis hactenus contradixiſſe. Hæc non parvi facienda eſſe. Si dogma Vbiquitatis admittatur, Articulos de Reſurrectione mortuorum, Cœlo & inferno multos imaginariè tantùm & allegoricè intellecturos. Ad condemnationem Zuinglianorum quod pertineat, in Auguſtana Confeſsione, verbum* Damnamus, *expreſsè quidem poſitum eſſe, ſed contra hæreticos tantùm, qui priùs in Conciliis Oecumenicis publicè auditi, & legitimè causâ cognitâ condemnati fuerint. Ad hunc verò modum cum Zuinglianis huc uſq; actum non eſſe. Si igitur Auguſtana Confeſsio ſequenda ſit, ſatis eſſe,* Improbamus ſecus docentes.

De Tangermundenſi ad Albim Conventu.

Iubentur in hoc Conventu ex Cenſuris Formulam Concordiæ emendare Theologi, ſed non parent.

CVm hæ aliæque Cenſuræ & judicia à multis Principibus Auguſtanæ Confeſsionis ederentur, in quibus graves & iuſtas cauſas exponebant, propter quas Librum Bergenſem, profanæ doctrinæ normam recipere, & iniquiſsimis Bergenſium calumniis & condemnationibus, contra non auditos, & causâ non cognitâ, ſubſcribere non poſſent, ideoque Synodus ſeu Conventus adhuc ab iis poſtularetur, in quo Liber Concordiæ examinaretur, in multis corrigeretur & partes litigantes ante ſubſcriptionem audirentur, Illuſtriſsimus Princeps Elector Saxoniæ Auguſtus, *ne ſuo deeſſet officio, aliquot Theologos* Tangermandam *ad* 15. *diem Martii anno* 78. *convocavit, iiſque Cenſuras illas exhibuit, judicium eorum de iis poſtulavit, & ut librum ex iis corrigerent & emendarent in multis, ſedulò mandavit. Theologi, his acceptis mandatis, Cenſuras quidem in hoc Conventu perlegunt, & iudicia ad iis ſua ad Electores & Principes mittunt, ſed Optimi Electoris petitionem de correctione libri ambitioſiſsimo factu reiecerunt præfractè & quaſi prætoriâ lege & poteſtate edicentes, quòd ne ad latum quidem unguem, neque etiam in minutiſſimo quoque puncto, ab hac ſua recenter fabricata Concordiæ Formula, & doctrinæ norma recedere velint aut poſſint: Hæreticos, Fanaticos, Sacramentarios, & impuros Doctores, pro ſua dominandi in Eccleſia libidine, omnes eos appellantes, qui ſubſcriptionem huius ſuæ normæ pergere vellent recuſare. Nec tantùm Theologis & miniſtris, ſed etiam Electoribus & Principibus, omnem ulterioris Cenſuræ, aut correctionis & mutationis poteſtatem negârunt: utcunque illi nec pauca nec levia deſiderarent.*

Bergenſes reſpondent de prima & immutata Auguſtana Confeſſione.

Ac primò *quidem, quod ad Cenſuram & admonitionem Illuſtriſsimi Principis Ludovici Electoris Palatini attinet, ad id, quod monuit Celſitudo eius, vocabula,* prima *&* immutata Confeſſio, *omittenda, & ſimpliciter Auguſtanæ Confeſsionis mentionem faciendam, de quo etiam alii Principes monuerunt. Reſpondent, ſe optare & cupere, diſputatione hac de diverſitate exemplarium Auguſtanæ Confeſsionis, in iis Provinciis, Eccleſiis & Scholis, quæ huic Confeſsioni adiunctæ ſint, non opus fuiſſe, &* Philippum Melanthonem *ſic eandem immutatam reliquiſſe, ut ſcripta & publico nomine Electorum, Principum & Statuum ſemel Carolo Imp. exhibita fuerit: Cùm enim publicum ſcriptum ſit, non debuiſſe ex eo privatum fieri, multaque minùs aliquid vel in minutiſsima litera in eo mutari. Quandoquidem autem hoc factum ſit, ſe ſuo loco id relinquere, primamque immutatam Confeſsionem in hac Formula nominare, quòd ſemper ad eam Confeſsionem provocârint, quæ Anno* 30. *Carolo Imper. exhibita ſit. Vt igitur in veritate illam vindicare queant, nec dicant, Auguſtanam Confeſsionem Anno* 30. *exhibitam, quæ Anno demum* 40. *ſcripta ſit, meritò ſe indicare, quòd primam Confeſsionem retineant; vel hanc ob cauſam etiam, quòd Papiſtæ Proteſtantes accuſent, quòd à ſua Confeſsione defecerint, imo quod ipſimet neſciant, quæ ſua ſit Confeſsio, ut* Cochleus *ante multos annos fecerit in peculiari libro hac de re edito, in Harmonia etiam Confeſsionis Auguſtanæ magno cum decore Proteſtantium ab adverſariis factum, & à Papiſtis ſæpius in Comitiis Imperii, Colloquiis & privatis ſcriptis, hoc ipſum quoque Proteſtantibus obiectum ſit, atque adhuc hodiè à Ieſuitis obiiciatur. Adhæc omnibus notum eſſe, ut Sacramentarij ad Auguſtanam quoque Confeſsionem provocent, non quidem primam immutatam, ſed*

poſteriorem

poſteriorem mutatam,& ſub ea errores ſuos occultent & contegant, & magiſtratus ac ſubditos in Scholis & Eccleſiis hoc pacto circũveniant, quum decimus Articulus in mutatis exemplaribus contra eos non faciat, qui in priore immutato exemplari ſic ſcriptus fuerit, ut nullus ſub eo ſe occultare potuerit. Idem etiam in aliis articulis factum eſſe, præſertim quinto, in quo Evangelium dicitur etiam eſſe prædicatio pœnitentiæ: hoc verò in Immutata Confeſſione non exſtare. Has ob cauſas ſe urgere ſubinde primã immutatam Confeſſionem, & ad eam provocare, nec tamen reiicere mutatam & locupletatam: ſed relinquere ſe eam ſuo loco, nec quenquam à lectione ejus prohibere.

Bergenſium reſponſio de Tranſſubſtantiatione in prima Auguſtana Confeſſione contenta.

Quòd autẽ obiiciatur, in prima Auguſtana Confeſſione ejusq́; Apologia Papiſticam Tranſſubſtantiationem approbari, id nihil habere difficultatis: nam in prima Apologia quorundam veterum doctorum verba allegari, quæ, etſi primo intuitu videantur confirmare mutationem panis in Corpus Ch., non tamen de Papiſtica Tranſmutatione in ſuis aliisque Eccleſiis ea intelligi, ſed tantum de vera eſſentiali diſpenſatione & mãducatione corporis & Sanguinis Ch. in Sacra Cœna. Quamvis etiam mutata & locupletata Confeſſio Vvormatiæ & Ratisbonæ in Colloquiis propoſita & uſurpata fuerit, id tamen à Pontificiis impugnatum, & Proteſtantibus pro levitate & inconſtantia obiectum fuiſſe, & adhuc hodiè obiici. Quòd item Auguſtana Confeſſio conſilio & voluntate Lutheri *mutata eſſe dicatur, eo quòd hæc mutatio facta ſit vivente adhuc* Luthero, *id à nullo Theologo cum veritate dici & probari poſſe. Hoc autẽ certum eſſe, multos adhuc in vivis eſſe, qui teſtẽtur* Luthero *nullam mutationem vel Confeſſionis Auguſtanæ, vel Locorum cõmunium unquã placuiſſe, licet propterea, offẽdiculi vitãdi causá, bellũ nulli indixerit.*

A principibus autem veriſſimè dicitur Date nominandi.

De omiſſione Synergiſtarum nominis.

Secundo, *Electorem Palatinum in ſua Cenſura, aliosque admonuiſſe: in Articulo de Libero arbitrio, ne mentio aliqua* Synergiſtarum *fiat, quandoquidem etiam Flaccianorum & ſimilium nomen omiſſum ſit in Formula Concordiæ. In tota autem illa Formula nulla perſonalia tractari, ſed tantum dogmatica, quid videlicet verum aut falſum ſit in allegatis articulis. Nomen verò* Synergiſtarum, *nullius perſonæ, ſed doctrinæ nomen eſſe: Sic cùm Enthuſiaſtarum, Anabaptiſtarum, Antinomorum & Sacramentariorum mentio fiat, nullas perſonas nominari, ſed falſas & erroneas tantum doctrinas reiici: quumque Synergiſtæ & Pelagiani eundem errorem defendant, certis nominibus eos inſigniri debuiſſe, quibus agnoſci queant.*

De tribus cauſis concurrentibus in converſione.

Alioquin quod ad tres cauſas concurrentes in Converſione attineat, id in Formula Concordiæ ſic declaratum & explicatum eſſe, ut nullus ampliùs ſcrupulus ſit reliquus. Se namque haud quaquam negare tria concurrentia, ſed tantum docere, non renati hominis naturalem voluntatem & vires non referendas eſſe inter cauſas efficientes, ſed eſſe materiam in quam, vel, cauſam materialem, & ſubiectum in quod agat Spiritus Sanctus: nec tamen hominis voluntatem otioſam eſſe, ſed hominem audire verbum Dei, pati ſe illuminari, converti, regenerari. A quo? à Spiritu Sancto: Per quid? per Verbum & Sacramenta. Naturâ autem hominem eſſe filium iræ, & omnes eius carnales cogitationes eſſe inimicitiam adverſus Deum: quandiu Deus ex mera gratia propter Filium ſuum non det verbum & Spiritum Sanctum, ínq; nobis efficaciter operetur, noſque ut Pater Filium ducat, manere hominem Dei inimicum in æternum. Habere hominem velle, ſed nec benè nec rectè velle, neq́; etiam eſſe volentis & currentis, ſed miſerentis Dei. Deum autem dare velle. Cõmunia dicta, Deus trahit, ſed volentem: tantùm velis, & Deus præoccurrit, *ex Formula Concordiæ ſatis intelligi poſſe.*

Vnicum tantum fundamentum in Formula Concordiæ eſſe præſentiæ Chriſti in Cœna iuxtà Bergenſes.

Tertio, *in Cenſura Electoris Palatini & aliorum hoc quoque contineri, præter verba Inſtitutionis, alia fundamenta præſentiæ veræ Corpori & Sanguinis Chriſti in Cœna conſtitui non debere, ut in Formula Concordiæ fiat. Ad hoc reſpondent, unicum tantum fundamentum in Formula Concordiæ poni, conſtituẽs diſtributionẽ & mãducationem Corporis & Sanguinis Chriſti: Quod perinde eſt ac ſi dicerent, plura quidem eſſe & neceſſario poni corporalis iſtius præſentiæ fundamenta, at unicũ tantum quo continetur eius diſtributio & manducatio. Hanc autẽ illorum eſſe fallaciam, quá ſe monitoribus ſuis illudere, & iuſtas ipſorum reprehenſiones evadere poſſe cogitarunt, ex ſcriptis Iacobi Schmidlini eſt evidentiſſimũ, ſic enim ille ex hoc præſẽtiæ & diſtributionis diſcrimine in Theſibus Tubing. theſi 55. 67. & 81. ait. Quòd Chriſti Corpus in cœna adeſſe dicitur, à generali illa maieſtatis Vbiq́; præſentia, non tam reſpectu ſui quàm noſtri diſtinguendũ eſt. Itaq́; in Cœna D. non tam præſentiã, quàm diſpenſationẽ Corporis & Sanguinis Ch. agnoſcimus. Sunt enim Verba Ch. Verba diſpenſationis, ratione cujus vel adeſſe vel abeſſe dicimus Corpus Chiſti.*

Quod ſi igitur iuxta hanc doctrinã verba Cœnæ corporalis præſentiæ nõ ſunt affectiva, ſed tantùm verba diſpenſationis: ſequitur hinc, nihil per hæc in Cœna D. diſtribui, ſeu diſpenſari, niſi quod jam ante, ex generali illa Majeſtatis ubiq́; præſẽtia, per unionem & modũ ſeſſionis ad dexteram, verè præſens adeſt: quod ſanè ſi rectè conſideres, nihil eſt aliud, quàm pro verò Corpore & Sanguine Ch. phantaſticas illuſiones diſpenſari. His addunt ſi Zuingliani & Calviniſtæ doctrinam de Sacramentali & Corporali præſentia, verâ diſpenſatione & ſumptione Corporis & Sanguinis Chriſti in ſacra Cœna non oppugnãſſent: factum eſſet, ut Eccleſia hoc ſimplici fundamento verborũ contẽta fuiſſet: Quia verò conati ſint verba Chriſti evertere, neceſſe eſſe ut demonſtretur, Chriſtum

veracem & omnipotentem eſſe, ideo poſſe & velle etiam præſtare quod inſtituerit & promiſerit. Hinc fieri, ut de perſona Chriſti dicendum ſit, quòd Deus & homo verus ſit, & ſedeat ad dexteram Patris omnipotentis: & hæc eſſe fundamenta confirmantia ſuam doctrinam & confutantia falſum.

Bergenſes ut ſuam Vbiquitatem ornare conentur.

Quod autem obiiciatur, huic doctrinæ admiſceri novum, inauditum, atque horrendum dogma de Vbiquitate corporis & humanæ naturæ Chriſti, quæ extenſa & diffuſa ſit in infinitum in omnes creaturas, lapides, ligna, &c. eſſe hanc malitioſam depravationem ſuæ doctrinæ de exaltatione & maieſtate Filij hominis, ſedentis ad dexteram Patris. In Formula Concordiæ Vbiquitatis vocabulum demonſtrari non poſſe. Hoc etiam nomen, quod Brentius portentoſum nomen appellavit à Sacramentariis confictum eſſe, & Lutheranis Eccleſiis affictum eſſe, tantùm ut doctrina de maieſtate & gloria Chriſti Filij hominis exſibiletur, annihiletur & reiiciatur. Se autem de hoc Articulo ſic docere, Hominem Chriſtum Mariæ Filium Humanâ ſuâ naturâ aſcendiſſe in Cælum, exaltatum eſſe ſupra omnes cælos, ſedere ad Dexteram Patris omnipotentis, habere omnem poteſtatem in cælo & terra; & omnes Creaturas ſub pedibus ſuis, videre, audire & ſcire omnia. Hanc eſſe ſummam doctrinæ, quæ de perſona Chriſti & exaltatione ejus ad dexteram Dei iuxta Humanam Naturam in Formula Concordiæ contineatur. Eandem verò doctrinam de exaltatione, maieſtate, omnipotentia & omnipræſentia Chriſti, qui verus Deus & Homo indiviſè ſit, ubicunque ſit, & ubi dextera Dei ſit, & poſſit eſſe ubi velit, velitque eſſe quocunq. ſe verbo ſuo alligârit, in regno ſuo, apud ſuam Eccleſiam, in ſuis fidelibus, quomodo, quando & ubi velit, ſupra, infra, intra & extra omnes creaturas, ſecundum divinæ potentiæ promiſſionem, voluntatem & placitum, Sacramentarios appellare novo, conficto, horrendo, inaudito vocabulo Vbiquitatem, expanſionem, extenſionem, diffuſionem carnis Chriſti in omnia ſaxa, in omnes herbas: quum tamen Proteſtantium Eccleſiæ ignorent extenſionem, ſed retineant verbum Dei, Chriſti promiſſionem, Articulos fidei, & quid in hac vita intelligere nequeant, id reſervare in alteram: præcidere etiam & præcavere ſe omnes curioſas & impias Sacramentariorum quæſtiones; an Chriſti caro ſit laqueus, ſtercus, &c neminem enim fidelium tam impium eſſe, qui de immenſa Deitate & dextera Dei ſic quærat & loquatur, nempe, ſi omnia impleat, neceſſe eſſe ut ſit etiam in ſtercore, diabobo & omnibus impuriſſimis locis.

Falſum: Vid alteram par hiſt. Sacram cap. 3.

De phraſibus inuſitatis in Formula Concordiæ.

Quod autem phraſes & modos loquendi inuſitatos attineat, quæ in Formula Concordiæ contineri dicantur, & omitti debeant, ſe quidem neſcire quænam illæ phraſes ſint. His enim phraſibus ex Scripturis ſe uti ſolùm, Carnem Chriſti eſſe vivificam carnem: Sanguinem Chriſti nos purgare ab omnibus peccatis: In Cœna Sacra nobis exhiberi verum corpus, & verum Sanguinem Chriſti; ea propter etiam Humanam Naturam Chriſti exaltatam eſſe, & omnipotentiæ ad Dexteram Dei participem factam, carnem eius adorabilem factam, & contrarium aſſerentes anathematizari, juxta Cyrillum contra Neſtoriũ & alios hæreticos. Ideoq. ſe rectè affirmare, carnem Chriſti eſſe vivificam, adorabilem, capacem & participem omnipotentiæ Dei, non quidem ex ſe, vel proprietate ſuâ naturali, vel ſeparatam à Deitate; ſed in Chriſto Filio Dei: &c. Summa, quicquid Chriſtus ſit, & in perſona Chriſti ſit, id eſſe & permanere in æternum omnipotens, ſic tamen, ut Divinitas ejus ſit Omnipotentia ipſa in ſecula ſeculorum, ſicut etiam Dei Patris & Spiritus Sancti: Humanitatem autem eius aſſumptam eſſe perſonali unione ab ipſo Filio Dei, & habitare plenitudinem Deitatis corporaliter in Filio Mariæ, cui etiam Spiritus Sanctus datus ſit non ad menſuram, ut aliis Sanctis, ſed Divinis, æternis, immenſis donis, Potentiâ & Gloriâ, quæ in ſtatu exinanitionis perfectè manifeſtata ſit, nunc autem manere in æternum ad dexteram Patris.

De verbo Damnandi in Formula Concordiæ.

Quartò, in Electoralium Palatinorum, aliorumque Theologorum Cenſuris, admonitiones etiam fieri, de verbo Damnamus, tanquam nimiùm duro, & poſtulari, ut pro eo vel Improbamus, vel Reiicimus, vel aliud mitius ſubſtituatur, ne qui fortè ab hac Concordia deterreantur. Ad hanc autem poſtulationem reſpondent Theologi in hoc Conventu congregati, Fieri hoc non poſſe abſque lethali vulnere doctrinæ ſuæ. Sacramentariorum enim errorem non amplius eſſe ſimplicem & vulgarem errorem, hominum bonorum atque docilium, ſed contumacem atque blaſphemam multarum horribilium hæreſium defenſionem, omnipotentiæ item & veritatis Chriſti abnegationem: adhæc Iſagogen & præparationem ad Neſtorianam, Arrianam & Turcicam impietatem, blaſphemiam denique in Filium Dei Ieſum Chriſtum, quâ Fidei Chriſtianæ Articuli horrendum in modum pervertantur & adulterentur. Se igitur non ſimpliciter dicere poſſe vel debere, ſibi Sacramentariorum errorem non placere, ſed debere ſe Verbi Dei & Spiritus ſancti dialecto loqui, & liberè fateri, doctrinam ipſorum eſſe impiam, blaſphemam, maledictam & condẽnatam; ſicut Paulus nominet Anathema, quicquid contra Evangeliũ ſit, etiamſi ab Angelo de Cælo prædicetur: ſimiliter etiam Chriſtianos doctores olim ſemper anathematizâſſe & condẽnâſſe omnes blaſphemas & falſas doctrinas: Auguſtanã Confeſſionem quoq. condẽnâſſe non tantum falſas doctrinas, ſed etiam perſonas à quibus falſæ doctrinæ exortæ ſint: & dãnare adhuc Proteſtantes Eccleſias, Manichæos, Pelagianos, Donatiſtas. Cumque in Formula Concordiæ nulla perſona

ſona vel Eccleſia, multoque minùs tota regna condemnentur (quandoquidem de perſonis ſpes habetur, fore ut ante vitæ finem convertantur & à falſis doctrinis diſcedant) ſed tantum falſa dogmata, neminem de verbis iure conqueri poſſe, de falſa namque doctrina tantum agi, perſonas verò iuſto Dei judicio relinqui. Quod autem in decimo Articulo primæ immutatæ Auguſtanæ Confeſſionis verbum Improbamus, non Damnamus vſurpetur, id propterea factum, quòd tunc alius fuerit rerum ſtatus. Sin autem verbum Damnamus, omninò ſit mutandum, & aliud mitius ſubſtituendum, fore, ut Sacramentarij mox glorientur, non potuiſſe doctrinam ſuam à Proteſtantibus condemnari, licet eam non probârint, & ſic poſteriora prioribus deteriora fore.

Cur ad Ioh. Caſimirum Palat. Formulæ Concordiæ non miſſa.

Quintò, quod Illuſtriſſimis Principibus Iohanni Caſimiro & Iohanni Georgio Palatinis nulla Formulæ Concordiæ exemplaria ſint miſſa, nec data opera ut etiam ipſi ad ſubſcriptionem Libri Concordiæ invitentur & alliciantur, id propter Formulæ exemplarium paucitatem factum eſſe. Atque hæc illi ad Cenſuram Electoris Palatini.

Quàm calvè De retinendo Corpore doctrinæ Philippi

Quòd verò pertineat ad Richardi Palatini Principis ejuſque Theologorum Cenſuram, in qua moneant de retinendo Corpore doctrinæ Philippi, aliiſque ejus ſcriptis: de quibuſdam mutandis in Articulo de Libero arbitrio, de non nominandis Synergiſtis: de bonis quoque operibus, à juſtificatione hominis, quo ad præſentiam, non excludendis: Item, de Evangelij definitione, & phraſibus quibuſdam novis de Cœna Domini & Perſona Chriſti, quibus in Formula Concordiæ vtantur: Aiunt Theologi, ſe maluiſſe vivâ voce, quàm ſcripto illis reſpondere. Nam quod ad Corpus doctrinæ attineat, ſe quidem id non reiicere, ſed pro vtili & bono Libro agnoſcere, quemadmodum etiam alia ſcripta Patrum, quæ cum iudicio legenda ſint. Quod autem Corpus hoc doctrinæ pro norma ſeu regula non habeant, id duabus de cauſis fieri. Primò, quod in eo non pauca contineantur, quæ cum doctrina Lutheri non conſentiant. Nam doctrinam de Communicatione Idiomatum ſimpliciter formam loquendi nominari. Dici, quòd Chriſto reſtituta ſit Gloria Divina: Item, quòd vnio faciat communia nomina: De Libero arbitrio, quod ſit facultas applicandi ſe ad gratiam, & quòd in Davide ſit cauſa cur recipiatur: Doctrinam de Cœna Domini ſic poni, ut Sacramentarij æquè ac noſtræ Eccleſiæ eam approbare & recipere queant, quum tantùm ſpiritualis participationis mentio fiat, & in alijs ſcriptis Philippi doceatur, quòd ſumptio ſine fide non habeat rationem Sacramenti; & quod hæc locutio, Panis eſt Corpus Chriſti, ſit Metonymia: qualis eſt hæc, Faſces ſunt Imperium Romanum. Hæc autem non ideo à ſe commemorari,

Cauſæ ob quas Bergenſes Theologi Corpus doctrinæ reiiciunt.

Cur non eodem modo de libris Lutheri iudicant.

quod velint extenuare ſcripta Philippi, qui præceptor eorum, & magni nominis vir, eximiumque Dei organum fuerit in Eccleſia & Schola, ſed ne ſcripta hujuſmodi cum verbo Dei æquentur, multo minus ei præferantur.

Deinde ſcire ſe, & iam annis aliquot expertos eſſe, quibus dolis & fraudibus ij, qui ſimpliciter ad Corpus doctrinæ provocârint, ſub hoc prætextu Calviniſmum introduxerint & propagârint.

De libero arbitrio. Scilicet.

De libero arbitrio Richardi Palatini Theologos nihil adferre, ad quod in Formula Concordiæ non ſatis reſponſum ſit, ut etiam de bonis operibus, de quibus doceant, quòd neque antecedentia, neque præſentia, neque conſequentia opera quenquam juſtificare aut ſalvare queant.

De definitione Evangelij.

Definitionem Evangelij ſatis quoque in Concordiæ libro explicatam & declaratam eſſe. Se namque de eo loqui, quid Evangelium propriè ſit & ſignificet, nempe, prædicationem gratiæ, non pœnæ aut iræ Dei, niſi per accidens, quando vtitur Deus miniſterio legis adverſus impœnitentes & incredulos.

Landgravij cenſuram de duobus potiſſimùm admonere aiunt, videlicet, de Actis & Receſſu Naumburgenſi & Francofurtenſi: deinde, de Vbiquitate.

Calumnia de Corpore doctrinæ Philippi & mutata Aug. Confeſſione.

Quod ad præterita Acta pertineat, Magiſtratus quidem politici, Electorum ſcilicet & Principum intentionem bonam fuiſſe, reipsâ verò compertum eſſe, ut etiam ex Bremenſium Cenſura colligi poſſit, quid præcipui Conſiliarij tum quidem quæſierint & unicè ſpectarint: nempe, ut per Corpus doctrinæ & mutatam Auguſtanam Confeſſionem Calviniſmus paulatim introduceretur & occultaretur. Cumque politici quidam Conſiliarij, reſiſtentibus aliis, Naumburgi obtinuerint, ut Confeſſio Auguſtana Anno 40. ſcripta, approbaretur & reciperetur, facilè Electores & Principes intelligere, non inconſtantiæ, ſed conſtantiæ notam eſſe, quòd huic fraudi occurratur, & rurſus ad immutatam Confeſſionem provocetur.

Ad Vbiquitatem quod attineat, ſatis ſuperque ſe reſpondiſſe, ſicut etiam ad Noribergenſium Sacramentarium & Pelagianum iudicium, in peculiari ſcripto Electori Saxoniæ iam antea miſſo.

De Reginæ Angliæ petitione.

Reginam Angliæ, ejuſque, ſicut aliarum quoque exterarum Eccleſiarum petitionem quod attineat, id tantum ſpectari & quæri, ne Calvinianus error condemnetur, ſed latiùs propagetur.

De Bremenſium cenſura non reſponſa.

Bremenſium Cenſuram in Conventu Tangermundenſi lectam quidem fatentur Theologi, ſed ne verbum quidem ad eam reſponderunt: tantum hortantur Electores & Principes, dent operam, ut Bremenſes ad approbationem libri Concordiæ, eiuſque ſubſcriptionem quoque

quo modo pelliceant & invitent, &c. Interfuerunt huic Conventui Iacobus Schmidlinus, Nicolaus Selneccerus, Chriſtophorus Cornerus, Georgius Cœleſtinus, Martinus Kemnitius, David Chytræus, qui etiam omnes ſubſcriptione ſuâ hoc ſcriptum approbârunt.

Tangermundenſis reſponſio ad cenſuras mittitur Electori Palatino.

Miſit hoc ſcriptum Illuſtriſſimus Princeps Vvilhelmus Landgravius ad Ludovicum Electorem Palatinum 4. April. Anno 78. & ſcribit, Celſitudinem eius ex eo intellecturam, Theologos iſtos veterem ſuam cantilenam canere, & conari Electorum oculos blanditiis verborum perſtringere, ne latentem anguem animadvertant, & ab admonitionibus ſuis deſiſtant, quo authoritate illorum perrumpant, ac reliquos Principes intrare compellant. Cogniturum quoque ex hoc ſcripto Electorem Palatinum, quàm molli ac levi brachio Richardi Palatini, ipſiusque Landgravij cenſuras utiles & neceſſarias attigerint, Noribergenſium autem judicium, ſine omni pudore, Pelagianum & Sacramentarium nominârint, Anhaltinorum verò, Holſatorum, Pomeranorum & aliorum ne mentionem quidem aliquam facere dignati ſint: ut qui fortè vulgares Principes indignos iudicent, cum quibus diſputare debeant, (qui mos ſit iſtiuſmodi ambitioſorum Spirituum) ſed authoritate hominum magis eos, quàm Verbo Dei cogendos eſſe cenſeant. Se quidem Electoribus hanc præeminentiam, vigore aureæ Bullæ, nequaquam invidere; hoc verò nullo modo etiam concedere, ac ſi reliqui Principes & Ordines debeant propterea in Religionis negotiis ſeſe illis ſubmittere, ſibique perſuaderi ab illis permittere, ut laudatiſſimorum ſuorum parentum ac anteceſſorum optimè fundatas actiones & Chriſtianas Confeſſiones, pro quibus etiam vitam fortunaſque ſuas amittere & Sanguinem profundere parati fuerint, quæque in multis Comitiis, Colloquiis & Conventibus approbatæ ſint, propter paucorum privatorum Theologorum triumphos, ſuſpectas reddant, è contra autem illorum ſomnia, novas & periculoſas phraſes, quæ tot inconvenientias contineant, approbent, tot etiam tantaſque Eccleſias, quæ ſub cruce ingemiſcant, inauditâ cauſâ condemnent, quum ipſi illarum judices non ſint, & hoc modo afflictis afflictionem addant. Plurimas enim cauſas eſſe, ob quas ſalvâ conſcientiâ hoc facere nequeant.

Non pluralitate votorum, ſed veritate homines ad ſubſcriptiones adducendos.

Quòd autem Theologi arbitrentur, quandoquidem tot millia hominum ſubſcripſerint, Principes etiam cæteros pluralitate votorum ad ſubſcriptionem induci poſſe, meminiſſe bonos iſtos viros debuiſſe, non pluralitate votorum, ſed veritate verbi Dei homines ad Confeſſionum ſubſcriptiones adducendos eſſe, alioquin Pontificii iam pridem viciſſent.

Si etiam legitimum proceſſum ſervare voluiſſent iſti Theologi, debuiſſent ſubſcriptiones differre, donec Ordinibus Auguſtanæ Confeſſionis eorumque Theologis cum omnibus articulis conveniſſet, tum demum enim maturè ſatis ad reliquos quoque Eccleſiarum & Scholarum miniſtros ventum eſſet.

Philippus Auguſt. Confeſſionem privata authoritate non mutavit.

Falſo etiam accuſari à Theologis bonum Philippum, quod locupletatam & emendatam Confeſſionem Auguſtanam privatâ authoritate mutârit. Nam Anno 41. eam à Principibus in Ratiſponenſi Colloquio exhibitam, neque tamen vel à Luthero, vel Brentio, vel aliis reprehenſam fuiſſe unquam; quod tamen Theologi iſti odio Philippi obcæcati contra conſcientiam ſuam fateri nolint.

Obijcere etiam Theologos, Papiſtas ob Confeſſionem Auguſtanam mutatam, Proteſtantes accuſaturos, quod à Confeſſione Anno 30. exhibita defecerint. Hoc verò illis nequaquam dari poſſe: Papiſtas enim accuſatores potiùs Proteſtantes, ſi locupletatam Confeſſionem Auguſtanam condemnent, & eo pacto omnes priores ſuas actiones ſuſpectas reddant.

Prætendere quoque eodem Theologos, Zuinglianos ad mutatam Confeſſionem provocare, & ſub ea Zuinglianiſmum occultari poſſe. Sin verò ſcriptum reijciendum ſit, ad quod ſchiſmatici provocent, Scripturam quoque ſanctam reijciendam fore, ad quam omnes hæretici provocent.

An prima Apologia Aug. Confeſſionis retinenda.

Quod autem Theologi contendant mordicus, Apologiam primam de Anno 31. retinendam, notiſſimum eſſe, primam hanc Auguſtæ exhibitam & lectam quidem Apologiam, ſed à Carolo non approbatam, neque etiam typis excuſam fuiſſe, ut facilè exemplari, quod in Haſſiaca Cancellaria aſſervetur, probari poſſit. Illud eſſet obſervandum, Theologos iſtos Tranſſubſtantiationem in Apologia approbatam leviſſimè & perfunctoriè tantùm attigiſſe, & ſolummodo differentiam poſuiſſe inter Papiſticam tranſmutationem, & veram ſeu realem præſentiam, diſpenſationem & manducationem Corporis & Sanguinis Chriſti. Hoc modo autem Papiſtas refutari nequaquam poſſe.

Ad Articulum de Libero arbitrio quod attineat, ſe quidem indicare, ſatiùs tutiuſque fore, ſi is retineatur, ut in Torgenſi exemplari exſtet.

De cæteris Articulis, ac præſertim de Perſona Chriſti, & quòd Lutheri ſcripta in multis locis diligenti cribratione digna, non pro normâ doctrinæ recipienda ſint, ſe cum Electore Palatino in futuro Schmalcaldico Conventu corã locuturum, &c.

De Conventu Langenſalzenſi & Schmalcaldenſi.

Illuſtriſſimi Principes Auguſtus Saxoniæ Elector & Vvilhelmus Landgravius Haſſiæ Anno

Anno 78. die 23. Martii in urbe Langenſalzen convenerunt, ut de impedimentis & remoris ſubſcriptionis libri Concordiæ tractarent, inſtinctu Iacobi Schmidlini, qui Saxonem ſubinde hortatus eſt, ut cum Landgravio hac de re ſerio agat, ſperans ſe victoriā potiturū, quæ tamen ſpes vehementer eum feſellit. Saxo adduxit ſecū tres Theologos, Schmidlinum, Selneccerum & Kemnitium, Landgravius duo concionatores & Vicecancellarium Henricum Caniiium Ioris conſultum, qui controverſiam de Vbiquitate optimè intelligebat.

Landgraviorum Theologorum poſtulata in hoc conventu.

Placuit Principibus ut vtriuſque partis Theologi nominati in præſentia aliquot Politicorum convenirent, & de Concordiæ Libro, ejuſdem articulis, & his, quæ iis corrigenda videantur, colloquerentur. Tum Landgravii Theologi breviter ex prioribus Cenſuris Principum ac Theologorum repetiverunt, admonitiones de Immutata Auguſtana Confeſſione: Item, quod ſcripta Lutheri ſine omni diſcrimine pro norma doctrinæ recepta ſint. Quod Articulus de Libero arbitrio in formula Torgenſi tolerabilior ſit, & magis approbari poſſit, quàm ut in libro Bergenſi mutatus ſit: Quod exteræ Eccleſiæ, ſub cruce gementes, nec tamen auditæ, condemnentur, & hoc modo immani Papiſtarum tyrannidi exponantur: Denique quod Vbiquitas, & quæ ex illa ſequantur paradoxa, canonizentur: petiveruntque & ſummè contenderunt, ut hæc mutentur, vel ſaltem mitigentur.

Saxonicorum Theologorum ſuperbiſſimum reſponſum.

Ad hæc Saxonis Theologi reſponderunt, has aliaſque omnes Cenſuras trutinâ accuratè examinatas, decretumque à ſe eſſe, nihil omninò mutari vel mitigari, & ne ad latum quidem unguem, neque etiam in minutiſſimo quoque puncto ab hac Formula recedi debere. De his igitur acriter pro & contra diſputatum, & Saxonicis Theologis in faciem dictum eſt, nec juſtum nec æquum eſſe, ut ipſis ſolis, tanquam paucioribus, de tanta cauſa judicandi, Pontificiorum more, poteſtas detur, nihilominus dicti Theologi præfractè in ſua ſententia perſtiterunt, cauſantes, omnia ac ſingula non ſolùm in libro Concordiæ, ſed etiam in ipſis Cenſuris ſic eſſe ponderata, ut ne unum quidem verbum vel addi vel abiici poſſit amplius, præſertim cùm Liber iam à multis millibus Eccleſiarum Paſtoribus & Scholarum Profeſſoribus miniſtriſque ſubſcriptione approbatus ſit.

Haſſiacorum Theologorum inſtantia.

Ad hoc verò reſponſum fuit ab Haſſiacis Theologis, non in multitudine ſubſcriptionum, quarum pars fraudibus ac dolis emendicata, pars minis extorta fuerit (quorum tamen vtrunque illi inficiati ſunt) ſed in Verbo Domini, ac vſitatis & receptis loquendi formis cardinem totius negotii huius verſari. Atque his diſputationibus biduum integrum conſumptum fuit.

Saxonici Theologi ne Electori quidem Saxoniæ cedere voluerunt.

Licet etiam Elector Saxoniæ haud invitus aſſentiretur, ut verba, Immutata Confeſſio, & Condemnamus, in Formula Concordiæ omitterentur, & eorum loco ſubſtitueretur, Confeſſio Auguſtana Anno 30. exhibita, & de verbo ad verbum Formulæ Concordiæ inſerta, Item, ut in Articulo Cœnæ Zwinglianorum doctrina improbaretur, & ſtatueretur, eos in hoc Articulo cum Auguſtana Confeſſione non conſentire: ut etiam retineretur Articulus de libero arbitrio ſicut primum Torgæ conceptus eſt, & de Vbiquitate manifeſte & candide declararetur, Chriſtum, vi perſonalis unionis eſſe poſſe vbicunque velit, & quocunque ſe verbo ſuo alliget, cæteræ vero de hoc Articulo periculoſæ locutiones & propoſitiones declarentur, & hæc omnia Concordiæ libro inſererentur: tamen ne hoc quidem a Theologis Saxonicis impetrari potuit, & apud eos obtineri, ut vel parum ſaltem cederent, & vel leviſſimam mutationem, aut mitigationem admitterent: ac obiecerunt, Librum hunc a multis Ordinibus eorumque Theologis iam ſubſcriptione approbatum, ſine quorum conſenſu nihil mutari poſſit aut debeat.

Colloquium in hoc Conventu Schmidlini cum Meiero.

In eodem Conventu Schmidlinus Haſſiacum Superintendentem D. Meierum interrogavit, An in libro Concordiæ impia quædam dogmata contineantur, ob quæ ſubſcribere recuſent? cui hic ſimpliciter reſpondit, ſe nolle hoc affirmare. Hinc ſtatim Saxonici Theologi intulerunt, Subſcriptionem igitur eos negare vel differre diutiùs nec poſſe nec debere. Etſi autem D. Meierus poſtea non ſolùm vivâ voce, ſed ſcripto quoque ſe declararet, quod hoc de fundamento, quod nullius impietatis accuſet, locutus eſſet, nihilominus ſe timere maiora & plura etiam certamina ex hoc libro oritura, quàm hucuſque exſtiterint: huic tamen reſponſo, ſeu declarationi non ſolum non acquieverunt ſuperbiſſimi illi Theologi, ſed ne concedere quidem voluerunt, ut ea Receſſui hujus Conventus inſereretur.

Saxonici Theologi deformant reſtudent Philippum eiuſque ſcripta.

Præterea in hoc colloquio Philippum Melanchthonem omnibus modis Theologi deformare, ejuſque utiliſſimis ſcriptis omnem authoritatem detrahere conati ſunt; & poſteriorem Auguſtanam Confeſſionem ab eo non locupletatam & emendatam, ſed corruptam eſſe palàm dixerunt, idque cum Proteſtantium Electorum ac Principum ignominiâ maximâ.

Landgravii admonitio de tribus eſſendi modis Lutheri, & colloquium cum Saxonicis Theologis.

Landgravius quoque ex Luthero de tribus eſſendi modis corporis Chriſti in eodem colloquio graviter admonuit, & ut in Libro Concordiæ omittantur vehementer petiit. Nam ſi, inquit, Chriſtus locali modo, ut verba ſonant, non in Deo, vel apud Patrem, aut in cœlo eſt, ſcire cuperem, vbinam locali modo quæri aut inveniri poſſit? Item, Chriſtus dixit, Spiritus carnem & oſſa non habet, qualia me videtis habere: non dixit, ſe habuiſſe, vel per diſpenſationem aſſumpſiſſe.

Ad

wider mit vielen armen Kirchen und Schůl-dienern iſt umbgangen:was für ſcharpffe Inquiſitiones man wider ſie/und uber ihre Bibliothecas angeſtellet:wie tyranniſch auß anſtifftung der Authorum ſolches Bůchs / gegen den fürnemſten und gelehrteſten in Kirchen / Schůlen und Polniſchen dienſten gehandelt:wie gantz / unmenſchlich ihrer etliche viel iar/ in harten ſchwären gefängnuß gepeyniget/ gemartert und auf gehalten:denen man nit erlaubt daß ſie von iren eignen weybern und kindern / oder blůts verwandten in irem gefängnuß dörffen beſůcht (welches doch Herodes der iüngern Johannis weder gewehret noch verbotten) noch mit notiger ſpeyß/tranck/ kleidung/ artzney zů erhaltung oder ſterckung ihres leibs geſundheit / hetten können verſähen werden: darzů ihnen weder feder oder dinten/ noch papier / ſonder mehr meſſer und ſtrick under ire hände gegeben. Wie un mitleidenlich ſie ihrer dienſten entſetz und beurlaubet: wie unchriſtlich ſie von ihrẽ weibern/kindern/ freunden und gůtern vertrieben / und bey Sonnenſchein auß ihrem vatter land und wonungen/ohn erlaubnuß oder bewilligung nur den iren ein gůte nacht zůſagen / von den Diſcordimachern/ gar nit ſecundum charitatem Chriſtianam , vel juxta ſpiritum manſuetudinis,vel ex operatione Spiritûs Sancti, ſed inſtinctu diaboli agitatis hinweg geſtoſſen worden: welches alles die traurige erfahrung/ ſo vieler gantz unbarmhertzigen exemplen : ſo viel exilia und perſecutiones der beſtändigen Bekennern der warheit Göttlicher lehr / welche ſich dieſem Bůch/als einer Lernæ errorum & Paradoxorum , Chriſtlich widerſetzet haben:ſo offentliche Schrifften und Hiſtorien vieler hochgelehrten auch Privat perſonen: ſo vielen witwen und weyſen / auch anderer ins ellend veriagter heißbrennen de/ und uber ſich durch die wolcken / in den himel/zů Gott dem gerechten Richter eintringende / vergoßne threnen / und bittere / ſchwere / ſchmertzliche ſeufftzen/auch flehtliches klägen:ſo vieler frommer unſchuldiger leuthe verfolgung: ſo vieler angſthafften / betrübten / und eins theils auch verwundten gewiſſen/heimliche/innerliche anfechtungen und beſchwerungen:ſo vieler offenliche / erſchröckliche und abſchewliche Abfäl bezeugen ꝛc.

Numerus eorum qui ſubſcriptione ſuâ librum Concordiæ approbarunt.

Hoc autẽ agẽdi modo collegerũt Suffragia 8208. *vel iuxta alia exemplaria* 8250. *Doctorum, Profeſſorum, Paſtorum, Diaconorum , Calefactorum & ſimilium, qui Libro Corcordiæ ſubſcripſerunt.*

Non omnes voluntariâ ſubſcriptione Concordiam approbârunt.

Hæc omnia quum ita ſe habeant, vel ipſo quoq; Selneccero teſte, affirmare tamẽ eum non puduit, Omnes voluntariâ ſubſcriptione Librũ iſtum approbâſſe, *& mendacij eos arguit, qui dicũt,* nomine Electoris ac Princip. Sax. extortam, & vi imperatam ſubſcriptionem fuiſſe. *Et paulò poſt,* Atq; ita ſubſcriptio, *inquit,* facta eſt,& liberum vnicuique fuit, ſua cogitata promere: nec deprehenſus vllus eſt, qui in declaratione facta, non hilari & pacato animo acquieviſſet, & Libro ſubſcripſiſſet. Pag. 98. 99.

Iacobus Schmidiinus *etiam in Herzbergenſi Colloquio palàm dixit:* Ich kan warlich mit warheit ſagen / daß kein menſch zur Subſcription getrungen/ noch deß halben vertrieben/ ſo wahr der Sohn Gottes mit ſeinem blůt mich erlöſet: Dann ich wil ſonſt deß blůts Jeſu Chriſti nit theilhafftig werden. *Hoc eſt: Tam verè affirmare poſſũ, neminem ad ſubſcriptionem coactum, vel ob denegatam ſubſcriptionẽ officio ſuo motum & in exilium pulſum eſſe, quam vere me Filius Dei Sanguine ſuo redemit, & ſi res aliter ſe habet, nõ peto ut Sanguinis eius particeps fiam. Et paulò ante in eodem Colloquio dixit,* Iniquum eſſe ut quiſquã ſubſcribat hæſitãte, contradicente & reclamante conſciẽtiâ. *Item,* Neminẽ ſubſcribere, niſi ſit planè confirmatus: nam & in bona cauſa nihil faciendũ eſſe dubiâ conſciẽtiâ. Pag. 100 Pag. 184 Pag 183.

CAPVT XXI.

Quæ paulo ante & poſt Subſcriptionem Electorum , Principum, Eccleſiarum & Scholarum tentata & acta ſunt cum iis qui ſuſcriptionem recusârunt , & qui Conventus ob hanc cauſam habiti ſint.

Electores urgent Principes recuſantes ſubſcriptionem.

C*Vm forma Synodorum & Conventuum, quæ à Theologis Bergenſibus præſcribebatur ut ſuprà à nobis indicatum eſt, tanquam iniuſtiſſima & iniquiſſima, nequaquam probari poſſet à ſaniore parte Principum, Civitatum ac Theologorum, perſuaſerunt Bergenſes Electoribus & Principibus, ut ſecundum decretum Bergenſe, Anno 77. die 28. Maii editum, res peragere tur. Iuxta hoc igitur decretum tres præcipue Principes, Elector Saxoniæ & Brandenburgenſis, ac Iulius Brunſvicenſis Dux, negotium hoc vehementer urſerunt, & omnibus modis hoc egerunt, ut ab omnibus Principibus ac Ordinibus qui Auguſtanam Confeſſionem amplectũtur, eorumque Theologis, Liber Concordiæ ſubſcriptione approbaretur.*

Conventus Theologorum Magdeburgenſis Adminiſtratores propter ſubſcriptionem Libri Concordiæ.

Magdeburgi Conventus Theologorum habitus fuit, in cujus initio diverſa judicia & diſcrepãtes ſententiæ de re propoſita auditæ fuerũt: & niſi Politicorum authoritate, pietate & ſapientiâ moderata fuiſſent cõſilia, nunquã ad ſalutarem exitum res deducta fuiſſet. Plerią; enim nullis adhibitis rationibus, inſano clamore negotium egerunt, ut Suevicum ſcriptum, ob authoritatẽ eorum, qui id cuderunt, communi calculo coprobaretur. His Tribunitijs clamoribus moderate & fortiter ſe oppoſuerunt una cum D. Sigefrido Sacco *&* Maio Hallenſi, *nec non & alijs pleriſq; qui Magdeburgi & in illa vicinia docent, delecti Commiſſarij Adminiſtratoris, inprimis Cancellarius* D. Freideman , *& alij prudentes Politici. Cancellarius gravi oratione quorundam Linguæ intemperiem*

repre-

reprehendit, eosq́; inſanire dixit, quòd ad ſubſcriptionem ſponte ſe offerrent, nemine eos cogēte, nec iuſtis adhuc expoſitis rationibus, cur hoc aut illud fieri, aut non fieri debeat. Redarguit & quorūdam iuvenum Flaccianorum incivilitatem, qui non habitâ ratione Principis, cujus loco politici ſederent, neq́; moti ullâ reverentiâ erga venerandos ſenes, præceptores ſuos, pluſquam barbaricâ rabie vociferarentur de rebus nec intellectis, nec in deliberationem iuſtam adhuc deductis. Quare univerſos & ſingulos iterum ſeverè obteſtatus eſt per gloriam Dei, & cujusq́; conſcientiam, ut ſepoſitis affectibus, liberè & moderatè de ſingulis capitibus Libri conferrent, nec autoritatibus, ſed rationibus ac teſtimoniis ſacræ Scripturæ certarent, ac Principē de negotio religionis admodū ſollicitum docerent, nunquid bonâ conſcientiâ huic libro ſubſcribi poſſit. Si enim ſit ex uſu & commodo Eccleſiæ, & ex veritatis cœleſtis propagatione, ut tunc ſubſcribant: Sin verò diſtractiones maiores indè metuendæ eſſent, ſubſcriptionē differendam, & iuſtis rationibus Princip. Celſitudinem edocendam eſſe. Ordine igitur de ſingulis capitibus diſputatū fuit, ita ut plures ſe adiunxerint melioribus: qui tandem peculiari ſcripto ſententiā ſuam complexi ſunt. Inter cætera ſignificant, Se nolle, nec poſſe bonâ cōſcientiâ volumini toties mutato ſubſcribere, quò maiores diſtractiones in Eccleſiam inducantur, cùm nō adhibiti fuerint initio plures Eccleſiæ Doct. qui de plerisque rectius admonere potuiſſet. In primis verò nolle ſe, ut ſuſpectum reddatur Corpus doctrinæ Philippi, in quo multa ſint ſcripta vtilia, quibus remotis, pleroſq́; in Eccleſiam nō vtiliter alios docturos. *Oſtendunt*, non tantùm Philippi Melanthonis Locos communes primæ editionis, ſed & poſterioris à D. Luthero viſos & approbatos eſſe. *Præterea Sanctè confirmant*, à Luthero poſtremam Auguſtanam Confeſſionem, quæ Tridentino Concilio exhiberi debuiſſet, receptam eſſe, eique omnes Auguſtanæ Confeſſionis Ordines ſubſcripſiſſe. Nunquam igitur ſeparaturos ſe hæc vtiliſſima ſcripta à norma veræ doctrinæ. Adhæc non confirmaturos ſuo exemplo, ut hi duo, Philippus & Lutherus, ſeiungantur, quos Deus, tanquam organa ſalutaria, Eccleſiæ & Scholę coniunxiſſet. *In loco de perſona Filij Dei* reiiciunt & damnant Iacobi Andreę Vbiquitatem. *De adiaphoris nomine Conventus huius oblatum eſt Adminiſtratori, cuius deinceps novum exſpectant reſponſum.*

Magdeburgenſes Theologi ſubſcriptionem libri Concordiæ diſſuadent.

Eo ipſo deliberationis inſtitutæ tempore in urbem Magdeburgenſem venit nobilis Meiendorpius, *unà cum aliis, qui authoritate & potentiâ valent. Hi nomine nobilitatis literas toti Conventui inſcriptas, tanquam pomum ἔριδος, miſerunt delectis Commiſſariis, quos hortantur ad ſubſcriptionem à Theologis exigendam. Præcipuè verò incommoda, quorum Abbas Bergenſis (cuius in hac deliberatione primum votum requiſitum, & ab ipſo hoc opus egregium & aureum & ipſius autores prolixâ oratione commēdatum) meminerat, egregiè amplificârunt, ut ex compoſito egiſſe videantur. Non vocati, accurrerunt eò* D. Tilmannus Heshuſius *&* D. Kemnitius, *qui in diverſorio publice per biduum manſerunt, unde ad Abbatem Bergenſem egreſſi ſunt, haud dubiè eo conſilio, ut tanquam Gorgone terrerent meliores, ſuæ verò farinæ homines in propoſito confirmarent,* Saccus *nullius autoritate ac minis deterritus, moderatè ea dixit, quæ veritati congrua & Eccleſiaſticæ Reip. accommodata indicavit: cujus ſententiam non tantum Hallenſis Superintendens, ſed plerięq́; paſtores Eccleſiæ Magdeburgenſis, unà cum vicinis Eccleſiarum inſpectoribus probarūt. Conſentiens itaq́; horum ſuis ſentētia (ſicut antea narratū eſt) ut de ſingulis doctrinæ capitibus placidè diſputatio inſtitueretur, & victoriam obtinerent ij, qui non ſuo judicio nec authoritate aut ſuſpicionibus cæcis, ſed teſtimoniis ſacræ Scripturæ, aut firmis rationibus ſuā enunciationē cōfirmarēt.*

Theologi Magdeburgenſes nobilitati ſeſe opponunt, & in ſua ſententia perſtant.

Huic Conventui interfuerunt Iacobus Schmidlinus, Selneccerus & alij.

Ex his non obſcure intelligitur, etiam Adminiſtratorem *Magdeburgenſem hactenus ſubſcriptione libri Concordiæ conſentire noluiſſe. Quum autem, ut Languetus retulit, affinis eius,* Dux Brunſvicenſis *ad eum veniſſet, & palàm Zuinglianiſmi eum accuſâſſet, ipſiusq́; Theologos cum Zuinglianis colludere dixiſſet, tum* Adminiſtrator *metu perculſus, totius ſuæ diœceſis Paſtores Vvolmerſtadium convocatos ad ſubſcriptionem Bergenſis Sphingis adigere voluit. Inter eos initio 26. tandem autem 13. tantum reperti ſunt, qui adductis in medium cauſis graviſſimis ſubſcriptionem diu recuſarunt. Tandem tamen ipſi quoq́; ſubcripſerūt perſuaſi certis cōditionibus, reſervata præſertim ſibi libera controverſorum in libro illo articulorum declaratione ex corpore doctrinæ: Cuius tamen facilitatis ſuæ paulo pòſt pœnitentia ducti, deprehenſa præſertim impia fraude Bergenſium Patrum, factum improbare, erroreſque in Libro contentos publicè taxare cœperunt. Hæc res cùm intollerabilis videretur Patribus Bergenſibus, non deſtiterunt Adminiſtratorem incitare contra eos. Hinc factum eſt, ut Brādeburgici Theologi Schmalcaldia nuper redeuntes, Halæ M. Majum Superintendentem vocarint, ac eum eo graviter expoſtularint, inq́; ſuam ſententiam partim minis, partim promiſſis pertrahere, ſed fruſtrà omninò, conati ſunt. Itaque de eo denuò ad Adminiſtratorem querelas detulerunt, obtinueruntq́;, ut mandaretur Senatui Halenſi, de ipſo dimittendo, quod Senatus recuſavit, impetratâ ei manſione ad feſtum Paſchæ.*

Magdeburgenſes Theologi coacti tamen ſubſcribunt.

De his duobus Conventibus vir quidam doctus ad D. Ioannem Iacobum Grynæum *hæc*

ſcripſit,

ſcripſit. Vocati, *inquit*, ſunt ante menſem Theologi Adminiſtratoris Magdeburgum. In eorum Conventu propoſitum fuit, Principem velle, ut omnes demũ ſubiicerent nomina, indicatis prius erroribus, quos Divinæ veritati repugnare exiſtimarẽt. Profecta eſt hęc principis poſtulatio à *Schmidlinianis*, qui nobilitati authores fuerunt, ut Principi obedientiam & alia denegarent, ſi ſubſcriptionẽ non impetraret. Iacobęi, quòd viderent, id quod dudum magnis laboribus quęſitum tum eſſet, obtineri non poſſe, miſerunt legatos & literas ad *Iulium Brunſvicenſem*. Is à Principe Adminiſtratore impetravit alterum Convẽtum, in quo ſubſcriptum eſt. Orthodoxi dimiſſionem petierunt, quòd formula ſubſcriptionis iniquiſſima eſſet, ſed eam impetrare non potuerunt. Formula autem hæc erat: *Ego N. N. calamo & corde teſtatum facio, hunc Librum Concordiæ orthodoxum eſſe, & me in poſterum ſecundum præſcriptum huius genus doctrinæ inſtituturum populum.* Tandem quum per triduum diſceptatum eſſet magnâ contentinne, orthodoxis conceſſum eſt ut ſubſcriberent, reſervatâ integritate pro concione apertè oppugnandi & taxandi errores pandoræ, ſaltem ut mos gereretur Principi.

Formula ſubſcriptionis

Schmidlinus cum indignatione audit Serveſtæ Concionem orthodoxam.

Cùm Schmidlinus *&* Selneccerus *unà cùm* Tann à Sebotendorf *nobili viro & Conſiliario Electoris Saxoniæ Magdeburgo Serveſtam ad Principem Anhaltinum die Sabbathi, veniſſent, poſtridie in templum ad concionem Magiſtri* Abrahami Huldrychi *iverunt: quam magna cum moleſtia & indignatione audivit* Schmidlinus, *præſertim ea, quæ dicebantur de officio Ch., & de παρ' ἐξουσία datâ Chriſto ratione officii, ſeu ut Mediatori & Salvatori, quemadmodum* Nazianzenus *loquitur: item, quòd aſſerebat & coram Principe, Conſiliariis & univerſa plebe probabat,* Noſtram carnem non eſſe Deum, *ſed Mariæ tantùm Filium eſſe Deum, quod ſecundum Divinitatem, cum Patre & Spiritu Sancto einſdem eſſentiæ eſſet. Tunc enim ad Nobilem* à Sebotendorf *dicebat,* Laßt vns auß der Kirchen gehen/ von wegen dieſer Gotteslæſterung/ denn das Gebew möcht einfallen: *hoc eſt, exeamus è Templo, ne propter hanc blaſphemiam Ædificium Templi corruat. Finitâ concione Illuſtriſſimus Princeps cum* Schmidlino *de libro Concordiæ in menſa multa contulit, eoq; adegit ipſum, ut palam dixerit,* Se quidem invitum & crinibus in has regiones pertractum fuiſſe, & optare ex animo, ut nunquam pedem huc detuliſſet, cupere una cum uxore & liberis Sturgardiam redire, ſiquidem intelligat, quod Germaniæ Principibus amplius conſuli non poſſit. *Reſponſum eſt autem ei Terentianum illud,* Tute hoc intriſti, tibi exedendum eſt.

Poſt prandium cùm Magiſtro Abrahamo Huldrycho *Seperintendente Serveſtano, & Vvolfgango* Amlingo *commiſſus, non mediocriter ſudavit in ſolutione argumenti hujus:*

Diſputatio Schmidlini cum Theologis Serveſtanis.

Aut omnia Idiomata Dei communicata ſunt realiter Naturę aſſumtę, aut aliqua, aut nulla.

Sed nec omnia communicantur carni aſſumtæ realiter, ſequeretur enim Naturarum ταυτότης ſeu identitas: nec aliqua, quia eſſentia Dei eſt ἀμέριστος, id eſt, impartibilis.

Ergo nulla Dei idiomata communicantur carni aſſumptę ſecundum ſe conſideratę realiter.

Multa quidem, pro ſua loquacitate, dixit, ut explicaret argumentum, ſed tandem ad applicationem compulſus hæſit & ſudavit, aliena prorſus adferens, ut ſe quoquo modo expediret; adeò ut tandem in genere reſponderit, ſe Dialecticę oblitum eſſe, & debilem memoriam habere, velle tamen de his rebus diligenter cogitare.

Ne oberigenſibus quoque Schmidlinus perſuadere vult ut ſubſcribant, ſed fruſtra.

Advolavit etiam Schmidlinus *in autumno Anni* 77. *Nerobergam, authoritate literarum Electoris Saxoniæ munitus, petiitq; à Senatu ſibi permitti Colloquium cum Theologis Nerobergenſibus, vel publicè audientiam apud Senatum dari, in qua Librũ ſuum Concordiæ ab omnibus præjudiciis & calumniis, quibus apud multos obrui ſciret, vindicaturus eſſet. Significatum eſt autem ei à Senatu, ſe anathematiſmis & condemnationibus libri Concordiæ ſubſcribere nolle. Re itaq; infectâ, & datis ei verbis pro verbis diſceſſit. Poſtea Senatus exploravit iudicium Theologorum ſuorum de ſingulis libri capitib. Quod ubi Senatui exhibitũ eſſet, lectus eſt liber in Senatu, ut ad ſingulos deinde Articulos Theologorũ iudiciũ. & poſtea, pro more, ſuffragia rogata ſunt. Omniũ verò conſenſu ſubſcriptio denegata eſt. Diſplicuit autẽ primò proceſſus totius iſtius negotii ſanciẽdæ Concordiæ: ſecundò, reprehẽſi ſunt aliquot doctrinæ Articuli, & inter cæteros præcipuè Articulus de Aſcenſione Ch. in Cælum, & Seſſione eiuſdem ad Dexteram Patris; de Evangelij & Legis diſcrimine: de violẽta hominis, tanquã trunci & ſtipitis cõverſione: de Vbiquitate & perſona Ch. de Cœna Domini.*

Nerobergenſes quid reprehenderint in libro Concordiæ.

Cùm autem ſubſcriptiones hoc modo exigerentur, petitum rurſus fuit ab alterius partis Theologis & Principibus, ut Synodus ſeu Convẽtus indiceretur, & aliqua ſaltẽ corrigerẽtur & mutarentur in Libro, quibus ſubſcribere grave eſſet.

Synodus rurſus flagitatur à Principibus ante Formulæ Concordiæ ſubſcriptionem.

Landgravius ad Auguſtum *Electorem de hac re ita ferè ſcripſit Anno* 1578. 2. *Ian. Neceſſarium omninò eſſe, ut tam aliorum Ordinum Auguſtanæ Confeſſionis, quàm ſuæ admonitiones de Formula Bergenſi diligenter ponderentur, alioquin ut ſubſcribat Libro neminem ſibi perſuaſurum, nec finem optatum hoc Concordiæ Opus aſſequuturum. & maxima ſchiſmata cum ſummo Ordinum dedecore exoritura inde.* Adhæc, quid, *inquit,*

Landgravius ad Electorem Saxoniæ.

inquit, hoc rei eſt, quòd unicâ hac voce, *Immutata Confeſſio*, repudiamus & extenuamus eam Confeſſionem, quæ vivente adhuc Luthero locupletata, in omnibus Colloquiis propoſita, anno 61. à Celſitudine T. & aliis Electoribus ac Principibus, ſumma cum Proteſtatione approbata, & poſtea nomine omnium Ordinum *Ferdinando* Imp. exhibita, atque Anno 51. repetita & ad Concilium Tridentinum miſſa fuit? nobisque ipſis, in gratiam nonnullorum *Clamantum*, ſuum ſub hoc prætextu triumphum, ad contumeliam doctiſſimi & de vniverſa Eccleſia optimè meriti *Philippi Melanthonis* quærentium, inconſtantiæ notam inurimus, nosque omnibus deridendos propinamus? Cur item canonizatione prolixorum, & cenſurâ ac cribratione digniſſimorum, multisque in locis diſcrepantium & ſibiipſis contrariorum didacticorum & polemicorum ſcriptorum *Lutheri*, Pontificiis & aliis ſectarijs anſam nos cavillandi & calumniandi præbemus, ac ſi noſtris Confeſſionibus & publicis actionibus unicum magiſtrum & interpretem præficere, eiuſdemque doctoris cenſuræ ea ſubiicere velimus? cùm tamen Papiſtis hactenus à nobis nunquam datum & conceſſum ſit, ut ſuas opiniones ex ſcriptis Patrum, & quidem ab Eccleſia approbatorum, ſed tantum ex Sacra Scriptura, tanquam infallibili normâ probare poſſent & deberent. Quid, oro, vexatur Eccleſia Dei, quòd verba Inſtitutionis Cœnæ non pro unico fundamento veræ præſentiæ Chriſti retinentur, & Eccleſia ad dogma Vbiquitatis, univerſæ Eccleſię incognitum, ablegatur, quod multos adverſarios habet, plures conſequentias periculoſas introducit, & plurimas iam pridem ſepultas hæreſes ab orco revocat? Quid Pontificiis reſpondere vellemus, cum quibus in omnibus Colloquiis conſenſum in hoc Articulo profeſſi ſumus, ſi nos defectionis ab Auguſtana Confeſſione & priore doctrina accuſarent. Celſitudo T. credat mihi, tanquam fideliſſimo amico, novum hoc dogma Vbiquitatis non ſolùm evertere vetam præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti in Sacra Cœna, ſed etiam præcipuos Articulos Chriſtianæ Fidei. Quamobrem ſuadeo, oro & adhortor etiam Celſitudinem T. ut, unum in locum convocet omnes eos, qui cenſuras, admonitiones & judicia ſua de hoc Libro exhibuerunt; & huic Conventui non ſolùm Theologi, pluris ſuas opiniones, quàm Eccleſiæ pacem & tranquillitatem facientes, ſed etiam Politici, qui membra quoque Eccleſiæ ſunt, adhibeantur, qui Theologos freno cohibeant, & intra metas ac limites Scripturæ contineant; ne doctorum alterum Deum, alterum hæreticum proclament: noſtras Eccleſias non auditas præiudiciis ſuis gravent; exteraſque iniuſtè condemnent; ſed veſtigijs laudatiſſimorum noſtrorum maiorum inſiſtant, piorum virorum ſcriptis, quatenus cum Verbo Dei conſentiunt, nihil detrahant; ſtatum controverſiæ non mutent; novum dogma Vbiquitatis, quod ex *Lutheri* ſcriptis probare conantur, in quibus fervore contentionis multa ſatis inconvenienter tractat, Eccleſiæ unitati & tranquillitati non præferant: & decreta univerſalium Conciliorum retineant, atque curioſas quæſtiones ſub gravi pœna evitent.

Ian. 22. die Iulius *Dux Brunſvicenſis* Landgravio *ſcribit, ſibi vehementer dolere, Celſitudinem ejus multis ſuſpectam eſſe, quaſi Sacramentariis opem & auxilium ferat. Diſcrepantiam exemplarium Formulæ Concordiæ, eiuſque inconvenientias excuſare & declinare conatur. Contendit hanc vocem,* Immutata Auguſtana Confeſſio, *neceſſariò retinendam, &c.* *Iulius Brunſvicenſis ſcribit Landgravio.*

Reſpondit illi Landgravius 12. *Febr. ac teſtatur, hunc ſe ſcopum ſemper præfixum habuiſſe, ut omnia ad ædificationem dirigantur, & ſchiſmata vitentur. Zuinglianos ſe nolle condemnare: Qui contra nos non ſit, cum pro nobis eſſe. Veterem Eccleſiam nunquam condemnâſſe Novatianos, qui tamen multo plures errores defenderint, quàm de Zuinglianis probari poſſit: ſed habitos eos pro fratribus, eorùmque operâ vſos orthodoxos contra Arrianos. Se hactenus, quemadmodum & alij Ordines, intelligere non potuiſſe, quòd diſcrepantia exemplarium Formulæ Concordiæ ſublata, vel ſufficienter excuſata ſit. Sed adhuc vocem, præjudicij plenam,* Immutata, *approbare non poſſe: quòd Confeſſio Auguſtana Anno 40. vivente adhuc Luthero, gravibus de cauſis locupletata, & in multis Articulis, nempe, de Fide, Bonis Operibus, Vnâ ſpecie, Scriptura, Clericorum matrimonio, Miſſâ, Confeſſione. Delectu ciborum, Votis monaſticis, & poteſtate Epiſcoporum, longè accuratius & nervoſius, quàm in prima editione, explicata ſit, & poſt ea tempora in omnibus Colloquiis vſurpata, atque ab Electoribus & principibus apud* Ferdinandum *Imp. approbata. Fieri non poſſe, quin vox*, Immutata *Pontificiis Religionem, adeoque actiones omnes Proteſtantium ſuſpectas reddat: præſertim cùm authores Formulæ Concordiæ in aliquibus articulis prioris, & poſterioris Confeſſionis contrarium ſenſum elicere & demonſtrare conentur. Exempli gratiâ, quòd in Articulo de Cœna in mutato & emendato exemplari Latino verbum* Adſit, *& antitheſis*, Improbant ſecus docentes, *omittuntur. Item, quòd in poſteriore Apologia, pro nomine* præſens, *in priore poſito, aliud,* datur, *repoſitum ſit. Sin autem hac locupletatione & emendatione tam grande ſcelus commiſſum ſit,* Luthe- *Landgravius reſpondit.*

rum *excuſari non poſſe, qui nunquam huius mentionem fecerit, licet ſex totis adhuc ſupervixerit Annis. Locum de Tranſſubſtantiatione Papiſtica in prima Apologia, & à Luthero approbatam Palinodiam Berengarij, non poſſe in ſaniorem ſenſum detorqueri. Ad Lutheri authoritatem quod attineat, placere Celſitudini ſuæ, quòd Brüſvicenſis Princeps cenſeat, non omnia pro Canone ſeu norma recipienda, quæ minus convenienter interdum ſcripſerit; ſecundum illud Auguſtini:* Quod in eis literarum ſacrarum authoritati convenit, cum laude ejus recipimus: quod autem non congruit, cum pace eius reſpuimus. *Et ſcripta* Lutheri *tam non pro norma doctrinæ recipienda ſe arbitrari, quàm* Auguſtini *vel alterius Patris: Quòd etiam Vbiquitatem in Formula Concordiæ pro fundamento præſentiæ Chriſti in Cœna conſtitui Brunſvicenſis neget, provocare ſe ad ipſum librum Concordiæ, & citatum in eo paragraphum* Lutheri, *in quo rationibus ſeu fundamentis quatuor Omnipræſentiam Corporis Chriſti probare nitatur. Incommodas loqutiones vitandas: reliquos autem Articulos de unione Perſonali, Idiomatum Communicatione, Aſcenſione & Seſſione ad dexteram Patris commodè & dextrè explicandos eſſe. Authores Formulæ Concordiæ in plurimis ſibiipſis hactenus contradixiſſe. Hæc non parvi facienda eſſe. Si dogma Vbiquitatis admittatur, Articulos de Reſurrectione mortuorum, Cœlo & inferno multos imaginariè tantùm & allegoricè intellecturos. Ad condemnationem Zuinglianorum quod pertineat, in Auguſtana Confeſſione, verbum* Damnamus, *expreſſe quidem poſitum eſſe, ſed contra hæreticos tantùm, qui priùs in Conciliis Oecumenicis publicè auditi, & legitimè causâ cognitâ condemnati fuerint. Ad hunc verò modum cum Zuinglianis huc uſq; actum non eſſe. Si igitur Auguſtana Confeſſio ſequenda ſit, ſatis eſſe,* Improbamus ſecus docentes.

De Tangermundenſi ad Albim Conventu.

Iubentur in hoc Conventu ex Cenſuris Formulam Concordiæ emendare Theologi, ſed non parent.

C*Vm hæ aliæque Cenſuræ & judicia à multis Principibus Auguſtanæ Confeſſionis ederentur, in quibus graves & iuſtas cauſas exponebant, propter quas Librum Bergenſem, profanæ doctrinæ normam recipere, & iniquiſſimis Bergenſium calumniis & condemnationibus, contra non auditos, & causâ non cognitâ; ſubſcribere non poſſent, ideoque Synodus ſeu Conventus adhuc ab iis poſtularetur, in quo Liber Concordiæ examinaretur, in multis corrigeretur & partes litigantes ante ſubſcriptionem audirentur, Illuſtriſſimus Princeps Elector Saxoniæ* Auguſtus, *ne ſuo deeſſet officio, aliquot Theologos* Tangermandam *ad 15. diem Martii anno 78. convocavit, iiſque Cenſuras illas exhibuit, judicium eorum de iis poſtulavit, & ut librum ex iis corrigerent & emendarent in multis, ſedulò mandavit. Theologi, his acceptis mandatis, Cenſuras quidem in hoc Conventu perlegunt, & iudicia ad iis ſua ad Electores & Principes mittunt, ſed Optimi Electoris petitionem de correctione libri ambitioſiſſimo factu reſecerunt præfractè & quaſi prætoriâ lege & poteſtate edicentes, quòd ne ad latum quidem unguem, neque etiam in minutiſſimo quoque puncto, ab hac ſua recenter fabricata Concordiæ Formula, & doctrinæ norma recedere velint aut poſſint: Hæreticos, Fanaticos, Sacramentarios, & impuros Doctores, pro ſua dominandi in Eccleſia libidine, omnes eos appellantes, qui ſubſcriptionem huius ſuæ normæ pergere vellent recuſare. Nec tantùm Theologis & miniſtris, ſed etiam Electoribus & Principibus, omnem ulterioris Cenſuræ, aut correctionis & mutationis poteſtatem negârunt: utcunque illi nec pauca nec levia deſiderarent.*

Bergenſes reſpondent de prima & immutata Auguſtana Confeſſione.

Ac primò *quidem, quod ad Cenſuram & admonitionem Illuſtriſſimi Principis Ludovici Electoris Palatini attinet, ad id, quod monuit Celſitudo eius, vocabula,* prima & immutata Confeſſio, *omittenda, & ſimpliciter Auguſtanæ Confeſſionis mentionem faciendam, de quo etiam alii Principes monuerunt. Reſpondent, ſe optare & cupere, diſputatione hac de diverſitate exemplarium Auguſtanæ Confeſſionis, in iis Provinciis, Eccleſiis & Scholis, quæ huic Confeſſioni adiunctæ ſint, non opus fuiſſe, &* Philippum Melanthonem *ſic eandem immutatam reliquiſſe, ut ſcripta & publico nomine Electorum, Principum & Statuum ſemel Carolo Imp. exhibita fuerit: Cùm enim publicum ſcriptum ſit, non debuiſſe ex eo privatum fieri, multaque minùs aliquid vel in minutiſſima litera in eo mutari. Quandoquidem autem hoc factum ſit, ſe ſuo loco id relinquere, primamque immutatam Confeſſionem in hac Formula nominare, quòd ſemper ad eam Confeſſionem provocârint, quæ Anno 30. Carolo Imper. exhibita ſit. Vt igitur in veritate illam vindicare queant, nec dicant, Auguſtanam Confeſſionem Anno 30. exhibitam, quæ Anno demum 40. ſcripta ſit, meritò ſe indicare, quòd primam Confeſſionem retineant; vel hanc ob cauſam etiam, quòd Papiſtæ Proteſtantes accuſent, quòd à ſua Confeſſione defecerint, imò quòd ipſimet neſciant, quæ ſua ſit Confeſſio, ut* Cochleus *ante multos annos fecerit in peculiari libro hac de re edito, in Harmonia etiam Confeſſionis Auguſtanæ magno cum decore Proteſtantium ab adverſariis factum, & à Papiſtis ſæpius in Comitiis Imperii, Colloquiis & privatis ſcriptis, hoc ipſum quoque Proteſtantibus objectum ſit, atque adhuc hodiè à Ieſuitis obiiciatur. Adhæc omnibus notum eſſe, ut Sacramentarij ad Auguſtanam quoque Confeſſionem provocent, non quidem primam immutatam, ſed*

poſteriorem mutatam, & ſub ea errores ſuos occultent & contegant, & magiſtratus ac ſubditos in Scholis & Eccleſiis hoc pacto circũveniant, quum decimus Articulus in mutatis exemplaribus contra eos non faciat, qui in priore immutato exemplari ſic ſcriptus fuerit, ut nullus ſub eo ſe occultare potuerit. Idem etiam in aliis articulis factum eſſe, præſertim quinto, in quo Evangelium dicitur etiam eſſe prædicatio pœnitentiæ: hoc verò in immutata Confeſſione non exſtare. Has ob cauſas ſe urgere ſubinde primã immutatam Confeſſionem, & ad eam provocare, nec tamen reiicere mutatam & locupletatam: ſed relinquere ſe eam ſuo loco, nec quenquam à lectione ejus prohibere.

Bergenſium reſponſio de Transſubſtantiatione in prima Auguſtana Confeſſione contenta.

Quòd autẽ obiicitur, in prima Auguſtana Confeſſione ejusq́; Apologia Papiſticam Tranſſubſtantiationem approbari, id nihil habere difficultatis: nam in prima Apologia quorundam veterum doctorum verba allegari, quæ, etſi primo intuitu videantur confirmare mutationem panis in Corpus Ch., non tamen de Papiſtica Tranſmutatione in ſuis aliisque Eccleſiis ea intelligi, ſed tantum de vera eſſentiali diſpenſatione & mãducatione corporis & Sanguinis Ch. in Sacra Cœna. Quamvis etiam mutata & locupletata Confeſſio Vuormatiæ & Ratisbonæ in Colloquiis propoſita & uſurpata fuerit, id tamen à Pontificiis impugnatum, & Proteſtantibus pro levitate & inconſtantia obiectum fuiſſe, & adhuc hodiè obiici. Quòd item Auguſtana Confeſſio conſilio & voluntate Lutheri mutata eſſe dicatur, eo quòd hæc mutatio facta ſit vivente adhuc Luthero, id à nullo Theologo cum veritate dici & probari poſſe. Hoc autẽ certum eſſe, multos adhuc in vivis eſſe, qui teſtẽtur Luthero nullam mutationem vel Confeſſionis Auguſtanæ; vel Locorum cõmunium unquã placuiſſe, licet propterea, offẽdiculi vitãdi causâ, bellũ nulli indixerit.

A principibus autem veriſſimè dicitur Date nominandi.

De omiſſione Synergiſtarum nominis.

Secundò, Electorem Palatinum in ſua Cenſura, aliosque admonuiſſe: in Articulo de Libero arbitrio, ne mentio aliqua Synergiſtarum fiat, quandoquidem etiam Flaccianorum & ſimilium nomen omiſſum ſit in Formula Concordiæ. In tota autem illa Formula nulla perſonalia tractari, ſed tantùm dogmatica, quid videlicet verum aut falſum ſit in allegatis articulis. Nomen verò Synergiſtarum, nullius perſonæ, ſed doctrinæ nomen eſſe: Sic cùm Enthuſiaſtarum, Anabaptiſtarum, Antinomorum & Sacramentariorum mentio fiat, nullas perſonas nominari, ſed falſas & erroneas tantum doctrinas reiici: quumque Synergiſtæ & Pelagiani eundem errorem defendant, certis nominibus eos inſigniri debuiſſe, quibus agnoſci queant.

De tribus cauſis concurrentibus in converſione.

Alioquin quod ad tres cauſas concurrentes in Converſione attineat, id in Formula Concordiæ ſic declaratum & explicatum eſſe, ut nullus amplius ſcrupulus ſit reliquus. Se namque haud quaquam negare tria concurrentia, ſed tantum docere, non renati hominis naturalem voluntatem & vires non referendas eſſe inter cauſas efficientes, ſed eſſe materiam in quam, vel, cauſam materialem, & ſubiectum in quod agat Spiritus Sanctus: nec tamen hominis voluntatem ocioſam eſſe, ſed hominem audire verbum Dei, pati ſe illuminari, converti, regenerari. A quo? à Spiritu Sancto: Per quid? per Verbum & Sacramenta. Naturâ autem hominem eſſe filium iræ, & omnes eius carnales cogitationes eſſe inimicitiam adverſus Deum: quandiu Deus ex mera gratia propter Filium ſuum non det verbum & Spiritum Sanctum, inq́; nobis efficaciter operetur, nosque ut Pater Filium ducat, manere hominem Dei inimicum in æternum. Habere hominem velle, ſed nec bene nec rectè velle, neq́; etiam eſſe volentis & currentis, ſed miſerentis Dei. Deum autem dare velle. Cõmunia dicta, Deus trahit, ſed volentem: tantùm velis, & Deus præoccurrit, ex Formula Concordiæ ſatis intelligi poſſe.

Unicum tantum fundamentum in Formula Concordiæ eſſe præſentiæ Chriſti in Cœna iuxtà Bergenſes.

Tertiò, in Cenſura Electoris Palatini & aliorum hoc quoque contineri, præter verba Inſtitutionis, alia fundamenta præſentiæ vera Corpori & Sanguinis Chriſti in Cœna conſtitui non debere, ut in Formula Concordiæ fiat. Ad hoc reſpondent, unicum tantum fundamentum in Formula Concordiæ poni, conſtituẽs diſtributionẽ & mãducationem Corporis & Sanguinis Chriſti: Quod perinde eſt ac ſi dicerent, plura quidem eſſe & neceſſario poni corporalis iſtius præſentiæ fundamenta, at unicũ tantum quo continetur eius diſtributio & manducatio. Hanc autẽ illorum eſſe fallaciam, quâ ſe monitoribus ſuis illudere, & iuſtas ipſorum repræhenſiones evadere poſſe cogitarunt, ex ſcriptis Iacobi Schmidlini eſt evidentiſſimũ, ſic enim ille ex hoc præsẽtiæ & diſtributionis diſcrimine in Theſibus Tubing. theſi 55. 67. & 81. ait Quòd Chriſti Corpus in cœna adeſſe dicitur, à generali illa maieſtatis Ubiq́; præſentia, non tam reſpectu ſui quàm noſtri diſtinguendũ eſt. Itaq́; in Cœna D. non tam præſentiã, quàm diſpenſationẽ Corporis & Sanguinis Ch. agnoſcimus. Sunt enim Verba Ch. Verba diſpenſationis, ratione cujus vel adeſſe vel abeſſe dicimus Corpus Chiſti.

Quod ſi igitur iuxta hanc doctrinã verba Cœnæ corporalis præſentiæ nõ ſunt affectiva, ſed tantùm verba diſpenſationis: ſequitur hinc, nihil per hæc in Cœna D. diſtribui, ſeu diſpenſari, niſi quod jam ante, ex generali illa Majeſtatis ubiq́; præsẽtia, per unionem & modũ ſeſſionis ad dexteram, verè præsens adeſt: quod ſanè ſi rectè conſideres, nihil eſt aliud, quàm pro verò Corpore & Sanguine Ch. phantaſticas illuſiones diſpenſari. His addunt ſi Zuingliani & Calviniſtæ doctrinam de Sacramentali & Corporali præſentia, verâ diſpenſatione & ſumptione Corporis & Sanguinis Chriſti in ſacra Cœna non oppugnâſſent: factum eſſet, ut Eccleſia hoc ſimplici fundamento verborũ contẽta fuiſſet: Quia verò conati ſint verba Chriſti evertere, neceſſe eſſe ut demonſtretur, Chriſtum

veracem & omnipotentem eſſe, ideò poſſe & velle etiam præſtare quod inſtituerit & promiſerit. Hinc fieri, ut de perſona Chriſti dicendum ſit, quòd Deus & homo verus ſit, & ſedeat ad dexteram Patris omnipotentis: & hæc eſſe fundamenta confirmantia ſuam doctrinam & confutantia falſum.

Bergenſis ut ſuam Vbiquitatem ornare conentur.

Quod autem obiiciatur, huic doctrinæ admiſceri novum, inauditum, atque horrendum dogma de Vbiquitate corporis & humanæ naturæ Chriſti, quæ extenſa & diffuſa ſit in infinitum in omnes creaturas, lapides, ligna, &c. eſſe hanc malitioſam depravationem ſuæ doctrinæ de exaltatione & maieſtate Filij hominis, ſedentis ad dexteram Patris. In Formula Concordiæ Vbiquitatis vocabulum demonſtrari non poſſe. Hoc etiam nomen, quod Brentius portentoſum nomen appellavit à Sacramentariis confictum eſſe, & Lutheranis Eccleſiis affictum eſſe, tantùm ut doctrina de maieſtate & gloria Chriſti Filij hominis exſibiletur, annihiletur & reiiciatur. Se autem de hoc Articulo ſic docere, Hominem Chriſtum Mariæ Filium Humanâ ſuâ naturâ aſcendiſſe in Cœlum, exaltatum eſſe ſupra omnes cœlos, ſedere ad Dexteram Patris omnipotentis, habere omnem poteſtatem in cœlo & terra, & omnes Creaturas ſub pedibus ſuis, videre, audire & ſcire omnia. Hanc eſſe ſummam doctrinæ, quæ de perſona Chriſti & exaltatione ejus ad dexteram Dei iuxta Humanam Naturam in Formula Concordiæ contineatur. Eandem verò doctrinam de exaltatione, maieſtate, omnipotentia & omnipræſentia Chriſti, qui verus Deus & Homo indiviſè ſit, ubicunque ſit, & ubi dextera Dei ſit, & poſſit eſſe ubi velit, velitque eſſe quocunq; ſe verbo ſuo alligârit, in regno ſuo, apud ſuam Eccleſiam, in ſuis fidelibus, quomodo, quando & ubi velit, ſupra, infra, intra & extra omnes creaturas, ſecundum divinæ potentiæ promiſſionem, voluntatem & placitum, Sacramentarios appellare novo, conficto, horrendo, inaudito vocabulo Vbiquitatem, expanſionem, extenſionem, diffuſionem carnis Chriſti in omnia ſaxa, in omnes herbas: quum tamen Proteſtantium Eccleſiæ ignorent extenſionem, ſed retineant verbum Dei, Chriſti promiſſionem, Articulos fidei, & quid in hac vita intelligere nequeant, id reſervare in alteram: precidere etiam & præcavere ſe omnes curioſas & impias Sacramentariorum quæſtiones; an Chriſti caro ſit laqueus, ſtercus, &c neminem enim fidelium tam impium eſſe, qui de immenſa Deitate & dextera Dei ſic quærat & loquatur, nempe, ſi omnia impleat, neceſſe eſſe ut ſit etiam in ſtercore, diabolo & omnibus impuriſſimis locis.

Falſum. Vid. alteram par. hiſt. Sacram. cap. 3.

De phraſibus inuſitatis in Formula Concordiæ.

Quod autem phraſes & modos loquendi inuſitatos attineat, quæ in Formula Concordiæ contineri dicantur, & omitti debeant, ſe quidem neſcire quænam illæ phraſes ſint. His enim phraſibus ex Scripturis ſe uti ſolùm, Carnem Chriſti eſſe vivificam carnem: Sanguinem Chriſti nos purgare ab omnibus peccatis: In Cœna Sacra nobis exhiberi verum corpus, & verum Sanguinem Chriſti; ea propter etiam Humanam Naturam Chriſti exaltatam eſſe, & omnipotentiæ ad Dexteram Dei participem factam, carnem eius adorabilem factam, & contrarium aſſerentes anathematizari, juxta Cyrillum contra Neſtoriū & alios hæreticos. Ideoq; ſe rectè affirmare, carnem Chriſti eſſe vivificam, adorabilem, capacem & participem omnipotentiæ Dei, non quidem ex ſe, vel proprietate ſuâ naturali, vel ſeparatam à Deitate; ſed in Chriſto Filio Dei: &c. Summa, quicquid Chriſtus ſit, & in perſona Chriſti ſit, id eſſe & permanere in æternum omnipotens, ſic tamen, ut Divinitas ejus ſit Omnipotentia ipſa in ſecula ſeculorum, ſicut etiam Dei Patris & Spiritus Sancti: Humanitatem autem eius aſſumptam eſſe perſonali unione ab ipſo Filio Dei, & habitare plenitudinem Deitatis corporaliter in Filio Mariæ, cui etiam Spiritus Sanctus datus ſit non ad menſuram, ut aliis Sanctis, ſed Divinis, æternis, immenſis donis, Potentiâ & Gloriâ, quæ in ſtatu exinanitionis perfectè manifeſtata ſit, nunc autem manere in æternum ad dexteram Patris.

De verbo Damnandi in Formula Concordiæ.

Quartò, in Electoralium Palatinorum, aliorumque Theologorum Cenſuris, admonitiones etiam fieri, de verbo Damnamus, tanquam nimiùm duro, & poſtulari, ut pro eo vel Improbamus, vel Reiicimus, vel aliud mitius ſubſtituatur, ne qui fortè ab hac Concordia deterreantur. Ad hanc autem poſtulationem reſpondent Theologi in hoc Conventu congregati, Fieri hoc non poſſe abſque lethali vulnere doctrinæ ſuæ. Sacramentariorum enim errorem non amplius eſſe ſimplicem & vulgarem errorem, hominum bonorum atque docilium, ſed contumacem atque blaſphemam multarum horribilium hæreſium defenſionem, omnipotentiæ item & veritatis Chriſti abnegationem: adhac Iſagogen & præparationem ad Neſtorianam, Arrianam & Turcicam impietatem, blaſphemiam denique in Filium Dei Ieſum Chriſtum, quâ Fidei Chriſtianæ Articuli horrendum in modum pervertantur & adulterentur. Se igitur non ſimpliciter dicere poſſe vel debere, ſibi Sacramentariorum errorem non placere, ſed debere ſe Verbi Dei & Spiritus ſancti dialecto loqui, & liberè fateri, doctrinam ipſorum eſſe impiam, blaſphemam, maledictam & condẽnatam; ſicut Paulus nominet Anathema, quicquid contra Evangeliū ſit, etiamſi ab Angelo de Cœlo prædicetur: ſimiliter etiam Chriſtianos doctores olim ſemper anathematizâſſe & condẽnâſſe omnes blaſphemias & falſas doctrinas: Auguſtanā Confeſſionem quoq; condẽnâſſe non tantum falſas doctrinas, ſed etiam perſonas à quibus falſæ doctrinæ exortæ ſint: & dānare adhuc Proteſtantes Eccleſias, Manichæos, Pelagianos, Donatiſtas. Cumque in Formula Concordiæ nulla perſona

ſona vel Eccleſia, multoque minùs tota regna condemnentur (quandoquidem de perſonis ſpes habetur, fore ut ante vitæ finem convertantur & à falſis doctrinis diſcedant) ſed tantum falſa dogmata, neminem de verbis iure conqueri poſſe, de falſa namque doctrina tantum agi, perſonas verò iuſto Dei judicio relinqui. Quod autem in decimo Articulo primæ immutatæ Auguſtanæ Confeſſionis verbum Improbamus, *non* Damnamus *uſurpetur, id propterea factum, quod tunc alius fuerit rerum ſtatus. Sin autem verbum* Damnamus, *omninò ſit mutandum, & aliud mitius ſubſtituendum, fore, ut Sacramentarij mox glorientur, non potuiſſe doctrinam ſuam à Proteſtantibus condemnari, licet eam non probârint, & ſic poſteriora prioribus deteriora fore.*

Cur ad Ioh Caſimirum Palat. Formula Concordiæ non miſſa.

Quintò, *quod Illuſtriſſimis Principibus* Iohanni Caſimiro & Iohanni Georgio *Palatinis nulla Formulæ Concordiæ exemplaria ſint miſſa, nec data opera ut etiam ipſi ad ſubſcriptionem Libri Concordiæ invitentur & alliciantur, id propter Formulæ exemplarium paucitatem factum eſſe. Atque hæc illi ad Cenſuram Electoris Palatini.*

Quàm calvè De retinendo Corpore doctrinæ Philippi

Quòd verò pertineat ad Richardi *Palatini Principis ejuſque Theologorum Cenſuram, in qua moneant de retinendo Corpore doctrinæ Philippi, aliiſque ejus ſcriptis: de quibuſdam mutandis in Articulo de Libero arbitrio, de non nominandis Synergiſtis: de bonis quoque operibus, à juſtificatione hominis, quo ad præſentiam, non excludendis: Item, de Evangelij definitione, & phraſibus quibuſdam novis de Cœna Domini & Perſona Chriſti, quibus in Formula Concordiæ vtantur: Aiunt Theologi, ſe maluiſſe vivâ voce, quàm ſcripto illis reſpondere. Nam quod ad Corpus doctrinæ attineat, ſe quidem id non reiicere, ſed pro vtili & bono Libro agnoſcere, quemadmodum etiam alia ſcripta Patrum, quæ cum iudicio legenda ſint. Quòd autem Corpus hoc doctrinæ pro norma ſeu regula non habeant, id duabus de cauſis fieri. Primò, quod in eo non pauca contineantur, quæ cum doctrina Lutheri non conſentiant. Nam doctrinam de Communicatione Idiomatum ſimpliciter* formam loquendi *nominari. Dici*, quòd Chriſto reſtituta ſit Gloria Divina: *Item*, quòd vnio faciat communia nomina: *De Libero arbitrio*, quod ſit facultas applicandi ſe ad gratiam, & quòd in Davide ſit cauſa cur recipiatur: *Doctrinam de Cœna Domini ſic poni, ut Sacramentarij æque ac noſtræ Eccleſiæ eam approbare & recipere queant, quum tantùm ſpiritualis participationis mentio fiat, & in alijs ſcriptis Philippi, doceatur, quòd ſumptio ſine fide non habeat rationem Sacramenti, & quod hæc locutio*, Panis eſt Corpus Chriſti, *ſit Metonymia: qualis eſt hæc*, Faſces ſunt Imperium Romanum. *Hæc autem non ideò à ſe commemorari, quod velint extenuare ſcripta* Philippi, *qui præceptor eorum, & magni nominis vir, eximiumque Dei organum fuerit in Eccleſia & Schola, ſed ne ſcripta hujuſmodi cum verbo Dei æquentur, multo minus ei præferantur.*

Cauſa ob quas Bergenſes Theologi Corpus doctrinæ reiiciunt.

Cur non eodem modo de libris Lutheri iudicant.

Deinde ſcire ſe, & iam annis aliquot expertos eſſe, quibus dolis & fraudibus ij, qui ſimpliciter ad Corpus doctrinæ provocârint, ſub hoc prætextu Calviniſmum introduxerint & propagârint.

De libero arbitrio.. Schlüſ.

De libero arbitrio Richardi *Palatini Theologos nihil adferre, ad quod in Formula Concordiæ non ſatis reſponſum ſit, ut etiam de bonis operibus, de quibus doceant, quòd neque antecedentia, neque præſentia, neque conſequentia opera quenquam juſtificare aut ſalvare queant.*

De definitione Evangelij.

Definitionem Evangelij ſatis quoque in Concordiæ libro explicatam & declaratam eſſe. Se namque de eo loqui, quid Evangelium propriè ſit & ſignificet, nempe, prædicationem gratiæ, non pœnæ aut iræ Dei, niſi per accidens, quando vtitur Deus miniſterio legis adverſus impœnitentes & incredulos.

Landgravij cenſuram de duobus potiſſimùm admonere aiunt, videlicet, de Actis & Receſſu Naumburgenſi & Francofurtenſi: deinde, de Vbiquitate.

Calumnia de Corpore doctrinæ Philippi & mutata Aug. Confeſſione.

Quod ad præterita Acta pertineat, Magiſtratus quidem politici, Electorum ſcilicet & Principum intentionem bonam fuiſſe, reipsâ verò compertum eſſe, ut etiam ex Bremenſium Cenſura colligi poſſit, quid præcipui Conſiliarij tum quidem quæſierint & unicè ſpectârint: nempe, ut per Corpus doctrinæ & mutatam Auguſtanam Confeſſionem Calviniſmus paulatim introduceretur & occultaretur. Cumque politici quidam Conſiliarij, reſiſtentibus alijs, Naumburgi obtinuerint, ut Confeſſio Auguſtana Anno 40. ſcripta, approbaretur & reciperetur, facilè Electores & Principes intelligere, non inconſtantiæ, ſed conſtantiæ notam eſſe, quòd huic fraudi occurratur, & rurſus ad immutatam Confeſſionem provocetur.

Ad Vbiquitatem quod attineat, ſatis ſuperque ſe reſpondiſſe, ſicut etiam ad Noribergenſium Sacramentarium & Pelagianum iudicium, in peculiari ſcripto Electori Saxoniæ iam antea miſſo.

De Reginæ Angliæ petitione.

Reginam Angliæ, *ejuſque, ſicut aliarum quoque exterarum Eccleſiarum petitionem quod attineat, id tantùm ſpectari & quæri, ne Calvinianus error condemnetur, ſed latius propagetur.*

De Bremenſium, cenſura non reſponſa.

Bremenſium *Cenſuram in Conventu Tangermundenſi lectam quidem fatentur Theologi, ſed ne verbum quidem ad eam reſponderunt: tantum hortantur Electores & Principes, dent operam, ut* Bremenſes *ad approbationem libri Concordiæ, eiuſque ſubſcriptionem quoque*

quo modo pelliceant & invitent, &c. Interfuerunt huic Conventui Iacobus Schmidlinus, Nicolaus Selneccerus, Chriſtophorus Cornerus, Georgius Cœleſtinus, Martinus Kemnitius, David Chytræus, *qui etiam omnes ſubſcriptione ſuâ hoc ſcriptum approbârunt.*

Tangermundenſis reſponſio ad cenſuras mittitur Electori Palatino.

Miſit hoc ſcriptum Illuſtriſsimus Princeps Vvilhelmus Landgravius *ad* Ludovicum Electorem Palatinum *4. April. Anno 78. & ſcribit, Celſitudinem eius ex eo intellecturam, Theologos iſtos veterem ſuam cantilenam canere, & conari Electorum oculos blanditiis verborum perſtringere, ne latentem anguem animadvertant; & ab admonitionibus ſuis deſiſtant, quo authoritate illorum perrumpant, ac reliquos Principes intrare compellant. Cogniturum quoque ex hoc ſcripto Electorem Palatinum, quàm molli ac levi brachiò* Richardi Palatini, *ipſiusque* Landgravij *cenſuras utiles & neceſſarias attigerint*, Noribergenſium *autem judicium, ſine omni pudore, Pelagianum & Sacramentarium nominârint*, Anhaltinorum *verò*, Holſatorum, Pomeranorum *& aliorum ne mentionem quidem aliquam facere dignati ſint: ut qui fortè vulgares Principes indignos iudicent, cum quibus diſputare debeant, (qui mos ſit eiuſmodi ambitioſorum Spirituum) ſed authoritate hominum magis eos, quàm Verbo Dei cogendos eſſe cenſeant. Se quidem Electoribus hanc praeminentiam, vigore aureæ Bullæ, nequaquam invidere; hoc verò nullo modo etiam concedere, ac ſi reliqui Principes & Ordines debeant propterea in Religionis negotiis ſeſe illis ſubmittere, ſibique perſuaderi ab illis permittere, ut laudatiſſimorum ſuorum parentum ac anteceſſorum optimè fundatas actiones & Chriſtianas Confeſſiones, pro quibus etiam vitam fortunaſque ſuas amittere & Sanguinem profundere parati fuerint, quæque in multis Comitiis, Colloquiis & Conventibus approbatæ ſint, propter paucorum privatorum Theologorum triumphos, ſuſpectas reddant, è contra autem illorum ſomnia, novas & periculoſas phraſes, quæ tot inconvenientias contineant, approbent, tot etiam tantaſque Eccleſias, quæ ſub cruce ingemiſcant, inauditâ causâ condemnent, quum ipſi illarum judices non ſint, & hoc modo afflictis afflictionem addant. Plurimas enim cauſas eſſe, ob quas ſalvâ conſcientiâ hoc facere nequeant.*

Non pluralitate votorum, ſed veritate homines ad ſubſcriptiones adducendos.

Quòd autem Theologi arbitrentur, quandoquidem tot millia hominum ſubſcripſerint, Principes etiam cæteros pluralitate votorum ad ſubſcriptionem induci poſſe, meminiſſe bonos iſtos viros debuiſſe, non pluralitate votorum, ſed veritate verbi Dei homines ad Confeſſionum ſubſcriptiones adducendos eſſe, alioquin Pontificii iam pridem viciſſent.

Si etiam legitimum proceſſum ſervare voluiſſent iſti Theologi, debuiſſent ſubſcriptiones differre, donec Ordinibus Auguſtanæ Confeſſionis eorumque Theologis cum omnibus articulis convenisſet, tum demum enim maturè ſatis ad reliquos quoque Eccleſiarum & Scholarum miniſtros ventum eſſet.

Philippus Auguſt. Confeſſionem privata authoritate non mutavit.

Falso etiam accuſari à Theologis bonum Philippum, *quòd locupletatam & emendatam Confeſſionem Auguſtanam privatâ authoritate mutârit. Nam Anno 41. eam à Principibus in Ratiſponenſi Colloquio exhibitam, neque tamen vel à* Luthero, *vel* Brentio, *vel aliis reprehenſam fuiſſe unquam; quod tamen Theologi iſti odio Philippi obcæcati contra conſcientiam ſuam fateri nolint.*

Obijcere etiam Theologos, Papiſtas ob Confeſſionem Auguſtanam mutatam, Proteſtantes accuſaturos, quòd à Confeſſione Anno 30. exhibita defecerint. Hoc verò illis nequaquam dari poſſe: Papiſtas enim accuſatores potiùs Proteſtantes, ſi locupletatam Confeſſionem Auguſtanam condemnent, & eo pacto omnes priores ſuas actiones ſuſpectas reddant.

Prætendere quoque eodem Theologos, Zuinglianos ad mutatam Confeſſionem provocare, & ſub ea Zuinglianiſmum occultari poſſe. Sin verò ſcriptum reijciendum ſit, ad quod ſchiſmatici provocent, Scripturam quoque ſanctam reijciendam fore, ad quam omnes hæretici provocent.

An prima Apologia Aug. Confeſſionis retinenda.

Quod autem Theologi contendant mordicus, Apologiam primam de Anno 31. retinendam, notiſſimum eſſe, primam hanc Auguſtæ exhibitam & lectam quidem Apologiam, ſed à Carolo non approbatam, neque etiam typis excuſam fuiſſe, ut facilè exemplari, quod in Haſſiaca Cancellaria aſſervetur, probari poſſit. Illud eſſet obſervandum, Theologos iſtos Tranſſubſtantiationem in Apologia approbatam leviſſimè & perfunctorie tantùm attigiſſe, & ſolummodo differentiam poſuiſſe inter Papiſticam tranſmutationem, & veram ſeu realem præſentiam, diſpenſationem & manducationem Corporis & Sanguinis Chriſti. Hoc modo autem Papiſtas refutari nequaquam poſſe.

Ad Articulum de Libero arbitrio quod attineat, ſe quidem iudicare, ſatiùs tutiuſque fore, ſi is retineatur, ut in Torgenſi exemplari exſtet.

De cæteris Articulis, ac præſertim de Perſona Chriſti, & quòd Lutheri *ſcripta in multis locis diligenti cribratione digna, non pro normâ doctrinæ recipienda ſint, ſe cum Electore Palatino in futuro Schmalcaldico Conventu corã locuturum, &c.*

De Conventu Langenſalzenſi & Schmalcaldenſi.

Illuſtriſsimi Principes Auguſtus *Saxoniæ Elector &* Vvilhelmus Landgravius *Haſſiæ Anno*

Anno 78. die 23. Martii in vrbe Langenſalzen convenerunt, ut de impedimentis & remoris ſubſcriptionis libri Concordiæ tractarent, inſtinctu Iacobi Schmidlini, qui Saxonem ſubinde hortatus eſt, ut cum Landgravio hac de re ſerio agat, ſperans ſe victoria potiturũ, quæ tamen ſpes vehementer eum fefellit. Saxo adduxit ſecũ tres Theologos, Schmidlinum, Selneccerum & Kemnitium, Landgravius duo concionatores & Viceecancellarium Henricum Caniſium Iuris conſultum, qui controverſiam de Vbiquitate optimè intelligebat.

Landgraviorum Theologorum poſtulata in hoc conventu.

Placuit Principibus ut vtriuſque partis Theologi nominati in præſentia aliquot Politicorum convenirent, & de Concordiæ Libro, ejuſdem articulis, & his, quæ iis corrigenda videantur, colloquerentur. Tum Landgravii Theologi breviter ex prioribus Cenſuris Principum ac Theologorum repetiverunt, admonitiones de Immutata Auguſtana Confeſſione: Item, quod ſcripta Lutheri ſine omni diſcrimine pro norma doctrinæ recepta ſint. Quod Articulus de Libero arbitrio in formula Torgenſi tolerabilior ſit, & magis approbari poſſit, quam ut in libro Bergenſi mutatus ſit: Quod exteræ Eccleſiæ, ſub cruce gementes, nec tamen auditæ, condemnentur, & hoc modo immani Papiſtarum tyrannidi exponantur: Denique quod Vbiquitas, & quæ ex illa ſequantur paradoxa, canonizentur: petieruntque & ſummè contenderunt, ut hæc mutentur, vel ſaltem mitigentur. Ad hæc Saxonis Theologi reſponderunt, has aliaſque omnes Cenſuras trutinâ accuratè examinatas, decretumque à ſe eſſe, nihil omninò mutari vel mitigari, & ne ad latum quidem unguem, neque etiam in minutiſſimo quoque puncto ab hac Formula recedi debere. De his igitur acriter pro & contra diſputatum, & Saxonicis Theologis in faciem dictum eſt, nec juſtum nec æquum eſſe, ut ipſis ſolis, tanquam paucioribus, de tanta cauſa judicandi, Pontificiorum more, poteſtas detur, nihilominus dicti Theologi præfractè in ſua ſententia perſtiterunt, cauſantes, omnia ac ſingula non ſolùm in libro Concordiæ, ſed etiam in ipſis Cenſuris ſic eſſe ponderata, ut ne unum quidem verbum vel addi vel abiici poſſit amplius, præſertim cùm Liber iam à multis millibus Eccleſiarum Paſtoribus & Scholarum Profeſſoribus miniſtriſque ſubſcriptione approbatus ſit. Ad hoc vero reſponſum fuit ab Haſſiacis Theologis, non in multitudine ſubſcriptionum, quarum pars fraudibus ac dolis emendicata, pars minis extorta fuerit (quorum tamen vtrunque illi infeciati ſunt) ſed in Verbo Domini, ac vſitatis & receptis loquendi formis cardinem totius negotii huius verſari Atque his diſputationibus biduum integrum conſumptum fuit.

Saxonicorum Theologorum ſuperbiſſimum reſponſum.

Haſſiacorum Theologorum inſtantia.

Saxonici Theologi

Licet etiam Elector Saxoniæ haud invitus aſſentiretur, ut verba, Immutata Confeſſio, & Condemnamus, in Formula Concordiæ omitterentur, & eorum loco ſubſtitueretur, Confeſſio Auguſtana Anno 30. exhibita, & de verbo ad verbum Formulæ Concordiæ inſerta, Item, ut in Articulo Cœnæ Zuinglianorum doctrina improbaretur, & ſtatueretur, eos in hoc Articulo cum Auguſtana Confeſſione non conſentire: ut etiam retineretur Articulus de libero arbitrio ſicut primum Torgæ conceptus eſt, & de Vbiquitate manifeſte & candide declararetur, Chriſtum, vi perſonalis unionis eſſe poſſe vbicunque velit, & quocunque ſe verbo ſuo alliget, cæteræ vero de hoc Articulo periculoſæ locutiones & propoſitiones declarentur, & hæc omnia Concordiæ libro inſererentur: tamen ne hoc quidem à Theologis Saxonicis, impetrari potuit, & apud eos obtineri, ut vel parum ſaltem cederent, & vel leviſſimam mutationem, aut mitigationem admitterent: ac obiecerunt, Librum hunc à multis Ordinibus eorumque Theologis iam ſubſcriptione approbatum, ſine quorum conſenſu nihil mutari poſſit aut debeat.

ne Electori quidem Saxoniæ cedere voluerunt.

In eodem Conventu Schmidlinus Haſſiacum Superintendentem D. Meierum interrogavit, An in libro Concordiæ impia quædam dogmata contineantur, ob quæ ſubſcribere recuſent? cui hic ſimpliciter reſpondit, ſe nolle hoc affirmare. Hinc ſtatim Saxonici Theologi intulerunt, Subſcriptionem igitur eos negarè vel differre diutiùs nec poſſe nec debere. Etſi autem D. Meierus poſtea non ſolùm vivâ voce, ſed ſcripto quoque ſe declararet, quòd hoc de fundamento, quod nullius impietatis accuſet, loquutus eſſet, nihilominus ſe timere maiora & plura etiam certamina ex hoc libro oritura, quàm hucuſque exſtiterint? huic tamen reſponſo, ſeu declarationi non ſolum non acquieverunt ſuperbiſſimi iſti Theologi, ſed ne concedere quidem voluerunt, ut ea Receſſui hujus Conventus inſereretur.

Colloquium in hoc Conventu Schmidlini cum Meiero

Præterea in hoc colloquio Philippum Melanchthonem omnibus modis Theologi deformare, ejuſque vtiliſſimis ſcriptis omnem authoritatem detrahere conati ſunt; & poſteriorem Auguſtanam Confeſſionem ab eo non locupletatam & emendatam, ſed corruptam eſſe palàm dixerunt, idque cum Proteſtantium Electorum ac Principum ignominiâ maximâ.

Saxonici Theologi deformare ſtudent Philippum einſque ſcripta.

Landgravius quoque ex Luthero de tribus eſſendi modis corporis Chriſti in eodem colloquio graviter admonuit, & ut in Libro Concordiæ omittantur vehementer petiit. Nam ſi, inquit, Chriſtus locali modo, ut verba ſonant, non in Deo, vel apud Patrem, aut in cœlo eſt, ſcire cuperem, vbinam locali modo quæri aut inveniri poſſit? Item, Chriſtus dixit, Spiritus carnem & oſſa non habet, qualia me videtis habere: non dixit, ſe habuiſſe, vel per diſpenſationem aſſumpſiſſe.

Landgravii admonitio de tribus eſſendi modis Lutheri, & colloquium cum Saxonicis Theologis.

Ad

docet. *Landgravius autem.* Ego, *inquit*, probo veſtram Ubiquitatem, ſiquidem ita docetis, ut tu nunc declaraſti.

Landgravius ſuadet generalē Synodum Schmalcaldiam convocādam, ed à Saxone Schmidlini inſtinctu repudiatur.

Cum itaque inter Principum Theologos de controverſis articulis conveniri per omnia non poſſet, & tamen ſpes aliqua conciliationis affulgeret, Landgravius, *etſi non diſſimularet ſe Ubiquitatis dogmatis non amplexurum: magnopere tamen Electori Auguſto author fuit, ut* Schmacaldiam *primatis, non tantum Germaniæ, ſed aliarum etiam nationum Theologi evocarentur, qui librum Concordiæ, priuſquam ſubſcriberetur, examinarent, excuterent & ventilarent. Hoc conſilium, tametſi placuerit tum quidem Electori, non ita multo poſt tamen* Schmidlini *impulſu plane repudiavit, perſuavitque Landgravio, ut ad 7. diem Iunii Conventus generalis Schmalcaldiæ indiceretur ad quem etiam convocarentur Theologi reliquorum Electorum, Principum & Ordinum, qui Auguſtanæ Confeſſionis eſſent, & a* Schmidlino *nominaretur. Huic igitur cum ſuis ſociis placuit, ut mittat ad hunc Conventum Elector Palatinus*, D. Zimmermannum & M. Stolzium, *Ubiquiſtas: Elector Saxoniæ* D. Iacobum Andreæ, *cognomento Schmidlinum*, D. Martinum Kemnitium, *& ſuo & Ducis Brunſvicenſis nomine, ac* Nicolaum Selneccerum *Ubiquitatis patronos: Elector Brandenburgenſis* D. Andræam Muſculum, *&* Andræam Celichium, *Ubiquiſtas: Richardus Palatinus unum Theologum: Vuilhelmus Landgravius* M. Mejerum, Chriſtophorum Grafium *Ubiquiſtam, &* D. Nicolaum Rodingum: *Ludovicus Landgravius*, D. Sohnium, *vel alium: Mechelburgenſis Princeps* D. Davidem Chytræum *&* D. Simonem Pauli, *Ubiquiſtas: Adolphus Dux Holſatiæ* D. Paulum ab Eizen: *Iohannes ſenior, & Ioannes junior Saxoniæ Duces unum Theologum: Anhaldinus Princeps Paſtorem Deſſavienſem: Vuolffgangus Dux Brunſvicenſis & Luneburgenſis* D. Ioannem Schelhamerum *Ubiquiſtam: Vuilhelmus Dux Brunſvicenſis & Luneburgenſis* Hectorem Friderici *Ubiquiſtam: Philippus Ludovicus & Iohannes Palatini fratres* D. Philippum Heilbrunnerum *&* M. Abramum Manne, *Ubiquiſtas: Georgius Fridericus Marchio Anſpacenſis* M. Adamum Franciſcum *Superintendentem Anſpacenſem, &* D. Iohannem Streitbergerum *Superintendentem Culmbacenſem, ſubſervientes: Marchio Badenſis* Rupertum Durſt, *ſubſervientem: Ioachim Fridericus Marchio Brandenburgenſis & & Adminiſtrator Magdeburgenſis* M. Prætorium *aulæ concionatorem: Vuittenbergenſis Dux* M. Balthaſarum Bidenbachium *Præpoſitum Stutgargiæ, &* Lucam Hoſiandrum *Ubiquiſta: Hennebergenſis Comes* Abelum Scherdingerum *Superintendentem, ſubſervientem Pomeraniæ Duces* D. Rungium *Ubiquiſtam: Civitates Lubeca, Hamburgum* M. Andream Pouchenium *Superintendentem Lubecenſem Ubiquiſtam: Brunſvicenſis Civitas Theologorum: Bremenſes* M. Iodocum *cum alio Ubiquiſta: Noribergenſes* D. Kauffmannum *Flaccianum: Ulmenſes* D. Ludovicum Rabum *Ubiquiſtam: Argentinenſes* Iohannem Marbachium, *vel* M. Florum *Ubiquiſtas inſignes: Francofurtenſes* D. Matthiam Ritterum *Ubiquiſtam.*

Schmidlinus ſuadet conventum Theologorū Aug. Confeſſionis Schmalcaldiæ indicendum. Nomina Theologorum Schmalcaldiam cōvocandorum.

Theologis adjungendi politici.

His adjunguntur quatuor Politici, Electoris Palatini, Saxoniæ, Brandenburgenſis, & Vuilhelmi Landgravii, qui Theologos ad fraternam charitatem & concordiam hortari debuerunt, utque ſingulos articulos Libri Bergæ emendati in timore Domini examinent, de unoquoque ſententias ſuas dicant, ſic, ut intra terminos libri Concordiæ maneant, nec ulla perſonalia immiſceant, dicentes ſuas ſententias benigne audiant, errantes, vel hæſitantes cum manſuetudine erudiant, & veritati ſinguli cedant.

Schmalcaldicus Conventus eventum nullum habuit.

Cum autem de modo & proceſſu hujus Synodi vel Conventus Electores, Principes & reliqui Auguſtanæ Confeſſionis Ordines diverſas haberent ſententias & inter ſe diſcrepantes, factum eſt, ut res hæc eventum nullum habuerit. Diſplicuit multis modis, quòd pauci Theologi iſti iſta Synodo deberent eſſe actores, cenſores, accuſatores & judices, contra omnes Synodorum proceſſus & morem uſitatum. Fuerunt etiam, qui judicarent, neminem prorſus condemnandum eſſe, qui non prius ſit auditus, & erroris ex ſacra Scriptura convictus, nec ſatis etiam de Colloquii præſide in hac Synodo conveniri potuit. Conditiones quoque honeſtæ & æquæ ab Electore Palatino propoſitæ, Schmidlino, *lucifugæ, non placuerunt. Voluit enim Elector, ut aliarum quoque nationum Theologi convocentur, priora acta omnia reſcindantur & revocentur, de Concordia in Eccleſia conſtituenda novo deliberetur, omnia præjudicia auferantur, & ut libertas dicendi his ſalva eſſet, qui conventuri eſſent: quæ de re graviter admodum ad Electores Saxoniæ & Brandenburgenſem ſcripſit 1. Maii Anno 78.*

Electoris Palatini optimum conſilium

CAPUT XXII.

Quæ Langenſalzenſem Conventum proximè ſecuta ſint de ſubſcriptione Libri Concordiæ

Ioannes Bipontinus urgetur de ſcriptione.

AVguſtus *Saxoniæ Elector monet & hortatur* Ioannem Palatinum *Principem primo quoque tempore ſubſcriptiones libri Concordiæ ad ſe in originali mittat. Idem etiam*

T *facit*

facit Philippus Ludovicus *Palatinus*, *mittitque ad fratrem* Ioannem 16. *April.* Petrum Agricolam, *ut ſubſcriptionem urgeat: ſed quo vehementius illum urſerunt, eo fortius ille reſtitit. Convocat etiam præcipuos ſuos Theologos ad 29. diem Aprilis: In hoc Conventu prælecta & examinatæ ſunt Cenſuræ & Iudicia de libro Concordiæ, Magdenburgenſium, Heſſhuſii, Adolphi Ducis Holſatiæ Theologorum, Anhaldinorum, Simmeriorum, Landgraviorum, Landgravii Vuilhelmi literæ ad Nerobergenſes, & Nerobergenſium reſponſio, Reginæ Angliæ interceſſio de Condemnationibus non auditarum Eccleſiarum, &c. Proteſtatus etiam eſt* Princeps Ioannes, *ſe quidem cupere inchoatum Opus Concordiæ promovere, ſed tamen velle quoque, ut harum & aliarum cenſurarum ratio habeatur. Ex his cùm intelligeret* Agricola, *ſe nihil, vel parum obtinere poſſe, dimiſſionem petiit, quàm facile impetravit. Reſpondit etiam fratri* Philippo Ludovico 20. *Maii, ſe daturum operam, ut conſtans & firma Concordia ineatur: quia vero hæc res magni momenti ſit, & aliquot Ordines generalem Conventum petant ſe eouſque ſubſcriptionem ſuam differre & aliorum quoque judicia audire & ponderare velle.*

Bipontinus in Conventu ſuorũ Theologorum cenſuras Formulæ Concordiæ ponderat.

Iacobus Heibrunnerus *mittit* 15. *Maii* Ioanni Palatino, *ſuam reſponſionem ad judicia ſeu Cenſuras Libri Concordiæ Simmeriorum, Holſatorum, Landgraviorum, Anhaldinorum, Magdeburgenſium, Noribergenſium: Item, de Immutata Auguſtana Confeſſione, Electore Palatino, Regina Angliæ & Condemnationibus exterarum Eccleſiarum.*

Heilbrũnerus ſcribit Bipontino de literis Formulæ Concordiæ.

Inter alia multa hæc quoque nonnullos abſterruit, quo minus Formulæ Concordiæ ſubſcriberent, quod in ea, ut ſuprà quoque ex plurimorum judiciis & Cenſuris intelleximus, omnia Lutheri ſcripta, ſine diſcrimine tam polemica quàm didactica, canonizentur, & ut verbum Dei, pro Norma doctrinæ obtrudantur. Illuſtriſſimum ergo Principem Saxoniæ Electorem Landgravius Vuilhelmus, *rurſus de hac re, ſcandali plenâ, Anno* 78. 5. *Idus Maii amicè monuit in hanc ferè ſententiam:* Maiores noſtri humanorum ſcriptorum multitudine nimiùm obruti & occupati, & proinde in denſiſſimas Humanarum Traditionum tenebras acti præcipites, ac in idololatriæ & errorum abyſſum demerſi, ſanam Evangelii & Verbi Dei doctrinam, quin etiam ipſum Filium Dei & Servatorem Ieſum Chriſtum, penitùs ferè amiſerunt, uſque dum Deus ultimis temporibus Verbi ſui radios mundo rurſus affulgere paſſus eſt. Omnibus quoque notiſſimum eſt, quanto conatu, ſtudio & labore *Lutherus*, *Melanthon*, *Brentius* & alii his ſimiles, pietate ac eruditione hinc inde præſtantes viri ſtuduerint, mundum à Traditionibus, hominumque ſcriptis ad ſacra Biblia, & conſequenter ex lacunis ad fontes Iſraelis limpidiſſimos deducere. Et Lutherus ipſe, vir ſingularibus donis ornatus, de ſuis ſcriptis, ex Spiritus ſancti haud dubie inſtinctu, ſæpe optavit, ut ea omnia pereant, modò humano generi ſola Biblia integra & incorrupta maneant. Quemadmodum enim Patres fere omnes, qui poſt Apoſtolorum tempora ſcripſerunt, ſuas quaſdam opiniones parum commodas, quin etiam ſæpe abſurdas, & ſuos quaſi nævos habuerunt: Sic ipſe quoque Lutherus fuit & manet homo, eiuſque ſcriptis multa abſurda, & incommodè dicta inſunt, quæ neque in Eccleſiaſtica neque Politica Repub. approbari & recipi queunt, quæque Staphylus & Ieſuitæ excerpunt, & ſuo propoſito egregie accommodant. Quamobrem in tam arduo & gravi Concordiæ negotio quod ad omnes ac ſingulos Chriſtianos pertinet, nec Lutheri, nec cujuſvis privati hominis ſcripta tanti æſtimari poſſunt ac debent, ut pro doctrinæ Norma habeantur, & in pari ferè dignitatis gradu cum ſacris & ab omnibus Chriſtianis Eccleſiis approbatis receptiſque ſymbolis, quin ipsâ etiam Auguſtana Confeſſione collocentur, ſicut in Concordiæ Libro fit, in quo ſcripta Lutheri omnia tam polemica, quàm didactica, ſine omni delectu approbentur, iiſque Cenſura Auguſtanæ quoque Confeſſionis ſubijcitur, in nullum quidem alium finem, quàm ut prodigioſum illud Ubiquitatis dogma, & quæ inde manant pernicioſiſſima paradoxa, in Eccleſiam Chriſti introducantur, & aliquo ſaltem fuco & colore ornentur quæ non ſolum Lutherum, ſed ipſos quoque Libri hujus authores in tranſverſum egerunt. Quamvis autem, ad Lutheri ſcripta quod attinet, eiuſmodi adhibetur Reſtrictio, quâ cavetur, ne ea, niſi Verbo Dei conſentiant, recipiantur: eadem tamen Proteſtatione, ſancta & ab omnibus recepta Symbola, nec non Auguſtana Confeſſio ipſa, veluti ſcriptum publicum, recipiuntur & ſic prolixa illa, criboque digniſſima ſcripta Lutheri; ad eundem dignitatis authoritatiſque gradum evehuntur. Hac verò ratione cujuſvis ſcripta, etjam incommodiſſima & abſurdiſſima quæq; recipi poſſunt. Quis autem in jam multis, tamque prolixis ſcriptis, ſimplicioribus diſcrimen indicaturus eſt, quæ videlicet cum verbo Dei conveniant, quæ non? Et quemadmodum Ubiquitiſtæ hodiè ſuas propoſitiones defendunt ac Illyricus ſuum errorem. *Quod peccatũ ſit ſubſtantia*, confirmat multis locis ex Lutheri ſcriptis: ſic complures in poſterum quoque erunt, qui, illuſtrandi nominis ſui, vel pertur-

Landgravii admonitio ad Saxoniæ Electorẽ de canonizatione librorum Lutheri.

perturbandæ potius Eccleſiæ cauſâ, in ſuis libris idem facturi ſunt: In verò magna haud dubiè, non minus de interpretandis libris Lutheri, quàm Scripturæ ipſius exorietur contentio. Salzæ, ubi noviſſimè cum Iacobo Schmidlino & Selneccero, de peculiaribus nonnullis, in Libro Concordiæ allegatis locis, nempe, de Nativitate, & Chriſti poſt Aſcenſionem corpore, contulimus, Celſitudo T. coram audivit, quàm inconſideratas & Cenſurâ digniſſimas ſolutiones dederint: Alter enim eò devenit, ut Chriſtum non ſecundum ordinem naturæ conſuetum, inſtar aliorum infantum ſed miraculoſe, & illæſo matris utero, in lucem hanc prodiiſſe aſſeruerit: alter verò rogatus à me, ſiquidem ex dicto Lutheri in Libro Concordiæ poſito, Chriſtus locali modo apud Deum non ſit, & tamen, quin, poſt Aſcenſionem carnem & oſſa habuerit, negari non poſſit: an & ubi poſt reſurrectionem & aſcenſionem localiter agat? reſpondit, per diſpenſationem hoc eum aſſumere & exhibere poſſe, ſi velit. Hæc verò verba aliter non poſſunt accipi, quàm Chriſtum non hoc jam propriè, ſed aſſumptivè tantùm habere: Cùm tamen Scriptura, & Chriſtianæ fidei articuli ſimpliciter doceant, Chriſtum à Spiritu ſancto quidem in utero matris conceptum, & ſic quidem miraculosè; Nativitatem verò eius juxta leges Naturæ factam eſſe: *unde Mater Dei, vi hujus Legis* Omnem maſculinum adaperiens vulvam, *conſueta munera in templum attulerit: Chriſtum etiam eſſe, veram ſuam reſurrectionem ſeque non eſſe ſpiritum, ſuas monſtrando manus & pedes, hiſque apertiſſimis verbis,* Spiritus carnem & oſſa non habet, quæ me hic videtis habere, *(& non, ut illi fabulantur, per diſpenſationem aſſumpſiſſe) aſſerit: Scriptura etiam & fidei articuli teſtantur, Chriſtum eodem modo quo aſcendit in cælum, in noviſſimo die reverſurum eſſe. Atque hæc quidem ei ego potiſſimum de cauſa expono, ut inde Celſitud. T. intelligat, quàm pernicioſæ & Chriſtianæ fidei ſimplicitati periculoſæ implicationes & perturbationes inde ſequi ſoleant, ſi nimium in ſcripta hominum immergamur. Quòd ſi eiuſmodi errorum caligines & tenebræ inter eruditiſſimos exoriri poſſunt, quid de hominum vulgo, ſi in immenſum hoc ſcriptorum pelagus abripiatur, ſentiendum erit? Quare denuò Celſitud. T. Brandeburgicum & cæteros Principes, qui operam ſuam huic Sancto Concordiæ negotio conferunt, animo Chriſtiano & candido, monitos, & rogatos unicè cupio, ut Opus hoc tanti momenti, prudenter & circumſpectè procuretis: id publicum & univerſi orbis Chriſtiani Opus eſſe memineritis, quod Cenſores quam plurimos habiturum ſit: non ergo ad privatorum hominum judicia, ſed juſtiſſimam & infallibilem divini Verbi amuſſim id dirigatis; curioſas, non neceſſarias, in Verbo Dei non revelatas quæſtiones & propoſitiones, quæ, Paulo teſte, utilitatis nihil, contentionis autem plurimum pariunt, vitetis & incidatis: utque Theologi ſe intra fines & phraſes receptæ & approbatæ doctrinæ contineant, & hæc, aliorumque Ordinum poſtulata & admonitiones, ex ſyncero animo profectas, diligenter expendant, ac juxta eas hoc totum Opus dirigant, &c.*

Pezelius in Narrat. de Calviniſtarũ doctrina in negotio Cænæ, &c pag. 227. &c. Ad Auguſtum Sax. Electorem litera Iohan Caſimiri Palatini de Formula Concordiæ.

Eodem tempore, die nimirum 10. *Maii anni* 78. *ad Electorem Saxoniæ* Auguſtum *Illuſtriſſimus Princeps* Ioannes Caſimirus Palatinus *de Concordiæ Libro hæc ſcripſit:* Principio, nullo modo dubitamus, Celſitudinem T. & reliquos Electores ac Principes hoc Opus Concordiæ ex Chriſtiano & pio animo tractare, quemadmodum & nobis in tota vita noſtra nihil gratius & jucundius accideret, quàm ſi talis Concordia iniri & conſtitui poſſet, quâ Dei gloria & veritas promoveretur & propagaretur, omneſque erroneæ opiniones tollerentur, & ſic Pontificiis, veram noſtram & indubitatam religionem calumniantibus, os occluderetur. Valdè autem metuimus, hanc quæ à Theologis Celſitudini. T. aliiſque monſtratur, viam non eſſe, quâ ad talem ineundam Concordiam perveniri queat: timemus etiam, ne contrarium eveniat, potiùs, & Celſitudo. T. in talem labyrinthum perducatur, ex quo vix ſe explicare tandem poſſit. Quandoquidem nobis aliiſque multis omninò videtur, hanc Concordiam à Theologis eam ob cauſam ſolùm apud Celſitud. T. & alios Principes urgeri maximè, ut Calviniſtæ, quos ſic vocant non auditi, & ſine omni præcedente legitimâ cauſæ eorum cognitione, condemnentur. *Deinde*, ut ſub nomine & titulo Auguſtanæ Confeſſionis & Majeſtatis divinæ nova & hactenus incognita doctrina de Vbiquitate Corporis Chriſti in Eccleſias & Scholas introducatur. *Tertiò*, ut omnia Celſitud. T. aliorumque Electorum Principum & Ordinum Auguſtanæ Confeſſioni adjunctorum Acta, ante & poſt Lutheri mortem, Confeſſiones, Receſſus, Conciliationes, & unanimi conſenſu approbata ac publicata ſcripta in dubium vocentur & ſuſpecta reddantur. *Quartò*, talem proceſſum & modum agendi, ad obtrudendam ſuam concordiam & extorquendas ſubſcriptiones à Theologis uſurpari, qui in Eccleſia Chriſti ſit inuſitatus, & à Proteſtantibus ſemper in Pontificiis reprehenſus, qui hucuſ-

Theologi Bergenſes quibus ſub prætextu Concordiæ quærant.

que ſemper liberum & legitimum Collo-
quium denegarunt. Ex his omnibus facilè
intelligitur, ex hoc Concordiæ opere ni-
hil aliud, niſi majores diſtractiones, diſſidia,
& diſcordias, quàm hucuſque exſtiterint
ſequuturum. Nec aliud quidquam ſibi per-
ſuadere debet Celſitud. T. quàm majorem
partem Theologorum hunc librum oppu-
gnaturam, ſi in lucem edatur & in manus
hominum veniat. Facient hoc multi ex ip-
ſis Auguſtanæ Confeſſionis ſociis, qui non
omnes, ut putatur, & Celſitudini T. à Theo-
logis fortè perſuaſum eſt, hunc librum ſub-
ſcriptione ſuâ approbabunt, ſed novum do-
gma de Ubiquitate improbabunt Facient
idem, quos in hoc libro Calviniſmi nomi-
ne adoriuntur Theologi, eoſque, ſpretâ
omni provocatione ad generalem, liberam
& legitimam Synodum, condemnant, nec
non hæreſεων, falſæ doctrinæ & multorum
errorum falſiſſimè accuſant, qui tamen non
ſolùm cum ipſorum ſententia & Confeſ-
ſione non conſentiunt, nec ex ea ſequuntur,
ſed potiùs cum illa ex diametro pugnant,
ut Proteſtationes eorum multæ & Apologiæ
evidentiſſimè probant. Hi injurias & ca-
lumnias ſibi intentatas à ſe depellent, ſe-
que & ſuam doctrinam coram toto mun-
do excuſabunt. Eo ipſo verò liber iſte
multarum calumniarum, falſitatum & er-
rorum convincetur & coarguetur, inque
ſummum contemptum adducetur: quod
etiam non ſine incredibili diminutione re-
putationis Celſitudinis T. & reliquorum
Electorum, Principum ac Ordinum fiet,
quorum nomine & authoritate Theologi
veſtri in toto hoc Opere impudenter abu-
tuntur. Facient hoc quoque Ieſuitæ & Pa-
piſtæ, qui jam ante publicè contra Ubi-
quitatem, tanquam damnatam opinionem
& hæreſin ſcripſerunt. Facient denique
id ipſum illi etiam, qui vel metu, vel aliis
de cauſis inconſideratè libro ſubſcripſerunt
ſi meliora edocti fuerunt. Atque ita om-
nes, imò ipſi authores libri Concor-
diæ, & qui ei ſubſcripſerunt, ſe mutuò con-
vitiis, calumniis & ſcriptis atrociſſimis, cum
magna religionis noſtræ ignominia, infa-
mia & dedecore proſcindent & lacera-
bunt.

Poſt hæc Princeps Caſimirus *in eodem ſcri-*
pto tria media proponit, quibus, ſuo quidem *Media quibus vera cōcordia & pacis conſuli poſſet*
judicio, tranquillitati & paci reformatarum
Eccleſiarum conſuli poſſet. Quandoquidem
inquit, Theologi, qui hoc Concordiæ o-
pus tantopere urgent, in hoc ſolùm in-
1. cumbunt, ut Calviniſtarum, quos ſic vo-
cant, doctrina exſtirpetur radicitùs, pro-
xima fortè ad Concordiam via eſſet, ſi re-
ciperetur illa Concordia, quæ Anno 36.
inter Lutherum, & Helveticas, aliaſque
ſuperioris Germaniæ Eccleſias inita & con-
ſtituta eſt, & hoc medio Concordia inter
Auguſtanæ Confeſſionis & exterarum Ec-
cleſiarum Theologos quæreretur. Hanc
Concordiam aſpernari non poſſent, qui
Lutheri doctrinam propugnant, cùm Lu-
therus ipſe eam approbârit, quoque eam
ſervare velit ſanctè promiſerit. Similiter nec
alterius partis Theologi eam reijcerent,
quum utriuſque partis prædeceſſores & præ-
cipui Theologi ei ſubſcripſerint. Hoc me- 2.
dio, condemnationes, iniuriæ, & clamo-
res calumniæ utrinque tollerentur. Sin au-
tem alterutra pars hoc medium nec proba-
re, nec reci, ere vellet, ne cui injuria fie-
ret, aut ſine præcedente cauſæ ſuæ legitimâ
cognitione condemnaretur, tunc à Celſitu-
dine T. aliiſque Principibus liberum Col-
loquium inter Germanicæ nationis Theo-
logos inſtitui poſſet, quod nullus veritatis
amans & lucem non fugiens recuſare aude-
ret. Quod ſi ne hoc quidem Celſitudo T. 3.
arbitratur apud non Theologica capita ob-
tineri poſſe, ne doli & fraudes eorum, quibus
hominum oculos & mentes faſcinare ſolent
toti mundi manifeſtentur, conſultiſſimum
foret, ſi majores noſtros ſequeremur. Cùm
enim inter Electores, Principes & Ordines
Auguſtanæ Confeſſionis, ac Papiſtas nec per
colloquia, nec per Concilia Conſenſus ul-
lus in Religione conſtitui & iniri poſſet,
tandem Religionis pax publica inter eos,
qui tamen in fundamento diſſentiunt, con-
ſtituta & ſancita eſt, &, ne Religionis
causâ cuiquam utrinque moleſtia ulla cree-
tur, decretum. Sic etiam inter utranque
partem hodiè, quæ in fundamento ſalu-
tis conſentit, pax ejuſmodi ſanciri poſſet,
ſi condemnationes, tribunitiæ conciones
& calumniæ prohiberentur, decretum-
que fieret, ut neutra pars alteri moleſtiam
aliquam crearet, ſed eam benignè tollera-
ret, &c.

Interea verò nec Authores Formulæ Con- *Bergenſes contra urgent ſubſcriptiones.*
cordiæ quieverunt, ſed ad Electorem Saxo-
niæ ſcripſerunt 28. *Maii, ſeſe omnes quidem*
Cenſuras legiſſe, & Extractum ex iis conſcri-
pſiſſe qui Libro præfigendus ſit, ex iiſdem ve-
rò ſimul ſe intelligere, multos Theologos non
eſſe ſanos & puros, idemque de Principibus &
magiſtratibus eorum metuendum. Si re infectâ
diſcedendum eſſet, id Pontificiis & Sacramen-
tariis longè gratiſſimum futurum: Subſcriptio-
nes igitur apud Principes & magiſtratus quoque
modo urgendas eſſe.

Contra verò Landgravius Vuilhelmus *in li-* *Landgravius Conventum urget.*
teris ad Electorem Palatinum eodem tempore
Conventum

Conventum urget Ordinum Auguſtanæ Confeſſionis, in quo de Formula Concordiæ deliberetur: nam & Fabricatores hujus Formulæ ſæpe convenire, literis ſe invicem compellare, & varias practicas fabricare. Ad Articulos Dreſdenſes quoque paucis reſpondet: 1. de Excommunicatione in Eccleſiam introducenda, cui omnes pariter ſubjecti eſſe debeant: 2. de generali Superintendente, ſeu Papa Lutherano eligendo, & Conſiſtorio conſtituendo: 3. de Inquiſitione in ſuſpectos inſtituenda: 4. de Scholis contrahendis.

Ioan. Bipontinus in conventu ad Montis tabernas Theologis ſuis Formulam Concordiæ examinandã proponit. Iudicium de libro Bergenſi.

Conventum etiam egit Illuſtriſſimus Princeps Ioannes Palatinus ad Montis tabernas (Berg-zabern) 3. Iulii & ſequentibus aliquot diebus in quo liber Concordiæ à capite ad calcem totus prælectus, ſingula verba & phraſes diligenter examinatæ, & inducia ſeu cenſuræ de illo non oſcitanter ponderatæ ſunt. In hoc Conventu Illuſtriſſimus multa Theologis in præſentia politicorum expendenda propoſuit. Ad quæ illi reſponderunt, titulum nec libro, nec librum titulo reſpondere. Titulum hoc velle, quaſi omnes controverſiæ ex Auguſtana Confeſſione ortæ ſint. Sic igitur emendandum Inter Theologos, qui hactenus Auguſtanam Confeſſionem amplexi ſunt: Vel, De aliquot articulis, de quibus in Eccleſiis, Auguſtanam Confeſſionem amplectentibus, controverſia orta eſt. Aliàs omnibus ſectis: quarum in hoc libro mentio fiat, licere ſe hoc libro defendere.. Deinde corrigenda eſſe hæc quoque verba, Credimus & docemus, Cum enim liber iſte nomine Ordinum publicari debeat, docere autem Theologorum ſit, pro verbo docemus ſubſtituendum, docere permittimus. Teſtimonia ex ſacris literis citata ad verbum deſcripta eſſe debere. Catechiſmum Lutheri majorem privatum ſcriptum eſſe, multiſque erroribus refertum. Poſſe melius ex Bibliis & ſcriptis Melanthonis controverſias dirimi, quàm ex iſto libro. Omnes iſtas controverſias ex Auguſtana Confeſſione ortas. Propter laicos non tam varias formas & Confeſſiones introducendas, ad vitandam dubitationem, & confuſionem. Simplices incertos reddi, quænam ſit vera Auguſtana Confeſſio. Melius etiam eſſe in Latina lingua hunc librum tantum edi. Novas & inuſitatas phraſes hujus libri in ſuggeſtu ad populum perventuras. Librum nimis eſſe prolixum. Nullam rationem infirmorum illo haberi. Multa adſcribi Auguſtanæ Confeſſioni, quæ in illa non contineantur. Conſtantinus Imp omnia ſcripta polemica in ignem abjeciſſe. Lutheri libros omnes in hac Formula canonizari, & contrà Philippi damnari. Multa dogmata in hoc libro reijci, quæ adhuc ſint dubia nunquam legitime damnata. Non ubique illa dogmata ſparſa, quapropter non omnes Eccleſias iiſdem perturbandas. Multas in hoc libro eſſe phraſes Verbo Dei cõtrarias. Falſam quidem doctrinam reijciendam, imò condemnandam, ſi falſitatis convicta fuerit: & tunc etiam eâ modeſtiâ damnandam, quæ in Auguſtana Confeſſione reperiatur Authores hujus libri ſuas privatas opiniones hoc libro canonizare cupere, ſuamque magis exiſtimationem & gloriam, quàm publicum commodum, & communem utilitatem quærere. Articulum de Perſona Chriſti aliis ferè omnibus poſtpoſitum eſſe, quibus tamen meritò præponi debuerit. Nullam Philippi in eo mentionem fieri. Si novum Corpus Doctrinæ componatur & edatur, Pontificios calumniaturos. Proteſtantes hactenus verâ & certâ doctrinâ caruiſſe. Si tam multa corpora doctrinæ componantur, infirmos offendi. Philippum ex privatis affectibus reiici. Sufficere Bibliorum Codicem & Symbola, tanquam lydium lapidem. Damnato Philippo, fore qui liberum hunc etiam damnent. Majorem & minorem Lutheri Catechiſmum ſibi invicem contradicere. In minori Exorciſmum improbari. Phraſin quoque hanc, Immutata Confeſſio omittendam: Exemplar Auguſtanæ Confeſſionis Corpori doctrinæ inſertum retinendum: provocandum etiam non tantum ad exemplar Anno 30. Carolo Imp. exhibitum, ſed etiam ad id quod Ferdinando & Maximiliano Impp. oblatum fuit. Ad Lutheri, tanquam privati hominis ſcripta, non provocandum. Vocem Realiter intra quindecim demum annos in hac cauſa excogitatam. Articulos de peccato Originali, Libero arbitrio, Iuſtitia fidei, Bonis operibus, Lege & Evangelio, Cœna Dominica, Perſona Chriſti, Deſcenſu ad inferos, Ceremoniis & Prædeſtinatione omnino corrigendos.

Ioan. Bipontinus urget conventum.

Menſe Iulio Ioannes Palatinus in literis ad Ludovicum Electorem Palatinum petit, ut Conventus Theologorum agatur, cujus jam diu ſpes facta ſit, in quo liber Concordiæ diligenter examinetur. Reſpondet ei Elector 18. Iulii, hunc Conventum multa obſtacula retardare. Urget igitur 10. Auguſt. apud Electorem Saxoniæ ut Conventus omnium Ordinum Auguſtanæ Confeſſionis hanc ob cauſam celebretur.

Ioannes Gallus ſaniorem ſententiã amplectitur.

Circa hoc tempus etiam Erdfordiæ Ioannes Gallus, qui antea libellaria fulmina contra orthodoxos ejaculatus fuerat, ſaniorem ſententiam amplexus, in Scholis orthodoxorum ſacras literas docere & profiteri cœpit.

Schmidlinus Electorem Sax. irritat in orthodoxos.

Eodem tempore Iacobus Schmidlinus libellum ſcripſit & Electori Saxoniæ tradidit, in quo conatus eſt oſtendere, Alcoranum Turcicum in pleriſque Chriſtianæ doctrinæ capitibus multò rectius & tolerabilius ſentire quàm Calviniſtas. Eo perlecto, irritatus dicebatur vehementer Elector in orthodoxos,

Gaſparus Frank

In lucem quoque edita eſt nundinis vernalibus Anni 78. Concio de glorioſa & triumphante

Aſcenſione D. N. Ieſu Chriſti & Seſſione eius ad dexteram Patris: in qua declaratur majeſtas & gloria, in quam Chriſtus juxta Humanitatem ſuam collocatus, & ſupra omnes Creaturas in Cœlo & in Terra exaltatus eſt ſic tamen, ut Divinæ & Humanæ Naturæ proprietates in una indiviſa perſona invicem non commixtæ vel confuſæ, aut ſublatæ ſint: Contra Sermonem Iacobi Schmidlini *ante annum Vuitebergæ in die Aſcenſionis habitum, de omnipotentia & Vbique præſentia Corporis Chriſti, per* Gaſparum Frankum *S. Theologiæ Doctorem & Eccleſiæ Martinianæ apud Ingolſtadienſes Rectorem. In hac Concione recenſet inter alia quoque Ieſuita, horrenda abſurda, quæ ex Vbiquepræſentia Corporis Chriſti, quæ in libro Concordiæ docetur, ſequantur: Verba eius hac ſunt:*

ſuam concionem edit contra Schmidlini Vbiquitatem.

1\. Anfengklich wirdt durch die falſche verdamlich lehr / daß Chriſtus leyblich allenthalben / vnd nicht im Himmel reumlich vnd vmbſchrieben / gegenwertig ſey / Confundirt / verwirret vnd aufgehebt / die eigenſchaften der menſchlichen natur in Chriſto / vnd ihr die proprietet / welche der Gottheit zugeeignet / daß wir alſo keinen Chriſtum wahren Gott vñ Menſchen / ſonder einen Gott allein behalten / Dañ die eigenſchafft deß menſchlichen leybs iſt nicht / daß er allmechtig / Gott gleich / vnd allenthalben außgetheilet / ſonder daß er an einem geraumen / gewiſſen ohrt / vmbſchrieben vnd gegenwertig ſey.

Horrenda abſurda Vbiquitatis.

2\. Weil auch Schmidel anderſchwo lehret / daß Chriſtus mit ſeinem leyb nicht allererſt den viertzigiſten tag nach ſeiner vrſtend gen Himmel gefahren / ſonder von erſter empfahung in Maria an / vnd folgends alle zeyt vnſichtbarlich allenthalben geweſen / So kan man warlich nicht recht glauben / daß ſein leyb warhaftig allein in Marien leyb beſchloßen / auß ihrem leybe geboren / weil er auch da zumahl allenthalben gegenwertig.

In Eslingenſibus Concionibus pag. 26. parte 2.

3\. Ja / es volget / daß ſein leyb auch nicht an einem ohrt / ſonder vberal gekreutziget / geſtorben / begraben vnd auferſtanden ſey.

4\. Jch wil noch mehr ſagen / daß auß der nichtigen Bekandtnuß / daß Chriſtus vor der Himmel fahrt leyblich im Himmel geweſen / zuſchelieſen / daß er zwen leyb gehabt / Namlich einen wahren leyb / vnd dabey auch einen allenthalben leyb. Oder / daß noch mehr iſt / daß er auff diſer welt keinen waren leyb gehabt ſonder allein den eitelen ſchein / oder gleichnuß eines leybs vor den leuten vmbhergetragen / wie der alte ketzer Martion fürgeben hat / vnd ſolches auß der Epiſtel Pauli zum Philippenſern von zweierley geſtalt ſeines leybs / wie auch Schmidel / zubeweiſen ſich felſchlich vnterſtanden.

5\. Item / daß gemeine volck könte bald durch die Schwermerey von deß leybes Allenthalbenheit verurſachet werden / den Türkiſchen vnglauben anzunemen / vnd den Chriſtlichen Glauben daß ein einiger Gott ſey / gar zu verlieren vnd zuverlaſſen. Ja vnchriſtlich zuglauben / daß in Chriſto zwen Götter ſeyen / der eine ein Schefer allerding / der von ewigkeit mit Gott dem Vatter in gleichem weſen vnd gewalt geweſen / Der ander ein Erſchafener vnd gemacheter Gott nach ſeiner Himmelfahrt / auß fleiſch vnd auß blut / weil er als Gott ſelbſt / allmechtig / vnd keine eigenſchafft der erſchafenen vnd geboren Creaturen mehr habe / ſonder die ſelbige in die Gotheit verwandlet. Wie dann Brentius ſchon dahin gelangt / daß er offentlich geſchrieben: Daß in Chriſto zuzweierley Gottheyt ſey / die eine hab er ewig gehabt / die ander hab er in der zeyt dem Sohn deß menſchen mitgetheilet vnd die nachfolger Brentii nennen Chriſtum nach der Gottheit einen natürlichen Gott / vnd nach der menſchheit nennen ſie Chriſtum einen perſönlichen Gott / In ihrer Apologia ihres Maulbrönniſchen Procotosl

De Majeſt. pag. 91.

Apol. pag. 98.

Es wurde auch durch dieſe newe lehr vnd verfelſchung deß Apoſtoliſchen Glaubens / welche deß leybs eigenſchaft aufhebet / vnd gleich als der Gottheit die Allmechtigkeit vnd Allenthalbenheit zuleget vnd mitheilet / der hohe Artickel von der heiligen Drefaltigkeit geſchwechat / vnd letzlich angegrifen werden / wie davon der H. Vigilius geſchrieben: Es iſt zubeſorgen / daß die ketzer / welche beider naturen eigenſchaften deßhalben nicht wollen annemen / damit ſie nicht zween Chriſtus machen / nachmahls auch von der H. Dreyfaltigkeit etwan eine frage vnd diſputation auf die bann bringen möchten. Sintemahl etliche eigenſchafften ſind deß Vatters / welche weder dem Sohn / noch dem H. Geiſt zugehören / vnd dagegen / etliche deß Sohns / welche nit deß Vatters vnd H. Geiſtes / vnd widerumb etliche deß H. Geiſtes / welche nicht deß Vatters vnd deß Sohns ſein / darauß ſie ſchlieſſen konten / daß die Catholiſchen drey vnderſcheidene Götter ehreten. So viel der H. Vigilius. Dann eben alſo ſchlieſſen vnſere newe Schwermer: Iſt Chriſtus nach ſeiner Menſchheit nicht Almechtig / nicht Allenthalben (welches der Götlichen naturen eigenſchafften ſein) ſo ſein zween Chriſti / der eine allmechtig / der ander großmechtig. Auff dieſe weiſſe greift der Teufel ie lenger ie weiter den Catholiſchen Glauben auß zureutten vnnd gar abzuthun.

Lib. 1. & 4.

Schmidlinus in concione habita in Aſcen. pag. 146.

Deß gleichen / was werden nuhr für erſchreckliche / vnd vorlangeſt verdampte Ketzereyen / durch ſolche newe Schmidleiniſche predigten erweckt / vnd für Gottes wort vertheidinget? Mit den verdampten Monothelitis verwirret vnd vermenget Jacob Schmidel beider naturen in Chriſto wirckung vnd eigenſchafft. Mit dem heilloſen Neſtorio machet er zween Chriſtus / oder zwo perſonen. Mit dem verfluchten Eutychete hebet ert der Naturen vnderſcheid auff / vnd theilet der Menſch- 7.

heit mit was der Gottheit zugehört. Mit dem halßſtarrigen Sabellio vermenget er in einer perſon den Vatter/Sohn und H.Geiſt/ als were die gantze Dreyfaltigkeit. Menſch und gecreutziget werden. Iſt das nicht ein grewel uber allen grewel?

8. Ich wil ietz nicht lang ſagen/ daß auß der Vbiquitet erfolget (wie ihre Secctgenoſſen ſelbſt lehren) daß auch Chriſtus leybhafftig in Teuffel / die Hell in Gott/der Himmel/ namlich ſedes beatorum, an keinem gewiſſen orth/ und von Gott nicht erſchaffen ſey/ ꝛc. Wie ein Hochgeborner anſähenlicher Furſt der Anſpurgiſchen Confeſſion zugethan gegen ſeiner Vniverſitet ſelbſt bekent und bezeuget.

Sind dann daß nicht ſchöne ſaubere/ früchtlein / welche auß der Allenthalbenheit deß leybs Chriſti / und verleugnung/ daß Chriſtus nicht leyblich an einem orth im Himmel ſey/ gewißlich erfolgen? O ihr lieben Chriſten bleibet bey dem einmahl empfangenen Evangelio. Der Teufel ſucht nicht allein einen Artickel deß Glaubens auß zurotten / ſonder andere viel mehr umbzuſturnen / ob er ſich ſchon verwandlet in ein Engel deß liechts/ und fürgibt als geſchehe es Chriſto zu ehren: Es iſt ihm doch nimmer zutrawen.

Senſus & ſumma eſt, Vbiquitate confundi & tolli proprietates Humanæ Naturæ in Chriſto, eique attribui Divinæ proprietates: quo fiat, ut habeamus Chriſtum non Deum & hominem, ſed Deum tantùm: 2. everti hoc errore Articulos Symboli de Conceptione & Nativitate Chriſti. Si enim non quadrageſimo demum die poſt reſurrectionem Corpore ſuo in Cœlos aſcenderit Chriſtus, ſed à prima ſtatim Conceptione Mariæ, & poſtea ſemper ubique fuerit inviſibiliter, credi verè non poſſe, Corpus Chriſti in vtero tantùm Mariæ concluſum fuiſſe, & ex corpore Mariæ natum: nam ſequi neceſſariò, primo die conceptionis etiam extra vterum fuiſſe, & poſt nonum menſem adhuc fuiſſe in vtero, imò nunquam ex eo exiiſſe: 3. ſequi etiam ex Vbiquitate, Corpus Chriſti non in uno loco, Hieroſolymis nempe in loco Calvariæ, ſed ubique locorum per univerſam terram paſſum, crucifixum, mortuum & ſepultum eſſe: 4. ſequi inde, Chriſtum duo Corpora habuiſſe, verum & ubiquitarium; imò juxta Martionem, non verum corpus habuiſſe, ſed phantaſma tantùm Corporis: 5. Hac doctrinâ viam ſterni Mahometiſmo, & , quod planè impium ſit, doceri, in Chriſto duos eſſe Deos, increatum unum, & creatum alterum: 6. enervari quoquè hoc errore, ſummum Articulum de SacroSancta Trinitate, & quaternitatem introduci: 7. ab inferis revocari veteres & jam pridem damnatas hæreſes Monothelitarum, Neſtorii, Eutychis & Sabellii: 8. ſequi neceſſe eſſe, quod etiam anteſignani Vbiquitarum apertiſſimè doceant, Chriſtum corporaliter in Diabolo, infernum in Deo, Cœlum in inferno, nec ſedem beatorum certum locum eſſe.

CAPVT XXIII.

Acta Colloquii Herzbergenſis propter Subſcriptionem Libri Concordiæ inter Theologos Anhaltinos & Patres Bergenſes habiti.

CVm inter alios multos Illuſtriſſimi Principis Anhaltini quoque Theologi Concordiæ libro ſubſcribere recuſarent ob novem graviſſimas cauſas, quas die 18. Febr. Anni 1578. Deſſavii Principi ſuo exhibuerant, placuit Saxoniæ & Brandenburgenſi Electoribus, ut cum ſuis aliquot Theologis Anhaltini quoque Principis convenirent, ſi quâ ratione Concordia inter illos iniri, & Anhaltini etiam Theologi ad ſubſcriptionem Formulæ Concordiæ allici poſſent Convenerunt itaque Herzbergæ 20. *Aug. hujus anni Patres Bergenſes* Schmidlinus, Selneccerus, Muſculus, Cornerus *&* Kemnitius: *Anhaltini duo* Amlingus *&* Haringus: *quibus Princeps adiunxit* Chriſtophorum ab Hoëm *nobilem &* Ioannem Trukenroth *Cancellarium: ac præter hos notarium & ſcribas duos, qui diligentiſſimè ſingula Colloquii verba exciperent. Quum autem Acta huius Colloquii Anno 95. in lucem ſint edita, unà cum novem cauſis recuſatæ ſubſcriptionis, ſummam eorum in Lectoris gratiam adſcribam.* Occaſio huius Colloquii.

Conſtitutum initio fuerat, ut Collocutores duo tantùm eſſent, atque Kemnitio Amlingus *opponeretur: Cùm autem hic* Kemnitium *confunderet & in ſummas anguſtias ſæpè ageret, non potuit ferre* Schmidlinus *hanc ignominiam, ſed contra pacta & conventa, ipſemet quoque* Amlingum *adortus interpellatione crebra & importunitate ſuâ conturbare conatus eſt: cujus exemplo & impulſu cæteri quoque, præſertim* Selneccerus, *promiſcuè vociferari cœperunt, ut non amplius ratione & oratione, ſed vociferationibus clamoribus res ageretur: Paulo poſt inchoatum Colloquium,* Kemnitio *loquente, erumpebant cæteri quoque in confuſum clamorem ſine ordine; quibus* M. Amlingus *reſpondebat:* Ego ſolus adverſus ſex vel ſeptem viros contradicentes reſpondere nequeo: Peto, vt unus mecum conferat, reliqui ſint auditores: *Itaque difficile fuit politicis Anhaltinis inſulſos illos clamores cohibere. Sed hæc in genere de modo agendi in hoc Colloquio.* Ordo Colloquii & modus agendi. Pag. 64.

Poſteaquam igitur M. Amlingus Anhaltinus Colloquio initium feciſſet 21. die Aug. iudicium ſuum & Collegarum de Libro Concordiæ ſcripto comprehenſum exhibuit Bergenſibus. Eo verò oblato, Anhaltini receſſerunt, & poſtero die, qui Initium fit de controverſia Perſonali ſive Vnione.

fuit 22. Auguſti, rurſum convenerunt: Cùm verò Anhaltini novem cauſas in ſcripto ſuo complexi eſſent, ob quas nec vellent nec deberent ſubſcribere, adverſa pars ſex tantùm de Doctrinalibus primò examinandas ſumpſit, & ab ea, quæ de Converſione hominis fuit, initium fecit. Hîc cum primis Anhaldini deſiderarunt, quòd Status controverſiæ non ſufficienter poſitus, & uſitata doctrina de tribus concurrentibus non rejicienda ſit. Dictum etiam, Deus trahit, ſed volentem trahit: Item, Voluntas non eſt otioſa, dexterè explicarunt. Clarè inſuper diſtinxerunt tres has quæſtiones: 1. Quis convertat? nempe, ſolus Spiritus Sanctus. 2. Quomodo? Per Verbum, contra Enthuſiaſtas, 3. Quos? non pertinaciter repugnantes, ſed audientes & meditantes verbum, neque indulgentes incredulitati: contra Manichæos. Adhæc contradictorias ſententias in libro Concordiæ demonſtrârunt: nempe, Deus hominem non cogit, ut pius ac probus fiat: ſed qui Spiritui Sancto reſiſtunt, & agnitæ veritati ſubinde contradicunt, non convertuntur. Et hoc quidem rectè & verè dicitur. Contra verò conſiſtere non poteſt, hominem eſſe truncum, lapidem & ſtipitem, qui reſiſtat & repugnet voluntati Dei ante, in & poſt converſionem, & voluntatem etiam in renatis locum non habere. Qui enim, inquiunt ibi, obſtrepere non ceſſat, non etiam convertitur: Hîc verò aiunt, hominem etiam poſt converſionem reſiſtere Deo. Hæc utique ſunt contradictoria. Amlingus etiam veram ſententiam ſyllogiſmo comprehendit, in quo probatur, quòd in converſione Verbum, Spiritus ſcilicet movens per Verbum, & voluntas non repugnans contumaciter, concurrant tempore, licet Spiritus Sancti motus, qui fit per Verbum, præcurrat ordine. Ad hæc verò Theologi Bergenſes nihil reſponderunt: ſolùm conqueſti ſunt, ſuam ſententiam improbari ab Anhaltinis. Tandem Schmidlinus voluntatem hominis in converſione furi comparavit, qui quum ad ſupplicium duceretur, dixiſſe fertur, ô boni, cur uſque adeò properatis, nemo hodiè ſuſpendetur, niſi ego quoque adſim. Hinc ſcurra probare voluit, ſicut fur patibuli ſupplicium effugere nequeat, quantumvis repugnet, ita hominis voluntatem, ut obſtrepat, tamen à Deo converti. Sed hoc ſcurrile argumentum Anhaltini ne reſponſione quidem dignati ſunt.

Poſtea Amlingus Selneccerum alloquitur, eique in memoriam revocat, quòd ante hoc tempus eodem cum Philippo de tribus concurrentibus Ienæ docuerit, & paſſim in ſuis libris ſcripſerit. Id verò Selnec. audacter negat: & tamen durante adhuc Colloquio, ingenuè confeſſus eſt, ſe quidem hactenus multa docuiſſe & ſcripſiſſe, quibus jam vix revocando poſſit ſufficere. Et ſanè Anhaltini moderatè egerunt cuncta, & multas injurias diſſimularunt. Quantum verò ad doctrinalia attinet, ſatis ſuperque ab iis reſponſum ad ea, & Status cauſæ defenſus eſt, præſertim cæteris Statum permiſcentibus. De voluntate remota, vel non remota reſpondere debuiſſent, at ſatis eis hæc diſtinctio erat, de nulla alia quàm de voluntate renaſcente ſermonem eſſe: nihil præterea aliud reſpondebant.

Secundò, De juſtificatione Anhaltini, in exemplari libri Concordiæ ſuo Principi miſſò, ſic ſcriptum eſſe demonſtrarunt (nam id à Bergenſ. negabatur) Hominem per fidem juſtum eſſe etiamſi in peccatis perſeveret. Unde liquido conſtat, Bergenſes vel negligenter rem agere & exemplaria deſcripta obiter relegere, priusquàm aliis mittantur, vel aſtutè ſua tantum exemplaria, admonitione & cenſurâ factâ immutare. Secundò de juſtificatione actum eſt.

Anhaltini porrò in hoc loco etiam reprehenderunt, quod Bergenſes Enthuſiaſtarum phraſes de actu, momento, foro, circulo juſtificationis, &c. Item de infuſione gratiæ tanquam in urceolos vacuos: Item, de prima & ſecunda converſione, in longa ſua Antitheſi alto ſilentio præterierunt, perinde ac ſi nulli errores ibi lateant.

Tertiò quod ad definitionem Evangelii attinet, quæ in Repetita Auguſtana Confeſſ. ex verbis Chriſti extruitur, ad argumenta Amlingi ab adverſaria parte ne uno quidem verbo reſponſum fuit. Conſtanter etiam negavit Amlingus Confeſſionem Auguſtanam in ſententia mutatam, ſed, vivo adhuc Luthero quædam clariùs tantùm poſita eſſe, quod etiam Chytræus teſtetur: Et hæc Repetitio in ſequentibus Principum Conventibus approbatam fuiſſe. Ad quæ Schmidlinus hoc ſaltem reſpondit, Electores & Principes Numburgi & Francoforti rem non ſatis probè intellexiſſe: Quâ verò reputatione Principum hoc dixerit, ipſe videris 3. De Evangelii definitione.

D. Amlingi argumenta hæc fuerunt.

Lex hominem vel ad perfectam obedientiam, vel ad æternas pœnas obligat: & ſimpliciter ignorat tertium, hoc eſt, viam poſt lapſum æternas pœnas effugiendi. 1.

Prædicatio pœnitentiæ lapſis monſtrat viam effugiendi pœnas æternas.

Prædicatio pœnitentiæ propriè non eſt Legis, ſed Evangelii.

Quicquid lapſos in ſpem veniæ erigit, id propriè eſt Evangelii. Lex enim transgreſſoribus ſimpliciter omnem ſpem veniæ præcidit. 2.

Sed prædicatio pœnitentiæ lapſos in ſpem veniæ erigit. Ergo, prædicatio pœnitentiæ propriè eſt Evangelii.

Legis contritio non eſt ſacrificium Deo gratum: quia tantum eſt timor ſervilis. 3.

Ergo requiritur Evangelium, ut fiat timor filialis, qui eſt cultus Deo placens.

Et quia in Bergenſi libro ſcriptum legitur, quòd Evangelium ſolùm doceat atque præcipiat in Chriſtum credere, Item, Solum

Evan-

Evangelium d..r propriè ſalviſicam fidem in Chriſtum: *Ina.. argumentatur* Amlingus: *Omne præceptum incl..m habet prohibitionem vitij contrarij. Solius Evan..lij proprium eſt præceptum ſeu mandatum fidei in ..hriſtum. Ergo, ſolius Evangelij propria eſt prohib..o vitij contrarij. Etſi igitur in genere Lex fidem De. debitam exigit: tamen per ſe, hoc eſt, ſine Evang..ij revelatione & illuſtratione, ignorat Chriſtum Mediatorem.*

4. De Cœna Dom. & Vbiquitate diſputatur.

Quartò *de Cœna & Vbiquitate diſputarunt. In negotio Cœnæ Anhaltini teſtati ſunt, ſeſe inniti verbis inſtitutionis tanquam firmiſſimo fundamento: quemadmodum & Sacra Biblia, Auguſtana Confeſſio, Apologia, Smalcaldici Articuli & Catechiſmi Lutheri fundamentum aliud nullum monſtrent, qui libri tamen in formula Concordiæ poſiti ſint pro Norma. Adhæc teſtimonia ex Principe* Georgio Anhaltino *citarunt, & inſuper probarunt*, Lutherum *ipſum teſtari*, Vbiquitatem & quæ ei adjuncta, ad rem nihil facere, ſed eſſe accidentia: *provocarunt etiam ad dictum Durandi*, Verbum audimus, præſentiam credimus, motum ſentimus, modum neſcimus.

Adhæc Muſculus *reſpondit*, Se librum contra Sacramentarios novos conſcribere, qui præſentiam credunt, & Vbiquitatem negant. *Item*, Schmid. & Muſculus *negarunt cœlum ſeu ſedem beatorum, in quam aſcendit Chriſtus, eſſe locum: eſt enim contra Sacramentum Cœnæ.*

Hæc verò ita confutavit Amlingus 1. Cœna S. eſt ſigillum fidei: Ergo fidei hiſtoriam non evertit, ſed potius confirmat. *Item:* 2. Totum ſymbolum eſt hiſtoria: Ergo omnes fidei Articuli ſunt intelligendi hiſtoricè, non allegoricè. 3. Præſentia præſupponit veram eſſentiam. Sed Omnipræſentia carnis adimit Chriſto veram corporis eſſentiam: Ergo tollit etiam in Cœna veram præſentiam. *Ad hoc cùm adverſarii nihil poſſent reſpondere, clamabant, Sacramentarium eſſe, etiam pridem confutatum.*

Dixerunt præterea, nomen Vbiquitatis in formula Bergenſi non reperiri. *Ad id verò non ſolùm ab Anhaltinis Theologis, ſed etiam à Politicis reſponſum eſt, Latinum quidem vocabulum Vbiquitatis non reperiri, at Germanicum* Allenthalben / *quod idem ſignificet, rem ipſam tamen in Formula probari.*

Objectum etiam fuit Kemnitio & Selneccero *ab* Amlingo, quòd ante hæc tempora ipſimet Vbiquitatem in ſuis ſcriptis damnarint. *Reſponderunt illi*, craſſam ſeſe Vbiquitatem intellexiſſe. *Ad quæ Amlingus*, Hoc ipſum, *inquit*, contra vos facit, ſequeretur enim inde: Sacro Sanctum Chriſti Corpus, non quidem craſsâ, ſed tamen ſubtili Vbiquitate eſt in locis illis impuris: atque ita ineſt tamen. *Hæc verò confutaſſe, videri voluit* Schmidlinus, *ſed per proteſtationem contrariam facto, pro more ſuo.*

Ad quæſtionem captioſam etiam de inhabitatione Chriſti in hominibus, Amlingus *ſolidè reſpondit. Nam primò petiit, ut loco captioſarum quæſtionum Syllogiſticè agatur. Id verò cum impetrare non poſſet.* Reſpondeo igitur, *ait* ex Nazianzeno ad Cledonium: Chriſtus habitat in cordibus noſtris non ſecundum apparentem Naturam, ſed ſecundum inviſibilem: quia ſicut Naturæ unitæ ſunt, ita etiam attributa earum permutantur. *Tunc exclamarunt cuncti*, Hoc neque affirmare neque negare eſſe, Es ſey weder Ja / noch Nein. *Reſpondit* Amling. Non tantum categoricè reſpondi, ſed etiam probationis loco orthodoxi Patris teſtimonium adduxi. Et quum ne in hoc quidem acquieſcerent, unus *ex Politicis reſpondit*, Tamen reſpondit ex Orthodoxo Patre δὶς ϗ τρίς. *Quibus adjecit Amlingus*, Dixi quòd non ſecundum utramque Naturam habitet in nobis. *Ad quæ* Schmidlinus *ait*, Si Chriſtus non ſecundum utramque naturam in nobis habitat, ergo dimidius tantum Chriſtus. *Reſpondet Amlingus per Inſtantiam:* Imo totus Chriſtus paſſus, mortuus & ſepultus eſt, ſed non ſecundum utramque Naturam. Ergo tantum dimidius tibi Chriſtus paſſus, mortuus & ſepultus eſt? *Cui Schmidlinus*, Hoc *inquit*, eſt Sacramentarium.

5. De inhabitatione Chriſti in hominibus.

Cùm ergò Schmidlinus *diſputando parùm proficeret*, Kemnitius *cum* Amlingo *congrediens*, Chriſtus, *ait*, totus habitat in cordibus noſtris. Iam quæro D. Magiſter, Quomodo Chriſtus habitat in nobis, ſecundum humanam vel divinam naturam, vel utranque? *Amlingus:* Non hac de cauſa huc veni ut veſtro examini me ſubjiciam. *Syllogiſmo argumentum tuum propone. Schmidlinus:* Atqui oportet te de religione tua eſſe certum, & in ea benè confirmatum. Neſcis ad hanc quæſtionem reſpondere? *Amlingus:* Reſpondeo ex Nazianzeno ad Cledonium: Chriſtus habitat in cordibus noſtris, non ſecundum apparentem Naturam, ſed ſecundum inviſibilem: quia ſicut Naturæ unitæ ſunt, ita etiam attributa earum permutantur. *Schmidlinus*: Reſponde categoricè: nega vel affirma: ſagt Ja oder Nein; adeóne parum tibi de religione tua certum eſt? *Amlingus:* Iam non tantum categoricè reſpondi, ſed etiam probationis loco Orthodoxi Patris teſtimonium adduxi. *Schmidlinus*, Qui de ſua Religione incertus eſt, neque negat neque affirmat: der kan weder Ja noch Nein ſagen. Sagt Ja oder Nein. *Kemnitius*, jam ſurdus factus eſt. *Cancellarius Anhaltinus:* tamen reſpondit ex Orthodoxo Patre

Satis pro imperio.

Patre *δὶς ϗ τρίς*. *Amlingus:* Dixi, quòd non ſecundum utranque naturam habitet in nobis: *Schmidlinus:* Hoc ipſum volebamus: jam lis eſt conteſtata. Ergo habes dimidium Chriſtum. *Amlingus contrà:* Totus Chriſtus paſſus, mortuus & ſepultus eſt: ſed non ſecundum utranque Naturam: ergò tantum dimidius tibi Chriſtus paſſus, mortuus & ſepultus eſt? *Schmidlinus:* Hoc Sacramentarium eſt. *Amlingus:* Id verò ego aliis judicandum relinquam. Iudicent alii.

Poſt hæc Amlingus *inter alia ſic etiam argumentatur:* Pontificii in Articulo de Perſona Chriſti cum Auguſtana Confeſſione conſentiunt: Iidem verò doctrinam veſtram de illo ipſo Articulo firmis rationibus damnant: Ergo veſtra doctrina de Perſona Chriſti contraria eſt Auguſtanæ Confeſſioni. *Recenſebat inſuper horrenda abſurda, quæ ex ipſorum doctrina ſequerentur, ex eadem concione* Caſpari Franken *cujus ſuprà mentio facta eſt, hoc Anno Ingolſtadii de hiſtoria Aſcenſionis Chriſti in Cœlum edita: Superintendens quoque Katingenſis multa abſurdiſſima & horrenda ex Brentii Libris de Majeſtate, ex Recognitione & Perſonali Vnione de ſcripto recitavit. Hæc verò omnia* Schmidlinus *eludens:* Hanc eſſe Farraginem Haſſorum dicebat. *Ad quæ Amlingus,* Nos ipſi, *ait*, iſta omnia in Brentii Libris legimus, alioquin non credidiſſemus.

5. De Perſona Chriſti in hoc Colloquio diſputatur.

Quintò, *De Perſona Chriſti*, Kemnitius *cum ſuis tribus generibus prodiit. Cùm verò* Amlingus *ex eo ſcire cuperet, num tria genera prædicationum, an verò tria genera Communicationis Idiomatum ſtatueret, magno labore probare conatur, triplicem Communicationem Idiomatum, quam etiam ante hæc tempora publicis ſcriptis & docuit & defendere conatus eſt, unà cum* Selneccerò. *Eam verò, quum ſolidè* Amlingus *confutaſſet*, Kemnitius *λογομαχίαν eſſe dixit. Reſpondit Amlingus,* Nequaquam eſt λογομαχία, ſed involuit res maximas. *Deinde probat, Vivificationem ad officium Chriſti pertinere. Hac occaſione de ferro etiam candente diſputatur: & citat* Amlingus Damaſcenum *libro 3. cap. 15. & 19. ut probet, quòd etiam in ferro candente alia ſit ferri, alia ignis actio, etiamſi non ſeparatim agant. Huic verò, poſt intervallum aliquod, opponit* Kemnitius *alium locum* Damaſceni *eodem Libro Cap. 17. qui tamen, quum penitius inſpiceretur, ſuperiori non erat contrarius.*

Inter alia verò argumenta quæ Amlingus *proponebat, quorum tamen ne unum quidem à Collocutoribus ſolvebatur quærebat ex Kemnitio, per quam rationem firma eſſet diſtinctio Realis & Phyſicæ Idiomatum Communicationis:* Illam enim *ait*, approbatis hanc verò rejicitis? *Reſpondit Kemnitius,* Quia perſonæ Trinitatis differunt realiter, ſed non eſſentialiter: jure igitur diſtinguimus inter realem & Phyſicam Communicationem: *Contra verò* Amlingus.

Eſſentialiter & realiter differunt in myſterio Trinitatis propter identitatem eſſentiæ, ſeu ὁμοουσίαν.

1. Sed in perſona Chriſti nulla eſt naturarum identitas, ſeu ὁμοουσία.

Ergo, in Perſona Chriſti hæc vocabula nihil differunt: & per conſequens, ſicut Phyſica idiomatum communicatio, ita etiam realis falſa eſt, niſi dedita operâ Monophyſitarum errorem in Eccleſiam revocare libeat.

2. Duæ contradictoriæ ſtare non poſſunt ſimul.

Diſtinctio Idiomatum realis, & Communicatio Idiomatum realis ſunt contradictoriæ. Ergo Simul ſtare non poſſunt.

Diſtinctio autem Idiomatum realis non poteſt eſſe falſa.

Ergo, Communicatio Idiomatum realis non poteſt eſſe vera. Impoſſibile enim eſt, duas contradictorias ſimul veras eſſe, vel ſimul falſas.

Hos nodos quũ ſolvere Bergenſes non poſſent, tandem Schmidlinus *ineptiſſimam ſimilitudinem in medium adduxit, & longum ſermonem habuit, cujus hæc fuit ſumma:* Si paupercula alicujus ruſtici famula opulenti adoleſcenti nuberet, hic tamen pauperior non fieret, licet illa opum & bonorum ipſius omnium participes fieret. *Hoc ſimili realem Idiomatum Communicationem in Chriſto probatam eſſe voluit. Ad id verò* Amlingus *brevi hoc Syllogiſmo reſpondit:* A bonis fortunæ ad Idiomata phyſica nihil ſequitur: ſunt enim diſparatiſſima, *&c. Ipſi quoque* Selneccero *hæc cruda ſimilitudo valdè diſplicuit.*

Quæ etiam Schmidlinus *adduxit de ſupernaturali Communione naturalium proprietatum Chriſti, ad ea reſpondit Amlingus, Vnionem & Communicationem Idiomatum non idem eſſe: pugnare etiam has ejus nugas cum regula Leonis:* Vtraque natura agit cum alterius communicatione, quod cujuſque proprium eſt. *Naturæ ſiquidem ſuas proprietates & energias non ita communes habent, ut quod una facit, altera quoque idem operetur: ſed unus Chriſtus hoc & illud facit, verùm unumquodque ſecundum ſuam naturam: Secundum carnem moritur: ſecundum divinitatem autem mortem vincit. Alioquin non ei opus fuiſſet tam diſſimilium naturarum unione, ſi altera earum utriuſque vicem complere potuiſſet.*

In his duobus quoque Kemnitius *aſſenſit* Amlingo *contra* Schmidlinum, *nempe quòd caro Chriſti non ſit Deus, ut* Iacobus Schmidlinus *vult,*

vult, ſed creatura. Et quòd filius Mariæ, tantum ſecundum æternam naturam ſecundum quam ὁμοούσιος & conſubſtantialis eſt Patri & Spiritui Sancto, omnipotens & omniſcius ſit: hoc enim hæreſin vocat Schmidlinus.

Idem Schmidlinus hanc regulam rejecit, Diſcernendum eſſe inter Deitatem mittentem & perſonam miſſam. Quam ob cauſam Amlingus Sabellianiſmum, qui ex ſententia Schmidlini ſequitur, ei objecit.

Item: Nihil diſcernit inter Unionem & Communicationem Idiomatum. Hoc vult eſſe impium, quum dicitur: Aliam eſſe conſiderationem Filii ratione eſſentiæ: aliam ratione officii.

Blaſphemiam vocat, ſi dicitur: quòd miſſio Salvatoris ad officium facta ſit ab initio promulgati reparationis noſtræ decreti. Hinc vero Amlingus rectè infert, quod Adam nullum Salvatorem habuerit.

Dictum Chriſti Matthæi ultimo in ſingulis ejus verbis corrumpunt & pervertunt. Sic enim id interpretantur: Mihi hoc eſt, meæ carni, Data eſt, id eſt, realiter communicata. Omnis poteſtas, hoc eſt, omnipotentia, omniſcientia, omnipræſentia Dei abſoluta. Contra vero Amlingus probavit, Chriſtum hoc loco de ſuo officio loqui, quod ei juxta utranque Naturam impoſitum ac demandatum ſit: licet ſecundum Divinitatem nullas novas energias ſeu virtutes acceperit: qui enim hoc doceat, eum eſſe Arrianum; qui illud neget, Hoſiandri & Stancari diſcipulum eſſe.

Ubiquitatem Corporis Chriſti, bonus ſenecio Muſculus, ex loco Marci ultimo probare voluit, Illi autem profecti, Domino cooperante, prædicaverunt ubique: Hic, inquit, expreſsè ejus fit mentio.

Bergenſes in hoc Colloquio accuſatores & judices eſſe voluerunt.

Voluerunt etiam in hoc toto Colloquio accuſatores ſimul & judices eſſe, contra morem & conſuetudinem civilem, nedum Eccleſiaſticam: præſertim in tam horrendis & abſurdis opinionibus, quibus volunt hominibus perſuadere, Cœlum nullum eſſe certum locum: infernum eſſe in cœlo: Chriſti corpus ſimul eſſe in certo & incerto loco: Chriſtum habere duplicem Deitatem, æternam & temporariam: Chriſti Corpus ubique fuiſſe, quum primum in utero Matris conceptum eſſet, etiam ante Nativitatem, non quidem craſsa ſeu extenſa, ſed tamen ſubtili ſeu majeſtaticâ Ubiquitate: quum corpore ſuo in cruce pependiſſet, ſimul etiam eodem corpore ubique, Athenis, Romæ & in cœlo fuiſſe: imò, ut in Bergenſi libro ſcribitur, Filium Dei cum omnibus & ſingulis creaturis perſonaliter unitum eſſe, & ſic omnem Creaturam cunctam poteſtatem in Cœlo & in terra habere. Et qui contra hæc prodigioſa & inaudita dogmata vel mutire audet, mox Sacramentarius eſſe dicitur.

Inter alia obteſtatur Deum Schmidlinus, & jurat per ſanguinem Filii Dei Ieſu Chriſti, cujus particeps in æternum nolit eſſe, ſi vel unus ſaltem ad ſubſcriptionem Libri Concordiæ coactus, vel ob ejuſdem recuſationem in exilium detruſus ſit: quum contrarium gemitus, querelæ & ejulatus per totam Germaniam teſtentur.

Et hæc quidem de cauſa prima, quæ ordine eſt ſexta, in hoc Colloquio acta ſunt, ob quam Anhaltini ſubſcriptionem recuſarunt, quantum quidem ad doctrinalia attinet. Sequuntur nunc reliquæ.

Cauſæ reliquæ natæ ab Anhaltinis ſubſcriptionis. Poſtulata Anhaltinorum.

Primò, oſtenderunt Anhaltini, ſuas Eccleſias hactenus per Dei gratiam ſine Libro iſto ſummâ pace & tranquillitate uſas eſſe. Oppoſuerunt Bergenſes, ſuo hoc Libro pacem Eccleſiarum non tolli vel turbari, ſed potius confirmari. Reſponderunt Anhaltini, hanc eſſe proteſtationem contrariam facto: proindeque rogare eos, Primò, ne ſibi ſuiſque Eccleſiis Subſcriptione iſtâ moleſti eſſe pergant, uſque ad Synodum.

Secundò petierunt, ne diverſum quid à ſcri- 1.
ptis Georgii Principis Anhaltini in ſuis Eccleſiis 2.
docere cogantur. Oppoſuerunt Bergenſes, Anhaltini Principis ſcripta conſentire cum Formula Concordiæ, quam etiam Princeps ille, ſi adhuc viveret, approbaturus eſſet. Sed Anhaltini contrarium oſtenderunt ex Principis Georgii concione prima de Nativitate, ubi manifeſtè diſſentit à formula Bergenſi in articulo de Communicatione Idiomatum.

Tertiò, Anhaltini conqueſti ſunt, librum 3.
Bergenſem eſſe prolixum, intricatum & involutum: & excluſis Philippi ſcriptis nil niſi tenebras inde ſequuturas: multas quoque contradictiones in ea reperiri. Negarunt vero Bergenſes hæc ſimpliciter. De Philippo dixerunt, ſcripta ejus retineri in Scholis, veluti Grammaticam, Dialecticam, Phyſicam, &c. Locis Communibus utendum, vel non, prout cuique viſum ſit: hac additâ cautione, ſi quid emendatione dignum occurrat, judicio Doctorum ſubjiciatur: ut in loco de Libero arbitrio, ibi enim dicendum: Hic Magiſter non tenetur. Ipſum etiam Philippum ſua ſcripta Eccleſiæ judicio ſubjeciſſe. Item, Brentium non minus benè quàm Philippum de Eccleſia eſſe meritum, cujus tamen in Formula nulla fiat prorſus mentio. Reſponderunt Anhaltini, Librum Concordiæ ad Concordiam conſtituendam plus æquo eſſe prolixum: & multa tamen in eo deſiderari: contradictionibus etiam ſcatere. Philippi ſcripta è Scholis & Eccleſiis exterminari, factum ipſum teſtari: locum de Arbitrio libero non eſſe corrigendum. Uter de Eccleſia melius ſit meritus, Philippus an Brentius, poſteritati ſeſe judicandum relinquere. In Brentii Libris prodigioſa, puriori antiquitati incognita & horrenda dogmata in Eccleſiam eſſe introducta: ut jure dici poſſet, Hic Magiſter non tenetur. Quòd vero Philippus ſubjecit ſua ſcripta Eccleſiæ judicio, idem quoque

à Lu-

à Luthero factum : cujus rei memores Bergenſes, ſua argumenta, non ex Lutheri *ſcriptis, quod tamen ſubinde in hoc Colloquio ab ipſis factum, ſed ex verbo Dei depromere debuerunt. Iudicio quoque Eccleſiæ ſeſe ſubmittere, an Bergenſes nova dogmata & novas phraſes introducant, necne, nec ſatis ad hanc accuſationem reſponſum ab eis eſſe.*

4\. Quarto, *Anhaltini queſti ſunt, hoc libro Reformatas Eccleſias apud Pontificios deformari. At contra Bergenſes dixerunt, Eccleſias jam antea ſatis eſſe maculis variis deformatas, quæ hoc libro abſtergantur. Reſponderunt Anhaltini : Multas quidem ſopitas controverſias renovari quotidie, contra verò Brentianos errores multos tacitè præteriri, eoque ipſo confirmari, & Eccleſias magis quàm antehac unquam deformari.*

5\. Quintò, *Proceſſum Subſcriptionis eſſe inuſitatum ac illegitimum. Reſponderunt Bergenſes; idem tempore Concilii Tridentini à Lutheranis & Calvinianis factitatum. Contra autem Anhaltini; Tridentini Concilii tempore cuique liberum fuiſſe ſubſcribere, vel non : nec quenquam ad ſubſcriptionem eſſe coactum.*

6\. Sextò, *pacem religionis hoc libro non confirmari, ſed potius infirmari ac violari, objecerunt Anhaltini.*

7\. Septimò, *privatos homines,* Philippi *ſcripta à Principibus, Eccleſiis & Academiis approbata; damnare, &c. Atque ita Bergenſes Patres infectâ re ex hoc Conventu diſceſſerant, Anhaltinis non ſolùm in hunc uſque diem ſubſcriptionem recuſantibus, ſed etiam librum ipſum editis ſcriptis oppugnantibus.*

Muſculi confeſſio de Vbiquitate & Sacramentariis.

In hoc Colloquio Muſculus *candidè faſſus eſt*, Quicunque Vbiquitatem non credant & approbent, & Sacramentarios eſſe. *Et hic eſt hodie ſtatus controverſiæ inter orthodoxos & Vbiquiſtas.*

Iudicia de hoc Colloquio.

De hoc quoque Colloquio vir quidam doctus ad amicum ſuum hæc ſcripſit: Nunc illud ſignificandum duxi, de quo haud dubiè fama jam ad vos percrebuit 20. Auguſti conventum Theologicum Herzbergæ habitum fuiſſe, ad quem vocati Anhaltini Theologi *M. Vuolffgangus Amlingus & M. Petrus Haringus*, coacti ſunt Bergenſibus rationem reddere de ſua Cenſura ſuper Sphyngebergenſi. Ex Bergenſibus Patribus adfuere omnes, excepto *Chytræo*, qui ſimulatione morbi nunc etiam ſe abſentavit, cujus tamen locum ſupplevere Vuittenbergenſis paſtor *D. Polycarpus & M. Schuzius.* Anhaltinus Princeps ſuis Theologis adjunxit Politicos viros præſtantes; *Chriſtophorum ab Hoem* nobilem, & *M. Truckenroth*, Bernburgenſem quondam Cancellarium, ac præter hos, Notarium publicum, & ſcribas duos: qui diligentiſſimè, quantum fieri potuit ſingula colloquii verba exceperunt. Etſi autem initio conſtitutum erat, ut collocutores eſſent duo, atque *Kemnitius Amelingo* oppoſitus eſt; tamen cum præter expectationem hic adeo ſe ſtrenuum, & tam in reſpondendo promptum, quam in opponendo arguendoque argutum præſtaret, & *Kemnitium* facilè confunderet, nec in minimo ipſi cederet, non tulit *Schmidelinus*, hanc ignominiam, ſed contra pacta aut conventa, ipſemet quoque *Amelingum* adortus interpellatione crebrâ, & importunitate ſuâ eum conturbare conatus eſt. Cujus exemplo & impulſu cæteri quoque (præſertim imprudens illud os *Selneccerus*) permiſcuè inſtar non tam ebrioſorum ruſticorum, quàm immanium beſtiarum vociferari & clamores confundere cœperunt, ita ut non amplius ratione & oratione, ſed clamoribus & vociferationibus res ageretur. Itaque difficile fuit Politicis Anhaltinis inſulſos ac beſtiales illos clamores cohibere. Conflictus is duravit dies quatuor habitæque ſunt Seſſiones 7. Primis quinque Seſſionibus magna ex parte diſceptatum fuit de dogmatibus, in quibus Anhaltini ſuam ſententiam ſtrenuè ſunt tutati, ita ut in re nulla vel minimum ceſſerint Bergenſibus : Sextâ Seſſione ſolus *Schmidelinus* pro authoritate Pontificiâ à ſeptimâ matutinâ ad mediam undecimæ continuè peroravit, occupatus partim in refutandis octo cauſis, quas Anhaltini in medium adduxerunt, propter quas in ſententiam Bergenſem deſcendere, ipſorumque librum approbare non poſſent: partim blandimentis verborum atque pollicationibus ipſos à propoſito abducendi, uſus compellationibus amiciſſimis, obteſtationibus duris, denique in ſuum caput invocationibus, niſi gloriam Chriſti ſpectaret in hac tota actione. Diſceſſum inter eos tum amicè eſt, ita ut *Iacobus* ſpem conciperet Anhaltinos aliquid largituros. A meridie poſt 12. ſeptimâ vice conventum ubi eſſet, Anhaltini finem colloquio impoſituri inſtructi veniunt. Ac initio *Amelingus* de ſcripto : recitavit brevem recapitulationem totius Colloquii omnium articulorum, qui in controverſiam venerunt : Bergenſibus erroribus aſſertiones ſuas opponens, breviter de ſingulis rationes reddens, propter quas à vera ſua ſententia diſcedere, ipſiſque aſſentiri nec velint nec poſſint : cumque ſuum penſum abſolviſſet Amelingus, huic continuò ſuccedens *M. Petrus* collega ejus, ſimiliter de ſcripto recitavit proteſtationem, quâ teſtati ſunt, quod in Colloquio hoc nihil de ſua ſententia ceſſerint aut largiti fuerint Bergenſibus Patribus, & quod de ea Eccleſia omni-

omnibuſque piis & bonis viris, quique non præjudicio occupati eſſent, ſed candidè judicantibus, quovis loco & tempore rationes reddere parati eſſent, quibus etiam ſe & ſuam confeſſionem de ſuis Articulis controverſis ſubjicerent, provocando ad legitimam cognitionem & dijudicationem in libera Synodo. In fine excuſationem ſubjecit, quod nec nunc, nec in poſterum unquam Sphyngebergenſi calculum ſuum addere aut ſubſcribere poſſint. Sicut nec Brentianæ Vbiquitati, & *Iacobi* Realitati. Hæc ſcripta cùm Bergenſes Patres recipere recuſarent, tradita ſunt Notario, ut ad acta referantur.

Schmidlini minæ. *Iacobus* hac re ita commotus fuit, ut furibundo ſimilis plauſtra convitiorum & minarum contra *Amelingum* effunderet, palam minitans, ſe Electores cæteroſque Principes contra ipſum concitaturum, quorum indignationem paulò pòſt ſenſurus eſſet. Is verò cauſæ bonitate & conſcientia rectè factorum fretus, nihil aliud reſpondit, quàm wir müſſends Gott befehlen / deß dieſe Sach iſt. Huic *Schmidelinus*, wolan ſo ziehend widerumb hin mit eweren armen Leuten daher ihr kommen ſindt. Quæ verba in ipſius Principis, quem nimium perſtrinxerit, contumeliam ſeu contemptum dicta interpretantur. Ita utrinque diſceſſum eſt, fuitque hic Colloquii exitus: in quo Bergenſes Patres (plus confiſi ſeculari brachio, quàm veritate & bonitate cauſæ) quod teſtimoniis Scripturæ firmiſque rationibus obtinere atque evincere non potuerunt, id minis terriculamentiſque expugnare quaſi conati ſunt. Verùm ſpe ſuâ turpiter fruſtrati ſunt. Optimus Princeps Anhaltinus reverſis ſuis Theologis, cùm intelligeret, quid actum, quóve loco res eſſent, confirmavit ſuos, ſtatimque ſingulari curâ optimaque fide totum colloquium, ſicut à Notario & ſcribis de verbo ad verbum exceptum erat, in ordinem redigi, & deſcribi ad mundum curavit, adhibitis in collatione politicis, qui interfuerant.

Alius Theologus G. S. ad quendam de eodem Colloquio hæc ſcripſit: Iuſſit Illuſtriſſimus noſter Princeps N. N. ut Notario Colloquii Herzbergenſis, quod menſe Auguſto ſuperioris anni inter quinque Theologos Bergenſes (nam *Chytræus* abfuit) & Theologos Anhaltinos habitum fuit, nobis exhiberetur: Quo Colloquio ego nil unquam legi ſtultius & ineptius. Nos, quamvis in re ſeria, tamen ſæpè riſum tenere non potuimus, ita ſcurrantur & ludunt Bergenſes, præſertim *Iacobus*. Puderet me vehementer, ſi in manus Pontificiorum hoc Colloquium perveniret. Nihil ſolvunt ex fundamentis, ſed plerunque occinunt; hoc eſt hæreticum; hoc eſt hæreticiſſimum; hoc eſt Calvinianum; hoc eſt Sacramentarium; hæ ſunt calumniæ; hoc verum non eſt; hoc eſt ſophiſticum; convicti ſunt, & tamen nolunt cedere; hæc eſt blaſphemia, quâ afficitis Electores, Principes & Eccleſias; habetis vos malitioſum animum; non eſtis rectè inſtituti in Theologia, vos decipitis veſtrum Principem; Bullingerus, Beza, Simlerus, Stercoma, & omnes Sacramentarii ſic etiam docent: Veſtrum non eſt argumentum hoc, jam antea quoque audivimus.

Ihr habt ewer meynung mit der milch eingeſogen / und kompt nun mit herauß. *Tua Confeſſio non valet, & pugnat cum Luthero: non potes dediſcere, quæ didiciſti:* Es wirdt wol ein Mann auß jhm werden / *ſi velit cedere ingenio, quòd raro fit.* Wanner gleich gern willigen wolte / ſo hatet ſich ſo hart mit ſeinen Collegen verbunden / daß ers nicht thun darff. *Item*, Ihr verſtehts nicht: *Hæc ſunt Bezæ verba, &c. Hoc, inquam, modo reſponderunt Bergenſes.*

CAPVT XXIV.

Acta & Scripta Herzbergenſe Colloquium proximè ſequuta de ſubſcriptione Libri Concordiæ.

CLariſſimo viro Dn. Chriſtophoro Helphanti *Iuriſconſulto, duæ quæſtiones propoſitæ fuerunt.* Prima, *An paſtores, Eccleſiarum Miniſtri & Ludimoderatores, qui Auguſtanam Confeſſionem, in eaque comprehenſos articulos amplectuntur, nec aliam doctrinam, ab Auguſtana Confeſſione diverſam, ſe approbaturos profitentur, ſalvâ conſcientiâ, à ſuis Magiſtratibus, quorum imperio ſubjecti ſunt, ad ſubſcriptionem Libri Saxonici, ſeu Formulæ Concordiæ cogi poſſint, & ſi parere nolint, à conditionibus removeri? Ad hanc quæſtionem 3. Sept. Anni 1578. reſpondit*, hoc unicuique liberum eſſe debere, ne conſcientiæ graventur: & Deo plus quàm hominibus obediendum eſſe. *Item*, Si Formula Concordiæ Auguſtanæ Confeſſionis declaratio eſſe debeat, ut velint fabricatores ejus, tum quæri non immeritò, an declaratio Confeſſioni ſit præferenda? *Item*, Determinationem controverſiarum in Religione ex Sacris tantùm Literis petendam eſſe. *Ad hæc*, ſi Formula iſta Auguſtanæ Confeſſionis declaratio ſit, non tamen illam voluntate & authoritate omnium

Helphanti Iuriſconſulto duæ quæſtiones propoſitæ de Libri Concordiæ ſubſcriptione.

1. An quis ad ſubſcriptionem cogi, & ſi parere nolit propterea ab officio removeri debeat?

Ordinum Auguſtanæ Confeſſionis inſtitutam & approbatam eſſe. Quod autem omnes tangat, ab omnibus approbari debere: & cujus ſit determinare, illius etiam eſſe declarare.

2. Secunda, *An Paſtoribus & Scholarum Miniſtris, qui immediatè ſub Imperio, vel Principibus, Comitibus, Baronibus & Civitatibus degunt, & fortè ob negatam ſubſcriptionem a ſuis conditionibus removeantur, liceat apud Cameram Imperii litem alicui propterea intendere, & Cameræ auxilium, ſecundum Religionis pacem, implorare? Reſpondit*, Etſi grave hoc ſit, tamen Paulum Apoſtolum ad Cæſarem, Lutherum à Caietano Cardinale ad Leonem 10. Papam, & tandem à Papa ad Concilium provocaſſe. Schiſma etiam exoriturum in Articulis de peccato Originali & Cœna Domini; nam Cócordię Formulam nequaquam in fundamento de his cum Auguſtana Confeſſione conſentire. Concordiæ Librum monſtrare fundamentum doctrinæ de peccato Originali in Articulo Creationis, quòd nimirum Natura hominis ſit bona & integra, *&c.* Auguſtanam Confeſſionem autem hanc doctrinam, tanquam Pelagianam, improbare. Auguſtanam Confeſſionem pro fundamento præſentiæ Chriſti Corporis ponere verba Inſtitutionis: Formulam verò Concordiæ, realem communicationem Idiomatum, & Vbiquitatem Corporis Chriſti, quam tamen Lutherus in negotio Cœnæ improbarit. Ad hæc Principes communi decreto omnibus & ſingulis mandare poſſent, ſub comminatione excluſionis ex pace religionis, ne quis ante Synodum, quid doceat quod Auguſtanæ Confeſſioni contrarium ſit. Formulam Concordiæ omnes à ſe diſſentientes in doctrina damnare, idque ſine legitima cauſæ cognitione: hunc verò injuſtiſſimum eſſe proceſſum & agendi modum: nemini enim licere quenquam, niſi ex verbo Dei, damnare: nam juriſdictionem Bergenſium limitatam eſſe. Præterea, doctrinam de Reali communicatione falſam eſſe, quod facilè probari poſſit: eam verò Concordiæ formulam pertinaciter defendere. Condemnatos etiam in hac Formula nondum ſatis auditos eſſe: cum tamen vel ipſe Arrius non inauditus condemnatus ſit: ac licet in Concilio Niceno non præſens fuerit ſcripta tamen ejus in Concilio lecta & judicata fuiſſe. Similiter in Concilio Conſtantinopolitano Macedonium, in Epheſino Neſtorium, in Chalcedonenſi Eutychem, hæreticos auditos eſſe. Imò nec ipſum Deum primos parentes noſtros inauditos condemnaſſe. Hieroſolymis Apoſtolos conveniſſe ad dijudicationem quæſtionis de obſervatione Legis, in qua controverſia omnium ſententiæ ſufficienter auditæ ſint. Paulum ad Galatas ſcribere, ſe Petro palàm reſtitiſſe, & ei coram omnibus dixiſſe. *Si tu, cum ſis Iudæus*, &c. Subſcriptiones non ſine legitima cauſæ cognitione, in Cóncilio vel Synodo factâ, urgeri debere. Et licet Synodus promittatur, proceſſum tamen non ab exequutione inchoandum: Nam etiam Lutherum Mantuanos Articulos, quibus alii ſubſcribere debebant, prius Schmalcaldiæ dijudicandos & examinandos exhibuiſſe. Ex nulla Eccleſiæ hiſtoria demonſtrari poſſe, ante Synodum Formulam aliquam Concordiæ conſcriptam, & aliis ad ſubſcribendum oblatam fuiſſe. Multos quoque metu ſubſcripturos, ne pro ſchiſmaticis & ſeditioſis proclamarentur Formulam Concordiæ omnes Paſtores Eccleſiarum papaliter cogere, ut ſubſcriptione ſuâ approbent, & pro rato fixoque recipiant, quod à ſex tantum hominibus ſcriptum & decretum ſit, (quod tamen Lutherus in Libro de Conciliis in Pontifice Romano reprehenderit) ut hoc pacto omnia Schmidlini paradoxa ratificentur. Cumque Septuaginta duo interpretes omnem Sacræ Scripturæ mentem & ſenſum planè & plenè non ſint aſſecuti, non exiſtimandum, earum ſenſum ſex tantum hominibus revelatum eſſe. Quod etiam in Concilio Epheſino novæ phraſes contra Neſtorium formatæ ſint, non à ſex tantùm, ſed aliquot centum viris, pietate & doctrinâ pręſtantibus; & quidem cum Imperatoris authoritate, factum eſſe. Formulam quoque Concordiæ pro Norma Chriſtianæ religionis recipi non poſſe, quæ & ipſa Normæ fidei non ſit analoga, ſed contraria. Privatis denique hominibus æquè conceſſum eſſe doctrinam fidei dijudicare, verumque a falſo diſcernere, ac illis qui in cathedris Eccleſiarum ſedeant: nam etiam plebeios inter Chriſtianos ſacerdotes Dei eſſe.

An ob negatam ſubſcriptionem remoto ab officio liceat Cameræ Imperii auxilium implorare. Auguſtanæ Confeſſionis & Formulæ Concordiæ diſcrepantia.

Quum Theologi Bergenſes, Libri hujus authores, atque etiam Principes, quos à ſuis partibus habebant, ſubſcriptionem à reliquis Principibus & Civitatibus Imperii flagitarent & omnibus modis extorquere conarentur, Argentinenſes diutiùs de ſubſcriptione deliberarunt, quod tam multas, & tam præclaras ac florentes exteras Eccleſias non ſic temerè damnandas eſſe à Sex tantum Theologis piè & prudenter judicarent. Tum verò Iohannes Pappus *& Collegæ ejus in concionibus ſuis reprehenderunt hanc moram, deliberationem & cunctationem Senatus. Eos etiam in concionibus ſuis perſtrinxerunt, qui Senatus hujus dubitationis authores eſſe videbantur. Senatus tandem, præter expectationem*

Certamina inter Ioan. Sturmium & Pappum origo & progreſſus.

tionem Theologorum ſuorum ſubſcriptionem detractavit. Et opportuno tempore literæ Tigurinorum advenerunt : Concluſum enim erat à Theologis, ſe magiſtratui velle ſupplicare, ut ſubſcriptionem , quam Senatus recuſarat , ſibi liberam concederet , ſimulque etiam cauſas velle oſtendere , ob quas Senatus,ut idem faceret , divinâ lege teneretur. Sed literis Tigurinorum in Senatu recitatis , factum eſt,ut non ſolùm prius decretum confirmatum , ſed inſuper etiam concluſum fuerit. Miniſtris diſertè indicaretur,ne ſeſe huic negotio immiſceant, & à ſubſcriptione illius Libri penitùs abſtineant. Hæc res cauſa fuit maximarum turbarum in urbe Argentinenſi : ſicut totum hoc Concordiæ hujus negotium, juxta ominationem legati cujuſdam Hiſpanici aliorumque Principum & magnorum virorum , cauſa fuit multorum motuum , diſcordiarum & ſeditionum in Rebuſpublicis , Scholis & Eccleſiis : Ac nominatim occaſionem præbuit certamini inter Iohannem Sturmium *Scholæ Argentinenſis Rectorem , &* Iohannem Pappum *ejuſdem urbis Concionatorem , Anno Domini* 1578. *exorto.*

Pappus theſes diſputandas edit de charitate, revera autem de condemnatione exterarum Eccleſiarum.

Quum enim nihil profeciſſent Theologi ſuis invectivis , & tribunitiis concionibus , Pappus *aliâ viâ rem aggrediens , Theſes conſcripſit ,* De Chriſtiana charitate:*in quibus occultè quidem, vehementer urget condemnationem exterarum Eccleſiarum à Libro Concordiæ diſſidentium. Inſcriptio igitur pacem oſtendit : probatio vero aliam veſtem indutam habuit, & condemnationes ſeu gladium occultavit.*

Antequam verò has Theſes in lucem ederet, oſtendit eas D. Iunio *artium pro tempore Decano ; qui reſpondit , hoc tempus non eſſe idoneum de re tali Theſes adferre in publicum:oſtendit eas quoque* D. Marbachio, *qui ipſum ſimiliter monuit , caveret periculum. Rectori* Sturmio *non exhibuit eas, quod tamen leges Academiæ poſtulabant. Nihilominus* Pappus *Theſes edidit & diſputavit;ſperans,ſi eas publicè defenderet,tunc ſe ad Senatum recurrere poſſe , Theſes oſtendere, clamare. has publicatas, diſputatas junctas, & à tota Academia comprobatas fuiſſe , ideoque condemnationi iſti à Senatu ſubſcribendum eſſe.*

Prima diſputationis de theſibus Pappi actus.

In prima diſputatione quædam argumenta contra theſes has allata facilè ſolvit Pappus. *Interroganti verò* D. Sturmium *finitâ diſputatione , ecquam theſin falſam ipſa putaret eſſe? reſpondit multas , & argumenta omnia ſibi plumbea videri , quæ ab adoleſcentibus allata eſſent: alios fore , qui contra & ſcripturi eſſent & diſputaturi. Senſit hoc* Pappus *in ſecunda diſputatione , in qua* D. Beutheri *pædagogus illum graviter vulnerantibus argumentis urſit. Opponendi verò partes ad alium tranſlatæ , qui* Beutheri *domeſticus erat , honeſtæ familiæ adoleſcens, capitis quidem primùm leniùs agere , paulatim tamen magis inſiſtens , tandem ad εἰρωνείας etiam aſcendit. Interceſſit igitur Rector* Sturmius , *ut poſt ferias Paſchales diſputatio differretur,oſtendens res magnæ theſes eſſe; diſquirendum de illis accuratiùs; non unâ Scholâ expediri poſſe,ſe etiam habere,quod contra adferret,ſeque inſcio publicatas eſſe.*

Adoleſcens recuſans in diſputatione Pappi theſes in carcerem abducitur, & Pappo ſilentium imponitur ſed non paruit.

Adoleſcens verò iſte , juſſu Scholarcharum, in cuſtodiam abductus , & Pappo , *eorundem authoritate , interdictum eſt , ne amplius de his theſibus diſputaret. Ille contra contendit, honorem ſuum agi : neque ſolùm ipſe à Scholarchis hoc petiit , ſed etiam obtinuit à Theologico Conventu , ut duos mitteret ad Scholarchas pro diſputationis reſtitutione : duos ad* Sturmium, *ut diſputationem non recuſaret , & adeſſet , ne qui adoleſcentes petulanter in diſputando inſiſterent. Adfuit igitur* Sturmius, *& cum* Pappo *congreſſus eſt. Fuerunt itaque theſes iſtæ* Pappi *fundamentum totius controverſiæ , quæ inter* Sturmium & Pappum *ſecuta eſt.*

Sturmius quid reprehenderit in theſibus Pappi.

Reprehendit Sturmius *in theſibus* Pappi, primò;*quòd iis videretur peti authoritas non ſolùm Academiæ , ſed etiam Scholarcharum , qui Academiæ Argentinenſis ſint Patroni , atque etiam Magiſtratus Argentinenſis,ſi exteris Eccleſiis reformatis videatur tales theſes diſceptandas & publicandas* Pappo *conceſſiſſe , quales inde ab exordio renovatæ lucis Evangelicæ uſque in hunc diem in nulla Academia Evangelica à viris bonis & prudentibus , paciſque amantibus eſſent aut fuiſſent propoſitæ.* Secundò , *quòd etiam authoritas ageretur Principum aliquorum, atque etiam Eccleſiarum aliquot Saxonicarum, quæ Saxonicæ & Auguſtanæ Confeſſionis eſſent, qui Libro Concordiæ , ſeu novo Corpori doctrinæ ſubſcribere recuſarent , & qui* CONDEMNATIONIS *durum verbum molliendum putarent , quod* Pappus *in ſuis theſibus retinere voluerit.* Tertiò , *quòd veteris etiam Auguſtanæ Confeſſionis honor , nomen atque exiſtimatio ageretur.* Quartò , *quòd iſta publicatio theſium* Pappi *facta eſſet contra legem Academicam, quæ lata ſit de theſibus & declamationibus exhibendis. Quòd inſcriptio theſium Charitatis quidem haberet dulciſſimum nomen , ſed tota oratio conficeretur & deſineret in condemnando. Quod Patroni errorum non eſſent , quos ille hiſce theſibus ſuſpectos reddere conatus fuiſſet.* Quintò, *quòd theſes aut ad rem non facerent , aut plenæ non eſſent,aut eſſent ambiguæ.* Sextò,*quòd eventuræ eſſent ex his theſibus diſcordiæ multæ & magnæ,multa cædes & ſupplicia,& laniena apud exteras Eccleſias : fore enim , ut apud eas non lupi ſolùm petantur , ſed etiam oves mactentur, & unà cum zizania triticum conculcetur.* Septimò , *quòd condemnationem ſpirent Helveticarum , Gallicarum , Anglicarum , Belgicarum,*

Scoticarum, & aliarum Eccleſiarum: quæ annos jam propè LX. à primo principio renovata doctrinâ ſuo ſanguine, multis Martyriis ſuam Confeſſionem & doctrinam comprobarint. Octavò, quòd longè ſuis theſibus, & ſuo inſtituto & exemplo à Buceri inſtituto & exemplo declinet Pappus, qui dixerit, nunquam ſe condemnaturum eſſe aliquem, in quo aliquid Chriſti eſſe videret. Facta hæc ſunt 8. 15. & 22. diebus Martii Anno 1578.

Pappus reſpondet Sturmio.

Reſpondit autem Pappus Sturmio, & defendit primò, Theſium ſuarum publicationem: Secundò, Inſcriptionem & Præfationem: Tertiò, ipſas Theſes: Quartò, Modum ſuæ defenſionis.

Antipappus ſecundus Sturmii, & Pappi ad eum reſponſio.

Sturmius verò mox ei oppoſuit Reſponſionem aliam, quam Antipappum ſecundum nominavit; in qua ad ſingula argumenta Ioannis Pappi ſolidè reſpondet: atque totius ſequentis controverſiæ initia eruditè & verè demonſtrat. Subjunxit huic Pappus brevem reſponſionem, quæ tantùm eſt Epitome ſuperioris Pappi Orationis ſeu Reſponſionis.

Sturmii Antipappus tertius.

Hanc verò Reſponſionem confutavit Sturmius Antipappo tertio, quem Epitomicum vocavit. Atque hi Antipappi tres, in lucem editi ſunt neſciente Sturmio, Anno 1579. Neoſtadii Palatinorum. Mox etiam edidit Antipappum Majorem, qui ſecundus liber eſt, quo Pappi refutationem ſui primi Sermonis diluit Sturmius.

Hoſiander Antiſturmium edit.

Lucas Hoſiander Pappo auxilium laturus, Antiſturmium edidit. In eo Primò agit de damnatione Eccleſiarum ab Auguſtana Confeſſione & Libro Concordiæ diſſidentium, quam in novo illo Corpore Doctrinæ fieri negat, quantumvis doctrina ipſarum damnetur. Secundò, de doctrina diſputat illarum Eccleſiarum, quæ Vbiquitati Corporis Chriſti opponitur. Tertiò, Sturmius Sturmio qualis ſit oſtendit. Atque hæc huc uſque de ſcriptis polemicis Sturmii & Pappi: cætera quæ ſecuta ſunt, à nobis ſuo loco referentur.

Conventus Iuterbocenſis in quo de ſubſcriptione Formulæ Concordiæ actū, ſed nihil impetratum eſt.

Anno 1579. ſub finem Ianuarii menſis Patres Bergenſes omnes Iuterboci convenerunt, adjunctis ſibi Saxonis, Brandeburgici & Adminiſtratoris politicis nonnullis. Ad hunc Conventum ſeveris Adminiſtratoris mandatis Interbocum ad examen vocati ſunt reliqui duodecim Proteſtantes, de quibus ſupra diximus, nempe D. Saccus cum collega ſuo, tres Concionatores ex veteri urbe Magdeburga, M. Nicander Hallenſis Paſtor, M. Maii Collega, M. Dionyſius Calbienſis Paſtor, M. Auguſtus Menius Paſtor in Dama, Paſtor in nova urbe Magdeburga, Paſtor in Mælleren, Paſtor Alveſlebianus, & Paſtor in Loberck. Capitulares autem Magdeburgenſis interdixerunt ſuis Concionatoribus D. Sacco & Collegæ ejus, ne pedem inde moverent, nec ſiſterent ſe coram iis, qui in hac controverſia ſeu cauſa partis vicem gerant, non Iudicis. Siquidem Bergenſes iſti Theologi habeant, de quo ipſos accuſare velint, faciant id coram toto venerando Capitulo, tanquam Iudice competente & ordinario. In hanc etiam ſententiam graviter reſponderunt Adminiſtratori, ipſius etiam hac in parte juriſdictionem recuſantes, ſuoſque Concionatores, quòd non poſſint nec debeant comparere, excuſarunt, & in hoc ſuo propoſito etiam ter iterato mandato Adminiſtratoris perſeverarunt. Magdeburgenſis verò Senatus horum exemplo permotus, ſimiliter recuſavit ſuos Concionatores examinandos, exagitandos atque ludibrio habendos, iſtis hominibus, quos pro hoſtibus haberent, ſiſtere, in loco præcipuè alieno, tanquam judicibus, pro quibus eos nullo modo agnoſcerent. Adminiſtrator, licet mandatum initio iterarit, nihil tamen obtinuit. Idem factum eſt de Paſtore in nova urbe Magdeburga. Reliqui ſeſe ſiſtere coacti ſunt, cum quibus Bergenſes Patres, præſentibus politicis, Conſiliariis Adminiſtratoris, multùm laborarunt, ut eos in ſuam ſententiam pertraherent, quo & ipſi, omni exempto ſcrupulo, & abſque omni recuſatione Librum iſtum Sphingis pro orthodoxo haberent. Tantundem autem obtinuerant, cùm omnes palàm profeſſi fuerint, ſibi in priore actione à Theologis impoſitum eſſe, unus præſertim M. Dionyſius Calbienſis acriter ſeſe eis oppoſuit. Ita dimiſſi tandem, juſſi ſunt domum redire, nihil eorum quæ geſta eſſent enuntiare, ſed expectare Adminiſtratoris ſententiam quæ qualis fuerit non eſt difficile conjectare.

CAPVT XXV.

Inquiſitio Saxonica à Iacobo Schmidlino inſtituta.

Conventus Torgenſis.

ANno eodem Februarii 2. die indictus eſt Conventus Provincialis, non quidem omnium, ſed delectorum quorundam ex nobilitate, urbibus præcipuis, tribus Epiſcopatibus, Academiis & Conſiſtoriis. Capita deliberationis fuerunt, de reformandis & rectè conſtituendis Academiis, Conſiſtoriis, Eccleſiis & Scholis juxta hujus Concordiæ Libri regulam. De his omnibus Schmidlinus cum paucis aliis dicebantur concepiſſe jam antea certa quædam capita & formata, quæ in deliberationem ventura eſſent. Cum omnes in unum locum conveniſſent, Propoſitio publicè expoſita fuit, præſente Electore, 3. Februarii manè, commemoratis cauſis inſtitutæ deliberationis, cujus non unum caput fuit. Nam, ut dictum eſt, deformator ille Eccleſiarum generaliſſimus, & ubique præſens Apoſtolus, jam antea coacervaverat plauſtra novarum ordina-

Shmidlinus papaſiter in hoc Conventu ſe gerit.

ordinationum & reformationum, non ſolùm in Eccleſiis, Academiis, aliiſque particularibus Scholis, Conſiſtoriis, Noſocomiis, & Stipendiariis, ſed etiam de ſemeſtrium Viſitationum ac Synodorum tyrannica, ad modum Hiſpanicæ Inquiſitionis, conſtitutione, nec non omnium adeò reliquorum Eccleſiaſticorum ac Politicorum, ſummorum & minimorum officiorum ac munerum univerſali reformatione. Hæ ergo novæ ordinationes, ſeu reformationes à Schmidlino *conſcriptæ, ac ferè tercentum capitibus comprehenſæ, mox poſt factam propoſitionem, per ipſum* Schmidlinum *ſtatim in Cœnaculo amplo ordine prælectæ ſunt: qui quidem totum illum diem in illa prælectione conſumpſit, inſertis inſuper plurimis obiter, quæ in genere ad delectorum animos demulcendos & confirmandos ſibi addictos & obnoxios; è contraverò ad abſterrendos & cohibendos ſibi adverſantes maximè pertinerent, prout vafrum fabri illius ingenium ad ejuſmodi technas & fraudes fabricatum erat. Abſolutâ tandem ſub multam veſperam lectione, fœtum illum ſuum ſingulari ſuaviloquentiâ de meliore notâ commendatum, delectis Provincialibus amplius deliberandum tradidit, eumque ad inſtar vituli aurei Iſraelitici adorarent ſancteque colerent, pluribus hortatus eſt: Adjiciens, ſe, quo liberiores dicerentur ſententiæ, deliberationi in poſterum non interfuturum, niſi diſcrepantibus fortè ſententiis ipſo conciliatore & diremptore opus haberent. Atque hic fuit primi diei Actus.*

Acta ſecundi diei. *Poſtridiè eodem in loco de ſingulis capitibus ordine denuò relectis deliberationes haberi cœperunt, remoto* Schmidlino. *Cumque juſſi eſſent univerſi ac ſinguli ſub fide Religionis ſententias liberè dicere ordine, adjectis rationibus quibus moverentur, plerique animoſiores redditi ſeque mutuò cohortantes, ſatis in officio fuerunt. Mareſchallus D.* Johannes Löſer *ordine rogavit, ac diligenter collegit ſententias. Quod ſi una & conſentiens omnium, vel ſaltem maximæ partis ſententia eſſet, ſcripto illa ſtatim comprehenſa, publiceque prælecta, ac niſi quis monere aliquid, quod vel omiſſum, vel non rectè intellectum, aut incommodius ſcriptum eſſet, voluiſſet, approbata atque ad Acta repoſita eſt, ut Electori exhiberetur. Factum tamen non ſemel eſt, ut diſcrepantibus ſententiis iterum rogarentur, & ſecundum votorum pluralitatem decerneretur.* *Acta ſequentium dierum.* *Sic ſequentibus diebus progreſsione facta, ordine ad reliqua reformationis capita, is in tota deliberatione ſervatus eſt proceſſus: In hoc tamen factâ mutatione, quum videretur deliberatio in menſes etiam plures protrahenda, ſi, ut primis diebus cœptum & obſervatum erat, ſinguli ordine rogarentur ſententias, compendio rem acturi decernunt Præſides, ut ex Nobilitate, Civitatibus & Academiis, certæ deſignarentur perſonæ quæ communi reliquorum nomine ſententias dicerent.* Bernſtenius & Berlipzius *cum pleraque nobilitate, delectis ex Epiſcopatibus, Academiis, Conſiſtoriis & Civitatibus uno ore & animo apertè intrepideque præcipuis deliberationis, & Reformationis* Schmidlini *capitibus contradixerunt, tanquam impiis, tyrannicis & pernicioſis Eccleſiis & Scholis, Electori denique ipſi, totique Provinciæ ignominiæ labem aſperſuris. Factum non ſemel eſt, ut ſententiis diſcrepantibus, cum* Schmidlini *partibus adhærentibus,* Bernſtenius & Berlipzius, *cæterique præcipui delecti, acriter committerentur. Sed plerunque vicit melior pars in Articulis præcipuis, maximique momenti, ex quibus paucos, eoſque præcipuos conſignabo.*

Decretum eſt unanimiter, 1. ut in Academiis & Scholis uſitata doctrina ex Libris Methodicis D. Philippi, *ut hactenus conſuevit, proponatur, rejectis in univerſum Libris quos* Iacobus Schmidlinus *propoſuerat. Libri* D. Philippi *in poſterum omnes, ſicut & Biblia Germanica, ſine impedimento excudantur & vendantur.* *Decreta Conventus hujus Torgenſis.*

2. *Corpus doctrinæ maneat.*

3. *Conſenſus inter* Lutherum & Philippum *ſalvus eſto.*

4. *Viſitationes legitimè inſtituantur, adhibitis politicis, & contra, nec introducatur Inquiſitio Hiſpanica.*

5. *Ad Synodos non quatuor viri, quos* Schmidlinus *Generales vocat, ſed doctiſſimi & peritiſſimi quique ex Academiis, Conſiſtoriis & aliis locis convocentur, libereque ſingulorum ſententiæ audiantur.*

6. *Ad Academiarum conſtitutionem ac reformationem deligantur ex intimis Conſiliariis, aliiſque doctrinâ, pietate & rerum uſu excellentibus nobilibus certi, non adhibitis extraneis aut peregrinis.*

7. *Cancellarius Academiarum nullus (more Tubingenſis Academiæ) ſit aut conſtituatur, ſed vivatur ſecundùm vetera ſtatuta. In iis ſi quid mutandum videtur, communi decreto id fiat. Pro hoc Articulo Cancellarius Electoris acerrimè, inſtinctu* Schmidlini, *pugnavit, adeo ut univerſos graviſſimè offenderit.*

De Cancellario autem ita ſe res habet: Conſilium Schmidlini *erat, ſingulis Academiis peculiarem præterea Cancellarium, qui & Theologus ſit, & Electori peculiariter, non verò Academiæ juratus, præficere. Illius ſumma ſit poteſtas in Rectorem & omnes; Is habeat Sigillum Academiæ; Solus ſcribat nomine Academiæ ad Electorem: Solus lectiones, diſputationes, promotiones, & omnia ſcripta publica diſponat & ordinet; Solus præſit Officinæ typographicæ; Sit animadſor in Profeſſores, In Conſiſtorio publico ſit* *Schmidlinus novum Papam in Saxonia, ſub nomine Cancellarii creare voluit.*

director ſententiarum, ſeu votorum. Taceo alia innumera. Talem Cancellarium omnes, quos dixi, unanimiter exploſerunt, oſtendentes, Academiarum & ſtudiorum interitum præſentem inde pendere. Invito igitur & contradicente Cancellario contra eum decretum eſt.

8. *Stipendiariorum fundatio prior maneat, nihilque in ea mutetur, niſi numerum Elector augere velit. Cætera, quæ non magni momenti ſunt omitto.*

Decreta hujus Conventus Electori traduntur fremente Schmidlino.

Hæc decreta delectorum ſcripto diligenter comprehenſa, additis rationibus & obteſtationibus Electori Auguſto *oblata ſunt 12. Februarii per Comitem* Burckardum Barbienſem, Bernſtenium, Berliptzium & Ioannem Lœſerum, *fremente* Schmidlino, *ac furente, minaſque ſpirante contra omnes, quòd res non ex animi ſententia ſucceſſiſſet. Elector, inito cum ſuis conſilio, decrevit, dimittendos convocatos, neque diutiùs detinendos.*

Solvitur Conventus.

Gratiæ igitur ſunt actæ univerſis ac ſingulis, non ſolum quòd vocati comparuerint, ſed in propoſita deliberatione fidem, diligentiam, dexteritatem & induſtriam ſuam probarint, additâ pollicitatione benignitatis & gratiæ ſingularis. Promiſit Elector ſe diligenter omnia perlecturum, & in conſilium abiturum fideles Conſiliarios, neque à judicio & conſenſu fidelium ſuorum ſubditorum diſceſſurum: Ad eam rem cùm juſto temporis ſpatio opus ſit, interea ſinguli domum redire juſſi ſunt; circa feſtum Paſchæ de ſua voluntate & ſententia Celſitudinem ſuam certiores redditurum ſingulos. Atque his Conventus iſte 13. Febr. dimiſſus eſt.

Schmidlinus Electori Sax. ſuſpectos facit Conſiliarios.

Schmidlinus *animadvertens conſentientibus omnium ſententiis ſeque ſuaque, ſuoſque acriter refutari atque explodi, ſtatim univerſos & ſingulos artibus ac dolis ſuis Electori ſuſpectos reddidit, perſuaſitque, Celſitudinem ejus in tota ditione ſua, etiam inter omnes Conſiliarios, ne unicum quidem habere fidum: Nec ſe, ſed Celſitudinem ejus peti, ac nunc omninò opus eſſe ſeverâ animadverſione: In poſterum non audiendos ullos ampliùs, ſed ad Executionem quàm primùm procedendum. His verbis adeò irritatus & inflammatus dicebatur Optimus alioquin & Clementiſſimus Princeps, ut qui ejus Celſitudinem obſervarunt, palàm dixerint, non viſam eſſe unquam antehac ita ſupra modum commotam.*

Elector Sax. Schmidlino Inquiſitionem ſoli tradit.

Rem itaque totam in Suevum iſtum rejecit, cui etiam omnia legenda & judicanda commiſit: tres etiam ei petenti adjunxit Notarios ſeu Scribas, quibus dies noctesque dictavit Theologus ſcilicet mandata ſanguine ſcripta.

Schmidlini literæ ſanguine ſcriptæ.

Vuitebergenſes inclementiſſimè ſcriptas literas acceperunt, quibus adjunctæ erant ſex quæſtiones inſidioſiſſimæ, ad quas tamen reſponderunt non minus cautè, quàm animosè & promptè.

Wier begehren her mitt ernſtlich befehlende. Ihr wollet euwre pflicht alsbald der Vniverſitát auf ſagen / wo ferne Ihr in unſer Raths beſtallung und dienſten bleiben und unſere gnade erhalten wollet: Uns auch ſchrifftlichen zu Schicken / ob und mitt was worten ihr ſolches gethan: Damitt wier neben andern ſolchen der Vniverſitát zu Schicken: Es auch dar für halten das wier daſſen hochwichtige urſachen haben. Sind auch ſonſten mitt gnaden gnádigſt gewogen.

Literæ de Schmidlini tyrannide.

Hinc ex Saxonia ad amicum quendam ſcriptum fuit, Schmidlinum, *in ea, quam inſtituerat Viſitatione ad quinquaginta ferè Paſtores, etiam qui Concordiæ formulæ ſubſcripſiſſent, parœciis & ſedibus ſuis ejeciſſe, propter ſolam ſuſpicionem, quòd non ſatis honorificè de iſta formula ſentirent & loquerentur. Conſiſtoriis etiam in Provincia iſta ademptam eſſe omnem cognoſcendæ cauſæ facultatem, ſive de dogmatibus, ſive de moribus & diſciplina alicui controverſia moveatur. Totam autem cognitionem revocatam eſſe ad aulam præcipue, & qui in ea præſideant Theologos, quorum ſint quinque, & inter eos coryphæus* Schmidlinus.

In eandem ſententiam alius quidam ſic ſcripſit: Iacobus Schmidlinus in Electoratu Saxoniæ & vicinis regionibus ſummam rerum Eccleſiaſticarum poteſtatem exercet. Viſitationem habuit, in qua Hiſpanicæ Inquiſitionis artificium imitatus eſt, & ultra 40. Paſtores parœciis ſuis exegit ac in exilium miſit. Minatur omnibus Academiis & Conſiſtoriis atrocia quæque. Cauſatur omnia plena eſſe ſecretis fraudibus. Dubitat de conſtantia eorum, qui libro Concordiæ ſubſcripſerunt. Profeſſores artium, qui Vuitebergæ in priori conſenſu manſerunt, quoniam ſibi quoque jam periculum certum imminere intelligunt, de dimittenda vocatione & diſceſſu cogitant, & jam aliqui diſceſſerunt. Dixit Schmidlinus publicè pro ſuggeſtu Vuitebergæ, jam 30. annis ex eo loco non fuiſſe veram & puram doctrinam de Filio Dei auditam, nec meliùs quicquam de eo docuiſſe Paſtores, quàm Turcicus Alcoranus faciat. Hâc calumniâ tota Academia & omnis populus graviſſimè offenſus eſt: nemo tamen audet querelam de tantis injuriis movere, *&c. Alius hæc ſcripſit:* Schmidlino & Selneccero authoribus cautum eſt, ne Corpus doctrinæ Philippi ſub pœna 3000. florenorum quis prelo ſubjiciat: ac eo res rediit, ut multi boni viri à ſuis officiis removeantur, quòd Philippi Corpus doctrinæ vel ſaltem improbare nolunt.

Paulo poſt in finibus ditionis Mechelburgenſis Conventus præcipuorum quorundam

Prin-

Conventus Mechelburgenſis in quo Regem Daniæ, Duces Holſatiæ & Pomeraniæ ad ſubſcr. pie complecti conati ſunt.

Principum, qui authoritate ſui nominis cauſam Iacob Andreanam hactenus promoverunt, celebratus fuit, in quo Elector Saxoniæ & Brandeburgenſis Regem Daniæ & Duces Holſatiæ ac Pomeraniæ, qui hactenus cum aliis multis Principibus Pandoram Bergenſem repudiarunt, ad ſocietatem ſubſcriptionis invitare & pellicere conati ſunt. Scripſit autem ad Regem Daniæ Paulus ab Eizen *gravem epiſtolam, in qua plures cauſas exponit*, ob quas Concordiæ formulam approbare ſe poſſe negat, & ad liberam diſputationem provocat, in qua, niſi errorum non tolerandorum in Eccleſia, factionem Ubiquiſticam non convincat, nullum ſupplicium ſe recuſaturum oſtendit.

Vuandalicarum civitatũ fœdus de non ferẽdis his in ſuis Reſpubl. qui libro Concordiæ nõ ſubſcripſerint.

Eodem quoque tempore ſeptem illæ Civitates, quas vulgò, Vuandalicas (die Wendiſchen Städte) nominant, & quarum capita ſunt Lubeca, Hamburgum *&* Roſtochium, *fœdus inter ſe iniiſſe dicebantur, ne quenquam cujuſcunque tandem ſit ordinis, in Rebuſpublicis ſuis ferant, aut ejectum recipiant, qui non conformem ſe per omnia novæ iſti Concordiæ formulæ gerat. Hoc non ſine peculiari exultatione & plauſu pro concione proclamantem* Pouchenium *audiviſſe ſe multi boni & fide digni viri confirmarunt, cùm ad gratiarum actionem pro tam egregiâ conventione auditores ſuos publicè exhortarentur: dixiſſeque eum inſuper teſtari ſunt*, ſe quantumvis pauperem, tamen, ſi daretur optio, decretum illud magnâ vi pecuniæ non commutaturum.

Nicolai Rhodingi judicia de Formula Concordiæ ejuſque ſubſcriptione.

Quum etiam Bipontino Principi Formulæ Concordiæ ſubſcriptio multum negotii faceſſeret, & hoc ipſo tempore ex Landgravii Theologo inſigni D. Nicolao Rhodingo, *Paſtore Marpurgenſi Eccleſiæ ejuſdemque Scholæ Profeſſore.* Panthaleon Candidus, *Superintendens & Paſtor Bipontinus quæreret, quid ipſe de Libro Concordiæ, & de toto iſto negotio ac controverſia, ſentiret & judicaret, inter alia hæc ei ſcripſit:* Plerique Verbi Miniſtri apud nos, ſine omni tergiverſatione, ſua ſubſcriptione librum illum approbârunt: reliqui cum conditione: nam dogma illud de Corporis Chriſti Ubiquitate probare noluerunt. In horum numero me quoque eſſe non diſſimulo. Cur verò ab illis diſſentiam, qui Ubiquitatem Corporis Chriſti ſtatuunt, paucis exponam, quia id à me requiris. Principio de Chriſti Corpore (quoad eius eſſentiam & ſubſtantiam) nihil aliud ſentire poſſum, quàm quòd de hominis corpore ſentiri debet: niſi veritatem corporis ipſius in dubium vocare velimus. Chriſtus ante & poſt glorificationem, non verbis modò Corporis ſui veritatem aſſeruit, ſed ſenſibus quoque videndam palpandamque propoſuit. Chriſti ergo Corpus viſibile, & per conſequens finitum

Redingus cur Ubiquitatem corporis Chriſti probare noluerit.

eſt. Chriſtus, quoad Humanam Naturam non eſt amplius in mundo, quia ad Patrem ivit & mundum reliquit. Quum de Lazaro dixiſſet Chriſtus Ioan. 11. *Lazarus mortuus eſt*; adjunxit dicens; *& gaudeo propter vos, ut credatis, quia non eram ibi.* Auguſtinus epiſt. 57. ad Dardanum clarè aſſerit, *Chriſtum ſuâ Humanitate nunc eſſe in Cœlis, & hanc Confeſſionem Chriſtianam vocat*, &c. *Vide plura parte altera noſtræ hiſtoriæ Sacramentariæ in principio Anni* 1580.

Eo ipſo etiam menſe quo mortuus eſt Rhodingus *ad* D. Rod. Gualtherum *Eccleſiæ Tigurinæ Paſtorem, ſic inter alia ſcripſit:* Placuit mihi inprimis ſolida tua confutatio argumentorum, quibus adverſarii ad ſtabiliendum ſuum dogma hodie uti ſolent. Illi verò omnia argumenta firma ſuo more eludunt, & ad hypoſtaticam unionem ſe convertunt, quam omnibus argumentis, quamvis firmiſſimis opponere ſolent. Novus Concordiæ liber, quem tu rectè *Pandoram* vocas excuſus eſt in Miſnia, & ſuperiore Menſe Maio venalis aliquandiu fuit: Venditio verò mox inhibita, quia Præfatio Principum deſiderabatur. Vidi nuper Caſſellis exemplar, ad Principem *Guilhelmum* miſſum. In fine adjectus eſt infinitus numerus eorum qui ſubſcripſerunt. Diſplicet ſanè multis piis & doctis viris, quòd tanta res à tam paucis hominibus ſuſcepta & acta ſit, quæ in communi aliqua & frequenti piorum & eruditorum Synodo deliberari & tractari debuit: ficut in veteri Eccleſia factum eſt. Non parùm etiam fabricatores iſtos perturbat, quòd multi doctorum virorum libri contra illum eduntur & paſſim circumferuntur. Metuunt ſiquidem ne doctorum & gravium Theologorum judicia non ſpernenda, authoritatem atque omnem fidem novo libro detrahant. Rumor huc perlatus eſt, *D. Bezam, Lambertum, Danæum*, te atque alios alios adornare & conſcribere librum, qui novo iſti fœtui opponatur, & maculas atque errores demonſtret & ob oculos ponat; &c. *Marpurg.* 6. *Septem. Anno* 80.

CAPUT XXVI.

De Præfatione Libri Concordiæ.

Bergenſis Præfationes Formulæ Concordiæ Principibus & Theologis fucum facere, eoſque ad ſubſcriptionem pellicere conantur.

QVum itaque, ut ex ſuperioribus patet, Elector Palatinus, Landgravius, *aliique multi Principes, Comites, Barones, & Reſpublicæ, Libro Concordiæ ſubſcribere recuſarent, priuſquam vel in libera Synodo examinatus*

natus, & ii, qui in hoc Libro condemnarentur, in ea quoque auditi eſſent, vel ſaltem ea mutarentur in iſto Libro, quæ in tranſmiſſis Cenſuris ſuis annotaſſent, quæque ipſos à ſubſcriptione dehortarentur, aliâ viâ Bergenſes Patres eos aggreſſi ſunt. Mens quidem eorum, ut antehac, ita nunc quoque immota & obfirmata manſit, de non corrigendo libro vel in minutiſſimo verbulo: hoc dolo autem & hac fraude præſtringere oculos & mentes optimorum Principum conantur, ſi Præfationem *libri conſcribant, & Principibus perſuadeant, ea quæ in tranſmiſſis Cenſuris ac judiciis in Libro Concordiæ deſiderata ſint, & plurimos à ſubſcriptione hactenus avocarint, præſertim quæ ad Vbiquitatem & phraſes ſeu modos loquẽdi inuſitatos pertineant, ſic eſſe in* Præfatione *declarata & explicata, ut citra omnem ampliorem deliberationem & moram bona cum conſcientia ei ſubſcribi poſſit.*

Concinnatores præfationis non Principes ſed Bergenſes Patres.

Placet hoc Conſilium idque etiam in Schmalcaldenſi Conventu proponitur & approbatur, fraus tamen ſub eo latens non animadvertitur. Die itaque 25. Februarii Bergam denuò Schmidlinus *cum ſuo Kemnitio veni, ibique Præfationem hanc conſcripſerunt, in qua ſuas* καινοφωνίας*, ſeu novas & hactenus in Eccleſia Chriſti inuſitatas phraſes ac modos loquendi de Perſona Chriſti, &, ut ipſi loquuntur, Divina Majeſtate Humanæ eius Naturæ,* primò *teſtimoniis Verbi Dei & ſacra Scriptura* deinde *etiam Patrum primitivæ Eccleſiæ probare conantur.*

Noctu prodigium Bergæ.

Eâ nocte quâ Bergam venerunt Duum viri iſti, inuſitatus quidam tremor magnum Templum concuſſit tanto prodigio, ut æditius, qui in Templo vigiles egerunt, totum ædificium corruiturum viſum fuerit. Sequenti die cum eſſent Cantores ad uſitatas preculas demurmurandas convocandi, Campana ad primum attractum rupta eſt, & pro tinnitu inſolitum barritum edidit.

Præfatio à Schmidlino ſcripta ſub nomine Principũ Formulæ Concordiæ præfigitur.

Etſi verò à duobus iſtis Bergenſibus Patribus Præfatio *hac concinnata & conſcripta fuerit, Principum tamen nomine, qui ſubſcripſerunt, Formulæ Concordiæ, tanquam Meduſæ caput, præfixa, & fraudulenter Illuſtriſſimis Principibus ſuppoſita fuit: quorum bonitate ac zelo, ut alias ſæpè, ſic jam etiam impudenter abuſi ſunt eoſque magnificis quidem, ſed tamen falſis & vanis pollicitationibus deceperunt. Non enim conceptam eam eſſe, ab Electoribus, aut eorum Conſiliariis & Secretariis in Cancellariis eorum, ſed in Vulcani officina fabricatam, Stylus, in primis verò hæc inuſitata & peregrina Præfationis verba,* Subſtantialiter, Habitualiter, Eſſentialiter, Formaliter, Subjectivè, &c. *ſatis produnt & declarant, quæ in Cancellariis ignotiſſima hactenus & à Bergenſibus ex impuriſſimis Scholaſticorum libris ad fallendos & decipiendos non ſolùm ſimpliciores ſed ipſos etiam Principes decerpta fuerunt.*

CAPVT XXVII.

Quæ Præfationem ſcriptam ſecuta ſint proximè.

Præfatio mittitur à Saxone Principibus.

P*Ræfationem ſic adornatam & ſcriptam cùm à Bergenſibus accepiſſet Saxoniæ Elector, eam cum Formula Concordiæ ſuo & Brandenburgenſis nomine rurſus hinc inde ad recuſantes Principes miſit, & ſubſcriptionem acrius quàm antehac nunquam flagitavit.*

Conventus Caſſellanus, ſubſcriptionem recuſantium. Capita in hoc Conventu ad deliberandum propoſita.

Martio igitur Menſe Anno 1579. *ab Illuſtriſſimo Principe* Vuilhelmo Landgravio *Caſſellas indicitur Conventus eorum, qui nec libro Concordiæ ſubſcribere, nec Præfationem, & editionem ſeu publicationem Libri approbare voluerunt. Anhaltini Principis nomine adfuerunt tres Superintendentes, quorum præcipuus fuit* M. Wolfangus Amlingus*: Landgravii autem* Superintendens *Caſſellanus* Bartholomæus Major, Georgius Shonius, Ferinarius *&* Pædagogiarcha: *Noribergenſium unus* Durnhoferus*: deinde multi politici Conſiliarii. In eo quæſitum eſt præcipuè,* quibus rationibus ſchiſmatis ſcandalum ab Auguſtanæ Confeſſionis Ordinibus declinari poſſet: Si Concordiæ iſte Liber, qui jam ſub prælo eſſe dicebatur, in publicum emitteretur? Quid denique Subſcriptionem recuſantibus conſilii capiendum, cùm pro veritatis aſſertione, tum ut teſtarentur, quàm graviter ferrent intempeſtivam crudi iſtius fœtus editionem.

Decreta huius conventus.

Rebus itaque probè ponderatis, communi omnium, qui adfuerunt conſenſu decretum eſt, ne quiſpiam nunc quidem ſcriptis cum authoribus Libri decertaret, quia metuere oporteret, ne ex defenſionibus graviores & pertinaciores utrinque contentiones ortæ, novæ liti materiam, & horribilibus in Eccleſia diſtractionibus cauſam præberent, quibus offenſi irritatique tam Principes quàm populus mutuis in ſeipſos odiis, haud dubiè in crudeliſſima tandem diſſidia, vel hoſtiles conflictus erupturis, exaſperari poſſent. Verùm ut his periculis maturè obviam iretur, viſum eſt, omnes vias ac rationes tentari debere, quibus publicatio Libri aut impediretur, aut ſaltem aliquò uſque protraheretur: Id quod facilè ab Electoribus Patronis Libri impetrari poſſet, ſi ad hos omnium recuſantium ſeu Proteſtantium nomine grave aliquod & nervoſum ſcriptum mitteretur, in quo ab iiſdem ſeriò peteretur, ut Dei inprimis, deinde & Sacro-Sanctæ veritatis

Religionis item noſtræ, pacis, quietis & Reipublicæ, denique etiam Reputationis Ordinum Auguſtanæ Confeſſionis rationem habere vellent, & hoc potius agerent, ut periculoſum ſchiſma & infinita mala ex hoc manatura, ab Eccleſiis & familiis ſuis averterentur. Itaque conſultiſſimum fore, ut priuſquam edatur Liber, in libera Synodo, ad veteris Eccleſiæ, & à multis Annis uſitatum morem examinandus & dijudicandus liberis omnium animadverſionibus, cenſuris ac ſententiis proponatur. Et hoc quidem eò magis faciendum eſſe, quia noſtræ Eccleſiæ idem ſemper à Pontificiis poſtulaverint. Si autem omninò neceſſariam hanc & juſtam cognitionem repudiare velint, cogitent, quàm ſiniſtræ in ſingulorum animis ſuſpiciones, quantæ etiam turbæ atque rixæ ſecuturæ ſint, ſi (quod primum atque proximum futurum ſit) Theologi, Principum ſuorum nomine ac patrocinio abuſi, homines innocentes & non auditos, ſine præcedente legitima, & veteri Eccleſiæ uſitata cauſæ cognitione, non niſi ex præjudicio multitudinis, & affectata dominandi in Eccleſia poteſtate, turpiſſimâ crudelitate pro more ſuo condemnare perrexerint: quid porrò eventurum ſit, ſi recuſantes Principum violentiam, & Theologorum furores à cervicibus ſuis vel inviti depellere cogantur, &c. Hoc igitur argumentum prolixè tractatum & ſcripto comprehenſum eſt, additis ſuis locis ad rem pertinentibus & cauſis, quæ alicujus momenti viſæ ſunt, plurimis: videlicet.

Mala ex publicatione cō-demnationum ſecutura.

I. Hoc certè primum fuiſſe Electorum conſilium, ut Concordiæ Liber in publico & libero Conventu propoſitus atque examinatus appobaretur: Sed nunc authores peſſimæ cauſæ ſuæ diffidentes, repudiato ſalutari hoc conſilio, aliam viam quærere, quâ violento impetu, nullo jure injuriis maximis perrumpere valeant.

II. Cùm Libro præfixus Titulus ſit, VNIVERSALIS, Perſpicuæ, planæ & abſolutæ Repetitionis & Declarationis aliquot Articulorum Confeſſionis Auguſtanæ, *neceſſitatem poſtulare, ne edatur ille, niſi prius vel ſaltem Ordinum Auguſtanæ Confeſſionis conſenſu judicioque requiſito: quod ſi ſecus, Titulum eſſe vanum atque adulterinum, neque hac in parte valiturum argumentum à multitudine, quod nec Pontificiis hactenus conceſſum fuerit.*

III. Proceſſum in colligendis & extorquendis ſuffragiis & ſubſcriptionibus eſſe inuſitatum, imò inauditum: eundem à nobis reprehenſum in Pontificiis: Conſiderari debere exempla Cyrilli contra Neſtorium, & quid Eutycheti acciderit.

IV. Doctrinam Libri (quod teſtarentur multa multorum Theologorum Iudicia & Cenſuræ) in pleriſque Articulis eſſe falſam, impiam, novam, periculoſam, nec Verbo Dei nec Auguſtanæ Confeſſioni conformem, in quibuſdam etiam diſſentientem ab iis Articulis, de quibus inter nos & Pontificios nulla unquam fuerit controverſia.

V. Si Liber iſte ſub nomine & authoritate Electorum publicari debeat, atque ita hi controverſias, à quibuſdam contentiiſis Theologis motas, ſuas facere velint, diligenter conſiderandum eſſe quibus rationibus defendere velint inſertas Libro condemnationes hæreticas eorum qui graviſſimis de cauſis bonâ conſcientiâ ſubſcribere non potuerunt: ſicut nuper Selneccerus *in quadam pagella contra* Bezam *ſcripſit* Eos, qui Libri huius fidem amplecti nollent diabolicæ pertinaciæ ſuæ permittendos eſſe. *Hoc inter Ordines Auguſtanæ Confeſſionis hactenus non fuiſſe uſitatum, neque ex his quenquam poteſtatem habere tale aliquid tentandi. Metuendum denique horribile ſchiſma inter Ordines.*

VI. His denique accedere, quod multi ex iis, qui ſubſcripſerunt, vel ex inſcitiâ, vel metu, vel quovis modo coacti, jam pœnitentia ducantur, & conſcientiæ doloribus non parùm vexentur. Quidam etiam non niſi certis conditionibus ſubſcripſerunt, perſuaſi, Synodi judicio Librum ſubjectum iri. Vbi ſi non communibus omnium ſuffragiis reciperetur, ſubſcriptionem ſuam pro nihilo habendam. Iam verò cum multi etiam poſt publicationem demùm intellecturi ſint, quantum ſubſcribendo peccaverint, præſertim cùm ſe turpiter deceptos viderint haud dubiè ſubſcriptionem ſuam retractaturos: Vnde facilè æſtimari poſſit, quæ probra, & quam enormia ſcandala ſecutura ſint. Addendum his, quod finem Liber à Principibus quæſitum & optatum, Concordiam nimirum reformatarum Eccleſiarum, & ſilentium Pontificiorum, nunquam aſſecuturus ſit.

Ex his omnibus in unum Syntagma collectis ac redactis, Scriptum concinnatum eſt argumento pio & prudenti, oratione que diſerta, & gravi & erudita, quod Landgravius Vuilhelmus *&* Princeps Anhaldinus Ioachimus Erneſtus, *ſuo & reliquorum Proteſtantium nomine ad* Saxonem *&* Brandeburgicum *miſerunt Mens tamen Saxonis immota manſit de edendo & publicando Libro,*

Electori Palatinum monet Landgravius ut ſubſcriptionē paulisper ſuſpendat.

Quia etiam conſtabat, Præfationem Bergenſi libro præfigendam, Ludovico *Electori Palatino jam tranſmiſſam eſſe, & ſubſcriptionem Bergenſis Sphyngis denuò ab eo peti, ac metuendum erat, ne Elector ſe flecti pateretur,* Landgravius *literas ad eum mittit, quibus eum de Conventu Caſtellano certiorem facit, petitque, ut ſubſcriptionem pauliſper ſuſpendat, pollicitus, ſe, quod in Conventu illo deliberatum fuerit, cum ipſo poſtea communicaturum eſſe, quod etjam factum eſt.*

Elector,

Ludovicus Elector Palatinus tandem ſubſcribit Formulæ non tamen abſolutè.

Elector *verò* Palatinus, *licet primùm difficilem ſeſe in ſubſcriptione Libri, niſi in quibuſdam mutaretur & corrigeretur, exhibuerit, quoniam tamen ſibi perſuaderi paſſus eſt à* Schmidlino *& aliis, ſuis prioribus objectis, cenſuris & admonitionibus, quæ Celſitudinem eius à ſubſcriptione hactenus avocarant, in* Præfatione *ſatisfactum eſſe, ſubſcripſit etiam ipſe tandem, non tamen abſolutè & ſimpliciter, ut cæteri Electores & Principes, ſed ita, ut nomen ſuum in Catalogo Electorum & Principum, qui ſubſcripſerunt, ſaltem eſſe pateretur. De quo* Lucas Hoſiander, *poſtea in ſcripto quodam circa Annum Domini* 1583. *publicato, ut Heydelbergenſes referunt in Epiſtola ſua conſolatoria ad* Schmidlinum *&* Hoſiandrum *Anno* 84. *edita, indicat,* Ludovico Electori Palatino diu multumque diſſuaſum fuiſſe Libri Concordiæ receptionem ac ſubſcriptionem, multoſque ſcrupulos illi diu obtinuiſſe, donec illi VIS fieret, & NECESSARIO ac ſine INTERMISSIONE Liber iſte publicandus eſſet: tunc hoc ab eius Celſitudine poſtulatum fuiſſe, ut ſaltem NOMEN SVVM IN ILLO LIBRO eſſe pateretur. *Egregia certè ratio iſtorum Theologorum: Si quis ita ſentiat, ſive non ſentiat; ſive ſcrupulos habeat, ſive non habeat ſaltem ſuum* Nomen *alicui ſcripto adſcribi patiatur. O irrefragabile argumentum Conſenſus Optimi Electoris, quod multis, & frequentibus, & importunis legationibus, & fallacibus orationibus ab eo Theologi ſub nomine Principum extorſerunt, ut Nomen ſuum in Bergenſi Formula ſaltem eſſe pateretur. Eſt & hoc luculentiſſimum argumentum, nullius, per quàm exigui conſenſus Electoris, quòd in Catalogo obſcurorum virorum, Formulæ Concordiæ annexo, ne unius quidem Profeſſoris, Paſtoris aut Ludimagiſtri in toto Palatinatu nomen continetur.*

Hoſiander de ſubſcriptione Electoris Palatini Pag. 32. Pag. 15.

Interea Dominicâ primâ poſt Trinitatis, quæ tunc incidit in diem 21. Iunii Iacobus Schmidlinus *ut Academiæ Studioſis & plebi Civitatis Concordiæ Librum commendaret, &* Philippi *ſcripta Theologica in contemptum ac odium adduceret, tribunitiam concionem Vuitebergæ habuit, contra* Philippum Melanthonem; *de quo dicere non erubuit, quòd Auguſtanam Confeſſionem eiuſque Apologiam corruperit & adulterarit, & in eius Corpore Doctrinæ inſignes nequitiæ, doli ac fraudes contineantur.*

Verba eius formulæ hæc fuerunt: Erſtlich hat man ſich vnderſtandẽ die Augſpurgiſche Confeßion zuverfelſchẽ/ wie ſie dañ auch verfelſcht iſt. Mercks wol/ dañ das iſt waar daß wort ſind rauß gethan/ darauf der gantze handel beruhet vñ ander dargegen wider ein geſetzt. Vñ hat man das thůn dörſen ein dẽ Bůch/ daß nicht eines Mañes/ nicht zweier nicht dreier ſonder/ es ſind mehr leutte darbey geweſen/ da man ſie gemacht: / vñ iſt ein Bekantnuß der Fürſten vñ Herren/ die ſolt man zuvor darumñ gefragt haben/ ob es inen gelegen/ daß man wort herauß/ vñ ander dagegen hinein thue: Dañ es gebürt einẽ Mañ nicht/ es iſt eine gemeine Confeßion. Damit man aber nicht ſagen vñ gedencken möcht/ es ſeye erdichtet vñ ohn geferd geſchehen/ ſo wil ich hie zum exempel ſagen von dẽ Artickel deß Nachtmals Chriſti. Da zuvor geſtandẽ/ daß der leyb vnd das blutt Chriſti warhaftig gegenwertig im H. Nachtmal ſey/ da hat man daß wörtlin/ Gegengenwertig/ rauß gethan/ daß hat rauß gemüßt: Mercks wol/ rauß hats gemüßt. Das heißt ia verfelſchen/ mich erklerẽ:/ Dañ Gegenwertig/ iſt ein gůtt Teutſch wort. Hie kan E. L. wol abnemmen/ wohin es gemeinet ſey. Item/ eben in dem ſelben Artickel iſt zuvor darbey geſtanden/ vnd wirt die gegelchr verworfen/ daß hat man auch herauß gethan/ hats außgelöſchet. Dz iſt ia eine grobe verfelſchung/ ein groß Bubenſtuck/ es ſolts ia ein paur verſtehen/ der nicht läſen oder ſchreiben kan.

Darnach wer der ſchreiber geweſen der Apologia/ alda in der Apologia im Artickel von dẽ Freienwillẽ iſt geſtandẽ/ daß allein der H. Geiſt in vns wircke: / Da hat man das wörtlin/ Allein/ außgetilget vnd weg geſtrichẽ. Darnach/ da zuvor geſtandẽ/ Das wircket nicht deß menſchẽ wille/ da hat man das wörtlin/ Allein/ wider hinein geſetzt/ vnd ſo geleſen/ Das wirckt nicht allein deß menſchen wille. Zuvor hats geheiſen/ Der Freyewille wircket nichts: / Jetzund heißt es Der Freye wille wirckt nit Allein. Wenn daß ein Juriſt thete in weltlichẽ ſachẽ/ ſagte man/ es were ein Bubenſtuck: In geiſtlichen ſachen/ obs nicht ein Schelmenſtuck heiſſen ſoll/ oder wz anders/ gebe ich iederman zuerkennen. Zu drittẽ/ D. Luther hat ein kurtzen Catechiſmũ gemachet/ den haben ſie verfelſchet/ vnd ſeine frage rauß gethan vnd andere fragen rein gethan/ vnd den titel gleich wol gemachet/ D. Luthers Catechiſmus. Iſt das nit mit bubenſtucken vmbgangen? Sind das nicht buben? Sind das nicht bubenſtuck? Iſt aber darbey nicht bliben/ ſonder man iſt damit vmgangen/ das man den leutten den Catechiſmũ Lutheri gar wöllen auß den händen nemen/ vñ haben einen newen Catechiſmũ gemacht/ den ſelben gantz genommen auß den buch Corpus Doctrinæ/ darinnen dieſe bubenſtuck alle ſtehen. Mercks wol/ auß den Corpus Doctrinæ iſts genommen darinnen alle ihre bubenſtuck ſtehen.

Ad hæc tamen verba furioſi iſtius hominis ſtrepitus ingens in ipſo templo à ſtudioſis excitatus fuit.

In eandem ſententiam ſcripſit etiam Schmidlinus de Philippo *in Admonitione ſua virulentiſſima ad* Iohan. Sturmii *Apologeticam epiſtolam. Verba eius hæc ſunt:* Philippus hab ein

es leider wahr vnd am tag / daß er einẽ gottloſen raht gebẽ. Es ſey auch offenbar / dz er nicht ſtandhaft geblibẽ / ſondern ſo bald Luther dẽ kopf nider gelegt / habe er mit ſeiner Philoſoph. Theologia vnd falſcher vnreiner lehr / angefangẽ nit allein die iugend in irthum zuführen / ſondern auch die Kirchẽ / ia gantze Chur- vnd Fürſtenthum in abfall zubringen / mit ſeinem gottloſẽ werbarẽ rahtſchlag. An Weylandt Churfürſten Friderichen / Pfaltzgravẽ / hab er in der Churfürſtliche Pfaltz wie auch in der Chur Sachſẽ / vnd andern orthẽ mehr / einẽ grewlichẽ jammer vnd vnruhe geſtifftet / dz getrewe Kirchen vnd Schuldiener außgetriben / vnd an ihr ſtatt Zwingliſche Schwermer an genommen. Zu Wormbs auff eim Colloquio ſey Philippus ſo hirnſchelſig vnd trotzig geweſen / daß kein menſch mit im hernach kommen können: Er habe es alles nach ſeinem Schedel gemachet vnd außgeführet: vnd dergleichen mordio geſchrey mehr führet Schmidlin daſelbſt vber Philippum.

Quid nove cenſor agis, confidentiſſime fabrûm?
Qui ſolà fortis futilitate vir es.
Inque Melanthonis feſtucam quæris ocellis,
Nec propriam tollis tu miſer ipſe trabem.
Qui non agnoſcis præſtantia dona Philippi.
Eius & in nævis lumina fixa tenes.
Tolle prius, quæ multa tuo eſt in corpore mendam,
Dum potes errores carpere, carpe tuos.

CAPUT XXVIII.

Illuſtriſſimi Principis Iohannis Caſimiri Palatini Scriptum ad Fratrem Electorem Palatinum Ludovicum, in quo graves cauſas indicat, ob quas ipſe Concordiæ Libro, eiuſque Præfationi nec velit nec debeat ſubſcribere.

E*Lector quoque Palatinus Ludovicus poſt ſubſcriptionem ſuam ad Fratrem* Iohannem Caſimirum *Principem ſcribit* 20. *die Auguſti Menſis, eumque, ut idem faceret quod ipſe feciſſet, hortatur, quum omnia ſic in Præfatione declarata & explicata ſint, ut bona cum conſcientia hoc facere poſſit. Princeps* Iohannes Caſimirus *ei reſpondit* 22. *die Septembris & graves, maximique ponderis ac momenti rationes adduxit, propter quas eius Celſitudo aliique Principes, ne nunc quidem vel Præfationi, vel Libro Concordiæ ſubſcribere, eumque ſuo calculo approbare queant. Et quia Reſponſum hoc graviſſimum judicium piiſſimi Principis non tantum de Concordiæ libro, eiuſque Præfatione, ſed etiam de tota Vbiquiſtarum doctrina continet, nec etiam publicè, quod quidem ego ſciam, exſtet, non gravabor & in perpetuam Principis memoriam, & in Lectoris gratiam integrum, è Germanico fideliter tranſlatum adjicere. Sic igitur de verbo ad verbum habet.*

Illuſtriſſime Princeps ac Frater dilectiſſime, literas Celſitud. T. Concordiæ opus concernentes, præteritis diebus accepimus, eaſque, unà cum adjuncta *Præfatione*, legimus: At non lubenter intelleximus Celſitudinem T. abjecto priori judicio graviſſimo, aliorumque Principum ſeriis & Chriſtianis admonitionibus, illud acceptaſſe & approbaſſe. Quoniam autem Celſitudinem T. exiſtimat *Præfatione* illa, eiuſque declaratione ita ſibi ſatisfactum, ut ampliore deliberatione opus non habeat: adhæc, dictum Librum Verbo Dei ſatis ſuperque munitum, eique per omnia conſentaneum: præterea, divinæ gloriæ, & Verbi Dei propagationi: Eccleſiarum item paci & tranquillitati, poſteritatiſque ſaluti accommodatiſſimum: concordiæ denique conſervandæ vinculo aptiſſimum, nec in cujuſquam detrimentum injuriam ac ignominiam conſcriptum: Ideoque Nos etiam fraternè adhortatur, ne à ſe aliiſque Principibus, qui ſubſcripſerunt, ſeceſſionem faciamus, & dictum Opus Pontificiorum ludibriis calumniiſque exponamus, ſed id ſubſcriptione quoque noſtrâ approbemus: Primùm quidem non dubitamus Celſitudinem V. ut & reliquos Electores ac Principes, qui hoc Opus procurarunt hactenus, bonum & laudabilem ſcopum præfixum habere: & revera nihil melius, nihilque laude foret dignius, quàm pium firmumque conſenſum in cauſa Religionis inſtituere ac conſervare: Nos etjam, dum hujus lucis uſurâ frui conceditur, nihil magis in votis habebimus, quàm ut ejuſmodi conſenſus inſtitui poſſit: Num verò Theologi illi, qui ſunt Operis hujus architecti, & quorum artibus Celſitudo T. cæterique Principes adducti, ſubſcriptionibus ſuis id approbarunt, eundem vobiſcum ſcopum, ſeu finem propoſitum habeant? an verò ambitione ſuâ impellantur, & ſuas ſemel conceptas opiniones & errores, ſub Electorum ac Principum nomine & authoritate, hominibus obtrudere, & palliare conentur? an etiam hic

modus

modus & via ſit ad partem, citra omnem præcedentem communem & legitimam deliberationem, ac conſenſum eorum, ad quos hoc pertinet negotium, ſuffragia colligendi, & in Chriſti Eccleſia concordiam plantandi? ipſe eventus ſatis ſuperque docebit: Et Celſitudio T. ſicut etiam *Elector Saxoniæ*, &c. ex *Reginæ Angliæ*, *Vuilhelmi Landgravii* Haſſiæ noſtris aliorumque multis & amantiſſimis admonitionibus, cauſas ob quas hoc Opus; non tam propter inconſuetum Proceſſum & agendi modum quàm propter monſtroſa & horrenda dogmata, quæ *Iacobus Andreæ* hoc Concordiæ libro Electoribus cæteriſque Principipus inſtillare & obtrudere conatur, diſſuaſiſſimus, jam antea cognovit. Cùm etiam ex Præfatione intelligere non poſſimus, quòd vel Celſitud. T. vel aliorum Principum judiciorum ulla ſit habita ratio, facile ex his intelligit C. V. cauſam nullam eſſe, propter quam à ſententia noſtra diſcedere debeamus, ideoque excuſatos nos fraternè habebit, ſi bonâ conſcientiâ, ſalvoque noſtro honore, hæc noſtra ſubſcriptione approbare non póſſumus: Idque ſequentibus de cauſis.

Primò, quod nemine hactenus ad deliberationem hujus operis legitimè requiſiti & vocati ſumus.

1. Cauſæ ob quas Ioh. Caſimirus Palatinus Libro concordiæ & eius præfationeſubſcribere nolit.

Secundò, quod grave nobis videtur, noſtra approbatione vel ſubſcriptione inſolitum proceſſum in Chriſti Eccleſia, & Religionis cauſa, per ſuffragia vel practicis emendicata, vel vi extorta, aliis in præjudicium confirmare. Si enim hoc valere deberet, concederetur, ut pauci quidam Theologi ſub nomine & authoritate Electorum ac Principum, poſſent aliis Religionis Statibus à ſe ipſis confictas opiniones obtrudere, vel etiam novum & peculiarem ſenſum Auguſtanæ Confeſſionis ab omnibus Ordinibus communiter receptæ, affingere: Quis, oro, tam obeſæ naris eſt, ut non ſubodoretur, ex hoc præjudiciali opere, ſi non majorem, at certè ſimilimum Papatui Primatum & peculiarem dominatum brevi tempore introduci poſſe? Illud quoque C. T. diligenter conſiderare & expendere debet, ſi alii quoque, qui ab horum Principum & Theologorum partibus non ſtant, idem ſuo tempore tentarent, & fortaſſe plures ſuæ ſententiæ ſubſcriptores approbatoreſque non tantùm in Germania, ſed etiam in toto Chriſtiano orbe, haberent quæ ſchiſmata, ſimultates, diſſidia dilacerationes & alia mala inde exoriri poſſent, & quid de iis poſteritas judicatura eſſet. In primitivæ Eccleſiæ hiſtoria legimus, in ſubſcriptionibus eiuſmodi longè aliu m modum uſurpatum obſervatumque fuiſſe: nec enim, niſi extremâ neceſſitate efflagitante, de rebus controverſis jam ſatis ſuperque ventilatis atque deciſis, ab iis qui publicis interfuerant deliberationibus non invitis aut coactis, ſed volentibus ſuffragantibuſque ſubſcriptiones petitæ ſunt. Arrianarum quoque controverſiarum exempla ſatis declarant, quàm magna detrimenta ex imprudenter & temerè extortis ſubſcriptionibus ſint conſequuta. Hiſtoriæ pariter teſtes ſunt locupletiſſimæ, quemadmodum publica Eccleſiæ certamina per talem proceſſum & agendi modum magis magiſque aucta ſint, tantaſque vires progreſſu temporis acquiſiverint, ut ignobilis multitudo iſtorum rixarum pertæſa, Mahometico Alcorano fores & feneſtras aperuerit. In hiſtoriis denique exempla invenire licet eorum, qui ſubſcriptiones ſuas non ſolùm aſtu, ſed minis etiam à ſeſe extortas, aut revocarunt poſtea, aut non ſine vehementiſſimo animi dolore & acerbitate vitam finierunt: ſicut etiam non ita pridem accidiſſe cognovimus, ut nonnúlli, qui libro Concordiæ ſubſcripſerunt, aut metu impulſi, aut fraude circumventi, cognito dolo, reque diligentius ſecum perpenſa, furore & rabie quadam correpti, aliiſve periculoſiſſimis animi motibus miſerè divexati fuerint.

2. Modus inuſitatus in cõſcribenda & ſuffragiis muniendà Formula concordiæ.

Tertiò, in lectione libri Concordiæ reperimus, complurium articulorum, de quibus hucuſque, ſicut etiam nunc, in Saxonicis tantum Eccleſiis certamen fuit, mentionem fieri, à quibus & noſtræ vicinæ Eccleſiæ Scholæque hactenus tutæ liberæque fuerunt, deque iis, non auditis partibus, judicium ferri, nimirum, de Libero arbitrio, de Peccato originali, de Fidei juſtitia, de bonis Operibus de Lege, de Adiaphoris ſeu ritibus Eccleſiaſticis & æterna Dei providentia. Cùm verò ſubſcriptiones poſt ſe trahant conſenſum & approbationem præſcriptorum articulorum præjudicium quoque, cum adverſæ partis reprehenſione: Celſitudo T. facilè æſtimare poteſt, quam nobis, aliiſque grave ac moleſtum ſit huic Concordiæ libro ſubſcribere, & noſtras Eccleſias alta pace, ſingulari Dei beneficio, fruentes, & ab offendiculi pleniſſimis ac pernicioſiſſimis concertationibus liberas, jam demum novis certaminibus & turbis implicare. Et ſi res penitius introſpiciatur, non alia occurret cauſa, cur auctores libri hujus & à ſe aliiſque motas controverſias Libro huic inſeruerint, quam ut ipſorum opiniones, quapropter

3. Eccleſias pace fruentes non eſſe certaminibus implicandas.

propter auctores apud pleroſque Chriſtiani nominis homines locum nullum, aut patrocinium invenerunt, ab Electoribus & Principibus approbentur, vt ab adverſarijs, non ipſi ſolum, ſed magni quoque nominis & potentiæ Principes ſimul oppugnentur.

4. Formulam Concordiæ eò ſpectare vt orthodoxa ſententia de Cœna extirpetur.

Quartò, tam ex *Præfatione*, quàm ipſo Libro Concordiæ manifeſtum eſt, eò Concordiam hanc Theologorum iſtorum cum primis ſpectare, vt ſincera ac pura doctrina de Cœna, eiuſque doctores & aſſeclæ, qui invidioſo Calviniſtarum nomine appellantur, funditùs excindantur & deleantur: quòd etiam illorum Articulorum de quibus ante hac pugnatum eſt, tantum ad fucum faciendum mentio fiat: cùm interim Oſiandriſtis, Flaccianis, Antinomis & Vbiquiſtis non parcatur ſolùm, ſed etiam phraſes eorum perverſæ & dogmata falſa ac impia excuſentur & defendantur in hoc Libro. Hinc in memoriam revocamus, quod antiquiſſimus doctor *Hilarius* rectè beneque ſcripſit. *Pacis nomen ſpecioſum eſſe, & pulchram Concordiæ opinionem, nullam autem veram pacem & ſtabilem concordiam niſi in Chriſto eſſe poſſe.* Herodi & Pilato conveniebat etiam de Chriſto, tamen execranda erat concordia. Non ſecus etiam in Papatu omnes contra Evangelicos conſentiunt. Eundem planè proceſſum Theologi iſti quoque tenuerunt: licet enim hactenus in mutua viſcera ſævierint, & inter ſeipſos hoſtiliter admodum dimicârint, tamen iam tandem ſepoſitis iſtis contentionibus cuncti vnanimiter adverſus miſeros Calviniſtas coniurârunt, omneſque ſuas vires in ipſorum perniciem coniunxerunt. Novit autem Celſit. T. quæ noſtra, & aliarum multarum in orbe Chriſtiano Eccleſiarum doctrina & Confeſſio ſit, quodque ea non tantum in Auguſtana Confeſſione eiuſque Apologia, ſi in ſano ſenſu intelligantur, fundata, & in Teſtamento Parentis noſtri, ſanctiſſimæ memoriæ, ratificata, ſed etiam aliquoties ſummo cum periculo vitæ noſtræ in exteris regnis ac nationibus facto & reipſâ propugnata, atque vnà cum Parente noſtro in Comitiis aliiſque Conventibus pro virili à nobis defenſa ſit. Si vero iam approbatione iſtius Libri agnitam & profeſſam veritatem damnaremus, Celſit. T. facilè iudicare poteſt, quòd de eo neque Deo neque mundo rationem reddere poſſemus: dicente Apoſtolo Hebr. 6. c. *Fieri non poteſt, vt qui ſemel fuerint illuminati, guſtaverintque donum Cæleſte, & participes facti fuerint Spiritus Sancti, guſtaverintque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri Seculi: Si prolabantur, vt denuo renoventur per reſipiſcentiam, vt qui rurſum crucifigant ſibimetipſis Filium Dei, & ad ignominiam exponant.*

5. In formula Concordiæ non tantum doctrina, ſed et quoque adhærentes damnantur.

Quinto, etſi à Theologis iſtis Celſitudini T. perſuaſum ſit, ſatisfactum eſſe in *Præfatione* de Condemnationibus, iis qui propter eas ſubſcribere hactenus recuſârint, eo quòd non perſonæ condemnentur, ſed falſa tantum & impura doctrina, vt ſibi quiſque ab ea facilius cavere queat: hæc tamen proteſtatio contraria eſt facto: Nam in dicta *Præfatione* apertis verbis dicitur, *non tantum falſam & erroneam, vt loquuntur iſti, doctrinam, ſed etiam illius præfractos & pertinaces doctores & defenſores damnari:* quibus verbis non alios procul dubio intelligunt Theologi illi, quàm eos ipſos, qui illorum portentoſa ſomnia & febriles phantaſias approbare nolunt, ſed contra eas ex verbo Dei ſcribunt ac docent, & conſtanter in agnita veritate perſeverant: hos inquam, neque in Scholis, neque in Eccleſiis, imò ne in ditionibus quidem ſuis pati & ferre volunt prorſus. Hinc omnibus cordatis & intelligentibus mirum videtur, quod prætendunt, nolle ſe Eccleſias extra Imperium Rom. Germanicæ nationis condemnationibus falſorum huiuſmodi dogmatum prægravare, quum tamen ipſo facto, contra Proteſtationem hanc, doctrina ipſorum tanquam falſa & impia damnatur, & qui eam recipiunt, in exilium pelluntur. Et quæ poteſt Eccleſiæ maior ignominia fieri? cur & Papa, aliique tyranni perſequuntur fideles, quàm quòd hæreticæ & falſæ doctrinæ inſimulantur, Papa cum ſuis ſententiam ferunt, & deinde politico magiſtratui, tanquam carnificibus ſuis, exſequutionem imperant, qui ſe rem gratam Deo facere putant, ſi tales ſunt, ferro ac flammâ inclementiſſimè perſequantur. Nec aliter ſe hæc iſtorum Proteſtatio habet, quàm ſi cui ad crucem vel ignem damnato diceretur, non perſonam, ſed perſonæ maleficium condemnari. Verùm quid opus eſt pluribus? Vbiquiſtarum libri legantur, & mox apparebit, ab illis omnes, ſuam doctrinam de Cœna non amplectentes, Turcis & Ethnicis deteriores proclamari. Neque etiam minus, ſed multò atrocius peccatum eſt, veritatem, vel incognitam doctrinam, quàm ipſam perſonam damnare. Quare qui tales Condemnationes & perſequutiones, libri Concordiæ approbatione, confirmant ac ratas habent, dictâ *Præfatione* ſeducuntur, & fruſtrà ablutione manuum ſuarum, culpam effuſionis Sanguinis, exiliorum & carcerum a ſeſe in alios transferre conantur.

6. Formula Concordiæ præter acta omnia in dubium vocantur.

Sextò, in *Præfatione* illa reperimus, quòd Religionis tractatio, ab Electoribus & Principibus bis Francofurti, & poſtea Numburgi inſtituta, cui etiam Illuſtriſſimus Pa-

X rens

rens noſter, ſanctæ memoriæ, interfuit, vbi Articulus etiam de Cœna Domini, cum alijs nonnullis declaratus, & Auguſtanæ Confeſſioni vnanimi conſenſu ab omnibus ſubſcriptum eſt: in ſuſpicionem vocetur, tanquam ſi ſub Auguſtanæ Confeſſ. prætextu & nomine, erroneas de Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti opiniones, alioſque prodigioſos errores, in Scholas & Eccleſias introduci tentatum fuiſſet. Hoc autem de noſtro Parente, laudatiſſimæ memoriæ Principe, eiuſque Scholis & Eccleſijs dici, prudentes facilè intelligunt. Itaque C.T. ſecum reputet, quanto nobis, Filijs eius, honori foret, & quid alij de nobis iudicaturi eſſent, ſi Dn. Parentis noſtri, aliorumque Electorum ac Principum tam exactè ponderatam, & vnanimi conſenſu confirmatam tractationem, libri Concordiæ approbatione, hac ſuſpicione prægravaremus. Ac vehementer miramur, huiuſmodi tractationes & ſubſcriptiones eò nunc demum aliquos detorquere & in hanc partem interpretari velle, quum omnibus, qui Numburgico Conventui interfuerunt, notiſſimum ſit, Electores & Principes eò venire recuſaſſe, niſi prius in hoc ab omnibus conſenſum ſit, vt omnes Condemnationes devitentur. Nec quenquam fugit, quid dilecto noſtro affini, captivo Duci Saxoniæ *Ioh. Friderico*, tum reſponſum fuerit, quum Condemnationes, præter voluntatem Principum, nominatim contra Dn. Parentem noſtrum vrgeret, & vt communi præſentium Electorum & Principum conſenſu ab hoc ſuo intempeſtiuo inſtituto avocatus fuerit. Adhæc Celſit. Tuam non præterit, cùm Anno 1566. Parens noſter in Auguſtanis Comitijs à Cæſarea Ma. & præſentibus Electorib. ac Principibus, turbulentorum quorundam Theologorum inſtinctu, interrogatus eſſet, quòd aliam, & quidem Auguſtanæ Confeſſioni contrariam doctrinam in ſuis Eccleſijs ac Scholis radices agere patiatur: quid reſponderit, ſe nimirum paratum eſſe, ex Dei verbo, Auguſtana Confeſſ. eiuſque Apologia, quam Nos, iuſſu Parentis noſtri illis exhibuimus ſuam doctrinam tueri ac defendere. Nullus autem inter omnes tunc fuit, qui ipſum falſæ & erroneæ doctrinæ arguere, multò minus convincere voluerit. Propterea C.T. alijque ſine ratione perſuaſi ſunt ab irrequietis Theologis, quòd Auguſtanæ Confeſſ. eiuſque Apologiæ, alius ſenſus, quam ferat verbum Dei, à nobis noſtriſq; affingatur.

7. *Formula Concordiæ non ſolum verbum Dei ſed etiam Lutheri ſcripta omnia normam doctrinæ facit.*

Septimò, tam ex *Præfatione* quàm ex ipſo Libro liquidò patet, Theologos iſtos non tantum ſcripta Prophetica & Apoſtolica, ac tria Symbola pro norma & regula dijudicandi controverſias ponere, ſed etiam Auguſtanam Confeſſionem, & quidem primam ac immutatam, vt loquitur liber, duos quoque Catechiſmos Lutheri & Smalcaldicos articulos. Sæpè etiam mentionem facit Liber iſte polemicorum Lutheri ſcriptorum, & ex ijs nova ac orthodoxis omnium ætatum Eccleſijs incognita dogmata defendere conatur, & contrariam ſententiam condemnare. Meminimus autem Electores & Principes in omnib. Comitijs, Conventibus & Colloquijs ſemper contra Pontificios proteſtatos eſſe, quòd ipſi in Religione tantum Prophetica & Apoſtolica ſcripta pro infallibili norma agnoſcant, & ad Auguſtanam Confeſſ. vt primum Carolo 5. Anno 30. exhibita, poſteaque communi conſenſu & approbatione dictorum Electorum ac Principum, atque etiam ipſiuſmet Lutheri declarata & locupletata eſt, provocâſſe. Adhæc neque in Confeſſione Auguſtana, neque Apologia eius, Ordines vnquam vel ad Lutheri vel aliorum hominum ſcripta, ſed ſolum ad verbum Dei provocârunt. Grave autem nobis videtur, Catechiſmos Lutheri & Smalcaldicos Articulos (quos, ſi Verbo Dei conſentiunt, non repudiamus) præſertim verò polemica eius ſcripta, in quibus affectibus ſuis plurimum indulſit, eoſque interdum retractavit, canonizare. Hoc enim pacto non Concordia initur & firmatur, ſed perpetua materia litis poſteritati relinquitur. Adhæc Papiſtæ in ſuo propoſito confirmantur, qui in omnib. ſuis diſputationib. & Colloquijs ad Patres, Decreta Conciliorum, Canones & ſcripta doctorum virorum provocant: qua in re longè ſpecioſiorem prætextum, quàm libri Berg. authores habent.

8. *Formulæ Concordiæ Status controverſiarum non bonâ fide indicatur.*

Octavò, in Libro Concordiæ Status controverſiarum plerunq; non bonâ fide indicatur: nam vnde controverſiæ exortæ ſint: in quo cardo illarum vertatur, in quibus conſenſio vel diſſenſio ſit, vel ſilentio præteritur, vel res tanquam controverſæ citantur, quæ in controverſia nunquam fuerunt: quod plurib. demonſtrari poſſet. Quantum autem referat controverſiæ Statum in quavis re, quæ in dubium vocatur, rectè formare, Æſchinis exemplo probari poteſt, qui iudices Athenienſes ſummâ cõtentione rogavit, efficiant, vt ad ipſum ſcopum, ſeu factam accuſationem reſpondeat Demoſthenes. Ait inſuper, quemadmodum athletæ ſuum locum occupare contendant, ita in rebus controverſis in illam eſſe cum primis curâ incumbendũ, ne controverſiæ Status ſuo moveatur loco. Quoniam igitur Status controverſiarũ nõ vbiq; & bonâ fide, abſq; additione, aut mutatione ſcopi, ad quẽ in omni cõtroverſijs prçcipuè reſpiciendũ, refertur vel indicatur: quâ ra-

ratione ferri de controverſijs illis ſententia poteſt ſub Electorum & Principum nomine? & quid illi reſponſuri ſunt ad hæc, quorum ſcripta & doctrina aliter, ac vel omiſſione vel additione citantur & condemnantur?

9. *In Formula Concordiæ Eccleſijs & Scholis orthodoxis multa falſa affingi.*

Nonò, in dicto Bergenſi libro, multis Eccleſijs & Scholis, illarumque doctoribus multa falsò affinguntur & tribuuntur: inprimis, quod inter alia ſcribunt, ac Electoribus & Principibus perſuadere conantur, *Calviniſtas*, quos ita vocant, *ab initio docuiſſe, Cœnam Domini externum tantum ſignum eſſe, & teſſeram, quâ Chriſtiani agnoſcantur, in eaque nihil aliud dari vel exhiberi quàm nudum panem ac vinum, quæ abſentis Corporis Christi nuda ſigna ſint.* Cùm verò hæc ſententia tanquam erronea exploderetur, docuiſſe eos poſtea, *Chriſtum vere in Cœna ſua præſentem eſſe*, nempe, *per communicationem Idiomatum*, hoc eſt, *ſecundum ſuam Divinitatem tantum, non ſecundum Corpus & Sanguinem.* Imò pleniorem progreſſu temporis declarationem factam, *Corpus* nimirum *in Cœna adeſſe, non niſi ſpiritualiter*, hoc eſt, *ſuâ virtute, efficaciâ & donis.* Item, *eos Omnipotentiam Dei negare*, & his ſimilia multa. Hæ verò cùm ſint putæ puræ calumniæ, quibus innocentiſſimi homines ſine omni ratione & cauſæ prægravantur, tantum vt in odium adducantur & inviſi reddantur, Celſitudini V. iudicandum relinquimus, quàm non deceat nos, & quid totus mundus, poſteritas quoque iudicatura eſſet, ſi ſubſcriptione noſtra ea approbaremus nunc, quæ mox vana, falſa & ficta deprehenderentur.

10. *Formulam Concordiæ falſas, contrarias aut ambiguè poſitas ſententias continere.*

Decimò, ab huiuſce Concordiæ libri approbatione & ſubſcriptione meritò abhorremus Nos & alij multi, quòd continet de pluribus valdè arduis articulis, aut ambiguè poſitas aut inter ſeſe pugnantes, falſaſque hinc inde ſub involucris & integumentis fucatarum gloſſarum abditas ſententias. Certè libri huius auctores multa diverſiſſimo ſenſu explicant, & inter ſe ipſos diſſentiunt. Ac licet monſtroſa quædam paradoxa, erroneaſque opiniones multas, quas antehac in ſcriptis ſuis longè lateque propagârunt, in hoc Libro callidè & aſtutè occultârint Ariſtarchi iſti: non tamen portenta iſta, falſaſque doctrinas & ſententias, præſertim verò Vbiquitatem prodigioſam non expreſſè in dicto libro reiecerunt, & contrariam doctrinam approbârunt. Experientia quoque ſatis ſuperque docebit, quòd deliramenta iſta Vbiquitatis, & quæ monſtra ex illa ſequuntur, quibus omnes articuli Chriſtianæ fidei in alienum & planæ contrarium ſenſum torquentur, imò prorſus evertuntur, canonizaturi ſint. Exempli gratiâ. In articulis fidei Chriſtianæ vnum Deum, eundemque ſolum infinitum, & omnipotentem, Patrem videlicet, Filium & Spiritum Sanctum, credimus & confitemur: *Brentius* contra, *Schmidlinus* eorumque gregales ſcribunt aperte ac docent in editis à ſe libris, *proprietates Dei vere ac realiter in Humanam Chriſti Naturam effuſas, ita vt, quod Deus eſt naturâ, id Humanitas Christi ſit ex gratia & per accidens: ideoque Humanitatem Christi non minus eſſe infinitam & omnipotentem, quàm Deum.* Item, *Deitatem eſſe aliam communicantem, & aliam communicatam.* Hac autem ratione doctrina iſta duos Deos fabricat, alterum æternum, alterum verò Creatum. Quo ipſo primus & ſecundus Articulus Fidei noſtræ negantur apertiſſimè. Præterea Vbiquitas & Concordiæ liber docent, *humanitatem Chriſti ab ipſo ſtatim Conceptionis momento vbique locorum fuiſſe: ad talem enim maieſtatem in ipſa Conceptione eſſe evectam, vt nullo loco circumſcripta fuerit, ſed Cœlum & Terram arcano quodam & imperſcrutabili modo compleviſſe.* Hinc autem ſequatur neceſſe eſt, Chriſtum non verè genitum eſſe, quia iam antè, à prima Conceptione ſua extra vterum matris fuit, nec minus poſt nativitatem in eo fuit: Quo ipſo certè tertius Fidei Articulus de Nativitate Chriſti funditùs evertitur.

Vbiquiſtarum doctrina Chriſtianæ fidei articulos evertit.

Porrò docent etiam Vbiquiſtæ, *Humanitatem Christi eodem temporis puncto, ſimul & vivam & mortuam fuiſſe: mortuam* in cruce: *vivam* autem Romæ, Athenis, ac omnibus alijs locis quos divinitas complevit. Ex quo neceſſariò ſequitur, ipſum non verè paſſum, multoque minus mortuum eſſe. Neque etiam verè ſepultus eſt, & tamen in hunc vſque diem in ſepulchro permanſit. Quibus fidei articulus quartus evertitur.

Docent adhæc Vbiquiſtæ, *corpus Chriſti*, vt modò dictum eſt, *à conceptionis momento vbique fuiſſe, atque adeo in cœlum verè non aſcendiſſe, quod iam ante ibi fuerit: & quòd non tantum in Cœlo, ſed etiam in terra, in inferno, & vbique locorum humanitate ſuâ ad Dexteram Patris ſedeat.* Ex quo ſequitur, eum extremo die non rediturum eſſe, quum iam ſit etiam in terra, ibique perpetuò maneat. Aſcendere item nihil aliud eſſe, quàm inviſibilem fieri, & ad magnos honores evehi. Item, cœlum non certum eſſe locum: eiuſque hanc eſſe conditionem, vt non ſolum Sancti, ſed etiam Satan cum ſuis angelis in eo reperiantur: Satanam enim, eiuſque angelos, & infernum ad hoc quoque cœlum & Chriſti regnum pertinere. Item, quòd viſibilis & comprehenſibilis forma Humanitatis Chriſti diſpẽſatio tãtũ ſit, & quòd eam ad tẽpus tantũ aſſumpſerit Ch. quã in gloria repoſuerit, rurſus tamen

eam quandocunque voluerit aſſumere & vſurpare poſſit. Vnde rurſus neceſſariò conſequitur, Chriſti paſſionem, mortem, reſurrectionem,& aſcenſionem, nihil aliud quàm aſſumptam diſpenſationem fuiſſe.

Vbiquitas in Formula Concordiæ continetur & docetur. Etſi verò prætendatur, Vbiquitatem in Bergenſi Libro non comprehendi & doceri: negari tamen non poteſt, quin Vbiquitas pro fundamento corporalis præſentiæ Chriſti in ſacra Cœna in eo conſtituatur, Eccleſijſque commendetur & obtrudatur. Quid enim ſibi vult aliud tertius eſſendi modus Repletivus, quàm Chriſtum ſuâ verâ Carne & Sanguine, ſecundum quem nobis ſimilis, noſterque frater factus eſt, omnia loca, omneſque Creaturas ſubſtantialiter implere? Item, an non hoc carnis & ſanguinis Chriſti Vbiquitatem redolet, quod in Bergenſi libro legitur. *Omnes creaturas extra & intra plenas Humanitatis Christi eſſe, & niſi ſuâ carne ſubſtantiali & ſanguine eſſentialiter vbique præſens eſſet, perſonam Chriſti diviſam fore.* Dicunt etiam, docent & ſcribunt Auctores dicti libri, *niſi Christus carne & ſanguine ſuo corporaliter & ſubſtantialiter prius in pane & vino, ſicut in reliquis omnibus creaturis, præſens ſit, quàm verba Cœnæ ſuper ea pronuntiantur, nil niſi nudum panem & vinum adeſſe, nullumque ſolatium veræ Corporis & Sanguinis Christi præſentiæ haberi poſſe.* Item, *ex nudis verbis Cœnæ, veram præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœna contra Calvinistas defendi nequaquam poſſe: & qui Vbiquitatem non probet, in intimo ſuo corde vel Calvinistam, vel Papistam eſſe.*

Quamvis etiam in *Præfatione* dicitur, Theologos in negotio Cœnæ ita ſe declarâſſe; *Chriſtianos* nempe *ad vnicum fundamentum, verba videlicet institutionis Teſtamenti Chriſti, ablegandos eſſe, & Lutherum invitum in diſputationem de vnione duarum naturarum in Christo pertractum fuiſſe*: mox tamen in ſequentibus ſubdolè & verſutè ſub nomine phraſium & modorum loquendi de Maieſtate humanæ naturæ, Vbiquitatis monſtrum ita tectis verbis inſinuatur, confirmaturque, vt à doctis viris, nedum à rudi plebecula, vix intelligi poſſint. Et vt C.T. alijque Principes manibus palpare queant iſtas impoſturas,& quid ſibi velint iſtæ Phraſes & modi loquendi de Maieſtate Humanæ Naturæ Chriſti, declarationem eorum vobis vnà mittimus, pro fraternitate noſtra orantes Celſitud. T. ne gravetur eam diligenter, & ſummo cum ſtudio legere ac ponderare: inde enim haud difficulter intelliges, quibus artibus ac impoſturis Sophiſtæ illi Celſit. T. ad approbationem ſui tam prodigioſi commenti inducere conentur.

Vndecimò, quum ex his manifeſtum ſit, totum hoc Opus a Theologis in hunc tantùm finem fabricatum eſſe, vt Vbiquitatis figmentum ſub nomine & authoritate Electorum ac Principum canonizetur, diligenter conſiderandum eſt, quid Pontificij ad hoc dicturi ſint. Cùm enim omnes illi, qui hoc monſtrum non approbant, & de perſona Chriſti iuxta Chriſtianæ fidei articulos & vetera Symbola ſentiunt ac docent, in publ. ſcriptis pro Neſtor. Mahomet. & Arrianis proclamentur & damnentur, hanc autem ſententiam & doctrinam Pontificij pro ſua, & quidem Catholica ac Orthodoxa agnoſcant, non volent certè illi pro Neſtor. & Mahomet. haberi & condemnari. Occaſio quoque illis dabitur, propter introductam in hoc libro & approbatam Ubiquitatem, eique adhærentes errores, omnes libri huius approbatores ac patronos accuſandi, quòd ab Auguſtana Confeſſione defecerint, & veteres damnatos errores execrabilis Neſtorij, Eutychis & Mahometi ſub Auguſtanæ Confeſſionis nomine ab inferis revocârint: cùm in Eccleſijs noſtris hucuſque ſemper proteſtati ſimus, quòd inter nos & Pontificios nulla prorſus controverſia ſit, de Articulo Incarnationis, paſſionis & mortis, Reſurrectionis, Aſcenſionis & Seſſionis Domini ac Servatoris noſtri Ieſu Chriſti ad dexteram Patris: quo ipſo pax religionis in futuro in dubium vocari, & prorſus tolli poſſet: Et quidem ad manus ſunt publica ſcripta, in quibus Ieſuitæ ſcripſerunt, ſolideque contra Vbiquiſtas probârunt, quòd à Confeſſionis ſocijs nova, peregrina & toti Chriſtianitati ignota doctrina de ſupra memoratis Articulis introducta ſit.

Denique cum liber hic eo directus ſit, vt ab Auctoribus commendatur, quò calumniæ Papiſtarum declinentur, Conſenſus doctorum Auguſtanæ Confeſſionis declaretur, & à Calviniſtis eo ipſo ſeceſſio ac ſeparatio fiat, contrarium autem eveniat in eo, quod ij qui ſubſcripſerunt non in omnibus conſentiunt, multi etiam indocti & imperiti Paſtores Eccleſiarum ſubſcripſerunt, non pauci quoque de libro conferre non potuerunt, plurimi denique ex ſubſcribentibus ſeſe deceptos eſſe conqueruntur: Inde ſequetur certè, vt non Concordiæ, ſed diſcordiæ liber, & materia perpetua litis, inter Auguſtanæ Confeſſionis doctores, futurus ſit: Et ſunt iam quidam ex approbatoribus huius Libri, qui ingenuè fatentur, ſe non dubitare, quin is cauſa perpetuæ contentionis futurus, nec alium exitum quàm Caroli 5. Imp. *Interim* habiturus ſit.

Quam verò ne hic quidem fixurus ſit Liber,

Liber, ſed inſuper quoque perículoſiſſima ſchiſmata & factiones inter Electorales familias, alioſque Imperij Status ac Ordines ſine dubio inde exoritura ſint, Celſitud. T. facilè æſtimare poteſt, nos plus quam graves & arduas cauſas habere, non ſolùm hunc librum ſubſcriptione noſtrâ non approbandi, ſed etiam C. T. alioſque Principes à publicatione eius dehortandi, niſi contra nos ipſos, conſcientiam noſtram & agnitam veritatem agere velimus. Neque etiam dubitamus, quin Theologi iſti, ſi C. T. alijque Principes, qui iam approbant hunc librum, tandem aliquando, intellexeritis, quàm vafrè ab illis decepti fueritis, id non impune laturi ſint. Nos certè in hoc negotio magis Deum, quàm homines reſpicimus: Amicus Plato, amicus Socrates, ſed magis amica veritas *&c. Anno* 1579. *Sep.* 22.

Ioannes Caſimirus
Comes Palatinus.

Cum hoc Reſponſo graviſſimo Illuſtriſſimus Princeps Iohannes Caſimirus Comes Palatinus, iudicium etiam ſuum miſit Electori fratri Ludovico, vt promiſerat de Libri Præfatione: *in quo luculenter detegit & oſtendit fraudes ac impoſturas in Paragraphis aliquot* Præfationis *de phraſibus & modis loquendi, latentes; Cumque id etiam, quod ego quidem ſciam, adhuc publicè non ſit editum, non tam in Lectoris gratiam, quàm pijſſimi & laudatiſſimi Principis æternam memoriam, ex Germanico in Latinum translatum de verbo ad verbum adſcribam.*

Detectio fraudum & Impoſturarum in Præfatione Libri Concordiæ de phraſibus ac modis loquendi latentium, ab Illuſtriſſimo Principe Iohanne Caſimiro Palatino ſcripta & ad Fratrem Ludovicum Electorem miſſa.

Fraudes in Formula Concordia latentes.

QVod Libro Concordiæ, eiuſque Præfationi non ſit ſubſcribendum, cauſæ ſunt complures & graves, maxime vero caput illud, quod phraſes & modos loquendi de Reali communicatione Idiomatum & Maieſtate hominis Chriſti concernit. Id enim ita eſt comparatum, vt in quamuis partem torqueri & flecti poſſit, ad perſtringendos hominum oculos. Unde Sophiſtica & multifariæ illius rimulæ, literarum rudibus haud facile aperiri & paucis verbis demonſtrari queunt.

Verba de Vbiquitate phraſes ac modos loquendi vocant.

1. *Primùm* appellant verba ſua de Vbiquitate, Phraſes & modos loquendi, vt homines eâ opinione imbuant, ac ſi de verbis tantùm, de doctrina verò & reipſa, nulla inter nos contentio eſſet, ac proinde parvi referret, ſi ipſis cederetur, & Libro ſubſcriberetur. At verò non hic de verbis tantum, ſed de Articulis fidei Chriſtianæ, & vera cognitione Chriſti, noſtræque ſalutis agitur fundamentis: Nempe, vtrum Humanitas Chriſti, naturalis ac vera Humanitas ſit, necne? Non igitur Theologorum iſtorum Phraſes & modi loquendi, quibus hîc & alibi vtuntur, vllo modo ſunt admittendi, vtpote palam falſi & impij: Quidam tamen adhibita diſtinctione concedi poſſunt, eo nimirum ſenſu, in quo illis tum Scriptura Sacra, tum priſci Eccleſiæ Doctores vtuntur, eo verò nequaquam, quo illis Theologi iſti abutuntur.

Maieſtatem humanitatis Chriſti in novum ſenſum detorquent.

2. In novum planè ſenſum iſti Sophiſtæ detorſerunt Maieſtatem Humanitatis Chriſti: prius enim verbis iſtis nemo fidem habuit: Quamvis Maieſtatis vox diverſimodè vſurpetur. In genere ſignificat excellentiam dignitatis alicuius rei præ cæteris, quæ ei admirationem afferr & obſervantiam parit, juxta tamen vniuſcuiuſque rei Naturam & proprietatem. Nec tantum Principes & Magnates, ſed etiam homines privati ſuam habent Maieſtatem, qui reliquis auctoritate, virtute, animi magnitudine, dictis & factis antecellunt, & tali quidem Maieſtate reliquis præſtant. Reges & Imperatores licet maiori Maieſtate, potentiâ, auctoritate & dignitate polleant, mundanam tamen & terreſtrem etiam Maieſtatem obtinent, quæ adhuc procul diſtat à cœleſti Maieſtate Sanctorum Angelorum & hominum. Quamuis autem hæc officio & donis omnibus humanis Maieſtatibus longè antecedit, non tamen Maieſtati humanæ naturæ Chriſti æqualis eſt, hæc enim cunctas Creaturas, tanquam caput & domina, ſupereminet. Eodem modo Maieſtas humanitatis Chriſti non æqualis eſt æternæ Divinitatis Maieſtati, quippe quæ Maieſtatem omnium creaturarum, etiam ipſius Humanitatis Chriſti longiſſimè ſuperat. Vt autem abſurdum eſt, terreſtrem Maieſtatem cum Cœleſti miſcere: ſic longè abſurdius eſt & à ratione alienius, Maieſtatem Divinam & Humanam in Chriſto confundere. Nam inter Creatorem & Creaturas longè maius ac evidentius diſcrimen intercedit, quàm inter Creaturas ipſas: Inter finitum & infinitum, infinita quoque differentia eſt.

Quocirca in Chriſto eſt infinita Maieſtas Divinitatis ſuæ, quæ ipſa eſt Divinitas infinita, eiuſque propria opera: finita contra Humanitatis Maieſtas, quæ in officij

præſtantia & donorum magnitudine conſiſtit, in quibus Hypoſtatica cum Divinitate vnio ſupremum, cæterorumque donorum omnium fons & origo eſt. Quoniam enim vnica perſona Chriſti duplicem iſtam, & quidem diſtinctam diverſamque in ſe continet excellentiam, gloriam ac Maieſtatem, quarum vtraque gradus ſeu partes ſunt Maieſtatis Chriſti, ſicut Naturæ ambæ partes ſunt Perſonæ Chriſti. Quando igitur Chriſti Maieſtas hoc modo intelligitur, quo dictum eſt, rectius nos illam, Dei beneficio, quàm adverſarij, propugnamus: quando verò infinitas vel aliæ divinæ proprietates ex ea efficiuntur, conficta Maieſtas efficitur, quam Chriſtus neque aſſumit, neque agnoſcit. Quapropter ſine vlla iuſta ratione & cauſa vociferantur, nos humanitatis Chriſti, ſive hominis Chriſti Maieſtatem negare, quod ipſorum Vbiquitatem corporis Chriſti non approbamus, quam hanc tantum ob cauſam finxerunt, vt Corpus Chriſti in pane Cœnæ eſſe probare poſſent. Et hoc quidem clamore fucum mundo faciunt, ac ſi hoc modo Chriſtus ſuâ Maieſtate defraudetur.

Humanitatem Chriſti in perſona vbique eſſe fraudulenter dicunt.

3. In verbis iſtis (*In Perſona Chriſti*) dolus etiam ad decipiendos homines latet, ne comparationem Creaturarum cum Creatore perſentiſcant, quam illi Theologi inſtituunt, rem benè curatam eſſe opinantes, ſi modò afferant, Humanitatem Chriſti vbique non eſſe. Nos autem ex ſacrarum literarum & purioris Antiquitatis vnanimi conſenſu affirmamus. Humanitatem Chriſti neque in Perſona, neque extra Perſonam vbique eſſe. Nam vnire Naturam finitam cum infinita in vnam perſonam, non eſt illam quoque infinitam reddere. Vnio enim fit proprietatibus vtriuſque Naturæ permanentibus. Quocirca Chriſtus ipſe in Evangelio ſe Patri æqualem facit, & tamen rurſus Patre minorem. Adverſariorum autem error inde promanat, quòd pro vno eodemque habent, *cum Divinitate perſonaliter vniri, & Divinitatis proprietatibus ſimilem fieri:* Quod nihil aliud eſt quàm Naturas confundere, & Perſonam Chriſti diſſolvere. Nemo igitur ſibi appendice illâ (*In Perſona Chriſti*) imponi patiatur. Nam Humanitas Chriſti non Vbiquitatem & immenſas proprietates illas Divinitatis, ſed longè alias prærogativas in Perſona Chriſti ſibi vindicat.

Seſſionem & exaltationem ad dexteram Dei cum Incarnatione Chriſti confundunt.

4. Similiter in hoc quoque errant, quòd Seſſionem & exaltationem ad Dexteram Dei cum Incarnatione Chriſti confunduut. Nihil enim aliud innuit quàm Maieſtatem & officium Chriſti, quod nunc in cœlis clarificatâ Humanitate obit: nempe, quod per hunc Hominem Deus, qui cuncta gubernat & moderatur, etiam Spiritum Sanctum & vitam æternam largitur, iſque Homo hoc facit in ſua Gloria operâ Humanitatis ſuæ: ita tamen, vt diſtinctæ & inconfuſæ permaneant Naturarum proprietates, & quælibet Natura, iuxta ſuam proprietatem, alteri cooperetur, & perſona divinas actiones vnà cum Humanitate ſua perficiat.

Hæ phraſes, Humanitas Chriſti eſt omnipotens, omnipræſens &c. ſunt falſæ.

5. Iſtæ autem phraſes (*Humana Natura Chriſti eſt omnipotens, omniſcia & omnipræſens*) neutiquam in Eccleſiam Chriſtianam introducendæ ſunt, vtpote falſæ & Verbo Dei multis modis contrariæ, atque adeò ſine omni gloſſa repudiandæ, vt etiam à primitiva Eccleſia, tanquam erroneæ & hæreticæ reiectæ ſunt. Diſtinctio enim illa & differentia neque per Vnionem perſonalem, neque per Seſſionem ad dexteram Dei tollitur ſed immotum permanet in æternum, *Naturam creatam finitam eſſe etiam in ſuprema ſua Maieſtate.*

Ratio I.

Primùm enim, in vtero matris, & in morte, duæ iſtæ Naturæ vna eademque Perſona erant & permanebant, neque tamen cum Divinitate Humanitas vbique erat, vt & in Aſcenſione in Cœlum, & inviſibili ac æterna in Cœlis apud electos Chriſti præſentia. Ac nil niſi meræ ſophiſticæ nugæ ſunt, aſſerere, Chriſtum in vtero matris quoque ac in ſepulchro Vbiquitatem Corporis ſui habuiſſe quidem, ſed eâ non vſum eſſe. Nam ſeipſos refellunt, eo quòd dicunt, niſi totum corpus ſubſtantialiter adeſſet, Naturæ diſcerperentur. Nos autem hoc effugio opus non habemus, ſed liberè & clarè dicimus, Chriſtum hominem illo ipſo tempore, æquè ac nunc, vnà cum Patre ſuo, ſecundum Divinitatem, non Humanitatem ſuam, eſſentialiter omnipræſentem fuiſſe. Adhæc ne vnicum quidem teſtimonium vel exemplum ex tota Scriptura adducere poſſunt, quo demonſtrârit Chriſtus, ſuam carnem vel in omnibus, vel in multis locis ſimul fuiſſe, vel eſſe, vel futuram.

Et hæc quidem contumax ipſorum Sophiſtica probè obſervanda eſt, quando oſtendere coguntur, vbi & quando vnquam corporis ſui Vbiquitate vſus ſit Chriſtus, vel eam oſtenderit? ipſi Cœnam adducunt, in qua Chriſtus ad menſam diſcipulis ſuis viſibiliter aſſederit, & (quemadmodum ipſi docent) inviſibiliter in pane ſimul fuerit. Quòd ſi vlterius vrgeantur, quonam teſtimonio aut loco Scripturæ probare velint, Chriſtum in pane fuiſſe, Verba Chriſti allegare ſolent, *Hoc eſt corpus meum.* Quoniam verò hæc verba hoc ſibi nolunt, inviſibile corpus Chriſti in pane eſſe, vel carnem inviſibilem

ſibilem in pane viſibile corpus eſſe Chriſti. & proinde amplius quæritur ex illis, & poſtulatur iſtius gloſſæ & interpretationis verborum Chriſti probatio, ad principium ſuum de Vbiquitate recurrunt: & hoc quidem modo per gloſſam verborum Chriſti de orali manducatione, Vbiquitatem ſuam ſtabilire; contrà verò verborum gloſſam per Vbiquitatem defendere conantur.

2. *Secundò*, Omnipotentem & infinitum eſſe, nihil eſt aliud quàm Deum ipſum eſſe, Nihil enim omnipotens eſt, neque per ſe, neque per aliud, præter id quod Deus eſt, ſeu, Omnipotentia & Deitas ipſa: quoniam nullam creatam Omnipotentiam, ſed increatam tantum invenire licet, quæ nihil eſt aliud quàm ipſa divina eſſentia. Deus enim ipſe ſua ipſius eſt omnipotentia, ſapientia, iuſtitia, bonitas, veritas ac vita. Humanitas verò proculdubio Deus non eſt, vel Deitas. Similiter etiam omnipotens, ſeu omnipotentia ipſa eſſe nequit. Contrà verò rectè vetéque dicitur, Homo Chriſtus Deus eſt, omnipotens & omnipræſens eſt: eſt enim ille Deitas & omnipotentia ipſa, quia Deitas ſeu omnipotentia ipſius eſſentiæ vel ſubſtantiæ pars eſt. Sicut & hoc verum eſt, Hic homo eſt æternus, ſuiipſius, cæterarumque creaturarum omnium Creator, verus Deus cum Patre & Spiritu ſancto. Illud autem verum non eſt, Humanitas huiuſce hominis eſt æterna, ſuijpſius creatrix, omniumque rerum, vnius eſſentiæ, Deitatis & omnipotentiæ cum Patre & Spiritu Sancto.

3. *Tertiò*, hoc quoque apertiſſimè falſum ſemper fuit, & nunc quoque eſt, inque æternum falſum manebit, quod Humana Natura Chriſti circumſcripta, finita, & ſemper in vno loco manens viſibilis & comprehenſibilis; ſimul etiam infinita, incircumſcripta, omnipræſens & inviſibilis ſit. Deus enim contradictoria & inter ſe pugnantia neque vult, neque efficit. Hoc enim eſſet falſum facere, vt Sophiſtæ faciunt, qui *Non* in *Ita*, & *Ita* in *Non* tranſmutare conantur: Id verò non Omnipotentia & gloria, ſed potius impotentia & ignominia eſt. Nam in Chriſto non, vt in Sophiſtis, nequaquam *Ita Non*, & *Non Ita*: ſed, *Ita*, *Ita*, & *Non*, *Non* eſt: 2. Corint. 1. Sophiſtica, quâ hanc ſuam turpitudinem palliare conantur, nullam reſponſionis vim habet, ſed eſt, immutatis tantum verbis, vetus eorum coccyſmus: Nimirum, Corpus Chriſti vbique eſſe, iuxta modum humanitatis diuinæ maieſtatis: verùm ſecundum modum humanitatis ante & poſt exaltationem non maieſtaticè vel vbique, ſed eo tempore in vno tantum loco. Item, ſecundum naturalem ſuam eſſentiam, ipſum in vno tantum loco eſſe: ſed iuxta perſonalem eſſentiam, in omnibus eſſe locis. Tunc autem quæritur, An Corpus Chriſti talem modum & eſſentiam habeat, quâ ſit vbique? Hoc nos pernegamus, donec id ipſi probaverint. Eodem enim modo dicere poſſemus, Dies lux eſt, ad modum lucis vel diei: Tenebræ ſunt, ad tenebrarum vel noctis modum, & ſic deinceps: Nullaque contradictio tanta, tamque ſibi contraria foret, quæ non facillimè conciliari poſſet. Hac autem ratione inter verum & falſum nihil intereſſet.

4. *Quartò*, quicquid vbique eſt, vbique etiam operatur omne bonum in omnibus, (quod etiam adverſarij fatentur,) nuſpiam enim otioſum & fruſtra eſt, ideoque dat etiam Spiritum Sanctum, hoc eſt, per hunc operatur in Angelis & hominibus. Certiſſimum autem eſt, Chriſtum nequaquam ſuâ carne, & oſſibus, vel humanitate ſuâ: ſed ſua Divinitate cuncta conſervare & moderari, ac Spiritum Sanctum largiri, ante & poſt Incarnationem. Ideoque Humanitas eius neque vbique, neque omnipotens eſt: Nihilominus tamen firmum & verum manet, Hunc hominem vbique omnia ſuſtentare & regere, Angelos & Homines, quin etiam ſuam ipſius humanitatem Spiritu ſancto donare. Quamobrem controverſia & offendiculum nondum eſt ſublatum.

Quintò, quòd aiunt, Abſtracti vocabulum non vno eodemque ſenſu à Scholarum & Eccleſiarum Doctoribus vſurpari, inſidioſum eſt. Quinam enim ſunt Eccleſiarum Doctores iſti, præter *Schmidlinum* & ſocios eius? Concretum & Abſtractum nova Scholarum vocabula ſunt, nec ab vllo vnquam doctrinâ claro Theologo, novo hoc ſenſu iſtorum Mατæologorum vel in Scholis vel in Eccleſia vſurpata. Omnes ſani tum Scholarum tum Eccleſiarum Doctores *Concretum* appellant perſonam vel rem, quæ naturam aliquam, formam vel proprietatem in ſe habet. *Abſtractum* autem, illam naturam, formam, vel proprietatem, quæ perſonæ aut rei alicui ineſt. Exempli gratiâ: Sapiens, iuſtus, potens, omnipotens, infinitus, finitus, omnipræſens, æternus, Deus, homo, & id genus alia, Concreta nuncupant: At ſapientia, iuſtitia, potentia, omnipotentia, infinitas, finitas, omnipræſentia, Æternitas, Divinitas, vel Divina Natura, Humanitas vel humana natura, & his ſimilia Abſtracta dicuntur. *Concretum & Abſtractum quid.*

Hinc verò ſequitur, vocabulum DEVS, talem perſonam ſignificare, quæ Divinitatem

tem vel Divinam Naturam in ſe vel ſecum habeat, etiamſi aliam ſimul naturam quoque, veluti humanam, ſibi adiunctam habeat, ſive non; hoc eſt, quæ ſimul quoque homo eſſe poteſt: Sicut etiam vocabulum Homo, talem perſonam denotat, cui humana Natura vel ineſt, vel adeſt: licet habeat vel non, ſimul etiam aliam Naturam, veluti Divinam; & ſic quoque ſimul Deus eſſe poſſit. Sic igitur vocabula Deus & Homo, vel vnam vel duas naturas comprehendunt: Hæ verò voces, Divinitas, Humanitas, nihil plus ſignificant quàm vnam tantum Naturam.

His de cauſis locutiones iſtæ veræ ſunt, Deus eſt homo: Deus conceptus & natus eſt ex Maria: eſt viſibilis, comprehenſibilis, circumſcriptus, finitus, in vno tantum loco: eſt creatura, infirmus, mortalis factus: comedit, bibit, dormivit: eſt paſſus, crucifixus, mortuus, ſepultus, reſurrexit, aſcendit, atque iterum deſcendet & evehetur in altum. Hæc enim omnia de Perſona Chriſti intelliguntur, non ſecundum eius Divinitatem, ſed Humanitatem. Similiter & hæ loquendi formæ veræ ſunt, Hic homo Deus eſt, æternus Dei filius eſt, inviſibilis, incomprehenſibilis, incircumſcriptus, infinitus, omnipotens, immortalis, ſui reliquarumque omnium Creaturarum Creator, qui neque cibo, neque potu, neque ſomno opus habuit: neque pati, neque crucifigi, neque ſepeliri potuit: neque vel deſcenſu vel aſcenſu opus habet, vtpote prius loca omnia occupans. Hæc & ſimilia rectè de Chriſto homine dicuntur: Nam ſecundum Divinitatem eius, non Humanitatem dicuntur.

Vice verſâ autem locutiones hæ falſæ ſunt: Divinitas eſt Homo, concepta & genita eſt ex Maria: eſt viſibilis, tangibilis, circumſcripto, debilis, martua, ſepulta: reſurrexit, aſcendit, deſcendit. Nec minus falſæ ſunt hæ locutiones: Humanitas Chriſti Deus eſt, æterna eſt, inviſibilis eſt, incomprehenſibilis, omnipotens, creatrix omnium, & ſi quid eſt his ſimile. In huius modi enim locutionibus non de perſona, quæ vtranque in ſe habet naturam, dicitur, & propterea vtrunque eſt, quod & Deitas & Humanitas proprium ſibi vendicat, quodlibet tamen ſecundum diſtinctam ſuam Naturam: Sed dicitur de altera tantum Natura, de qua proprietates alterius Naturæ verè prædicari non poſſunt. Quare vaniſſimum eſt, quum dicunt, Imò Deitas & Humanitas Chriſti potens & ſapiens eſt; Ergo Natura Humana Divinas proprietates habet. Quemadmodum enim Chriſtus duas diſtinctas in ſe naturas habet, quarum altera finita, altera infinita eſt: ſic etiam duplicem habet intellectum & voluntatem (alioquin Monothelitæ fierent adverſarij) atque adeò duplicem potentiam, ſapientiam, & quicquid his affine eſt. Alterum quidem divinum, increatum, infinitum, atque ipſam Deitatis eſſentiam, alterum verò humanum, creatum ac propterea finitum. Nihil enim quod creatum eſt, infinitum eſt, ſed ſolus Creator Æternus: Et tales proprietates neque Deitatis neque Humanitatis eſſentia ſunt, ſed à Deo creata dona ſunt, quibus Chriſti Humanitas præ cunctis Creaturis exornata eſt. Humanitas igitur Chriſti potens eſt: Divinitas autem Chriſti, & Homo Chriſtus omnipotens eſt. Humanitas non omnia novit, quæ & quando vult. At Deitas, & Homo Chriſtus cuncta novit, quæ fuerunt, ſunt & erunt à Seculis in Secula, ſingulis momentis, idque immutabiliter. Nam quicquid non ipſa eſt omnipotentia, infinita ſapientia, bonitas & iuſtitia, non poteſt etiam omnipotens, infinitæ ſapientiæ, bonitatis & iuſtitiæ eſſe. Nuſpiam enim locorum creata omnipotentia eſt, quæ ipſe Deus æternus eſt: id quod adverſarij contra ſe ipſos faſſi ſunt, & adhuc fateri coguntur. Quare Humanitas Chriſti non magis omnipotens, quàm ipſa Omnipotentia, hoc eſt; ipſa Deitas eſſe poteſt. Sic etiam de alijs rebus, quæ diſtinctis partibus & proprietatibus conſtant, loqui ſolemus, vt toti quod partis eſt proprium tribuamus. Homo eſt immortalis & rationis compos, reſpectu animæ: rurſus eſt mortalis, rationis expers, reſpectû corporis. Homo audit, videt, odoratur; auribus, oculis, naribus, manibus verò vel pedibus nequaquam. Ignis luce ſuâ ſplendet, & calore ſuo calefacit.

Hiſce commentitia quoque iſtorum diſtinctio tam inter Divinas quàm Humanas proprietates refellitur: quum dicunt, alias proprietates eſſe Incommunicabiles, quæ humanitati realiter communicari nequeant, vt, Eſſe ab æterno, Eſſe creatorem omnium rerum, Spiritum ſanctum à ſe emittere: alias verò, vt infinitum, omnipræſentem, omnipotentem eſſe, vitam æternam largiri, &c. Communicabiles eſſe, hoc eſt, Humanitati Chriſti realiter communicari. Eodem modo Humanitatem etiam habere aliquas proprietates, quas illi Eſſentiales & Inſeparabiles vocant, ſine quibus Humanitatis eſſentia nequit eſſe: cæteras autem non eſſentiales, ſed accidentales tantum & ſeparabiles eſſe, hoc eſt, eiuſmodi accidentales res, ſine quibus Humanitatis eſſentia facilè conſiſte-

re

re queat: & tamen proprietates, id eſt, ferreum lignum, eſſe debere, vt eſt, circumſcriptum & finitum eſſe. Atqui infinitam eſſentiam, & omnipotentiam habere, non minùs eſt eſſentialis proprietas Dei, & propterea incommunicabilis, quàm principio carere. Omnes enim eſſentiales proprietates ipſa & vnica Dei eſſentia ſunt. Neceſſariò igitur vel omnes ad vnam, quod adverſarij pernegant, vel nullæ Humanæ Naturæ Chriſti realiter communicantur. Similiter finitam eſſentiam habere, tam eſt eſſentialis proprietas Humanitatis imo vero cuiuslibet Creaturæ, ac proinde inſeparabilis, quàm principium habere. Quicunque igitur omnipræſentiam, omniſcientiam, omnipotentiam ei adſcribit ac tribuit, is naturam & eſſentiam eius deſtruit, nec minus ex illa Deitatem facit, quàm qui eam ab æterno fuiſſe.

Hinc perſpicere licet, iniquè agere adverſarios, quum loquacitate ſuâ perſuadere hominibus volunt, nihil referre, quando dicitur. Humanitatem Chriſti omnipotentem eſſe: Nam vel pueri in Scholis intelligunt, In Concreto loqui, nihil aliud eſſe, quàm de perſona loqui, quæ Deus & Homo eſt, quandoquidem & Deitatem & Humanitatem in ſe habet. In Abſtracto autem loqui, eſt de altera tantum natura loqui, ſive alteri Naturæ perſonaliter ſit vnita, ſive non. Vnio enim Naturas ſeu partes, quas vnit, non ſimiles & eaſdem facit, neque eſſentiâ, neque proprietatibus, neque operationibus. Ex adverſo verò, novi iſti Theologi, ſive ignorantiâ, ſive dolo ac fraude, ad fucandos ſuos errores, finxerunt, *Abſtractum* æquipollere *Separato:* hoc eſt, ſignificare Divinam Naturam, quæ non cum Humana; vel Humanam, quæ non cum Divina vnita ſit, vel eatenus, quatenus extra vnionem & ſine illa intelligatur & reſpiciatur. *Concretum* autem ſignificare debere Naturas vnitas, Dei & Hominis. Verum ne hoc quidem reſponſum vllum eſt, ſed ſpecioſa larva quædam, & Principij petitio, ſeu illius, de quo quæritur, repetitio: Nempe, An Humanitas Chriſti, quatenus vnita eſt cum Divinitate, omnipotens & vbique ſit? Hoc nos cum Scriptura Sancta, omnibuſque orthodoxis Patribus & Scholaſticis conſtanter negamus: Nam quòd Humana Natura non omnipotens eſſet, & omnipræſens, ſi cum Deitate non vnita eſſet, de eo nulla eſt controverſia. Quare Neotheologi iſti hoc ipſo nihil aliud agunt, quàm quòd Vbiquitatem per Vbiquitatem probare conantur: quâ quidem ratione omnia probari poſſent.

Vbiquiſtæ quid per Abſtractum intelligant. Concretum quid Vbiquiſtis.

Sexto, hæc locutio, DIVINA *Maieſtas Humanæ Naturæ Chriſti*, per ſe non falſa eſt, ſi iuxta Scripturam intelligatur: nempe de excellenti illo Chriſti officio, & Seſſione ad dexteram Patris, qui per hunc Filium cuncta operatur, Ioh. 5. Nam quoniam Humanitas Chriſti cum Deitate vna perſona facta eſt, Maieſtatis & gloriæ huius Filij Dei ſic particeps facta eſt, vt officium illud non vni tantum naturæ in Chriſto, ſed toti Perſonæ demandatum ſit à Patre, & ab illo iuxta vtrâque naturam adminiſtratur, ita tamen vt vtriuſque Naturæ proprietates & actiones inconfuſæ permaneant. Nam officium Chriſti vtriuſque naturæ proprietates & actiones requirit. Qua de cauſa & Filium Dei hominem oportuit fieri: Illius autem Humanitas, poſt reſurrectionem & aſcenſionem in cœlum, tali maieſtate, gloria, ſplendore & alijs donis, captum noſtrum ſuperantibus, condecorata & exaltata eſt, qualia neque vlli Angelo, neque homini, qui quidem mera ſit Creatura, obtingere poſſunt, ſed teſtimonium perhibent, Hominem illum eſſe Filium Dei naturalem & æternum. Adverſarij autem, ſub Divinæ Maieſtatis nomine, Vbiquitatem ſuam occultare ac venditare conantur, vt & divinas infinitaſque proprietates quas humanitati Chriſti affingunt, cùm tamen ad Humanitatis exaltationem neutiquam pertineant.

Septimo, In, & per ſe, eſſentialiter, formaliter, habitualiter, ſubiectivè, &c. Theologi iſti iactitant quidem clara & aperta eſſe verba: verba autem eorum contrarium atteſtantur. Norunt enim Scholaſtica hæc vocabula, eſſentialiter, formaliter, &c. non ſolùm plebi obſcura eſſe, ſed ijs ipſis etiam, quos Liber Concordiæ præcipuè concernit, imo vero maiori Eccleſiæ Paſtorum parti, quorum oculos huiuſmodi vocabulis perſtringunt, & gloſſam ipſo contextu obſcuriorem reddunt. Quin imo locutiones iſtæ partim doctrinæ ipſorum palam refragantur, partim verò inutilia ac vana ſunt effugia. Nam ſi Humanitas In ſe & per ſe non eſt omnipotens, omniſcia, omnipræſens, quomodo ergo eſt omnipotens, & realiter, ſeu per realem communicationem Idiomatum? ſicut novo ſuo quodam more loqui ſolent: & nihil aliud ſignificat, quam in ſe & per ſe, vel reapſe aliquid eſſe, ſeu habere. Quando enim dicitur, Humanitas realiter eſt omnipotens, nullam autem in ſe & per ſe habet omnipotentiam: omniſcia, nullam autem in ſe & per ſe omniſcientiam habet: Vel quum dicitur, Humanitas Chriſti realiter eſt potens, & cunctis creaturis ſapientior (vt eſt revera) nullam autem potentem-

De vocabulis In & per ſe, eſſentialiter, formaliter, habitualiter, ſubiectivè, &c.

tentiam & ſapientiam in ſe & per ſe habet, luce & fulgore ſuo Solem multis modis antecellit, ſed nullam in ſe vel per ſe lucem & fulgorem habet: Vel ſi de alijs creaturis dicitur, Homines & Angeli ſunt realiter iuſti & ſapientes, ſed nullam iuſtitiam aut ſapientiam in ſe & per ſe habent: Quis non dicat, eiuſmodi phraſes ſeu locutiones contradictorias & obſcuras eſſe? Quod ſi Humanitas non eſt in ſe & per ſe omnipotens & omnipræſens, certè neque realiter eſt. Quorſum igitur perpetuæ illorum concertationes & calumniæ? Humanitatem divinarum proprietatum eſſentialiter non eſſe participem. De hoc quidem nulla eſt controuerſia: vtrinque enim confitemur, Divinas proprietates non eſſe Humanitatis eſſentiam, alioquin eſſentia divina, Humanitatis eſſentia, hoc eſt, Humanitas ipſa Deitas eſſet. Sed tamen ne hoc quidem modo extra culpam ſunt: Nam omnipotentia, omnipræſentia, non modò non ſunt eſſentia Humanitatis, ſed ne proprietates quidem, proprietates enim illæ, nihil aliud quàm ipſa eſſentia divina ſunt.

Illa verò verba, *formaliter*, *habitualiter*, *ſubiectiuè* aliquid habere, tantundem ſignificant, quantum in ſe & per ſe aliquid habere. Verbi gratia: Quum dicitur, Homo formaliter rationem habet, perinde eſt ac ſi diceretur, Ratio eſt forma hominis, hoc eſt, naturalis eius qualitas & proprietas, quam in ſe habet, & ſine qua Homo non eſſet. Item, Homo eſt habitualiter ſapiens, iuſtus; idem eſt ac ſi dicerem, Sapientia, ars, iuſtitia eſt hominis habitus, id eſt, proprietas ſeu donum, quod doctrinâ, diſciplinâ & exercitatione acquiſivit, vel quo Deus ipſum ornavit. Item, Homo ſapientiam ac iuſtitiam habet ſubiectiuè, æquipollet huic; Homo ſubiectum eſt ſapientiæ & iuſtitiæ, hoc eſt, illud ipſum quod ſapientiam & iuſtitiam in ſe habet: paries ſubiectivè album colorem habet, hoc eſt, illud ipſum eſt, quod colorem in ſe habet. Hinc igitur rurſus apparet, quàm hæc egregia & convenientia ſint, Humanitas eſt omnipotens & omnipræſens realiter, ſed non eſſentialiter: idem enim eſt ac ſi dicerem, realiter, hoc eſt, eſſentiâ ſuâ vbique eſt, ſed tamen non eſſentialiter. Item, Humanitas realiter eſt omnipotens & omnipræſens: nec tamen omnipotentiam & omnipræſentiam habet formaliter, habitualiter, aut ſubiectiuè in ſe & per ſe. Item, paries hic albus eſt, albedo autem non eſt forma parietis: hoc eſt, non adhæret parieti, vel ei non ineſt, nec paries coloris ſubiectum eſt, id eſt, nec gerit, nec in ſe habet colorem. Huiuſmodi ergo Theologorum iſtorum modi loquendi, nil niſi colores ſunt ad decipiendos homines inducti, ne doctrina ipſorum pro tam falſa habeatur, vt revera eſt.

Octavo, quum dicitur, hac ipſorum doctrinâ, Divinam & Humanam Naturam vnà cum proprietatibus ſuis confundi, & Humanam Naturam ſecundum ſuam eſſentiam & proprietates Divinæ exæquari, atque adeò negari etiam, verbis quidem conantur execrandos & damnandos hos errores à ſe depellere, reipſa autem ab illis defenduntur, & neceſſariò ex ipſorum doctrina conſequuntur. Naturas enim & proprietates confundere, nihil eſt aliud quàm eaſdem exæquare, ita vt natura vtraque pariter omnipotens, omnipræſens, omniſcia ſit eſſentiâ ſuâ. Rectè autem Auguſtinus inquit, *Qui proprietates confundit, etiam naturas confundit.* Nec minus hæc ipſorum doctrina, quàm reliquæ, ſecum ipſa pugnat. Naturæ & proprietates earum non exæquantur; vtraque tamen natura eſt infinita, incircumſcripta, incomprehenſibilis, & ex æquo omnipræſens eſſentiâ ſuâ. In ſumma, ſi humanitas eſt omnipotens, aut erit per creatam omnipotentiam, (quod nunc adverſarij negant, licet antehac affirmârint) aut increatam, vt nunc docere ſolent. Quod ſi per hanc omnipotentiam omnipotens eſt, per Divinitatem Deus ſit neceſſe eſt: Omnipotentia enim & Deitas vnum idemque ſunt. Itaque proprietatum diſcrimen tollere, nihil aliud eſt, quàm veram Chriſti humanitatem negare, & Chriſtum verbotenus, non re & verè hominem verum agnoſcere. In quo tamen noſtra ſalus non minus quàm in eius vera Divinitate conſiſtit.

9.
Vbiquiſtæ abutuntur vocabulo Diſpenſationis.
Patres quid intellexerint per Diſpenſationis vocabulum.

Nono, quòd aſſerunt, Humanitatem habere veras proprietates, eſſe omnipotentem, omnipræſentem, per *Diſpenſationem*, hoc eſt, propter vnionem hypoſtaticam, ſimiliter vocabuli *Diſpenſationis* abuſus & depravatio eſt. Per id enim Patres intellexerunt Incarnationem Chriſti, atque exinanitionem & humiliationem æterni Filij Dei, quòd non recuſavit carnem noſtram aſſumere, & Mediatoris officium inter Deum & homines obire. Quod enim Latini Patres ſic vocârunt, id Græci Oeconomiam appellârunt, hoc eſt, adminiſtrationem rei familiaris, officium Mediatoris & domus Dei in aſſumpta carne. Adverſarij autem hoc vocabulo ſuam Vbiquitatem introducere conantur, perinde ac ſi Deus aliquid diſpenſâſſet, & de diſtinctione duarum naturarum & earum proprietatum aliquid conceſſiſſet, vniendo eas in Perſona Chriſti:

Chriſti: quemadmodum Papa accepta pecuniâ diſpenſat, hoc eſt aliquid de Dei præceptis remittit. Qui ſane intellectus veteribus ne per ſomnium quidem in mentem venit. Ieſus infans in vtero matris, & in cunis, & defunctum Chriſti Corpus in cruce ac in Sepulchro, quodque nunc viſibile & circumſcriptum eſt in Cœlis in omnem Æternitatem, teſtatur, probat & clamat, huiuſmodi Vbiquitariorum modos loquendi falſiſſimos & inconvenientiſſimos eſſe; Nempe, Humanitas Chriſti per vnionem perſonalem omnipotens & omnipræſens eſt. Nam perſonalis vnio non vnas eaſdemque proprietates in vnitis naturis facit. Quemadmodum corpus humanum non ideò fit rationale, inviſibile, incomprehenſibile, immortale, quod perſonaliter vnitum eſt cum anima rationali, inviſibili, incomprehenſibili ac immortali. Quod autem humana & finita natura cum omnipotentia & immenſitate, hoc eſt, omnipotenti & immenſæ Deitati perſonaliter vnita, vel vna Perſona ſit, hoc fatemur corde & ore. Sed longè alia phraſis ac ſententia eſt, quam quod Humanitas more & Natura Divinæ Maieſtatis, hoc eſt, Divinæ Naturæ, omnipotens & omnipræſens ſit, & tam exiliter in pane corpus abſconditum eſſentialiter, corporaliter & oraliter manducetur.

Poſtremo, quod prætendunt, *Perſonalem vnionem myſterium imperſcrutabile eſſe*, id & nos cum omnibus S. Patribus ſcimus & fatemur. Nemo enim ſatis declarare poteſt, quomodo Corpus noſtrum & anima perſonaliter vnita ſint: qui igitur ſcire aut effari poſſemus, quomodo Humanitas & Deitas vnus ſint Chriſtus, vel tres Perſonæ vna Divina eſſentia? Vbiquitas autem Corporis Chriſti nullum eſt myſterium neque perſcrutabile, neque imperſcrutabile: Eſt enim humani cerebri inventum. Et ſi hoc valere deberet, haud grave foret omnes hęreſes & monſtroſiſſimos errores excuſare ac defendere. Eſt myſterium ſanè: ſed non quæritur, an opinio illorum perſcrutabilis, aut imperſcrutabilis ſit? ſed, an in ſacris literis fundata ſit?

Ex hac detectione inſidiarum, quæ latent in *Præfatione* iſta, quivis intelligit, Concordiæ Libro, eiuſque *Præfationi* non poſſe ſubſcribi, abſque falſarum & inter ſe pugnantium doctrinarum approbatione. Qui enim ſanæ mentis haberi cupit, cum etiam cum ratione loqui oportet. Qui vult vt credatur, ſe diem pro luce habere, dicere non debet, mediâ luce obſcuriſſimas & denſiſſimas tenebras eſſe.

Sunt & aliæ cauſæ in illa *Præfatione*, ob quas illi, qui veritatis teſtimonio convicti ſunt, bonâ conſcientiâ ſubſcribere non poſſunt. Vt cum dicunt, *voluiſſe aliquos ſub recognita editione Auguſtanæ Confeſſionis, falſas doctrinas & errores introducere*: Cum tamen vtraque editio communi Proteſtantium conſenſu, & a Luthero ipſo, tanquam vnius eiuſdemque ſententiæ, approbata ſit. Verba autem in poſteriori editione paulò aliter collocata ſunt, ne Papiſtæ ſuas idolomanias ſub ea occultare poſſent. Item quod dicunt, *ſe Chriſtianos ad verba tantum Chriſti deducere*, cum tamen contrarium manifeſtiſſimum ſit. Chriſtus enim dixit, *Panem hunc Corpus ſuum eſſe*: ipſi contrà *negant, panem eſſe Corpus Chriſti*. Et quando hoc eis obijcitur, perſuadere conantur hominibus, vnum idemque eſſe, ſi dicamus, *Panem ipſum eſſe Corpus Chriſti*, & *In pane eſſe Corpus Chriſti*, ac vtranque locutionem iuxta literam eſſe intelligendam. quod tamen hactenus non probârunt. Item, quod dicunt, *Condemnationes noſtræ doctrinæ & confeſſionis intermitti non poſſe, illiuſque conſortes nuſpiam eſſe ferendos*. His etiam bonâ conſcientia ſubſcribere non poſſumus, niſi agnitam veritatem, atque adeò nos ipſos propter eam condemnare velimus. Denique, *quod Schmalcaldicos Articulos & Lutheri Catechiſmos non tantum cum approbatis Symbolis & Auguſtana Confeſſione, ſed etiam cum ſacris literis adæquant; quin etiam regulam & normam faciunt, iuxta quam Sacra Scriptura, Symbola, omneſque Patres cum Auguſtana Confeſſione explicari, intelligi, & examinari debeant, eique totius Eccleſiæ doctrinam adſtrictam eſſe debere; & quicquid ab ea diſſentit pro hæretico & erroneo haberi*. Cum iſtis autem articulis & Catechiſmis neque Sacra Scriptura, neque Symbola, neque Patres, neque Auguſtana Confeſſio, neque eiuſdem Apologia conſentit. Ergo ſubſcribere his nemo poteſt, niſi qui a Confeſſione, Symbolis & tota Chriſtiana antiquitate, imo etiam a Scriptura S. deficere & ſecum ipſe pugnare velit, &c.

Scribit etiam Iohannes Caſimirus *Palatinus ad* Iohannem Bipontinum 21. *Octob. Concordiæ librum nullo modo facere ad Chriſtianam Concordiam, ſed potius ad pernicioſa ſchiſmata excitanda in Eccleſijs, Scholis & Rebuſpublicis. Rogat quoque eum, vt ſibi communicet quæ Electores hac de re ad eum ſcripſerint, & quid eis reſponderit.*

CAPVT

CAPVT XXIX.

Acta inter Illuſtriſſimum Principem Wilhelmum Landgravium Haſſiæ, & Electorales Theologos, Zimmermannum, Schmidlinum & Kemnitium de Formulæ Concordiæ ſubſcriptione.

Landgravius denuò à Schmidlino de ſubſcriptione ſollicitatur.

A*nno quoque 79. die 8. Sept. Illuſtriſſ. Princeps* Vuilhelmus Landgrav. *Caſſellis ad Ludovicum Palatinum Electorem ob gravia negotia Heidelbergam profectus eſt. Expeditis verò ijs, cum domum redire conſtituiſſet, & iam ad iter accinctus eſſet,* Schmidlinus, *qui tum fortè in aula quoque Electoris erat, Celſitudinem eius de Subſcriptione libri Concordiæ ſollicitare denuò cœpit.* Landgravius *autem multas cauſas expoſuit ei, ob quas non poſſit nec velit ſubſcribere. Cùm vero* Schmidlinus *earum non nullas amovere ac diluere conaretur, nec illi ad omnia ac ſingula reſponderet* Landgravius, *vt qui iam iam iter ingredi vellet:* Schmidlinus *continuo de parta victoria & amotis rationibus omnibus Saxoniæ Electorem certiorem facit, eique ſcribit, ſi* Landgravius *rurſus de Subſcriptione dicti Libri à Celſit. eius ſollicitaretur, ſeſe non dubitare, quin id abſque vlla mora & cunctatione facturus eſſet. Re deliberata, miſſi ſunt* 8. *Sept. die ad Landgravium duorum Electorum Legati, Saxonis & Brandeburgici,* Hamboldus ab Einſidel & Lampertus Diſtelmeier *Iuris D. cum duobus Theologis* Kemnitio & Schmidlino, *quibus etiam Palatini acceſſerunt: qui hæc in mandatis habebant:* Scire eius Celſitudinem, quanto ſtudio ac zelo iam annis aliquot in eo laborârint nominati Principes, vt in ſuis ditionibus & Eccleſijs, Auguſtanæ Confeſſioni addictis, ſed iam inde à morte Lutheri falſis doctrinis & corruptelis miſere turbatis, pia Concordia rurſus inſtituatur: eamque ob cauſam iuſſu ſuo, à nonnullis doctis & pacis amantibus Theologis Formulam Concordiæ conſcriptam eſſe, eiuſque Celſitudini alijſque Ordinibus tranſmiſſam, & ex factis admonitionibus ac cenſuris ſic recognitam & emendatam, vt maior pars Ordinum Auguſtanæ Confeſſionis, eorumque Theologi, Paſtores & Ludimagiſtri eam ſubſcriptione ſuâ approbârint. Etſi verò Cenſuræ *Landgravij* diligenter quoque examinatæ, nonnullæ etiam Libro inſertæ ſint, de reliquis autem Saxoniæ Elector Celſitudini eius in *Langenſalzenſi* Conventu, amanter declarârit, quam ob cauſam abſque læſione veritatis

Electores Saxoniæ & Brandeburgen. Landgravium inſtinctu Schmidlini de ſubſcriptione ſollicitant.

& conſcientiæ, hoc quidem tempore, recipi & probari non poſſint, & prorſus ſperârit his Celſit. eius abundè ſatisfactum eſſe: Tamen cognoviſſe dictos Electores, Celſitudinem eius in ſuo propoſito adhuc perſtare, vehementiſſimeque flagitare, vt Liber iſte, ante publicationem: in generali ac libera omnium Ordinum Auguſtanæ Confeſſionis Synodo examinetur, & liberæ de eo ſententiæ dicantur.

Et hæc quidem ſeſe ipſius cauſa velle quidem: Scire autem Celſitudinem eius, quæ hoc præſenti ſeculo Theologorum, eorum in primis, qui falſa & erronea dogmata ſparſerint, atque etiamnum ijſdem infecti ſint, ferè ſit conditio. Eos enim non amplius in hunc finem convenire, vt placide, Chriſtianè & amicè conferant, aut conciliationem veritati congruam admittant, ſed potius vt eruditionis & doctrinæ palmam auferant, atque errores ſuos non minus quàm verbum Dei defendant, & ab ijs ne latum quidem vnguem diſcedant: Ideoque verendum, ne ex eiuſmodi Synodo graviora diſſidia, & animorum diſtractiones maiores, perturbationeſque exoriantur: Experientiam enim vel noſtra memoriâ ſatis ſuperque docuiſſe, Colloquia & Conventus Theologorum ferè omnes eiuſmodi eventus habuiſſe.

Cùm autem Electores Saxoniæ & Brandeburgenſis, ex tranſmiſſis literis intellexiſſent, Theologos ſuos, & libri huius authores, ab ijs qui huic Concordiæ negotio adverſentur, præſertim in articulo de Maieſtate Perſonæ Chriſti multorum novorum dogmatum accuſari, ipſiſque attribui, quod in Articulo de Cœna Domini Chriſti, veræ præſentiæ Corporis & Sanguinis eius, aliud fundamentum, quàm verba Inſtitutionis ſtatuant, atque hoc etiam Palatino Electori perſuaſum eſſe cognoviſſent; Celſitudines eorum, Theologos ſuos vna cum Politicis ad Electorem Palatinum amandaſſe, tali reſponſo & declaratione (quam etiam Præfationi inſeruerint, quæ Concordiæ Libro, Ordinum eorum omnium nomine, qui ei ſubſcripſerint, præfigi debeat) vt Palatino Electori abundè ſatisfactum ſit, adeoque conceſſerit, vt, omnipotente Deo auſpice, Concordiæ liber iſte ad proximum Michaëlis diem ſub ſuo quoque nomine in lucem prodire & publicari poſſit.

Quandoquidem igitur dicti Electores nequaquam dubitent, Landgravio huius tam ſancti Operis promotionem non minus quàm ipſis curæ eſſe: cum primis autem per quam moleſtum & grave ipſis foret,

foret, ſi laudatiſſimus Chriſtianuſque Princeps, ac inter Auguſtanæ Confeſſionis Ordines non poſtremus, a tam laudabili Concordiæ negotio excluderetur: omninoque in ea ſint ſententia, Celſitudinem ejus ſi rectè de veritate edoceatur, aures non præbituram amplius pacis hoſtibus & turbatoribus, qui ipſum alioſque Ordines ab hac Chriſtiana Concordia ejuſque ſubſcriptione meris calumniis, hanc ſolum ob cauſam dehortati ſint, quo ejus authoritate ita conſcribatur, ut Calviniſtæ cum ſuis erroneis dogmatibus ſub ea latere quoque poſſint: idcirco noluiſſe eos committere, quin, unà cum dicta *Præfatione*, Conciliarios & Theologos ſuos ad Celſitudinem ejus mitterent.

Rogare igitur Electores nominatos amiciſſimè Celſitudinem ejus: ut non modò *Præfationem* hanc legat & perpendat, in ea enim poſtulatis ejus abundè ſatisfacturum eſſe: ſed ſi quid adhuc deſideret in uno vel altero Articulo, uberiorem de eo Theologorum declarationem audiat ex ſacra Scriptura, & primitivæ Eccleſiæ Patribus: Sperare enim ſe, futurum, ut nullam prorſus diſſentiendi poſthac ab ipſis, cauſam habeat.

Orare inſuper Celſitudinem ejus, diligenter ſecum reputet, quantum commodi ex hac Chriſtiana Concordia, & quantum è contra detrimenti ex animorum illa diſtractione Eccleſia Dei perceptura ſit: Cogitet denique, quanta errantium hominum multitudo, Chriſtianæ hujus Concordiæ Opus, multis gemitibus ac ſuſpiriis expetat, ideoque publicationem ejus ulterius ſuſpendi non poſſe, &c.

Landgravii colloquiũ cum Sch. midlino.

Cùm hac mandata Principum ſuorum ad hunc ferè modum coram Illuſtriſſimo Principe Landgravio expoſuiſſent Legati, Iacobus Schmidlinus *ſub finem, cùm multa ultrò citroque dicerentur*, Quicunque, *ait Landgravio*, huic Concordiæ libro ſubſcribere detrectant, ex pace Imperii excludentur. *Cui Landgravius reſpondit*, Se igitur iniuſtè excluſum iri, quum ſit Auguſtanæ Confeſſionis membrum. *Tunc Schmidlinus dixit*, Neminem, qui Auguſtanæ Confeſſionis ſubſcripſerit, hunc librum repudiare poſſe, quia ſit Confeſſionis Auguſtanæ declaratio. *Quæ verba cum aliqua indignatione excipiens Landgravius, reſpondit;* Vbinam (malùm) ſcriptum in Auguſtana Confeſſione legitur, quòd iſte Liber ſit ejus declaratio? *Deinde converſus ad Theologos ſuos, quib. hunc librum legendum dedera , interrogavit illos*, Ecquid ipſi de eo judicent. *Reſponderunt ſimul omnes*, Se librum iſtum nec velle, nec poſſe approbare: Vbiquitatem enim, quæ in eo ſtabiliatur, novum figmentum eſſe, & Verbo Dei ac puriori antiquitati contrarium. *Quibus Schmidlinus*, Si corpus, *inquit*, Chriſti non eſt ubique, Naturarum fit diſtractio. *Tunc Landgravius, advocato ſatellite quodam Melſingenſe, quæſivit ex eo*, Quum Chriſtus in præſepi jacuiſſet, num aliis quoque in locis, in Cœlo, In Terra & ubique vero ſuo Corpore fuerit præſens? *Ad quæ ſatelles*, Clementiſſime Domine, *ait*, in præſepi tantum Corpus ejus fuit, nec aliis in locis: Ergo, *inquit Landgravius*, laceras Chriſtum & diſtrahis naturas ejus. *Reſpondit ſatelles*, Mala hæc eſt conſequentia, Clementiſſime Domine. *Tunc Landgravius Schmidilino dicit*, Viden' qualis ſis tu Doctor, & quantus Theologus? Sed age, *inquit*, ſi D. Rodingum, meum quondam præceptorem, convincere potes, quòd me non rectè de hoc articulo erudierit, ſubſcribam tuo Libro. *Schmidlinus igitur cum* Rodingo *de hoc Articulo pauliſper conferens, objecit ei inter alia* Rodingus *Articulos fidei*, Aſcendit in cœlum: Sedet ad dexteram Patris: Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. *Ad quæ Schmidlinus*, Oh, *ait* mi Rodinge, Chriſtus in aſcenſione ſua ne pilo quidem a terra receſſit: Ratio eſt, Pater in me, & ego in illo. Sed viſibile tantum Corpus depoſuit ad extremum uſque judicium, & ſpirituale aſſumpſit. *Quæ verba pleriſque ex ſanioribus nova, inaudita, imò prodigioſa ac horrenda viſa ſunt.*

Quâ cõditione Landgravius ſubſcribere debuerit.

Tandem petierunt Legati, ut Celſitudo eius ſaltem ſubſcriberet, & ad marginem, quæ non probaret, annotaret. *Quibus Landgravius reſpondit*: Sed tunc neceſſariò aut textus aut gloſſa falſa eſſet, *&c.*

Landgravii litteræ ac judicium de Formula Concordiæ ad Cœleſtinum.

Hoc ipſo quoque tempore Landgravius *exemplar Hiſpanicum (ut vocatur) Bibliorum impudenti flagitatione Celſit. ejus extortum*, Cœleſtino *aulæ Marchiacæ concionatori miſit cum literis, in quibus eum hortatur ac monet*, diligenter hæc Biblia inſpiciat, num in iis contineantur tres modi eſſendi, in uno eodemque corpore Chriſti, circumſcriptivus, ſecundùm quem corpus Chriſti ſpatium occupet: Definitivus, ſeu incomprehenſibilis & ſpiritualis qui Corpori Chriſti cum ſpiritibus communis ſit, nec ullum ſpatium deſideret: ac Repletivus, vel ſupernaturalis & planè divinus modus, quem vi perſonalis unionis cum Divinitate, & Seſſionis ad dexteram Patris ita habeat, ut pro ratione Divinæ Naturæ omnia plena ſint corporis Chriſti, & nuſquam circumſcribatur corpus ejus: Quos modos Lutherus ex Scholaſtica Theologia in ſuam tranſtulerit, & nunc etiam Concordiæ libri authores in eo confirment ac approbent. Se enim, licet tota Biblia Latinâ, Gallicâ & Germanicâ linguâ ſæpiùs le-

gendo abſolverit, nuſquam tamen in iis id reperire potuiſſe, ſed potius contrarium: nempe, quòd Chriſtus conceptus ſit in utero matris à Spiritu Sancto, certo ac definito tempore verus homo ex Maria virgine natus, poſtea in Cœlos aſcenderit & ad dexteram Dei conſederit, unde venturus ſit judicare vivos & mortuos. Item, quod Cœlum ſupra, Infernus autem infra nos ſit, duoque diſtincta, non invicem permixta loca ſint: & quòd huic doctrinæ nihil vel addendum vel adimendum ſit. Vehementer igitur, *inquit*, etiam atque etiam miramur, quis te tuoſque Collegas, qui librum Concordiæ conſcripſiſtis, adeò faſcinarit, occæcarit, imò tam audaces reddiderit, ut hæc ſimilia ex Lutheri polemicis ſcriptis, quæ ei fervore diſputationis interdum exciderunt, & cum eo hactenus ſepulta fuerunt, eruatis & hoc pacto ſopitas Eutychis & Neſtorii hæreſes ab orco revocetis, Chriſti Eccleſiam ſcindatis, veſtri in Chriſto Patris ac Præceptoris pudenda, impii Chami exemplo, detegatis atque ita clariſſimum ejus nomen, unà cum Chriſtiana noſtra Confeſſione Papiſtis, Anabaptiſtis, imò Turcis & Iudæis deridendas propinetis. Faxit igitur, *inquit*, Deus Optimus Maximus ut ex hoc præclaro opere; quod tibi ſimul mitto, tu tuique Collegæ diſcatis, hæc ſcandala, ad unitatem & concordiam Eccleſiarum conſervandam, tollere. Hoc ipſo enim, non ſolùm præſenti tempore ingens ſchiſma ex Eccleſia Dei, ſed etiam in futuro horrendi errores, qui ex his propoſitionibus, tanquam receptis & confirmatis haurientur, tollentur. Et jam jam quidem nonnulli docere occipiant, Chriſtum ne tranſverſum quidem digitum a terra receſſiſſe: Item, aſcenſionem in cœlum, nil aliud ſignificare, quàm diſparitionem. Si hæc jam fiunt, quid amabo, *inquit*, futurum puras, ſi liber iſte, authoritate Principum confirmatus & munitus, in lucem edetur? Hæc igitur, *ait*, tu, cum Muſculo, aliiſque Collegis diligenter ut perpendatis oro rogoque propter gloriam Dei & conſervationem Chriſtianæ religionis.

Di Cœleſtini horribili viſa exitu. *Paulò poſt hic* Cœleſtinus *miſero mortis genere periit, effuſo per os Sanguine & excrementis quum motâ mente nihil fere niſi de penſionum & uſurarum ſuarum ratiociniis toto morbi tempore loquutus fuiſſet. Conſtanter ferebatur, ipſius conſcientiæ ſcrupulum injeciſſe gravem & aculeatam illam Landgravii Epiſtolam, quam paulò ante ei miſerat.* Pauli Crellii *horribilem mortem infra in continuatione Peucerianæ hiſtoria narrabo.*

Reſponſum Illuſtriſſimi Principis Wilhelmi Landgravii Haſſiæ, quum à Legatis trium Electorum Palatini, Saxonis & Brandenburgi nomine, poſt ſemel negatam ſubſcriptionem (niſi corrigeretur Concordiæ Liber) iterum de ea ſollicitaretur.

Landgravius laudat Principũ intentionem bonam, ipſeque off. rt ad conſtituendã firmam concordiam.

CVm ſuperiora mandata trium Electorum Legati coram Landgravio expoſuiſſent, Celſitudo eius ſex Theologos Marpurgo & Caſſellis ad ſe in aulam accerſivit, ac 26. Octobris ad hunc ferè modum ſcripto Legatis reſpondit: Quod ad Concordiæ negotium attinet, non poſſumus ſanè non ante omnia probare indefeſſum ſtudium, laborem ac zelum, quem Illuſtriſſimi Principes & Electores in conſtituenda pace & concordia in negotio Religionis hactenus adhibuerunt, & adhuc adhibent. Servator enim noſter Ieſus Chriſtus ipſe diſcipulis ſuis nihil diligentius, quàm dilectionem & concordiam commendavit, atque patrem ſuum cœleſtem rogavit ut ſuos in pace & dilectione conſervet, eoque ſatis teſtatum fecit, quantum fidelium omnium interſit, ſeſe mutuo diligere, & contra quantum damni ex diſſenſionibus oriri queat. Idcircò Illuſtriſſimis Principibus perſuaſiſſimum ſit, nos hactenus non minori deſiderio firmæ, & Sacris literis cõſentaneæ pacis, concordięque conſtituendæ, propagandæq; pro virili noſtra, flagraſſe. Hujus rei locuples inprimis eſt teſtis Elector Saxonię: quàm primùm enim Celſitudo eius ſuum conſilium ac cogitationes de conſtituenda Concordia ſignificavit nobis, a veſtigio propoſitum illud & inſtitutum non ſolum mirificè probavimus ſed etiam Theologos, huic Concordię negotio perficiendo idoneos, propter doctrinę: pietatis & moderati ingenii exiſtimationem pleroſque nominavimus: poſtea quoque, prę ter dilectiſſimorum noſtrorum fratrum, noſtrum, noſtrorumq; Theologorum requiſitum judicium, de prima Torgenſi formula Concordię, candidè & ſyncerè indicavimus. In quam verò partem Theologorum nonnulli id ſint interpretati, & quam acerba, aculeata & mordax cenſura, præter omnem omnino expectationem, ſit conſecuta, ſcriptum illorum abundè teſtatur, quod etiam reliquis Theologis vehementer diſplicuiſſe conſtat. Nihilominus admonitionibus & cohortationibus inſtitimus, & quid in hoc opere deſideraremus, nulla ſanè curioſitate, ſed conſcientiæ ductu, amicè & candidè interdum ſignificavimus, quod Celſitudinibus ipſorum non ignotum eſſe arbitramur. Admonitiones etiam illæ omnes eò tantum ſpectabant,

non ut in Concordiæ hoc opere novi quidquam quæremus, ſed potius ut periculoſæ novitates caverentur, quæ laudatiſſimis noſtris majoribus, & in Religione ab ipſis inſtitutis ac ſuſceptis actionibus ſummo dedecori & opprobrio aliquando eſſe poſſent. Nam hanc ipſam ob cauſam ab initio ſtatim de verbis illis, Concordiæ Libro inſertis, quibus ad Primam & Immutatam Confeſſionem provocatur: de ſupervacanea cumulatione plurimorum, & jam pridem magna ex parte exſtinctorum errorum de Condemnationibus in Articulo Cœnæ, & litis illius approbatione: Item de diſputabili & periculoſiſſimo dogmate Omnipræſentiæ carnis Chriſti, ejuſque adjunctis, & his ſimilibus, ſemel iterumque monuimus quod hæc omnia novitatem præ ſe ferant. Dicta, enim verba, *Prima immutata Confeſſio*, & accumulationes tot antitheſium & errorum, ſecum ejuſmodi ſenſum afferre, ut adverſarii anſam inde arripiant, cùm laudatiſſimos noſtros majores, tum pios etiam doctores mutationis, incertitudinis, inconſtantiæ arguendi: ſuperiores eorum actiones omnes illudendi: repurgatæ religionis inſtauratores noſtros erroneæ ac falſæ doctrinæ accuſandi, & divellendi: religionem noſtram contemptiſſimè diffamandi: & teſtimonium calumniæ ipſorum, de incertitudine & dilaceratione Religionis noſtræ in tot ſectas, ex Confeſſione noſtra eruendi: quibus omnibus ne minimam quidem Electores occaſionem daturos, quantum in illis ſitum eſt, confidimus.

De prima Immutata Auguſt. Confeſſionem.

Similiter, cùm majores noſtri, laudatiſſimi Principes, in articulo de Sacra Cœna, de præſentia, diſpenſatione & perceptione veri Sanguinis & Corporis Ieſu Chriſti, brevem & ſimplicem Confeſſionem fidei ſuæ Auguſtæ exhibuiſſent, & contrariam doctrinam improbaſſent: nunquam verò ad approbationem, in hoc ipſo negotio, præſertim poſt initam Anno 36. à Theologos ſuperioris Germaniæ cum Luthero concordiæ, polemicorum ſcriptorum, multoque minus Condemnationum ullarum, quod in Numburgici Conventus, Anno 61. celebrati, indictione & decreto videre licet, vel etiam excluſionis ullius ex pace religionis, graviſſimis de cauſis, ſeſe adduci paſſi fuiſſent, ſed in ditionis ſuæ Eccleſiis & Scholis Auguſtanæ Confeſſionis tanquam ſui Symboli, veſtigiis ſimpliciter inſtitiſſent: jam tamen hac viâ non amplius proceditur: Nam omnes Electores & Principes his polemicis, iiſque paſſim aſperſis accuſationibus, ſicut etiam condemnationibus & inde manantibus incommodis, ab hujus libri Concordiæ authoribus implicantur, & in ipſos harum rerum omnium patrocinium rejicitur. Superioribus verò annis longè aliter res ſeſe habebat: nec dubitamus, quin Electoribus, cæteriſque Ordinibus futurum ſit longè graviſſimum harum omnium tam prolixarum & periculoſarum diſputationum in ſe recipere patrocinium, & litem, quod ajunt, ſuam facere.

De Lutheri polemicis ſcriptis & Condemnationibus.

Eodem modo monuimus, & ad hunc monemus amiciſſimè fideliſſimeque, ut in articulo de ſacra Cœna, ipſa tantùm Inſtitutionis verba, pro vero veræ corporis & ſanguinis Chriſti præſentiæ fundamento ſimpliciter retineantur: neque huic negotio diſputabile illud dogma de omnipræſentia corporis Chriſti immiſceatur, ſed prorſus abjiciatur: novæ & periculoſæ formæ ac modi loquendi in Articulo de Perſona Chriſti, contentionum & rixarum ſemina, vitentur: & de ſublimi illo Perſonalis unionis myſterio, in quo facillimus eſt Neſtorianiſmi, Eutichianiſmi, Schvenckfeldianiſmi, aliorumque jam pridem damnatorum errorum præcipitia lapſus, non niſi juxta Symbola, & decreta ab univerſa Eccleſia approbatorum Conciliorum, doceatur: & hac ratione non ſolum triſtes illæ confuſiones & incommoda, quæ ex periculoſa illa diſputatione in Eccleſias & Scholas noſtras inundarunt, præcidantur: ſed ſimul etiam Pontificiis, quandoquidem, quo tempore Confeſſio Auguſtæ fuit exhibita, & poſtea in Smalcaldicis articulis, aliiſque Colloquiis, ad hunc Articulum quod attinet, noſtrum cum Eccleſia Romana conſenſum profeſſi ſumus, nunc vero defendendo hoc dogmate aliter ſentimus, periculoſa & latè patens diſputatio de pace Religionis, Anno eam nobiſcum ſervare teneantur, abrumpatur & ex eorum manibus eripiatur: ſperantes hanc noſtram & neceſſariam, & ab animo ſyncero profectam admonitionem, Principes non ſupervacaneam aut intempeſtivam judicaturos.

De retinendis Inſtitutionis verbis pro fundamento præſentiæ corporis Chriſti in cœna.

His autem aliiſque à nobis Admonitionibus ſæpè repetitis, in Smalcaldiæ Conventu decretum tandem fuit, noſtris, aliorumque judiciis, cenſuris ac poſtulatis Præfatione ſatis fieri poſſet. Et ea quidem conſcripta, nobiſque tranſmiſſa eſt. Utinam verò, utinam inquam, hujuſmodi mediis perfectum eſſet, ut conſcientiæ noſtræ ſatisfieri potuiſſet, reipſa certè Celſitudines eorum experirentur, nos nodum in ſcirpo non quærere, nec de lana caprina

De Præfatione Formulæ Concordiæ.

contendere velle, ſed potius pacis & Chriſtianæ Concordiæ ſtudio paratos eſſe, omnia ea facere & concedere, quæ ſalvâ noſtrâ conſcientiâ ullo modo fieri poſſunt.

Gratum quidem nobis fuit, quòd in dicta Præfatione Francofurtenſis Receſſus anni 58. itemque Numburgici Conventus Anni 61. mentio aliqua facta eſt: intelleximus etiam etiam verba illa Concordiæ Libro inſerta, quibus ad primam immutatam Auguſtanam Confeſſionem provocatur, nonnihil declarata eſſe: atque optandum eſſet, hanc declarationem ab initio ſtatim Concordiæ Libro inſertam, & verbum hoc (*Immutatæ*) ut quod nihil utilitatis adfert, planè omiſſum fuiſſe.

Ad hæc, quod ad Articulum de Cœna Dn. attinet, piè & Chriſtiane in Præfatione dicitur, verba inſtitutionis ſola, quandoquidem fundator omnipotens & verax ſit, fundamentum veræ præſentiæ eſſe, deque aliis coram plebe, ut quæ ad ædificationem nihil faciant, diſputari non debere.

Placet nobis etiam Præfationis hæc Proteſtatio & declaratio, quòd nimirum in toto hoc Concordiæ negotio nihil novi quæratur, nec vel à Majorum noſtrorum agnita veritate diſcedere, vel Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, Symbolis, Auguſtana Confeſſione eiuſque Apologia, Smalcaldicis articulis & Lutheri Catechiſmis contrarium in rebus & phraſibus aliquid docere tentetur. Quæ omnia a nobis probantur, inprimis vero, nequid novi invehatur in Eccleſiam (quo admonitiones noſtræ potiſſimùm reſpiciunt) atque hac in parte cum Celſitudinibus ipſorum conſentimus.

Proteſtatio Bergenſium in præfatione libri Concordiæ facto contraria eſt

Ut autem Celſitudines eorum intelligant, quid tam in ſæpè citata Præfatione quàm in toto iſto negotio deſideremus, rogamus ut diligentur legant atque expendant non ſolùm admonitiones noſtras & cohortationes, quarum ſupra paucis mentionem fecimus, ſed etiam ſcriptum illud, quod Nos atque Anhaldinus Princeps ſub Dato Caſſellis 11. Martii hujus Anni Electoribus Saxoniæ & Brandeburgi miſimus: præſertim verò quod ad diſputabile dogma de perſona & omnipotentia carnis Chriſti, & quæcunque ei adhærent, pertinet: id enim in Præfatione iſta depravatum potius quàm emendatum & correctum eſt.

Phraſes & modi loquendi novi in præfatione continentur.

Nulla enim omninò Proteſtationis iſtius habita ratione, nempe, quod nihil in Concordiæ libro novi, nec quicquam contra Majorum noſtrorum Confeſſionem vel in verbis vel in rebus doceatur: in Præfatione iſta contra Proteſtationem hanc periculoſæ phraſes & loquendi modi quàm plurimi qui in ſacris literis, Symbolis, Auguſtana Confeſſione & Apologia non reperiuntur, ſed his ipſis ferè annis excogitati ſunt, nec à primitivæ Eccleſiæ Doctoribus, ipſo quoque Brentio teſte, unquam uſurpati, videlicet Humanam Naturam Chriſti eſſe omnipotentem, omniſciam & ubique præſentem: expreſsè approbantur, iiſque gloſſa ejuſmodi annectitur, quæ partim obſcura & confuſa eſt, partim vero eo ſpectat, quaſi aliqui ſint, qui ſentiant, Humanam Chriſti Naturam extra perſonalem unionem eſſe poſſe, quod nec fuit unquam, nec in æternum verum erit.

In præfatione Vbiquitati feneſtra aperitur.

Portò, quanquam in *Præfatione* ad aſſerendam veram præſentiam Chriſti in Cœnæ Articulo, verba inſtitutionis pro unica baſi & fundamento ponantur, & meritò quidem ad confirmandam illam veritas & omnipotentia fundatoria ſufficiunt: Mox tamen in *Præfatione* adjicitur, hanc præſentiam verâ declaratione articulorum fidei probari & explicari debere, eoque ipſo rurſus diſputabili Vbiquitati feneſtræ aperiuntur. In ſumma, totus Liber, cui fundamenta & ſemina univerſalis Omnipræſentiæ carnis Chriſti in omnibus Creaturis inſerta ſunt, in *Præfatione* in omnibus Articulis approbatur & confirmatur, & pro genuino Auguſtanæ Confeſſionis ſenſu habetur.

Vbiquitas corporis Chriſti novum eſt dogma

Etſi verò Libri Concordiæ authores probare contendunt, ſupra dictas phraſes de Omnipræſentia & omnipotentia humanitatis Chriſti, & quæ porro in fine *Præfationis* & Libri Concordiæ continentur, nullum dogma novum eſſe: quæque privati Theologi de univerſali Omnipræſentia carnis Chriſti in omnibus lignis, lapidibus &c. de Cœli & Inferni permixtione, de diſparitione Chriſti in aſcenſione, & ejuſmodi abſurda paradoxa complura docuerunt, in Libro Concordiæ non reperiuntur: Certum tamen eſt de dictis iſtis phraſibus & quæcunque dogmati illi adhærent, & ad confirmationem approbationemque Libro Concordiæ inſerta ſunt, neque in Symbolis, Smalcaldicis Articulis & Lutheri Catechiſmis ne unum quidem apicem reperiri & in nulla uſquam Academia, vivente adhuc Luthero, diuque poſt, nihil prorſus de hoc dogmate, & quæ ad confirmandum illud faciunt, traditum eſſe: imo & tempore exhibitæ Confeſſioni Auguſtanæ, & poſtea in Smalcaldicis Articulis, atque alias ſæpè, Principes & Theologos proteſtatos eſſe, nullàm in articulo de Perſona Chriſti cum Romana Eccleſia diſſenſio-

ſenſionem eſſe: eam quoque ob cauſam de hoc Articulo, utpote de quo nulla planè eſſet controuerſia nullum unquam habitum fuiſſe colloquium.

Quia verò hoc tempore, quo iſta diſputatio de Ubiquitate humanitatis Chriſti ab aliquot noſtrorum Theologorum mota eſt, Pontificii editis ſcriptis ſeſe huic doctrinæ opponunt, indeque intelligitur, in hoc Articulo nullum amplius conſenſum, ſed ſed potius diſſenſionem maximam eſſe: ideoque haud injuriâ quæri poſſet (ut procul dubio fiet) ut ea pars conſenſum iſtum vel ſervarit vel violarit? verendum ſanè eſt, Pontificios nullo modo conceſſuros, nec etiam à noſtris convinci poſſe, ipſos ſuam ſententiam de hoc articulo, quam tempore exhibitæ Auguſtanæ Confeſſionis tenuerunt & docuerunt, immutaſſe, ſed à noſtris potius mutationem factam eſſe, ſicut ex præcipuorum Theologorum editis his proximè 20. elapſis annis ſcriptis, nempe *Philippi, Heſshuſii, Fuigandi, Morlini, Selnecceri & Kemnitii* probari & demonſtrari poſſet, ut teſtimoniis præſentis Extractus, quem ſimul vobis exhibemus, videre licet: in quibus dogma hoc Ubiquitatis, ſeu perſonalis omnipræſentiæ carnis Chriſti novum, inauditum incertum ac dubium, quin imo ejuſmodi eſſe docetur, ſicut Lutherus ipſemet quoque ſcribit, ut in negotio Cœnæ eo utendum non ſit.

In Formula Concordiæ erroneæ doctrinæ ſepultæ rurſus eruuntur

Similiter, etſi libro Concordiæ nonnullorum Theologorum Paradoxa, quæ in libris eorum reperiuntur, non in ſpecie omnia inſerta ſint, hæc ipſa tamen querela manet, quod in Concordiæ libro multæ erroneæ propoſitiones aliæ, quæ cum auctoribus ſuis jam pridem extinctæ & ſepultę ſunt, ideoque nihil amplius periculi ab iis timendum eſt, ſolicitè citentur & improbentur. Id verò in hoc tam gravi Articulo, de quo jam lis & Controverſia in fervore eſt, ac ſi merè ſint perſonalia, prætermittitur, & Chriſtianus Lector hac in parte ſuſpenſus his verbis, *Abundat unuſquiſque ſuo ſenſu*, cum ſumma incertitudine dimittitur. Hinc autem, quum hæc ſpecialia in libro neque improbentur, neque probentur, & tamen multa dicta, quæ univerſalem Omnipræſentiam humanitatis Chriſti haud obſcure innuunt: ut quod dicitur, *Omnia plena eſſe Chriſti, etiam ſecundum humanitatem*, & ſimilia libro inſerta: privata quoque ſcripta in quibus ſemina univerſalis omnipræſentiæ ſparguntur, expreſſè ratificata & confirmata ſint: ex aſcenſione etiam nonnulli diſparitionem & evaneſcentiam fecerint præterea quoque doceatur, Chriſtum eo ipſo momento, quo in utero materno conceptus ſit, aſcendiſſe in cœlum, & quæ Ubiquitati cœli & inferni adhærent, ex iiſque inferuntur ac colliguntur: etiam atque etiam verendum eſt, ſi Concordiæ hic Liber in lucem edatur, antequam hæ omnia juxta regulam Verbi Dei examinentur & probè decidantur, inter ipſos Theologos dum quiſque hunc librum, & in eo approbata ſcripta, ad confirmandas & ſtabiliendas ſuas opiniones citare volet, multò graviores & perculoſiores contentiones ac rixas quàm nunc ſunt, exorituras eſſe: nec minus illud quoque verendum eſt, ne populus hoc dogmate de univerſali carnis Chriſti omnipræſentia, ad omnis generis curioſas, inutiles & periculoſas, quin etiam ad labefactandos & infirmandos, ne dicam ſubvertendos præcipuos articulos Chriſtianæ fidei noſtræ, abutatur.

Formulā Concordiæ materiam fore novarum contentionum.

An verba inſtitutionis Cœnæ Vbiquitate ſuffulcienda.

Iudicamus etiam, eam quæ in *Præfatione* ponitur, motivam, nimirum, ſi adverſarii in Articulo Cœnæ noſtrum ſenſum verborum Inſtitutionis oppugnare vellent, hunc ad declarationem articulorum fidei Chriſtianæ confugiendum, & ſub hoc prætextu (ut nos quidem intelligimus) dogma de omnipræſentia arripiendum, nullius omninò ponderis ſeu valoris, ſed longe omnium periculoſiſſimam eſſe: ſi videlicet verba Inſtitutionis ſeu Teſtamenti, quæ propter fundatoris veritatem & omnipotentiam firma ſatis ſunt, nec deleri poſſunt, & quibuſvis objectionibus refutandis ſufficiunt, diſputabili Ubiquitate ſuffulcirentur, eoque ipſo verum fundamentum labefactaretur, & in dubium vocaretur.

Vbiquitatis doctrinæ & quæ ei adhærēt non conſentanea ſunt Auguſtanæ conſeſſioni.

Quamvis autem Nos & quivis alii, charitatis & conſtituendæ in Eccleſia pacis ergò, multa & facete & concedere teneamur, ac ſibi Electores quoque hoc perſuaſiſſimum habere debeant, ſi qui in terris ſint quibus nos gratificari ac morem gerere cupiamus, hoc ipſorum Celſitudines inprimis eſſe, tanquam Noſtros Dominos, propinquos, confœderatos hæreditariâ neceſſitudine nobis devinctos ac fratres: Tamen quum in hoc Religionis & conſcientiarum arduo negotio, noſtram conſcientiam (ſicuti par eſt) examinamus & conſulimus, ſalvâ conſcientiâ & cum veritate affirmare non poſſumus, ſupra dictas & in Præfatione approbatas novas phraſes de Omnipotentia & Omniſcientia humanitatis Chriſti, & quæ ad confirmationem hujus dogmatis Concordiæ libro inſerta ſint, nempe, quod Chriſtus comprehenſibili & corporali modo, ſicut in terris ambulavit, non in Deo, neque apud Patrem, neque in Cœlo ſit:

 Item

Item, quòd corpus Christi, ſicut viſus, ſonus vel lux penetrat, eodem modo a matre ſua genitus, quodque omnia plena Christi, etiam ſecundum humanitatem ſint, & quæ hujus generis alia in horum Theologorum libris reperiuntur, qui huic certamini implicati ſunt: Confeſſioni Auguſtanæ, eiuſque Apologiæ & genuino ſenſui, quocunque exornentur colore, conſentanea eſſe. Neque etiam perſuaderi poſſumus, dictam Confeſſionem, vel anno 30 vel in ſequentibus Colloquiis, ab Electoribus, Principibus aliiſque Ordinibus hoc ſenſu unquam acceptam & intellectam fuiſſe. Hinc Celſitudines eorum facilè intelligent, ſi *Præfationem* & Concordiæ librum approbaremus, eique ſubſcribemus ſimpliciter, & ſic teſtaremur, quod hoc modo noſtram Confeſſionem Auguſtanam in his Articulis hactenus intellexerimus, & adhuc intelligamus, Nos contra conſcientiam noſtram facturos, & eiuſmodi Actum arrepturos, quem Nos ipſi in conſcientia conſcientiam Proteſtationi judicaremus: quod procul dubio Celſit. eorum a nobis non petent.

Quandoquidem igitur Celſitud. ipſorum conſtituerunt in Confeſſione Anno 30. Auguſtæ exhibita, eiuſdemque Apologia, tanquam in Propheticis & Apoſtolorum ſcriptis, & Symbolis fundata, perſeverare, nihilque contra eam novi vel in rebus vel in phraſibus introducere, in qua nos etiam ſententia ſumus: amiciſſimè eos per omnia ſacra & charitatem Chriſtianam rogamus, tanquam Chriſtianos & pacis amantes Electores, quibus abſque omni dubio Eccleſiæ Dei Concordia & ſalus ex animo curæ eſt: Theologis ſuis & Concordiæ libri authoribus ſeverè ac diligenter injungant atq; mandent, vetus doctrina, ad quam laudatiſſimi Majores noſtri Anno 30. atque inde ſæpius publice coram Imperatoribus & Regibus, provocarunt: inprimis autem, quod ad diſputabile dogma attinet de omnipræſentia humanitatis Chriſti, Symbola & decreta approbatorum Conciliorum & Epiſtola Leonis ad Flavianum, ipſis ſufficiat, eamque firmiter retineant, & reliquis, in Auguſtana Confeſſione, inprimis autem in Sacra Scriptura & Symbolis non extantibus diſputabilibus phraſibus & formulis loquendi, quæ juxta Apoſtoli fidelem admonitionem, auditores ſubvertunt, & lites pugnaſque gignunt, aliiſque novitatibus Eccleſiæ Chriſti pareant. Aut ſi omninò animum induxerunt Theologi a propoſito ſemelque ſuſcepto conſilio nullo modo recedere, ſaltem dent operam efficiantque, ut dictus Liber cum Præfatione juxta Majorum noſtrorum, veteriſque Eccleſiæ laudabilem conſuetudinem, antequam publicetur & in lucem edatur, in generali Synodo omnium Auguſtanæ Confeſſionis Ordinum, in qua ſola Scriptura Iudicis partes ſibi vendicet, remotis omnibus præjudiciis, in timore Domini, ac juxta regulam Verbi Divini examinetur, & in qua quid veritati Divinæ conſentaneum, quid non, liberis votis atque ſententiis, judicetur definiaturque: Cui Nos ipſos quoque promptiſſimè ſubmittemus.

Sin autem negotium hoc Synodi Celſitudinibus eorum adhuc tempore diſplicuerit, Nos, ut ſupra teſtati ſumus, atque etiam nunc ſimpliciter teſtamur, nihilominus, donec Deus commodiorem viam monſtraverit, unà cum Celſit. eorum in Anno 30. exhita Confeſſione & Apologia (citra tamen approbationem Tranſſubſtantiationis Papiſticæ) ut quæ in Verbo fundata eſt, & quantum ad articulum de Perſona Chriſti attinet, in Symbolis Apoſtolico, Niceno & Athanaſii, ſimiliterque in decretis Univerſalium Conciliorum, & à tota Eccleſia approbata Leonis ad Flavianum epiſtola, ſimpliciter acquieſcere decrevimus, & nihil quod his contrarium vel novum ſit in noſtras Eccleſias & Scholas introducere patiemur: in tuenda quoque & defendenda noſtra Auguſtana Confeſſione, una cum Celſitud. ipſorum, at reliquis omnibus eiuſdem Confeſſionis Sociis porrò, ut hactenus, viriliter perſeverabimus, ac aliàs Celſitud. ipſorum omnem benevolentiam, ſtudium atque officia, pro jure agnationis & hæreditariæ neceſſitudinis, promptiſſimo animo præſtabimus, ac ſimilia ab ipſorum Celſitud. expectabimus: hac ſpe freti Celſitud. eorum hoc noſtrum Reſponſum ad quod Nos conſcientia noſtra & rei gravitas, impulit, optimam in partem accepturas &c. 26. *Octob. Anno* 79.

Vuilhelmus Landgravius.

Landgravius *hanc Saxonis & Brandeburgici Electorum ſollicitationem, ſuaque Celſit. reſponſionem* Ioh. Palatino *mittit* 28. *Oct. petitque ut de utraque liberè ſuum judicium exponat. Scribit etiam,* Schmidlinum & Kemnitium *in Vbiquitatis dogmate diſſentire. hunc enim Chriſti præſentiam ad ea ſolum loca reſtringere, in quibus ſe præſentem futurum promiſerit: illum verò generalem præſentiam docere, ſuiſque clamoſis diſputationibus & ſophiſmatis* Kemnitium *opprimere. Cum autem multis imponant, ipſos, juxta Paulum, a fide aberrare, cumque magiſtri Scripturæ haberi velint, ſe tamen ipſos non intelligere. In fine Colloquii a ſe cum* Schmidlino *habiti mentionem facit.*

Replica

Replica trium Legatorum Electoralium Politicorum & Theologorum ad Illuſtriſſimi Principis Vuilhelmi Landgravii Haſſiæ reſponſum.

H*Uic graviſſimo ſapientiſſimoque Reſponſo Illuſtriſſimi Principis* Landgravii, *Electorales Theologi hujuſmodi* REPLICAM 28. *Octob. Anni* 1579. *oppoſuerunt*,

Quantum ad cauſarum enumerationem attinet, ob quas Celſitudo T. cum ſuis Theologis huc uſque Concordiæ Libro ſubſcribere recuſavit, meminit Celſitud. T. ad eas ſcriptis & ore ſatis ac ſolide antehac reſponſum eſſe, ideoque eam nunc intacta relinquemus.

Inprimis vero Celſitud. T. reminiſci & recordari clementer poteſt, quid Anno præterito 78. Langenſalzæ ea de re actum ſit, ubi in præſentia Electoralium Saxonicorum ac Celſitudinis T. Cancellariorum ac Conſiliariorum politicorum, Electorales Saxonici Theologi, cum C. T. Theologis Chriſtianum, amicum, fraternumque de Concordiæ libro Colloquium habuerunt: finitoque Colloquio C. T Theologi claris diſertiſque verbis teſtati ſunt, quod in dicto libro nulla impia doctrina contineatur, quæ Verbo Dei advertetur: ſicut hoc etiam in Actis dicti Conventus videre licet. Sperabamus igitur fore, ut Celſitud. T. Theologi ſubſcriptionem Libri hujus diutius non differrent, præſertim cum promiſerint, ſe acceptam declarationem & inſtitutionem ad fratres & ſymmiſtas ſuos fideliter relaturos. Et ſanè nos in dicto Colloquio apertiſſimis teſtimoniis Patrum & purioris antiquitatis Eccleſiæ doctorum, qui quatuor Oecumenicis Conciliis interfuerunt, comprobavimus, & adhuc comprobare poſſemus ſi neceſſe foret. quod nullam novam doctrinam per Concordiæ librum introduxerimus, nec ullas phraſes ei inſeruerimus, quæ non etiam antea a dictis Patribus uſurpatæ ſint.

Statim etiam ut huc advenimus, promiſimus Celſit. T. Superintendenti *D. Maiori* ſi vel ipſe vel Collegæ eius adhuc hodiè demonſtrare poſſint, quòd in Concordiæ libro impium dogma, vel impia doctrina contineatur, aut phraſes uſurpentur quæ Verbo Dei contrariæ ſint, vel quibus in primitiva Eccleſia orthodoxi Doctores non uſi ſint, nos id promptiſſimo ac fraterno animo *Sed non corrigere* audire: aut ſi quædam adhuc Libro inſint quæ remoram alicui facere aut dubitationem aliquam afferre poſſent, ſeſe id libenter declarare & explicare velle. Nam Liber iſte non inconſideratè a paucis quibuſdam Theologis conſcriptus eſt, ſed ſingula penè eius verba aurificis ſtatera examinata, & à plurimarum Eccleſiarum Paſtoribus diligentiſſimè ponderata ſunt, priuſquam ad ſubſcribendum cuiquam fuerit oblatus. Ac ſperavimus omnino fore, ut amicum, placidum, fraternum & Chriſtianum inter Celſit. T. Theologos & nos inſtitueretur Colloquium, in quo ſingula ad oculum demonſtrari, & Celſit. T. veritatem cognoſcere poſſet. Nos enim ſicut alii quoque ſynceri Eccleſiarum miniſtri, qui diligenti præeunte conſideratione & religioſa examinatione, huic Libro ſubſcripſerunt, prorſus pro talibus haberi nolumus, qui impia dogmata, vel eiuſmodi phraſes defendamus, quæ Verbo Dei contraria, nec in primitiva Eccleſia ab orthodoxis doctoribus uſurpatæ ſint. Omnium vero graviſſimum hoc nobis foret, ſi, ut de nobis affirmatur, Illuſtriſſimos Electores Principes, ac Status, cum tot Eccleſiis, earumque poſteris in damnatos errores, & falſas ac impuras doctrinas præcipitaverimus. Quod à nobis omnibus Deus clementer avertere dignetur. Similiter inſtitutum noſtrum neque unquam fuit neque adhuc eſt, ut cuiquam conemur eiuſmodi dogmata obtrudere, quæ contraria ſint Verbo Dei: ſicut a nonnullis immeritò nobis imputatur. Certi enim ſumus de Confeſſione & doctrina noſtra: de qua etiam omnibus ac ſingulis, imo juſto judici Deo noſtro Ieſu Chriſto in noviſſimo die rationem reddere haud gravabimur: nec cum veritate quiſquam unquam probare poterit, quod in Concordiæ Libro Dei Eccleſiæ impium dogma obtruſerimus, quod Verbo Dei contrarium ſit.

Cæterùm quod Celſit. T. in Reſponſione ſua aſſerit, quod de tribus his Articulis nempe de Perſona Chriſti, de Sacra Cœna & de Cœlo, in Concordiæ Libro, contra noſtram Proteſtationem, nova doctrina tam in rebus quam phraſibus introducta ſit: C. T. ad oculum demonſtrabimus, ipſam à ſuis Theologis aut aliis male de his edoctam eſſe contrariumque planè oſtendi poſſe. *Bergenſes probare conantur ſe nullã novam doctrinã in Formula Concordiæ tradere.*

Quod enim ad Perſonam Chriſti attinet, manifeſtum eſt, doctrinam illam in Libro Concordiæ non novam nec paulò ante, vel poſt demum Lutheri mortem Eccleſiis noſtris tradi cœpiſſe, ſed ſimiliter in rebus & phraſibus a Patribus, qui Conciliis quatuor Generalibus interfuerunt, traditam eſſe. Nam de Perſonali unione utriuſque Naturæ in Chriſto, earumque diſtinctis eſſentialibus proprietatibus, aliter non docemus, quam in dictis Conciliis, præſertim autem in Epheſino & Chalcedonenſi definitum eſt. De *De Perſona Chriſti.*

Communicatione quoque Majeſtatis ex dictorum etiam Patrum ſcriptis aliqua ſaltem teſtimonia adducemus, ut quivis intelligat, nos illud ipſum docere, quod in primitiva Eccleſia de hoc myſterio traditum fuit.

Quòd autem in Auguſtana Confeſſione, Apologia, Smalcaldicis Articulis & Catechiſmis Lutheri hæc ipſa verba non leguntur, id nondum evincit, hanc doctrinam propterea novam, & antehac in Eccleſia Dei nunquam auditam, multò minus verbo Dei contrariam eſſe. Nam neque vox ὁμοούσιος in Dei verbo reperitur, ſed progreſſu temporis à Patribus neceſſitate urgente contra Arrii hæreſin demùm in Eccleſiam introducta eſt, tantaque diligentiâ defenſa ab orthodoxis Patribus fuit, ut ne iota quidem de ea concedere pacis causâ voluerint, quum intelligerent, Arrianos dare quidem, Chriſtum ὁμοιούσιον (ſimilis eſſentiæ) non autem ὁμοούσιον (unius ejuſdemque eſſentiæ) appellari poſſe: quarum vocum tamen neutra in verbo Dei reperitur.

Præterea notum eſt, Auguſtanam Confeſſionem ſeſe ad Concilia dicta referre, in quibus Patres hujuſmodi phraſes uſurparunt, atque adeò implicitè Auguſtanæ Confeſſioni inſertæ ſunt.

Bergenſes probare conantur S. Scripturam & Patres Ubiquitatem Corporis Christi docere. Locus Mar. 16.

Adhæc negari non poteſt, Sacram Scripturam, vocem VBIQVE de ipſo Chriſto uſurpaſſe Mar. 16. *Et prædicaverunt*, VBIQVE *Domino cooperante, & confirmante ſermonem illorum per ſequentia ſigna.* Quum autem Chriſtus non tantùm ſecundum Divinitatem, ſed etiam ſecundum Humanitatem, non dimidiâ, ſed integrâ & totâ perſonâ, ad quam non ſolùm Divinitas, ſed etiam Humana Natura perſonaliter unita pertinet: & ſic totus Chriſtus cuilibet Apoſtolo ſeorſim, Thomæ in India, Petro in Aſia, Paulo in Europa præſens adfuit, nec minus viſibiliter ſe quandoque illis exhibuit, eiſque aſtitit Act. 22. ideò diſcipuli & ſucceſſores Apoſtolorum, S. Patres, voce VBIQVE de Humana quoque Natura & de Corpore Chriſti uſurparunt: ut ex ſequentibus teſtimoniis intelligi poteſt.

Ambroſius.

Ambroſius enim in 10. cap. ad Hebræos ſic ſcribit, *Vnus ubique eſt Chriſtus, & hic plenus, & illic plenus: unum Corpus. Sicut enim qui ubique offertur unum Corpus eſt, & non multa: ita etiam eſt unum ſacrificium.*

Cyrillus.

Cyrillus lib. 12. in Ioan. c. 32. *Nam quatuor orbis partes ad ſalutem reductæ, indumentum verbi & carnem ejus impartibiliter inter ſe partitæ ſunt: In ſingulis enim impartibiliter tranſiens unigenitus & Animam & Corpus per carnem ſuam ſanctificans impartibiliter atque integrè in omnibus eſt: Cum unus ubique ſit nullo modo diviſus.* Idem Chryſoſt. & Theophylactus.

Bergenſes probare conantur ſe Neſtorianos non eſſe.

Inſuper in Præfatione nulla intricata vel obſcura gloſſa, ſed neceſſaria admonitio eſt, quod Humanæ Naturæ Divinæ Majeſtas, quæ Deitatis propria eſt, non extra perſonalem unionem adſcribatur, ſicut hoc à tectis & apertis Calvinianis noſtris Eccleſiarum doctoribus falsò imputatur, ob eamque cauſam nos non ſolùm tanquam Eutychianos, ſed etiam tanquam Neſtorianos publicis ſuis ſcriptis infamarunt. A quibus graviſſimis calumniis hac declaratione noſtri ſuas Eccleſias in Præfatione liberare voluerunt: Nempe, quòd non duos Chriſtos faciant, quum unicam Divinam Majeſtatem confiteantur, non duas, quaſi Humana Natura propriam Creatam majeſtatem habeat, quæ Æternæ Majeſtati Filii Dei exęquata ſit: ſed Humanam Naturam in Divinam Majeſtatem, propter perſonalem unionem realiter ac verè collocatam eſſe: quod tota Scriptura clarè atteſtatur, & ſancti Patres non tantum per vocabula *Concreta*, ſed etiam per vocabula *Abſtracta* enuntiarunt: Ideoque non ſolùm vocabulum Homo Chriſtus, ſed etiam vocabula Humanitas, Humana Natura, Caro Chriſti, Sanguis Chriſti, quemadmodum etiam ipſa Scriptura, uſurpaunt. Hoc non obſcurum & intricatum, ſed clarum & perſpicuum eſt, ut ab omnibus intelligi queat licet Scholaſticorum verba per parentheſin Præfationi inſerta, doctis tantum nota ſint.

De paradoxis Ubiquiſtarum in Formula Concordiæ non refutatis.

Quòd autem Paradoxorum quorundam, in nonnullorum Theologorum Libris occurrentium, fit mentio, aſſeriturque, quod circuitionibus fallacibus leviter attingantur tantum, & ſic Lector ſuſpenſus teneatur, inque dubio relinquatur, in ipſo libro contrarium prorsùs reperitur.

Non enim nos latet, quid per vocabulum, *Paradoxa*, intelligatur, nempe, quod ſanis Eccleſiarum noſtrarum doctoribus tribuitur, ac ſi duas diſtinctas Divinitates & Omnipotentias doceant, unam eſſentialem, quę Æternæ Deitatis propria ſit: alteram communicatam, quæ non Dei propria, ſed creata ſit, quęque eſſentiali Deitati & Omnipræſentiæ exęquata, & propterea quoque Humana Natura Divinæ Naturæ exæquata ſit: cujuſmodi calumniis tam occultorum, quam manifeſtorum Calviniſtarum Libri referti ſunt.

Ne igitur Chriſtianus Lector ſuſpenſus teneatur, aut ſcrupulus aliquis in animo ejus relinquatur, apertis, claris & perſpicuis verbis error hic in Concordiæ Libro expreſsè rejectus eſt, quicunque eum docuerit: Vnde liquidò conſtat, nihil prorſus in cujuſquam gratiam vel ſilentio prætcritum, vel dictum aut factum eſſe. Nam disertè & expreſsè dicitur,

Sunt Proteſtationes contrariæ facto.

citur, non duas, ſed unicam tantum Divinitatem & Omnipotentiam eſſe, ut in Articulo de Perſona Chriſti Libri Concordiæ videre licet.

Noſtrarum autem Eccleſiarum Paſtores hunc errorem docuiſſe, non ſolum pernegant & inficias eunt, ſed etiam graviter ſæpè conqueſti ſunt, verba ipſorum ab adverſariorum Theologis perverti, & alienum ſenſum ipſis affingi. Et dato maximè, non tamen concesſo, hoc ab ipſis factum eſſe, manifeſtum tamen eſt, quòd portentoſa doctrina hæc in Concordiæ Libro rejiciatur.

Hæc recti & aperti Calviniſtæ probè intelligunt: ſed quoniam Concordiæ Libro nihil derogare, vel cum alicujus falſæ doctrinæ verè inſimulare poſſunt, doctores arrodunt & gravant, qui huic Libro ſubſcripſerunt, ut hoc pacto Librum ipſum odio & invidiâ onerent, ac ſi hujuſmodi falſæ doctrinæ in eo abſconditæ lateant.

In eodem ſimiliter Libro alia quoque paradoxa expreſsè rejiciuntur: videlicet, quòd aliquibus tribuitur, ac ſi doceant, quod Filius Dei cum omnibus Sanctis, imo cum omnibus Creaturis perſonaliter unitus ſit. Item, quòd Vnio perſonalis, & Communicatio Idiomatum unum idemque ſit. Item, quòd Realis communicatio ſit eſſentialis, ſeu phyſica effuſio eſſentialium proprietatum naturæ Divinæ, in aſſumptam Humanam Naturam: exæquatio item, ſeu confuſio naturarum & eſſentialium proprietatum: ſicut hoc in Libro ipſo ad oculum demonſtrari poteſt.

Bergenſes probare conantur ſe doctrinam Auguſtanæ Confeſſionis de perſona Chriſti retinere.

Quòd autem porro in Articulo de Perſona Chriſti dicitur, in eo conſenſum fuiſſe inter noſtros & Pontificios tempore exhibitæ Auguſtanæ Confeſſionis ſicut poſtea quoque ſemper: nunc verò diſſenſionem eſſe maximam, ideoque in dubium vocari non injuriâ poſſe, utra pars conſenſum illum ruperit & ab eo prior diſceſſerit: Ad id verè ac ſolidè reſpondemus, noſtras Eccleſias, earumque Paſtores in Articulo de Perſona Chriſti poſt exhibitam Auguſtanam Confeſſionem, nullam novam doctrinam tradidiſſe, ſed illam in ipſam continuaſſe, quæ toto ante Confeſſionem quadriennio non ſolum à Papiſtis intentata permanſit, qui de reliquis omnibus Articulis omnia Lutheri & Collegarum ejus doctrinam & ſcripta arroſerunt, ſed etiam poſt editionem Lutheri ſcriptorum contra Sacramentarios, ut ipſemet gloriatur, laudata, & poſt communi conſenſu Sacramentariorum doctrina de Cœna damnata eſt. Adhæc conſenſus in eo fuit de hoc articulo conſtitutus, ut de eo utrinque doceretur juxta Symbola, Concilia & veterem Eccleſiam. Ideoque Papiſtæ noſtris Eccleſiis earumque doctoribus in hoc Articulo nulli veritatis ſpecie innovationem doctrinæ objicere poſſunt.

Bergenſes probare volunt Sacramentariorum doctrinam de perſona Chriſti contrariam eſſe Auguſtanæ Confeſſioni.

E contra verò clarum & manifeſtum eſt, illas Eccleſias & doctores, qui verbis tantum Auguſtanam Confeſſionem approbant, ab ea autem ad Sacramentarios defecerunt, apertè confiteri, quod in Articulo de Perſona Chriſti cum Calviniſtis conſentiant: idque tam perſpicuè probare volumus, ut etiam manibus attrectari poſſit.

Nam in Articulo de Perſona Chriſti docent Sacramentarii, quum in perſonali unione utraque Natura in Chriſto, unaquæque natura eſſentiales proprietates ſuas retineat, eſſentialis autem proprietas Humanæ in Chriſto Naturæ ſit, ut finita & circumſcripta ſit, & uno eodemque tempore in pluribus locis eſſe non poſſit, hanc enim Divinæ Naturæ proprietatem eſſe, quæ Humanæ Chriſti Naturæ communicari nequeat. Propterea Corpus Chriſti etiam verè & ſubſtantialiter non poſſe præſens eſſe in omnibus iis locis, in quibus Cœna Domini in terris celebratur. Imo ſcribunt & confitentur in articulo de Perſona Chriſti apertiſſimè, Si probari poſſit, quod Chriſti corpus uno tempore in duobus tantum locis eſſe poſſit, ſibi nullam amplius contentionem cum noſtris fore, de illius præſentia vel in pluribus, vel in omnibus locis. Hoc enim doctrinam de Perſona Chriſti, deque proprietate Corporis Chriſti, nequaquam ferre: non enim verum Corpus eſſe poſſe, ſi ſimul & ſemel duobus vel pluribus locis præſens ſit.

Quoniam igitur doctrina de Perſona Chriſti fundamentum eſt Sacramentariorum doctrinæ, eoque labefactato & everſo ipſimet fateantur, ſe in noſtram ſententiam de Cœna ituros: quis non intelligat, eos omnes de Cœna Dom. a Calviniſtarum ſtare partibus, qui illorum doctrinam de Perſona Chriſti recipiunt & tanquam orthodoxam defendunt? Imò nonnulli Calviniani, qui ab Auguſtana Confeſſione defeciſſe videri nolunt, ſequentia verba ſcribunt: *Non eſt controverſia inter nos de modo, ſed de ſubſtantia & eſſentia Corporis Chriſti. Non quo modo ubique ſit, ſed, an ſubſtantia & eſſentia carnis Chriſti ubique ſit, quod nos prorſus negamus.* Quod autem in hac diſputatione ad Cœnæ negotium maxime reſpiciant, ſequentibus verbis teſtantur: *Non quærimus, An Corpus Chriſti terreno aut Cœleſti modo ubique ſit: ſed rotunde & apertè dicimus, quod Corpus Chriſti neque parvum neque magnum, neque coarctatum neque expanſum, neque multipliciter, neque cœleſti, neque terreno, neque humano modo, neque viſibiliter ſimul in multis aut pluribus locis ſit.*

Ex

Ex his verbis facilè intelligitur, quod occulti Sacramentarii diſputationem de Perſona Chriſti & omnipręſentia carnis ejus, errori ſuo de Sacramento hoc prętendant tantùm: neque enim ad Vbiquitatem multùm, ſed ad Cœnam potiſſimum ſpectant, quum utrique & aperti Calviniani, & tecti Confeſſionis Auguſtanę Theologi, qui Calvinianam doctrinam de Perſona Chriſti approbant, diſertè fateantur, ſibi unum idemque eſſe, ſi doceatur, quòd Chriſtus ſimul in multis, vel omnibus locis ſit: nam utrunque pugnare cum Fidei articulis de Perſona Chriſti.

Quum itaque Theologi iſti in Articulo de Cœna non ſentiant cum Papiſtis, præſertim Ieſuitis, alioquin Tranſſubſtantiationem eos probare, ac docere oporteret, quòd panis in Corpus Chriſti mutetur, & ſic Corpus Chriſti ex ſubſtantia panis formetur in omnibus locis totius mundi, quandoquidem Corpus, quod ex ſubſtantia Corporis Marię aſſumpſit, in Cœlo ſit, & propter proprietatem Humanæ Naturę, non ſimul in terris eſſe poſſit: quam novam doctrinam Ieſuitarum veteres Papiſtę atque etiam Scholaſtici non probant: nam Albertus M. de Sacramentis, *Quòd*, inquit, *Corpus Chriſti poteſt eſſe in pluribus locis, hoc habet ex unione perſonali:* Idem Hugo de S. Victore in 1. Cor. 10. Quum item non ſentiant cum noſtris Eccleſiis, quæ ante & poſt exhibitam Auguſtanam Confeſſionem ſemper docuerunt & teſtatæ ſunt, doctrinam Sacramentariorum de Perſona Chriſti falſam & erroneam eſſe, qua docent de proprietatibus Humanæ Naturæ, quòd Corpus Chriſti ſimul in pluribus locis eſſe non poſſit: Inde manifeſtum & luce clarius eſt, eos non eſſe Confeſſionis Auguſtanæ, ſed ab ea ad Sacramentarios defeciſſe. Confeſſionis enim Auguſtanę Socii medium tenentes, neque Pontificiam Tranſſubſtantiationem approbant, neque Calviniſtarum fundamentum de proprietatibus Humanæ Naturę, nempe, quòd Chriſtus ejuſmodi circumſcriptum Corpus habeat, ut ſimul non poſſit eſſe ſubſtantialiter in omnibus illis locis in quibus Cœna celebratur: Sed credunt ac docent, quòd Corpus Chriſti, etiamſi retinuerit proprietates veri humani corporis, in omnibus tamen iis locis ſimul eſſe poſſit ubi Cœna celebratur, eo modo qui ſoli Deo cognitus, nobis autem inperſcrutabilis eſt, quoniam ad omnipotentem virtutem & Majeſtatem Dei exaltatus eſt, cui neque modum neque metam Humana Natura præſcribere poteſt. Ob eamque cauſam Confeſſionis Auguſtanę Eccleſiis, quę Libro Concordię ſubſcripſerunt, nullum periculum imminet ab hac de Perſona Chriſti doctrina, quandiu anteceſſorum ſuorum veſtigiis inſiſtunt, nec aliud docent quàm hi docuerunt, eoque Sacramentariorum erroneam doctrinam everterunt.

Bergenſes probare conantur Lutheranos non diſſentire in doctrina de Vbiquitate.

Quòd porrò dicitur, noſtras Eccleſias novitatum in doctrina, præſertim verò in hoc Articulo, non ſolum à Papiſtis, ſed Philippi, Heſhuſii, Vuigandi, Morlini, Selnecceri atque ipſius etiam Kemnitii Libris, intra proxime 20. elapſos Annos editis, convinci poſſe, ut ex Extractu nobis exhibito intelligi queat: Nos certè dictum Extractum ſummo inſpeximus ac perlegimus ſtudio, non autem invenimus, doctrinam de Perſona Chriſti, quam Lutherus contra Sacramentarios tradidit, tanquam falſam & erroneam improbatam vel damnatam, aut ei contrarium aliquid à nominatis Doctoribus, excepto Philippo, ſcriptum eſſe. Sed quum Sacramenrarii verba Chriſti *Hoc eſt Corpus meum*, huc & illuc torqueant, & obvia quæque arripiant, ne de his verbis diſputare cogantur, & propterea contra Vbiquitatem ſolum clamitent: idcirco dicti Doctores ſuaſerunt, in Articulo de Cœna Domini doctrinam de Vbiquitate non urgendam eſſe, quòd Sacramentarii eam ſolùm noſtris objiciant, ut à verbis Chriſti abductis, ad rem ipſam reſpondere non oporteat. Ad hæc diſtinctos Articulos eſſe de Perſona Chriſti, & de S. Cœna, ideoque etiam de iis ſeorſim agendum eſſe.

In quo quidem prudenter, Chriſtianè & benè fecerunt, Luthero ipſo confitente, & Brentio atteſtante, quod ſtatuerunt, ſe à Sacramentariis petere nolle, ut in S. Cœnæ controverſia de Majeſtate divina hominis Chriſti in omnibus locis reſpondeant, nimis enim hoc illis arduum eſſe ac difficile: ſed ad elementa tantum alphabetica diſertè & perſpicuè reſpondeant, an nimirum Chriſti Corpus ſimul & ſemel in duobus aut pluribus locis eſſe poſſit: cætera ſucceſſive addiſci poſſe. Verba Brentii in Recognit. fol. 102. ſic habent: *Quia Zuingliani abhorrent adhuc ab hoc myſterio* (Vbiquitate) *ideoque videntur nonnullis in Eccleſia non altius aſcendiſſe, quàm uſque ad gradum catechumenorum & neophytorum, ſi modo hunc attigerint, non exigemus ab ipſis ſeveriter, ut diſcant, hominem Chriſtum omnia, Majeſtate ſuâ, quam habet à Deo communicatam, coràm implere & gubernare: Sed ut illud tantum elementum ſeu rudimentum cognoſcant, Corpus Chriſti poſſe, ſi non in omnibus ſimpliciter, certè in pluribus ſimus locis, in iis videlicet, in quibus Cœna Dom. celebratur, adeſſe. Hoc rudimento, ac velut incunabilis erimus interim contenti. Quod ſi*

rectè

rectè didicerint, benè ſperabimus de profectu ipſorum, ut poſtea faciliè cognoſcant, Chriſtum Humanitate ſuâ etiam ſimpliciter in omnibus locis eſſe.

De Cœna Do.

Hæc quum ſic habeant, non poteſt etiam ex citatis teſtimoniis Extractus probari, nominatos Doctores vel à Lutheri vel collegarum ejus doctrina & confeſſione defeciſſe, aut eam damnaſſe, quam iidem ante & poſt exhibitam Auguſtanam Confeſſionem unanimiter & conſtanter de Perſona Chriſti defenderunt, vel nova dogmata introduxiſſe in Eccleſias noſtras. Quantum autem ad fidei noſtrę fundamentum de pręſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœna attinet, quòd id ſolis verbis Teſtamenti Chriſti innitatur, in Libro Concordiæ ejuſque Præfatione expreſsè indicatum eſt. Niſi enim verba illa haberemus, certè auditores noſtros non magis cum pane & vino Corpus & Sanguinem Chriſti percipere, edere & bibere, quàm cum quovis alio cibo & potu, docere poſſemus.

Bergenſes probare volunt, ſe retinere verba inſtitutionis pro fundamento præſentiæ Corporis Chriſti in Cœna.

Quòd verò in Præfatione dicitur, ſi adverſarii ſimplicem noſtrum ſenſum & intellectum verborum Teſtamenti Chriſti impugnent ac rejiciant, ut qui pugnet cum articulis fidei noſtræ, adeoque falſus etiam ſit: ut verâ declaratione ſeu explicatione Articulorum fidei noſtræ demonſtretur ac probetur, ſimplicem noſtrum ſenſum verborum Teſtamenti Chriſti illis Articulis non eſſe contrarium: In Celſit. T. verò reſponſione contra objicitur, hac explicatione verum fundamentum non fulciri, ſed potius labefactari & in dubium ac periculum vocari: Celſitudini T. judicandum relinquimus, quonam modo coram Deo & Eccleſia ejus rationem reddere potuiſſemus, ſi Sacramentariorum clamores vel prorſus ſilentio præteriiſſemus, vel eos ſimplici negatione a nobis dimiſiſſemus? Nam ſi ſenſus noſter verborum Teſtamenti Chriſti cum Articulis fidei pugnat, erroneus eſt, adeoque etiam doctrina noſtra de Cœna erronea ac falſa erit. Sin autem cum nullo fidei Articulo pugnat, Articuli etiam declarandi & explicandi ſunt, ut intelligatur, quomodo non pugnet, ſi docetur, Chriſtus Corpore ſuo in Cœlis eſt, &, Chriſtus quoque eſt Corpore ſuo in Cœna hic in terris: id quod Lutherus, etiam in ſuis polemicis Scriptis contra Sacramentarios luculenter declaravit, ut ne portæ quidem inferorum quicquam contra poſſint.

Verba itaque Teſtamenti Chriſti firmiter manent fundamentum præſentiæ ac diſpenſationis Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœna, quorum ſimplicem ſenſum articuli fidei, eorumque propria ac genuina declaratio non ſolùm non labefactant, ſed potius confirmant, fideique noſtræ ſimplicitate tuentur. Injuſtè ergo hâc culpâ gravamur, quod in Præfatione ſcribamus, unicum fundamentum præſentiæ Corporis in Cœna nos ſtatuere verba Teſtamenti Chriſti: mox tamen ſubjiciamus in eadem præfatione, hanc præſentiam declaratione ſeu explicatione fidei Chriſtianæ comprobari & evinci debere. Quod enim interpoſitum eſt, hoc tum demùm fieri debere, ſi adverſarii objiciant, ſimplicem intellectum verborum Teſtamenti pugnare cum Articulis fidei, inſidiosè omittitur.

De aliis multis Paradoxis Ubiquiſtarum in Formula Concordiæ approbatis.

Quæ porrò de aliis quoque Paradoxis dicuntur, nempe, quòd omnia undique Chriſti plena ſint, etiam ſecundum humanitatem: quæ verba Concordiæ Libro inſerta ſint. Item, quod ex Aſcenſione Chriſti diſparitio & evaneſcentia facta ſit: ac inſuper doceatur, quod Chriſtus in ipſo conceptionis momento in cœlum aſcenderit: Item, de omnipræſentia cœli & inferni, & quæ his adjuncta ſunt: ad quorum confirmationem Liber iſtô faciat & produci poſſit, unde majores contentiones exoriri queant, quàm nunc ſint: Inprimis verò, quòd plebs dogmate de univerſali præſentia carnis Chriſti ad omnis generis curioſas, inhoneſtas & horrendas quęſtiones, ad labefactandos, ſi non evertendos præcipuos Chriſtianæ fidei articulos pertinentes, abuti poſſet: Ad præcavenda hæc omnia in ipſo Libro Concordiæ tam ſolida declaratio facta eſt, ut tale quid pertimeſcendum non ſit: aut ſi quid tale fieret, id Libro ipſo facilè depelli poſſet. Hoc enim in omnem æternitatem verum manet, quòd ubicunque Chriſtus filius Dei eſt: poſtquam homo factus, ibi etiam Deus & homo ſit, ita ut non in uno loco Deus tantum & Homo, in aliis locis autem ſine aſſumpta humanitate exiſtat, & extra illam unionem tantum Deus ſit. Quando autem quæreretur, ubi nam Chriſtum Deum & Hominem quærere debeamus? non docemus, quod etiam Lutherus, Brentius aliique orthodoxi doctores fecerunt, eum quærere in ligno, lapide vel aliis impuris locis, ſed ibi tantum quo nos verbo ſuo ablegavit, ſeſeque alligavit. Hæc enim verba in Concordiæ Libro expreſsè leguntur, *Chriſtum divina ſuâ omnipotentiâ Corpore ſuo, quod collocavit ad Dexteram Majeſtatis & potentiæ Dei præſentem eſſe poſſe ubicunque voluerit, præſertim verò ibi, ubi præſentiam ſuam, ut in Cœna, in verbo ſuo promiſit: Hoc facile poteſt ejus omnipotentia & ſapientia efficere ſine mutatione aut deſtructione Humanæ Naturæ.* Adhæc teſtatur Evangelica hiſtoria de Aſcenſione Chriſti, Chriſtum non

evanuiſ-

evanuiſſe, ſicut Emaunte Luc. 24. cap. ſed à diſcipulis diſceſſiſſe, & in cœlum aſcendiſſe, ac videntibus ipſis ſublatum eſſe, & nubem ab oculis eorum ſuſtuliſſe eum, Act. 1. c. Non quidem hoc modo, ac ſi omninò, etiam ſecundum Humanitatem, uſque ad noviſſimum diem nobiſcum in terris non ſit, ſed quòd non amplius viſibiliter, & modo hujus ſeculi nobiſcum eſſe velit. Certum eſt etiam, Chriſtum in utero materno ſecundum Humanitatem propter unionem perſonalem ſupra cœlos omnes collocatum eſſe, niſi fortè Deus ſupra cœlos non ſit exaltatus: neque tamen viſibilis aſcenſio in utero materno, ſed quadrageſimo demùm à reſurrectione die facta eſt.

Dicti quoque doctores diſcrimen inter cœlum & infernum conſtituunt, nec Diabolos in Cœlum Electorum, & beatos homines in Infernum ad Diabolos collocant, Cœlum & Infernum in unum chaos commiſcentes, ſicut ipſis Sacramentarii aliiq; manifeſtiſſimâ verborũ depravatione ſine ratione tribuunt.

Adhæc Lutherus ipſe in majore ſua Confeſſione de Cœna, verba illa, quòd Chriſtus comprehenſibili & corporali modo, ut in terra corporaliter verſatus eſt, non in Deo, neque apud Patrem, neque in Cœlo ſit, ſic declaravit, ut nullus ei contradicere poſſit. Mox enim ſubjungit cauſam, ob quam hoc modo in Deo vel apud Patrem non ſit, ut in terris fuerit: *Nam*, inquit, *Deus non eſt circumſcriptus locus.* Quid clariùs & ſignificantiùs dici poteſt? Neque ullus unquam Chriſtianus, aut doctor vel credidit, vel docuit, Deum corporeum locum eſſe.

Quantum vero ad hoc, quòd Chriſtus in Cœlo apud Deum Patrem non ſit, ut verò Nicodemo adſtiterit, de eo apud nullum Chriſtianum dubitatio aliqua eſt. Pater enim non eſt: ut Nicodemus, ens corporeum, ſed Spiritus quemadmodum etiam longè alia ratio Cœli eſt, quàm aliorum circumſcriptorum locorum in terris, ſicut omnes ſaniores doctores teſtantur: ut taceamus, quòd inter aſcenſionem Chriſti & Heliæ ingens diſcrimen eſt. Chriſtus enim non tantùm in cœlo, ſed etiam in terra cum hominibus eſt, atque etiam juxta Humanitatem in Cœlo & terra gubernat, quod neque Heliæ, nec cuiquam Angelorum datum eſt, qui tamen etiam in Cœlo apud Deum ſunt, verùm non Corporeo ac terreno, ſed Cœleſti modo: ſicut ſcriptum eſt, *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, paravit Deus iis qui ipſum diligunt.* Modo igitur Corporeo hoc eſſe ac fieri non poteſt, alioquin oculi noſtri hunc modum vidiſſent: Imo ſequeretur, ipſummet Deum Patrem tali Corporeo modo cœlo contineri, cui Chriſtus in ſella aſſideat, haud ſecus quàm ſi Regis alicujus filius juxta Patrem ſuum collocatus eſſet: quod non tantùm carnalis cogitatio de Chriſto, ſed etiam, ut Lutherus ſcribit, aliud nihil eſt, quàm de Deo ejuſque eſſentia nihil prorſus credere, ſed loco ejus fabellas hominibus tradere ac inſtillare, quemadmodum puellis puerliter cœleſtium rerum ac futuræ vitæ ſtatus ob oculos poni ſolet. Eadem eſt ratio ſimilitudinum de oculo & ſono. Si enim campanæ ſonus, aut hominis vox in uno loco ſæpè in quatuor, aut quinque, aut decem mille auribus uno momento eſt, cur non etiam Deum rationem ac modum noverit, quo Chriſti Corpus ſimul in mille locis præſens eſſe poſſit, ubi Cœna celebratur?

Adhæc omnes Patres & Eccleſiaſtici Doctores in hoc conſentiunt, Chriſtum tali modo à matre ſua genitum eſſe, ut ipſa non ſolùm ab ullo viro conceperit, ſed etiam, ut Auguſtinus Epiſtola 3. ſcribit, Virtus divina per inviolata matris virginea viſcera membra infantis eduxerit. Quocirca qui hoc negat, ut etiam illud, quod Chriſtus clauſas januas penetrarit, is contradicit Catholicæ Eccleſiæ Chriſti, & ejuſdem Doctorum conſenſui: iſque caveat ſibi, ne Articulum Chriſtianę noſtrę fidei de Incarnatione Chriſti prorſus amittat.

De Amlingi concionibus in quibus multa Ubiquiſtarum paradoxa enumerantur.

Poſtremò C. T. ſubmiſsè rogamus, ne ſequentem narrationem inclementer à nobis accipiat. Accepimus enim tres M. Amlingi conciones typis evulgatas, quaſque hîc in præſentia C. T. habuit, & eidem dedicavit, in quibus ejuſmodi calumnias evomuit, quæ in Æternum probari nequeunt, contrarium autem facilè demonſtrari poteſt. Noſtros enim falsò accuſat, quòd doceant, *Filium Dei cum omnibus creaturis perſonaliter unitum eſſe: quòd caro & Sanguis ejus ante nativitatem extra matris uterum fuerit: quod divinitas & humanitas una ſint eſſentia: quòd Chriſtus poſt reſurrectionem Humanitatem prorſus depoſuerit, contra Regulam: Quicquid Filius Dei ſemel aſſumpſit, id nunquam deponit rurſus: & carnem ejus cum omnibus proprietatibus ſuis deificatam & Deo ſimilem factam eſſe: quodque Chriſtus ne latum quidem unguem à terra in aſcenſione receſſerit*; & quæ ſunt hujus generis plura. Hæc omnia Clementiſſime Princeps nil niſi putæ puræ calumniæ ſunt, quæ in Concordiæ Libro non reperiuntur, neque in eo fuco aliquo picta, aut inſinuata ſunt, multò verò minus ex eo probari poſſunt: à calumniatoribus autem iſtis in hunc finem conficta ſunt, ut Orthodoxos, qui Libro Concordiæ ſubſcripſerunt, apud omnes in odium & invidiam addu-

adducant, & ſi fieri poſſet hoc pacto librum ipſum vel inſpectum facere, vel prorſus ad nihilum redigere queant. Et Diabolus his ſimilibuſque calumniis nihil aliud quærit. Quæ omnia, cùm ſint, quod cum venia C. T. dicimus, impudentiſſima mendacia, hucuſque ſilentio prætervimus, non quòd negari & cum veritate refutari nequeant, ſed ut Operi huic publico parceretur, cujus publicatione dictæ calumniæ ſic removentur ad diluuntur, vt pii omnes inde facile judicaturi ſint, tam Libro, quam auctoribus inſignem injuriam fieri.

Cùm autem reipsâ experiamur huiuſjuſmodi calumnias ſine intermiſſione occultis & publicis ſcriptis hinc inde ſpargi, quod ad noſtras perſonas attinet, proteſtamur coram C. T. nos ad eas, ratione habita officii & conſcientiæ noſtræ, diutius connivere nolle, ſed iis publicis ſcriptis ita contradicere velle, vt omnes intelligant, hunc non Spiritum Sanctum, neque hos illius miniſtros eſſe qui ad confirmandam damnatam Calviniſtarum doctrinam tam manifeſta mendacia ſpargere audent.

Hæc omnia C. T. ſignificare voluimus, non quod diſputationem aliquam cum C.T. inſtituere cupiamus, hoc enim dedeceret nos maximè, quum hanc tantum ob cauſſam nos vna cum legatis Politicis amandati ſimus, vt C. T. ejuſque Theologos doceamus, in Concordiæ libro nullum dogma impium contineri, neque eidem vel in phraſibus vel in rebus aliquid inſertum, quod novum, & in verbo Dei, ſcriptiſque veterum Patrum non fundatum ſit: Sed tantum coram C. T. de his articulis declarationem facere voluimus, ne Illuſtriſſimi noſtri Principes ex ſilentio noſtro coniiciant nos iſtorum criminum reos eſſe, nec Concordiæ librum à tam atrocibus calumniis vindicare potuiſſe.

Cumque T. Celſitudo Illuſtriſſimos noſtros Principes amice roget & obſecret, ſuis Theologis mandent atque iniungant, ut doctrinam Auguſtanæ Confeſſionis, generalium Conciliorum & epiſtolæ Leonis ad Flavianum firmiter retineant: jam denuo coram C.T. teſtamur pro noſtris perſonis, nos in hac ſententia ſemper fuiſſe & adhuc eſſe, & ut idem nobiſcum Collegæ noſtri ſentiant, ſemper eos à nobis admonitos fuiſſe. Interim C.T. celare nolumus, Theologos illos, qui Calviniſtarum doctrinam de Perſona Chriſti probant, & noſtræ Confeſſioni contradicunt, generalium iſtorum Conciliorum doctrinæ non inſiſtere, ſed quicquid illa in rebus & phraſibus orthodoxè decreverunt, ab his Theologis reiicitur ac damnatur: eoque non ſolum Calviniſtarum errorem de Cœna quod in illis eſt, confirmant, ſed etiam Chriſtum ſecundum humanitatem divina maieſtate contra verbum Dei & dictorum Conciliorum decreta privant. Hæc vnica res tantum ponderis apud C.T. abſque dubio habitura eſt, ut ſeſe à Chriſtianis Electoribus, Principibus aliiſque ordinibus in hoc tam ſalutari & neceſſario Concordiæ negotio neutiquam ſegregatura ſit, &c.

T. C.

Subjectiſſimi ac ſtudioſiſſimi Martinus Kemnitius D. Iacobus Andreæ D. Vuilhelmus Zimmermannus D.

Illuſtriſſimi Principis Wilhelmi Landgravii Haſſiæ Theologorum Duplica, ad trium Electoralium Theologorum Replicam, 3. Calend. Novemb. Anno 1579. exhibita.

Illuſtriſſimus & Clementiſſimus Princeps noſter Vuilhelmus Landgravius Haſſiæ Electoralium Theologorum ſcriptum legit, in quo negant, vllum novum dogma & contrarium Auguſtanæ Confeſſioni in rebus & phraſibus in Concordiæ Libro ejuſque Præfatione contineri.

Quòd autem ad confirmationem huius ſententiæ ſuæ *D. Meieri Superintendentis* verba adducunt, qui dixerit, *in Concordiæ libro nullam impiam doctrinam contineri*, Celſitudo ejus ſatis hoc mirari nequit, quum Legati Electorales ad Celſit. ejus, non ad Superintendentem Meierum miſſi ſint, cujus Confeſſioni & verbis nec ipſe Princeps, nec ejus Theologi aſtricti ſint: adhæc Theologis ipſis, aliiſque qui tum præſentes fuerint notum eſſe, quâ occaſione, quove modo hoc a Meiero dictum, & in continenti tam ſcripto quàm ore declaratum ſit, ut nihil prorſus ſubſidii inde peti poſſit. Haud quoque meminiſſe Principem ab eo tempore collationem vel colloquium vllum petitum fuiſſe: ſed quum proximâ die Veneris Princeps legatorum poſtulata primò audiverit, ſequenti Martis die ſtatim reſponſum ſuum dediſſe, vt maturè legatis exhiberi potuerit, niſi Celſit. ejus viſum fuiſſet exhibitionem ad legatorum Palatini Electoris adventum vſque differre. Et ſi maximè interea temporis Colloquium aliquod à Theologis quæſitum aut poſtulatum fuiſſet, tamen cùm Celſir. ejus Salzæ, atque etiam nunc aliquo modo intellexerit ex illis, ipſos quidem paratos eſſe audire, ſed ne in

Reſponſio de Meiero.

Item, quòd corpus Chriſti ſicut viſus, ſonus vel lux penetrat, eodem modo a matre ſua genitus, quodque omnia plena Chriſti, etiam ſecundum humanitatem ſint,& quæ hujus generis alia in horum Theologorum libris reperiuntur, qui huic certamini implicitì ſunt: Confeſſioni Auguſtanæ, eiuſque Apologiæ & genuino ſenſui, quocunque exornentur colore, conſentanea eſſe. Neque etiam perſuaderi poſſumus, dictam Confeſſionem, vel anno 30 vel in ſequentibus Colloquiis, ab Electoribus, Principibus aliiſque Ordinibus hoc ſenſu unquam acceptam & intellectam fuiſſe. Hinc Celſitudines eorum facile intelligent, ſi *Præfationem* & Concordiæ librum approbaremus, eique ſubſcribemus ſimpliciter, & ſic teſtaremur, quod hoc modo noſtram Confeſſionem Auguſtanam in his Articulis hactenus intellexerimus, & adhuc intelligamus, Nos contra conſcientiam noſtram facturos, & eiuſmodi Actum attrepturos, quem Nos ipſi in conſcientia conſcientiam Proteſtationi judicaremus: quod procul dubio Celſit. eorum a nobis non petent.

Quandoquidem igitur Celſitud. ipſorum conſtituerunt in Confeſſione Anno 30. Auguſtæ exhibita, eiuſdemque Apologia, tanquam in Propheticis & Apoſtolorum ſcriptis, & Symbolis fundata, perſeverare, nihilque contra eam novi vel in rebus vel in phraſibus introducere, in qua nos etiam ſententia ſumus: amiciſſimè eos per omnia ſacra & charitatem Chriſtianam rogamus, tanquam Chriſtianos & pacis amantes Electores, quibus abſque omni dubio Eccleſiæ Dei Concordia & ſalus ex animo curæ eſt: Theologis ſuis & Concordiæ libri authoribus ſeverè ac diligenter injungant atq; mandent, vetus doctrina, ad quam laudatiſſimi Majores noſtri Anno 30. atque inde ſæpius publicè coram Imperatoribus & Regibus, provocarunt: inprimis autem, quod ad diſputabile dogma attinet de omnipræſentia humanitatis Chriſti, Symbola & decreta approbatorum Conciliorum & Epiſtola Leonis ad Flavianum, ipſis ſufficiat, eamque firmiter retineant, & reliquis, in Auguſtana Confeſſione, inprimis autem in Sacra Scriptura & Symbolis non extantibus diſputabilibus phraſibus & formulis loquendi, quæ juxta Apoſtoli fidelem admonitionem, auditores ſubvertunt, & lites pugnaſque gignunt, aliiſque novitatibus Eccleſiæ Chriſti pareant. Aut ſi omninò animum induxerunt Theologi à propoſito ſemelque ſuſcepto conſilio nullo modo recedere, ſaltem dent operam efficiantque, ut dictus Liber cum Præfatione juxta Majorum noſtrorum, veteriſque Eccleſiæ laudabilem conſuetudinem, antequam publicetur & in lucem edatur, in generali Synodo omnium Auguſtanæ Confeſſionis Ordinum, in qua ſola Scriptura Iudicis partes ſibi vendicet, remotis omnibus præjudiciis, in timore Domini, ac juxta regulam Verbi Divini examinetur, & in qua quid veritati Divinæ conſentaneum, quid non, liberis votis atque ſententiis, judicetur definiaturque: Cui Nos ipſos quoque promptiſſimè ſubmittemus.

Sin autem negotium hoc Synodi Celſitudinibus eorum adhuc tempore diſplicuerit, Nos, ut ſupra teſtati ſumus, atque etiam num ſimpliciter teſtamur, nihilominus, donec Deus commodiorem viam monſtraverit, unà cum Celſit. eorum in Anno 30. exhibita Confeſſione & Apologia (citra tamen approbationem Tranſſubſtantiationis Papiſticæ) ut quæ in Verbo fundata eſt, & quantum ad articulum de Perſona Chriſti attinet, in Symbolis Apoſtolico, Niceno & Athanaſii, ſimiliterque in decretis Univerſalium Conciliorum, & à tota Eccleſia approbata Leonis ad Flavianum epiſtola, ſimpliciter acquieſcere decrevimus, & nihil quod his contrarium vel novum ſit in noſtras Eccleſias & Scholas introducere patiemur: in tuenda quoque & defendenda noſtra Auguſtana Confeſſione, unà cum Celſitud. ipſorum, ac reliquis omnibus eiuſdem Confeſſionis Sociis porrò, ut hactenus, viriliter perſeverabimus, ac aliàs Celſitud. ipſorum omnem benevolentiam, ſtudium atque officia, pro jure agnationis & hæreditariæ neceſſitudinis, promptiſſimo animo præſtabimus, ac ſimilia ab ipſorum Celſitud. expectabimus: hac ſpe freti Celſitud. eorum hoc noſtrum Reſponſum ad quod Nos conſcientia noſtra & rei gravitas, impulit, optimam in partem accepturas &c. 26. *Octob. Anno* 79.

Vuilhelmus Landgravius.

Landgravius *hanc Saxonis & Brandeburgici Electorum ſollicitationem, ſuaque Celſit. reſponſionem* Ioh. Palatino *mittit* 28. *Oct. petitque ut de utroque liberè ſuum judicium exponat. Scribit etiam,* Schmidlinum *&* Kemnitium *in Vbiquitatis dogmate diſſentire. hunc enim Chriſti præſentiam ad ea ſolum loca reſtringere, in quibus ſe præſentem futurum promiſerit: illum verò generalem præſentiam docere, ſuiſque clamoſis diſputationibus & ſophiſmatis* Kemnitium *opprimere. Cum autem multis imponant, ipſos, juxta Paulum, à fide aberrare, cumque magiſtri Scripturæ haberi velint, ſe tamen ipſos non intelligere. In fine Colloquii à ſe cum* Schmidlino *habiti mentionem facit.*

Replica

Replica trium Legatorum Electoralium Politicorum & Theologorum ad Illuſtriſſimi Principis Vuilhelmi Landgravii Haſſiæ reſponſum.

H*Vic graviſſimo ſapientiſſimoque Reſponſo Illuſtriſſimi Principis* Landgravii, *Electorales Theologi hujuſmodi* REPLICAM 28. *Octob. Anni* 1579. *oppoſuerunt,*

Quantum ad cauſarum enumerationem attinet, ob quas Celſitudo T. cum ſuis Theologis hucuſque Concordiæ Libro ſubſcribere recuſavit, meminit Celſitud. T. ad eas ſcriptis & ore ſatis ac ſolidè antehac reſponſum eſſe, ideoque eam nunc intacta relinquemus.

Inprimis verò Celſitud. T. reminiſci & recordari clementer poteſt, quid Anno præterito 78. Langenſalzæ ea de re actum ſit, ubi in præſentia Electoralium Saxonicorum ac Celſitudinis T. Cancellariorum ac Conſiliariorum politicorum, Electorales Saxonici Theologi, cum C. T. Theologis Chriſtianum, amicum, fraternumque de Concordiæ libro Colloquium habuerunt: finitoque Colloquio C. T Theologi claris diſertiſque verbis teſtati ſunt, quod in dicto libro nulla impia doctrina contineatur, quæ Verbo Dei adverſetur, ſicut hoc etiam in Actis dicti Conventus videre licet. Sperabamus igitur fore, ut Celſitud. T. Theologi ſubſcriptionem Libri hujus diutius non differrent, præſertim cum promiſerint, ſe acceptam declarationem & inſtitutionem ad fratres & ſymmiſtas ſuos fideliter relaturos. Et ſanè nos in dicto Colloquio apertiſſimis teſtimoniis Patrum & purioris antiquitatis Eccleſiæ doctorum, qui quatuor Oecumenicis Conciliis interfuerunt, comprobavimus, & adhuc comprobare poſſemus ſi neceſſe foret. quod nullam novam doctrinam per Concordiæ librum introduxerimus, nec ullas phraſes ei inſeruerimus, quæ non etiam antea a dictis Patribus uſurpatæ ſint.

Statim etiam ut huc advenimus, promiſimus Celſit. T. Superintendenti *D. Maiori* ſi vel ipſe vel Collegæ eius adhuc hodiè demonſtrare poſſint, quòd in Concordiæ libro impium dogma, vel impia doctrina contineatur, aut phraſes uſurpentur quæ Verbo Dei contrariæ ſint, vel quibus in primitiva Eccleſia orthodoxi Doctores non uſi ſint, nos id promptiſſimo ac fraterno animo audire: aut ſi quædam adhuc Libro inſint quæ remoram alicui facere aut dubitationem aliquam afferre poſſent, ſeſe id libenter declarare & explicare velle. Nam Liber iſte non inconſideratè a paucis quibuſdam Theologis conſcriptus eſt, ſed ſingula penè eius verba aurificis ſtatera examinata, & à plurimarum Eccleſiarum Paſtoribus diligentiſſime ponderata ſunt, priuſquam ad ſubſcribendum cuiquam fuerit oblatus. Ac ſperavimus omnino fore, ut amicum, placidum, fraternum & Chriſtianum inter Celſit. T. Theologos & nos inſtitueretur Colloquium, in quo ſingula ad oculum demonſtrari, & Celſit. T. veritatem cognoſcere poſſet. Nos enim ſicut alii quoque ſynceri Eccleſiarum miniſtri, qui diligenti præeunte conſideratione & religioſa examinatione, huic Libro ſubſcripſerunt, prorſus pro talibus haberi noluimus, qui impia dogmata, vel eiuſmodi phraſes defendamus, quæ Verbo Dei contrariæ, nec in primitiva Eccleſia ab orthodoxis doctoribus uſurpatæ ſint. Omnium vero graviſſimum hoc nobis foret, ſi, ut de nobis affirmatur, piiſſimos Electores Principes, ac Status, cum tot Eccleſiis, earumque poſteris in damnatos errores, & falſas ac impuras doctrinas præcipites ageremus. Quod à nobis omnibus Deus clementer avertere dignetur. Similiter inſtituti noſtri neque unquam fuit neque adhuc eſt, ut cuiquam conemur eiuſmodi dogmata obtrudere, quæ contraria ſint Verbo Dei, ſicut à nonnullis immeritò nobis imputatur. Certi enim ſumus de Confeſſione & doctrina noſtra: de qua etiam omnibus & ſingulis, imo juſto judici Dom. noſtro Ieſu Chriſto in noviſſimo die rationem reddere haud gravabimur: nec cum veritate quiſquam unquam probare poterit, quod in Concordiæ Libro Dei Eccleſiæ impium dogma obtruſerimus, quod Verbo Dei contrarium ſit.

Cæterùm quod Celſit. T. in Reſponſione ſua aſſerit, quod de tribus his Articulis nempe de Perſona Chriſti, de Sacra Cœna & de Cœlo, in Concordiæ Libro, contra noſtram Proteſtationem, nova doctrina tam in rebus quam phraſibus introducta ſit: C. T. ad oculum demonſtrabimus, ipſam a ſuis Theologis aut aliis male de his edoctam eſſe contrariumque planè oſtendi poſſe. *Bergenſes probare conantur ſe nullā novam doctrinā in Formula Concordiæ tradere.*

Quod enim ad Perſonam Chriſti attinet, manifeſtum eſt, doctrinam illam in Libro Concordiæ non novam nec paulo ante, vel poſt demum Lutheri mortem Eccleſiis noſtris tradi cœpiſſe, ſed ſimiliter in rebus & phraſibus a Patribus, qui Conciliis quatuor Generalibus interfuerunt, traditam eſſe. Nam de Perſonali unione utriuſque Naturæ in Chriſto, earumque diſtinctis eſſentialibus proprietatibus, aliter non docemus, quam in dictis Conciliis, præſertim autem in Epheſino & Chalcedonenſi definitum eſt. De *De Perſona Chriſti.*

Sed non corrigere

Communicatione quoque Majeſtatis ex dictorum etiam Patrum ſcriptis aliqua ſaltem teſtimonia adducemus, ut quivis intelligat, nos illud ipſum docere, quod in primitiva Eccleſia de hoc myſterio traditum fuit.

Quòd autem in Auguſtana Confeſſione, Apologia, Smalcaldicis Articulis & Catechiſmis Lutheri hæc ipſa verba non leguntur, id nondum evincit, hanc doctrinam propterea novam, & antehac in Eccleſia Dei nunquam auditam, multò minus verbo Dei contrariam eſſe. Nam neque vox ὁμοούσιος in Dei verbo reperitur, ſed progreſſu temporis à Patribus neceſſitate urgente contra Arrii hæreſin demùm in Eccleſiam introducta eſt, tantaque diligentiâ defenſa ab orthodoxis Patribus fuit, ut ne iota quidem de ea concedere pacis causâ voluerint, quum intelligerent, Arrianos dare quidem, Chriſtum ὁμοιούσιον (ſimilis eſſentiæ) non autem ὁμοούσιον (unius ejuſdemque eſſentiæ) appellari poſſe: quarum vocum tamen neutra in verbo Dei reperitur.

Præterea notum eſt, Auguſtanam Confeſſionem ſeſe ad Concilia dicta referre, in quibus Patres hujuſmodi phraſes uſurparunt, atque adeò implicitè Auguſtanæ Confeſſioni inſertæ ſunt.

Bergenſes probare conantur S. Scripturam & Patres Vbiquitatem Corporis Chriſti docere. Locus Mar. 16.

Adhæc negari non poteſt, Sacram Scripturam, vocem VBIQVE de ipſo Chriſto uſurpaſſe Mar. 16. *Et prædicaverunt,* VBIQVE *Domino cooperante, & confirmante ſermonem illorum per ſequentia ſigna.* Quum autem Chriſtus non tantùm ſecundum Divinitatem, ſed etiam ſecundum Humanitatem, non dimidiâ, ſed integrâ & totâ perſonâ, ad quam non ſolùm Divinitas, ſed etiam Humana Natura perſonaliter unita pertinet: & ſic totus Chriſtus cuilibet Apoſtolo ſeorſim, Thomæ in India, Petro in Aſia, Paulo in Europa præſens adfuit, nec minus viſibiliter ſe quandoque illis exhibuit, eiſque aſtitit Act. 22. ideò diſcipuli & ſucceſſores Apoſtolorum, S. Patres, voce VBIQVE de Humana quoque Natura & de Corpore Chriſti uſurparunt: ut ex ſequentibus teſtimoniis intelligi poteſt. Ambroſius enim in 10. cap. ad Hebræos ſic ſcribit, *Vnus ubique eſt Chriſtus, & hic plenus, & illic plenus: unum Corpus. Sicut enim qui ubique offertur unum Corpus eſt, & non multa: ita etiam eſt unum ſacrificium.* Cyrillus lib. 12. in Ioan. c. 32. *Nam quatuor orbis partes ad ſalutem reductæ, indumentum verbi & carnem ejus impartibiliter inter ſe partitæ ſunt: In ſingulis enim impartibiliter tranſiens unigenitus & Animam & Corpus per carnem ſuam ſanctificans impartibiliter atque integre in omnibus eſt: Cum unus ubique ſit nullo modo diviſus.* Idem Chryſoſt. & Theophylactus.

Ambroſius.

Cyrillus.

Bergenſes probare conantur ſe Neſtorianos non eſſe.

Inſuper in Præfatione nulla intricata vel obſcura gloſſa, ſed neceſſaria admonitio eſt, quod Humanæ Naturæ Divinæ Majeſtas, quæ Deitatis propria eſt, non extra perſonalem unionem adſcribatur, ſicut hoc à tectis & apertis Calvinianis noſtris Eccleſiarum doctoribus falsò imputatur, ob eamque cauſam nos non ſolùm tanquam Eutychianos, ſed etiam tanquam Neſtorianos publicis ſuis ſcriptis infamarunt. A quibus graviſſimis calumniis hac declaratione noſtri ſuas Eccleſias in Præfatione liberare voluerunt: Nempe, quòd non duos Chriſtos faciant, quum unicam Divinam Majeſtatem confiteantur, non duas, quaſi Humana Natura propriam Creatam majeſtatem habeat, quæ Æternæ Majeſtati Filii Dei exęquata ſit: ſed Humanam Naturam in Divinam Majeſtatem, propter perſonalem unionem realiter ac verè collocatam eſſe: quod tota Scriptura clarè atteſtatur, & ſancti Patres non tantum per vocabula *Concreta*, ſed etiam per vocabula *Abſtracta* enuntiarunt: Ideoque non ſolùm vocabulum Homo Chriſtus, ſed etiam vocabula Humanitas, Humana Natura, Caro Chriſti, Sanguis Chriſti, quemadmodum etiam ipſa Scriptura, uſurparunt. Hoc non obſcurum & intricatum, ſed clarum & perſpicuum eſt, ut ab omnibus intelligi queat licet Scholaſticorum verba per parentheſin Præfationi inſerta, doctis tantum nota ſint.

De paradoxis Vbiquiſtarum in Formula Concordiæ non refutatis.

Quòd autem Paradoxorum quorundam, in nonnullorum Theologorum Libris occurrentium, fit mentio, aſſeriturque, quòd circuitionibus fallacibus leviter attingantur tantum, & ſic Lector ſuſpenſus teneatur, inque dubio relinquatur, in ipſo libro contrarium prorſus reperitur.

Non enim nos latet, quid per vocabulum, *Paradoxa*, intelligatur, nempe, quòd ſanis Eccleſiarum noſtrarum doctoribus tribuitur, ac ſi duas diſtinctas Divinitates & Omnipotentias doceant, unam eſſentialem, quę Æternæ Deitatis propria ſit: alteram communicatam, quæ non Dei propria, ſed creata ſit, quęque eſſentiali Deitati & Omnipræſentiæ exęquata, & propterea quoque Humana Natura Divinæ Naturæ exæquata ſit: cujuſmodi calumniis tam occultorum, quam manifeſtorum Calviniſtarum Libri referti ſunt.

Ne igitur Chriſtianus Lector ſuſpenſus teneatur, aut ſcrupulus aliquis in animo ejus relinquatur, apertis, claris & perſpicuis verbis error hic in Concordiæ Libro expreſsè rejectus eſt, quicunque enim docuerit: Vnde liquidò conſtat, nihil prorſus in cujuſquam gratiam vel ſilentio prætermiſſum, vel dictum aut factum eſſe. Nam diſertè & expreſsè dicitur,

citur, non duas, ſed unicam tantum Divinitatem & Omnipotentiam eſſe, ut in Articulo de Perſona Chriſti Libri Concordiæ videre licet.

Sunt Præſtationes contrariæ factæ.

Noſtrarum autem Eccleſiarum Paſtores hunc errorem docuiſſe, non ſolum pernegant & inficias eunt, ſed etiam graviter ſæpè conqueſti ſunt, verba ipſorum ab adverſariorum Theologis perverti, & alienum ſenſum ipſis affingi. Et dato maximè, non tamen conceſſo, hoc ab ipſis factum eſſe, manifeſtum tamen eſt, quòd portentoſa doctrina hæc in Concordiæ Libro rejiciatur.

Hæc tecti & aperti Calviniſtæ probè intelligunt: ſed quoniam Concordiæ Libro nihil derogare, vel cum alicujus falſæ doctrinæ verè inſimulare poſſunt, doctores arrodunt & gravant, qui huic Libro ſubſcripſerunt, ut hoc pacto Librum ipſum odio & invidia onerent, ac ſi hujuſmodi falſæ doctrinæ in eo abſconditæ lateant.

In eodem ſimiliter Libro alia quoque paradoxa expreſsè rejiciuntur. videlicet, quòd aliquibus tribuitur, ac ſi doceant, quod Filius Dei cum omnibus Sanctis, imò cum omnibus Creaturis perſonaliter unitus ſit. Item, quod Unio perſonalis, & Communicatio Idiomatum unum idemque ſit. Item, quòd Realis communicatio ſit eſſentialis, ſeu phyſica effuſio eſſentialium proprietatum naturæ Divinæ, in aſſumptam Humanam Naturam: exæquatio item, ſeu confuſio naturarum & eſſentialium proprietatum: ſicut hoc in Libro ipſo ad oculum demonſtrari poteſt.

Bergenſes probare conantur ſe doctrinam Auguſtanæ Confeſſionis de perſona Chriſti retinere.

Quod autem porro in Articulo de Perſona Chriſti dicitur, in eo conſenſum fuiſſe inter noſtros & Pontificios tempore exhibitæ Auguſtanæ Confeſſionis, ſicut poſtea quoque ſemper: nunc vero diſſenſionem eſſe maximam, ideoque in dubium vocari non injuriâ poſſe, utra pars conſenſum illum ruperit & ab eo prior diſceſſerit: Ad id verè ac ſolidè reſpondemus, noſtras Eccleſias, earumque Paſtores in Articulo de Perſona Chriſti poſt exhibitam Auguſtanam Confeſſionem, nullam novam doctrinam tradidiſſe, ſed illam ipſam continuaſſe, quæ toto ante Confeſſionem quadriennio non ſolum à Papiſtis intentata permanſit, qui de reliquis omnibus Articulis omnia Lutheri & Collegarum ejus doctrinam & ſcripta arroſerunt, ſed etiam poſt editionem Lutheri ſcriptorum contra Sacramentarios, ut ipſemet gloriatur, laudata, & poſt communi conſenſu Sacramentariorum doctrina de Cœna damnata eſt. Adhæc conſenſus in eo fuit de hoc articulo conſtitutus, ut de eo utrinque doceretur juxta Symbola, Concilia & veterem Eccleſiam. Ideoque Papiſtæ noſtris Eccleſiis earumque doctoribus in hoc Articulo nulla veritatis ſpecie innovationem doctrinæ objicere poſſunt.

Bergenſes probare volunt Sacramentariorum doctrinam de perſona Chriſti contrariam eſſe Auguſtanæ Confeſſioni.

E contra verò clarum & manifeſtum eſt, illas Eccleſias & doctores, qui verbis tantum Auguſtanam Confeſſionem approbant, ab ea autem ad Sacramentarios defecerunt, aperte confiteri, quòd in Articulo de Perſona Chriſti cum Calviniſtis conſentiant: idque tam perſpicuè probare volumus, ut etiam manibus attrectari poſſit.

Nam in Articulo de Perſona Chriſti docent Sacramentarii, quum in perſonali unione utriuſque Naturæ in Chriſto, unaquæque natura eſſentiales proprietates ſuas retineat, eſſentialis autem proprietas Humanæ in Chriſto Naturæ ſit, ut finita & circumſcripta ſit, & uno eodemque tempore in pluribus locis eſſe non poſſit, hanc enim Divinæ Naturæ proprietatem eſſe, quæ Humanæ Chriſti Naturæ communicari nequeat: Propterea Corpus Chriſti etiam verè & ſubſtantialiter non poſſe præſens eſſe in omnibus iis locis, in quibus Cœna Domini in terris celebratur. Imo ſcribunt & confitentur in articulo de Perſona Chriſti apertiſſimè, Si probari poſſit, quòd Chriſti corpus uno tempore in duobus tantum locis eſſe poſſit, ſibi nullam amplius contentionem cum noſtris fore, de illius præſentia vel in pluribus, vel in omnibus locis. Hoc enim doctrinam de Perſona Chriſti, deque proprietate Corporis Chriſti, nequaquam ferre: non enim verum Corpus eſſe poſſe, ſi ſimul & ſemel duobus vel pluribus locis præſens ſit.

Quoniam igitur doctrina de Perſona Chriſti fundamentum eſt Sacramentariorum doctrinæ, eoque labefactato & everſo ipſimet fateantur, ſe in noſtram ſententiam de Cœna ituros: quis non intelligat, eos omnes de Cœna Dom. à Calviniſtarum ſtare partibus, qui illorum doctrinam de Perſona Chriſti recipiunt & tanquam orthodoxam defendunt? Imò nonnulli Calviniani, qui ab Auguſtana Confeſſione defeciſſe videri nolunt, ſequentia verba ſcribunt: *Non eſt controverſia inter nos de modo, ſed de ſubſtantia & eſſentia Corporis Chriſti. Non quo modo ubique ſit, ſed, an ſubſtantia & eſſentia carnis Chriſti ubique ſit, quod nos prorſus negamus.* Quod autem in hac diſputatione ad Cœnæ negotium maximè reſpiciant, ſequentibus verbis teſtantur: *Non quærimus, An Corpus Chriſti terreno aut Cœleſti modo ubique ſit: ſed rotundè & apertè dicimus, quod Corpus Chriſti neque parvum neque magnum, neque coarctatum neque expanſum, neque multipliciter, neque cœleſti, neque terreno, neque humano modo, neque viſibiliter ſimul in multis aut pluribus locis ſit.*

Ex his verbis facilè intelligitur, quod occulti Sacramentarii diſputationem de Perſona Chriſti & omnipręſentia carnis ejus, errori ſuo de Sacramento hoc prętendant tantùm: neque enim ad Vbiquitatem multum, ſed ad Cœnam potiſſimum ſpectant, quum utrique & aperti Calviniani, & recti Confeſſionis Auguſtanę Theologi, qui Calvinianam doctrinam de Perſona Chriſti approbant, diſertè fateantur, ſibi unum idemque eſſe, ſi doceatur, quòd Chriſtus ſimul in multis, vel omnibus locis ſit: nam utrunque pugnare cum Fidei articulis de Perſona Chriſti.

Quum itaque Theologi iſti in Articulo de Cœna non ſentiant cum Papiſtis, præſertim Ieſuitis, alioquin Tranſſubſtantiationem eos probare, ac docere oporteret, quòd panis in Corpus Chriſti mutetur, & ſic Corpus Chriſti ex ſubſtantia panis formetur in omnibus locis totius mundi, quandoquidem Corpus, quod ex ſubſtantia Corporis Marię aſſumpſit, in Cœlo ſit, & propter proprietatem Humanæ Naturę, non ſimul in terris eſſe poſſit: quam novam doctrinam Ieſuitarum veteres Papiſtę atque etiam Scholaſtici non probant: nam Albertus M. de Sacramentis, *Quòd*, inquit, *Corpus Chriſti poteſt eſſe in pluribus locis, hoc habet ex unione perſonali:* Idem Hugo de S. Victore in 1. Cor. 10. Quum item non ſentiant cum noſtris Eccleſiis, quæ ante & poſt exhibitam Auguſtanam Confeſſionem ſemper docuerunt & teſtatæ ſunt, doctrinam Sacramentariorum de Perſona Chriſti falſam & erroneam eſſe, qua docent de proprietatibus Humanæ Naturæ, quòd Corpus Chriſti ſimul in pluribus locis eſſe non poſſit: Inde manifeſtum & luce clarius eſt, eos non eſſe Confeſſionis Auguſtanæ, ſed ab ea ad Sacramentarios defeciſſe. Confeſſionis enim Auguſtanę Socii medium tenentes, neque Pontificiam Tranſſubſtantiationem approbant, neque Calviniſtarum fundamentum de proprietatibus Humanæ Naturę, nempe, quòd Chriſtus ejuſmodi circumſcriptum Corpus habeat, ut ſimul non poſſit eſſe ſubſtantialiter in omnibus illis locis in quibus Cœna celebratur: Sed credunt ac docent, quòd Corpus Chriſti, etiamſi retinuerit proprietates veri humani corporis, in omnibus tamen iis locis ſimul eſſe poſſit ubi Cœna celebratur, eo modo qui ſoli Deo cognitus, nobis autem inperſcrutabilis eſt, quoniam ad omnipotentem virtutem & Majeſtatem Dei exaltatus eſt, cui neque modum neque metam Humana Natura præſcribere poteſt. Ob eamque cauſam Confeſſionis Auguſtanę Eccleſiis, quę Libro Concordię ſubſcripſerunt, nullum periculum imminet ab hac de Perſona Chriſti doctrina, quandiu anteceſſorum ſuorum veſtigiis inſiſtunt, nec aliud docent quam hi docuerunt, eoque Sacramentariorum erroneam doctrinam everterunt.

Bergenſes probare conantur Lutheranos non diſſentire in doctrina de Vbiquitate.

Quod porrò dicitur, noſtras Eccleſias novitatum in doctrina, præſertim vero in hoc Articulo, non ſolum à Papiſtis, ſed Philippi, Heſhuſii, Vuigandi, Morlini, Selnecceri atque ipſius etiam Kemnitii Libris, intra proxime 20. elapſos Annos editis, convinci poſſe, ut ex Extractu nobis exhibito intelligi queat: Nos certè dictum Extractum ſummo inſpeximus ac perlegimus ſtudio, non autem invenimus, doctrinam de Perſona Chriſti, quam Lutherus contra Sacramentarios tradidit, tanquam falſam & erroneam improbatam vel damnatam, aut ei contrarium aliquid à nominatis Doctoribus, excepto Philippo, ſcriptum eſſe. Sed quum Sacramentarii verba Chriſti *Hoc eſt Corpus meum*, huc & illuc torqueant, & obvia quæque arripiant, ne de his verbis diſputare cogantur, & propterea contra Vbiquitatem ſolum clamitent: idcirco dicti Doctores ſuaſerunt, in Articulo de Cœna Domini doctrinam de Vbiquitate non urgendam eſſe, quòd Sacramentarii eam ſolùm noſtris objiciant, ut à verbis Chriſti abductis, ad rem ipſam reſpondere non oporteat. Ad hæc diſtinctos Articulos eſſe de Perſona Chriſti, & de S. Cœna, ideoque etiam de iis ſeorſim agendum eſſe.

In quo quidem prudenter, Chriſtianè & benè fecerunt, Luthero ipſo confitente, & Brentio atteſtante, quod ſtatuerunt, ſe à Sacramentariis petere nolle, ut in S. Cœnæ controverſia de Majeſtate divina hominis Chriſti in omnibus locis reſpondeant, nimis enim hoc illis arduum eſſe ac difficile: ſed ad elementa tantum alphabetica diſertè & perſpicuè reſpondeant, an nimirum Chriſti Corpus ſimul & ſemel in duobus aut pluribus locis eſſe poſſit: cætera ſucceſſivè addiſci poſſe. Verba Brentii in Recognit. fol. 102. ſic habent: *Quia Zuingliani abhorrent adhuc ab hoc myſterio* (Vbiquitate) *ideoque videntur nonnullis in Eccleſia non altius aſcendiſſe, quàm uſque ad gradum catechumenorum & neophytorum, ſi modo hunc attigerint, non exigemus ab ipſis ſeveriter, ut diſcant, hominem Chriſtum omnia, Majeſtate ſuâ, quam habet à Deo communicatam, coràm implere & gubernare: Sed ut illud tantùm elementum ſeu rudimentum cognoſcant, Corpus Chriſti poſſe, ſi non in omnibus ſimpliciter, certè in pluribus ſimus locis, in iis videlicet, in quibus Cœna Dom. celebratur, adeſſe. Hoc rudimento, ac velut incunabilis erimus interim contenti. Quod ſi*

recte

recte didicerint, benè ſperabimus de profectu ipſorum, ut poſtea facile cognoſcant, Chriſtum Humanitate ſuâ etiam ſimpliciter in omnibus locis eſſe.

De Cœna Dn.

Hæc quum ſic habeant, non poteſt etiam ex citatis teſtimoniis Extractus probari, nominatos Doctores vel à Lutheri vel collegarum ejus doctrina & confeſſione defeciſſe, aut eam damnaſſe, quam iidem ante & poſt exhibitam Auguſtanam Confeſſionem unanimiter & conſtanter de Perſona Chriſti defenderunt, vel nova dogmata introduxiſſe in Eccleſias noſtras. Quantum autem ad fidei noſtrę fundamentum de pręſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœna attinet, quod id ſolis verbis Teſtamenti Chriſti innitatur, in Libro Concordiæ ejuſque Præfatione expreſsè indicatum eſt. Niſi enim verba illa haberemus, certe auditores noſtros non magis cum pane & vino Corpus & Sanguinem Chriſti percipere, edere & bibere, quam cum quovis alio cibo & potu, docere poſſemus.

Bergenſes probare volunt, ſe retinere verba inſtitutionis pro fundamento præſentiæ Corporis Chriſti in Cœna.

Quòd verò in Præfatione dicitur, ſi adverſarii ſimplicem noſtrum ſenſum & intellectum verborum Teſtamenti Chriſti impugnent ac rejiciant, ut qui pugnet cum articulis fidei noſtræ, adeoque falſus etiam ſit: ut verâ declaratione ſeu explicatione Articulorum fidei noſtræ demonſtretur ac probetur, ſimplicem noſtrum ſenſum verborum Teſtamenti Chriſti illis Articulis non eſſe contrarium: In Celſit. T. verò reſponſione contra objicitur, hac explicatione verum fundamentum non fulciri, ſed potius labefactari & in dubium ac periculum vocari: Celſitudini T. judicandum relinquimus, quonam modo coram Deo & Eccleſia ejus rationem reddere potuiſſemus, ſi Sacramentariorum clamores vel prorſus ſilentio præteriiſſemus, vel eos ſimplici negatione à nobis dimiſiſſemus? Nam ſi ſenſus noſter verborum Teſtamenti Chriſti cum Articulis fidei pugnat, erroneus eſt, adeoque etiam doctrina noſtra de Cœna erronea ac falſa erit. Sin autem cum nullo fidei Articulo pugnat, Articuli etiam declarandi & explicandi ſunt, ut intelligatur, quomodo non pugnet, ſi docetur, Chriſtus Corpore ſuo in Cœlis eſt, &, Chriſtus quoque eſt Corpore ſuo in Cœna hic in terris: id quod Lutherus, etiam in ſuis polemicis Scriptis contra Sacramentarios luculenter declaravit, ut ne portæ quidem inferorum quicquam contra poſſint.

Verba itaque Teſtamenti Chriſti firmiter manent fundamentum præſentiæ ac diſpenſationis Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœna, quorum ſimplicem ſenſum articuli fidei, eorumque propria ac genuina declaratio non ſolùm non labefactant, ſed potius confirmant, fideique noſtræ ſimplicitate tuentur. Injuſtè ergo hâc culpâ gravamur, quod in Præfatione ſcribamus, unicum fundamentum pręſentiæ Corporis in Cœna nos ſtatuere verba Teſtamenti Chriſti: mox tamen ſubjiciamus in eadem præfatione, hanc præſentiam declaratione ſeu explicatione fidei Chriſtianæ comprobari & evinci debere. Quod enim interpoſitum eſt, hoc tum demùm fieri debere, ſi adverſarii objiciant, ſimplicem intellectum verborum Teſtamenti pugnare cum Articulis fidei, inſidiosè omittitur.

De aliis multis Paradoxis Ubiquiſtarum in Formula Concordiæ approbatis.

Quæ porrò de aliis quoque Paradoxis dicuntur, nempe, quod omnia undique Chriſti plena ſint, etiam ſecundum humanitatem: quæ verba Concordiæ Libro inſerta ſint. Item, quòd ex Aſcenſione Chriſti diſparitio & evaneſcentia facta ſit: ac inſuper doceatur, quod Chriſtus in ipſo conceptionis momento in cœlum aſcenderit. Item, de omnipræſentia cœli & inferni, & quæ his adjuncta ſunt. ad quorum confirmationem Liber iſte faciat & produci poſſit, unde majores contentiones exoriri queant, quàm nunc ſint: Inprimis vero, quòd plebs dogmate de univerſali præſentia carnis Chriſti ad omnis generis curioſas, inhoneſtas & horrendas quęſtiones, ad labefactandos, ſi non evertendos præcipuos Chriſtianæ fidei articulos pertinentes, abuti poſſet: Ad præcavenda hæc omnia in ipſo Libro Concordiæ tam ſolida declaratio facta eſt, ut tale quid pertimeſcendum non ſit: aut ſi quid tale fieret, id Libro ipſo facilè depelli poſſet. Hoc enim in omnem æternitatem verum manet, quod ubicunque Chriſtus filius Dei eſt: poſtquam homo factus, ibi etiam Deus & homo ſit, ita ut non in uno loco Deus tantum & Homo, in aliis locis autem ſine aſſumpta humanitate exiſtat, & extra illam unionem tantum Deus ſit. Quando autem quæreretur, ubi nam Chriſtum Deum & Hominem quærere debeamus? non docemus, quod etiam Lutherus, Brentius aliique orthodoxi doctores fecerunt, eum quærere in ligno, lapide vel aliis impuris locis, ſed ibi tantum quo nos verbo ſuo ablegavit, ſeque alligavit. Hæc enim verba in Concordiæ Libro expreſsè leguntur, *Chriſtum divina ſuâ omnipotentiâ Corpore ſuo, quod collocavit ad Dexteram Majeſtatis & potentiæ Dei præſentem eſſe poſſe ubicunque voluerit, præſertim verò ibi, ubi præſentiam ſuam, ut in Cœna, in verbo ſuo promiſit: Hoc facilè poteſt ejus omnipotentia & ſapientia efficere ſine mutatione aut deſtructione Humanæ Naturæ.* Adhæc teſtatur Evangelica hiſtoria de Aſcenſione Chriſti, Chriſtum non evanuiſ-

evanuiſſe, ſicut Emaunte Luc. 24. cap. ſed à diſcipulis diſceſſiſſe, & in cœlum aſcendiſſe, ac videntibus ipſis ſublatum eſſe, & nubem ab oculis eorum ſuſtuliſſe eum, Act. 1.c. Non quidem hoc modo, ac ſi omninò, etiam ſecundum Humanitatem, uſque ad noviſſimum diem nobiſcum in terris non ſit, ſed quòd non amplius viſibiliter, & modo hujus ſeculi nobiſcum eſſe velit. Certum eſt etiam, Chriſtum in utero materno ſecùndum Humanitatem propter unionem perſonalem ſupra cœlos omnes collocatum eſſe, niſi fortè Deus ſupra cœlos non ſit exaltatus: neque tamen viſibilis aſcenſio in utero materno, ſed quadrageſimo demùm à reſurrectione die facta eſt.

Dicti quoque doctores diſcrimen inter cœlum & infernum conſtituunt, nec Diabolos in Cœlum Electorum, & beatos homines in Infernum ad Diabolos collocant, Cœlum & Infernum in unum chaos commiſcentes, ſicut ipſis Sacramentarii aliiq; manifeſtiſſimâ verborũ depravatione ſine ratione tribuunt.

Adhæc Lutherus ipſe in majore ſua Confeſſione de Cœna, verba illa, quòd Chriſtus comprehenſibili & corporali modo, ut in terra corporaliter verſatus eſt, non in Deo, neque apud Patrem, neque in Cœlo ſit, ſic declaravit, ut nullus ei contradicere poſſit. Mox enim ſubjungit cauſam, ob quam hoc modo in Deo vel apud Patrem non ſit, ut in terris fuerit: *Nam*, inquit, *Deus non eſt circumſcriptus locus.* Quid clariùs & ſignificantiùs dici poteſt? Neque ullus unquam Chriſtianus, aut doctor vel credidit, vel docuit, Deum corporeum locum eſſe.

Quantum verò ad hoc, quòd Chriſtus in Cœlo apud Deum Patrem non ſit, ut verò Nicodemo adſtiterit, de eo apud nullum Chriſtianum dubitatio aliqua eſt. Pater enim non eſt. ut Nicodemus, ens corporeum, ſed Spiritus quemadmodum etiam longè alia ratio Cœli eſt, quàm aliorum circumſcriptorum locorum in terris, ſicut omnes ſaniores doctores teſtantur: ut taceamus, quòd inter aſcenſionem Chriſti & Heliæ ingens diſcrimen eſt. Chriſtus enim non tantùm in cœlo, ſed etiam in terra cum hominibus eſt, atque etiam juxta Humanitatem in Cœlo & terra gubernat, quod neque Heliæ, nec cuiquam Angelorum datum eſt, qui tamen etiam in Cœlo apud Deum ſunt, verùm non Corporeo ac terreno, ſed Cœleſti modo: ſicut ſcriptum eſt, *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, paravit Deus iis qui ipſum diligunt.* Modo igitur Corporeo hoc eſſe ac fieri non poteſt, alioquin oculi noſtri hunc modum vidiſſent: Imo ſequeretur, ipſummet Deum Patrem tali Corporeo modo cœlo contineri, cui Chriſtus in ſella aſſideat, haud ſecus quàm ſi Regis alicujus filius juxta Patrem ſuum collocatus eſſet: quod non tantùm carnalis cogitatio de Chriſto, ſed etiam, ut Lutherus ſcribit, aliud nihil eſt, quàm de Deo ejuſque eſſentia nihil prorſus credere, ſed loco ejus fabellas hominibus tradere ac inſtillare, quemadmodum puellis puerlliter cœleſtium rerum ac futuræ vitæ ſtatus ob oculos poni ſolet. Eadem eſt ratio ſimilitudinum de oculo & ſono. Si enim campanæ ſonus, aut hominis vox in uno loco ſæpè in quatuor, aut quinque, aut decem mille auribus uno momento eſt, cur non etiam Deum rationem ac modum noverit, quo Chriſti Corpus ſimul in mille locis præſens eſſe poſſit, ubi Cœna celebratur?

Adhæc omnes Patres & Eccleſiaſtici Doctores in hoc conſentiunt, Chriſtum tali modo à matre ſua genitum eſſe, ut ipſa non ſolùm ab ullo viro conceperit, ſed etiam, ut Auguſtinus Epiſtola 3. ſcribit, Virtus divina per inviolata matris virginea viſcera membra infantis eduxerit. Quocirca qui hoc negat, ut etiam illud, quod Chriſtus clauſas januas penetrarit, is contradicit Catholicæ Eccleſiæ Chriſti, & ejuſdem Doctorum conſenſui: iſque caveat ſibi, ne Articulum Chriſtianę noſtrę fidei de Incarnatione Chriſti prorſus amittat.

De Amlingi concionibus in quibus multa Ubiquiſtarum paradoxa enumerantur.

Poſtremò C. T. ſubmiſsè rogamus, ne ſequentem narrationem inclementer a nobis accipiat. Accepimus enim tres M. Amlingi conciones typis evulgatas, quaſque hîc in præſentia C. T. habuit, & eidem dedicavit, in quibus ejuſmodi calumnias evomuit, quæ in Æternum probari nequeunt, contrarium autem facilè demonſtrari poteſt. Noſtros enim falsò accuſat, quòd doceant, *Filium Dei cum omnibus creaturis perſonaliter unitum eſſe: quòd caro & Sanguis ejus ante nativitatem extra matris uterum fuerit: quod divinitas & humanitas una ſint eſſentia: quòd Chriſtus poſt reſurrectionem Humanitatem prorſus depoſuerit, contra Regulam: Quicquid Filius Dei ſemel aſſumpſit, id nunquam deponit rurſus: & carnem ejus cum omnibus proprietatibus ſuis deificatam & Deo ſimilem factam eſſe: quodque Chriſtus ne latum quidem unguem à terra in aſcenſione receſſerit*; & quæ ſunt hujus generis plura. Hæc omnia Clementiſſime Princeps nil niſi puræ puræ calumniæ ſunt, quæ in Concordiæ Libro non reperiuntur, neque in eo fuco aliquo picta, aut inſinuata ſunt, multò verò minus ex eo probari poſſunt: à calumniatoribus autem iſtis in hunc finem conficta ſunt, ut Orthodoxos, qui Libro Concordiæ ſubſcripſerunt, apud omnes in odium & invidiam addu-

adducant, & ſi fieri poſſet hoc pacto librum ipſum vel ſuſpectum facere, vel prorſus ad nihilum redigere queant. Et Diabolus his ſimilibuſque calumniis nihil aliud quærit. Quæ omnia, cùm ſint, quod cum venia C. T. dicimus, impudentiſſima mendacia, huc uſque ſilentio prætcrivimus, non quòd negari & cum veritate refutari nequeant, ſed ut Operi huic publico parceretur, cujus publicatione dictæ calumniæ ſic removentur ad diluuntur, vt pii omnes inde facilè judicaturi ſint, tam Libro, quàm auctoribus inſignem injuriam fieri.

Cùm autem reipſâ experiamur huiuſjuſmodi calumnias ſine intermiſſione occultis & publicis ſcriptis hinc inde ſpargi, quod ad noſtras perſonas attinet, proteſtamur coram C. T. nos ad eas, ratione habita officii & conſcientiæ noſtræ, diutiùs connivere nolle, ſed iis publicis ſcriptis ita contradicere velle, vt omnes intelligant, hunc non Spiritum Sanctum, neque hos illius miniſtros eſſe qui ad confirmandam damnatam Calviniſtarum doctrinam tam manifeſta mendacia ſpargere audent.

Hæc omnia C. T. ſignificare voluimus, non quod diſputationem aliquam cum C.T. inſtituere cupiamus, hoc enim dedeceret nos maximè, quum hanc tantum ob cauſam nos vna cum legatis Politicis amandati ſimus, vt C. T. ejuſque Theologos doceamus, in Concordiæ libro nullum dogma impium contineri, neque eidem vel in phraſibus vel in rebus aliquid inſertum, quod novum, & in verbo Dei, ſcriptiſque veterum Patrum non fundatum ſit: Sed tantum coram C.T. de his articulis declarationem facere voluimus, ne Illuſtriſſimi noſtri Principes ex ſilentio noſtro conjiciant nos iſtorum criminum reos eſſe, nec Concordiæ librum à tam atrocibus calumniis vindicare potuiſſe.

Cumque T. Celſitudo Illuſtriſſimos noſtros Principes amice roget & obſecret, ſuis Theologis mandent atque injungant, ut doctrinam Auguſtanæ Confeſſionis, generalium Conciliorum & epiſtolæ Leonis ad Flavianum firmiter retineant: jam denuò coram C.T. teſtamur pro noſtris perſonis, nos in hac ſententia ſemper fuiſſe & adhuc eſſe, & ut idem nobiſcum Collegæ noſtri ſentiant, ſemper eos à nobis admonitos fuiſſe. Interim C.T. celare nolumus, Theologos illos, qui Calviniſtarum doctrinam de Perſona Chriſti probant, & noſtræ Confeſſioni contradicunt, generalium iſtorum Conciliorum doctrinæ non inſiſtere, ſed quicquid illa in rebus & phraſibus orthodoxè decreverunt, ab his Theologis rejicitur ac damnatur: eoque non ſolum Calviniſtarum errorem de Cœna quod in illis eſt, confirmant, ſed etiam Chriſtum ſecundum humanitatem divinâ maieſtate contra verbum Dei & dictorum Conciliorum decreta privant. Hæc vnica res tantum ponderis apud C.T abſque dubio habitura eſt, ut ſeſe à Chriſtianis Electoribus, Principibus aliiſque ordinibus in hoc tam ſalutari & neceſſario Concordiæ negotio neutiquam ſegregatura ſit, &c.

T. C.

Subjectiſſimi ac ſtudioſiſſimi Martinus Kemnitius D. Iacobus Andreæ D. Vuilhelmus Zimmermannus D.

Illuſtriſſimi Principis Wilhelmi Landgravii Haſſiæ Theologorum Duplica, ad trium Electoralium Theologorum Replicam, 3. Calend. Novemb. Anno 1579. exhibita.

ILluſtriſſimus & Clementiſſimus Princeps noſter Vuilhelmus Landgravius Haſſiæ Electoralium Theologorum ſcriptum legit, in quo negant, vllum novum dogma & contrarium Auguſtanæ Confeſſioni in rebus & phraſibus in Concordiæ Libro ejuſque Præfatione contineri.

Quòd autem ad confirmationem huius ſententiæ ſuæ *D. Meieri Superintendentis* verba adducunt, qui dixerit, *in Concordiæ libro nullam impiam doctrinam contineri*, Celſitudo ejus ſatis hoc mirari nequit, quum Legati Electorales ad Celſit. ejus, non ad Superintendentem Meierum miſſi ſint, cujus Confeſſioni & verbis nec ipſe Princeps, nec ejus Theologi aſtricti ſint: adhæc Theologis ipſis, aliiſque qui tum præſentes fuerint notum eſſe, quâ occaſione, quove modo hoc à Meiero dictum, & in continenti tam ſcripto quàm ore declaratum ſit, ut nihil prorſus ſubſidii inde peti poſſit. Haud quoque meminiſſe Principem ab eo tempore collationem vel colloquium vllum petitum fuiſſe: ſed quum proximâ die Veneris Princeps legatorum poſtulata primò audiverit, ſequenti Martis die ſtatim reſponſum ſuum dediſſe, vt maturè legatis exhiberi potuerit, niſi Celſit. ejus viſum fuiſſet exhibitionem ad legatorum Palatini Electoris adventum vſque differre. Et ſi maximè interea temporis Colloquium aliquod à Theologis quæſitum aut poſtulatum fuiſſet, tamen cùm Celſit. ejus Salzæ, atque etiam nunc aliquo modo intellexerit ex illis, ipſos quidem paratos eſſe audire, ſed ne in *Reſpondetur de Meiero.*

Z mini-

minimo quidem à ſua ſententia diſcedere, & per captioſas interrogationes jam ex hoc, modò ex illo aliquid elicere, eoque ad ſuum inſtitutum abuti. Celſit. ejus neſcire, quid & quantum vtilitatis & commodi ejuſmodi captioſæ collationes afferre queant.

Bergenſes fateri ſe novis phraſibus in Formula Concordiæ uti.

Quòd porrò dicitur, etſi phraſes illæ, quibus Theologi Electorales & in Præfatione, & in Concordiæ libro, atque aliis multis in locis vtantur, non iiſdem præcisè verbis in Auguſtana Confeſſione, Apologia, Schmalcaldicis Articulis & Catechiſmis Lutheri inveniantur, non tamen inde ſequi, quòd propterea novæ ſint: Celſitudo ejus hanc ipſorum Confeſſionem accipit ante omnia, quòd nimirum fateantur, hujuſmodi phraſes in Auguſtana Confeſſione aliiſque jam nominatis ſcriptis non contineri: recordentur autem Theologi proteſtationis ſuæ Præfationi inſertæ & ter reiteratæ, quòd non ſolùm in rebus, ſed nec in phraſibus etiam quicquam novi introducere velint. Cogitent etiam, quum phraſes ab ipſis in articulo de Perſona Chriſti vſurpatæ, juxta ipſorummet Confeſſionem in Auguſtana Confeſſione & Apologia non reperiantur, an non talium diſputabilium phraſium vſurpatione, ſuæ ipſorum toties repetitæ Proteſtationi adverſentur?

Reſpondetur ad nomen ὁμοουσίας

Ad vocabulum autem ὁμοούσιος quod attinet, etſi quidem ut dicunt, id non verbótenus, ſed reipsâ in Sacra Scriptura inveniatur, norunt tamen Theologi, temporibus Arrii litem ſeu controverſiam illam quæ tum fuit, in libero Concilio propoſitam, & liberis votis ac ſententiis diſceptatam diiudicatamque, atque hoc modo nomen ὁμοούσιος, in verbo Dei fundatum, diligenter probatum fuiſſe. Idem hodie quoque in hoc Omnipræſentiæ carnis Chriſti dogmate fiat. Nam ſi probari poteſt, quòd in verbo Dei, Symbolis & quatuor generalibus Conciliis fundatum ſit, res expedita erit. Conſtat autem hoc dogma plurimos contradicentes habere, non ſolùm Zuinglianos, ſed etiam Papiſtas, qui, licet Zuingliani non ſint, tamen apertè de ipſis teſtantur, quòd in hac parte egregiam operam Eccleſiæ Dei pro tuenda veritate Catholica navârint, id quod Georgius Caſſander aliquoties Ferdinando & Maximiliano Impp. ſcripſit: vt de hoc nihil dicatur, quòd Lutherani, minimeque Zuingliani Theologi, hoc ipſum quoque afferunt.

Reſpondetur ad teſtimonia multorum Lutheranorum quibus Vbiquitatem oppugnant.

Licet autem teſtimonio Theologorum Lutheranorum à Legatis ſic declarentur, ac ſi iis dogma perſonalis omnipræſentiæ minimè oppugnetur: verba tamen eorum formalia nimiùm ſunt aperta, clara & perſpicua. Kemnitius enim vocat *peregrinam diſputationem, quâ animi ſimplicium perturbentur, ac rei caput obſcuretur.* Morlinus dicit, *novam eſſe diſputationem, quæ nullam vtilitatem afferat, homines perturbet, tandemque Catechiſmum noſtrum, fideique Articulos everſura ſit.* Heſshuſius expreſſis verbis fatetur, *ſe hoc dogma de perſonali Omnipræſentia non intelligere, neque etiam affirmare poſſe, firmis Scripturæ teſtimoniis hoc dogma niti.* Selneccerus *figmentum* vocat. Lutherus ipſe in magna Poſtilla Concione in Natali Domini, reprehendit eos, qui ex Chriſto omnipotentem & omniſcium hominem faciunt: quod abſque dubio non de perſona, ſed de Humana Natura intelligit. Similiter Lutherus in cap. 14. Ioan. Tom. Ienen. 7. fol. 90. contendit, *Humanæ ac Divinæ Naturæ proprietates, toti perſonæ tribui, ac dici poſſe & debere, Homo Chriſtus ex Maria virgine natus eſt omnipotens & omnia quæcunque petimus facit; id verò non ſecundum Humanam ſed Divinam Naturam: Et è contra, Chriſtus Filius Dei rogat Patrem, non quidem ſecundum Divinam Naturam vel eſſentiam, quâ ejuſdem cum patre omnipotentiæ eſt: ſed propterea, quod verus Deus & Mariæ filius eſt.*

Reſpondetur ad 4. teſtimonia Patrum quæ Bergenſes pro ... ubiquitate in ſua Replica citarunt.

Licet etiam in ſcripto jam exhibito ac tradito, quædam loca ex Athanaſio, Cyrillo, Chryſoſtomo & Theophylacto allata ſint, in quibus ejuſmodi phraſes reperiuntur, & fieri poſſit, nonnullos ex Patribus ante mota certamina, non vſquequaque hac in parte cautè & circumſpectè, ut ſequentibus temporibus, interdum loquutos eſſe: Non ignorant tamen Theologi, quod innumerabiles auctoritates, & loci magis perſpicui ex iiſdem aliiſque Patribus, videlicet Auguſtino, Ambroſio, Ignatio, Fulgentio, Nazianzeno, Theodoreto, Tertulliano, Vigilio & aliis, opponi ac in contrariam partem adduci poſſunt. Et inprimis Vigilius, non ſuam tantum, ſed Apoſtolicam Confeſſionem, quam Apoſtoli tradiderunt, Martyres roboraverunt, & fideles nunc vſque cuſtodiunt; atque omnium ſuperioris ſeculi ſcriptorum ſententias his verbis refert:

Vigilii memorabilis ſententia.

AVT VERBVM *cum carne ſuo loco continetur, aut caro cum verbo vbique eſt. Sed quia verbum vbique, caro autem vbique non eſt, apparet vnum eundemque Chriſtum vtriuſque eſſe naturæ: Et eſſe quidem vbique ſecundum Naturam Divinitatis ſuæ; & loco contineri ſecundum Naturam Humanitatis ſuæ: circumſcribitur loco ſecundum naturam carnis ſuæ, & non capitur loco ſecundum Naturam Divinitatis ſuæ.*

Landgravius recenſet ſubſcriptiones.

Quod igitur Celſitudo ejus diſputabile hoc

Opus,

Opus, & phraſes Præfationi inſertas, & quæcunque in calce libri adiecta ſunt, atque etiamnum addi poſſent, tanquam Auguſtanæ Confeſſioni conſentanea, abſque præeunte legitimæ Synodi dijudicatione, ſuâ ſubſcriptione approbare debeat, id quidem bona cum conſcientia ſe facere nequaquam poſſe teſtatur ac liberè profitetur. Cumque nolit Celſitudo eius, hoc quidem tempore, cum Theologis hac de re plura conferre, nec etiam propter temporis anguſtiam nunc fieri poſſit; audituque ſibi perjucundum fuerit, Theologos non minus quàm Celſit. eius, quod ad Articulum de Perſona Chriſti, à Symbolis & quatuor generalibus Conciliis, præſertim verò Epheſino & Chalcedonenſi, nec non ab Epiſtola Leonis ad Flavianum nequaquam recedere velle: optimum atque tutiſſimum videtur Celſit eius, vt phraſes & verba, ſicut etiam in fine Reſponſionis ſuæ ſeipſi declarârunt Theologi, quæ in dictis Symbolis & decretis expreſsè non reperiuntur, aut penitùs ex Præfatione & libro Concordiæ, vt peiora diſſidia & controverſiæ vitentur, expungantur, aut de iis in Chriſtiana ac libera Synodo, præſentibus cùm Politicis, tùm Theologis, aliiſque piis & veritatis amantibus viris, conferatur ac liberis votis diſceptetur, Cùm enim Symbola illa, & quatuor vniverſalium Conciliorum decreta, quæ Theologi approbant quoque, ſuccincta, clara & perſpicua ſint, citra vllum negotium, ea, quæ Præfationi & Concordiæ libro inſerta ſunt, cum Symbolis & decretis illis conferri poſſent. Itaque ſperare Celſit. ejus, Theologos hanc liberam Synodum non repudiaturos. In eâ ſi dogma ſuum de hoc articulo, & ſimul Maximam hanc ſuam probare poſſint, *Quicunque dogma eorum de Omnipræſentia carnis Chriſti non recipiat & approbet, neceſſariò Zuinglianum eſſe*, quod tamen Papiſtæ ipſi, & Auguſtanæ Confeſſionis Theologi complures haudquaquam concedant, ut ex adductis à Celſit. eius teſtimoniis manifeſtum ſit, tum ne Celſit. quidem ejus id improbaturam amplius eſſe.

Alioquin Celſitud. ejus in dato & exhibito antea reſponſo permanere velle, neque ſcriptum Theologorum tam grave & ſolidum eſſe, ut à ſua ſententia eo abduci poſſit. Ac licet Celſit. ejus non ad ſingula, quæ Theologi in Reſponſione ſua prolixè adduxerint, in ſpecie reſpondeat, quòd propter temporis anguſtiam id fieri nequeat, & Celſit. ejus Diſputationem cum illis inſtituere nolit, in abſentia aliorum Ordinum, eorumque Theologorum: eo ipſo tamen veritati nihil prorſus detractum aut præjudicatum ſe velle.

Quòd ſub finem Legati, Electorum ſummam benevolentiam erga Celſitudinem ejus prædicent, & dicant, nihil habere eos tam in votis, quàm ut eaſdem Celſit. ejus ad conficiendum Concordiæ negotium, quas Clementia ipſorum, cogitationes, ſtudia & voluntates conferat: fateri quidem Celſit. ejus libenter, quod de Electorum benevolentia & amore ſingulari erga ſe nihil vnquam dubitârit, ſed eos ſemper fideles ac veros amicos cognoverit, ideoque ſe etiam optare ex animo, ſic Deus totum hoc negotium moderetur, gubernet ac regat, ut illæsâ ſuâ conſcientiâ ipſis gratificari poſſit: cognituros enim & reipsâ deprehenſuros, Celſit. ejus non minus in hoc ipſo negotio, quàm omnibus aliis, quæ ab humana induſtria præſtari poſſint, expeditiſſimam promptiſſimamque futuram. Quoniam vero Illuſtriſſimi Electores jam ante ex Celſit. ejus reſponſo intellexerint, quid ipſi in hac cauſa grave moleſtumque ſit, ſperare eam omnino, ſufficienter illis ſatisfactum eſſe. Quamuis autem Celſit. ejus, Electoribus, quod ad Concordiæ libri publicationem attinet, neque tempus, neque modum præſcribere velit, nec etiam debeat: ſperare tamen fore vt Illuſtriſſ. Electores, Celſit. ejus, aliorumque cenſuras ac commonitiones, ex optimo animo profectas, diligenter ſecum expendant, & non tam quid liceat, quàm quid Chriſtianæ fidei & Reipub. expediat, probè ponderent, & Libri publicationem vel in commodius tempus reiiciant, vel, ſi id fieri non poſſit (quod Deo committat) ſic temperent, vt ſi non emendetur, ſaltem incommoda ac mala quàm minima inde ſequantur.

Celſitudinem denique ejus cum ſuis Eccleſiis, conſtituiſſe, juxta declarationem ab initio factam, conſtanter retinere Auguſtanam Confeſſionem anno 30. exhibitam, ejuſque Apologiam, quemadmodum etiam in Articulo de Perſona Chriſti Symbola & Decreta, ad quæ Theologi ipſi quoque provocent, nec quicquam quod cum his pugnet, in Eccleſiis & Scholis ſuis recipere velle, &c.

Signatum Caſſellis 3. Cal. Novemb. Anno 1579.

Landgravii colloquium cum Schmidlino.

Legati Electorales quum ſe ad iter accingerent, Landgravius 1. *Novemb. die rurſus cum* Schmidlino *in arenam deſcendens, quæſivit ex eo*, quum Chriſtus juxta Formulam Concordiæ neque in Deo, neque in cœlo

ſit, vbinam igitur ſit? *Reſpondit hic*, Ad dexteram Dei. *Inſtitit Landgravius*, Quum dextera Dei, iuxta Concordiæ formulam, non ſit locus, ſed maieſtas, in quo igitur loco ſit? *Reſpondit*, quum in Cœlo non ſit locus, Chriſtum non eſſe in Cœlo. *Intulit Landgravius*, Quia Chriſtus habet carnem, an non cum illa carne in qua reſurrexit, ad cœlum aſcendit? *Reſpondit Schmidlinus*, Chriſtum poſt reſurrectionem ſpirituale corpus habuiſſe. *Tum Landgravius inſtitit*, Atqui Chriſtus ſe palpandum exhibuit etiam poſt reſurrectionem. *Reſpondit ille per ſilentium: & addidit*, hoc per diſpenſationem factum eſſe: & Chriſtum aſſumpſiſſe Corpus propter infirmitatem diſcipulorum. *Landgravius*, Non dixit Chriſtus ſe aſſumpſiſſe, ſed habere: *item*, Diſpenſationem terminum philoſophicum eſſe, & in Sacra Scriptura nuſquam extare. *Schmidlinus verò ſuis figmentis pertinaciter adhæſit: nam potius omnibus fidei Articulis ſenſum allegoricum affinxiſſet, quàm à ſuis figmentis ſeſe avocare paſſus fuiſſet. Landgravius loca de reſurrectione mortuorum obiecit: item verba Iobi*, Hiſce meis oculis videbo Servatorem meum, *&c. Schmidlinus autem in ſuis commentis ſibi triumphare videbatur. Landgravius ex epiſtola 2. Petri 3. c. dixit*, Aliquos indoctos parumque firmos adhuc hodiè non modo dicta Pauli, ſed etiam alia nonnulla Sacræ Scripturæ difficilia intellectu detorquere ad ſuam ipſorum perniciem: *Reſpondit Schmidlinus*, poſteriorem hanc Petri epiſtolam non eſſe authenticam: *Nam quæcunque contra illum faciunt, ſunt illi apocrypha & malè citata. Quum denique Landgravius eum convinceret, quòd in publica concione dixerit*, Chriſtum ne latum quidem vnguem aſcendiſſe, *&c. Reſpondit*, Aſcenſionem Chriſti in Cœlum nihil aliud eſſe quàm abitum ad Patrem: cùm enim dicat ad Philippum, An neſcis, quòd ego in Patre, & Pater in me, non opus fuiſſe, vt vel pilum latum in altum extollatur, cùm Pater & Filius iam ante vnà fuerint, *&c.*

Electores à Landgravio recuſante ſubſcriptionē quid petierint.

Hæc autem Reſponſa Landgravij Electoralibus legatis Einſidelio *&* Diſtelmeyero *data, in quibus ſubſcriptionem & approbationem Formulæ Concordiæ graviſſimis rationibus recuſârat, quum Electores accepiſſent, vltimâ Decembris Anni huius reſcribunt Landgravio, eumque hortantur*, ne in ſuis Eccleſiis aliquid Auguſtanæ Confeſſioni contrarium docere patiatur: vtque Miniſtris Verbi, & Scholarum Profeſſoribus interdicat, ne quid adverſus librum Concordiæ ſcribant ac in lucem edant.

CAPVT XXX.

Illuſtriſſimi Principis Iohannis Bipontini Ejuſque Conſiliariorum Iudicia de Formula Concordiæ ejuſque ſubſcriptione,

Bipontinus in conventu ſuorum Theologorum & Conſiliariorum petiit iudicia de literis & ſcriptis Landgravii & ſubſcriptione Formulæ Concordiæ.

CVm hæc & alia ſcripta ac reſponſa Illuſtriſſimus Princeps Iohannes Bipontinus *à* Landgravio Vuilhelmo *accepiſſet, eiuſque iudicium de iis expetiviſſet, convocavit præcipuos ſuos Conſiliarios politicos & Theologos, nempe* Vuolffgangum Vuamboldum *aulæ Magiſtrum*, Adamum à Gall, D. Gallum Tuſchlinum, D. Iacobum Heilbrunnerum *Concionatorem aulicum*, Pantaleonem Candidum. *&* D. Henricum Fabritii, *&c. primâ die, quæ fuit 20. Novemb. cauſas huius Conventûs Princeps expoſuit, & nominatorum Conſiliariorum iudicia petiit, vt commodius Landgravii literis ac ſcriptis reſpondere poſſit. Heilbrannerus ſuaſit Principi*, ne ſe in hoc negotio Landgravio conjungat, præſertim cùm ſubſcriptione ſuâ Concordiæ formulam approbârit, licet eam Electoribus nondum miſerit. *Pantaleon reſpondit*, Principem, ab eo tempore, quo ſubſcripſerit, rem totam diligentiùs & accuratius perpendiſſe: priorem namque diem poſterioris eſſe diſcipulum, & oculos plus videre quàm oculum. Multas & graves turbas hunc librum excitaturum, quum Proteſtantes antehac ſemper ingenuè teſtati & confeſſi ſint, inter ſe & Pontificios nullam prorſus in Articulo de Perſona Chriſti, & aliis huic adjunctis, controverſiam eſſe. Religionis quoque pacem hoc libro violari ac rumpi. Suo igitur judicio Illuſtriſſimum Principem rectè ac prudenter facere, quòd in tanti momenti cauſa, abſque Doctorum & prudentum virorum conſilio nihil agere velit. *Reſpondit Princeps*, Solum Verbum Dei in hac cauſa ſe judicem agnoſcere. Se quidem ſubſcripſiſſe, ſed non ſimpliciter: nec ſe ſubſcribere voluiſſe, niſi quatenus omnes Ordines in hoc conſentiant, & ſic concordia communis conſtituatur.

Panthal. Candidus quæ in Formula Concordiæ deſideret.

Sequenti die Pantaleon Candidus coram Principe & Conſiliariis reprehendit Formulæ Concordiæ authores, quòd à Landgravio fideliſſimè moniti, non tamen verba, Incorrupta & Immutata Auguſtana Confeſſio, *item*, Condemnationes *correxerint. Formulam etiam Concordiæ Vbiquitatis dogma non improbare, ſed defendere, quod tamen adverſetur Verbo Dei, decretis Conciliorum & Auguſtanæ Confeſſioni, quæ in articulo de Perſona Chriſti à Papiſtis non diſſentiat. Suo igitur judicio Illuſtriſſimum Principem prudenter* agere,

agere, ſi Landgravij ſcripta & animadverſiones in Formulam Concordiæ approbet. Neceſſe quoque eſſe, ut Synodus omnium Auguſtanæ Confeſſionis Ordinum convocetur, nec probare, ut ſe à Landgravio in hac cauſa ſeiungat. Heilbrunnerus contendit, Vbiquitatis in Formula Concordiæ mentionem nullam fieri: & diſcrimen inter orthodoxos ac reliquos faciendum: Sibi quoque mirum videri, nonnullos pro Zuinglianis haberi nolle, qui tamen præcipua illorum fundamenta defendere conentur.

Galli Tuſchlinii iudicium. D. Gallus Tuſchlinus *fatetur, negotium hoc captum ſuum excedere, ideoque ſe parum de ſcriptis Landgravij reſpondere poſſe. Suo tamen iudicio, Landgravij propoſitum nequaquam eſſe, ut Concordiæ negotium impediat, ſed Celſitudinem eius tantum quærere de modo & forma? inprimiſque an liber Concordiæ tam accuratè conſcriptus ſit, ut nihil in eo mutari vel corrigi poſſit, ſed ſimpliciter ſine omni contradictione recipi debeat? an non conſultum foret, ſi Ordines Auguſtanæ Confeſſionis ante publicationem eius convenirent. Fateri ſe oportere, Landgravij rationes firmiores eſſe iis, quæ à Bergenſibus afferantur. Horum enim argumentum eſſe*, Nullum conventum vtilem eſſe, eò quòd plerique Theologi pacis & tranquillitatis amantes non ſint. *Contra autem ex Eccleſiaſtica hiſtoria notum eſſe, magnam ſæpè vtilitatem Eccleſiæ Synodos attuliſſe, & earum beneficio periculoſa ſchiſmata ſopita eſſe, ut etiam Symbola & Canones Conciliorum teſtantur. Puerile igitur & infirmum hoc eſſe argumentum.* Ex aliquibus Synodis nihil boni ſecutum eſt, Ergo nullæ prorſus Synodi ſunt habendæ. *Sed in contrariam partem rectius hoc argumentum procedere*, Multa vtiliſſima Concilia celebrata ſunt: Si ergo adhuc hodie in Religione controverſia, & falſa doctrina exoriatur, neceſſe eſt, ut Synodus celebretur; hâc nullam ſalubriorem medicinam eſſe.

Conventus ac Synodi an utiles ſint.

Quòd porrò Theologi Conventum hoc argumento diſſuadeant, quòd Theologi pacis ſtudioſi amplius non ſint, eſſe allegationem propriæ turpitudinis, ideoque non audiendos, cùm hoc ipſo non obſcurè ſignificent, ſeſe in horum numero eſſe. Hanc ob cauſam etiam Landgravij intentum eſſe, ut non ſolum Theologi ſed vnà cum iis etiam pij & prudentes Conſiliarij politici conveniant. Neque hoc Theologos improbare poſſe, quum illi ipſi quoque patrocinium apud Principes quærant, & artibus ſuis effecerint, ut Celſitudines eorum hoc opus Concordiæ in ſe recipiant, omnibuſque modis promoveant: ſic ut amplius dici non poſſit, hic vel iſte Theologus condemnat hos, ſed, Electores & Principes condemnant eos. Et hunc eſſe illum ipſum modum, quem olim quoq; Romani Pontifices vſurpârint.

Quod autem Kemnitius, Schmidlinus & Zimmermannus *Conventum impediant, meram eſſe ambitionem, philautiam & pertinaciam. Quum enim liber hic Theologorum iſtorum fœtus ſeu partus ſit, idcirco correctionem nullam eos admittere velle, ne authoritati illorum aliquid decedat, eo ipſo verò magnam eos ignominiæ notam ſibi inurere: cùm potiùs humiles eſſe deberent, & ſua ſcripta aliorum quoque iudiciis ſubiicere. Nec poſſe eos hanc ſuam pertinaciam vel coram Deo vel coram hominibus excuſare. Inſulſum enim & prorſus iniquum eſſe, in libro nondum typis excuſo, nec ab omnibus approbato, nullas correctiones admittere velle, & Præfatione ſaltem omnes errores emendare, vel prorſus tollere velle: Vnde colligere liceat, Theologos iſtos potiorem ſui honoris & exiſtimationis rationem habere, quàm pacis & tranquillitatis Eccleſiæ. Principem igitur Palatinum ſe à Landgravio nequaquam ſeiungere debere, ſed potiùs eum hortari, vt in hoc ſuo laudabili propoſito conſtanter perſeveret.*

Si vocabula hæc, Incorrupta Auguſtana Confeſſio, *retineri omnino debeant, dari Pontificiis anſam Auguſtanæ Confeſſionis doctrinam cavillandi: omittenda igitur eſſe.*

Satius etiam eſſe veterum nonnullorum errorum nullam prorſus mentionem facere, quam ſopitos ab inferis revocare.

Cùm etiam Theologi fateantur, in verbis Inſtitutionis fundamentum præſentiæ carnis Chriſti quærendum, nec tamen velint ea corrigere & tollere, quæ de Vbiquitate libro inſeruerint, non immeritò hanc ipſorum pertinaciam vehementer Landgravio diſplicere.

Articulum de Omnipræſentia Chriſti totum hoc negotium turbare & impedire, nec tamen in eo etiam Theologos quicquam corrigere vel mutare velle, licet nec Prophetarum, nec Chriſti, nec Apoſtolorum, ſed novis prorſus & inuſitatis phraſibus & modis loquendi vtantur. Id verò niſi fiat, Concordiam firmam iniri & conſtitui non poſſe. Hanc vnicam cauſam ſufficientem eſſe, quæ Principem à ſubſcriptione avocare deberet, ſi maximè nullæ aliæ eſſent.

Accedere autem huic intempeſtivas & audaces Condemnationes quoque, quibus Theologi non Papiſtis ſolùm, ſed etiam aliis, quos Zuinglianos & Calviniſtas vocant, occaſionem daturi ſint hunc librum oppugnandi & refutandi. Neceſſarium itaque omninò eſſe ut Conventus hac de cauſa habeatur.

Horrendum eſſe, res inter Auguſtanæ Confeſſionis Ordines eò redactas eſſe, ut pauci Theologi novis & inuſitatis in Eccleſia Chriſti phraſibus homines docere conentur, quis ſit Chriſtus, & quid de eo credendum ſit, perinde ac ſi huc vſque ignorârint homines, quid de Divinitate & huma-

humanitate eius tenendum ſit: & ſic Pontificiis anſam dari Evangelium calumniandi, & Papiſticas ſuperſtitiones ſtabiliendi.

Quod ſi his Theologis tam faciles aures præbeantur, inde mox non ſolùm in Eccleſiis & Scholis, ſed etiam in Rebuſpub. ingentes turbas exorituras: præſertim cùm tam aliqui ex eis dicant, Hic Liber non eſt noſter, ſed Electorum, *&c. cui malo Synodus facilè mederi poſſet.*

Si etiam liber iſte, vt nunc ſit conſcriptus, in lucem edatur, nihil inde quàm infinitam & immortalem diſcordiam exſpectandam. Futurum etiam, vt intra paucorum annorum ſpatium aliquot plauſtra librorum pro & contra hunc librum in lucem exeant. His de cauſis Palatinum Principem monere & hortari debere Landgravium, vt in propoſito ſuo conſtanter perſeveret, nec ſubſcriptione Formulam Concordiæ approbet.

Bipontini literæ & querela ad Landgravium de Formula Concordiæ.

Ex hoc Conventu Princeps Bipontinus *Landgravio ſcribit*, Theologis paucis ab Electoribus & Principibus ab initio mandatum, vt iudicia ſaltem ſua conferant & ſcripto exhibeant, de componendis controverſiis in religione, vt deinceps in communi Conventu plenius ac melius, quid mutandum, corrigendum, detrahendum vel addendum ſit, ab Ordinum Auguſtanæ Confeſſionis, tam Theologicis quam politicis ad hoc delectis conſiliariis, deliberari poſſit, quemadmodum & antehac ſæpè factum ſit. Etſi verò hoc negotium Torgenſi Libro inchoatum ſit, mox tamen ab hoc ſcopo procul diſceſſum eſſe, quandoquidem Liber iſte multis Ordinibus, Auguſtanam Confeſſionem amplectentibus, nondum ſit exhibitus, nedum ab iis lectus: de quo multi graviter conquerantur, nec immeritò, quemadmodum etiam de eo, quòd conſilia cenſuræ, animadverſiones & iudicia multorum de hoc Libro non audiantur, vel in deteriorem partem accipiantur (propterea quòd authorum ſententiam deciſivam ante legitimam cognitionem reprehenderint) quòd item Libro, abſque Ordinum conſenſu, eiuſmodi titulum præfixerint, ac ſi debeat eſſe generalis, pura, ſimplex & deciſiva declaratio, &c. eumque hoc modo tanquam planè authenticum canonizârint. Generalem autem declarationem non eſſe, quum & Præfatio & Liber adhuc privatum ſcriptum ſit, & declaratio declarationis. Hos ipſos quoque Theologos ex pace Religionis omnes excludere, & pro Ordinibus Auguſtanæ Confeſſionis agnoſcere nolle, qui Librum hunc ſubſcriptione ſuâ approbare nolint: eoſdem pro pace & concordia bellum & diſcordiam, omniſque generis ſimultates etiam inter Principes excitare & ſerere, nec dubium, quin graviora mala ſequutura ſint: & quidem nulla alia de cauſa, quàm ut nonnullorum privata ſcripta canonizentur. Seram autem futuram pœnitentiam, occaſione rei benè gerendæ amiſſâ: nec ſapientis eſſe dicere, Non putâram. Quàm grave hoc ſibi futurum ſit, ſi tale quid accideret; tam illibenter ſe hoc opus promoturum, ex quo hæc & ſimilia oriri poſſent.

Duo in primis huic Operi obſtare, quo minùs ad optatum finem deduci queat: *Primum*, Theologorum pertinaciam, quâ Conventum haberi nolint, quòd rarò aliquid boni inde ſequutum ſit. *Alterum*, quòd ſibi planè perſuaſum habeant, librum Bergenſem tam accuratè & circumſpectè conſcriptum eſſe, vt nullâ prorſus emendatione opus habeat, ſed ſaltem, vt ſubſcriptione comprobetur. Miram autem eſſe conſequentiam, propter Petri pertinaciam conventum Hieroſolymæ non fuiſſe indicendum. Imò propter hanc ipſam cauſam neceſſarium eſſe vt conveniatur. Synodum igitur liberam convocandam, in qua res hæc liberis votis, abſque præiudicio & allegatione privatorum, ſcriptorum, ex verbo Dei tantum & Symbolis receptis decidatur.

Omnia autem verba Formulæ huius tanquam ad aurificis ſtateram examinata, nec vllum impium dogma in ea contentum, Bergenſes quidem dicere, & cenſuras tranſmiſſas accipere, ne minimum autem verbum corrigere.

Conſultum etiam non videri ſibi, vt privatum ſcriptum, ſub titulo *Generalis declarationis* editum, ſubſcriptionibus & ſuffragiis approbetur: & talem immaturam publicationem occaſionem daturam reliquis Ordinibus ſuas quoque privatas declarationes in lucem emittendi.

Quibuſdam librum hunc nondum eſſe exhibitum: reliquorum iudicia non ponderata, nec refutata eſſe.

A verbi Dei norma ad ſcripta Humana diſcedere, quod in Formula Concordiæ apertiſſimè fiat, abſurdum ſibi videri & verbo Dei non conſonum. Verum enim eſſe, quòd omnium hæreſeon, idololatriarum & errorum fons & origo ſit, non acquieſcere Verbo Dei.

Formulæ Concordiæ authoribus ſuam ipſorum gloriam, honorem, authoritatem & privata ſcripta magis, quàm Dei & verbo eiuſdem curæ eſſe. Si iidem tam certi ſint, ut videri velint, de Libri ſui perfectione, non debere eos Conventum vel Synodum fugere & reformidare.

CAPVT XXXI.

Anhaldinorum Iudicium de Præfatione & Formula Concordiæ: eorundemque Apologia ad Bergenſium Theologorum refutationem.

ILluſtriſsimus quoque Princeps Anhaldinus Ioachimus Erneſtus quum primùm accepiſſet à Saxone Præfationem dictam, eam ſuis Theologis exhibuit, eorumque iudicium de ea requiſiuit: An videlicet res ita ſeſe habeat, in Libro Concordiæ, vt Præfatio pollicetur? venerunt etiam Deſſaviam ad Principem Anhaldinum 6. Novem. Kemnitius, Schmidlinus & Zimmermannus vt Celſitudini eius Præfationem commendarent, eiusque ſubſcriptionem extorquerent. Reſponſionem igitur adornârunt Anhaldini Theologi, exhibitam ſuo Principi 21. Octob. Anno 1579. in lucem vero editam Neoſtadij Anno 82. in qua conſtanter negârunt rem ſic comparatam eſſe. Nam, contra quàm in Præfatione affirmetur, & in Rebus & in Phraſibus Theologos Bergenſes in hoc Libro ab Auguſtana Confeſſione recedere: Deinde hunc Concordiæ librum pro declaratione Auguſtanæ Confeſſionis nec recipi nec approbari poſſe, quum hæc illum Annis minimùm 50. anteceſſerit, & in multis Conventibus ac Colloquiis ſine illo rectè intelligi potuerit. Adhæc, ſe Recognitam non minùs quàm primam editionem probare, quum vtraque ab Anhaldinis Principibus Anno 30. & 61. confirmata & approbata ſit. Neque valere argumentum, adverſarios etiam ad Recognitam provocare: niſi eâdem ratione Biblia quoque quæ nunc extant, abiicere velimus, quod amici pariter & inimici iis vtantur. Illud etiam diligenter expendendum, quod in Præfatione legatur, Scripta Philippi, Brentij & aliorum, quatenus cum Norma Concordiæ conſentiant, nec reiici nec damnari debere. Nam his verbis apertiſsimè damnari omnia orthodoxa ſcripta Philippi, imò ipſam quoque Confeſſionem Saxonicarum Eccleſiarum, Anno 51. editam, ut Tridentino Concilio exhiberetur, quæ non obſcurè Concordiæ libro adverſentur: quin etiam multa Brentij ſcripta, veluti Syngramma de Cœna Domini, Exegeſis in Ioannem etiam in Epiſtolam Pauli ad Philippenſes. Præterea novas Phraſes & modos loquendi de reali Communicatione Idiomatum, in iſta Præfatione non ſolùm non omitti, ſed novis inſuper coloribus exornari atque defendi: Quòd enim Humana Natura ſit omnipotens, omniſcia, omnipræſens, &c. ſic declarari in Præfatione à Theologis, ut (quum vox Abſtractum, ambiguè vſurpetur) omnipotentia, omniſcientia, omnipræſentia, &c. Humanæ Naturæ Chriſti adſcribenda ſit, non extra perſonalem vnionem, vel in aut per ſe eſſentialiter, formaliter, habitualiter, ſubiectivè, ſed ratione & diſpenſatione hypoſtaticæ vnionis. Hoc modo autem ſiniſtrum intellectum & offendicula non tolli, ſed augeri potius & confirmari,

De prima & recognita Aug Confeſſione Philippi ſcripta orthodoxa in Præfatione damnari

Novæ phraſes in Præfatione & novis coloribus exornantur.

Nam primò, has phraſes & modos loquendi: Caro Chriſti eſt omnipotens, omniſcia, omnipræſens, &c. nullo modo ex Auguſtana Confeſſione, eius Apologia, Schmalcaldicis articulis & Catechiſmis Lutheri, multò minus ex approbatis Symbolis & ſacra Scriptura probari poſſe: Quapropter proteſtationem contrariam eſſe, facto, quum dicitur in Præfatione, quòd ab his Scriptis neque in Rebus; neque in Phraſibus in Concordiæ libro recedant. Periculoſum autem eſſe novas phraſes in Eccleſiam introducere: quum qui novas phraſes fingat, novas ſimul res fingat, iuxta Lutherum.

Abſurda quæ ſequuntur ex reali Idiomatum communicatione.

2. Si ſint phraſes & modi loquendi, ut Præfatio teſtetur, quomodo poſsit eſſe realis Idiomatum Communicatio? Nam per phraſin ſeu modum loquendi tribuere carni omnipræſentiam, non eſſe realiter ipſam efficere omnipræſentem: Et ſic committi oppoſitum in adiecto.

3. Quemadmodum autem phraſes illæ neque ex dictis Scriptis, neque ex vllo alio probato authore, vnquam probari poſſint, quatenus veritati non contradicatur: ſic etiam declarationem non ſolum ineptam, ſed ſibi ipſi quoque contrariam eſſe. Craſſum enim Dialecticum illum fore, qui Abſtractum iuxta Etymon tantùm pro diſtracto intelligere vellet: ex eo enim non Naturarum exæquationem & confuſionem præcipuè, ſed potiùs Neſtorianam perſonæ divulſionem ſequuturam. Ex eadem craſſa Dialectica oriri, quòd quidam hodiè cum veteribus hæreticis Theopaſchitis, locum Petri; Paſſus carne, vel ſecundum carnem: Et Theodoreti, Chriſtus in quantum Deus, impatibilis eſt, & Deitas in Chriſto non fuit obnoxia paſſioni, &c, tanquam erroneum reiiciant: Nam ex particulis diſtinctivis facere illos disiunctivas, & pro iiſdem phraſibus habere, Sola Humanitas in Chriſto paſſa eſt, quod verum ſit: & Separata Humanitas à Chriſto paſſa eſt, quod blaſphemia ſit.

4. Neque declarationem hanc conſiſtere poſſe, videlicet, Divinam Maieſtatem Humanæ Naturæ Chriſti extra perſonalem vnionem tribui ſeu adſcribi non debere. Nam extra vnionem hypoſtaticam, non eſſe carnem Chriſti, quam Deus Verbum in vtero virginis Deiparæ aſſumendo creavit, & creando aſſumpſit: iuxta regulam Athanaſij: Simul caro, ſimul Dei Verbi caro.

5. Sub hac Declaratione multos horrendos errores latere. Nam ſi Humanæ Naturæ Chriſti

quædam proprietates extra unionem perſonalem, quædam in unione adſcribendæ ſint, neceſſariò in Chriſto duplicem carnem vel humanitatem conſiderandam eſſe, juxta quarum alteram nobis ſimilis, circumſcriptus, finitus, non omniſcius, omnipotens & omnipræſens foret, nempe extra perſonalem unionem: iuxta alteram verò omnipotens, omniſcius, omnipræſens, infinitus & incircumſcriptus, videlicet in perſonali unione.

6 *Similiter duplicem Deitatem omnipotentem ei affingendam eſſe, unam æternam, increatam, conſubſtantialem cum Patre & Spiritu ſancto; & temporariam, communicatam, Creatam, quæ æternæ per omnia ſimilis ſit, niſi quod hæc tempore poſterior ſit.*

7 *Hinc pro duabus naturis quatuor in Chriſto agnoſcendas eſſe.*

8 *Ex tribus quoque modis eſſendi, ſi directè carni Chriſti applicentur, conſequuturum, ut caro Chriſti ſimul eſſet maſſa Corporea, circumſcripta per primum eſſendi modum: & natura ſpiritualis, definitiva, non caro, per ſecundum: & denique ipſa Deitas infinita, nec amplius Creatura, per tertium: Fieri enim non poſſe, quin tres eſſendi modi triplicem eſſentiam inferant.*

9 *Si divina Majeſtas Humanitati Chriſti realiter ſit communicata, propter unionem perſonalem, ita ut humanitas ſit exæquata Deitati, non quidem eſſentiâ, ſed potentiâ: non naturâ, ſed gloriâ: non ſubſtantiâ, ſed Maieſtate: Tunc probandum ex Scriptura, quòd aliquid aliud in Deitate ſit, Æterna ac Diuina eſſentia, natura & ſubſtantia, ut quod nulli creaturæ realiter vel poſſit vel debeat communicari; & aliud divina omnipotentia, omniſcientia, infinitas, majeſtas & gloria, veluti proprietates carni à Verbo aſſumptæ communicabiles: quâ ratione Deus non ſimpliciſſima ac individua eſſentia maneret, ſed quiddam ex eſſentia & proprietatibus compoſitum fieret.*

10 *Vel ſi hoc probari non poſſit, quia in Deum non cadat accidens, nec aliud & aliud; porro ſequuturum, ut Humana Chriſti natura prorſus deificata, nihil amplius in ſe habeat nobis ſimile, niſi nudum nomen.*

11 *Et ſic, quum prius duarum naturarum loco ex fictitia ac nova illa Maieſtate quatuor Naturæ in Chriſto ſequutæ ſint, iam illas ipſas per dictam Exæquationem rurſus in unam reſtringi & confundi, juxta ipſius Præfationis confeſſionem, quòd Exæquatio nihil aliud ſit, quàm Naturarum & Proprietatum confuſio.*

12 *Cumque Symbolum nullam aliam quàm unam infinitam, æternam, omnipotentem, &c. eſſentiam admittat, quæ Dei eſſentia & natura ipſa eſt; Realem Idiomatum communicationem reverâ nihil aliud eſſe, quàm negationem humanæ naturæ, & deſtructionem totius Myſterii Incarnationis, juxta regulam Lutheri*, Negans proprietates, negat naturas: *vel juxta Theodoretum:* Proprietatum deletio, eſt vtriusque naturæ negatio: *Nam confuſio unitatum naturarum non ſinit cogitare, nec de carne, ut carne, nec de Deo, ut Deo.*

13 *Sequeretur etiam, Chriſtum ſolatium nullum mortalibus allaturum, quandoquidem nobis extra ſaltem unionem perſonalem (quod eſt nihil in rerum natura) conſubſtantialis, intra verò eam, caro eius diverſæ à nobis ſpeciei eſſet. Et ſic de ſalute noſtra actum foret penitus, iuxta Athanaſii dictum:* Quod non aſſumpſit, non ſanavit: *Et Amphilochii Iconienſis,* Si aliud aſſumpſit corpus, quid prodeſſe poterit meo Corpori, quod ſalute indiget?

14 *Cùm etiam divina eſſentia impartibilis ſit, neceſſariò per realem Idiomatum communicationem, unà cum omnipotentia, omniſcientia & omnipræſentia, etiam æternitatem carni Chriſti tributum iri: quâ ratione hiſtoria de Nativitate Chriſti tolleretur, liberatio humani generis negaretur, & Apollinariſtarum error confirmaretur,* quòd Chriſti caro de Cœlo deſcenderit. *De quo Theodoretus Dial. 2. hoc dictum ex Amphilochio citat:* Si è Cœlo tranſtulit carnem, quid commercii habet cum mea carne, quæ ex terra ſumpta eſt?

15 *Illud quoque Chriſtianos Principes diligenter conſiderare debere, quid porrò ex hac doctrina ſequuturum ſit, cùm non ita pridem novi Antitrinitarij & Ariani, qui æternam Deitatem Chriſti Ieſu negant, ad realem Communicationem provocent, & ex Chriſto faciant Deum per accidens, æterno Patri non homouſion: qui error ex Vbiquitate confirmetur, & Turcicæ impietati viam ſternat.*

16 *Quòd porrò in Præfatione legatur, Divinam Maieſtatem de Humana Chriſti Natura intelligi debere, ratione & diſpenſatione Hypoſtaticæ unionis, & non quòd eam, eſſentialiter, formaliter, habitualiter & ſubiectivè, in & ſecundum ſe ipſam habeat, &c. otioſam eſſe ſophiſticam, & inſulſam contradictionis implicationem, quâ ille, qui Præfationem fabricavit, Illuſtriſſimos Principes à veritate abducat, ſimplici Lectori oculos perſtringat, & Myſterium incarnationis ſic obſcuret, ut omnia quæ in Scriptura de eo revelata ſint, incerta ac tenebricoſa reddantur. Hoc autem in ſingulis verbis evidenter apparere.*

17 *Nam Phraſin hanc,* In & ſecundum ſe ipſam habere, *eos intelligere extra vnionem de ſeparata carne Chriſti, quæ in & ſecundum ſe ipſam in ſua propria hypoſtaſi ſubſiſtat: Id verò nihil eſſe in tota rerum natura. Ideò in rem ſuam eos addere vocabulum* IPSAM. *Alioquin vulgo dici, In & ſecundum ſeſe, nec intelligi ſeparationem*

tionem Naturarum, ſed quod cuiusque naturæ proprietas ſit, in ipſa unione, juxta Regulam: Coſubſtantialis Patri ſecundum Deitatem, & conſubſtantialis nobis ſecundum Humanitatem, &c. Latere igitur in hac phraſi, quâ ſeſe in Præfatione declarent Theologi, hanc falſam opinionem, videlicet, etiamſi caro Chriſti extra perſonalem unionem, non ſit omnipotens, omniſcia, omnipræpræſens, eam tamen habere talem divinam Maieſtatem, etiam In & ſecundum ſe, etiam intra perſonalem unionem: Nam ſi hoc negarent, omnem controverſiam finitam fore. Non autem eſſe conſequens, juxta Auguſtinum, quod in Deo eſt, pariter ubique ſit ut Deus.

18 *Similiter voce Eſſentialiter (quæ nihil tamen aliud ſit, quàm ſubſtantialiter, naturaliter & formaliter: quum natura, ſubſtantia, eſſentia & forma in hoc Articulo Synonyma ſint) multum eos ludere, multaque in ipſo Libro Contradictoria proteſtari: veluti quòd Idiomata naturarum maneant diſtincta, nulliusque naturæ proprietas poſſit alterius Naturæ eſſentialem proprietatem fieri. Interim verò conſtanter eos vrgere, quòd nihilominus Divina Maieſtas, hoc eſt omnipotentia, omniſcientia, &c. Humanæ Naturæ Chriſti realiter, ſeu, vt alibi loquuntur, realiſſimè realiter communicetur, tanquam reale donum per accidens, licet non fiat eſſentiale carnis Idioma. Quæ autem hoc loco Theologis Bergenſibus prius probanda eſſent, quàm ſic concluderent, multis Anhaldini demonſtrant.*

19 *Similiter In voce,* Subiectivè, *priorem ambiguitatem latere, pluribus ac evidentibus rationibus probant.*

20 *Magnam igitur obſcurationem eſſe, quòd Theologi iſti dicant in Præfatione hac,* Carnem Chriſti habere omnipotentiam, omnipræſentiam, &c. ſed non eſſentialiter, nec formaliter, nec ſubiectivè, nec habitualiter: *Inde enim irrefragabiliter ſic colligi poſſe:* Si nec eſſentialiter, nec formaliter, nec ſubiectivè, nec habitualiter Caro Chriſti eſt omnipotens, omniſcia & vbique præſens: Ergo hanc, *ut loquuntur* Maieſtatem omnipotentiæ, omniſcientiæ & omnipræſentiæ non habet, niſi κατ' ἄλλο, *id eſt*, ſecundum aliud: reſpectu *vedelicet* perſonæ, quæ cùm ſit Deus & homo, revera eſt omnipotens, omniſcia, & ubique præſens, non in quantum caro, ſed in quantum Deus eſt: *Hoc autem modo orthodoxorum ſententiam probant, quam tamen impugnare videri volunt quàm maximè,*

21 *Nam quòd addant,* fieri hoc diſpenſatione, *nil niſi fucum eſſe. Quod enim Latinis ſit* Diſpenſatio, *id Græcis* Oeconomiam *eſſe, nec propriè de Carne, ſed de ipſo Verbo incarnato uſurpari: Simul enim complecti & Myſterium incarnationis: & eiuſdem Myſterii finem, hoc eſt, Officium Mediatoris iuxta Nazianzeni Regulam:* Alia eſt conſideratio Verbi reſpectu eſſentiæ abſolutè conſideratæ: Alia reſpectu Oeconomiæ, *id eſt*, diſpenſationis, vel potius adminiſtrationis ſalutis noſtræ, ad quod officium ſeu Miniſterium Filius Dei mirandâ iuſtitiæ divinæ diſpenſatione miſſus eſt. *Erroneum igitur eſſe, ſi per Diſpenſationem peculiaris Maieſtas vel Myſterium de Vbiquitate carnis Chriſti intelligatur, ut Bergenſes faciunt. Se verò loco fictitiæ huius Diſpenſationis, Symbolo firmiter inniti, & credere, quòd unigenitus Dei Filius propter nos homines, noſtramque ſalutem de Cælo deſcenderit & Humanam Naturam aſſumpſerit, quam in Æternum nec derelicturus, nec depoſiturus ſit unquam.*

22 *Suam de Cæna Domini ſententiam rotundè, candidè & eruditè exponunt,*

23 *Condemnationes inauditarum Eccleſiarum, Concordiæ libro factas, improbant his potiſſimùm rationibus: quod has Condemnationes neque Prophetarum, neque Chriſti, neque Apoſtolorum, neq; Orthodoxæ primitivæ Eccleſiæ exemplo tueri ac defendere poſſint: quòd Proteſtantes iniuſtis Papiſtarum condemnationibus privatis provocationem ad legitimam Synodum ſemper oppoſuerint: quodque in Francofurtenſi Electorum ac Principum Receſſu expreſſe cautum ſit,* ne quiſquam inauditus condemnetur.

Reſponſi autem, quod Princeps Anhaldinus Electoralibus legatis ſcripto exhibuit, cum adjuncto ſuorum Theologorum judicio de Præfatione Libri Concordiæ, hæc fere ſumma eſt: Omnibus notum eſſe, Celſitudinis ſuæ maiores in vero ſenſu Auguſtanæ Confeſſionis ſimpliciter perſtitiſſe, ſeque in illa doctrina quoque, in qua natus & educatus ſit, conſtanter perſeverare in animo habere, nec pati velle, ut in ſua ditione falſæ doctrinæ & corruptelæ ſpargantur, aut locum aliquem habeant: Optâſſe etiam ſæpe, ut diſſenſiones & certamina in Academiis, Auguſtanam Confeſſionem profitentibus exorta, componerentur & tollerentur, & Concordia firma inter Ordines ac Principes Auguſtanæ Confeſſionis conſtitueretur. Cùm itaque Auguſtus Saxoniæ Elector *ipſius Celſitudinem de ſuſcepto Concordiæ negotio certiorem feciſſet, & de concepta Formula iudicium requiſiviſſet, diſertè ac liberè, priuſquam ſuos Theologos in conſilium adhibuiſſet, quod etiam illi ſedulò deprecati ſint, ſe id Electori aperuiſſe: poſtea quoque Theologorum ſuorum cenſuram, quam petierit Elector, tranſmiſiſſe, & literis interea vltro citroque miſſis, id unum ſpectâſſe, ut talis Concordia conſtitueretur, quæ nulli Confeſſionis Auguſtanæ Ordini, præſertim illis, qui primi illam approbârint, ſeceſſionem faciendi daret occaſionem. Quin etiam, ne quicquam in ſe deſiderari poſſit, Theologos ſuos ad Colloquium Herzbergæ inſtitutum miſiſſe,*

Summa Reſponſionis quam Anhaldinus Electoralibus Theologis dedit.

miſiſſe, nec quicquam, quod ad Chriſtianam Concordiam faciat, neglexiſſe. Atque hæc omnia ex animo ſincero, aperto, candido ac verè Germano à ſe facta eſſe. Dolere igitur ſe vehementer, ſuas, ſuorumque animadverſiones, cenſuras & iudicia non eum eventum habuiſſe, quem omninò ſperârit, omnemque in poſterum mutationem, ſeu correctionem Formulæ hujus negari. Nolle autem ſe, quod pace Electorum ac Principum dictum eſſe velit, ſubſcriptione vel ſuam, vel ſuorum Theologorum conſcientiam gravare.

Quod autem ad Præfationem attineat, quæ Formulæ Concordiæ ſit præfigenda Electorum ac Principum nomine, negare etiam, ac pernegare ſuos Theologos, illa, quæ in tranſmiſſis cenſuris & judiciis in hoc Libro deſiderata ſint, & plurimos à ſubſcriptione hactenus avocârint, ſic in ea explicata & declarata eſſe, ut citra omnem ampliorem deliberationem & moram omnes bona cum conſcientia ei ſubſcribere poſſint, quemadmodum ex illorum judicio, ſuis literis adjuncto, id facilè intelligi poſſit. Rogare itaque vehementer Electores, ſe excuſatum habeant, neque ſibi perſuaderi patiantur, quod vel in unico articulo Auguſtanæ Confeſſionis ab eis diſſentire velit. Me, *inquit*, profiteor Socium eſſe Auguſtanæ Confeſſionis, quam Dominus parens noſter Vvolfgangus Anhaldinus laudatiſſimę memorię Princeps, unà cum aliis Principibus Carolo Imp. exhibuit, manuque propriâ ſubſcripſit. Approbo etiam Symbola Apoſtolicum, Nicenum & Athanaſianum, cum quatuor Oecumenicis Conciliis, quę ſunt ab Eccleſia Chriſtiana recepta, & à Iuſtiniano Imp. de Summa Trinitate & fide Catholica, cum orthodoxa declaratione articuli de perſona Chriſti confirmata: A quibus vtilia ſcripta Lutheri & Philippi nequaquam ſeparamus, &c. *Deſſavii* 1. *Novemb. Anno* 1579.

Bergenſes refutant Anhaldinorum Cenſuram præfationis Anhaldinorum Theologorum

Huic doctiſſimo & graviſſimo Anhaldinorum Theologorum judicio de Præfatione Libri Concordiæ, tres Electorales Theologi Vvilhelmus Zimmerman, Iacobus Schmidlinus & Martinus Kemnitius, *Anno* 1579. *menſe Decembri oppoſuerunt* Refutationem.

Apologia ad Bergenſium Refutationem

Sequenti verò Anno 1580. *Anhaldini Theologi* Apologiam *ediderunt ad hoc Theologorum Electoralium Scriptum, idque graviter, doctè ac eruditè confutârunt, hoc ordine* Primò, *reſpondent ad ſex calumnias Electoralium Theologorum* Refutationis: *quarum* prima *fuit, quòd Anhaldini Theologi Electores, Principes aliosque Ordines Auguſtanæ Confeſſionis multarum hæreſion & errorum accuſent, & quaſi reos faciant, eo quòd non approbent librum Concordiæ, ſed ejus errores indicent.* 2. *quòd Anhaldinorum Cenſura & iudicium de Libro Concordiæ ejusque erroribus Sacramentarium,* (Sacramentſchwermerey) *imò magna blaſphemia ſit.* 3. *quòd Lutheri ſcripta ex tota Saxonia eiicere & omnibus è manibus eripere conentur.* 4. *quòd reiiciant ſcripta Principis* Georgii Anhaldini. 5. *Anhaldinos Theologos plurimos errores in ditionem Anhaldinam introducturos, niſi Princeps eos cohiberet.* 6. *in Herzbergenſi Colloquio urſiſſe, ut Synodus cum Calviniſtis celebretur.* Secundò, *doctrinam purioris antiquitatis de Perſona Chriſti repetunt, eamque Orthodoxorum Patrum teſtimoniis confirmant.* Tertiò *demonſtrant, ſua argumenta adhuc immota ſtare, & obiectiones Bergenſium diluunt.*

Anhaldini Apologiæ ſubiiciunt commemorationem horribilium phraſium Formulæ Concordiæ.

Huic Apologiæ *ſubiiciunt in fine brevem commemorationem novarum, inuſitatarum & horribilium phraſium ſeu modorum loquendi in Concordiæ Libro contentorum, de Perſona & Maieſtate Chriſti, in veritatis amantium gratiam, ſed qui ſibi perſuadere patiuntur, nullos prorſus errores in iſto libro contineri.*

Primò, *inquiunt, pag.* 245. *Dreſdenſis. & pag.* 284. *Magdeburgenſis, item pag.* 244. *Tubingenſis editionis dicitur,* Filium hominis ad Dexteram Omnipotentis Maieſtatis & potentiæ Dei, realiter juxta Humanam Naturam, exaltatum eſſe, quoniam in Deum aſſumtus ſit, quum primum à Spiritu ſancto in utero matris conceptus, & Humana ejus Natura cum Filio altiſſimi perſonaliter unitus fuerit. *His verbis, inquiunt Anhaldini, Articulus de Incarnatione Chriſti, cum ejuſdem exaltatione ad Dexteram Dei, quæ poſt aſcenſionem demùm facta eſt, confunditur, & ordo Symboli Apoſtolici turbatur & deſtruitur, & humiliatio Chriſti in Martioniticum phantaſma convertitur.*

Paginâ 245. *Dreſd. pag.* 284. *Magdeb. & pag.* 244. *Tub. editionis legitur.*, quòd Chriſtus: quum in gloriam ſuam intrârit, non tantùm ut Deus, ſed etiam vt Homo, omnia ſciat, poſſit, & omnibus creaturis præſens ſit. *His verbis, inquiunt, generalis Vbiquitas Humanæ Naturæ in Chriſto aſſeritur, quod tamen plurimi ex ſubſcriptoribus hactenus credere noluerunt.*

Paginâ 295. *Dreſd. & pag.* 342. *Magd. pag.* 294. *Tub. editionis de Cœna Domini ex Catechiſmo maiore Lutheri rectè docetur,* Verba inſtitutionis unicum fundamentum eſſe contra omnes errores & deceptiones. *Contra autem pag.* 241. *Dreſd. & pag.* 280. *ac* 350. *Magd. item* 240. 300. *Tub.* quatuor fundamenta collocant, *inter quæ verba Inſtitutionis tertium locum obtinent: quæ manifeſta antilogia eſt.*

Pag. 296. *Dreſd. & pag.* 343. *Magd. item pag.* 294. *Tub. dicunt,* verba, *Verbum caro factum eſt*, per æquipollentia, Verbum habitat in nobis, & ſimilia declarari. *Hæc autem manifeſta eſt confuſio graduum præſentiæ Dei, & in-*

de

de irrefragabiliter Arianiſmus & Neſtorianiſmus ſequitur. Hac enim propoſitio, Verbum caro factum eſt, *ad quartum gradum præſentiæ Dei pertinet. Cùm autem dicitur, Deus, vel Verbum habitat in nobis, ad tertium gradum præſentiæ pertinet. Si igitur hæ phraſes æquipollentes eſſent, Chriſtus non amplius, Deus homo, ſed diviniſſimus homo eſſet. In Germanico etiam exemplari Concordiæ Formulæ crimen falſi Bergenſes in verſione loci,* Verbum habitavit in nobis, *commiſerunt. Nam in Germanicis Bibliis Lutherus non vertit, ut in Concordia citatur,* Verbum habitat in nobis, *ſed ſic,* Verbum caro factum eſt & habitavit in nobis (*ſeu inter nos.*) *Quod ſi Bergenſes verba hæc ſic citâſſent, quivis facile fraudem animadvertere potuiſſet.*

5 *Pag. 302. Dreſd. & pag. 350. Magd. item 300. & 301. Tubingenſis editionis,* Corpori Chriſti tres eſſendi modi alicubi tribuuntur, *nempe,* circumſcriptivus, definitivus & repletivus. *Hoc verò neque cum verbo Dei congruit, nec ſecum ipſo conciliari poteſt, ſed cum citatis ſcriptis Normæ, tam in rebus quàm in phraſibus, & contrà tam in phraſibus quàm in rebus pugnat: ſimul etiam veritatem aſſumptæ Humanæ Naturæ in Chriſto, una cum myſterio non ſolùm veræ incarnationis Filii Dei, ſed etiam veræ præſentiæ, diſpenſationis & participationis Corporis & Sanguinis in Sacra Cæna deſtruit & evertit, & Svenckfeldii ſententiam confirmat, quòd Corpus Chriſti in Cæna ſit, ut viſus, ſonus, lumen aërem, aquam & vitrum penetrat.*

6 *Pag. 307. Dreſd. & 357. Magd. item 306. Tub. editionis, virtus edendi Miracula, & quòd Chriſtus ex virgine, illæsâ virginitate ejus, natus eſt, Humanæ Naturæ tribuitur: quorum poſtremum tamen cum Articulo de Creatione, ut & cum Pſal. 22. nequaquam convenit, ut neque primum cum orthodoxa fide & regula Athanaſii,* Tetigit ut homo, ſanavit ut Deus. *Quin etiam Chriſtus ipſe miracula non opera Carnis, ſed opera Patris vocat.*

7 *Pag. 245. Dreſd. & pag. 284. & 357. Magdeb. item 244. & 306. Tub. editionis, docetur,* Chriſtum formam ſervi in exaltatione omnino depoſuiſſe: *Cùm tamen primitiva Eccleſia & cum ea* Brentius *quoque in prima expoſitione epiſtolæ ad Philip. teſtentur, formam ſervi ipſam Humanam Naturam eſſe. Damaſcenus quoque apertè dicit:* Quod ſemel aſſumſit, nunquam depoſuit. *Evertitur etiam hac doctrinâ omnis conſolatio de ſalute noſtra.*

8 *Pag. 307. Dreſd. & 357. Magd. item 306. Tub. ad probandam fictitiam Ubiquitatem, citatur locus Mar. 16.* Illi verò egreſſi prędicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante per ſigna ſubſequentia. *His verbis Muſculus Anno 78. in Herzbergenſi Colloquio probare voluit, Ubiquitatem in Scripturæ apertiſſimis verbis fundatam eſſe. Quivis autem intelligit, Evangeliſtam hoc loco de divina Chriſti efficacia ſeu cooperatione, nequaquam autem de fictitia illa Naturæ aſſumtæ omnipræſentia loqui.*

Pag. 310. Dreſd. & 361. Magdeb. item 309. Tub. crimen falſi manifeſtè committitur. Locus enim 1. Ioh. 1. detruncatur, Sanguis Chriſti (*Evangeliſta addit, Filii Dei, hoc autem in Concordiæ Formula omittitur*) mundat nos ab omni peccato. *Hoc ipſo verò in rei effectu Monothelitarum error confirmatur, ac ſi in emundatione à peccatis, Humana Natura idem quod Divina operetur. Cui tamen* Leonis *regula de actionibus Theandricis ex diametro repugnat:* Agit, *inquit,* utraque Natura in Chriſto cum alterius communione, (*id eſt, ſine ſeparatione & confuſione*) quod proprium eſt. Non Deitate operante, quę carnis ſunt: nec carne exequente, quæ Deitatis ſunt: ſed Verbo operante, quæ Verbi ſunt, & carne exequente, quæ carnis ſunt. Unum horum coruſcat miraculis, alterum ſuccumbit injuriis. *Orthodoxi quoque Patres contra Arianos, Monophyſitas & Monothelitas unanimi ac perpetuo conſenſu hac regula uſi ſunt: Quorum operatio eadem eſt, eadem eſt natura. Et quorum diverſa Natura eſt, eorundem diverſa eſt operatio.* 9

Pag. 310. Dreſd. & 361. Magd. & 309. Tub. rurſus inſigne crimen falſi, & quidem bifariam committitur in corrumpenda verſione Lutheri. Nam Ioh. 5. ſic legitur: Et poteſtatem ei dedit judicandi quoque, quia filius hominis eſt. *Hæc verba ſic Lutherus vertit:* und hat jhm macht gegeben auch das Gericht zuhalten / darumb daß er deß Menſchen Sohn iſt. *In Concordia autem Libro pro verbo* Poteſtatem, Macht / *quod Græcè ἐξουσίαν ſignificat, ponitur* Krafft / Potentia, *Græcè δύναμις. Hæc autem nomina in præſentiæ loco non ſunt confundenda. Item, his verbis Scripturæ,* Quia filius hominis eſt; *Concordiſtæ hanc gloſſam addunt,* Sicuti carnem & ſanguinem habet: *Et tamen multi ex ipſis negant rectè dici, Quod Filius Dei habeat, acceperit Humanam Naturam. Nihilominus piaculum committit, ſi quis dicat, ipſos contradictoria ſcribere, aut gloſſis ſuis Scripturam & Lutheri verſionem corrumpere.* 10

Pag. 312. Dreſd. & 303. Magd. item 311. Tub. editionis, diſcrimen inter Chriſtum, ſecundum Humanam ſuam Naturam, & alios Sanctos homines, in communicata Maieſtate monſtratur, videlicet, quòd Humanæ Naturæ Maieſtas Divinarum proprietatum realiter communicata ſit. *Sub hac autem doctrina Neſtorianiſmus & Eutychianiſmus latet.* 11

Pag. 313. Dreſd. & 364. & 365. Magd. item 312. Tub. apertè dicitur, Omnia plena Chriſti eſſe

etiam

etiam ſecundum humanitatem. *Et mox*: Vbicunque Deum collocas (*quaſi de Deo loqui ſic liceat*) ibidem etiam humanitas collocanda eſt. *Hoc nihil aliud eſt, quàm generalem Vbiquitatem aſſerere.*

Hæc Anhaldini *breviter hoc loco annotant de novis & inuſitatis phraſibus Formulæ Concordiæ. Regula autem* Philippi *eſt*: Novæ phraſes ſemper aut errores, aut diſſidia pariunt.

Anhaldini attexunt ſuæ Apologiæ catalogum orthodoxorum teſtimoniorum de perſona Chriſti & aliis Controverſis articulis.

Attexunt etiam his cathalogum orthodoxorum teſtimonium Lutheri & Principis Georgii Anhaltini *contra Bergenſem Concordiam de* Perſona Chriſti, *de* Vnione perſonali duarum Naturarum in Chriſto, *de* Aſcenſione *&* Seſſione ad Dexteram Patris, *de* Converſione, *de* Libero arbitrio, Iuſtificatione, *&* Cœna Domini: *quibus* Lutherus *&* Georgius Anhaltinus *docent*, quòd Chriſtus verus homo ſit, nobis per omnia, excepto peccato, ſimilis: Quòd unio duarum Naturarum facta ſit abſque earum eſſentialium proprietatum abolitione & commixtione: Quòd Aſcenſio Chriſti nullis Humanis gloſſis ſubiecta, ſed ſecundum literam intelligenda ſit: Quòd Chriſti Seſſio ad Dexteram Patris non aboleat veritatem humanæ naturæ, ſed certiſſimum ſignum ſit æternæ eius Divinitatis: Quòd Seſſione ad Dexteram Patris exaltatio Chriſti ſecundum utranque naturam ad regium & ſacerdotale munus ſic declaretur, ut nihilominus diſcrimen naturarum non tollatur: Quòd Sacramenta ſint externa, viſibilia ſigna, ſigilla & teſtimonia voluntatis Dei erga nos, verbo ejus affixa: Quòd corpus Chriſti in Sacra Cœna per verbum non ori, ſed cordi & fidei exhibeatur: Quòd manducatio Corporis Chriſti non fiat ſine fide.

Quos errores horrendos Schmidlinus cum ſociis in Saxoniam introduxerint.

Oſtendunt etiam Theologis Electoralibus in tabella ad oculum, quàm tetros errores & horrendas blaſphemias ipſi in Eccleſias Saxonicas introducant, eo, quòd Confundant gradus præſentiæ Dei: quòd confundant unionem hypoſtaticam & Communicationem Idiomatum: quod confundant abſtractum & concretum, ſeu Perſonam & Naturam: quòd naturas ipſas exæquent & confundant: quòd diſcernant inter clarificationem & glorificationem, quæ Scripturæ unum & idem ſint: quòd Chriſtum ſecundum utranque Naturam patibilem faciant: quòd confundant Articulum Aſcenſionis cum Incarnatione: quod Corpus Chriſti in phantaſma convertant, quòd duplicem Divinitatem comminiſcantur: quòd Aſcenſionem in diſparentiam convertant, quòd Cœlum Inferno miſceant: quòd Corporum glorificatorum circumſcriptionem negent, *citatis ex ipſorum libris, teſtimoniis, & notatis paginis.*

Richardi Palatini iudicium de modo agendi Bergenſium. Patrum.

Richardus Palatinus Comes *quoque tribus Electoribus politicis reſpondet 21. Decemb. Se, lectâ Præfatione, propoſitum ipſorum vehementer laudare: modum autem, quo utantur Bergenſes, & qui eis addicti ſint Principes, Apoſtolorum & primitivæ Eccleſiæ conſuetudini non reſpondere. Apoſtolos enim & eorum ſucceſſores ſemper Synodo convocatâ exortas controverſias diiudicâſſe & compoſuiſſe. Librum igitur Bergenſem, Synodico conſenſu non approbatum, nullius authoritatis futurum: non ſolum enim Papiſtas & Sacramentarios, ſed etiam alios cordatos Chriſtianos eum oppugnaturos, foreque ut hoc pacto Auguſtana Confeſſio ſuſpecta reddatur Papiſtis, Sacramentariis autem anſa detur pro ſe quoque Concordiæ formulam conſcribendi, & multò plura ſuffragia ac vota per Galliam, Angliam, Scotiam, Poloniam, Hungariam, Bohemiam, Belgium, Germaniam & Helvetiam colligendi, & Proteſtantes condemnandi Omnium judicia & Cenſuras, de hac Formula exhibitas, contemptui habitas atque neglectas eſſe. Dictu periculoſum eſſe, hunc librum veram declarationem Auguſtanæ Confeſſionis eſſe: inde enim ſequuturum, Proteſtantes ante hanc Formulam vero ſenſu Auguſtanæ Confeſſionis caruiſſe. Doctrinam de Libero arbitrio in hôc Libro defendi, quæ Illyrico reprobetur. Authores etiam hujus Formulæ, quum homines ſint, errare, labi ac decipi poſſe, ideoque pro norma doctrinæ non recipiendam. Præfationem quoque errores libri nequaquam emendare: In ea enim fundamentum præſentiæ verba Chriſti ſtatui, & tamen Vbiquitatem ſimul quoque approbari. Doceri quoque*, Voluntatem hominis in converſione otioſam eſſe; *quod falſum ſit, Deum enim volentes trahere. Multas etiam novas ei phraſes ineſſe, & receptas reiici. Denique, Concordiæ formulam pugnare cum vetere Vuirtenbergenſi Confeſſione. Quod ſi negotium hoc in libera Synodo liberis votis dijudicetur, ſeſe communi, & à maiore parte approbatæ receptaque ſententiæ nequaquam repugnaturum.*

De Præfatione.

Francofurtenſes, Spirenſes & Vvormatienſes ſubſcriptionem detrectant.

Hoc ipſo tempore quoque ab Electore Palatino miſſus eſt Liber Concordiæ ad Senatum Francofurtenſem, Spirenſem & Vvormatienſem, *ac poſtulata eſt ab ipſis ſubſcriptio, ſi non totius libri, ſaltem* Præfationis, *novo ac prorſus inuſitato exemplo, illi vero allegatis iuſtis cauſis & rationibus tam libri quam* Præfationis, *ſubſcriptionem ſimpliciter detractarunt.*

Landgravius laudat Bipontini conſtantiam in recuſanda ſubſcriptione.

Biponrinus 15. *Novembr. ad* Landgravium *ſcribit, tres Electores politicos diligentiſſimè ſecum egiſſiſſe de ſubſcriptione, ſed eam ſe ſimpliciter recuſâſſe. Reſpondere. Landgravius, 28. Decem. ac laudat zelum ejus, quòd fortiter ſeſe opponat, exemplo patris Vvolfgangi, qui in propugnanda veritate contra* INTERIM, *non tantum Electoribus & Principibus, ſed etiam*

Carolo

Carolo Imperatori, cujus nomen in toto orbe fuerit celebre, atque ipſis etiam Electoribus & Principibus formidabile, fortiter & intrepidè ſeſe oppoſuerit: Multa enim in Formula Concordiæ contineri, quæ veritati conſentanea non ſint, & licet typis excudatur, ſuo tamen judicio durabilem non fore, quòd ex veritate non ſit. Magnam quoque eos omnes & immortalem gratiam à poſteris inituros, qui horrendum Vbiquitatis monſtrum viriliter oppugnent. Mittit etiam illi Anhaldinorum de Libro Concordiæ judicium, in quo plurima abſurda & erronea Vbiquitariorum dogmata, in iſta Formula contenta enumerent, ex quibus lupus ovinâ pelle veſtitus facilè agnoſci poſſit: Conſultum ſibi videri, ut Philippo Ludovico *Palatino, Vbiquitatis dogma approbanti id legendum exhibeat.* Kemnitium & Schmidlinum *ad Vbiquitatem probandam in fine Libri Patrum quorundam teſtimonia adjeciſſe: reipsâ autem ſe comperiſſe ac deprehendiſſe, loca ſua teſtimonia illa pleraque ab ipſis eſſe corrupta, quibus, pro libitu, aut de ſuo quædam addiderint, aut nonnulla detraxerint, vel etiam in alienum prorſus ſenſum detorſerint.*

Landgravius ſcribit Palatino Electori de ſtatu Colonienſium.

Eodem etiam tempore Landgravius *Electori Palatino mittit formulam juramenti, quo Commiſſarii Imperatoris Colonienſes Cæſareæ Majeſtati obligare & obſtringere voluerint contra conſcientiam eorum. Simul etiam certiorem facit Celſitudinem ejus, de inſidiis Colonienſibus ſtructis, ob quas tota civitas die nocteque aliquandiu armata excubarit. Deplorat hæc in Imperio contra Religionis pacem, aliaque pacta & conventa magno cum veræ Religionis & doctrinæ damno ac detrimento fieri. Proteſtatur autem hæc mala in Imperio non parùm promoveri à nonnullis Auguſtanæ Confeſſionis Ordinibus, qui in paucorum quorundam Theologorum gratiam, non ſolùm Auguſtanam Confeſſionem, à Majoribus ſuis laudatiſſimæ memoriæ, in multis Colloquiis approbatam, præterea etiam pios aliquos & fideles doctores, Auguſtanæ Confeſſioni addictos, unà cum ſcriptis ſuis utiliſſimis, ſuſpectos reddi: adhæc magnum acervum errorum, inter Auguſtanæ Confeſſionis Theologos exortorum, accumulari eoque ipſo religionem veram in ſummum contemptum adduci patiantur: ſed etiam approbatione diſputabilis dogmatis de Vbiquitate, & eorum quæ ei adhærent, unà cum intempeſtivis condemnationibus in articulo Cœnæ, Papæ, ejuſque aſſeclis periculoſam diſputationem, quis propriè in Religionis pace comprehenſus vel non ſit, in manus porrigant. Reipsâ quoque hic intelligere poſſe Celſitudinem ejus, in Articuli octavi poſtulatione ad Colonienſes Cæſareanorum Commiſſariorum, quam nullius ponderis ſic in nova Præfatione Bergenſis Concordiæ facta declaratio, quòd condemnationes in Articulo Cœnæ tantum contra doctrinam Zuinglianorum, non perſonas ipſorum factæ ſint in Libro iſto:* Quod enim, *inquit*, à noſtris in doctrina eorum condemnatur, id Pontificii in perſonis ipſis, earumque liberis, uxoribus & facultatibus exequuntur. *Orandum itaque Deum eſſe, Auguſtanæ Confeſſionis Principibus ac Ordinibus oculos & corda aperiat, ut præſentem rerum triſtiſſimum ſtatum aſpiciant, & quæ inde exoriri poſſent gravia pericula advertant, iiſq; maturè, eâ quâ par eſt viâ, obviam eant, &c.*

Litera de magnitudine, quo alii ſubſcriptionem urſerunt, alii recuſarunt.

De hoc ingenti ac indefeſſo ſtudio Principum quorundam, ac Theologorum Bergenſium, in primis Schmidlini & Selnecceri, quo alterius partis Principes ac Ordines ad ſubſcriptionem quacunque ratione pellicere conati ſunt, & ſumma conſtantia quâ hi ſubſcriptionem recuſarunt, vir quidam doctus & in aulis Principum notus ſic ad D. Rodolphum Gualterum *ſcripſit Anno* 80. *Martii menſis:* Etſi legati Electorales cum Theologis re infectâ Caſſellis diſceſſerunt, tamen non deſierunt Bergenſes in aulis per conſiliarios Principum ex eo tempore novis cuniculis ſubinde actis conari, tum ut fratres Landgravii arte diſtraherentur, tum ut Vuilhelmo Landgravio perſuaderetur ſaltem, non velle ſe Libro Concordiæ adverſari, neque ſuis permittere, ut contrà aliquid ſcribere audeant. Sed quanquam non alieni à ſubſcriptione Libri fuerunt duo ex fratribus Landgraviis, *Ludovicus*, qui in Bacchanalibus nuper apud affinem Ducem Vuirtenbergenſem fuit, & *Philippus*, qui ſororem Electoris Palatini uxorem habet: tamen *Vuilhelmi* authoritate & Conſiliariorum prudentum ac moderatorum ſtudio & diligentiâ receptio & approbatio Libri apud fratres cæteros Landgravios impedita fuit. Et *Vuilhelmus*, ſi omninò Liber edendus ſit, cujus publicationem ante Synodum legitimam, toties graviſſimis cauſis allatis diſſuaſit, oſtendit, ſe & Eccleſiarum ſuarum, & conſcientiæ, & famæ ſuæ rationem habiturum eſſe. Poſthæc *Volateranus*, & qui cum eo fuerunt Electorum Legati, omnibus machinis admotis *Anhaldinum* Principem in ſuas partes attrahere conatus eſt. Qui cum ſuorum Theologorum de nova Libri Præfatione cenſuram, legatis exhibuiſſet, illi Refutationem quandam larvatam oppoſuerunt, plenam virulentis adverſus *Amlingium* conviciis, ſed fucatam tamen callidis χρηστολογίαις, quibus Principi adulabantur, ut faciliùs ei approbationem Libri perſuaderent, & Theologos ſuſpectos atque inviſos ipſi redderent. Verùm Princeps reſpondendi ſuis poteſtatem fecit: qui Apologiam luculentam ſcripſerunt: à cujus lectione ut averteret *Volateranus* Electorem Saxoniæ, nimis illam prolixam cauſatus, author Saxoni fuit, ut is

propriâ manu literis ad Anhaldinum ſcripris, poſtularet ſuis ut Theologis, Illi interrogaturo, quæ pagella literis Saxonis addita continebat, proponeret, atque ad ea vel affirmando, vel negando ſimpliciter reſpondere juberet. Sic enim futurum eſſe putavit, ut Zuingliani nominis invidiâ Theologis Anhaldinis conciliatâ, aut ejiciantur rectè ſentientes, aut deinceps ab omnibus deliberationibus Theologicis removeantur. Iſtis ergo inquiſitoriis Articulis dictus fuit Martii menſis dies octavus, ſed gravi ſub pœna interdictum eſt ſingulis, ne quid cuipiam ab ipſis pateſieret. Quis verò eventus ſecutus ſit, nondum hoc tempore ſcire potuimus. Sub initium verò Aprilis in Dania convenient rurſus multi Principes, atque inter eos etiam Elector Saxoniæ. Nec dubium eſt, ibi quoque de Libri ſubſcriptione actum iri. Daniæ Rex, qui veteri jure regni Holſatiæ Ducibus eo tempore feudalia jura confirmabit, eo animo eſſe ſcribitur, ut in ſuo regno nihil imprudenter in relegione innovare velit. Ad componenda verò diſſidia Eccleſiaſtica alibi mota, generalem Synodum convocari cupiat, neque obſcurè præ ſe ferat, velle ſe conſilia iſta de Synodo generali rata eſſe, eamque convocationem, quantum in ipſo ſit, promovere atque juvare. Eccleſiæ Danicæ alioquin prorſus quietæ eſſe feruntur, neque ab eo tempore quicquam mutatum aut innovatum eſt, quo impulſu Saxonis dimiſſus eſt ex Academia Hafnienſi Hemmingius, qui nunc in vicinia Roſchildiæ privatus degit, &c. *Hæc ille.*

CAPVT XXXII.

Ioannis Palmerii Nullitatis Proteſtatio adverſus Bergenſium injuſtas Condemnationes in Libro Concordiæ factas: ejuſque Replica Andreæ Pouchenii, cum Duplica Ioannis Franciſci Aſpaſtis pro Palmerio.

E*Dita quoque eſt Anno* 1579. *à* Iohanne Palmerio Nullitatis Proteſtatio, *adverſus Concordiæ librum: quæ varias cauſas oſtendit, propter quas nullo modo legitimum eſſe poſſit authorum & compilatorum Libri Concordiæ contra Orthodoxas & rectè ſentientes Eccle-*
Prima Nullitas. *ſias judicium & condemnatio.* Primò, *incompetentiam ipſorum, ſic enim vocat* Palmerius, *primùm ex variis Iudicum generibus, ſive ex ratione & notis, quibus veri ac legitimi judices conſtituuntur, ac definiuntur, in prima Nullitatis exceptione probare voluit. Atque per partium remotionem oſtendit, nullas ejuſmodi notas in illis Sex Condemnatoribus reperiri, qui tantam ſibi in omnes Eccleſias authoritatem arrogarunt. Neque enim vel ipſo jure illos juriſdictioni eorum præeſſe, quos damnant: neque illis ad hanc cauſam, ab iis, qui in hac poteſtate ſunt præditi, datos eſſe judices: neque etiam à partibus ipſis fuiſſe hujus cauſæ arbitros conſtitutos & electos: utpote qui non niſi per famam & rumorem illis ſint cogniti. Inde ergo concludit, illos condemnatores exterarum Eccleſiarum, incompetentes eſſe judices, ideoque eorum condemnationes nullas eſſe. Ne autem è medio profani fori hanc, vel legitimorum judicum dijudicationem, vel illegitimorum & incompetentum recuſationem hauſiſſe videretur.* Palmerius: *aliquot exemplis è Scriptura tum veteris tum novi Teſtamenti petitis, oſtendit etiam in Dei Eccleſia hujus ordinis judiciarii uſum fuiſſe.*

Ac primmum Chriſti exemplo probat, non licere cuiquam quantavis alioqui authoritate, aut prudentiâ prædito, munus judicis ſibi in quenquam, etiam alterâ parte conſentiente & requirente, ſine legitima vocatione uſurpare. Tum in Iſraelitica Repub. ita juriſdictionis fines, & judicium inferiorum poteſtatem fuiſſe olim à Deo ipſo diſtinctam, ut etſi omnes Iſraelitæ ſub iiſdem legibus, ſubque eodem Monarcha Deo, & ſupremis judicibus ab ipſo conſtitutis viverent; non liceret tamen ulli unius civitatis inferiori Iudici, in alterius cives quicquam decernere. Poſtremò oſtendit etiam Pauli exemplo, licere piis ac fidelibus incompetentium Iudicum temerarias ſententias & condemnationes ſecurè contemnere, & ab illis ad Deum juſtum Iudicem provocare. Ex quibus hoc effectum vult Palmerius, *juſtiſſimam cauſam ſubeſſe, à ſex illorum Bergenſium judicum incompetentium condemnationibus, quæ ipſo jure nullæ ſint provocandi.*

Secundò, *indignitates illas, quas prius* Pal- Secunda Nullitas.
merius *Sex iſtis judicibus ex judiciorum Ordine objecerat, nunc ex ipſo perſonarum ſtatu ſeu qualitate deſumit, quo eorum ſententias & damnationes iniquas & illegitimas eſſe comprobet. Hujus generis* prima *indignitas eſt, quòd Vbiquitatis doctrinam novam, erroneam & impiam à Concordiæ Libri authoribus jampridem in Eccleſias Germaniæ invectam fuiſſe, atque hoc ipſo Libro Condemnationum omnibus ab ipſis obtrudi ſubſcribendam dicit, Hinc infert, meritò eorum judicium & ſententiam repudiatum & reſciſſum iri, tanquam ab iis profectam, qui quum ipſi in fide errare accuſentur, non ſint idonei judices, neque ex verbo Dei, neque ex veterum Patrum*

Eccle-

Eccleſiaſtica diſciplina, neque adeo ex legibus ipſis civilibus: Omni itaque jure eorum judicia & ſuſpecta & damnanda eſſe, niſi hoc tanto crimine liberentur. Secundam indignitatis iſtorum Condemnatorum rationem in eo ponit Palmerius, quod ſint ἀλλοτριοεπίσκοποι ſeu πολυπράγμονες, id eſt, alienarum rerum curioſi inquiſitores & inſpectores, magis quàm propriarum: qua de cauſa meritò ſint rejiciendi. Tertiò, deſertionem ſuarum Eccleſiarum, ambitionem & avaritiam nonnullis ex iſtis Patribus Bergenſibus objicit Palmerius. Quartò, diſſenſiones, pugnas, odia, rixas, quibus iſti violenti condemnatores inter ſeipſos conflictantur: ut inde quoque probaret, quam minimè idonei ſint ad compeſcendas aliarum, imo omnium Eccleſiarum controverſias, qui inter ſe conciliari non poſſunt, quique dum ſuas rationes, in Concordiæ Libro comprehenſas, Principibus maxime idoneas eſſe perſuadere conantur, ad omnes contentiones & diſputationes ſedandas, nihil aliud agunt, quàm ut diſſidia hoc ſuo ἰδίῳ μάλῳ magis magiſque augeant & exaſperent: & dum ſeſe ſimulant totos eſſe in pace Eccleſiarum cudenda, nihil aliud quàm claſſicum diſcordiæ & belli canant. Quintò, taxat eos infamiæ & immanitatis propter fœdiſſimum ingratitudinis crimen adverſus ſummum illum & præſtantiſſimum virum Philippum Melanchtonem non tam ipſorum, quàm omnium, quicunque hodie in orbe Chriſtiano literatorum nomen obtinent, magiſtrum & præceptorem: Cui quum nuper vivo ac florenti, tantaque authoritate apud ſummos quoſque Principes prædito, blandiſſimè aſſentirentur, ejus nunc mortui memoriæ inſultare non deſinant, & ejus ſcripta è piorum manibus excutere, atque adeò pro hæreticis obliterare & extinguere. Eos autem qui infamiâ notati ſunt, neque teſtes jure eſſe, neque publica munera obire leges permittunt, quanto minus in Eccleſia dominari, & jus ſententiamque adverſus legitimos conſervos dicere?

Tertia Nullitas.

In tertia Nullitate conqueritur Palmerius, de non obſervato ab iſtis Condemnatoribus legitimo judiciorum ordine: & ſententiam iſtorum ſeu Condemnationem ideò nullam eſſe, aut certè illegitimam & iniquam aſſerit, quòd indictâ cauſâ, & partibus non modò non auditis, verum ne citatis quidem, aut evocatis, prolata ſit: adverſus verum, ac ſacrum apud omnes gentes judiciorum morem & ordinem.

Quarta Nullitas.

In quarta aſſerit, Patres Bergenſes in Concordiæ Libro ſolius Lutheri ſcripta, etiam Polemica, pro authentica, & SacroSancta purioris doctrinæ & ſynceræ fidei regula, certiſſimoque fundamento omnibus Eccleſiis conari obtrudere: & eos qui id facere recuſarint ab ipſis damnari & proſcribi tanquam hæreticos. Hinc infert, Patres iſtos meritò ab omni Eccleſiaſtica dignitate ſecludendos eſſe, tanquam ſacrilegos, nedum ut pro judicibus legitimis Eccleſiaſticarum controverſiarum agnoſci aut poſſint aut debeant. Non enim licet cuiquam in Eccleſia ſine crimine, humana ulla ſcripta, Canonicis Scripturis exæquare, paremve illis authoritatem atque prærogativam tribuere, ut inde homines vel certum ſibi fidei fundamentum ſumere cogantur, vel in ea inquirere, eáve repudiare vetentur.

Quinta Nullitas.

In quinta & ultima Nullitate rejicit Condemnatorum iſtorum judicium & Cenſuram propter modum valde importunum & illegitimum, quo uſi ſunt in colligendis ſubſcriptionibus & ſuffragiis.

His omnibus Patres & Condemnatores iſtos juſtiſſimis rationibus convincere & ad ſaniorem mentem, ac vere Eccleſiaſticum Ordinem, & Chriſtianum inſtitutum revocare voluit Palmerius: Ideoque ſuas illas Proteſtationes Illuſtriſſimis Principibus Germaniæ examinandas humillimè ac reverenter propoſuit, ut illi ipſi gravioribus malis atque periculis quæ ex immoderatis Theologorum ejuſmodi concertationibus jamdudum Germaniæ imminent, juſtum pro ſua pietate remedium quærere tantorumque diſſidiorum flammas prudenti conſilio exſtinguere dignentur: nec patiantur diutius ſua authoritate & nomine Illuſtriſſimo, turbulentos ejuſmodi & ambitioſos homines, ſpecioſo Religionis prætextu abuti.

Andreæ Pouchenii Reſponſio ad Palmerii Nullitatis Proteſtationum.

Huic verò tam moderato, tam neceſſario, tamque juſto Proteſtationum ſcripto mox Andreas Pouchenius, nuper ex Ludimagiſtro Brunſvicenſi Lubecenſis Superintendens factus, virulentam oppoſuit Reſponſionem. Is enim repentè Theologus factus, arbitratus eſt, ſe in Palmerii breviſſimo ſcripto juſtum argumentum nactum eſſe, in quo tyrocinium ſuæ Theologiæ ageret, & nomen atque famam aliquam apud exteros quæreret, quâ ad altiores honores poſſet tãdem evehi, Vueſtphali, Heſshuſii, Vuigandi & aliorum exemplo, qui etſi obſcuri, & alioquin non admodum inter eruditos probati eſſent, tamen quod in Sacramentarios (genus hominum apud gentes illas Septentrionales, magis ex famoſis quorundam libellis, quam ex illorum vel doctrina, vel moribus notum, ideoque odioſiſſimum) ſtylum ſuum acuiſſent, ſtatim omnibus in ore, & apud vulgus ſummo in pretio atque exiſtimatione eſſe cœperunt, & ita paulatim ad Præfecturas & Epiſcopatus optimos evecti ſunt. Hac etiam ſpe fretus Pouchenius, reſpõſionem inſtituit adverſus Palmerii juſtiſſimas Proteſtationes, in qua profudit quicquid calumniarum, cõvitiorum & execrationum excogitare pro ſua virulenta facundia, & facunda virulentia, nocte dieq; potuit: eaſq; non ſolùm in Palmerium ipſum, ſed ſimul in omnes, tum Eccleſias, tum viros pios evomuit, quorum ille cauſam modeſtiſſimè defendit, nullâ uſquam vel in Principes, vel in Eccleſias, vel in ullos pios atque pacificos Paſtores, Scholarchas,

aut alios bonos viros, etſi à noſtris in quibuſdam diſſentientes, objectâ injuriæ notâ. Quippe qui hunc, ſicut paulò ante quoque diximus, duntaxat ſcopum propoſitum habuerit, ut ſolos hos condemnatores juſtiſſimis rationibus convincere, & ad ſaniorem mentem, ac verè Eccleſiaſticum Ordinem & Chriſtianum inſtitutum revocare ſatageret.

Refutatio primæ Nullitatis quinque rationibus ſeu capitibus conſtans. Prima ratio.

Quod autem ad refutationem ipſam Pouchenianam primæ Nullitatis Palmerianæ attinet, ait primùm, Vanum & elumbe eſſe ſophiſma, quòd has condemnationes nullius eſſe ponderis & authoritatis ideò duntaxat Palmerius pronuntiet, quia in Germania ab illis editæ ſint, qui nihil juris & poteſtatis in procul diſſitas, & longè lateque per varias Regiones, regna, gentes diffuſas Eccleſias, ſibi vindicare poſſint.

Sophiſma autem poſt aliquot paginas in eo eſſe contendit, quòd politica axiomata ad res fidei, Palmerius perperam accommodet: & ita per fallaciam ſecundum plures propoſitiones, delâbatur ad materias diſſentaneas & abhorrentes. Hæc eſt præcipua ratio, quâ Pouchenius hanc primam Palmerii Proteſtationem longis ambagibus & verborum ampullis eludit magis, quam refellit.

Ratio 2. Secundo, Calviniſtarum, quos vocant, exemplo atque propriâ Confeſſione confirmare & evincere nititur Pouchenius, liberum eſſe in alienæ Iuriſdictionis homines etiam invitos, & minimè conſentientes judicium hæreſeos proferre.

Ratio 3. Tertiò loco exempla Scripturæ, quæ à Palmerio in Nullitatis illius ſuæ Confirmationem allata ſunt, quantum poteſt elevat ac diluit.

Ratio 4. Quartò, exemplis è ſcriptis Apoſtolicis, & ex hiſtoria Eccleſiaſtica, confirmare illam ſuam primam reſponſionem conatur.

Ratio 5. Poſtremò, importunam eſſe omnem hanc Palmerii de iſtis condemnationibus querimoniam, quandoquidem illæ non nunc primum, ſed jam pridem in nos noſtroſque præceptores latæ ſint.

Caput 4. reſponſionis Pouchenii ad ſecundæ Palmerii Nullitatis rationem primam. Cap. 1.

Vt verò Indignitates illas ſigillatim refellat Pouchenius, quas Palmerius ſex illis Iudicibus objecerat in ſecunda Nullitate, quò eorum ſententias, & damnationes iniquas & illegitimas eſſe rurſus ex ipſo perſonarum ſtatu, ſeu qualitate, ut prius ex judiciorum Ordine fecerat, comprobet.

Primò ait, Palmerium fingere, & contra conſcientiam comminiſci, eos eſſe Divinæ cujuſdam Vbiquitatis Antiſtites: falsò enim hoc dogma, vel Libro illi Concordiæ, vel ipſius auctoribus & approbatoribus ab ipſo tribui. Imò confidentiſſimè affirmat, ne verbulo quidem Vbiquitatis in hoc Libro mentionem fieri, nedum ut Palmerius probare unquam poſſit, illud Vbiquitatis dogma eo Libro tradi, defendi & inculcari.

2. Secundò ait, Palmerium iiſdem fingere, quòd doceant Lutherani Vbiquiſtæ, Corpus Chriſti in quavis glande, nuce, pyro, &c. æquè adeſſe, quàm in pane & vino Cœnæ.

Tertiò exprobrat Palmerio, quòd in Sanctiſſimum virum Lutherum rabiosè invehatur, & ejus authoritatem arrodat, elevet & piis ſuſpectam faciat. Item, quod, ut de illo triumphum agat, illi impingere crimen ſtudeat, quòd fuerit Vbiquitatis & inauditæ omnipræſentiæ Corporis Chriſti in omnibus rebus auctor.

Quartò addit, Palmerium hoc quoque Lutheranis-Vbiquiſtis falsò affingere, quod ex Vbiquitatis generalis fundamento, ſententiam ſuam de reali Corporis & Sanguinis Chriſti præſentia in Cœna aſſerant: ita ut eversâ Vbiquitate, nihil amplius ſit ipſis reliquum, quo ſuam illam doctrinam tueantur: falſum vero iſtud eſſe Pouchenius affirmat, quandoquidem Lutherani nuſquam ita ſenſerint. 4.

Secundam indignitatis iſtorum condemnatorum rationem, quam in eo poſuit Palmerius quòd eſſent alienarum & ad ſe nihil pertinentium rerum curioſi inquiſitores & inſpectores, magis quàm propriarum, ita refutat Pouchenius, ut dicat, Palmerium primò in ea objicienda infantem, vecordem, & futilem atque pueriliter ineptientem ſeſe omnibus oſtentare, neque quicquam præclaro viro dignum proferre.

Secundæ rationis indignitatis 2. reſponſio.

Tertiam porrò indignitatis ſecundæ rationem, quam nonnullis ex iſtis condemnatoribus objecit Palmerius, quâ deſertionis ſuarum Eccleſiarum, ambitionis & avaritiæ eos accuſat, obiter tantum & perfunctoriè refellit Pouchenius. De ſua enim, & aliorum quorundam, non enim omnium dicere auſus eſt, inopia primùm conqueritur, ad iſtorum, quos notavit Palmerius, avaritiam excuſandam.

Ad quartam indignitatis rationem, in qua diſſenſiones, pugnas, odia, rixas (quibus iſti violenti condemnatores inter ſe conflictentur) objecit Palmerius, ut inde quoque probaret, quàm minimè idonei ſint, ad compeſcendas aliorum, imò omnium Eccleſiarum controverſias, qui inter ſe conciliari non poſſunt: ita reſpondet Pouchenius, ut accuſationem hanc veram eſſe inficiari quidem non auſit: ſed eam à privatis iſtis condemnatoribus, ad totas Eccleſias transferat, & cauſam diſſenſionum, quas à Lutheri morte Germanicas Eccleſias expertas eſſe fatetur, in alios authores derivet: ut ita innocentes accuſando, reos ipſos abſolvere nitatur.

In quintæ indignitatis refutatione, in qua Palmerius taxat infamiæ & immanitatis Condemnatores iſtos, ob fœdiſſimum ingratitudinis crimen adverſus Melanthonem, Pouchenius longis excuſationibus utitur, quibus ſe invitum trahi præfatur ad hanc indignitatem eluendam, atque ſuorum in Philippum ingratitudinem excuſandam. Poſtea ad refutationem ipſam accedens, de contumeliis in Melanthonem prace-

præceptorem nihil dicit, ſed cauſas duntaxat recenſet, cur diſceſſerint diſcipuli à Præceptoris ſententia: & ita præcipuam accuſationis partem artificiosè eludit: ſecundam autem partem ſub finem tandem attingit, & audaci inficiatione ſe ſuoſque ab hujus accuſationis crimine egregie exemptos atque purgatos putat.

Refutatio Nullitatis tertiæ Palmerii quinque rationibus conſtans.

In refutatione tertiæ Nullitatis Palmerianæ, qua de non obſervato ab iſtis Condemnatoribus legitimo judiciorum Ordine conqueritur, & ſententiam iſtorum ideò nullam eſſe, aut certè illegitimam & iniquam aſſerit, Pouchenius primò negat ejus hypotheſin, & ſecundò etiam theſin ipſam generalem. Ac quod ad Hypotheſin quidem attinet, quinque præcipuè rationes profert, quibus contra probare contendit, injuſtè, imò & falsò Palmerium conqueri, de non obſervato à ſuis iſtis Damnatoribus, legitimo judiciorum Ordine.

1. Primùm, quòd Calviniſtarum dogma, ab illis damnatum, neque novum ſit, aut ignotum Eccleſiæ: neque dubium aut ambiguum.

2. Deinde, quòd Calviniſtarum dogma, communibus omnium ſynceriorum Doctorum ſuffragiis, jam inde ab exhibitione publica Auguſtanæ Confeſſionis, pro prava & pernitioſa hæreſi, ex invictis & immotis Scripturæ fundamentis, & piæ antiquitatis teſtimoniis, exploſum, & pro abominatione habitum, falſitatiſque convictum & damnatum fuerit.

3. In tertia ratione affirmat, fruſtra à Lutheranis tentatam fuiſſe aliquoties viam ineundæ cum Calviniſtis Concordiæ. Eventu enim ipſo atque experientiâ comprobatum fuiſſe, rem non ſeriò à Calviniſtis agi, ſed præ prætextu ſimulatæ conſenſionis eos nihil aliud quæſiviſſe, quàm ut ſic commodius ſuum venenum clam & per cuniculos, etiam in alias Eccleſias inſtillarent, Unde conficere conatur Pouchenius, omnem Lutheranorum Concordiæ ineundæ laborem, non tantum irritum, ſed & pernitioſum tum olim fuiſſe, tum fore etiam in poſterum. Ideoque omninò neceſſarium Lutheranis fuiſſe, ſi ſartam tectam doctrinæ ſynceritatem velint, remedio potius damnationum adverſus Calviniſtas uti, quandòquidem omnem operam & oleum perdere oporteat eum, qui Calviniſtas induratos in viam revocare electo novo judice, ipſiſque è toto mundo citatis, & ad cauſæ dictionem vocatis ſtudeat.

4. His addit quartam rationem, cur ſuperfluum atque inutile fuerit, ob hanc Palmerii & aliorum importunam requiſitionem, Calviniſtas de novo ad cauſam dicendam evovari, atque novum judicium inſtitui, ad Calviniſtas induratos jam iterum convincendos, aut in viam revocandos. Ratio ejus hæc eſt, Quod ſi hoc facerent Lutherani, parata Calviniſtis eſſet itidem exceptio de incompetente judice: ut qui coram eo tantum judicari velint, cujus juriſdictio tam latè pateat, quàm omnes illæ regiones, in quibus Calviniſtæ diſperſi ſunt. Quum vero talis nullus uſquam Monarcha reperiri poſſit, & paſſuri minimè ſint ſeſe extra territorii ſui fines evocari, ut qui nullius cujuſdam dijudicationi ſuas abominationes, ut Pouchenius impudenter vocat, reverâ & ſeriò ſubjicere velint: Ex his inquam tam bellè congeſtis & cumulatis falſis rationibus concludit tandem Pouchenius, falsò, & inſidioſè, doloſeque Palmerium quiritari, quod non auditi & causâ in dictâ à Bergenſibus damnentur.

In quinta ratione rurſus Palmerium miris modis, & ſparciſſimis quidem locutionibus ampulliſque exagitat atque increpat: Quaſi præter omne jus & fas ejuſmodi judiciorum ordinem in Calviniſtis damnandis à Lutheranis exigat, quem nec ipſe, nec ſui in damnandis Lutheranis Eccleſiis obſervat: quippe qui paſſim nullo judiciorum Ordine Ubiquitatis & Conſubſtantiationis dogma flagitioſiſſimis epithetis conſpurcent & conſpuant: qualia ſunt illa ἀρτολατρείας, θεοβρωσίας, σαρκοφαγίας, αἱματοποσίας, Impanationis, Companationis, Subpanationis, Deipiſti & ſimilia: quibus ait Chriſtum ipſum in ipſis condemnari, cujus verbis Lutheranorum de Cœna Domini opinio, quam Calviniſtas excrementum Satanæ vocare non pudeat, non minus conſona ſit, quàm lac lacti eſt ſimile. 5.

Tertiæ Nullitatis Palmerianæ refutationem ad tria potiſſimùm capita retuliſſe videtur Pouchenius. Nam primùm in genere illa exagitat, quæ Palmerius ad demonſtrandam Lutheri de ſuiipſius ſcriptis, tum etiam aliorum de Confeſſione Auguſtana modeſtam ſententiam protulit. 1. Ait enim, Calviniſtas ideò conari extenuare Lutheri ſcripta, quòd tam perſpicuis Lutheri teſtimoniis ipſorum de Cœna Domini doctrinam protriverit: ut non modò inſipida omnia, & futilitatis plena, vana denique & abſurda ſomnia, & commenta apparuerint olim, quæcunque à Calviniſtis adverſus tam firmas Lutheri rationes fuerint oppoſita. ſed & eos ipsâ experientiâ adhuc hodiè convictos teneat, non poſſe deinceps ullo eruditionis robore, Lutheri fundamenta everti: Ideo quærere eos alia ſui dogmatis remedia, nempe, ut omnem fidem atque authoritatem ſcriptis illius apud rudes & imperitos detrahere conantur.

Nullitatis tertiæ refutatio tribus capitibus conſtans.

In ſecundo Capite ait Pouchenius, fingere Palmerium, quòd Lutherani ſcripta Lutheri Sacræ Scripturæ & primis Eccleſiæ Conciliis exæquent: & ſic firmiter illis inhæreant, ut æquè in ſcripta Lutheri; atque in ipſum Dei verbum homines jurare compellant. Hoc Pouchenius conatur excuſare, & oſtendere à Palmerio confictum eſſe. Fatetur imprimis, Lutheranos tantum ſcriptis Lutheri, tam polemicis quam didacticis tribuere, ut illa longè anteferant omnibus 2.

Scriptoribus Sacramentariis. Deinde dicit, ſic illa immotâ certitudine, & evidenti veritate doctrinæ Cœleſtis conſtare, & eâ fide, præmeditatione, diligentiâ & judicii dexteritate per Spiritum Sanctum à Luthero *condita fuiſſe, ut in iis nihil quicquam reperiri poſſit, quod non illuſtribus indubitatiſque fundamentis ſuperſtructum ſit. Tertiò addit, Illius ſcripta talia fuiſſe, quæ hominum animos percelluerint, & non tantum in ſui admirationem, ſed etiam in ſtuporem Lectores rapuerint, adeò ut multi qui regno Pontificio ſtrenuè militarant, & veræ doctrinæ odio toti ardebant, lectione librorum ejus ſic fracti ſint, ut Papatui nuncium remiſerint & Evangelici effecti ſint. Negat poſtmodum, Lutheranos, quocunque tandem in pretio aut honore Lutheri ſcripta habeant, eodem tamen illa loco quo Sacram Scripturam habere: aut ita amentes eſſe, ut non diſcernant inter verba ſeu ſcripta Spiritus Sancti & hominum. Denique negat, ipſos quenquam cogere, ut in verba juret* Lutheri. *Vt verò hoc hominibus perſuadeat, recitat quo ordine & loco illa à Lutheranis conſtituantur, quoties de fidei & doctrinæ Eccleſiarum ſuarum fundamentis agatur. Principem nempe eos locum dare Libris Canonicis Sacræ Scripturæ: Secundum ab illis tribus receptis in Eccleſia veteri Symbolis: Tertium Auguſtanæ Confeſſioni & ejus Apologiæ: Quartum deinceps Articulis Schmalcaldicis, utrique Lutheri Catechiſmo & aliis ejus ſcriptis. Quæ* Pouchenius *quidem affirmat ideò, Eccleſiarum Lutheranarum approbatione per multos jam annos eam authoritatem eſſe adepta, ut in rebus fidei eis nitantur, quòd doctrinam fidei complectantur Sacræ Scripturæ conſentaneam: non autem propter ſcribentis perſonam & authoritatem.*

Refutatio quintæ Nullitatis Palmerii.

In quintæ & ultimæ Nullitatis refutatione Pouchenius *ait* Palmerium *ſuo more ſine fronte fingere, quicquid in forma colligendarum ſubſcriptionum ab iſtis ſex Theologis factitatum fuiſſe declamitet. Vana enim omnia & meras nugas eſſe quæcunque hic proferat, pollicetur ſe ex vera rei commemoratione commonſtraturum. Ac primùm quidem probare conatur, minimè arcanam & clandeſtinam fuiſſe eam procurandæ veræ religionis, quam iſti inierint rationem, ſed ex neceſſitate ab aliquot tantùm Saxonicis & Vuirtenbergicis Eccleſiis ſuſceptam: tum quòd Sacramentarii illis inſidias facerent, eorumque fidem ſuſpectam & odioſam apud omnes redderent, eamque inſectarentur & traducerent: tum quòd Pontificiis ex diſſidiis Lutheranarum Eccleſiarum triumphum captarent, jactantes, non ſupereſſe jam inter Lutheranos Theologos duos vel tres, qui de doctrina per omnia ſententiis convenirent. Has ergo rationes effeciſſe, ut initio de controverſis doctrinæ capitibus pauci articuli in Vuirtenbergicis Eccleſiis conſcriberentur, complectentes, theſin veræ ſententiæ, & ſimul antitheſin repugnantium opinionum: quos Articulos judicio Eccleſiarum Saxonicarum, quæ in veritate perſtiterunt, ſubjecerint: ut ſine omni metu candidè & liberè ſinguli Theologi ſuam ſententiam de illis exponerent, vel addendo, vel mutando & demendo, vel tranſponendo, commodius denique ac rectius, uti res poſtulare videretur, eos explicando, habitâ diligenti non modò rerum & doctrinæ, ſed & phraſium in Eccleſiis receptarum ratione.*

Pouchenius nimium credulus.

Ferunt hunc Pouchenium *Brunſvigæ in vicinarum ædium cacumen, per apertas ſcalas aſcendiſſe, ut filiolum ſuum, quem ſurſum fuiſſe à grue in nidum ſublatum, & aſportatum firmiſſimè credidit, è faucibus & ungulis ejus maturè eriperet & periculo liberaret. Quo minus mirum Lectori videri debet, ſi eadem credulitatis fatuitate, multa de Zuinglianis & Calviniſtis imaginatur* Pouchenius *cum ſociis, quæ nuſquam vel acciderunt, vel ab illis aut facta, aut dicta, aut etiam cogitata ſunt, ſed quia duntaxat ab ipſorum Antagoniſtis hæc illis objici acceperit.*

Ioan. Franciſci Aſpaſtis pro Palmerio adverſus Pouchenii criminationes Defenſio.

In hanc virulentam planeque ſophiſticam Andreæ Pouchenii *criminationem, quam adverſus* Palmerium, *ejuſque juſtas & neceſſarias Proteſtationes conſcripſit; pro eodem* Palmerio *ſequenti mox Anno* Ioannes Franciſcus Aſpaſtes *Salaſſus juſtam & neceſſariam edidit Defenſionem. Et quoniam* Pouchenius *in ſuo ſcripto injuſtas Bergenſium Patrum condemnationes ita defendendas ac confirmandas ſuſceperat, ut ſimul totum Eccleſiaſticum in dijudicandis doctrinis, & convincendis damnandiſque hæreſibus, ordinem, non modò pervertere, ſed funditus etiam abolere: & inſuper doctrinam Calviniſtarum, quos ita vocant, de Cœna Domini tanquam impiam & blaſphemam convellere & infamare apud omnes gentes ſtuduit; eum* Aſpaſtes *tum ex*

Aſpaſtis Defenſionis ordo.

Prophetarum & Apoſtolorum firmiſſimis fundamentis; tum ex totius veteris Eccleſiæ perpetuo uſu; tum ex ipſis Canonibus ſeu Eccleſiaſticis legibus, atque piorum Chriſtianorumque Principum conſtitutionibus; tum denique ex puriorum Patrum teſtimoniis confutandum ſuſcepit. Deinde, *quod ad condemnationes Bergenſium attinet, quas* Pouchenius *ex iis quæ antehac cum Calviniſtis in Germania geſta ſunt, authoritatem & confirmationem habere jactavit in ſuo ſcripto, eas* Aſpaſtes *contrà iniquas prorſus eſſe, novas & inſolentes, repetitâ Sacramentariæ noſtrorum temporum controverſiæ, perpetuâ certiſſimaque hiſtoriâ, manifeſtè demonſtravit.* Poſtremo *præcipua doctrinæ de Cœna Domini capita, quæ à Lutheranis hodie in Calviniſtis damnantur, ex puriorum Patrum claris & perſpicuis locis ita confirmavit, ut omnibus, qui totam hanc cauſam, depoſitis præjudiciis, ſyncerè expenderint, facilè*

conſtare

conſtare poſſit, nullas in Calviniſtas condemnationes ferri poſſe, quin unà cum ipſis tota pia Antiquitas injuſtiſſimè damnetur. Et quia hæc eruditiſſima Aſpaſtis Defenſio *multa continet, quæ ad hiſtoriam non ſolum Libri Concordiæ, ſed totius etiam Sacramentariæ cauſæ pertinent, deque ea ſcitu valdè neceſſaria ſint, utile erit, fortè ingratum veritatis ſtudioſo Lectori, præſertim cui Defenſio illa ad manum non eſt, breviter inde hic adſcribere.*

Primæ rationis Pouchenianæ contra Palmerii primam Nullitatem refutatio. Paſtores ſui gregis curam gerere debere, & ſi neceſſitas poſtulet, alios etiam cõſulere poſſe.

Quod igitur ad primam rationem Pouchenianam attinet contra primam Palmerii *Nullitatem, in qua quærit, an iſti Bergenſes Patres judices ſint, & quo jure, quòve titulo judicandi poteſtatem alias Eccleſias acceperint? contendit* Pouchenius, Non eſſe neceſſe ut in rebus fidei idem ordo obſervetur, qui in Politicis judiciis, ubi de rebus terrenis agitur. Nec enim requiri, ut cui quempiam de hæreſi aut aliâ impietate condemnare volet, illum ſuæ poteſtati & ditioni ſubditum habeat, nec adeò ut illum pro legitimo judice ſuo agnoſcant, qui damnantur. *Aſpaſtes contra dicit, hunc ſemper fuiſſe in Eccleſia ordinem, in rebus Eccleſiaſticis dijudicandis uſitatum, ut ſinguli Paſtores in ſuum gregem, ſimul cum ſenioribus illis adjunctis inquirant: & ab eo omnes hæreſes & errores avertant, atque in ſuæ fidei commiſſos duntaxat cenſuram Eccleſiaſticam, cum cauſa cognitione, exerceant. Probat hoc ex Tertulliani Apologetico cap. 39. Syneſii epiſtola 5. Cypriani epiſtola, 46. 47. 48. Quod ſi Presbyterium alicujus privatæ Eccleſiæ, ad terminandas controverſias in ea ortas non ſufficeret, tum recurſum fuiſſe ad quaſdam primarias Eccleſias, aut denique ad Synodos: Probat hoc ex Cypriani epiſtola 47. Oſtendit etiam pagina 64. hunc Ordinem à Deo ipſo in Eccleſia fuiſſe inſtitutum inde ab initio ingreſſus populi Iſraelitici in terram ſanctam. Eundem ordinem quoque demonſtrat pagina 69. & ſequentibus, tam in Apoſtolica, quàm in primitiva Eccleſia uſitatum fuiſſe. Ex quibus omnibus infert pagina 77. & ſequent. eos demum juſtos ac legitimos, tum doctrinæ, tum morum cognitores, cenſores atque judices habitos fuiſſe apud veteres, qui de controverſiis quidem ad privatum aliquem gregem pertinentibus, in proprio presbyterio, de illis verò quæ ad totam provinciam referenda erant, vel ad univerſas Eccleſias ſpectabant, in Synodo illius Provinciæ legitimè coacta, aut in generali, utraque parte præſente, & causâ diligenter ex puro Dei Verbo examinatâ judicarent. Qui verò hunc ordinem pervertebant, & de rebus nullo modo ad ſe pertinentibus, vel cognoſcere, vel judicare præſumerent, illorum audacia in iiſdem illis legitimis Synodis publicâ authoritate omnium arguebatur & retundebatur. Hinc etiam originem habent diſtinctiones Epiſcopatuum, Provinciarum Metropoleωn & Patriarchatuum: de quibus agit, pagina 78. & 79. Cum itaque infauſta illa de modo præſentiæ, & manducatione Corporis Chriſti controverſia, non ad unam aliquam Germaniæ, aut Eccleſiam aut Provintiam pertineat, ſed ad quamplurimas diverſarum Provinciarum, ac nationum Eccleſias: neque adhuc illam examinandam & componendam, ulla unquam Synodus coacta fuerit, concludit* Aſpaſtes, *non magis unam vel alteram Germaniæ Eccleſiam, de omnibus aliarum nationum Eccleſiis ſtatuere poſſe, quàm olim vel Africanæ de Aſiaticis, vel Orientales de Occidentalibus Eccleſiis jure ſtatuiſſent.*

Refutatio ſecundæ rationis.

Secunda *ratio* Pouchenii *contra* Palmerii *primam Nullitatem hæc eſt*: Calviniſtæ damnant Anabaptiſtas, Papiſtas, Antitrinitarios Vbiquiſtas, *&c.* ergo hoc axioma de non damnandis iis qui non ſunt noſtrę poteſtatis, ſophiſticum eſt, nec in Eccleſia locum habet. *Reſpondet* Aſpaſtes, *Afferre inconveniens, non eſſe ſolvere argumentum. Etſi enim vel* Palmerius *vel alius quiſpiam ex noſtris temerè uſurpatâ poteſtate & per ſimilem ἀταξίαν contra Eccleſiaſticum Ordinem aliquot condemnaſſet, nullo modo tamen id ſex iſtorum Theologorum factum excuſaret, cum mala exempla ſequi nulli Chriſtiano permiſſum ſit.* Secundò, *negat verum eſſe, quod à* Pouchenio *noſtris objicitur.* Tertiò, *diſquirit, quid ſimile ſit inter illas, quas noſtris objicit, condemnationes, & has de quibus noſtri conqueruntur. De ſimilibus enim, non de diſſimilibus idem fit judicium.*

De quo condemnandi genere agatur.

Priuſquam verò de ſingulis ſectis reſpondeat, ante omnia monet, non de quovis condemnationum genere hic agi, ſed de eo demum quo perſonæ ipſæ, imò integræ etiam Eccleſiæ, ob unum aut alterum controverſum dogma, à privatis aliquot Theologis damnantur. & ita quidem, ut non ſolum nomen veræ Eccleſiæ, & omnis ſalutis ſpes illis adimatur, ſed & à pace publica Religionis Chriſtianæ fiant extorres, & Magiſtratibus tandem puniendi, abigendique in exilium, aliòve ſupplicii genere coercendi, neque auditi, neque convicti, exponantur. Ejuſmodi dicit eſſe condemnationes illas ab iſtis ſex Theologis in omnes, qui vocant Sacramentarios, immeritò & illegitimè decretas. Vt ut enim iſtud verbis diſſimulent, atque etiam negent, & errores quidam eorum dicant tantùm illo ſcripto damnari, non perſonas Eccleſias: res ipſa tamen loquitur, eo tendere ipſorum conſilia, primùm ut totâ Germaniâ pellantur, atque tum proſcriptionibus, tum etiam carceribus aut exiliis mulctentur, quotquot poſt hujus formulæ Concordiæ publicam approbationem, Sacramentarii eſſe ab iſtis judicati fuerint. Deinde, ut cum exteris Eccleſiis, quæ Calviniſmum, ſeu Zuinglianiſmum profitentur, nulla unquam amicitia, nulla Chriſtiana fraterni-

fraternitas intercedat, ſed omnis in perpetuum aut mutuæ de hoc dogmate communicationis, aut tranſactionis & conciliationis via intercludatur: Vt denique pro hoſtibus Chriſti non ſecus ac idololatræ, imò ut Turcæ ipſi, & judicentur, & publicè proclamentur. Teſtantur hoc infinita iſtorum Theologorum ſcripta, & inprimis Teſtamentum Brentii*: vide pagina 90. Concordiæ etiam Liber nihil aliud ſpirat, quàm hujus Teſtamenti ſedulam executionem. Ipſe quoque* Poucheniu*s paſſim in ſuo ſcripto omni perſequutionum genere dignas eſſe noſtras Eccleſias pronuntiat. Hujus generis Condemnationes ſi* Pouchenius Palmerio *quoque, aliiſque noſtrarum Eccleſiarum Doctoribus adſcribit, ea in re ſummam illis injuriam facit. Vbi enim vel verbulum de ſimilibus condemnationibus vel in hoc* Palmerii *ſcripto, vel in aliis invenitur? Intelligit igitur Lector, de qua condemnandi forma & ratione conqueratur* Palmerius*: quàm certe nec in Eccleſia aliquando fuiſſe uſitatam unquam probari, nec à noſtris in quenquam aliquando uſurpatam, ideoque injuſtam illam eſſe & illegitimam negare amplius nemo poteſt.*

Diſcrimen condemnationis recentis dogmatis & eius quod verbo Dei & Catholicæ Eccleſiæ conſenſui repugnat.

Præterea, ut melius de utrorumque condemnationibus judicari poſſit, docet Aſpaſtes*, aliud eſſe damnare recens natum dogma, & nuper in controverſiam à quibuſdam vocatum, aliud verò reprobare dogma palam Verbo Dei, & perpetuo veræ & Catholicæ Eccleſiæ conſenſui repugnans, aut ab hæreticis vetuſtioribus manifeſtè repetitum ac interpolatum, & à priſcis generalibus Synodis, damnatum. Nam prioris generis dogmata, non niſi novâ ac diligenti prius eorum habitâ examinatione & inquiſitione, atque apertâ ex Verbo Dei refutatione, auditis & convictis iis legitimè qui illa defendunt, a quoquam damnari poſſe, exempla Patrum Orthodoxorum & veteris Eccleſiæ ſatis oſtendunt, qui nullis laboribus, ſtudiis & ſumptibus pepercerunt, ut Synodi ad convincendos novos hæreticos convincerentur & damnarentur. Habuerunt etiam priſci hæreſeωn & hæreticorum aliquem delectum, nec omnes peraquè ex Eccleſia, etiam ſæpius convictos, detruſerunt, ſed multa patientia quoſdam tolerarunt, damnato dogmate, retentis tamen in fidelium numero iis, qui illud defendebant, quod de Cypriano præſertim legimus. Quam humaniter etiam cum reliquis Donatiſtis actum ſit, videre licet tum ex Carthaginenſi Concilio, tum ex Auguſtini epiſtola 163. Alia eſt autem ratio ſi dogma tale in Eccleſia aliqua exoriatur, quòd manifeſtè pugnet cum Verbo Dei, & fundamentis fidei, aut cum Symbolo Apoſtolico, quodque jam olim legitimè fuerit & confutatum & damnatum.*

Ex his facilè judicari poteſt de veris ac legitimis hæreſeωn aut hæreticorum condemnationibus noſtri ſeculi. Et quod ad dogma Calviniſtarum attinet, quod illud cum Verbo Dei & veterum puriore doctrina pugnet, clamant quidem Vbiquiſtæ, noſtri autem id conſtantiſſimè ſemper negarunt, atque inſuper firmiſſimis teſtimoniis & exemplis Scripturæ & Patrum oſtenderunt, illud cum Verbo Dei & fundamentis fidei convenire: nec unquam in legitima Synodo de eo diſceptatum & cognitum fuit, nedum ut publica aliqua totius Eccleſiæ authoritate ſit unquam legitimè damnatum. Longè eſt autem alia ratio Anabaptiſtarum & Antitrinitariorum, quos à nobis iiſdem damnari Pouchenius *objicit: vide pagina 98. & ſequent.*

Quod verò idem Pouchenius *aſſerit, Lutheranorum Eccleſias à* Palmerio *etiam damnari, id ex eo duntaxat probat, quòd* Palmerius *earum doctores modò nugatores, modò Pontifices, modò Vbiquitatis antiſtites appellet ac condemnet, à particulari ad generale argumentatur affirmativè. Et perinde arguit, ac ſi diceret, Paulus quoſdam ex Eccleſia Galatarum & Philippenſium vocat amentes, faſcinatores, perturbatores, canes, ergo totas illas Eccleſias tanquam hæreticas damnat.*

Refutatio tertiæ rationis.

In tertia *ratione contra primam Nullitatem conatur* Pouchenius *eludere tum teſtimonium illud quod attulerat* Palmerius *de exemplo Chriſti, recuſantis ſeſe arbitrium conſtituere inter fratres de hæreditate dividunda certantes: tum etiam illud, quod de judicibus in ſingulis Iudeæ civitatibus conſtitutis, ſecundo loco adduxerat.* *Pag. 110. & ſeq.* *Probat autem* Aſpaſtes *ex prioribus* Palmerii *fundamentum adhuc immotum ſtare, & perpetuâ Eccleſiæ tum Propheticæ, tum Apoſtolicæ, tum etiam primitivæ authoritate & conſuetudine confirmatum & inexpugnabile redditum: atque etiam id, quod de conſtitutis per ſingulas Iſraeliticas civitates judicibus* Palmerius *citaverat, non ſolùm de Politicis, ut* Pouchenius *temere affirmavit, ſed etiam de Eccleſiaſticis judicibus intelligendum eſſe, quandoquidem in civitatibus ſingularum tribuum extra Hieruſalem, atque earum præcipue, quæ ad Levitas pertinebant, vel in quibus erant Prophetarum cœtus, præerant judices non modo Politici, ſed ſimul etiam Eccleſiaſtici, Sacerdotes nempe, Levitæ & Prophetæ, qui de rebus Eccleſiaſticis pro ſua quiſque ditione & tribu non minus quàm illi de Politicis cognoſcerent & judicarent. Ad alterum exemplum Chriſti quod attinet, concedit* Aſpaſtes*, id de Politico rerum terrenarum judicio propriè loqui: illud vero quod inde colligit* Palmerius*, veriſſimum eſſe contendit in quibuſcunque judiciis & judicibus. Nam ideò præcipuè recuſavit Chriſtus ſeſe arbitrum fore inter fratres, quòd peculiaris illius vocationis ſuæ fines tranſilire nollet. Quum igitur ait,* Quis me conſtituit judicem inter vos? *negat ſe ad hoc judican-*

judicandi de rebus terrenis munus, vocatum eſſe, ideoque nolle illud uſurpare. Atque hoc exemplo apertè oſtendit, non licere cuiquam ſine legitima vocatione etiam in rebus minimis judicandi munus ſibi arrogare. Unde rectè infertur, multo minus in rebus fidei id cuiquam licere,

Refutatio quartæ rationis.

In quarta *ratione aliquot tum ex novo Teſtamento, tum ex hiſtoria Eccleſiaſtica prolatis probare contendit* Pouchenius, Scripturam nullibi eam fori & judicum competentiam in damnandis falſis doctrinis requirere, quam

Pag.127.

Palmerius in prima ſua Proteſtatione urgeat. Primum *exemplum Chriſti eſt*, quem *ait* Phariſæos, etiam abſentes coram diſcipulis damnaſſe. *Norunt autem omnes, quæ fuerit Chriſti in omnes & ſingulos homines, tam Iudæos quàm Gentes poteſtas, & quòd proinde, ceu legitimus totius Orbis Rex de illis ſtatuere pro arbitrio, ſine*

Pag.130.

cujuſquam injuria, potuerit. Quæ deinde *fuerit Apoſtolorum in regendis Eccleſiis prærogativa, à Chriſto illis extra ordinem conceſſa, tum Evangelia, tum Acta Apoſtolica, tum Pauli etiam epiſtola teſtantur, in quibus Apoſtolatum ita commendat, ut longe ſupra omnes Eccleſiaſticas fun-*

Pag.138.

ctiones tum extollat. Ad Polycarpi *exemplum quod attinet, quo* Pouchenius *probare vult, licere privatis ſaltem Epiſcopis etiam in alieno ſolo hæreticos damnare, ſicut* Polycarpus *Martionem damnarit: neſcit* Pouchenius, *aut ſe neſcire ſimulat, Martionem jam tum pro hæretico ab omnibus habitum cognitumque fuiſſe, atque etiam publica excommunicatione notatum.*

Refutatio quintæ rationis.

Quinta & ultima *ratio* Pouchenii *eſt*, Noſtrum dogma de corporali & locali Corporis & Sanguinis Chriſti in Sacra Cœna abſentia, ſtatim ab initio renaſcentis Evangelii in vera Auguſtana Confeſſione & Apologia pro impio damnatum eſſe, ideoque novam injuriam nunc primum à Bergenſibus nos

Pag.141 An in Confeſſione Auguſtana Zuinglianorum ſententia damnetur.

non pati. *Negat autem* primò *Conſequentiam* Aſpaſtes: *Nam quo ſæpius eâdem injuriâ quis affectus fuerit, eò juſtior quocunque tempore cenſenda eſt ejus perſecutio.* Secundò, *negat Antecedens quoque. Nam quod ad Auguſtanam Confeſſionem attinet, quam* Pouchenius; *duplicem facit, ſicut illa de corporali præſentia, ne verbo quidem uſpiam meminit, ita nec corporalem abſentiam damnat. Aliud enim eſt affirmare, Corpus & Sanguinem Chriſti in Cœna verè adeſſe, & diſtribui, ſeu exhiberi (quod nos de Sacramentali præſentia, & datione rectè intellectum, nunquam negavimus.) Aliud vero dicere, Corpus & Sanguinem Chriſti corporaliter in ipſo pane & vino exiſtere & ineſſe, illique inſeparabiliter conjungi: quam craſſam opinionem hodie Lutherani defendunt, nuſquam autem in vera Auguſtana Confeſſione deprehenditur. Itaque falſò aſſeritur, in Auguſtana Confeſſione damnari eos, qui talem præſentiam repudiant, & ſpiritualem tantum, ſeu ſacramentalem, eamque veram, agnoſcunt, ut nos ſemper fecimus. Confeſſioni Auguſtanæ addit* Pouchenius *Apologiam ejus, in qua præter adverbium* VERE, *additur etiam adverbium* SUBSTANTIALITER. *Multi tum Principes, tum Theologi jam pridem in hac Theologia multa deſiderarunt, inprimis autem ſuos iſtos Theologos nimis in ea ſeſe cum Papiſtis accommodaſſe, ut idem penitus in hoc Articulo cum illis ſentire viderentur. Sed ut ut illud ſit, ne ex hac quidem vocula, rectè intellectâ, corporalem præſentiam inferri poſſe, aut abſentiam damnari: neque noſtros unquam, quantumvis ab iſtis ambiguis locutionibus abhorrentes, ſimpliciter repudiaſſe eam locutionem, qua* vere & ſubſtantialiter adeſſe, & exhiberi corpus Chriſti in Cœna, *dicitur, modò id non ad modum præſentiæ & exhibitionis, ſed ad veritatem rei exhibitæ ſignificandam referatur. Fatemur enim, & faſſi ſumus ſemper, nos non phantaſticum Corpus Chriſti in Sacra Cœna, ſed verum ac ſubſtantiale (ſpiritualiter quidem, ſed tamen verè ac certò) amplecti & percipere, fide videlicet, ac per virtutem operantis in nobis Spiritus Sancti.*

Zuinglius & Oecolampadii an unquam legitimè damnati ſint.

Gloriatur deinde Pouchenius *de* Zuinglii *&* Oecolampadii *cõdemnationibus à ſuarum partium Theologis jam pridem factis, indeque concludit*, etiam nos in illis jamdudum damnatos eſſe. *Proferat autem adverſus illos ſententiam legitimè ab Eccleſia aliquando prolatam, ut illos legitimo judicio damnatos intelligatur. Scimus quidem quæ fuerit* Lutheri *& nonnullorum aliorum de illa opinio, & quantâ vehementiâ in Polemicis ſuis ſcriptis* Lutherus, *in eos eorumque doctrinam aliquando invectus fuerit. Cur autem unius hominis fervore contentionis extra metas interdum abrepti, quod ipſi quoque Lutherani fateri coguntur, opinionem, pro legitima totius Eccleſiæ condemnatione haberi vult? Addit* Aſpaſtes *tertiò*, Lutherum *ipſum, ubi diſputationis fervor paulo deferbuiſſet, longè aliter poſtea de illis, eorumque doctrina ſenſiſſe & ſcripſiſſe. Nam, ut omittatur, quæ de animorum inter hos viros conciliatione, in Colloquio Marpurgenſi Anno 29. tranſacta fuerunt, etiamſi de doctrina non prorſus inter ipſos conveniſſet, ut videlicet deinceps ab omnibus contentionibus utrique abſtinerent: certum eſt paucis poſt mortem ipſorum Annis,* Lutherum *de doctrina, quam antè in illis damnaverat, longè rectius & judicaſſe & ſenſiſſe. Verſatur enim in omnium manibus* Lutheri *Præfatio*, Vualdenſium *Confeſſioni præfixa Anno 32. quâ non modò Confeſſionem illorum ſuo teſtimonio ornare voluit, ſed etiam illos ab omni hæreſeos ſuſpicione in poſterum liberare, & mutuum eum illis conſenſum teſtari. Quæ autem fuerit* Vualdenſium, *tum de præſentia Corporis Chriſti, tum de ejus manducatione*

Pag.147 &c.

ſententia

ſententia, ex illis potiſſimùm apparet, quæ habentur tum in prædicta Confeſſione, tum in ejus Apologia: ubi manifeſtè teſtantur, ſe non aliam quàm ſpiritualem præſentiam Corporis Chriſti in terris, atque adeo in ipſis Sacramentis agnoſcere: corporalem verò ſeu naturalem, &, ut ipſi vocant, perſonalem, prorſus negare. Eadem ergo eſt Vualdenſium & Helvetiorum doctrina: cumque Vualdenſium approbarit doctrinam, approbavit ſimul etiam Helvetiorum. Præterea apparet, Anno 1536. & 37. ſancitam fuiſſe publicam inter Saxonicas & Helveticas Eccleſias doctrinæ concordiam, ipſo Luthero non modò conſentiente, ſed vehementer etiam ipſorum Confeſſionem, pietatem & ſtudium in promovenda Concordia approbãte: ut ejus literæ ad Helveticas civitates manifeſte teſtantur. Ab eo autem tempore quo Lutherus à concordia illa rurſus, malevolorum quorundam impulſu, deſcivit, ſæpè in Conventibus quibuſdam Germanorum aliquot Theologorum, de noſtris cõdemnandis actum fuit inſtigantibus ſubinde irrequietis quibuſdam ingeniis: ſed vicit ſemper moderatorum ſententia qui ab ejuſmodi importunis condemnationibus ideò abhorrebant, quod neque ſine magno Eccleſiarum ſcandalo, & manifeſto ſchiſmate, eas ab ſe ferri, noſtris præſertim neque auditis, neque convictis, poſſe, prudenter judicarent. Nam qui Naumburgi Anno 61. convenerant Theologi, juſſi apertè ſentẽtiam ſua de Cœna Domini exponere ubi illam multò ſimplicius & tolerabilius, quam craſſi quidam alii impanatores ſolerent, expoſuiſſent, non ſolùm ab ejuſmodi condemnationibus aliorum ſecus ſentientium, abſtinuerunt; ſed & ſuam illam ſententiam univerſalis Eccleſiæ judicio, modeſtiſſimè ſubjecerunt: longe ſcilicet alio ſpiritu tunc ducti, quàm Bergenſes condemnatores, qui ſua placita ab omnibus probari & ſubſcribi violenter & tyrannicè poſtulant & decernunt. Cùm etiam ſub Annum 57. quidam Galli Theologi in Conventu Vuormatienſi aliquot Germani Theologis Confeſſionem ſuam exhiberent, non modò non tunc damnati ab illis, aut tanquam rejectitii ab Eccleſia judicati, ſed apertè pro fratribus, piiſque & doctis viris, multa cum humanitate fuerant ſuſcepti, atque etiam ad Principes Germaniæ non ſine honeſtiſſima commẽdatione remiſſi. Longè etiam humanius, religioſius atque prudentius Principes & alii Auguſtanæ Confeſſionis Ordines in Conventu imperii Anno 66. habito, de ejuſmodi condemnationibus, vel Germanicarum, vel exterarum Eccleſiarum, quæ in hoc articulo de Cœna Domini, ab ipſorum Confeſſione apertè diſſidebant, ſtatuerunt, dum publicè coram Imperatore & reliquis Imperii Ordinibus proteſtati ſunt, non eſſe ſibi in animo quenquam propter ejuſmodi levem diſſenſionem à publica religionis pace depellere, ulliuſve præjudicatis ſententiis, majorem apud alias gentes, vel indigenis, vel exteris fidelibus invidiam conflare. Ignoſcunt, non licere ſibi vel nunc, vel in poſterum eos damnare, qui ſecum per omnia non ſentiant. Ejuſmodi condemnationibus fatentur injuriam & vim inferri infirmis, quos tamen Chriſtus ſuo ſanguine redemerit. Proferunt exemplum, Pontificiorum qui etſi in multis diſſideant, non ſeſe tamen invicem condemnare. Et tamen Pouchenius aſſerere audet, nos Eccleſiaſque noſtras, quæ & Articulum de Iuſtificatione per unicum mediatorem Ieſum Chriſtum, & pleraque omnia fundamentalia Chriſtianæ religionis capita, puriſſime ex Apoſtolorum ſcriptis, & ſententia Auguſtanæ Confeſſionis, docent, publicà Ordinum Auguſtanæ Confeſſionis authoritate, jam pridem damnatas fuiſſe: atque inſuper etiam legitimas pronunciare & defendere ſex iſtorum Theologorum condemnationes.

Vide Hiſtoria Sacramentariæ noſtræ partem alteram, anno 1561.

Vide Ibidem anno 1557.

Ibidem anno 1566.

In ſecunda Nullitate inter horum condemnatorum indignitates hanc primam Palmerius poſuit, quò illi ſint novæ Vbiquitatis Antiſtites, quæ præcipuum Articulum fidei Chriſtianæ non modò obſcuret, ſed etiam exſtinguat: inde colligit, mutuò illorum condemnationes repudiari, tanquã ab illis profectas, qui cum ipſi in fide errare accuſentur, non ſint idonei judices. Quæſtionem præcipuam de Vbiquitate Luthero diſcutiendam relinquit: Bergenſes verò Patres, eorumque clientes negat ejus eſſe aſſertores & defenſores Pouchenius: Deinde affirmat cõfidentiſſimè, ne verbulo quidem Vbiquitatis in Concordiæ libro mentionem fieri, nedum ut probari unquam poſſit, illud dogma eo libro tradi & doceri.

Refutatio rationum Pouchenii narrationis ſecundæ de Nullitate Palmerii.

Iacobum Schmidlinum autem generalis Vbiquitatis Antiſtitem, hoc eſt, accerrimum defenſorem & propugnatorem fuiſſe, nemo eſt qui ignoret. Selneccerus quoque, alter ex Compilatorum Concordiæ Libri numero, quum articulum Seſſionis Chriſti ad dexteram Patris, cum Articulo Aſcenſionis ejus in Cœlos, confundat, & cœlos definiendos aſſerat, non locorum intercapedinibus, ſed beatitudine, majeſtate ac virtute divinâ, manifeſtum eſt, ipſum fateri & defendere, ſubſtantialem Chriſti carnem poſſe ubique eſſe præſẽtia corporali: licet olim aliter docuerit Kemnitius, dum realem naturarum κοινωνίαν, id eſt, commeationem, in abſtractis, ſeu in naturis ipſis ſtatuit, unionem habitualem cum ipſarum naturarum unione hoc modo confundens, ſi quoque Chriſti Corpus ubique eſſe aſſerit præſens. Eadem docuerunt etiam Muſculus & Cornerus.

Refutatio rationis primæ.

Authores libri concordiæ Vbiquitatis patronos eſſe.

In libro porro Concordiæ Vbiquitatẽ generalem aſſeri & confirmari, ex ejus cap 7 facilè probari poteſt. Quorſum enim in hoc cap. Lutheri quatuor fũdamenta præſentiæ corporis Chriſti recitantur, niſi ad Vbiquitatis dogma confirmandũ? Poſtea cum recitaſſent in eo libro duos priores eſſendi in aliquo loco modos ex Luthero, tertiũ eſſẽdi modũ ex eodẽ

Vbiquitatem in Concordia libro aſſerri & confirmari.

Pag. 22.

Lutheri

Lutheri loco his verbis recitant: Tertiò, habet Divinam & Cœleſtem modum (quo una cum Deo perſona eſt) ſecundum quem certè omnes creaturas ipſi multò magis perſpicuas & præſentes eſſe oportet, quam ſecundum alterum modum. Quoniam ſi juxta illum (*ſecundum modum*) eſſe poteſt in creaturis, & apud creaturas, ut ipſum non ſentiant, menſurent, & comprehendant: quantò magis ſecundum hunc ſublimem & tertium modum, mirabiliter in omnibus creaturis erit: *Et paulò poſt*: Nam hoc eſſe, ſeu hunc eſſendi modum corporis Chriſti, una cum Deo Perſona eſt, omninò tam longè atque procul extra omnes creaturas, & rurſus in omnes tam profundè & propè, quàm ipſe Deus extra eas, aut in ipſis eſt. Eſt enim individiſa perſona cum Deo, & ubi Deus eſt, ibi ipſum quoque eſſe oportet, aut noſtra fides falſa eſt. *Item:* Non debemus verba ipſius, Hoc eſt corpus meum, prius negare, quam certo probare poſſimus, quod Chriſti corpus nullo modo eſſe poſſit, ubicunque Deus eſt, & quod iſte modus eſſendi falſus ſit. *Hæc ex Luthero non modo citant Bergenſes, ſed etiam tandem ex his fundamentis ſuam ſententiam confirmant.*

Capite octavo Formulæ, quod de Perſona Chriſti inſcribitur, poſt alia multa, quibus ex hypoſtatica duarum naturarum Vnione, proprietatum permixtionem, aut transfuſio non probare contendunt, hæc etiam addunt. Iam verò poſtquam non ſimpliciter ſicut alius quiſpiam Sanctus in cœlum, ſed (*ſed Apoſtolus teſtatur*) ſuper omnes cœlos conſcendit, etiam verè omnia implet, & ubique non tantum ut Deus, ſed etiam ut homo præſens, regit à mari ad mare, & uſque ad finem mundi, ut Prophetæ ſunt vaticinati, & Apoſtoli teſtati quod ubique cum ipſis operatus ſit, & ipſorum verba confirmarit, per ſequentia ſigna. *Hæc certè generalem Vbiquitatem Corporis Chriſti manifeſtè aſſerunt, etiam extra Cœnæ præſentiam. In ſequentibus hoc emollire tentant ex Lutheri interpretatione, & dextera Dei ſignificatione, dum hæc addunt:* Neque tamen hoc terreno aliquo modo factum eſt, ſed ut Lutherus exponit, ratione Dexteræ Divinæ: quæ nullus certus locus in cœlo eſt, ſed nihil aliud quàm omnipotens virtus Dei, quæ cœlum & terram implet, in qua Chriſtus ſecundum ſuam Humanitatem, realiter, ſine confuſione & exæquatione Naturarum in ſua ſubſtantia & eſſentialibus proprietatibus, collocatus eſt: ex qua communicata virtute, ſicut verba Teſtamenti ſonant, ipſe ſuo corpore & Sanguine in Sacra Cœna realiter præſens eſſe poteſt, & eſt, quod aliàs nulli homini poſſibile eſſet, quoniam nullus homo hoc modo cum Divina Natura unitus eſt, &c. *His verbis rurſus Bergenſes in ſua Concordia præſentiam Corporis Chriſti in Cœna, ex Vbiquitatis dogmate, quod ex Seſſionis ad dexteram Articulo, & ex ſua hypoſtatica unionis interpretatione concludunt, probant & confirmant.*

Poſt aliquot paginas hæc etiam adjiciunt: Propter hanc perſonalem unionem, & quæ inde conſequitur communicationem, quam Divina & Humana Natura in Perſona Chriſti realiter invicem habent, &c. Hic ſolus homo, & nullus alius dicere poteſt, ubi duo vel tres in nomine meo congregati fuerint, in medio eorum ſum. Item, vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. *Quæ teſtimonia nos etiam non ſic accipimus, quaſi apud nos in fidelium congregatione tantùm Deitas Chriſti præſens ſit, & talis præſentia ad Chriſtum, ſecundum ſuam humanitatem nihil attineat. Et mox.* Verùm nos credimus his verbis, Majeſtatem Chriſti declarari, quam ipſe ſecundum ſuam humanitatem in dextera Majeſtatis, & virtutis Dei accepit: quod ipſe ſcilicet etiam ſecundum, & cum illa ſua aſſumpta natura, præſens eſſe poteſt, & eſt etiam ubi vult: imprimis verò in ſua Eccleſia in terris, non ex dimidio tantùm, ſed tota perſona adſit, non tantum ſecundum divinitatem, ſed etiam ſecundum, & cum humanitate, ſecundum quam frater noſter eſt: ſicut ad confirmationem, & conſignationem hujus rei, ſuam Sacram Cœnam inſtituit, ut ſecundum eam ipſa Naturam, ſecundum quam Carnem & ſanguinem habet, nobiſcum ſeu apud nos eſſet, in nobis habitaret, operaret, operaretur, & eſſet efficax. *His verbis ultimis manifeſtè innuunt Concordiſtæ Cœnam Dominicam inſtitutam à Chriſto fuiſſe, in teſtimonium, & confirmationem generalis illius ubique præſentiæ, quam negat* Pouchenius *uſquam in hoc libro aſſeri.*

Rurſus Lutheri teſtimonio, quod in eius magna Confeſſione exſtat, ex unione illa Perſonali hominis Chriſti cum Deo, cum ipſo Luthero colligunt, Chriſtum hominem ubique eſſe, ubi Deus eſt: & in ſumma, omnia per totum plena eſſe Chriſti etiam ſecundum humanitatem, neque dari poſſe locum, ubi dicatur Deus eſſe, in quo etiam non ſit neceſſariò homo Chriſtus, quia una perſona inſeparabilis ſit Deus & homo. Hoc nihil aliud eſt, quàm Vbiquitatem inter fidei articulos conſtituere. Nunquam ergo Pouchenius *Lectori perſuaſerit, Vbiquitatis dogma in Formula Concordia non defendi & confirmari.*

In ſecunda *ratione* Pouchenii *contra indignitatem ſecundam* Palmerii, *ait*, fingere rurſus Palmerium, Vbiquiſtas Corpus Chriſti in quavis glande, pyro, trunco, lapide, ſtipite & neſcio ubi non, æquè adeſſe docere atque in *Refutatio ſecunda rationis Pouchenianæ*

in pane & vino Cœnæ. *At verò* Schmidlinus *Theſi* 58. *de Majeſtate hominis Chriſti manifeſte dicit*: Ratione Majeſtatis, ſeu hypoſtaticæ unionis,ſeſſionis ad dexteram, humanitas à verbo ita perficitur, ut eadem Majeſtate res præſentes habeat, rebuſque præſens ſit, quâ divinitas. Hinc autem, *inquit*, non ſequitur, eodem modo corpus Chriſti adeſſe in hordeo & fœno,ſicut in Sacramento. Etſi enim, quod ad ſe attinet, æqualiter omnibus rebus adſit, non tamen æqualiter in omnibus agit, & æqualiter ſeſe communicat: & quia ad ſanctificationem & conſolationem adeſt in Sacramentis,ideo alio modo eum in Sacramentis eſſe dicimus, reſpectu noſtri: & eum modum Sacramentalem eſſe dicimus, propter differentem quam ibi exercet operationem. Sed non opus fuiſſet tantâ præfatione pudoris,ſi dixiſſem maximè in fœno, aut hordeo, eodem modo eſſe.Corpus Chriſti: quum nondum dixerim, in ſtercore humano (ſalvo honore) colligendum eſſe, ſicut habet Ioannes à Lapide, &c. *Non ergo falſo affingit* Palmerius *hoc Concordiæ libri fabricatoribus*, *quòd aquè adeſſe velint Corpus Chriſti in glande,nuce,&c. atq; in pane Cœnæ: cùm manifeſtè id fateatur* Schmidlinus,*etſi hanc exceptionem addat*,quòd non eodem modo utrobique operetur ipſius præſentia, nec ad eundem finem utrobique adſit.

Refutatio tertiæ calumniæ Pouchenianæ

Tertiam *calumniam non* Palmerius Luthero *aut Lutheranis*, *ſed* Pouchenius Palmerio *impingit. Exprobrat enim tertio loco Palmerio*, quod in Lutherum rabiosè invehatur & eius authoritatem arrodat, elevet, & ſuſpectam faciat. *Item*, quod illi impingere ſtudeat, quod fuerit Vbiquitaris & inauditæ omnipræſentiæ corporis Chriſti in omnibus rebus auctor. *Quæ in re Pouchenius ea affingit Palmerio, de quibus ne ſyllabâ quidem in toto ipſius ſcripto meminit. Sin autem Pouchenius arbitratur crimen ab illis Luthero impingi, eiuſque authoritatem arrodere, qui eum ubique præſentiæ corporis Chriſti in terris autorem aſſerunt, nemo eum magis hujus criminis reum facit, quàm vel* Brentius, *vel* Schmidlinus, *vel denique ipſemet* Pouchenius. *Hoc ea ipſa quæ paulò ante ex Concordiæ Formula citavimus, apertè teſtantur*: *& extant etiam, tum* Brentii *tum* Schmidlini *ſcripta, in quibus apertè fatentur, ſuasq; Eccleſias hanc de Majeſtate carnis Chriſti omnipræſente doctrinam à* Luthero *habere ſeque illius diſcipulos in illa aſſerenda & defendenda eſſe.*

Refutatio quartæ calumniæ Pouchenianæ Non falsò ſed ve-

In quarta *calumnia ad primam indignitatem ſecunda Nullitatis* Palmerii *dicit* Pouchenius, falsò à Calviniſtis affingi Lutheranis,quod ex Vbiquitatis generalis fundamento, ſententiã ſuam de reali Corporis Chriſti præſentia in Cœna aſſerant:adeò ut eversâ Vbiquitate,nihil ipſis ſit reliquũ,quo ſuam doctrinam tueantur. *Quod autem* Palmerius *ſex Bergenſibus patribus duntaxat tribuerat*, *id* Pouchenius *ad totas Eccleſias calumniosè transferri. Quamvis multa Eccleſiæ in Germania nominari poſſent, quæ hoc dogma profitentur, & ex eo veram Corporis Chriſti præſentiam conſtituunt.Quod autem* Brentium, *Vbiquitatis parentem*, *&* Schmidlinum *ejuſdem Apoſtolum attinet*,*quos* Palmerius *inprimis in ſuo ſcripto reſpexit*, *apertè illi docuerunt*, *ſublatâ Vbiquitate generali Corporis*, *concidere & evaneſcere ſimul præſentiam illam realem eiuſdem corporis in Cœna. Sic enim Brẽtius ſcribit contra tractatum Bullingeri de Verbi Chriſti*,In domoPatris mei,*&c.pag*.32.Quod ſi quis *inquit*,tergiverſatus fuerit, id eſt, nolit palàm fateri, Corpus Chriſti eſſe ubique, haud ſcio num manifeſtam det ſignificationem, quòd (etiamſi multa præclara jactet verbis de vera præſentia Chriſti, & de uſu Cœnæ Dominicæ,ac de beneficiis quæ nobis in Cœna accipienda proponuntur) animo tamen ſit Zuingliano. *Item ibidem*. Qui dicunt verè quidem Chriſtum in Cœna Domini præſentem eſſe, at humanitatem tamen certo loco in Cœlo contineri: veram Corporis & Sanguinis pręſentiam è Cœna Domini prorſus auferunt. *Item in Recognitione*. Qui non crediderint Chriſtum unà cum Corpore & Sanguine ſuo verè in Cœna pręſentem eſſe,priuſquam verba Cœnæ recitaverint, non video quomodo effugere poſſint Magicam Papiſtarum conſecrationem. *Item ibidem* Credendum eſt Corpus & Sanguinem Chriſti jam antea pręſentia eſſe per eius Majeſtatem, & talis pręſentia verbis inſtitutionis annunciatur tantùm & diſtribuitur.

ri Vbiquiſtis tribuitur quòd ex Vbiquitate corporis Chriſti præſentiam in Cœna aſſerant.

Iacobus Schmidlinus præcipuus formulæ Concordiæ fabricator apertè aſſeruit, *ab Vbiquitatis dogmate potius*, *quam à verbis Cœnæ*, *pendere præſentiam Corporis Chriſti in Cœna. Nam in Apologia ad Ingolſtadienſes pag*.22. *affirmat primùm*.Hanc diſputationem de reali effuſione & communicatione proprietatũ divinarum in hominem, ſeu Humanam Naturam Chriſti, neque otioſam eſſe, neque ab inſtituto negotio, diſputationis videlicet de hypoſtatica duarum naturarũ unione,alienã. Et ſi quis eam rectè expendat, non minus in ea nobis ſitum eſſe,quàm in Cœnæ Dominicæ legitimo uſu.*Deinde pag*. 52. *ita ſcribit*:Nec erubeſco affirmare conſtanter, qui hanc doctrinam hominis Chriſti à Luthero traditam & explicatam oppugnent, eos vel Papiſtas eſſe craſſiſſimos, qui neſcio quem aſcenſum & deſcenſum Corporis Chriſti è Cœlo in panem fingunt, aut ex ſubſtantia panis Magicâ virtute verborum ſuorum, novum corpus fabri-

fabricare: aut cum Zuinglianis facere in corde, quicquid ore profiteantur. *Et ejuſdem Apol. pag.* 67. *Ingolſtadienſium theſium authori (neganti Humanam Chriſti Naturam ſemper fuiſſe, aut nunc quoque ubique præſentem ſeſe ſiſtere poſſe) exprobrat, quòd Zuinglianorum argumentis utatur: quæ ſi illis largiatur, nunquam veram præſentiam Corporis Chriſti in Cœna ſit aſſerturus. Quid igitur hic verba Cœnæ proderunt? Item in declaratione colloquii Maulbrunnenſis idem ille nomine Vvirtembergenſium Theologorum ſic loquitur, fol.*26. Ne autem *inquit*, (quò res meliùs explicetur) vos aliquid lateat: Quicunque inter eos qui ſe perhibent Auguſtanæ Confeſſionis adjunctos, profitetur ſe veram Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœna Domini præſentiam credere: interim tamen Vbiquitati (quo modo ea à nobis noſtriſque de Maieſtate hominis Chriſti docetur) repugnat, neceſſe eſt eum eſſe Magicum Papiſtam ex eorum numero, qui verborum Cœnæ incantationibus, corpus Chriſti prius abſens, de cœlo ſubitò detrahi, itaque præſens eſſe, magicè ſtatuunt: aut eum toto pectore cum Zuinglianis conſentire: Chriſtum divinitate ſuâ tantum eſſe præſentem, Corpus verò ſuum non ſubſtantialiter, ſed fide ſolùm præſens: nimirum, ſi credamus Corpus ipſius pro nobis traditum, ac Sanguinem ipſius pro nobis effuſum.

Idem Schmidlinus adhuc clarius hoc teſtatur contra Theologos Heydelbergenſes: Quicunque, *inquit*, hanc maieſtatem Vbiquitatis, nobiſcum fateri nolunt, verum fundamentum præſentiæ Corporis Chriſti in Cœna negant. *Item in reſponſione ad Sperlingum*: Non erubeſco, *inquit*, palàm fateri, ſi ea eſt Humanæ Naturæ proprietas, ut non niſi in uno loco eſſe poſſit, neque à divina natura ipſi communicari ullo modo poſſit, quo & ipſa cum λόγῳ in pluribus, aut omnibus locis eſſe queat: me pro aſſerenda Corporis Chriſti præſentia in Cœna, ne ad momentum quidem pugnaturum? Si enim ſimpliciter id eſſe impoſſibile fatear, quâ ratione id fieri poſſe ex verbis Cœnæ demonſtrari conarer? *Huius autem ſui dicti rationem valde firmam ut putat, affert, tum in theſibus* 55. 56. *&* 57. *tum etiam in tractatu illo contra Heydelbergenſes. nimirum*, Quòd verba Cœnæ Dominicæ, non tam præſentiam, quàm diſpenſationem Corporis Chriſti oſtendant, & confirment: quandoquidem ante verba illi inſtitutionis Corpus Chriſti, & ſanguis ſunt iam in pane & vino, ex alia cauſa præſentia ſicut in aliis creaturis, videlicet propter communicatas per unionem hypoſtaticam humanitati ipſius, divinas proprietates quum diſpenſatio Corporis & Sanguinis, neque ubique, neque ſemper fiat, ſed ſuis tantùm temporibus & locis, *nempe*, quibus Cœna Domini celebrari conſuevit, idque propter verba inſtitutionis.

His aſſentitur etiam Lucas Hoſiander in ſuis concionibus. Intelligunt, *inquit*, Zuingliani, ſi fundamentum Vbiquitatis evertere poſſint, quòd ex reliquis argumentis nihil poſſet contra ipſos obtineri.

Ex his omnibus conficitur & legitimè probatur, Compilatores libri Concordiæ, ideò indignos eſſe, & illegitimos hujus cauſæ ſacramentariæ, & aliarum in doctrina Chriſtiana controverſiarum, judices, quòd ipſimet circa doctrinam Chriſtianam aberrent, novorumque dogmatum, ac maximè monſtroſæ Vbiquitatis in hoc ipſo Libro quoque Patroni & defenſores ſint.

Refutatio rationum Poucheni ad ſecundam indignitatem Palmerii.

Secundam *indignitatis iſtorum condemnatorum rationem in eo poſuit Palmerius. quod eſſent alienarum rerum curioſi inquiſitores & inſpectores, magis quam propriarum: eaque de cauſa meritò eos reiiciendos eſſe. Antecedens negat* Pouchenius. *Sed primò, res ipſa hoc loquitur, & liber etiam Concordiæ teſtatur. Deinde ipſorum conciones & ſcripta teſtantur, eos de ſuarum ovium cenſura circa mores parùm eſſe ſolicitos. Plurimi autem declamationes, imò debacchationes in Sacramentarios Calviniſtas, eorumque doctrinam, tum in concionibus illorum audiuntur, tum in ſcriptis etiam eorum paſſim exſtant: in hunc unicum finem directa, ut peregrinas Eccleſias, aliam doctrinam profitentes, plebi & magiſtratui magis exoſas & intolerabiles redderent.*

Negat deinde Pouchenius conſequentiam Palmeriani argumenti. Si autem alienarum rerum curioſi inſpectores ab Apoſtolo Petro animadverſione publicâ digni cenſentur, & tales eſſe etiam privati Chriſtiani vetantur: certè qui ejuſmodi eſſe convincuntur, indigni ſunt & illigitimi Eccleſiæ Chriſtianæ vel paſtores vel judices.

Tertia indignitatis confirmatio.

In tertia *indignitate obiecit* Palmerius *nonnullis ex Bergenſibus Patribus, deſertionem ſuarum Eccleſiarum, ambitionem & avaritiam. Quod verò* Palmerius *de legationibus & curſitationibus quæſtuoſis*, Schmidlini *præſertim ſcripſit, in quibus ille multos iam annos, proprio grege deſerto conſumpſit, id* Pouchenius *ad ſuum & quorundam aliorum minus quæſtuoſo miniſterio trahit. Deinde, legationes* Schmidlini *& ſimilium, piæ Principum quorundam ſolicitudini imputat, qui eos ad Eccleſias alias in ſuam ſententiam pertrahendas, & meliùs pleniùſque informandas ablegârint. Agnoſcimus Principum illorum pium & laudabile ſtudium. Quid ſi verò illi ipſi Theologi legationes non rogati, extra Principis ſui ditionem, ambierunt: atque adeò ſpretis omnibus legitimis rationibus*

nibus, id unum egerunt, ut pax inter Eccleſias ulla poſſit unquam conciliari? Quid ſi pios illos Principes apertè deceperunt, ut qui ea ſe exequuturos impudentiſſimè polliciti ſunt, quæ in nullius hominis poteſtate ſunt: nempe, facturos ſeſe, ut omnes Eccleſiæ ad hanc ſuam Pandoram ſuſcipiendam, & adorandam, ſeu blandis perſuaſionibus, ſeu minis inductæ, concurrant: non aliam ob cauſam, quàm ut hoc ſpecioſo prætextu ſuam illam & ambitionem & avaritiam expleant. Certè Apoſtoli tales mercenarios, avaros & ambitioſos procul ab Eccleſiæ gubernaculis arcendos cenſuerunt: tantum abeſt, ut idoneos illos doctrinæ judices eſſe velint.

Quartæ indignitatis cauſæ aſſertio. De diſſenſionibus Patrum Bergenſium.

Quartam *indignitatis rationem, in qua* Palmerius *diſſenſiones Condemnatoribus iſtis obiecerat, quibus ipſimet inter ſe conflictentur, ut inde probaret, quàm minimè idonei ſint, ad componendas aliorum controverſias; ita reſpondet* Pouchenius, *ut primò Bergenſes ab hoc crimine liberare conetur. Nota ſunt autem hoſtiles diſſenſiones inter* Schmidlinum, Andræam Muſculum, Kemnitium *&* Selneccerum, *præcipuos Formulæ Concordiæ authores, ortas: & qui eas ignorat, inſpiciat ſecundæ noſtræ partis hiſtoriæ Sacramentariæ an.* 1590. *Quis non videt etiam, facem civilium bellorum inter Principes Germaniæ ſenſim propter hujus Libri ſubſcriptionem accendi? Quomodo tacitis iſtis inter Principes gliſcentibus ſimultatibus, pax inter ipſos conciliari vel conſervari poterit? quomodo denique bellorum ſcintillæ, quæ ab iſtis flabellis quotidiè excitantur, exſtingui unquam poterunt?*

Pouchenius Melanchthonem omnium turbarum in Germania authorem facit.

Deinde verò, dum altius cauſas iſtarum diſcordiarum repetit Pouchenius, *ita earum authores deſcribit, ut vel ipſis cæcis appareat, ipſum in unum* Philippum Melanchthonem *culpam eorum omnem conjicere conetur, quem non modò meticuloſæ cujuſdam puſillanimitatis & nimiæ φιλανθρωπίας accuſat, ſed etiam inconſtantiæ & defectionis à fidei recto tramite, ac denique colluſionis cujuſdam cum Pontificiis, unde omnes contentiones, rixæ ac diſſenſiones ortæ ſint. Atque ita* Philippum *cauſam fuiſſe omnium turbarum, diſſidiorum & diſcordiarum quæ in Lutheranorum Eccleſiis pullulârunt, falsò criminatur: & interim parcit* Hoſiandro, Illyrico, Bergenſibus *& ſimilibus peſtibus, quæ Iliada malorum & manifeſtam perniciem in Eccleſias ſuas importunis ſuis aſſiduiſque diſputationibus, & odioſiſſimis altercationibus invexerunt.*

Defenditur Melanchthon.

Removet autem Aſpaſtes *accuratè & diligenter à* Melanchthone *illa crimina, quæ illi impegerat* Pouchenius, *nempe, puſillanimitatis, defectionis à vera fide & colluſionis cum Pontificiis: unde non modò illius innocentia, ſed &* Pouchenii *perverſum iudicium hiſce de contentionibus, & futilis ſuorum excuſatio (de quorum mutuis diſſenſionibus & certaminibus, ne verbum quidem reſpondit) luce meridianâ clarius conſpici poteſt. Nam quid ad mutuas ipſorum pugnas & concertationes excuſandas faciunt ea, quæ* Pouchenius *de præcedentibus inter alios diſſenſionibus, hîc nullâ occaſione commemoravit, etiamſi ea omnia vera eſſent, quæ falsò illis impingit? Neque enim, etiamſi puſillanimis fuerit & meticuloſus* Melanchthon, *neque ſi ſententiam mutârit & à vera fide defecerit, ac cum Pontificiis colluſerit, neque etiam ſi qui ipſius Collegæ atque diſcipuli Vbiquitariis in Vuitebergenſi ſchola aliquandiu reſtiterunt, ne hoc novo dogmate Eccleſias Saxonicas infamarent, ideò nullæ ſunt Bergenſium inter ſe pugnæ & rixæ, quibus indigni redduntur, ut de pace inter Eccleſias Germanicas ſancienda ſoli deliberent, vel de aliorum diſſenſionibus ſoli judicium ſibi & damnationem arrogent. Quomodo enim, qui ſuas contentiones compeſcere nequeunt, aliorum diſſidiis mederi queant? quomodo, qui tantâ aſperitate convitiorum inter ſe conflictantur, alias ad concordiam adducendos, nedum damnandos fuerint idonei. Manet igitur adhuc firma hujus indignitatis cauſa, nullo modo à* Pouchenio *confutata.*

Quintæ Indignitatis confirmatio. Vbiquitariorum ingratitudo erga Melanchthonem.

In quinta *Indignitate* Palmerius *condemnatores iſtos Bergenſes taxat infamiæ & immanitatis, propter ſummum ingratitudinis crimen contra optimè meritum* Philippum Melanchthonem, *& omnium in Germania literatorum Magiſtrum ac Præceptorem. Reſpondet Pouchenius,* magnas & graves cauſas eſſe, propter quas Eccleſiæ Lutheranæ à præceptore illo ſuo in quibuſdam capitibus diſſentiant, nec omnia probare bonâ conſcientiâ poſſint, quæ ille unà cum alijs in præcipuis quibuſdam fidei articulis, contra unanimem Lutheranarum Eccleſiarum conſenſum & confeſſionem, imò & contra Scripturam novârit. *At non obiecerat ſimpliciter* Palmerius, *quòd quædam illi tantùm præceptoris doctrinæ capita non probent, ſed quod ei iam mortuo ignominioſè inſultent, quem vivum ſummo honore coluerint, & à quo vivo unicè pendere videri voluerint. Item, quòd illius ſcripta (quibus omnem ſuam iſti tum in Theologicis, tum in Philoſophicis eruditionem acceptam ferre debebant) non modò elevent & contemnant, ſed & ex manibus diſcentium excutere, atque penitus obliterare & exſtinguere conentur. Hæ ſunt turpis iſtorum ingratitudinis notæ, ob quas eos indignos cenſet* Palmerius, *qui ſoli omnes Eccleſias judicent.* Pouchenius *verò de contumeliis illis in præceptorem mortuum nihil dicere auſus, cauſas duntaxat recenſet, cur diſceſſerit ab illius ſententia: & ita præcipuam accuſationis partem artificioſè eludit: ſecundam autem partem*

ſub

ſub finem tantum attingi, & audaci inficiatione ſe ſuoſque ab hujus accuſationis crimine exemptos atque purgatos putat. Vtriuſque igitur capitis ingratitudinis Aſpaſtes eos convincit & omnibus infames eſſe comprobat. Omittit autem contumelias, calumnias, & omnis generis falſas criminationes, quas in illum vivum evomuerunt Flacciani, cum quibus in gratiam Bergenſes iſti Patres redierunt, quod ſocios eos habuerunt in Vbiquitatis defenſione: unde etiam factum eſt, ut Flaccianorum nomen in condemnationibus ſuis Libri Concordiæ omiſerunt. Illa, inquam, omnia præterit, quod per totam Germaniam nota ſunt, & profert in teſtimonium tum privata Selneceeri, Kemnitii, Vvigandi, Heſshuſii & ſimilium, tum communia Ienenſium, Brunſvicenſium & Mansfeldenſium Theologorum ſcripta, tam Latina quàm Germanica, contra Vuittebergenſium Theologorum Catechiſmum, Stereoma, & alios libros. Ex illis enim ſcriptis apparet, quàm mortifero odio omnes illi, qui Formulam hanc condemnatoriam vel conſcripſerunt, vel ſuis ſubſcriptionibus approbârunt, exarſerint, non modo in ipſum Philippum ejuſque ſcripta, ſed etiam in genuinos ejus Collegas & diſcipulos: quos ab illo tempore omnibus crucibus, tormentis, carceribus, probris, ac tandem etiam exiliis mulctandos curârunt, quòd à præceptoris piiſſimi antiqua & orthodoxa, tum de Perſona Chriſti, ejuſque duplicis Naturæ proprietatibus integris, & incõmunicabilibus, tum de Cœna Domini doctrina deflectere nollent, ejuſque ſcripta damnare recuſarent. Quibus adjungi debent ſcripta, quæ aliquot poſt annos in Quindecim viros Torgenſes edita ſunt à Ienenſibus & aliis, in quibus, & ſi illis ſummopere gratulantur, quòd in Sacramentariis damnandis tam ſtudioſè incubuerint, tamen in eo acriter eos reprehendunt, quòd Philippo primario in Germania Sacramentario pepercerint, & illius authoritati ac ſcriptis nimium tribuerint. In ſumma hoc maximè in ſuis ſcriptis omnibus urgent Vbiquitarii, ut ſiquidem Lutheranam doctrinam ſe retinere ac defendere videri vellent, non modo Sacramentarios in genere damnent, ſed nominatim etiam ipſum Melanchthonem, ejuſque ſcripta explodant. Et planè incredibile eſt, quibus clamoribus, quibus convitiis, calumniis, atque adeò violentiis, hanc cauſam adverſus Vuittenbergenſem & Lipſenſem Academiam atque adeo in ipſius Melanchthonis defuncti perpetuam ignominiam atque infamiam egerint.

Aliud eſt à Philippi ſententia modeſtè diſcedere, & aliud Philippum calumniis inſectari.

Quòd autem cauſatur, ſuos juſtiſſimas habere cauſas diſceſſionis à præceptoris ſententia, nihil ad rem facit: quandoquidem aliud eſt à ſententia præceptoris modeſtè, veritatis tuendæ gratiâ, diſcedere, aliud verò præceptorem maledictis & convitiis, falſiſque accuſationibus, & calumniis inſectari: idque non eo vivo, ut in viam rectam reducatur, ſed poſt mortem demum, ut obtrectatoribus & ſuæ cauſæ diffidentibus moris eſt. Etenim ſi ſtatim poſt Lutheri mortem à veritate doctrinæ deſtivit, quæ fuit iſtorum pietas, vel in Deum, vel in præceptorem, quod tandiu illum errare, & in ipſo etiam errore cum manifeſto periculo emori paſſi ſunt?

Nec Pouchenium juvat illud Ariſtotelis, Amicus Plato, ſed magis amica veritas, Cur enim Lutheri nævos, retractationes, errores & repugnantias non eadem ratione reprehendunt? cur ejus polemica ſcripta omnia, in quibus tot exſtant omnibus nota humanæ infirmitatis teſtimonia, tantis tamen laudibus extollunt? Cur illa, inquam, quæ ne vivus quidem Lutherus per omnia probavit, & in quibus etiam ſeſe erràſſe liberè confeſſus eſt, iſti nunc pro veritatis regula proponunt, atq; ſuſcipi ab omnibus volunt? an hoc eſt, nullius hominis, vel gratiâ, vel odio veritatem ſolam tueri, dum unius quidem ſcripta omnia promiſcuè tam vera quam falſa & erronea amplectuntur tanquam canonica: alterius verò tam benè quàm malè ſcripta reiiciunt, obliterant & exſtinguunt, omni illis ademptâ authoritate.

Videmus quantâ modeſtiâ tum Prophetæ, tum Apoſtoli illos reprehenderint, qui in aliqua authoritate conſtituti, & Eccleſiæ alioqui non inutiles in quibuſdam impingerent. Videmus qua moderatione orthodoxi Patres nævos quorundam collegarum ſuorum tulerint, quàm honorificè etiam de illis poſt mortem ſenſerint, & loquuti ſint, atque ſcripſerint, etiamſi in quibuſdam illos erraſſe conſtaret. Legatur Auguſtini liber 3. contra Gaudentium capit. 3. ejuſque judicium de mortuo Cipriano. Item liber tertius de Baptiſmo contra Donatiſtas capite tertio. Legantur etiam integri libri Auguſtini adverſus Donatiſtas, qui ſibi ſavere, & à partibus ſuis ſtare Cyprianum, ac proinde ſchiſmatis ſui approbatorem eſſe, jactitabant, ac præter jam citatos locos, ille præcipuè, qui habetur lib. 5. cap. 17. de Baptiſ. contra Donatiſtas.

Secundam ingratitudinis notam, ſupra diximus Pouchenium nudâ & audaci inficiatione conari diluere, ſub finem hujus accuſationis, ſed res ipſa eum & arguit & convincit, ut nobis probare non fuerit difficile. Quamvis enim aſtute caverint ingrati iſti condemnatores, ne in Concordiæ libro ſcriptorum Philippi condemnationem manifeſte exprimerent, tamen, ut nunc præteream, quæ palam in illum evomere in ipſa Vuittebergenſi Eccleſia, frementibus & indignantibus omnibus auſus eſt Schmidlinus, quæ paulo infra referemus, cum à ſolis Lutheri ſcriptis petendum eſſe verum tum Confeſſionis Auguſtanæ ſenſum, tum etiam totius

doctrinæ Chriſtianæ fundamentum & Formulam doceant, de Corpore autem doctrinæ Philippi, *ab omnibus ferè Eccleſiis approbato, altum ibi ſit ſilentium: ex eo ſatis apparet, eos hoc unum moliri, ut Corpus hoc ſuum ſeu Formulam Concordiæ in illius locum ſubſtituant, illique priori omnem authoritatem deinceps abrogent, quod ſine ſumma* Philippi *injuria fieri non poteſt. Nec enim hanc injuriam & ingratitudinem excuſant, ea quæ in libro Concordiæ ſcribunt, ubi quidem proteſtantur, ſe minime reiicere alios libros utiles & ſinceros, quibus explicatio ſacræ Scripturæ & refutatio errorum continetur, & tales utique retineri poſſe concedunt: at ſtatim exceptionem addunt, quâ ſuæ huic Formulæ authoritatem omnibus illis ſcriptis anteponunt, ut quam certam, communem, unanimemque formam doctrinæ complecti aſſerant, ad cujus amuſſim omnia reliqua ſcripta ſint probanda, examinanda, judicanda & recipienda. Hoc nihil eſt aliud, quàm reliqua ſcripta omnia ac præſertim* Corpus doctrinæ Philippi, *non modò ſuſpecta omnibus reddere, ſed etiam planè damnare & reiicere, quaſi erronea & à communi Eccleſiarum doctrina aliena. Quo jure autem à ſex iſtis viris tanta authoritas uſurpatur, ut ſoli de omnium ſcriptis judicent, & novam ſuam doctrinam pro vetere, erroneam, pro vera & indubitata in omnes Eccleſias, etiam invitas, invehant? At, inquiunt illi, nos hanc Formulam Concordiæ ex illis libris deſcripſimus, qui communem & unanimem noſtrarum Eccleſiarum ſententiam complecti ſemper judicati ſunt: quique à primariis viris atque ſummis Theologis eius ætatis ſubſcripti & probati ſunt tanquam authentici. Eadem verò ratione illi Corpus illud doctrinæ* Philippi *retinere & reliquis illis abs ſe nominatis ſcriptis, ex quibus ſuum hoc Corpus ſe compilâſſe gloriantur, & annumerare & exæquare debuerunt: quòd & communi Eccleſiarum nomine conſcriptum, & ab iis pro ſumma pura & Evangelicæ doctrinæ, quam inde ab initio ſunt profeſſæ, ſuſceptum & approbatum, tam ante, quàm poſt exortas controverſias conſtantiſſimè fuerit.*

Et mirum eſt ſanè quo conſilio Bergenſes hanc conditionem ſeu exceptionem ad alia omnia ſcripta in Formula ſua Concordiæ apponant, ne *videlicet* illa recipiantur, niſi hac conditione, ſi Auguſtanam Confeſſionem nullibi corrumpant, *cum ad hanc ipſi conditionem, neque hoc ſuum ſcriptum, neque omnia illa, ex quibus illud ſe conflâſſe gloriantur, exigi patiantur, illamve obſervent, ſed manifeſtè violent. Primum enim polemica* Lutheri *ſcripta, quæ pro norma & regula veræ doctrinæ non minus quàm reliqua haberi volunt, multa continent, quæ cum Auguſtana Confeſſione non conſentiunt, quæque nunquam ab omnibus Eccleſiis ſine exceptione probata fuerunt: quale eſt inprimis illud Vbiquitatis dogma pro fundamento præſentiæ Corporis Chriſti à Luthero primùm leviter propoſitum, & meritò poſtea repudiatum: hoc enim dogma repugnat & manifeſte corrumpit multa Auguſtanæ Confeſſionis dogmata. Sunt & alia huic Formulæ inſerta, quæ & Confeſſioni illi & Apologiæ ipſius adverſantur, verumque eius ſenſum pervertunt. Vnde conficitur, illam non modò ſuſpectam meritò eſſe debere, ſed etiam hujus ipſorum exceptionis vi atque authoritate penitùs reiiciendam. Iniquiſſimum ergo eſt, quòd cenſent* Philippi *ſcripta ideo abroganda & repudianda eſſe, quod quædam in illis mutata ſint, aut quòd per omnia cum Auguſtana Confeſſione non conveniant.*

Quòd autem Pouchenius *adiicit ad emolliendam eiuſmodi ſcriptorum* Philippi *exauctorationem, de adhibendo in lectione eorum judicio, rectè quidem facit: cur autem ipſi hoc etiam in Lutheri ſcriptis, neque præſtant, neque ab aliis præſtari ſuſtinent? Fuit enim homo* Lutherus *perinde atque* Philippus, *adeoque humani nihil ab eo etiam alienum fuit. Si audent illi per adulationem tribuere, quòd nuſquam errârit, ille ipſe, eos mendacii & aſſentationis putidæ convincet. Quid eſt igitur quòd tantopere Bergenſes in* Philippo *offendit, ut illum jam mortuum ita exagitent, quod non per omnia cum* Luthero *vivo vel mortuo ſenſerit? Præceptor hic eorum fuit, fuit & ille. Eximiis Spiritus Sancti donis hic fuit præditus, in reſtituenda Evangelij puritate: ſed fuit etiam* Philippus *ſuis dotibus ampliſſimis ad illuſtrandam Dei Eccleſiam exornatus: & quamvis in multis hic excelluerit, tamen in aliis ſeſe illo inferiorem modeſtè & verè agnovit.* *Lutheri quoque ſcripta cum iudicio legenda.*

His addenda ſunt etiam quædam ad ſpecialia illa, quibus mortuo Philippo *invidiam conflare conatus eſt* Pouchenius. *Ait in tribus præcipuè doctrinæ capitibus illum à Lutheri morte ſententiam atque fidem mutâſſe: & cum ſuos Locos communes, tum ipſam Auguſtanam Confeſſionem corrupiſſe ac depravâſſe: nempe in doctrina de Cœna Domini, in articulo de Iuſtificatione, & de Libero arbitrio.* *De iis quibus in ſpeciè Philippo invidiam conflare conatur Pouchenius.*

Ad primum *articulum quod attinet, probat illum* Pouchenius *à fide & confeſſione* Philippi *priore de Sacra Cœna, quam & in colloquio Marpurgenſi, & in comitiis Auguſtanis, cum Confeſſionem Auguſtanam & ejus Apologiam ederet, erat profeſſus, deſciviſſe, & Calviniſmum amplexum eſſe: probat id inquam, tum ex* Melanchthonis *iudicio ad Electorem Palatinum miſſo, tum ex Calvini teſtimonio, qui de eo in ſcriptis adverſus Vueſtphalum glorietur. Hoc totum concedimus, negamus autem mutationem hanc eſſe apoſtaſiam* *Philippo obiicit Pouchenius defectionem à Lutheraniſmo ad Calviniſmum in negotio Cœnæ poſt mortem Lutheri.*

à vera

à vera fide, cum potius fuerit ab errore manifeſto ad veritatem agnitam converſio. Quæ in re ſummam meritò laudem meretur, quod Deo gloriam de patefacta ſibi veritate dedit, in eoque ſinceræ ſuæ conſcientiæ teſtimonium edidit, & tandem (etſi fortaſſe ſeriùs quàm oportebat) id quod ſentiebat non reticuit, ſed libere tandem protulit, idque pacifice, & abſque ulla collegarum ſuorum ab ipſo diſſentientium aut Eccleſiarum perturbatione. Petit igitur hic Pouchenius, ut alias ſæpe principium, quum vel ſuam ſententiam, à qua Philippus deſcivit, veram & verbis Chriſti congruentem eſſe affirmat, vel noſtram, quam melius edoctus amplexus eſt tandem, erroneam eſſe ac falſam præſumit. Deinde facile probari poteſt ex eius ipſius ſcriptis, illum non poſt Lutheri tantum mortem hanc ſententiam ut veriorem agnoviſſe, ipſique adeo Luthero indicâſſe, atque expenſis plenius Veterum de hoc Sacramento ſententiis, illum amanter & libere monuiſſe, ut diligenter expenderet, ne dum ipſe Zuinglianis errorem imputaret, ipſemet potius errare, & à veteris puriorisque primitivæ Eccleſiæ ſententia diſſentire comperiretur,

Ex multis etiam teſtimoniis apparet Melanchthonem poſt initam Anno 36. inter Lutherum & Helveticas Eccleſias Concordiam, ad extremum uſque vitæ ſpiritum Concordiam illam & fraternam amicitiam Helvetiis coluiſſe Ex quibus apparet, tum falsò à Pouchenio illi imputari, quod à morte demùm Lutheri à Conſubſtantiatione, ad veram de Cœna Domini ſententiam deſciverit: tum etiam iniquiſſimè cum illo agi, quòd ideo tantis calumniis & probris ab ingratis diſcipulis affectus ſit, & adhuc mortuus afficiatur, quia in ſemel ſancita Lutheri, & Principum, atque Evangelicarum Civitatum approbatione & conſenſu, Eccleſiarum concordia conſtans ad extremum uſque perſtiterit.

De teſtimoniis Patrum à Philippo collectis.

Collegerat quidem ad Lutheri opinionis confirmationem Anno 30. teſtimonia ex Patribus; in epiſtola verò, quam Anno 42. ante Lutheri mortem ſcripſit & edidit, manifeſtè apparet, juſtam & neceſſariam fuiſſe ipſius à priore ſententia defectionem, quum ſuppoſititias eſſe comperiſſet pluraſque illas veterum Patrum ſententias, quibus illam confirmari putabat, ipſique adeo ſcriptorum veræ ſententiæ contrarias. Quæ fuiſſet tanti viri conſcientia, ſi in iis, quæ manifeſte falſa eſſe compererat, ad ſe & alios fallendos obſtinate perſtitiſſet? Laudandus ergo eſt illius candor & prædicanda ipſius vere Chriſtiana ſinceritas.

De Iuſtificationis & Liberi arbitrii articulis in Locis communibus Philippi.

Ad doctrinam autem de Iuſtificatione & Libero arbitrio Philippi quod attinet, quæ in Locis eius communibus continetur, illam ex veterum quorundam dictis profert. Vixit autem tum Lutherus, cùm hæc ſcriberet, & Locos ſuos communes ampliaret, neque illam reprehendit uſquam: imo verò conſtat, Præfationem Lutheri, in qua magnificè de Locis Communibus Philippi loquitur: biennio poſt illam recognitionem Locorum communium fuiſſe conſcriptam. Et vana prorſus & erronea ſit Pouchenii excuſatio, quâ laudem & exiſtimationem ſcriptis Melanthonis à Luthero tributam extinguere, ex temporis aut editionum variarum collatione nititur: quandoquidem ſuam illam de Libero arbitrio ſententiam, quam Pouchenius poſt mortem demum Lutheri ab ipſo expreſſam reſumit, ante illam Præfationem, quâ tantoperè laudatur publicè profeſſus fuit.

Philippus quoque ſuos navos habuit, ut Lutherus & alii.

Et ut libere dicatur de hac ipſius ſententia quod res eſt, fuit hoc Philippo cum omnibus quantumvis orthodoxis Patribus, atque etiam cum ipſo Luthero commune, ut non in omnibus doctrinæ partibus puritatem perfectam ſit conſecutus. Habuit ſuos navos Cyprianus Auguſtinus, Hieronymus & reliqui ferè omnes veteris Eccleſiæ Doctores, qui in ſcriptis illorum meritò reprehenduntur, idque ipſimet & agnoverunt & confeſſi ſunt, ut & Lutherus ipſe fecit. Quid mirum ergo ſi & hac in parte aliquid humani paſſus eſt Philippus? cuius error, & ſi minimè probari poteſt, excuſatione certe ſaltem in eo videtur dignus, quòd non ita fuerit unquam ſuæ ſententiæ addictus, quin & cum aliter ſentientibus in hoc dogmate & aliis, amicitiam & fraternam charitatem retineret, libera cum piis & doctis viris de iis colloquia expeteret, ſeque ſemper & ſua ſcripta Eccleſiæ judicio ſubiiceret. Quod ſi ſummo iure cum Philippo agere, & ejus ſcripta omnia ob hunc navum abiicere libet, cur non eodem jure polemica præſertim ſcripta Lutheri quoque abiiciuntur, in quibus non pauci errores deprehenduntur? Quid etiam fiet Confeſſioni Auguſtanæ, quæ aſſerit, voluntatem Humanam habere libertatem ad civilem juſtitiam exequendam? Quid fiet etiam Bergenſibus Patribus, qui in Formula ſuæ Concordiæ, apertè à doctrina Lutheri de Prædeſtinatione & æterna Electione deſciverunt? Anne illi eorumque ſcripta magis ſunt ferenda quàm Melanthonis.

De mutata à Philippo Auguſtana confeſſione.

De corrupta autem à Philippo Auguſtana Confeſſione, præſertim in Articulo 10. & 18. Reſpondetur primum, mutationem illam decimi Articuli de Cœna Domini, de qua Ubiquiſtæ magnis clamoribus conqueruntur, falsò ab ipſis ſoli Philippi tribui cùm conſtet, hanc mutationem non privatâ Melanthonis authoritate, ſed communi eorum omnium conſenſu, qui tum in Vvormacienſi Conventu Anno 40. tum etiam antea in aliis publicis actionibus interfuerunt: in quibus & quatuor Civitates cum ipſarum Confeſſione in ſocietatem Auguſta-

næ Confeſſionis receptæ fuerant, & concordia tum Helvetiis ſancita. Deinde & ſi maximè ab ipſo Melanthone ſolo mutatio illa facta fuiſſet, tamen ille articulus, ita ut ab initio conceptus fuerat, tam parùm à poſteriore mutato differt, ut non magis ille noſtræ ſententiæ adverſetur, quàm poſterior. Ad decimum octavum autem Articulum, qui eſt de Libero arbitrio, quod attinet, videmus quidem nonnulla addita fuiſſe, ſed quæ de priore ſententia nihil mutant, imò magis magiſque eam confirment & explicent.

Tertiæ Nullitatis Palmerii confirmatio, & Pouchenianæ ad illam reſponſionis refutatio.

In tertia Nullitate Palmerius de non obſervato ab iſtis condemnatoribus legitimo iudiciorum ordine conqueritur, & ſententiam iſtorum ideò nullam eſſe, aut certe illegitimam & iniquam aſſerit, quòd indictâ cauſâ, & partibus non modo non auditis, ſed ne citatis quidem aut evocatis, prolata ſit, adverſus verum iudiciorum ordinem. Hanc Nullitatem ut Pouchenius refellat, negat primùm hypotheſin, deinde etiam ipſam theſin generalem.

Quod ad hypotheſin attinet, quinque præcipuè rationes profert, quibus probare contendit contrarium. Nempe primùm, quòd noſtrum Dogma ab illis damnatum, neque novum ſit aut ignotum Eccleſiæ neque dubium aut ambiguum.

Refutatio primæ rationis, qua Pouchenius hypotheſin Palmerii evertere conatur.

His verbis noſtras Eccleſias ideò meritò damnatas à ſex Bergenſibus patribus contendit Pouchenius, quòd nec nos, nec noſtrum dogma novum ſit, aut incognitum Eccleſiæ. Cum igitur ipſo Pouchenio teſte noſtra de Cœna Domini ſententia vetus ſit, & non modò toti Eccleſiæ cognita, ſed & ab orthodoxis omnibus, primis ſexcentis poſt mortem Chriſti annis credita & approbata, ex eo conſequitur, eam & veram eſſe, & damnari à Bergenſibus non potuiſſe, quin nobiſcum ſimul totam veterem Apoſtolicam & primitivam Eccleſiam condemnent. Deinde quæcunque Eccleſiæ innotuerunt dogmata, certis Eccleſiis, ea à quibuſvis, nullo Eccleſiaſtico ordine ſervato, ex hac Pouchenii conſecutione damnari potuerunt. Damnetur ergo tota antiquitas & tota Chriſtiana Religio; quia illa nec nova eſt, nec ipſi Eccleſiæ incognita, & quia ejus authores non dubiis rumoribus, ſed certiſſimis ſcriptis jampridem innotuerunt. Quod ſi de falſis tantùm & erroneis, iiſque inveteratis doctrinis, qualem Pouchenius noſtram refutat, ita ab illo dicuntur, primùm reſpondetur, petere eum principium, quia ſine ulla probatione nos pravorum dogmatum patrocinium ſuſcipere, noſtrumque adeo dogma de Cœna Domini falſum eſſe & erroneum præſupponat. Deinde, etiamſi id tale eſſet, negamus tamen propterea à quibuſvis privatis nullo ſervato judiciorum ordine, quantumvis inveteratum & cognitum errorem, ita damnari poſſe, ut à damnatoribus nulla ſit juſta provocatio.

Refutatio ſecundæ rationis Pouchenii.

Huic primæ rationi ſecundam ſubiicit, in qua repetit, noſtrum illud dogma ab Eccleſiis Lutheranis iaminde ab exhibitione publicæ Confeſſionis Auguſtanæ, pro prava & pernicioſa hæreſi, communibus omnium ſincerorum doctorum ſuffragiis, ex Scripturæ & antiquitatis teſtimoniis falſitatis convictum & damnatum fuiſſe. Hæc quidem ab eo dicuntur, at nullis teſtimoniis probantur. Nos igitur invictis & immotis teſtimoniis, ex praxi ſuperiorum temporum probare volumus. Vt ut enim uſque quaque noſtra ſententia omnibus Lutheranis ſemper placuerit: tamen primùm illa non uſque adeo vel à Theologis; vel à Principibus Lutheranis, vel denique ab ipſis Auguſtanæ Confeſſionis Ordinibus, improbatam fuiſſe, ut propterea ſibi fas ac jus eſſe exiſtimarint, nos abſentes tanquam hæreticos & à pace religionis excluſos damnare. Hanc æquitatem jam inde ab initio reformationis oſtendiſſe Principes atque Ordines ipſos, in ſequentibus probabimus.

1\. Teſtimonia quibus probatur Zuinglii doctrinam antè hæc tempora non fuiſſe ab Ordinibus Auguſtanæ Confeſſionis aut Theologis damnatam.

Cum enim Pontificii hoc inprimis urgerent, in omnibus propè Conventibus, ut Zuinglii doctrina diſertis verbis damnaretur, utque Zuinglianis publica imperii pax negaretur, ne Tranſſubſtantiationis dogma corrueret, & Illuſtriſſimi Principes Ordineſque intelligerent, quo illa Pontificiorum poſtulatio ſpectaret, eam modò diſſimulabant, modò apertè denegabant. Atque inprimis, cùm decretum eſſet in Spirenſi conventu, Anno 1528. Ne doctrina eorum, qui de Cœna Domini ſecus docent quàm Eccleſia, recipiatur, nevè Miſſa aboleatur, &c. Elector Saxoniæ aliique Principes non modò illud recipere ſimpliciter recuſârunt, ſed ſcripto etiam apertè his verbis reſponderunt: Conſtare ſatis omnibus, quid de corporis atque Sanguinis Chriſti præſentia in ſuis Eccleſiis doceatur, neque longiore opus eſſe explicatione: attamen quod ante ſæpè dixerint, nunc iterum repetere: Nondum videlicet, in illos qui ſecus doceant, eiuſmodi faciendum Decretum, eo quod ejus Doctrinæ defenſores, neque vocati ſint, neque auditi. Quam autem non ſit decorum, nec æquum in rebus tam arduis aliquid ullo tempore ſtatui, non auditis iis, quorum intereſt etiam atque etiam eſſe conſiderandum. Ex his verbis apparet, non modò à Principibus & Ordinibus Auguſtanæ Confeſſionis, aut noſtrum dogma, aut nos ipſos, pro hæreticis tum damnatos non fuiſſe, ſed ne æquum quidem illis viſum eſſe, ut non auditi & non convicti ex Pontificiorum ſententia damnaremur.

Anno 1529. in Colloquio Marpurgenſi non qui- 2.

quidem plena concordia, ſed tamen amicitia quædam, & fraterna charitas promiſſa fuit inter Lutherum *collegaſque eius, &* Zuinglium *atque* Oecolampadium.

Anno 1530. *cum rurſus interpellati eſſent iidem Principes, vt vnà cum Imperatore & aliis Ordinibus Imperij deliberarent, quomodo coercendi eſſent ii, qui de Cœna Domini ſecus docerent, quam Eccleſia. hoc etiam decretum recipere noluerunt, quod rurſum intelligerent, quorſum conatus iſte adverſariorum tenderet.*

4. *Cum Suinfurtum Ordines Anno* 1532. *conveniſſent, & hunc denuo lapidem Cæſariani interceſſores volverent, vt Principes atque Civitates, Auguſtanam Confeſſ. approbantes, pollicerentur, ſe nihil in ſuis Eccleſiis innovaturos, nec ſeſe cum illis conjuncturos, qui diverſam doctrinam de Cœna Dom. ſequerentur, ne tum quidem vlla fieri potuit diſtractio, nedum condemnatio. Quinetiam Argentinenſis Senatus cum ſe ita Auguſtanam Confeſſ. amplecti in eo conventu teſtaretur, ut interea non recederet à Confeſſione, quam cum reliquis trib. Civitatibus Auguſtæ anno* 30. *obtulerat: id facilè à Principibus Proteſtantibus obtinuit, ut qui liberè tunc faterentur, eam Confeſſionem quatuor Civitatum quam Bergenſes iſti in Formulâ Concordiæ, titulo de Cœna Dom. tanquam Zuinglianam apertè damnant, ab Auguſtana, quod ad doctrinam attinet, reipſa non diſſentire, ideoque nec ſe gravari, & huic cum ſua ſubſcribere.*

5. *Eodem anno cum Neroberga quoque Conventus indictus fuiſſet, & iterum à Pontificiis noſtrorum damnatio quæreretur, ita tranſactum eſt, ut rurſus irriti conatus fierent eorum, qui Zuinglianam doctrinam proſcriptam volebant.*

6. *Anno* 32. *&* 35. *Vualdenſium Confeſſio, Helveticæ conformis à Luthero non modo non damnata, ſed publicâ potius Præfatione approbata & commendata fuit.*

7. *Secuta eſt annis* 36. 37. *&* 38. *ſolennis illa inter inferioris & ſuperioris Germaniæ Eccleſias concordia, qua Confeſſio Helvetiorum cum ejus declaratione Vuittenbergæ primum, deinde Schmalcaldiæ, & poſtremò Iſenaci, in publicis Conventibus Ordinum propoſita, lecta, approbata atque rata habita eſt, non ſolùm à* Luthero *aliiſque Theologis, ſed etiam à Principibus & Ordinibus Auguſtanæ Confeſſionis.*

8. *Etſi vero Lutherus, ſic inſtigatus à quibusdam, ab ea Concordia aliquot poſt annis receſſit, ut rurſus in Zuinglianos ſcriptis ſuis inveheretur, & nonnullos etiam Principes atque Theologos ad illos damnandos incitare videretur: tamen id nullo publico Eccleſiarum vllarum conſenſu ac ne collegarum quidem ipſius approbatione factum fuit.*

In Vuormacienſi Colloquio Anno 57. *habito, cùm ab aliquibus, tum Auguſtanæ Confeſſionis, tum Papiſticis Ordinibus propoſita Zuinglianorum fuiſſet condemnatio, tam abeſt ut illa approbata fuerit, ut potius Gallicarum Eccleſiarum Confeſſio à præcipuis Theologis commendaretur.* 9.

Ne quis autem hæc Philippi *favore erga Zuinglianos facta eſſe putet, audiamus quæ eius obitum ſint conſecuta. Ergo anno* 1560. *cùm Ienenſes Theologi publicam ſupplicationem edidiſſent, quâ Synodum ex ſuis tantùm cogi à Ducibus Saxoniæ, atque etiam aliis poſtulâſſent, in qua ſoli ipſi de condemnandis Zuinglianis abſentibus deliberarent, ne tum quidem auditi ſunt.* 10.

Neque id etiam in Naumburgenſi conventu anno 61. *obtinere potuerunt, quamvis id accerrimè agerent & procurarent adverſarii.* 11.

Et tandem anno 66. *ſatis aperte Principes ipſi oſtenderunt, in ſua reſponſione ad Cæſarem, quàm iniquum & ſibi illicitum eſſe exiſtimarent, à ſe diſſentientes in hoc dogmate, ſuis præiudiciis damnare, præſertim abſentes & inauditos.* 12.

Tertiæ rationis Pouchenianæ refutatio.

In tertia ratione Poucheniana adverſus Palmerii tertiam Nullitatem audet aſſirmare, fruſtra tentatam à Lutheranis fuiſſe aliquoties, viam ineundæ cum Zuinglianis concordiæ. Eventu enim ipſo atque experientiâ comprobatum fuiſſe, rem non ſeriò à noſtris agi, ſed prætextu ſimulatæ concordiæ, noſtros nihil aliud quæſiiſſe, quàm ut ſic commodius in Lutheranas Eccleſias ſuum venenum clam & per cuniculos inſtillarent. Vnde colligit, omnem illum laborem concordiæ ineundæ, non tantùm irritum, ſed & pernitioſum tum olim fuiſſe, tum etiam in poſterum fore: ideoque neceſſarium omnino fuiſſe remedio damnationum adverſus noſtros vti. *Proferre autem debuit* Pouchenius *aliquot Lutheranorum tam ſolliciti conatus, tamque operoſi laboris ad ineundam cum Zuinglianis concordiam, eoſque ab errore ad viam veritatis revocandos, teſtimonia: atque ex illis demonſtrare, per nos ſolos ſletiſſe, quo minus vel ſyncera concordia, tum ſanciretur: vel ſi ſancita aliquando fuit, noſtrorum culpâ illam diremptam fuiſſe. Ter ad ſummum vivente adhuc* Luthero *Zuingliani cum Lutheranis de Cœna Domini contulerunt, & de ineunda concordia egerunt: Marpurgi ſemel Anno* 29. *deinde Vuittenberga anno* 36. *Poſtremo Schmalcaldiæ anno* 37. *Quiſquis verò diligenter & ſyncere acta horum Conventuum evolverit & examinârit, facilè intelliget, à quibus pacta concordiæ ſincerius fuerit expetita & obſervata, & per quos violata & interrupta. Ac*

de Marpurgenſi quidem ſupra diximus, quòd etſi plena illic concordia ſanciri nequiverit (tùm quòd de hac ſola quæſtione non planè conveniret inter vtriuſque partis Theologos, num verum corpus & verus ſanguis Chriſti, pani & vino Cœnæ corporaliter inſint: tum quòd longiorem moram non patiebatur contagioſus ille morbus, quem Sudorem Anglicum vocabant, qui totum oppidum invaſerat, & mirè ibidem graſſabatur) tamen & ea capita doctrinæ, in quibus vtrique, tum in hoc Articulo de Cœna, tum in reliquis conſentirent, diligenter & perſpicuè, non à noſtris, ſed à veſtratibus, ibi conſcripta fuerant. Et ſanctè utrinque iuratum ac promiſſum, fore ut deinceps alii in alios Chriſtianam charitatem colerent, & exercerent: mutuisque precibus vtraque pars aſſiduè à Deo peteret, ut verum intellectum ipſis largiri, & conſtabilire in eo de quo adhuc vtrinque non conſtabat, dignaretur. Quæ hic ergo captiones, quæ inſidiæ, quæ verborum aut phraſium obſcuræ ambiguitates, ut Pouchenius cavillatur, noſtris obiici poſſunt? Imò quæ condemnatio ibi ſancita, quum vtrique pariter ſibi veritatem ſui dogmatis à Deo revelari precarentur? Scimus quidem multa falſa paulò poſt, de hoc Colloquio in odium Zuinglii, tum per Germaniam, tum per alias regiones, ſparſa fuiſſe, quaſi ille aut pleraque retractâſſet, aut propter metum plebis cui præerat, ſuam de doctrina Cœnæ ſententiam non auſus eſſet revocare. Sed eiuſmodi criminationes & manifeſtas calumnias Bucerus ipſe, vtriuſque partis interceſſor, ſolidè ac verè mox refutavit, tum in Præfatione quam ſuis Commentariis in Evangelia præfixit, tum in Epiſtola quam præmiſit libello de non. habendis ſimulachris in templis: In quibus fuſe & verè explicat quid, quomodo, quibùſque dè cauſis Marpurgi Luthero conceſſum fuiſſet, ut nunc nihil opus ſit ea refricare. Qui porrò priores eas pactiones Marpurgi ſubſcriptas, ſint transgreſſi, tum ex Epiſtola Lutheri ad Iacobum præpoſitum Bremenſem concionatorem, tum ex Epiſtola Melanthonis ad Gerolitium Paſtorem Brunſvicenſem, omnibus jam diu apparuit: Multò verò clariùs ex literis eiusdem Lutheri ad Illuſtriſſimum Principem Albertum Marchionem Brandenburgenſem anno 1532. ſcriptis: ac poſtremò ex aliis eiusdem literis ad Senatum populumque Francofordienſem, anno 33. evulgatis, quibus & Principem illum, & Francofordienſes contra pacta conventa Marpurgi ſubſcripta, hortatur: non modo ut ſibi à Zuinglianorum doctrina caveant, ſed etiam eos finibus ſuis pellant: nec quicquam cum illis communicent. Et poſtremò ex libro eiusdem de privata Miſſa, quem eodem anno 1533. edidit: nullâ certe re à noſtris offenſus, ut qui ſemper diligenter caverunt per totum ſeptennium, ne quicquam, quod paci Eccleſiarum officeret, aut pacta illa Marpurgenſia violare videretur, committerent: ſuam duntaxat innocentiam, & eorum qui cum ipſis ſentirent defendere adverſus eiusmodi accuſatores privatis literis contenti: vti ex literis Tigurinorum Theologorum ad præfatum Principem ſcriptis, & poſtea editis, patet. Niſi quod Tigurini eo vltimo Lutheri ſcripto graviter offenſi, tandem impulſi ſunt, communi Eccleſiarum ſuarum conſilio Apologiam conſcribere, quâ doctrinæ ſuæ & rationem redderent, & calumnias Lutheri ac ſequacium ipſius depellerent: Eam tamen Apologiam typis non evulgârunt, ne conſilia eorum interrumperent, qui jam tum in hac ſopienda contentione toti erant. Quid ergo hic habet Pouchenius quod cavilletur, fruſtra tentatam toties cum noſtris conciliationem? De formula autem Concordiæ Vuittenbergæ concepta, & Smalcaldiæ demùm confirmata, multo magis etiam idem dici poteſt. Quomodo enim impiis, aut ſubdolis phraſibus ſeſe iſti ab Helvetiis ibi deceptos conqueri poſſunt: quum neque ipſi præſentes adeſſent: neque capita concordiæ illius conſcripſiſſent: ſed Melanthon ipſe, Bucerus & alii, conſenſu tum Lutheri, tum totius illius conventus, ad id ſ[illegible] & deputati: Quinimò quum ea Helveticis Theologis eſſent per Bucerum ipſum communicata, non niſi cum magis dilucida explanatione ea probare voluerunt: quòd multa in eis tum obſcura, tum ambigua comperirent. Tandem vero ut omnibus pateret, quàm candidè illi in componenda hac controverſia, & firma ſolidaque concordia ineunda incumberent: & ut Luthero ac reliquis ſatisfacerent, qui paulo ampliorem quorundam Articulorum ſuæ confeſſionis explanationem, de Miniſterio præſertim & Sacramentis, deſiderabant: valde dilucidam eorum Articulorum declarationem Confeſſioni addiderunt: quàm Lutherus ipſe ad ſingulos Articulos illos reſpondens, & approbavit, & præclaro teſtimonio, in ſua ad Helveticas Civitates reſponſoria epiſtola, ornavit: omnem deinceps eorum quæ hinc inde non ſatis dilucidè de Sacramento Cœnæ aut dicta, aut intellecta eſſent, compoſitionem, Bucero & Capitoni committens. Laudavit etiam inprimis Helvetiorum ſtudium ad hanc concordiam ex animo promovend[illegible]. Si quid ergo fraudis, ſi quid ſimulationis, in hac concordia & conciliatione fuit, id certe Helvetiis nullo pacto imputari, cum veritate poteſt, qui clare ſemper proteſtati ſunt, ſe eatenus capita Vuitterbergenſis concordiæ, aliaſque conciliationis conditiones recipere, quatenus cum Articulis Confeſſionis ſuæ per omnia convenirent, neque plane eorum ſenſui in vllo repugnarent, aut quicquam in iis vel immu-

immutarent vel infirmarent. *Has perſpicuas conditiones ſine vlla exceptione* Lutherus *& reliqui omnes intellexerunt & approbârunt. Quomodo ergo ſe deceptos iſti conqueri poſſunt falſâ & ementitâ phraſium ſuarum imitatione, ut* Pouchenius *impudenter ſcribit? Apertè enim & ſincerè hoc ſemper præ ſe tulerunt Helvetii, ſe neque ſententiam neque mentem ſuæ Confeſſionis vllo modo mutare conſtituiſſe: tantum abeſt, ut ſuos loquendi modos ſacramentales & Scripturæ proprios vſquam abjecerint. Neque is fuit* Lutherus *qui vel facile peregrinis aut novis locutionibus decipi potuerit, vel de pietate & ſinceritate* Buceri *&* Capitonis, *quibus totum negotium concordiæ commiſit, dubitârit, aut contra charitatem quicquam ſiniſtri de iis ſuſpicari debuerit. Quod ſi vllis ille* Buceri *actiones rationeſque pacis & concordiæ, in hac Sacramentaria controverſia ſanciendæ, meritò ſuſpectæ eſſe potuerunt, habebant certè Zuingliani, potius quàm alii vlli, quod in eis deſiderarent, ut ex literis illorum mutuò hinc inde ſcriptis demonſtrari poteſt. Verum quòd hæc concordia tantis laboribus per totum triennium conciliata, vix integrum biennium duravit, Dei fuit juſtum judicium, qui oſtendere tamen voluit, vtri ſincerius ad hanc controverſiam ſopiendam acceſſiſſent. Cum enim Zuingliani perpetuam & priorum omnium offenſionum oblivionem ſancitam eſſe ſperarent: quemadmodum ipſi conſtituerant nihil poſthac acerbe & contumelioſè in quenquam aut ſcribere, aut publicè declamare: ita confidebant omnino* Lutherum *in Sanctis ſuis promiſſis & Proteſtationibus conſtanter perſeveraturum. Sic enim inter alia ad eos ſcripſit:*

Itaque amanter rogo P. V. ut dent ſeriò operam, quo tam apud vos, quàm apud veſtros, vociferatores illi, qui adverſus hanc noſtram concordiam debacchabuntur, ſuos clamores cohibeant, populumque ſimpliciter doceant: & hoc totum concordiæ negotium illis curandum relinquant, qui ad hoc vocati & idonei ſunt (*Bucerum & Capitonem intelligit*) ut & nos viciſſim tam in ſcriptis, quàm in concionibus penitus quieſcemus: & ab ejuſmodi clamoribus adverſus veſtros abſtinebimus, ne vllam impediendæ concordiæ occaſionem præbeamus, quam & nos ex animo videre cupimus, ut Deus novit. Et quidem hactenus clamorum & digladiationum abundè ſatis fuit, ſi iis aliquid promoveri debuiſſet. Hoc vero inprimis vos oratos velim, ut de me vobis ea omnia polliceamini & ſtatuatis, quæ de eo, qui & ex animo vobis ſit affectus, & in quo nihil eorum deſideraturi ſitis, quantum in mea fuerit poteſtate, quæ ad promovendam concordiam iuvare & inſervire valeant. Hoc Deus ipſe novit, quem in animam meam teſtem appello. Nam diſſidium hoc neque me, neque alium quemquam iuvit, ſed damni multum multis attulit: ut indè nihil vnquam vtilitatis & boni ſperari, vel olim potuerit, vel deinceps poſſit. *Hactenus Lutherus. Quid ergo inde ſperari potuit à Zuinglianis, quàm ut perpetua foret hac concordia, nec temerè ab ipſo Luhero interruptam iri? at magno ſuo dolore non multò poſt contrarium experti ſunt. Nam anno 39. in Libro de Patribus & Conciliis* Zuinglium *Neſtorianum fuiſſe aſſerit, quòd videlicet Divinam in Chriſto Naturam dolores paſſam fuiſſe negaret. Et conquerentibus per literas de hac injuria atque concordiæ violatione* Tigurinis, *ille nihil quidem reſpondit, ſed anno rurſus 42. libellum edit de Precibus contra Turcas: in quo præter alia, cauſam cur Turcæ ita graſſarentur, in Zuinglianos confert. Hæc tamen Helvetii ita patienter ferebant, & ſuo ſilentio emollire hujus viri iracundiam tam ſtudioſè conabantur, ut eorum ſocordiam multi boni viri & pii accuſarent: quaſi toties provocati, neque ſuæ exiſtimationis, neque publicæ veritatis vllam rationem haberent, adeò ut tandem ſilentium abrumpere coacti,* Apologiam *conſcriberent, in qua & doctrina tota* Zuinglii *breviter cum veterum Patrum doctrina conferebatur, & adverſariorum criminationibus modeſtè reſpondebatur. Cumque anno 44.* Lutherus *repugnantibus ejus Collegis ederet Annotationes ſuas in Geneſin, & poſtremam ſuam Confeſſionem de Cœna: in quibus libris non modò frequenter in Zuinglianos invehitur, ſed eos etiam palàm hæreticos, Sacramentorum hoſtes, & perditos, æternumque damnatos appellabat,* Tigurini *iuſtis & magnis de cauſis adverſus illam Confeſſionem aliam conſcribere impulſi ſunt. Hæc cum ex hiſtoria fuſius cognoſci poſſint, quis* Pouchenio *credet, aſſerenti, in concordia nobiſcum ſancienda & ſtabilienda laborem, toties per noſtros irritum factum fuiſſe? aut ipſorum Eccleſiis perniciem aliquam, vel tum intuliſſe vel jam adhuc inferre? quaſi non ab ipſo* Luthero, *nullâ ipſi præbitâ à noſtris occaſione, à promiſſis atque juratis concordiæ conditionibus, diſceſſum prius fuerit, quam à noſtris? Quæ ergo* Pouchenius *hic nobis ſubterfugia, quas inſidias, quos dolos vel impingere, vel firmis teſtimoniis probata oſtendere poterit, quæ non potius in ſuos contorqueantur, qui omnes pacis vias & conditiones, non modo violare & aſpernari, ſed & obſtruere totis viribus ab eo tempore conati ſunt.*

His addit Pouchenius quartam *rationem, cur ſuperfluum atque inutile fuerit, nos de* Refutatio quartæ rationis Pouchenii.

novo

novo ad cauſam dicendam vocari, atque novum iudicium inſtitui, ad nos induratos iterum convincendos, aut in viam revocandos: Quòd nimirum omnes judices, omneque judiciorum genus defugiamus. Hoc autem ſophiſticum eſt. Oſtendit Palmerius in prima Nullitate, Bergenſes Patres incompetentes eſſe judices hujus cauſæ noſtræ: tum quod neque nos illorum Eccleſiaſticæ cenſuræ aut juriſdictioni ſubiiciamur: tum etiam, quòd in illos judices, vel arbitros non conſenſerimus. Ex his verò malè colligit Pouchenius, Noſtros omne genus judiciorum defugere, & nulli judici ſeſe, ſuamque doctrinam ſubiicere velle, qui in noſtras Eccleſias ſummum jus non obtineat. Si autem non omnem judicem repudiant, qui privatos duntaxat, & ſeſe extra muneris ſui metas efferentes judices recuſant. Imò nos ab Illuſtriſſimis Principibus petimus, ut juxta veteris Eccleſiæ morem laudatiſſimum, liberam Synodum indicere & convocare dignentur, in qua noſtri adeſſe & audiri poſſint. Hoc autem Bergenſium culpâ impetrare non poſſumus.

Refutatio quintæ rationis Pouchenii.

Quinta ratio Pouchenii eſt, quòd nec ipſi tali judicii ordine in Lutheranis Eccleſiis damnandis vtamur, qualem ab ipſis poſtulemus: quippe qui paſſim dogma ipſorum de Conſubſtantiatione & Vbiquitate horrendis epithetis conſpuamus. Quum autem fateatur Pouchenius illas ſuorum poſtremas condemnationes, & conſilia ſubſcriptionum, eò tendere, non ut dogmatis noſtri falſitas ſimpliciter commonſtretur, quod privatis ſcriptis fieri poteſt, ſed ut externa Eccleſiæ publicâ excommunicationis ſententiâ, tanquam hæretica damnentur & à pace Eccleſiæ ſeiungantur, nihil commune habent illorum condemnationes, cum iis quæ noſtris à Pouchenio obiiciuntur. Aliud enim eſt diſputare, & verbis dogma improbare aut tanquam falſum confutare, illudque propriis coloribus depingere, ne fallat quenquam: aliud autem omnes Eccleſias ſecum non ſentientes, à privatis aliquot hominibus inauditas, ita hæreſeos condemnari, ut poſt hac propter vnum vel alterum controverſum dogma, ab Eccleſiarum conſortio & pace excludantur. Hoc ſine legitima cauſæ dictione & cognitione in Eccleſia fieri nec poteſt nec debet. Neque etiam probari poteſt noſtros quicquam ſimile in Lutheranos, aut olim egiſſe, aut hodie conari. Hæc de rationibus Pouchenii adverſus hypotheſin tertiæ Nullitatis Palmerii.

Theſeos Palmerii confirmatio.

Theſis vero Palmerii hæc erat: Legitimum judiciorum ordinem pervertere eos, qui indictâ & incognita cauſâ, & partibus non modò non auditis, ſed etiam ne citatis quidem aliquos condemnant. Hanc theſin tanquam certiſſimum axioma, ab omnibus gentibus probatum, & in rectis omnium judiciis vſurpatum, pluribus exemplis confirmârat Palmerius. Pouchenius verò hæc teſtimonia & exempla ut eludat, ad ea nihil aliud reſpondet, quàm paralogiſmum eſſe à particularibus factis, ad univerſalem legem: cum tamen non particularia facta duntaxat protulerit ex Scriptura Palmerius, ſed etiam legem ipſam publicam & univerſalem à Deo ipſo de ordine judiciorum ſancitam Exod. 24. & Deut. 17. Et quia Pouchenius hanc legem à Palmerio recens excogitatem, & prius toti Eccleſiæ incognitam, huncque morem judiciorum inauditum eſſe, perſuadere conatus eſt Atpaltes contra Theſin Palmerianam confirmat porro etiam, primò, ex fine Synodorum in primitiva Eccleſia celebratarum: ſecundò, ex earundem Canonibus & legibus Imperatoriis: tertio, ex Orthodoxorum quoque Patrum & Doctorum, tam Græcorum, quam Latinorum teſtimoniis: quartò, ex ipſa quoque Auguſtana Confeſſione.

Pag 387 &c. Pag 376. &c. Pag. 413.

Ad quartæ Nullitatis confutationem reſponſio.

Quarta Nullitatis cauſa, ob quam Palmerius Condemnationes Bergenſium nullius authoritatis eſſe debere putat, eſt, quod omnibus Lutheri libris, eandem quam Scripturæ ſacræ, & primis quatuor Eccleſiæ Conciliis auctoritatem tribuant: ea conſilio, ut omnes poſt hac in eos libros, æquè ac in ipſum Dei verbum jurare compellant. Pouchenius in prima ſua ad hæc reſponſionis parte ait, Nos ideo extenuare Lutheri ſcripta, quod in iis perſpicuis Scripturæ teſtimoniis noſtram de Cœna Domini doctrinam protriverit, &c. Quod autem ad diſceptationes cum Luthero ipſo à noſtris olim habitas attinet, cur tandem Vualdenſium Confeſſionem, quæ eadem cum noſtra eſt, ita probavit ille, ut nihil diverſum, aut contrarium illos à veritate ſentire fateretur? Oportuit certè Lutherum tum propriæ conſcientiæ teſtimonio, tum Vualdenſium ſcriptis & rationibus ſuperatum fuiſſe. Vbi eſt igitur illa firmitudo argumentorum Lutheri, quibus adverſarios ſuos protrivit? Quid præterea movit Lutherum, ut apertè cum Helveticis Eccleſiis biennio poſt, concordiam ſanciverit, approbata eorum tum Confeſſione, tum declaratione, in qua eandem prorſus doctrinam ſe profiteri non diſſimulârunt, quam & prius & hodie etiam nunc tenent. At non quod eam ſenſiſſet eſſe vim veritatis, ut ei amplius obſiſtere nec vellet, nec poſſet? hoc enim aperte fatetur ipſe in Epiſtola ſua ad Helveticas Civitates.

Secundi capitis reſponſionis Pouchenii ad 4. Nullitatem refutatio.

In ſecunda reſponſionis ſuæ parte ad hanc quartam Nullitatem negat Pouchenius, quod ipſi ſcripta Lutheri Sacræ Scripturæ

&

& primis Eccleſiæ Conciliis exæquent: & ſic firmiter illis inhæreant, ut æquè in ſcripta Lutheri, atque in ipſum Dei Verbum homines jurare compellant. Hanc autem Proteſtationem facto contrariam eſſe ſupra oſtendimus, quum ageremus de altero Torgenſi Conventu ſuprà vbi inter alia indicavimus, in ipſa Formula Concordiæ Torgenſes & Bergenſes apertis verbis fateri, ſe nullam aliam fidei Confeſſionem recipere poſſe aut velle, quæ non conveniat cum ſcriptis polemicis & interpretatione Lutheri, ad quæ omnes fidei Articuli referendi ſint. Fatetur etiam Pouchenius, ipſos Lutheri ſcriptis tantum ponderis tribuere, ut in rebus fidei illis NITANTVR. Hoc nihil eſt aliud, quàm Lutheri ſcripta pro regula fundamentali fidei, non minus quam libros Canonicos conſtituere, ex quibus ſolis liceat de veritate aliarum doctrinarum judicium facere, ut habet etiam Præfatio libri Concordiæ. Adhæc ſi ſolâ ſacrâ Scripturâ contenti ſunt, ad ſtabiliendam Eccleſiarum ſuarum doctrinam: quid tot gradibus librorum, atque humanorum ſcriptorum opus fuit, ad hoc novum corpus efformandum, & fundandum, quod poſtea omnes Eccleſiæ cogerentur ſubſcribere? Deinde, ſi non ob perſonæ authoritatem, ſola Lutheri ſcripta in tanto habent pretio, cur aliorum ſcripta, quæ inde ab initio à Lutheranis Eccleſiis non minus approbata, & communi ac publico conſenſu recepta & ſubſcripta fuerunt, quàm Lutheri ſcripta, non eodem habent loco, pretio & authoritate? Cur illis abrogatis novum Corpus hoc in illorum locum ſubſtituunt? Præterea nolunt ſcripta Lutheri, æquè ut aliorum, ad examen Scripturæ Sacræ exigi: & Eccleſiæ in illis examinandis & diiudicandis eam libertatem præcidunt, quàm ipſe Lutherus ei vltrò conceſſit. Res ipſa igitur loquitur, Bergenſes cum ſuis, Lutheri ſcripta pari omninò dignitate & authoritate habere, quam veteres non tantum Symbolis illis tribus, quibus iſti apertè ſcripta Lutheri comparant, ſed etiam ipſi ſacræ Scripturæ tribuerunt, ex qua ſola de veritate doctrinæ judicandum, & condendos fidei Articulos Lutherus ipſe faſſus eſt.

Quintæ nullitatis confirmatio, & Pouchenii ad eam reſponſionis confutatio.

In refutatione quintæ & vltimæ Nullitatis Palmerianæ, ait Pouchenius, Palmerium fingere, quicquid in forma colligendarum ſubſcriptionum ab iſtis ſex Theologis factitatum eſſe dicat. Ipſe autem pollicetur, ſe ex vera rei commemoratione commonſtraturum vana eſſe hæc omnia: ut ſupra in refutatione eius indicavimus, quo benevolum Lectorem remittimus, ut ſequentia rectius ac melius intelligat, præterquam autem, quòd Pouchenius vera horum initia minimè attingit, ſed callide ſubticet; ſic præterea ſuam hanc narrationem contexit, ut quibus de articulis loquatur, nemini facilè conſtare poſſit. Eſt enim tota hæc eius narratio non modò confuſa, ſed etiam valdè incerta & ambigua.

De modo agendi in conſcriptione & ſubſcriptione Concordiæ Libri.

Initia turbarum in Saxonia longè alia fuerunt quàm Pouchenius narrat.

Quod igitur ad illa initia attinet, quibus Flacciani & Vbiquiſtæ, Sacramentariis, Saxoniam vexantibus, ut inquit Pouchenius, ſeſe oppoſuerunt, longè alia fuerunt, quàm ipſe narrat: niſi per Articulos illos paucos à Vuirtenbergicis Eccleſiis, ſeu potius ab ipſo Shmidlino, primùm conſcriptos, illos intelligat, qui Torgæ anno 1571. à Quindecimviris conſcripti fuerunt. Hinc enim factum eſt initium harum condemnationum adverſus, quos ita vocant, Sacramentarios. Sic autem ſe res habet, ut ab initio etiam operis hujus indicavimus. Quum vtraque Saxoniæ Academia, Lipſenſis & Vuttebergenſis anno 71. ex ſcriptis Lutheri & Melanthonis, atque eo potiſſimùm Corpore doctrinæ, quod tam in omnibus Saxonicis, quàm in aliis etiam ac vicinis, remotiſque Eccleſiis, indubitatam authoritatem obtinebat, ſinceriorem doctrinam repetiiſſent, De Aſcenſione Chriſti in cælos & Seſſione eiusdem ad dexteram Patris: de hypoſtatica duarum naturarum in ipſo vnione: ac denique de vera præſentia ac communicatione Corporis Chriſti in Cæna: editâ Cathecheſi Latinâ & Repetitione Dreſdenſi Germanicâ: Hac, inquam, occaſione cœperunt novi iſti reformatores, non modò ſcriptis ſuis virulentiſſimis, Academias iſtas calumniari, & quaſi Sacramentarias paſſim traducere & damnare: ſed aliis etiam artibus præcipuas illarum Academiarum doctores & profeſſores perſequi. Nec prius à ſua illa inſectatione, calumniis ac odiis plus quàm Vatinianis deſtiterunt quàm aliquos eorum ad Palinodiam, aliquos etiam in exilium pepulerunt. Hæc ſunt vera initia, ut ex initio quoque huius libri intelligi poteſt, quibus reformationem doctrinæ & Religionis procurârunt Vbiquitatis Patroni; quæ non modò diſſimulat Pouchenius, ſed malitiosè etiam pervertit: & impiorum illorum ac doctorum virorum odium & invidiam traducit, illis falſo adſcribens, quòd Lutheranas Eccleſias, propter falſarum opinionum refutationes, virulentiſſimè & acerbiſſimè inſectarentur & calumnioſè proſcinderent. Scilicet pravæ & Sacramentariæ opiniones iſtis hominibus ſunt, quæcunque monſtroſam illorum Vbiquitatem refellunt ac deteſtantur. At ſi hic quoque periculum aliquod ſuberat, non tamen vnius aut alterius Eccleſiæ judicio ſtandū erat, quæ vetere doctrinâ relictâ aut Vbiquitariorū, aut Flaccianorū dogma amplexæ erant: ut de Ienenſibus, Branſvicenſibus & aliis conſtat; ſed priusquam in illos de Academiis & Eccleſiis Sax. benè meritos viros ſæviretur, cogenda fuit libera Synodus,

non

non quindecim tantum virorum, ſed omnium Eccleſiarum, ut tum vtrunque illud ſcriptum liberè ac ſolidè ex verbo Dei examinaretur, & cum receptis iam in eorum Eccleſiis ſcriptis, diligentiſſimè communi omnium conſenſu conferretur, ſicut illorum authores poſtulabant; tum eorum authores liberè in ſua defenſione audirentur, ſicuti antiquitus fieri conſuevit. Ac contrà iſti ſcriptis quidem ſuis privatis, inſolenter pro cuiusvis libidine, ſcripta illa ſuggillârunt, magis quàm refutârunt: adeò, ut appareret illos privatis ſuis affectibus indulgere, potius quàm publicam Eccleſiarum pacem & vtilitatem quærere. Adhibitæ ſunt etiam graviſſimæ adverſus illarum Academiarum rectores & Profeſſores, comminationes: donec tandem in carcerem coniectos, aliquos eorum ad palinodiam minis & terroribus adigerent. Tam ſtrenuè ergo debellatis & depulſis ſuis Antagoniſtis, cœperunt ſtrenui iſti bellatores tandem Conventus agere, in quibus ſine defenſione legitima, & libri illi alioquin eruditiſſimi ac vtiles, & eorum authores damnati ſunt. Hinc Torgenſe illud conciliabulum à quindecim viris celebratum, in quo Articuli per Theſin & antitheſin conſcripti ſunt, vt ab initio indicavimus: quos ſtudioſi, ac præſertim ſtipendiarii Electoris omnes ſubſcribere coacti fuerunt, niſi ſuis ſtipendiis privari mallent: & catalogus prolixus ſubſcriptionum publicè ad alios terrendos editus eſt, ut magis numero quàm ratione vincere velle viderentur. Iudicent jam pij Lectores, an nihil ſit in hac procedendi ratione reprehenſione dignum, nihil iniquum, nihil violentum, ut volunt iſti.

Quum autem Torgenſes illi Quindecim viri in ſuis illis Articulis Vbiquitatis dogma refellerent ac repudiarent, non potuere etiam tum Vbiquitarii & Flacciani diſſimulare, quàm non per omnia illis probarentur Quindecim virorum Torgenſium ſcripta & ſententiæ: quæ etſi in Sacramentarios, ut vocant, rectà ferrentur & ſævirent, parcebant tamen Melanthonis *tum famæ & authoritati, tum etiam eius ſcriptis, quæ iſti ſimul damnata volebant. Hinc magnæ contentiones & concertationes inter Flaccianos Vbiquitarios & Torgenſes illos ortæ ſunt. Et ita apparet, utranque illam rationem, quam prætexit* Pouchenius, *ut probet, ſuos iuſtam cauſam habuiſſe ad novas iſtas condemnationes in nos inſtituendas, culpâ potius Vbiquitariorum niti, quàm legitimo vllo fundamento: quum non jam Sacramentarii, quos ita vocant, in illos committerentur, aut illos jam infeſtarent: ſed illi ipſi inter ſe decertarent, An ex Vbiquitatis principiis, an vero ex verbis Cœnæ præſentia Corporis Chriſti in pane conſtituenda eſſet? Item, an retinenda eſſent* Philippi *ſcripta, an verò tanquam ſacramentaria damnanda? Hæ fuerunt harum contentionum & turbarum veræ cauſæ: ad quas componendas opus fuit ad legitima remedia recurrere, hoc eſt, quærenda communi omnium Eccleſiarum, invicem diſſidentium, conſenſu reconciliationis & veræ concordiæ via: non autem ab ullis particularibus ſive Eccleſiis, ſive Theologis, aliquid tentandum aut præſumendum propria ſua authoritate, ſicut* Pouchenius *ait Vuirtenbergenſes feciſſe, neque rogatos ab aliis, neque legitime ad tantum opus vocatos. Quis enim Vuirtenbergenſib. aut potius Tubingenſibus hanc authoritatem dedit, ut ſoli Articulos tam affirmativos, quàm negativos conderent, quos poſtea reliquis omnibus Eccleſiis obtruderent?*

At inquiunt, in eum finem ſunt propoſiti, non ut ſimpliciter & ſine diſquiſitione approbarentur: ſed ut ſinguli diſpicerent, atque annotarent liberè quid approbatione, mutatione aut explicatione dignum cenſerent: ut poſtea expenſis ſingulorum iudiciis, communis inde Concordiæ Formula conſtitueretur. Sit ita ſanè. Sed quid Vbiquitarios movit, ut alios anteverterent? niſi fortè aut ſuſpecta fuit illis aliarum Eccleſiarum diligentia: aut ipſi ſuam authoritatem aliis præferre voluerunt, ut ita ſuo dogmati promovendo quo iure, quavè iniuria diligentius ſtuderent: & legem potius ipſi aliis darent, quàm ab aliis acciperent.

Sin verò Pouchenius *per illos Vuirtenbergenſium Articulos intelliget illos, quibus Bergenſis Pandora condi atque efformari, ornarique cœpit: erras primùm in hiſtorica narratione: neque enim Torgenſium primus ille conatus ad opprimendos Sacramentarios omitti ab eo debuit, in prolixa ſua de illorum in Saxonicas Eccleſias conatibus narratione: illis enim primùm ſeſe iſti Quindecim viri ſuis condemnationibus oppoſuerunt. Deinde ad ſubmiſſionem illam quod attinet, qua priores illos ſuos Articulos dijudicandos omnibus propoſuiſſe dicit, ea fuit ejusmodi, ut non omnium cenſuras aut animadverſiones, vel admiſerint, vel approbârint: ſed eorum duntaxat quos ſecum ſentire in doctrina Vbiquitaria deprehenderunt. Vnde in præclaro illo ſuo ad Electorem Saxoniæ Conſilio volunt ad illos primùm ac potiſſimùm ſuam Pandoram mitti, quos certò ſcirent eius ſubſcriptionem non detrectaturos. Quæ hic ergo libertas in dijudicandis, emendandis, explicandiſque illis prioribus articulis, ſingulis relicta fuiſſe dicetur? cum nulla eorum ratio ſit habita, qui expungendum prorſus dogma Vbiquitarium, & moderandam condemnationum formulam cenſuerunt? Deinde quis iſtos ſex Patres, cum ad finem res eſſet deducta, & ſingulorum auditæ ſeu viſæ cenſuræ, judices conſtituit, ut de illis ſoli diſcernerent ac ſeligerent quæ admittendæ, quævè omittendæ animadverſiones & in*

novum

novum ſuum corpus inſerendæ eſſent? Non fuit is certè animus aut intentio optimi Electoris: qui illorum quidem ea de re conſilium audire cupivit, ſed ita ut omnia ad liberam Synodum poſtea referrentur, quæ examinatis ſingulorum animadverſionibus tandem communi omnium conſenſu, ſtatueret, quid de illis eſſet retinendum, quidve expungendum. Hoc ſi Bergenſes eſſent ſecuti, nec mandati fines Bergæ exceſſiſſent rectè feciſſent. At cùm conſtet illos ſibi ſolis totum hujus negotii judicium ſine Eccleſiarum, aut juſſu, aut conſenſu uſurpaſſe, & Synodum clanculario ſuo conſilio impediviſſe: quis non animadvertat eos adverſus omnem judiciorum ordinem manifeſtè peccaſſe:

Quod autem quærit Pouchenius, *Annon liceat extra Synodum in puram aliquam & ſinceram doctrinæ formulam conſentire, eamque tanquam doctrinæ & confeſſionis ſuæ ſymbolum, cum ſubſcriptionum collectarum teſtimoniis, in publicum edere? Reſpondetur, primùm non licere privatis, Articulos fidei condere, etiamſi id conſenſu aliquot millium hominum fiat. Neque enim hic multitudo ſpectanda, aut ſequenda eſt, ſed veritas, & Eccleſiarum omnium conſenſus Verbo Dei congruens. Deinde multum intereſt, quomodo ſubſcriptiones illæ ſint collectæ: ut nihil per fraudem, nihil coactè, nihil violenter geratur in ejuſmodi rebus, quæ conſcientiam obligant. Poſtremò, ſicut liberum eſt aſſentiri ejuſmodi privatis ſcriptis, ita etiam liberum eſſe debet repudiare ea & recuſare:* Omnia enim probate, *inquit Apoſtolus*, quod bonum eſt tenete. *Si ergo quibuſdam Eccleſiis illa probentur, quibuſdam verò improbentur: non debet nec poteſt quorundam approbatio & ſubſcriptio, aliis improbantibus præjudicare: neque propterea damnandi aut excommunicandi ſunt, qui illis ſuum aſſenſum denegarint, donec controverſi articuli publicâ Eccleſiarum authoritate fuerint ex Verbo Dei examinati & approbati. In ejuſmodi enim publicis ſingularum aliquot Eccleſiarum diſſenſionibus neceſſariam eſſe Synodi generalis convocationem non ſolùm in tertia Nullitatis confirmatione judicatum eſt, ſed probat etiam porrò Aſpaſtes.*

Pag. 495. De hæreſibus in & extra Synodos damnatis.

Quòd verò poſtea cupit Pouchenius ſubduci à nobis rationem, & conferri numerum hæreſium, quæ in celebribus Synodis, publicisve Epiſcoporum ſuffragiis, cum iis quæ extra Synodum privatim refutatæ & damnatæ fuerunt: *fruſtra id a nobis requirit. Neque enim dicimus*, nullas hæreſes damnatas fuiſſe, niſi in communibus & generalibus Conciliis. *Sed hoc dicimus, nunquam publicas de doctrina controverſias ſopitas, nec paſſim graſſantes hæreſes, ſine legitimo judiciorum Eccleſiaſticorum ordine, ſive in particularibus id fuerit Eccleſiis ſive in provinciis, & diœceſibus damnatas fuiſſe, ut nunc à Bergenſibus factum eſt.*

De extorſis ſuffragiis.

Præterea Palmerium mentiri dicit *Pouchenius*, quod hujus libri architectos aſſerit conſilium inter ſe cœpiſſe, de ſuffragiis & ſubſcriptionibus, partim blanditiis & precibus efflagitandis, partim Principum quorundam authoritate & gratia exprimendis. *Id verò non ſolùm ex conſultatoria illa epiſtola à Bergenſibus Bergæ ad Electorem Saxoniæ ſcripta, ſed etiam ex aliis rerum inde ſubſecutarum teſtimoniis & effectis probari poteſt, quæ ſuprà indicavimus. Ex quibus apparet huc omninò ſpectaſſe ſemper Bergenſium ſtudia, ut quoquo modo ſubſcriptiones juxta præſcriptum conſilii illius ſibi extorqueant.*

Bergenſes noluerunt ab initio Formulam ſuam ſuſpectis cōmunicari.

Quòd verò Pouchenius arguit, non fuiſſe hæc clam & occultè ab iſtis geſta, quia quædam exemplaria Concordiæ ad nos perveniſſe ipſi fateamur: & legationibus aulas Principum Germanorum fatigare non deſierimus, ut hoc opus non modo remorari, ſed etiam impedire & evertere conaremur: *in eo ſuam ipſe vanitatem prodit* Pouchenius, *qui quod de iſtorum conſilio & mente & voluntate dicitur ab eventu, quem iſti contra ſpem & expectationem poſtea experti ſunt, falſum eſſe vult evincere. Atqui apparet ex illa ipſa Bergenſium epiſtola ad Electorem* Auguſtum *huc omninò ſpectaſſe iſtos, ne liber ullis communicaretur, quorum ſuſpecta ſibi fides & doctrina eſſet, niſi poſt impetratas prius ſubſcriptiones ab iis, quos certò confidebant ſecum per omnia ſentire, & quorum nomina etiam ibidem exprimere non erubuerunt. Sic enim ſperabant fore, ut impetratâ ab iſtis ſubſcriptione facilius horum exemplo, eadem ab aliis quoque obtineretur: neque hujus conſilii ſui rationem præcipuam potuerunt prorſus diſſimulare. Verebantur enim, ſi vel Sacramentariis, ut vocant, vel Pontificiis ipſorum diſſenſiones atque recuſationes innoteſcerent, priuſquam aliquorum ſaltem conſenſus fuiſſet impetratus, ne juſtam id exultandi occaſionem utriſque daret. Sed fefellit eos ſua ipſorum prudentia & quantumvis ſpecioſus prætextus. Nam cùm plerique ex illis ipſis ad quos Liber ille tranſmiſſus fuit ſubſcribendus, accuratius rem ipſam conſideraſſent, factum eſt, ut nonnulli nihil ſibi, ſine conſilio in re tanti momenti agendū exiſtimantes cum vicinis, & alii longo uſu & rerū Eccleſiaſticarum peritiâ præditis conſultarint, Librumque ipſum illis ſimul communicarint. Hinc factū eſt, ut iſtorum de Orthodoxis, tacitis & emendicatis ſuffragiis ac ſubſcriptionib., damnandis conſilia, paſſim innoteſcere & divulgari cœperint: ac ad eos etiam tandem liber ipſe pervenerit, authoribus illius planè vel invitis, vel inſciis. Non ergo propter hunc inſperatū, & voluntati ipſorum contrarium ſucceſſum, ulla ipſis gratia habenda eſt: cū per eos non ſteterit, quin omnia rectè & ſubdolè acta & geſta, ex animi ipſorū voto ſucceſſerint.*

De Schmalcaldicis articulis in celebri conventu conſcriptis.

Quæ porrò de Smalcaldicis & Luneburgicis Articulis, deque repetitione Confeſſionis Saxonicarum Eccleſiarum conſcriptis extra Synodum, nec nobis, nec Pontificiis, accerſitis, ſubijcit, eo ipſò prodit ignorantiam rerum in Germania magnâ celebritate geſtarum. Smalcaldici enim Articuli in celeberrimò Principum & Ordinum Imperii, qui Evangelium profitebántur, conventu, Anno 37. conſcripti ſunt præſentibus quàm plurimis præcipui nominis Theologis, inter quos etiam noſtrarum erant partium Bucerus & Capito. Et eodem conventu adhuc durante, miſſa eſt declaratio Confeſſionis Helvetiarum Eccleſiarum, quæ à Luthero ipſo poſtea probata eſt. Illum ipſum igitur ordinem in conſcribendis Smalcaldicis illis articulis ad Conventum illum publicum obſervatum fuiſſe apparet, qui à noſtris maximè expetitur. Atque optandum eſſet eundem hunc ordinem in Formula Concordiæ conſtruenda aut approbanda Bergenſes iſti Patres diligenter ex ſententia Illuſtriſſimi Electoris Saxoniæ obſervaſſent. Melanthon etiam, nondum Calvinianus in Præfatione ad illa acta Smalcaldica docet, quæ ſit tum neceſſitas, tum utilitas legitimarum Synodorum: eo præſerim tempore, quo res multæ & magnæ, ut Philippi verbis utar, controvertuntur, quarum explicatio Eccleſiæ eſt neceſſaria.

De Luneburgenſibus articulis.

Ad Luneburg. Articulos quod attinet, fuerunt illi quidem in Conventu paulò celebriore, quàm fuit Bergenſis conditi, ſed à Saxonicis quibuſdam tantum, & quidem non ſine Bremenſium & aliorum, cum quibus erat controverſia, convocatione & præſentia: Et quamvis damnatio ibi facta de Alberto Hardenbergio Bremenſi Paſtore magnis tumultibus cauſam dederit in urbe illa, tamen id aliquo Eccleſiaſtico & judiciario ordine factum eſt, quem Bergenſes prorſus neglexerunt.

De conſcriptione Saxonicæ Confeſſionis.

Ad conſcriptionem Saxonicæ Confeſſionis quod pertinet, non fuit neceſſe, noſtros eò vocari & audiri, ubi nihil adverſum nos, noſtramque doctrinam tentare aut ſtatuere Vuittenbergenſibus in animo erat. Et quia ad ſolas Saxonicas res illa ſpectabat, ſatis fuit, ſi illarum conſenſu & approbatione Confeſſio illa conſcriberetur, quamvis aliæ quoque remotiores Eccleſiæ Vuittenbergæ ad illius & approbationem & ſubſcriptionem convenerint. Longè autem aliud eſt, Confeſſiones ſingularum vel Eccleſiarum, vel provinciarum conſcribere, in quibus quid de ſingulis Chriſtianæ doctrinæ capitibus illæ ſentiant, quidque aut improbent, palam profiteantur: quaſque poſtea aliis quoque Eccleſiis ad earum judicium explorandum communicent, quod noſtros feciſſe concedimus: ſed non abſque illarum ſaltem Eccleſiarum, in quarum uſum conſcribentur, convocatione & publicâ approbatione, ut Pouchenius falsò prædicat. Aliud verò eſt novam fidei formulam, à recepta jam Confeſſione alienam, & damnatos tum à vetere, tum à præſenti univerſali Eccleſia, Articulos continentem, à privatis aliquibus Theologis pro arbitrio conſcribi, quæ toti Chriſtianitati, poſtea clancularijs tantùm coitionibus approbanda & ſubſcribenda obtruduntur: eâ conditione, ut qui ſecus ſe geſſerint, aut eam ſubſcribere recuſarint, à publica pace Eccleſiarum, tanquam hæretici, cenſeantur alieni. Hoc ipſum vero eſt quod Bergenſes hoc ſuo libro moliuntur.

Ad privatas noſtrorum actiones Lutherani non admittuntur.

Quod verò Vbiquitarii ad privata noſtrorum conſilia & actiones acciti non fuerunt, quum præſertim inter Helvetias & Sabaudicas Eccleſias Anno 49 concordia etiam ſit inita reprehendi non poteſt. Non enim requirimus ab illis, ut adhibeamur ad privatas ipſorum conſultationes, aut confœderationes: eſſet enim hoc iniquiſſimum & prorſus inſolens, Sed petimus ne clancularijs aliquot Vbiquitariorum conciliis inauditi damnemur, & proſcribamur. Petimus ut utriuſque partis controverſiæ publicè communi conſenſu examinentur in Catholica Eccleſia, ut manifeſte appareat utra ex parte ſtet veritas, neque quiſquam cogatur iis ſubſcribere, quæ aut non probat, aut minus intelligit, donec acceſſerit publica & legitima omnium Eccleſiarum approbatio & conſenſus. Hoc a noſtris in ſuis illis conventibus diligenter cautum & obſervatum eſt.

Vt damnetur Vbiquiſtarũ doctrina ab orthodoxis.

At inquiunt, Noſtros fidem atque doctrinam ipſorum quoque damnare. Reſpondetur, diſtinguendas eſſe condemnationes quæ fiunt inter diſputandum, ab illis quæ fiunt in præjudicium perſonarum, & integrarum Eccleſiarum: hoc eſt, diſtinguendas verbales dogmatum improbationes, ab excommunicationibus & proſcriptionibus ſingularium aliquot, vel hominum, vel Eccleſiarum. Illæ liberè omnibus etiam privatis conceduntur, iſtæ nequaquam. Illis ſi quando in Vbiquitarios noſtri utuntur, non ideo vinculum pacis cum quoquam abrumpunt: agnoſcunt enim eos nihilominus pro fratribus, nec eos excommunicant aut proſcribunt: Vbiquitarii verò ne Eccleſiæ quidem Chriſtianæ titulum relinquunt: noſtroſque non modò Papiſtis, ſed ipſi etiam Turcis exæquant. Neque tamen idcirco dicimus, reorum aſſenſum ad juſtam condemnationem requiri: aut neminem ullâ pœnâ, quam volens non approbet, coercendum. Cauſæ dictionem, cognitionem, examinationem, convictionem, per legitimas probationes poſtulamus & quæcunque legitima judicia ipſis etiam facinoroſis concedere ſolent, quæ leges jubent, quæ & æquitas ipſa barbaris etiam hominibus ſuadet.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

Subſcriptione & Approbatione Formulæ Concordiæ à quibuſdam Principibus & Civitatibus magno ſtudio flagitata, ab iiſdem verò conſtanter recuſata.

Ioan Caſimirus Palatinus ſuadet exteros etiam ad Synodum vocandos.

V*Ltimâ Decembris Anni* 79. Ioannes Caſimirus *Palatinus* Ioanni Bipontino *Principi ſcribit, ſe vehementer probare Conſilium eius, de Conventu indicendo omnibus Ordinibus Auguſtanæ Confeſſionis. Sibi autem videri, quum exteri quoque pro membris Eccleſiæ habeantur, eos etiam ad hunc Conventum vocandos: quod à Pontificibus Romanis obtineri non poſſit, ut generale & liberum Conſilium conſcribant. Quare Gallos, Anglos, Scotos, Polonos, Hungaros, Helvetios, & Belgas non negligendos: alias non firmam & conſtantem futuram Concordiam. Conari nonnullos Imperatori perſuadere, aſſertoribus Auguſtanæ Confeſſionis imperet, ut Formulam hanc Concordiæ approbent & recipiant: hoc ipſo verò excitatum iri ſchiſmata, perſequutiones, præjudicia, &c.*

Reſpondet Bipontinus 8. *Ianuarii Anno* 1580. *fieri non poſſe, ut Imperator approbatores Auguſtanæ Confeſſionis adigat, librum Concordiæ recipiant, quum multi ex illis, nec Principes nec Ordines, nec Theologi in Imperio ſint: Nec etiam qui Formulæ Concordiæ ſubſcripſerint, exteros in Synodo facilè admiſſuros.*

Scribit etiam ad Landgravium 7. *Ianuarii Anhaldinorum Theologorum judicium de* Præfatione *libri Concordiæ ſe magna cum voluptate legiſſe. Rogat, editionem libri Concordiæ omnibus viribus impediat, quod certo ſciat, magnas inde turbas exorituras. Petit ſibi mitti exemplar locorum ex Patribus, quos Bergenſes in ſua Formula corruperint.*

Idem Iohannes Caſimirus *Palatinus in literis ad Bipontinum* 15. *Ianuarii datis, contendit, exteras nationes propter vinculum Religionis à Synodo non excludendas eſſe. Scribit etiam nonnullas Imperii Civitates ſuæ jam pœnitere ſubſcriptionis, & conqueri, ſe, aliorum ſeductas authoritate, imprudenter ſubſcripſiſſe.*

Georgius Landgravius etiam Præfationi & Formulæ ſubſcribere recuſat.

Georgius *quoque* Landgravius *ad tres Electores literas mittit* 28. *Ianuarii in quibus recuſat & libro & Præfationi ſubſcribere. Addit, Papiſtis Condemnationibus hujus Formulæ ad majores perſecutiones occaſionem præberi. Cùm debeat eſſe commune Opus omnium Auguſtanæ Confeſſionis Ordinum, æquum eſſe ut in generali Synodo emendetur, & communi omnium conſenſu, propter majorem authoritatem approbetur. Propter conſequentias hoc Opus diligenter examinandum. Se nulli ſectæ addictum eſſe proteſtatur, ſed fundamento Verbi Dei & Symbolorum inniti. Synodus generalis & libera ut convocetur petit ante libri publicationem, & promittit, quòd ſe ejus judicio libenter ſubijcere velit, atque ita res ſuas moderari, ut Deo, ſummo judici, rationem reddere poſſit. Se illorum petitioni locum dare non poſſe, nec cuiquam præjudicare velle. Hanc reſponſionem miſit Landgravius ad Ioannem Palatinum* 25. *Febr. eumque diligenter à ſubſcriptione dehortatur, ne parenti ſuo laudatiſſimæ memoriæ Principi, ignominiæ notam inurere videatur.*

Vuormatienſes ſubſcriptionem recuſant.

Vuormatienſes *etiam à* Ludovico Palatino *Electore ſollicitati, ſubſcriptionem ſimpliciter recuſant* 15. *Februarii. Si enim in politicis rebus illa certa ac deliberata eſſe debeant, quæ publico privatóve ſigillo muniri & approbari debeant, multo magis in ſacris & divinis hoc requiri. In libro autem Concordiæ contineri multos Articulos, quos abſque diligenti examine, & accuratiore explicatione approbare & recipere nequeant: neque ſe etiam vel Electoralium Theologorum ſcripto dubiis ſuis extricatos eſſe, vel intelligere, ut hac Formulâ Concordiæ communi Eccleſiarum paci & tranquillitati conſuli poſſit. De libera Synodo conſilium ineundum, in qua omnes audiantur, & ſcrupuli ſingulis eximantur. Intereà ſe in ſua antiqua ſimplicitate permanere velle.*

Vuilhelmus Landgravius ab Electore Saxoniæ ſollicitatus ſubſcriptionem recuſat.

Vuilhelmus *Landgravius quoque tribus Electoribus reſpondet* 25. *Februarii ac teſtatur apertè, ſi in ullius hominis gratiam aliquid facere vellet, ſe promptè id facturum in Electoris Saxoniæ gratiam. Verùm in hoc negotio id ſe facere non poſſe, quòd conſcientiam tangat. Omnes homines mendaces eſſe ſolum Deum veracem: ideoque homines non ad Patrum ſcripta, ſed ad Dei Verbum ablegandos, ipſo etiam* Luthero, Zuinglio, Auguſtino, Chryſoſtomo, Philippo, *&c. teſtibus. Nec ambitioni alicui tribuendum, quòd phraſes quaſdam in Concordiæ Formula approbare nolit, illas enim nec in Verbo Dei nec in receptis Symbolis, nec denique in ipſa Auguſtana Confeſſione reperiri: atque ut in politicis nihil falſi ſciens aſſeverare velit, multo minus id ſe facturum in iis quæ ad Religionem pertinent. Dolere ſibi, quod animadverſiones ſuæ negligantur. Sed tempus, quæ veritatis mater ſit, hæc omnia manifeſtaturum. Principes debere Theologis novarum rerum ſtudioſis frenum injicere: Theologos autem decere, ſtultas & ineruditas quæſtiones vitare, ac ſibi à profanis clamori-*

bus temperare. Oportere etiam Theologis omnem calumniandi anſam præcidere, cum jam Eccleſia ſatis ſuperque diſſipata ſit. Debere denique Electores, Theologos ſuos intra metas & cancellos Sacræ Scripturæ continere, &c.

Philippus Ludovicus Palatinus fratrem Bipontinũ ad ſubſcriptionem hortatur.

Dum hæc ſic initio hujus Anni 1580. *gererentur*, Philippus Ludovicus *Palatinus fratrem Iohannem Bipontinum ter quaterve ad ſubſcriptionem urget vehementiſſimè, hortaturque eum ne ſe ab aliis Principibus, qui Formulæ Concordiæ ſubſcripſerint, ſeparet, ſed tam ſuâ, quam Theologorum ſuorum ſubſcriptione Opus hoc Chriſtianum promoveat & approbet. Bipontinus Conventum Principum quoque aliorum & correctionem Libri urget; judicium etiam Theologorum Anhaldinorum de* Præfatione *libri* Concordiæ *cum Receſſibus Anni* 57. & 58. & *Naumburgenſi illi mittit, eorumque ſententiam ſe velle ſequi proteſtatur, &c.*

CAPVT XXXIV.

De Fundamentis quatuor Lutheranæ doctrinæ de Vbiquitate & corporali præſentia Corporis Chriſti in Eucharistia Ambroſij Vuolffij contra Patres Bergenſes & Formulam Concordiæ.

E*Didit quoque hoc tempore* Ambroſius Vuolffius Fundamenta Lutheranæ doctrinæ, de Vbiquitate, atque adeo de corporali præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia contra Patres Bergenſes, & Librum Concordiæ.

Primum fundamentum Lutheranæ doctrinæ de Vbiquitate.

Horum fundamentorum primum *eſt*, *Articulus fidei de indiviſa Perſona Dei & Hominis Chriſti veritate.* Secundum, *quòd Dextera Dei*
2. *ſit ubique.* Tertium, *Verbum Dei verum, non*
3. *mendacium eſſe.* Quartum, *Deum plures modos ſcire & habere alicubi eſſendi, non tantùm*
4. *localem. Ad hæc, inquam, fundamenta quatuor* Lutheri *pro Vbiquitate, & præſentia Corporis Chriſti in pane Cœnæ*, Ambroſius Vuolffius *in hujus libri* prima *parte eruditè ac ſolidè reſpondet, eaque convellit funditùs. Cùm enim Patres Bergenſes hæc fundamenta in ſuo Concordiæ libro canonizarint, iiſque ſub* Lutheri *nomine & authoritate in eo quaſi quodam Gorgonis capite pugnent, formidabilesque ſe faciant, & adverſarios ſuos in muta ſaxa convertere ſtudeant, quæ res, in cauſa etiam juſta & bona periculoſiſſimi & perniitioſiſſimi in Eccleſia exempli ſemper fuit: Vuolffius de his Lutheranæ doctrinæ fundamentis quatuor perſpicuam explicationem & cenſuram inſtituit: ut non ſolùm intelligant, quibus veritas, pax & ſalus Eccleſiarum curæ eſt, quam grave per ſe pondus habitura eſſent hæc fundamenta, inter vere doctos ac pios homines, niſi authoritate nominis* Lutheri *munita eſſent; ſed etiam, quòd niſi quis à verè Catholica & orthodoxa fide, à perpetuo univerſalis Eccleſiæ conſenſu, atque etiam ab Auguſtanæ Confeſſionis vera & nunquam cum Pontificiis controverſa ſententia, de Perſona Chriſti in duabus naturis, turpiſſima defectione in graves & pernitioſos errores deſciſcere velit, hunc neceſſariò ab hiſce fundamentis in Bergenſi libro, ſeu Formula Concordiæ canonizatis abhorrere oportere.*

Fraus Bergenſiumque in Formula Concordiæ multa ex Luthero ſibi contraria aſtutè omiſerunt.

Obiter etiam Vuolffius *in hac* prima *parte inſignem fraudem monſtrat, quâ Bergenſes in Formula Concordiæ aſtutè quædam omiſerunt in enumeratione verborum* Lutheri, *de tribus modis eſſendi, quæ partim non valde ſunt Theologica, ideoque ipſoſmet Bergenſes eorum puduit, partim verò contra* Schmidlinum *faciunt. Nam poſt verba illa in quarto modo*, Non tantum illum, de quo Suermeri nugantur, quem Philoſophi localem vocant; *Lutherus addit*, Scholaſtici enim Sophiſtæ rectè de his rebus locuti ſunt, qui triplicem modum in aliquo loco eſſendi eſſe dicunt, Localem, Definitivum & Repletivum. *Poſt hæc Lutherus ſingulos iſtos tres modos explicat, & ſecundum Definitivum modum Corpus Chriſti in pane Euchariſtiæ eſſe dicit.* Quemadmodum enim, *ait*, conſignatus ſepulchri lapis, & clauſa janua immutata manſerunt, & tamen ſimul Corpus Chriſti ibi fuit, ubi lapis & lignum fuerunt, ita quoque in Sacramento Corpus & Sanguis Chriſti ſunt, ubi panis & vinum ſunt, quæ immutata manent. *Non multò poſt ad primum fundamentum revertens* Lutherus, *Quoniam, ex noſtræ fidei Articulo Chriſtus Deus & Homo eſt, & duæ naturæ una ſunt Perſona, quæ diſtrahi nulla ratione poteſt, hinc colligit*, quod Chriſtus ſecundum corporalem & comprehenſibilem modum ſe poſſit oſtendere ubicunque velit: verùm quòd iſtum modum poſſit etiam uti alio incomprehenſibili modo. *Vnde tandem infert*, quod ex iſta unitate Perſonæ Dei & Hominis, humanitas Chriſti ſupernaturaliter ſit & eſſe poſſit, ubicunque eſt Deus, id eſt, ubique in omnibus creaturis, & extra omnes creaturas, ut Deus, *cujus hanc affert*: Non enim potes, *ait*, Divinitatem ab Humanitate ſecludere, eamque in aliquem locum ſeponere, ubi non ſimul etiam adſit humanitas. Nam per hoc eſſes perſonam diſtracturus, & humanitatem inſtar tunicæ cujuſdam facturus, quam Deitas & inducere & exuere poſſet.

Hæc negat & impugnat Schmidlinus. Localis inclusio vel affixio.

Vbiquitas Lutheri, & abſurda de Divinitate cogitatio.

poſſet. *Hæc omnia inſidioſè omiſerunt Bergenſes in ſua Formula Concordiæ.*

Ambro. Vuolffius in altera parte hujus tractationis oſtendit, unde verus ſenſus Aug. Confeſſionis peti debeat.

Duplex fallacia Bergenſium 1.

In altera *parte tractationis hujus perbrevem ac veram narrationem ſubjicit, ex qua juſta Concordiæ Vuitebergenſis explicatio, pro declarando Auguſtanæ Confeſſionis recepto apud ſocios ejus ſenſu, ſumenda ſit. Unde non modo Lectori conſtet, quàm inſidioſè ſint hæc omnia, ad fucum imperitis faciendum, à Patribus Bergenſibus in ſua Formula Concordiæ omiſſa & ſuppreſſa: ſed etiam ut duplex eorundem inde calumniæ & deceptionis fallacia detegatur.* Prima *eſt, quòd dicunt, iſtos, qui veram quidem & ſubſtantialem præſentiam & exhibitionem Corporis Chriſti in inſtituta actione Cœnæ fateri ſe dicunt non autem corporalem ipſius in pane exiſtentiam & manducationem concedunt, doloſâ aſtutiâ ſe in Auguſtanæ Confeſſionis ſocietatem inſinuare hactenus voluiſſe. Hanc impudentem calumniam Vuitebergenſis Concordiæ vera narratio & hiſtoria, Argentinenſis item & Auguſtanæ Eccleſiæ Miniſtrorum ad Lutherum ſcripta literæ & facta conteſtatio:* Martini *etiam* Buceri *publicæ, à nullo unquam, & ne ab ipſo quidem* Luthero *reprehenſæ* Retractationes, *ac denique Francofurtenſis & Naumburgenſis Receſſus, quæ in hac* Vuolffii *tractatione continentur, clariſſimè refutant.*

2. An ex Lutheri ſcriptis verus Aug. Confeſſionis ſenſus peti debeat.

Altera calumnia eſt, quòd rerum ignaris pro certo axiomate perſuadere conantur Bergenſes in ſua Formula cap. 7. Auguſtanam Confeſſionem velut Epitomen quandam eſſe doctrinæ & ſcriptorum Lutheri, ideoque verum ipſius ſenſum non aliunde, quàm ex ſolis ipſius, etiam polemicis ſcripſis ſumi & explicari debere. Quod iſti quidem aſtuto & fraudulento hoc conſilio faciunt, ut hoc prætextu Auguſtanæ Confeſſionis conſenſus inter Socios, turpiſſimâ retractatione è medio ſublatus & everſus, execrandum illud Vbiquitatis portentum in Auguſtanam Confeſſionem, pro corporalis præſentiæ præcipuo fundamento inſinuare poſſint. Quod obtinere ſi debet quâ fide & Religione cum Bucero, *aliiſque Suevicis Eccleſiis, in conſtituenda Vuitebergenſis Concordiæ Formula, actum videri poteſt? qui certè non polemica ſcripta* Lutheri, *in amplectenda rurſum ab iis jam pridem repudiatâ Vbiquitate ſed acceptam à* Bucero *Concordiæ Articulorum declarationem, quam* Lutherus *binis ſuis ad Helvetios literis, etiam poſt Schmaldicos Articulos, approbavit, ſecuti, Auguſtanam Confeſſionem amplexi ſunt & receperunt. Quod ſi etiam Concordiæ Vuitebergenſis Articulos quis rectè intuetur, facilè ex his deprehendet,* Lutherum *non ſolum ab Vbiquitatis dogmate, quo tamen unico fundamento verè omnia ipſius polemica ſcripta nituntur: ſed & ab eo, quo Pontificios extra uſum inſtitutum, verum Corpus & Sanguinem Chriſti, in Proceſſionibus ſuis circumgeſtare, contra Suermeros ſcripſit, & in aliis multis à polemicis ſuis ſcriptis defeciſſe. Non ſolum itaque aperte impoſtoriâ fraude agunt, ſed & jam ſemel in Eccleſia ſancitæ pacis & concordiæ publicorumque, quæ inde in Receſſibus Principum ſecuta ſunt, præjudiciorum, manifeſtos hoſtes & depravatores ſe faciunt, ſed etiam juxta* Lutheri *vaticinium, Auguſtanæ Confeſſionis ſenſum, & quæ ſuper eô cum* Bucero *facta eſt, Conſenſionem denique etiam Principum declarationes ex polemicis* Lutheri *ſcriptis, per ubiquitatem & realem Idiomatum communicationem in naturis, damnatos jam olim errores, explicari oportere, & ſic rem omnem rurſus ad tempora primum infeliciter motæ & agitatæ contentionis redigendam eſſe volunt.*

Vuolffii adhortatio ad Principes Imperii.

Hortatur itaque Vuolffius *Auguſtanæ Confeſſionis Principes, diligenter expendant, quàm ſit hoc apud omnes recti judicij Confeſſioni ſuæ inprimis ignominioſum, ejuſque profeſſioni extremo dedecori futurum, quod iſti, quibus pax & concordia oblata & promiſſa fuit, quique etiam in Auguſtanæ Confeſſionis communionem fuerunt recepti, nunc rurſus ab omni ſocietate ipſius excluſi & rejecti eſſe, adeoque pro anathematis haberi debeant. E contra verò Vbiquitatem Corporis Chriſti docentes, à quibus tamen totum Chriſtianæ fidei fundamẽtum evertitur, & falſus Chriſtus introducitur, omniſq; fides & authoritas Orthodoxi ſenſus Auguſtanæ Confeſſioni abrogatur & in ludibrium adverſariis proſtituitur, inter præcipuos etiam Doctores in ſocietatem ipſius recipiantur: atq; monet eos, ſi ab hac ignominia Auguſtanam ſuam Confeſſionẽ liberare & tueri velint Principes, ſtudioſè caveant, ne ad polemica* Lutheri *ſcripta, ac per hæc tandem ad infauſta jam antè ſopitarum controverſiarum initia rurſus redeatur, ne ut ex iis de Auguſtanæ Confeſſionis conſenſu judicium fiat.*

A Vuolffio prioribus adjicitur tractatus de Concordia Lutheri cum Helvetiis.

Pro magis autem adhuc confirmanda narrationis ſuæ, de vero & genuino Auguſtanæ Confeſſionis ſenſu, quo poſt declarationẽ ipſius in Vuitebergenſis Cõcordiæ articulis factam à Sociis ejus recepta & approbata fuit, veritate, in fine adjicit ipſum Tractatum, inter Lutherum, Bucerum *&* Helveticos, *ex mutuis illorum ſcriptis, quibus ad prorſus tollendam, quæ antea fuerat, controverſiã, & materiem, quâ ab invicem ſeparantur, penitùs diruendam, de Vuitebergenſis illius Concordiæ Articulorum intellectu, quo iis ab Helvetiis ſubſcribi deſiderabat* Bucerus, *ac tandem euſque conſenſum ab omni parte fuit, ut ex hac facta Concordia Auguſtana Confeſſio, ejuſque profeſſio tunc amplius ad improbandam quatuor Imperialium Civitatum, iiſque conſentientem Helveticorum Confeſſionem & declarationem, pertinere, ſalvâ Concordiæ fide, nullâ ratione poſſet.*

Hunc librum Vuolffii Iohannes Caſimirus Palatinus Iohannis Bipontinus *miſit* 5.

Aprilis ut inde intelligat, quàm inſidioſè cum Electoribus & Principibus Bergenſes agant. Landgravius *quoque ob eandem cauſam Vuirtenbergenſium Duci pro Defenſionibus* Pappi *contra Sturmium ſibi ab eo tranſmiſſis, eandem* Vuolffii *Auguſtanæ Confeſſionis hiſtoriam, unà cum* Bezæ *libro de Vnione hypoſtaſtica duarum naturarum in Chriſto contra* Pappum, *& orthodoxum Conſenſum ſacræ Scripturæ & Veteris Eccleſiæ, de ſententia verborum Cœnæ & tota controverſia Sacramentaria, miſit, 21. Aprilis.*

CAPVT XXXV.

De his qui Formulæ Concordiæ ſubſcribere, eamque approbare, recuſarunt.

Motiva Principũ multorum recuſatæ ſubſcriptionis.

E*Tſi verò ſubſcriptio Libri Concordiæ ad hunc modũ enixè poſtularetur, multi tamen licet Auguſtanæ Confeſſionis Princeps Ordines eſſent, conſtanter eam recuſarunt:* Primò, *propter agendi modum valde importunum ac præſumptuoſum, quo omnibus per Germaniam Eccleſiis pro canonico & authentico obtruderetur, quòd à ſex ſeptem tantùm ad ſummum Theologis conſarcinatum & approbatum eſſet.* Deinde, *quòd in hoc Libro ſcripta humana, & quidem polemica* Lutheri, *multis erroribus ac nævis referta, pro norma ac regula doctrinæ conſtituerentur, adeoque Verbo Dei æquarentur.* Tertiò, *quòd Vbiquitarium illud Omnipræſentiæ Corporis ſeu carnis Chriſti monſtrum, quo nihil abſurdius, & à Fidei Chriſtianæ ſimplicitate alienius, unquam excogitatũ eſt, ſtabiliri, & doctrinam de Perſona Chriſti novo ac periculoſo ſenſu involvi, eumdemque felle Lycambæo redundare, atque diris hominum innocentum & Eccleſiarum florentiſſimarum condemnationibus ſcatere viderent, quibus plurimorum Martyrum, quorum animæ cum Chriſto vivunt cineres violantur, conſcientiæ multorum turbantur, exterarum item nationum Eccleſiæ à Germanicis divelluntur, non abſque jucundo quod communibus Evangelii hoſtibus exhibetur, ſpectaculo.* Quartò, *quod omnes multorum Auguſtanæ Confeſſionis Principum atque Ordinum, & Theologorum animadverſiones, judicia & cenſuræ de Formula Concordiæ negligerentur, nec Liber ipſe liberæ Synodi judicio ſubjiceretur, & ne verbum quidem in eo mutaretur, quum totus errorum & falſarum doctrinarum plenus ſit.*

Ludovicus Elector Palatinus ſubſcripſit conditionaliter.

Illuſtriſſimus Princeps Elector Palatinus Ludovicus, *qui ob enumeratas cauſas ſubſcriptionem diu recuſavit, tandem ſubſcripſit quidem, ſed conditionaliter, quum promiſſio illi facta eſſet de Synodo, & mutatione ſeu correctione multorum errorum, qui in Libro continentur. Vanam aut fuiſſe promiſſionem eventus docuit. Sed tamen ne nihil præſtare viderentur Bergenſes, aliâ fraude uſi ſunt, quâ optimi Principis ac Electoris oculos præſtrinxerunt. Nam perſuaſerunt Celſitudini eius, ut etiam aliis Principibus, in* Præfatione, *Formulæ Concordiæ præfigendâ, ea omnia quæ in Cenſuris & judiciis Electoris Palatini, aliorumque deſiderata ſint, ſic eſſe declarata & explicata, ut abſque omni ampliore deliberatione ac mora bona conſcientia Libro ſubſcribi poſſit. Et tamen poſt ſubſcriptionem etiam nunquam probavit Elector Palatinus, fictitium diſcrimen Mutatæ & Immutatæ Auguſtanæ Confeſſionis: ſchiſmatica nomina Lutheranorum, Zuinglianorum, Calviniſtarum, &c. ruinoſa fundamenta Libri Concordiæ de corporali præſentia carnis Chriſti in pane: commentum de Omnipræſentia corporis Chriſti: horrendas, novas & inuſitatas de Perſona Chriſti: & condemnationes temerarias exterarum Eccleſiarum omnium, nunquam auditarum. In præſentia quoque Illuſtriſſimorum Principum* Erneſti Friderici & Georgii Friderici *Marc. Badenſium, haud obſcurè teſtatus eſt Elector, quòd ſe parũ ſubſcriptionis hujus pœnituerit. Sic enim alter Principum illorum,* Erneſtus Fridericus *in Præfatione libri de quatuor Motivis, cur Libro Concordiæ non ſubſcripſerit, atque etiam poſterum ſubſcribere nolit, ad fratrem* Georgium Fridericum, *ſcribit:* Es hat der Hochgeborne Fürſt/ Herr Ludwig / deß Heyligen Römiſchen Reichs Ertztruck ſaß vnd Churfürſt / Paltzgraff bey Reyn / ꝛc. vnſer freundlicher lieber Herr Vetter vnnd Vatter / Chriſtſeligen andenckens / kurtz vor ihrer L. ableiben / in dero Zimmer zu Heydelberg / wie der Ercker gegen dem Hoff hinauß gehet / ſelbſten vernemmen laſſen / Es were vmb etwas zu ſehr geeylet worden mit dem Concordibuch / vnd da ſie ein ſolches nicht vnderſchrieben zu vnderſchreiben jetzmals bedenckens trügen / ꝛc.

Subſcriptionem qui ſimpliciter detrectarint.

Simpliciter autem ſubſcriptionem detrectarunt Illuſtriſſimi ſequentes Principes, cum omnibus ſuis Theologis, Paſtoribus & Eccleſiarum Miniſtris: Landgravii fratres quatuor, Vuilhelmus, Ludovicus, Philippus *&* Georgius.

Palatini item quatuor: Iohannes Caſimirus, Richardus, Iohannes Bipontinus *&* Georgius Iohannes.

Quatuor etiam Pomeraniæ Duces: Iohannes Fridericus, Bugiſlaus, Erneſtus Ludovicus *&* Barnimus, *fratres.*

Albertus Fridericus *Dux Pruſſiæ.* Ioachimus Erneſtus *Princeps Anhaldiæ:* Chryſtophorus *Dux Mechelburgenſis, & Duces Saxoniæ* Lauvenburgenſes.

Illuſtris

De Comitu Hanovia.

Illuſtris Comes Hanoviæ, Philippi Ludovici parens, quamvis anno 77. à propinquiſſimis etiam urgeretur, adduci tamen non potuit, ut huic Libro ſubſcriberet. At licet reliquo vitæ ſuæ curriculo cum altera Evangelicorum parte, qui Lutheri ſectatores videri volunt, idem ſemper ſenſerit: paucis tamen ante obitum, & felicem, beatamque, ex hac vita emigrationem, ſeptimanis, in caſtro quodam extra ſuam ditionem imò quatriduo adhuc, antequam moreretur, illi ſella, in qua etiam, præter omnium, qui præſentes erant, expectationem, placidiſſimè expiravit, inſidens, ultrò & nemine ad tales ſermones materiam illi ſubminiſtrante, diſertè teſtatus eſt, Gravem eſſe, quo imbutus hactenus fuerit, errorem: quod ſi longiorem vitæ hujus uſuram ipſi largiretur Deus, latius de hoc negotio ſe cogitaturum, eidemque manus admoturum. In Ceremoniarum tamen correctione ſubſiſtendum adhuc eſſe, donec de doctrina rectè inſtruatur populus, aliter fore, ut plus deſtruat, quàm ædificet. Quod autem Pater in animo habuit Filius ejus, Generoſus Comes Philippus Ludovicus feliciter perfecit, ſuæque ditionis ampliſſimæ Eccleſias à fermento Papiſtico & Vbiquiſtico, quo erant adhuc infectæ, piè & fideliter repurgavit, in Articulo præſertim & doctrina de Cœna Domini.

Subſcriptionem etiam recuſarunt Comites Naſſovii Iohannes, & Ludovicus Vuitgeſtenius, unà cum multis aliis, Baronibus quoque in pratis Vueteranis, in Friſia Orientali & tota Vueſtphalia.

Quæ urbes Imperii ſubſcribere recuſarint.

Ex Vrbibus verò Imperii ſubſcribere & approbare hunc librum noluerunt, Magdeburgum, Neroberga, Spira, Vuormatia, Francofurtum, Argentina, Brema, & aliæ. Dantiſcani etiam ſuppreſſerunt eum.

Regis Daniæ memorabile factum.

Memorabile autem cumprimis eſt, quòd Fridericus Danorum Rex Sereniſſimus, potentiſſimus ac prudentiſſimus ſub pœna exilii prohibuit, ne quis huic Libro ſubſcriberet, vel ſaltem exemplar ejus unicum in Regnum ſuum importaret: promoventibus cauſam hanc D. Hemmingio & aulico Concionatore, cum nobilibus aulicis multis in orthodoxa doctrina optimè inſtitutis. Imò de Rege hoc conſtanter affirmatur, quòd Librum hunc, cùm dono eum accepiſſet à ſorore ſua, Electoris Saxoniæ conjuge, non modò non legere dignatus ſit, ſed ne Theologis quidem ſuis legendum & examinandum dare voluerit: atque inſuper illum, licet holoſerico obductum, auro item & gemmis pretioſis ornatum, in ignem abjecerit. Hinc David Chytræus, Roſtochienſis Profeſſor, in literis ſuis ad Petrum Agricolam Idibus Aprilis anno 80. inter alia ſic ſcripſit: Concordiæ Liber utinam ſit quod dicitur, & non diſcordiæ triſtioris ſeminarium. Sed noſtrum eſt credere & confiteri, non divinare bella aut diſtractiones ſecuturas. Item: Formula Concordiæ virulentius jam ferè in aula Danica, quàm Neapoli aut Genevæ exagitatur: &c.

Prohibuerunt ſimiliter ſubſcriptionem & approbationem Libri hujus ſub gravi pœna Iohannes & Adolphus Holſatiæ Duces.

Vt de florentiſſimis, per Dei gratiam, Eccleſiis Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Poloniæ, Hungariæ, Helvetiæ, Belgii & aliarum Provinciarum nihil dicam, quæ omnes prudenter judicarunt, infelicem hunc fœtum atque abortum ad Garamantas potiùs ablegandum, aut in alieno orbe exponendum, quam à piis & orthodoxis hominibus recipiendum eſſe.

Iulium Brunſvicenſem ſubſcriptionis pœnituit.

Ex iis etiam Principibus, quos ſubſcriptionis pœnituit, ob dolos ac fraudes, quibus circumventi à Theologis fuerant, Dux Brunſvicenſis Iulius præcipuus fuit, qui etiam Formulæ Concordiæ, à ſe ſubſcriptæ, omninò renunciaſſe, poſt editionem tamen, conſtanter affirmatur, & in eo hac occaſione confirmatus dicitur. Cum apud Pomeraniæ Ducem generum ſuum fuiſſet, ac Magdeburgi per biduum hæſiſſet, audivit ibi D. Saccum perſpicuè exponentem doctrinam de una perſona & duabus Naturis in Chriſto, & Communicatione Idiomatum. Delectatus eâ doctrinâ Dux, Saccum ad ſe accerſit, & an Scripturis ſententiam ſuam certò demonſtrare poſſit, rogat? Saccus conſtanter affirmat, nec verius eſſe quicquam aſſeverat ſeque paratum ubique hoc probare: Simul demonſtrat, quàm injuſtè ob hanc doctrinam Vuitebergenſes Theologi pulſi fuerint. Poſt crebram & longam collationem reverſus domum Dux, vocat Hamburgo Mollerum, & Crucigerum Helmſtadium, promittit eis ſtipendium, & petit, ut Confeſſioni Auguſtanæ emendatæ ſubſcribant. De Kemnitio quoque, Kirchnero & aliis graviter queſtus eſt, qui ſibi impoſuiſſent.

Quin etiam de quibuſdam Libri authoribus Petrus Vuarenburgus in ſuo Ariete Theologizante contra Hamelmannum ſic inter alia ſcribit: Vel ipſi Sexemviri Concordiæ quomodo fixerint refixerintque opiniones ſuas, non eſt obſcurum: Adeò ut quidam à mari Balthico bis conſultò quædam in ea omninò expungenda, quædam moderanda ſuaſerit: Alius ad Oderam apertè, cum moriturus eſſet, quaſi teſtamento ſubſcriptionem ſuam revocarit: Tota denique cohors nunc ferè incipiat de ea ambigere, & aliam ſarciendæ concordiæ viam quærere. Pag 17.

Is quem Vuatenburgius ad Oderam vocat Andreas Muſculus fuit: de quo Iacobus Capito Tuitienſis Eccleſiæ Paſtor in editis à ſe Theſibus de Perſona Chriſti, & aliis, qui huic confines ſunt articulis, ſub litera H. pag. 7. b. hæc ſcribit: Muſculus ante ſuum obitum teſtamento curaverat, ut D. Vrbanus Pierius,

à quo Concionem in funere ſuo haberi voluit publicè de ſe teſtaretur, Libri illius (formulæ Concordiæ) ſubſcriptionem nunquam ſibi ex animo placuiſſe, hæc inſuper addens. Ex quo quid iſta ſex Theologorum, Conſpiratio & Syncretiſſimus ſibi velit, intelligentes concludere poſſunt, quove animo aut ſtudio fideque & exitioſa illa, & ſui ipſius authoribus vel parentibus inviſa concordia ſit progenita. Et paulò ante: Muſculum, inquit, conſtat audientibus viris authoritate præſtantibus, de iſta Concordia ſic verba facere, ut diſcordiæ ipſi nomen tertio quoque verbo tribueret.

Quæ quum ita ſe habeant, nihilominus Schmidlinum *in Præfatione ad Theſes ſuas, anno* 80. *Vuitebergæ diſputatas, ſcribere non puduit, Librum Concordiæ conſenſu omnium piorum, in Eccleſiis Auguſtanam Confeſſionem amplectentibus, docentium approbatum fuiſſe: Item, Auguſtum Electorem Saxoniæ, omnium Ordinum Imperii, qui* Auguſtanam *Confeſſionem profitentur, piorum Doctorum ſententias rogaſſe, quorum unanimi ac pio conſenſu, in lucem prodierit iſte Liber.*

CAPVT XXXVI.

De Editione Libri Concordiæ.

Landgravius & Anhaltinus petunt à Saxone & Brandenb. ne Formula Concordiæ antequam in Synodo examinata & emendata ſit edatur, ſed fruſtra.

CVm itaque Principes aliique Ordines ſubſcriptionem Formulæ Concordiæ recuſantes, nihil proficerent, nec impetrare poſſent, ut Liber Concordiæ judicio & cenſuræ ſubjiceretur, & corrigeretur, rurſus petierunt, ne ſaltem in lucem ante publicum Conventum ederetur. In hanc ſententiam Landgravius & Anhaldinus *Princeps ad* Saxonem & Brandenburgenſem *Electores ſcribunt, eoſque à publicatione Libri iſtius ante Conventum dehortantur* 11. *Martii anno* 79. *Opus enim eſſe magni momenti & difficultatibus plenum. Intentum quidem non malum eſſe: ſed unumquemque talentum à Deo ſibi concreditum excolere debere. Authoribus Formulæ hujus nequaquam concedendum, ut inſtauratores veræ Religionis prorſus rejiciant & contemnant, ut qui in hac vita in hac doctrina diſſenſerint: nam eos unâ eademque manu in ea vinea Chriſti fideliter laboraſſe, & mutuas operas conjunxiſſe. Electores & Principes hactenus polemicorum ſcriptorum, certaminum & condemnationum ſuorum Theologorum participes ſe noluiſſe facere: ideò ne nunc quidem litem eorum ſuam facere debere. In Libro Concordiæ monſtroſum dogma Vbiquitatis, ſeu de Omnipræſentia carnis Chriſti latere tanquam anguem in herba: minari hoc ſuis Eccleſiis extremum paroxiſmum, ſicut olim quoque Eccleſiis Græciæ. Non debere eos per directum ſuorum Theologorum errores approbare, niſi velint accuſari, quòd à Confeſſione Auguſtana ſeceſſionem fecerint, & aliis occaſionem dare dubitandi, an in pace Religionis comprehenſi ſint, necne. Si Liber hic debeat eſſe communis declaratio omnium Ordinum Auguſtanæ Confeſſionis, nullum utique prorſus Ordinem ab eo excludendum, ſed ab omnibus in generali Synodo examinandum: Neque etiam Papiſtarum more pluralitate votorum in hoc negotio procedendum eſſe. Collectas quoque ſubſcriptiones particulares aliis præjudicare non poſſe. Exempli gratia:* Cyrillus *etſi contra Neſtorium bonam cauſam defendebat, tamen quia ille ſolus eum in particulari Synodo Alexandriæ condemnare conabatur, non tantum utrunque Imperatorem,* Theodoſium & Valentinianum *offendebat graviter, ſed etiam valdè Orientis Eccleſiæ turbabantur.* Cyrillus *in Vniverſali Synodo Epheſina, auditâ etiam alterâ parte, ordine agebat & defendebat ſuam ſententiam. Et licet* Eutyches *favore brachii ſecularis, & ſubordinatorum adhærentium authoritate errorem ſuum in ſecundo Epheſino Concilio contra* Flavianum *Epiſcopum obtineret: tamen quia non legitimè bono judiciorum ordine procedebatur, poſtea ſub* Martiano Imperatore *Concilium illud retractatum, &* Eutyches *erroris convictus & damnatus eſt: & magnus eorum numerus, qui antea errori* Eutychis *ſubſcripſerant, cum magno dedecore ſubſcriptionem ſuam revocarunt. Multos errores in hoc Libro contineri:* Monſtroſam Vbiquitatem: propoſitiones in abſtracto: Aſcenſionem allegoricam: Exæquationem naturarum: phraſes loquendi novas: paradoxa: *&c. unde exſtinctionem præcipuorum articulorum fidei ſequi neceſſe ſit. Ac licet Authores Libri verbis negent, errores hos in Libro ſuo latere, reipsâ tamen defendere eos erroneas propoſitiones, quæ in fundamento Vbiquitatis oriantur. Ordinibus periculoſum pariter & indignum eſſe, novum genus doctrinæ amplecti, cujus in Auguſtana Confeſſione nulla mentio fiat, ſed potius in ea rejiciatur. Quendam ex Vbiquiſticis Theologis ſcripſiſſe,* qui Libro Concordiæ ſubſcribere recuſent, in diabolica ſua pertinacia relinquendos. *Editionem Libri præcedere debere placidam collocutionem, ſine præjudicio, liberis votis.*

Errores in Concordiæ Libro contenti.

In eandem fere ſententiam ſcribit etiam 7. *Maii anno* 79. *ad* Electorem Palatinum Landgravius. *Petit enim, ut Synodus ante Libri publicationem celebretur. Se non poſſe huic Formulæ abſque nota inconſtantiæ ſubſcribere, in qua hucuſque tam multa deſiderarit. Celſitudinem ejus in memoriam revocare debere fidelem Apoſtoli admonitionem,* Nihil quicquam in ullius hominis gratiam committendum. Non alienis peccatis communicandum. Chriſto nihil rei cum Belial. *Chriſti Eccleſiam hoc modo ſummo cum ſcandalo lacerari: ad plauſum*

Landgravius ante Formulæ Concordiæ editionem urget Synodum.

1 Tim 5. 2 Cor. 6.

ſum

ſum, & triumphum Papiſtarum. Neminem in ullius hominis gratiam quicquam facere debere, quod cum fundamentis fidei pugnet. Quomodo igitur excuſari poſſit, quòd fervore diſputationis eò deventum ſit, ut multi ea defendant, imo pro articulis fidei mordicus Eccleſiæ obtrudere conentur, quæ ex diametro cum approbatis Symbolis pugnant? His omnibus Electorem jam antea quoque contraxiſſe, mirum igitur ſi ea nunc ſubſcriptione ſuâ approbare rurſus velit. Electorem minimè latere, Majores ſuos, ſtatim ab initio reformatæ Religionis, juxta Chriſti & Apoſtolorum doctrinam, ad unicum veræ ſalutis fundamentum, videlicet, Verbum Dei, nequaquam verò ad fermentum humanarum traditionum provocaſſe, eoque ipſo ſeceſſionem feciſſe à Pontificiis, qui traditiones humanas, ſi non majoris, attamen ejuſdem cum Verbo Dei authoritatis faciant. Quam ob cauſam igitur poſteri ipſorum, in gratiam ſaltem paucorum quorundam ambitioſiſſimorum Mathæologorum ab agnita approbataque vera verbi Dei doctrina ſe abduci paterentur? horrenda paradoxa reciperent? & quæ in Pontificiis non injuriâ reprehenderunt, quòd nimirum Patribus nimium tribuant, ea nunc ipſi cum applauſu Papæ, & reformatarum Eccleſiarum ruina & confuſione approbarent?

Formula Concordiæ publicatur. *Etſi verò ſic multi adhuc Principes, aliique Ordines Auguſtanæ Confeſſionis Editionem Libri hujus omnibus modis diſſuaderent, eamque impedire conarentur, ad legitimam ejus in Synodo cognitionem & emendationem uſque: tamen illis Principibus & Ordinibus, qui ſubſcripſerunt, ab Harmoſtis Bergenſibus perſuaſum eſt, ut anno 1580. Librum publicarent.*

Prodigia. *Quando horribilis Cometa viſus eſt, in Aquario ardens, & contra ſignorum ordinem motum habens, ac ſubinde verſus Septentrionem declinans: Bis etiam cœlum arſit hoc anno: viſæ ſunt faces in aere: bis terræmotu Berga, ubi Liber hic fabricatus eſt, concuſſa fuit: paſſim quoque in Saxonia horrenda prodigia conſpecta ſunt.*

Scilicet hæc clades, funeſtaque bella notârunt,
Quæ novus hic toto nunciat orbe Liber.
Sed pariter Chriſtus Libro ſua fata minatur,
Et vix naſcenti nunciat exequias.

Error in editione Libri commiſſa. *In editione Libri, conditiones omnes eorum omiſſæ ſunt, qui certis conditionibus ſubſcripſerant, nominibus ſolis miniſtrorum Eccleſiarum & Scholarum in fine affixis: Principum autem toti Libro præfixis, ut vel ad primum Libri conſpectum ſolum omnes obmuteſcerent, & tantum non in ſaxa converterentur. Neque etiam fuit omiſſa, vel ſaltem mitigata formula obligationis conſcientiarum, ad finem Libri annexa, quam ſine illis conditionibus multi non fuerant acceptaturi.*

De his injuriis ac impoſturis Bergenſium Theologorum cum multis lachrymis & ſuſpiriis multis in locis multi honeſti viri, Miniſtri Eccleſiarum, graviter conqueſti ſunt, & propterea ſuas etiam ſubſcriptiones, tanquam per fraudem extortas, revocarunt, palàm profitentes, ſe non ſecundùm novum, ſed ſecundum vetus Corpus doctrinæ, & jam docere, & deinceps docere velle, ſicut antehac, ſuas Eccleſias, neque aliud etiam ſe promiſiſſe.

CAPUT XXXVII.

Scripta, Cenſuræ, Animadverſiones, Iudicia & Colloquia editionem Libri Concordiæ proximè ſecuta.

EDito publicatoque Libro Concordiæ Carmina varia pro & contra illum à multis ad amicos ſcripta, quædam etiam in Lucem edita ſunt. Reinoldus *quidam* Marcanus *totum negotium Libri hujus rhythmis his ſequentibus elegantiſſimis expreſſit, ac, ceu in tabella quadam eruditè vereque depinxit.*

Quid agunt Patres Bergenſes?
Acuunt Principum enſes.
Contra quos adverſarios?
Contra Sacramentarios.
Quod hoc eſt genus hominum?
Et quorum reum criminum?
Sunt nomine Chriſtiani,
Et reipſa non profani,
Britanni, Scoti, Germani,
Itali, Galli, Hiſpani,
Bohemi, Poloni, Dani,
Cum Vngaris Tranſſylvani,
Hos Patres cenſent peſſimos,
Nec ferendos hæreticos,
Extremo dignos odio,
Et exſtirpandos gladio,
Ceu peſtem & zizania,
Eccleſiam perdentia,
Nec deberi vita horum
Magis parci, quàm luporum:
Vt qui dogma per ſubtile
Vaſtent Domini ovile:
Quia nolint profiteri,
In pane clauſum teneri,
Et cum hoc in os ingeri,
Simulque dentibus teri
Corpus Chriſti, quam myſticas
Participamus epulas.
Sed dicant, ut panem ventre,
Sic Chriſtum accipi mente:
Animam, tanquam Spiritum,
Non paſci, niſi ſpiritu
Nos ſociante capiti
Membra Deo & homini.

Tum

Tum quòd audeant negare,
Chriſtum corpus ſuum dare,
Hoc eſt, ſe communicare,
Et ſe his inſinuare,
Qui ſine pœnitentia,
Perſtantes in malitia
Deſtituti fiduciâ
Cum prava conſcientia
Sacram Synaxin adeunt
Et cibum hunc percipiunt,
Sed dicant, lucem tenebris
Adverſam, Chriſtum impiis,
Nunquam cum Belial unum
Huic eſſe contubernium.
Præter hæc illis tertium
Imputatur flagitium,
Quòd recuſent obſtinatè
Ponere in veritate,
Quòd ſit Chriſti humanitas,
Vbique ut divinitas,
In cœlo quodam æterno,
In mari, terra, inferno,
In pomis, herbis, gramine,
Avena, fœno, ſtramine,
In omni, ut ſenex Doctor
Pretioſus reformator
Scripſit, pane & cantharo
Omni cerviſiario;
Sicut quondam malè ſani
Docebant Eutychiani:
Et hoc iſtis eſt Majeſtas,
At illis eſt Vbiquitas:
Sed dicant, iſtud commentum
Eſſe immane portentum
Quo ſummi noſtræ Fidei
Evertantur Articuli
De Chriſto vero homine
Non monſtro, vel phantaſmate,
Nobis ſecundum omnia
Germano, præter vitia.
Hi ſcilicet ſunt errores,
Quos damnant Patres prætores,
Et eorum ſectatores,
Paſſim rerum turbatores,
Non habentes pro ſincero,
Qui diſſentit à Luthero,
Quaſi non aliquibus
Hallucinato partibus,
Quum tractaret negotium
Religionis maximum,
Ad quod, nondum monaſticas
Eluctatus per tenebras,
Acceſſit ut non ſit mirum,
Vnum initio virum
Non pervidiſſe omnia
Ad rem tantam ſpectantia;
Quaſi non plures oculi
Plus videant, quàm ſinguli;
Quaſi virum non acuat
Vir, ut Salomon prædicat;
Quaſi dies poſterior
Non ſit priore doctior.
Agens multum, peccat multum,
Eſt vetus dictum non ſtultum
Quod ipſe non ignoravit,
Nec de ſe diſſimulavit
Quum ſubinde poſcat palàm
Erratis ſui veniam,
Quod nec Propheta, nec quiſquam
Apoſtolus fecit uſquam.
Et tamen hoc Argumento,
Ceu ſolido fundamento,
IPSE DIXIT, iſti ſuam
Stare volunt ſententiam,
Iubentes pro norma veri,
Irati rixas haberi,
Iocos quoque convivales,
Forſan & cubiculares,
Quod nec olim ſibi vivo,
Nec nunc arrogat mortuo.
Cur non coit concilium
Authoritate Principum,
In quo tanta diſſenſio
Tam multornm offenſio
Tollatur collatione
Scripturæ, qua ratione
Vti ſolet Eccleſia,
In tali controverſia?
Pars præmaturè damnata
Huc invitans eſt parata
Vel ad ſua defendendum,
Vel rectiora diſcendum.
At factio contraria
Quærit prætexta varia,
Ne res eò deducatur,
Vt Synodo componatur.
Quo ſanè ipſorum cauſa
Fit ſuſpecta, ceu non auſa
Prodire, quòd ſe tueri
Non queat, ut vult videri.
Enimverò eſt bonorum
In Chriſti grege Doctorum,
Omnem anſam expetere,
Nedum datam arripere,
Qua veritas propagetur,
Concordia conſervetur,
Nullo faſtu vel odio,
Nullo vindictæ ſtudio,
Non rixandi libidine,
Nec tuendi cupidine
Quicquid chartis illeverint,
Aut aliquando dixerint,
Veritatem averſari,
Pacem nolle amplexari.
Turpe vero, Theologos
Vagos eſſe ſpermologos,
Volare per regiones,
Veluti ardeliones,

Agere

Agere veteratores,
Potentium deceptores,
Hos ficta ſanctimonia
Emungentes pecunia,
Per gynecæia repere,
Heros per heras fallere,
Sua illis inſtillare,
Animos exacerbare,
Vt ita doctos & bonos,
Ipſorum diſſimilimos,
Quum argumentis nequeant,
Vi alienas ſuperent,
Cum liberis & uxore
Conficiendos mærore
Extrudant in exilium,
Propellant in exitium,
Sic Scholas præceptoribus,
Eccleſias Doctoribus
Spoliando fidelibus
Et opera utilibus,
Parantes doctrinæ labem,
Tetram vitæ barbariem:
Imò hanc ut accelerent
A Scholis Libros prohibent
Philippi, quem & mortuum
Cercopum premit odium
Ne evadant juniores
Ipſis doctiores,
Sed labris lactucæ quadrent,
Luſci cæcos inter regnent.
Ac dum curant extraria,
Ad ſe pertinentia,
Intereà oviculæ
Ipſis domi concreditæ
Suorum paſtorum juſſo
Non ſaturatæ pabulo,
Tamen tondentur, & præbent
Lac & lanam, quæ non debent.
Nec ad pòpulum in templo
Decet peſſimo exemplo
Declamitare maligna,
Et illo loco indigna.
Ibi audias non myſtas,
Verùm ſcurras & ſophiſtas,
Quaſi è plauſtro loquentes,
Non Eccleſiam docentes,
Ac ſi nihil ſit, quod dicant,
Ni aliis maledicant,
Inſultent piis manibus,
Sanctis Chriſti martyribus
In Belgio, in Gallia,
In Scotia, in Anglia,
Dicentes jure crematos,
Sua culpa trucidatos,
Hæreſium ſervitia,
Sathanæ ſacrificia.
At quænam, quæſo, triſtia
Ipſi ferunt ſupplicia?
Digitorum uſtiones,
Dum aſſos tractant capones;
Acrem linguæ cruciatum,
Quem jus gignit piperatum,
Hauſtu torquentur humoris,
Vſque ad fluxum ſudoris,
Dum ſcyphos amplos vacuant,
Vt ventres ſuos impleant;
Totos dies penſilibus
Ah jactantur in curribus,
Pilis horrentes martrinis,
Non, ut ille, camelinis.
Annon, quæ ducitur ita,
Par eſt martyrio vita?
Quis hoc modo exercitos,
Neget bonos Epiſcopos?
Quibus eſt concionari,
Suermeris conviciari,
Ad quam theſin evagari
Quum libet, & debacchari,
Flectitur huc materia,
Quæcunque ſit propoſita.
Vt pictor ille omnibus
Cupreſſum imaginibus
Appinxit, quòd non crederet
Perfectas, ni accederet
Hoc parergon: ſic concio
Non ornata convicio
His non placet. O pictores,
Novæ doctrinæ fictores,
Inepti diſputatores,
Citra prælium victores
Apud vulgus imperitum,
Vbi nefas eruditum,
Si quis adſit, reclamare
Vobis, & cœtum turbare.
Sed valeant nebulones,
Religionis caupones;
Sed valeant hiſtriones,
Impudentes blaterones,
Tantùm feroces in ſuo
Et fortes ſterquilinio,
Nimirum loco muniti,
Defenſoribuſque tuti,
In alieno timentes
Plus ſe valentium dentes,
Qui tam audacter garriunt
De re, quam non intelligunt,
Qui hujus cauſſæ nomine
Vtentes præ velamine
Impunè ſibi inſitam
Exercent petulantiam;
Qui non zelo inſcitiæ,
Sed affectu malitiæ,
Infeſti doctioribus
Sunt, & ſe melioribus
Doegi factum probantes,
Abdiæ non imitantes,
Quorum hic benignus pavit,
Ille crudelis necavit

Porrò

Porrò nos Deum ſupplices
Rogemus,ut,quum Principes,
Et qui ſunt cum poteſtate,
Regant noſtra tempeſtate,
Præter ſuas politias,
Imperio Eccleſias,
Donet eis ſcientiam,
Largiatur prudentiam,
Aſpiret Sacro Flamine,
Vt ſic utroque munere
Per homines idoneos,
Doctos,cordatos,& pios,
Non aſinos imperitos
Non profanos paraſitos,
Nec per Monachos fucatos,
Quos fovent non cucullatos,
Fungantur,quò parœmia
De pietate aulica,
Iam multis trita ſeculis
Coarguatur futilis;
Deprehendaturque vanus
Scriptor ille Africanus,
Quem aiunt rectè monere,
Nunquam poſſe nec debere
Sacerdotium & regnum
In unum convolvi glomum,
Quòd hujus copulatio,
Illius ſit corruptio,
Nec pectus capiat duas
Tam magnas unicum curas.
Quod & noſter Magiſtratus
Pridem ſenſit,quum Papatus
Hæc duo commiſcuerat,
Enſemque pedo junxerat,
Ac ut tegant innocentes,
Sycophantis non credentes,
Horum frænantes nimiam
In pulpitis licentiam,
Qui nihil non,dum ibi ſtant,
Pro Verbo Dei vendicant;
Condemnatores reprimant,
Vtramque partem audiant,
Alexandrum æmulantes,
Aurem reo unam dantes,
Nicodemo id monente,
Et Solone ſanciente;
Sciantque mentes hominum
Verè Deum timentium,
Rationibus moveri,
Argumentiſque doceri,
Non pœnis,juſſis & minis,
Cogi poſſe in divinis,
Vt priore ſententiâ
Omiſſâ,credant aliâ;
Alioqui martyria
Non extarent innumera,
Antiqua & recentia
Per ſedecim jam ſecula.
Quæ ſi lecta vel audita
Eos afficiunt ita,
Vt authores devoveant
Ipſi ſanè præcaveant,
Ne imprudenter committant,
Quod in illis vituperant.
Hoc ſic futurum ſperemus;
Si fallimur toleremus
Pœnam hanc ſicut alias
Peccatis noſtris debitas,
Donèc prece & moribus
Sanctis placatus Dominus
Diu jactatis aliqua
Det tandem halcyonia.

Selneccerus *etiam, unus ex Libri hujus fabricatoribus, hæc in laudem & commendationem ejus ſcripſit Dreſdæ in Dominica* Iubilate 24. *Aprilis anno* 1580.

Iubila te jam læta decent Eccleſia Chriſti
Qui referas grates,nunc venit hora tibi.
En pietas accepta bonis,en gratia Chriſti
Gratia in æternos non moritura dies.
Quis putet? & quæ ſunt ea jubila? gratia quænam
Lætitia eſt,quæ nos hæc memorare jubet?
Nubila nunc abiere,madens nunc tranſiit imber,
Splendida ſperati lux Orientis adeſt.
Quatuor intenti totos ſperavimus annos:
Spes non confundit:ſpes pia robur habet.
Iubila cùm caneret lætis Eccleſia votis,
Hunc toti mundo porrigit ecce Librum.
Vade liber:Chriſto ſervi,confunde ſceleſtos,
Nomina qui Chriſti turpiter extenuant.
En robur dextræ nos Omnipotentis habemus,
Aſtringit parvo quam fera turba loco.
Vade Liber;te ſiſte Deo,te trade legendum,
Intrepidaque hoſtes aſpice fronte tuos.
Ne metuas; quia Chriſtus adeſt, victoria noſtra eſt.
Qui verbo Chriſti nititur,ille ſapit.
Nil ratio eſt hominis ſine Chriſto in dogmate Cœli,
In quo dextra Dei poſſidet una locum.
Qui pius es Chriſto pro Verbi Lumine grates
Auguſtoque Duci pro pietate refer.
Vivat jo,vivat noſtri omnipotentia Chriſti,
Concordeſque animos copulet una Fides.
Cætera turba vale:nos Chriſto innitimur uni,
Et ſic ſervantur:cætera turba peri.

Ad Selneccerum in mendacio & Sophiſtica deprehenſum.

Improbe mendaci cur ſpargis jubila voce?
Dicere te falſum non decet:ergo tace.
Eſt pietas accepta bonis,qui jubila cantant,
Sed tu es cum Sociis impius:ergo tace.
Non potes à tenebris claram diſcernere Lucem,
Nubila ſed carnis,cæcus es ergo tace.
Multos intenti ſemper ſperavimus annos,
Sed melior nondum factus es:ergo tace.
Iubila cur repetis mendax?Eſt Suevica proles,
Hic

Hic nothus ex clauſtro produit:ergo tace.
Iubila cur repetis mendax? Liber iſte profanus,
In mundo nuſquam cernitur:ergo tace.
Qui docet aſſumptam Chriſtum deponere carnem,
Diſpereat:Veſter iam perit ergo Liber.
Innocuos ſi quis fratres ſine jure flagellat,
Non verbis Chriſti nititur:ergo tace.
Vivat Io,vivat noſtri omnipotentia Chriſti,
Qui te cum Sociis puniet:ergo vale.
Flaccica turba vale,nos Chriſto innitimur vni
Nil niſi falſa loquens Flaccica turba peri:

Aliud Georgii Maioris.

Aut mens Vulcanum,aut forceps indocta fefellit.
Ephebum voluit cudere,fecit equm.

Aliud T. B.

Anglus,Belga,Scotus,rapidi pius accola Rheni,
Sarmata cum Gallo,fortis & Helvetius:
Has tanquam hæreticas gentes damnare tot audent
Vix ſex aut ſeptem Miſnica mancipia.
Qua cauſa? Ore negant Chriſti nos ſumere Corpus,
Percipit arcana quod ratione fides.
O ſanctum errorem:quo ſi quis fortè tenetur,
Vt pereat mundo,non tamen illi Deo.

Landgravius de Formula Concordiæ publica.

Landgravius 10. *Maii anno* 80. *ad* Ioannem Bipontinum *ſcripſit, in Lipſenſibus nundinis librum Concordiæ ad tabernam typographi ſuſpenſum & vænalem proſtitutum, ſed mox ſuppreſſum fuiſſe: Titulum etiam mutatum eſſe, qui ſic jam legatur,* Chriſtiana, repetita & vnanimis Confeſſio ſequentium Electorum ac Ordinum, *&c. Mirari ſe quoque Electoris Palatini Theologorum nomina in catalogo eorum qui ſubſcripſerunt non extare. Sed concionatorem eius aulicum* Shechſium *confeſſum eſſe, Electorem in hac ſemper ſententia fuiſſe, Librum hunc ante generalem Conventum vel Synodum non eſſe publicandum,*

De eodem ad Chriſtophorum Pezelium D. 10. *Iunii ſic ſcripſit:* Ad librum Concordiæ quod attinet, latere te nolumus, licet ejus exemplaria Lipſiæ per ſeſquidiem apud impreſſorem venalia fuerint, in momento tamen hanc ipſi poteſtatem Electoris Saxoniæ iuſſu non modo ademptam, ſed inſuper etiam iniunctum ei fuiſſe, ut confeſtim exemplaria diſtracta omnia apud ſuos, quoſcunque poſſet emptores quàm accuratiſſimè repeteret. Cuius inſtituti ratio licet nobis incognita ſit, arbitramur tamẽ, vnã hanc eſſe potiſſimam, quod videlicet Concordiæ illius Formulæ promulgatio, in cujus gratiam *Selneccerus* præclarum illud IVBILATE in lucem edidit, abſque vlla mentione Electoris Palatini, eam improbantis, licet tamen Librum ſubſcripſerit; ſuſcepta fuerit, Cuius etiam authoritate, judicio noſtro, Patres Bergenſes 8250. Clericorum ſuffragiis non contenti, promulgationem illam in poſterum fulcitum iri, ſperant. Ad nos autem quod attinet, novit ſupremus rerum Artifex, quantis hactenus ſudoribus à nobis tentatum ſit, & ſingulis adhuc tentetur diebus, ne miſeris & exteris Eccleſiæ Chriſti membris ſilentio noſtro afflictiones afflictionibus addi poſſent. Siquidem hanc pietatem non modò hæreditario jure à piiſſimo Parente noſtro, felicis memoriæ, relictam, ſed etiam à Deo Opt. Max. quaſi peculiare quoddam talentum nobis concreditum eſſe arbitramur. Quis finis verò ſuſceptorum noſtrorum laborum ſit expectandus, adhuc dum in dubio verſatur. Speramus tamen benignum omnium parentem, ovile ſuum nunquam deſerturum: ſed, provt ardentibus expetimus votis, ejus potius reliquias ad conſummationem vſque ſeculi paternâ ſuâ bonitate adverſus omnes Satanæ inſultus clementer conſervaturum eſſe. Caſſellis, &c.

Alius quidem magnus vir narravit Iulii *Ducis Brunſvicenſis difficultates ſubſcriptionum, & quod fateatur, ſe multos ad ſubſcriptionem ſpe futuræ Synodi induxiſſe, & ab eo tempore, quo* Schmidlinus *cum ipſo fuerit ad extorquendam ſubſcriptionem, intellexiſſe demum, hoc Libro nil niſi Pfafforum ambitionem & avaritiam promoveri, nec quæri Eccleſiarum Concordiam, ſed Theologorum gloriam & privatas authoritates. Significaſſe etiam, quòd cum conditione ſubſcripſerit, ideoque ſeſe facile rurſus inde extricare poſſit.*

Diverſitas Formulæ Concordiæ.

Alii teſtati ſunt, Se ex collatione vtriuſque tam ſcripti, quàm typis excuſi exemplaris deprehendiſſe, non tantùm diverſitatem in ipſo libro, ſed etiam in Auguſtana Confeſſione & Symbolis plurimos defectus & additiones non paucas. In numero eorum, qui ſubſcripſerunt, tam claros viros extare, ut non modo ab aliis non cognoſcantur, ſed etiam ipſimet nomen familiæ ſuæ ignorent: unde pateat, quo delectu perſonarum ſubſcriptiones collectæ ſint.

Alius Princeps ad quendam ſcripſit, Si celebretur Synodus, quæ etiam nunc promittatur, ſe non putare authores ſuâ authoritate effecturos, ut Liber iſte pro Norma religionis & fidei approbetur & recipiatur, Se in N. N. coram N. N. proteſtatum, quod Formulæ Concordiæ nolit ſubſcribere. Cum enim collectione ſubſcriptionum nihil aliud quæratur, quàm humana authoritas, Opus hoc diuturnum eſſe non poſſe. Clandeſtinam quoque & furtivam iſtam Libri mutationem ſibi valde diſplicere. In rebus

enim ad religionem pertinentibus occulte, & cum aliorum præjudicio, propriâ authoritate, abſque conſenſu eorum quorum intereſt, nihil agendum. Se authoritatem ſubſcribentium nihil curare, Quod, juxta Auguſtinum, multitudo errantium non pariat errori patrocinium.

Alius Princeps ad N. N. ſcripſit, ſe quidem omnia paradoxa ex ſcriptis Brentij, Schmidlini, Muſculi, &c. collecta, non negare, quoad verba, ſed quoad ſenſum. His ſubiungit immodicam Libri Concordiæ commendationem, & vnà mittit ei tractatum contra Lambertum Danæum.

Reſpondet illi N. N. Primò, mirum ſibi videri, quòd verbis alium quàm ſonent, ſenſum affingere conetur. Hoc autem evidentiſſimum argumentum eſſe vel quòd non ſatis præmeditatè ſcripſerint: quòd in Theologo periculoſiſſimum ſit: vel, quòd aliud ore promant, aliud ſub pectore condant, quod viris bonis omnibus, nedum Theologis indigniſſimum ſit. Chriſti enim mandatum eſſe, Sit ſermo veſter, Eſt, eſt, &c. Nullis hic Opus eſſe gloſſematis: quum nihil tam malè dicatur, quod non colore aliquo obduci queat: id verò in Religione periculoſum eſſe. Secundò reſpondet ad immodicam Libri commendationem, & demonſtrat, eum nec cum Verbo Dei, nec cum Auguſtana Confeſſione conſentire. Ad Antidanæum quod pertineat, ſe in eo verborum & maledicentiæ multùm, nervorum autem & ſapientiæ parùm reperiſſe tertiò indicat. Rogat, ut & ipſe ſine præiudicio, diligenti adhibitâ cenſurâ, Librum de Formula Concordiæ legat, quem ei mittat. Ingolſtadienſes Ieſuitas iiſdem, quibus Tubingenſes, argumentis vti & fundamentis niti. Quemadmodum enim Ingolſtadienſes hoc inprimis vrgeant quod diiudicatio & condemnatio doctrinæ, inter partes litigantes & contraria docentes, ad Romanum Pontificem, tanquam ſupremum in Eccleſia Magiſtratum ac judicem pertineat: Ita librum Tubingenſem hanc poteſtatem Principibus & magiſtratui politico vendicare. Ita verò ipſos cum Pontificiis eodem errore teneri.

Quartò, ſe Antidanæum percurriſſe, verum nullum ſpiritum manſuetudinis, ſed potius contentionis, ambitionis & maledicentiæ in eo deprehendiſſe: ac ſuo judicio lectu indignum eſſe. Deinde Theologos iſtos, contra Scripturam & propriam conſcientiam cum adverſariis ſuis pugnare, & feſtucas adverſariorum odioſiſſimè exaſperantes, ſuas ipſorum, qui lumina Eccleſiæ videri velint, trabes non agnoſcere atque eiicere, ſed ſub anathemate aliis obtrudere conari, cum tamen omnes ſint homines. Hortatur poſtea eum, ut Theologos iſtos officij ſui admoneat, quo intra metas Sacræ Scripturæ ſe contineant, ne Icari ſimiles nimis altum petant. Contentiones Theologorum reprimendas, exemplo Conſtantini Imp. qui in Concilio Nicano libros polemicos combuſſerit, his additis verbis; Sacerdotum vitia non eſſe aperienda populo, ne inde cauſâ offendiculi arreptâ licenter peccare aggrediatur. Dogma Vbiquiſticum ex nugis Eutychianis fluere. Brentium ad teſtimonia Patrum, à Bullingero citata, nihil reſpondere potuiſſe, &c.

Reſpondet alius 18. Decembris ad literas N. N. 24. Septemb. ſcriptas, de paradoxis Vbiquitatis, de Auguſtana Confeſſione & Conſenſu Pontificiorum in articulo tertio ejusdem Confeſſionis. Se quoque non dubitare, quin multi, qui huic Libro, authoritate, perſuaſione, pollicitationibus atque etiam minis tantorum doctorum adducti, improvidè ac feſtinanter ſubſcripſerunt: auditis ſubſcriptionem recuſantium, cauſis & rationibus, in eorum ſint manibus & pedibus ituri ſententiam. Duodecim diei horas eſſe, & priorem diem poſterioris eſſe diſcipulum. Se perſuadere ſibi non poſſe, Electores & Principes, jam pie in Domino quieſcentes, tali Libro, ſi viverent, ſubſcripturos, & ſuas priores actiones omnes retractaturos. In Auguſtana Confeſſione ejusque Apologia, ne ſyllabam quidem de Vbiquitate reperiri, ipſis quoque Pontificiis hoc atteſtantibus, qui tertium Articulum ſemper, Vbiquitatem verò nunquam approbârint. Nam, juxta Chalcedonenſe Symbolum, inſeparabilitatem vnionis differentias ſeu proprietates eſſentiales Naturarum, nec tollere, nec confundere, ſicut è contrario, naturarum & Idiomatum diſtinctio nullam perſonæ diviſionem afferat: Nullam etiam vel confuſionem, vel exæquationem naturarum inde ſequi. Veram Nativitatem, paſſionem, viſibilem aſcenſionem & reditum è Cœlis ſic cum Vbiquitate pugnare, ut nunquam cum illa conciliari poſſint. Theologos Vuirtenbergicos ſacræ Scripturæ teſtimoniis ſatis ſuperque convictos eſſe. D. Lutherum primarium Vbiquitatis authorem eſſe, qui nullo ſacræ Scripturæ teſtimonio hanc diſputationem excitârit, & quidem in polemicis ſuis ſcriptis tantùm: in reliquis enim vtilibus ſcriptis, Poſtillis & Concionibus ne verbo quidem ejus mentionem facere, Et adhuc in vivis multos eſſe, qui teſtentur, ſe dogma Vbiquitatis ex ore ejus nunquam audiviſſe. Nunc vero eos qui dogma hoc non approbent, recipiant, anathematizari, & impudentiſſime pro Mahometiſtis proclamari. Sin vero catholicum dogma ſit, cur Lutherus & collegæ ejus in lectionibus & concionibus id ſilentio præterierint? cur Principes id Auguſtanæ Confeſſioni Anno 30. exhibitæ non inſeruerint, & ita ſeſe à ſuſpicione Mahometiſmi liberârint: Lutheri ſcripta hominis privati ſcripta eſſe. Ridiculum etiam eſſe, quòd

Lutherus primarius author Vbiquitatis.

quòd Theologi Vuitenbergici negent, verba hæc, De Vbiquitate, vel in omnibus locis præſentia non debet diſputari, &c. *Lutheri non eſſe, ſed Philippi, qui id in Tomos Operum Lutheri infarſerit.* Kemnitium *autem ipſum hoc dictum* Luthero *adſcribere. Calumniare etiam adverſarios*, Philippum Doctori Maiori *hæc verba in librum quendam ſcripſiſſe, ſed tam* Maiorem, *quam generum ejus* Crellium, *in aulam vocatos, teſtatos eſſe ſanctè, ſe neque hunc librum, neque manum* Philippi, *qui hæc ſcripſerit, unquam vidiſſe. Fateri* Lutherum, *Vbiquitatem ad Cœnam non pertinere: id ipſum fateri etiam* Kemnitium, Morlinum, Heſshuſium, Selneccerum, Illyricum, Vuigandum: *Selneccerum nominare Vbiquitatem* Figmentum, Heſshuſium & Illyricum, peregrinam prorſus & alienam materiam, ſeu obſcuram diſputationem. *Hemingium*, Horribilem errorem. *Ex Pontificiis etiam* Georgium Caſſandrum *ad* Ferdinandum *&* Maximilianum *Impp. ſcribere*, Vbiquitatem corporis Chriſti & conſequentias, novam eſſe opinionem, omnibus tam veteribus Eccleſiaſticis, quàm recentioribus Scholaſticis, vno ore profitentibus, Chriſtum vbique eſſe, ſecundum quod Deus eſt, in certo tamen loco & modo, ſecundum quod homo eſt. *Nulli hominum licere nova fidei principia confingere. Quicquid in negotio Religionis præter & extra verbum doceatur, id omne pertinere ad Palæſtram rationis: Neque verò quod rationi adverſetur, ſacræ Scripturæ conſentaneum eſſe, cuius generis Vbiquitas ſit: quia neque ſacram Scripturam, neque orthodoxam antiquitatem, neque Evangelicam hiſtoriam, nec angelorum teſtimonium vllum de ea proferri poſſe. Apoſtolum Iohannem in myſterio incarnationis provocare ad quinque ſenſus rationis*, Quòd verbum vitæ audiverit, oculis viderit, manibus palpaverit: *Et Chriſtum poſt reſurrectionem exhibuiſſe ſe videndum, palpandum oculari demonſtratione ex veritate Corporis humani. Contrariam vero doctrinam annihilare Chriſtum, & januam omnibus hæreſibus patefacere, &c.*

Tomo 1. ſu pag. 456.

Ioh. Pappi defenſiones duæ contra Sturmium.

Evulgatæ ſunt quoque hoc ipſo anno Ioannis Pappi *defenſiones duæ, quibus* Ioannis Sturmii *Antipappis duobus reſpondetur*, Maiori & Epitomico. *De charitate & condemnatione Chriſtiana, ſecunda: in qua eaſdem partes, quas in prima Defenſione ſua propoſuerat, ſecutus eſt: De libro Concordiæ, & de Confeſſione Eccleſiæ Argentinenſis.*

Idem Pappus *hoc ipſo anno in Aſcenſionis feſto publicè pro concione hæc verba inter alia loquutus eſt*: Chriſti Corpus per aſcenſionem & ſeſſionem ad dexteram deificatum eſt.

Lamberti Danæi Anthoſiander.

Lamberti Danæi Anthoſiander *quoque in lucem prodit, ſive Apologia Chriſtiana ſimul & neceſſaria, in qua tum Helveticæ Eccleſiæ, & quæ cum iis in fidei confeſſione conſentiunt, tum etiam eorum vera de Sacra Cœna Domini ſententia defenditur, adverſus iniuſtam* Lucæ Hoſiandri *condemnationem. Docet autem* Primò, *quum doctrina Helveticarum &c. Eccleſiarum damnetur ab ipſis ſimul etiam Eccleſias ipſas damnari: hoc verò eos nec poſſe, nec debere facere: nec legitime hucuſque feciſſe.* Secundò *probat, illarum Eccleſiarum doctrinam veram, nec damnandam eſſe. Tertiam partem libelli Hoſiandrici* D. Sturmio *confutandam relinquit.*

Sturmii quarti Antipappi tres partes priores eduntur.

Prodierunt etiam Ioannis Sturmii *Rectoris Academiæ Argentinenſis, Quarti Antipappi tres partes priores*: 1. Commonitio. 2. Antiprooemium. 3. Anthoſiander. *In* Commonitione *oſtendit Originem & progreſſum Reformationis Germanicarum Eccleſiarum: deinde à quo & quibus authoribus Auguſtana Confeſſio, & quatuor Civitatum ſuperioris Germaniæ fuerit conſcripta: hortaturque Argentinenſes ut hanc retineant, defendant, ac tueantur, nec novæ alteri ſubſcribant. In* Antiprooemio *reſpondet ad Præfationem* Pappi, *quam ſuis Defenſionibus duabus præfixit. In* Anthoſiandro *ſolùm convitiis* Hoſiandri *reſpondet, & de Synodo quadam addit, in qua controverſiæ iſtæ de Cœna Dominica, aliisque fidei Articulis, quæ Eccleſias jam longo tempore lacerârunt, cognoſcantur & diiudicentur.*

Hoſiandri Antiſturmius alter editur. Paradoxa Antiſturmii.

Prodiit quoque in lucem Lucæ Hoſiandri Antiſturmius alter, *in quo ad Sturmij* Anthoſiandrum *reſpondet. In eo de Vbiquitate pag. 9. ſic ſcribit*: Lutherus probavit, quòd Chriſtus non ſolùm juxta divinitatem, ſed etiam juxta humanitatem in toto orbe terrarum ſit. *pag.* 12. Chriſtus ſic eſt in omnibus creaturis, ut ipſum in igne, àqua, & in quovis laqueo invenire poſſem. *pag.* 13. *dicit*; Licet Chriſtus in omni poculo, cantharo, &c. ſit, non tamen Corpus ejus & Sanguinem in iis edi & bibi, ſic enim ſe inde extricare & expedire poſſe, ut hamo teſtam ſaltem, non autem nucleum percipiat. *pag.* 32. Chriſtus non tum primum aſcendit in Cœlum, quum ſpectantibus diſcipulis in altum ſublatus eſt, ſed etiam cùm in vtero virginis conceptus fuit. *Item*: Chriſtus aſcendit in Cœlos, quando poſt traditum Spiritum, cum latrone in paradiſo fuit.

Spongia Laonici Antiſturmii.

Spongia *etiam* Laonici Antiſturmii, à Sturmeneck, *Equitis Germani, adverſus* Lamberti Danæi *Anthoſiandrum: in qua agit de damnatione exterarum Eccleſiarum: de*

dogmate Vbiquitario: de D.Sturmio. Beza *autem in Reſponſione ad Holderi convitia indicat*, Nicodemum Friſchlinum, *hujus* Laonici *equitis aurati perſonam ementitum, in ſcenam prodiiſſe.*

Gerlachii Antidanæus. Steph. Gerlachii *profeſſoris Tubingenſis* Antidanæus, *ſive Reſponſio, quâ* Lamberti Danæi *Anthoſiander confutatur.*

CAPVT XXXVIII.

De Diſputatione à Schmidlino pro Defenſione errorum Libri Concordiæ Vuitebergæ habita, ejuſque examine.

E*Didit etiam* Iacobus Schmidlinus *Theſes Vuitebergæ hoc Anno* 1580. *menſe Novemb. diſputatas, hac inſcriptione:* Repetitio ſanæ doctrinæ D.Martini Lutheri de Perſona Chriſti & Cœna Domini.

Schmidlidi gloriatio vana de hac ſua diſputatione. *De hac diſputatione, in qua Theſes iſtæ examinatæ ſunt, gloriatur* Schmidlinus *in* Admonitione *ſua de* Synopſi Grynæi *anno* 84. *edita, pag.* 4. *quòd ea in quartum diem fuerit extracta, & omnium Profeſſionum Doctores, Magiſtri, Paſtores, Studioſi, & illi inprimis provocati ſint, qui* Calvini *doctrinam de Cœna Domini amplexi eſſent. Multos autem doctos viros, quum vidiſſent, opinionem Calviniſtarum, nullo ſolido veritatis fundamento niti, in ampliſſimo conſeſſu, & ſtudioſorum frequentia maxima, quam Auditorium capere non potuerit, hactenus in errore ſeſe verſatos publicè confeſſos eſſe: tribuiſſe etiam laudem veritati manifeſtatæ, & pro ea Deo & Præſidi gratias egiſſe. Hæc quidem* Schmidlinus *pro more ſuo: quæ ſi maximè vera ſunt, ab iis tamen dicta crediderim, qui ab eo ad hoc ſubornati fuerunt. Multi certè pii & docti viri, qui diſputationi iſti interfuerunt contrarium narrârunt hinc inde per Germaniam: ex quibus etiam vnus ad* D. Rodolphum Gualtherum *Eccleſiæ Tigurinæ Paſtorem ſic ſcripſit inter alia:* Mitto tibi Theſes Vulcanias, Vuitebergæ publicè propoſitas & diſputatas, confuſiſſimum nimirum abſurdiſſimarum opinionum, & horrendarum blaſphemiarum chaos, quæque fallaciſſime venditant Theologiam verè Anaxagoricam, in qua ſequitur quidlibet ex quolibet. Sed de his portentis & impietate paucis referre non libet. Deplorandum eſt ſeculi noſtri fanum, adeò dementati, ut manifeſtis abſurditatibus, & blaſphemiis, καὶ ἀλογίαις aſſentiri, poſthabitâ Veritatis luce, aliquo etiam cum applauſu videatur. Nec tamen magna cum ſua laude & dignitate diſputationem hanc habuit *Fabellus*, quantumùis in hac tota ita ſeſe geſſerit humanum ad omnes, tractabilem, humilem, ſubmiſſum & placidum, ut non credideris eundem eſſe, & id quidem metu cœtûs Eccleſiaſtici, à quibus tamen ter riſu exceptus effuſiſſimo, & ronchis, pedumque ſtrepitu exploſus eſt, cùm in ſolutionibus hæreret, ſeque explicare non poſſet. A quodam Iureconſulto & altero Philoſophiæ Profeſſore, tertiâ & quintâ diſputatione eò redactus fuit, ut in reſponſionibus planè ſuccumberet, ac ea concedere ipſis cogeretur, quæ prorſus contraria erant theſibus ſuis. Nam non ſolùm titulum, ſeu inſcriptionem cum ipſis theſibus pugnare, multis ex Luthero hinc inde teſtimoniis collectis Iureconſultus evidenter convicit, ſed probavit etiam, in illis theſibus proponi novam, inuſitatam, & vniverſæ antiquitati orthodoxæ incognitam, imò in orthodoxis Synodis damnatam doctrinam. Idem deinde theſes omnes de reali communicatione oppugnavit firmiſſimis argumentis & rationibus: ad quas cùm non poſſet reſpondere *Fabellus*, tandem eò confugit, ſe omnes illas theſes & locutiones de tota perſona ſeu Concreto intelligere, & intelligi velle. Fateri etiam coactus eſt, realem communicationem ſe intelligere non niſi veram, nec dici poſſe realem per ſe, vel per accidens. *Philippi* definitionem admiſit tanquam veram, ſed in ſano & vero intellectu, hoc eſt, ne per vocabulum prædicationis intelligatur ficta ſeu phantaſtica communicatio. Ita in omnibus propoſitionibus ſibiipſi fuit contrarius, ut auditorum nemo certam aliquam ejus ſententiam aſſequi potuerit. Philippum ipſum jam mirificè laudavit, communis Præceptoris & Sanctæ memoriæ nomine eum dignatus. Mox verò alter ex Profeſſoribus jureconſultum inſecutus, inter alia vehementer vrſit, ut de Theologis illis profligatis probaret *Fabellus*, quod negâſſent vnquam, cujus ab ipſo inſimularentur, Divinitatem Chriſti. Hic bonus iſte vir latibula quæritans, declarationibus tædioſiſſimis tempus trahere cœpit, multaſque fabuloſas miſcere narrationes: quibus cùm non acquieſceret antagoniſta, ſed vel probari illam calumniam, vel Scholam Vuitembergenſem & innocentes viros hoc nomine purgari & excuſari contenderet, promiſit *Fabellus*, ſe poſtridie id ex ſcriptis eorum probaturum, quæ tunc nominavit *Dresdenſem Conſenſum*, Στρίωμα, *Quæſtiones Germanicas, & Propoſitiones* diſputatas Anno 1570. Altero die cum proferri illa loca ac legi publicè deberent,

Vera narratio de diſputatione Schmidlini.

Fabellus

Fabellus autem probatione deſtitueretur, ad Ingolſtadienſium propoſitiones decurrit: quas cùm non admitteret antagoniſta, ſed proferret vnius de quatuor Doctorum exulum numero epiſtolam, quâ calumnia iſta Vulcania prolixè & graviter refutabatur, ibi vaniſſimus homo publicè fateri non erubuit his verbis: *Si ita ſentiunt, ego cum ipſis per omnia facio, & gaudeo inter nos eſſe conſenſum*, &c. Alia omitto, ne modum epiſtolæ excedam. Sed ex Scholaſticis quoque multi firma oppoſuerunt argumenta: verùm non ſunt auditi, interponente ſemper *Fabello* ſuas declamationes nugatorias. Illud vnum addere oportet, quàm blandum, facilem, & benevolum ſeſe in publico ſimulavit, tam maledicum, ſuperbum, minacem & trucem ſeſe poſtea privatim apud ſuos declaravit, ſuis antagoniſtis atrocia quæquæ minitatus, *&c. Hucuſque ille de verbo ad verbum.*

Alia narratio de hac Schmidlini diſputatione.

Author etiam Collationis Catholicæ & Orthodoxæ fidei de Perſona Chriſti & Sacta ejus Cœna, *cum hac Diſputatione Iacobi Schmidlini, in Præfatione ſic inter alia ſcribit:* Etſi non dubitamus, multos alioquin ſimplices ac bonos adoleſcentes, quibus propter ætatem momenta præſentium certaminum non ſatis ſunt cognita & perſpecta, futili garrulitate tuæ linguæ miſerè deceptos & hactenus ceu tricis quibuſdam implicatos fuiſſe: tamen confidimus, eoſdem ſaltem aliquo modo in rectam viam reductos & expeditos eſſe, poſtquam audiverunt, te ita ridiculè & abſurdè nuper in Vuitebergenſi Schola diſputantem, ut planè nullum argumentum dialecticè & appoſitè ſolveres: Sed confiſus monſtroſâ loquacitate tuâ, planè à propoſito auditorium tuum abduceres, & de alliis interrogatus, de cœpis reſponderes, &c. *Et paulo poſt*: Neque verò, ut tu Schmidline falsò iactas, libera, quam hîc habuiſti, diſputatio fuit, neque tibi ſine magno periculo contradictum à nonnullis viris bonis & doctis fuiſſe, experientia ipſa teſtatur. Quos enim tu mox à diſputatione per calumniam detuliſti apud optimum Principem Electorem, & neſcio cujus erroris ſycophanticè inſimulâſti, eorum plerique, non ſine graviſſimo incommodo, & malo ſuo, jam ſentiunt & experiuntur, ingenium tuum non mite & beneficum, ſicut verbis præ te fers, ſed crudele, & ad nocendum cupidiſſimum eſſe.

Examen Diſputationis Schmidlinianæ de Perſona Chriſti & Cœna Domini.

In Titulo fucum facit.

PRimo autem Titulo ſtatim fucum ſimplicioribus facere conatur, dum ſpecioſam nominis* Lutheri *appellationem Theſibus iſtis præfigit, ac ſi in ipſis contineatur Repetitio doctrinæ Lutheri de Perſona Chriſti, &c. quum tamen iſtius Repetitionis theſes non ex* Martino Luth. *ſed ex* Mart. Kemnitii *libro*, De duab. Naturis in Chriſto, *&c. decerpta & ad verbum deſcipta ſint, quemadmodum ex vtriusque ſcripti collatione facile cuivis apparebit.*

Prodigioſa dogmata cum Verbo Dei & Patribus pugnantia in his theſibus continentur.

Secundo in Theſibus de Perſona Chriſti, continentur prodigioſa dogmata, quæ cum Verbo Dei, & Orthodoxa vetuſtate apertiſſimè pugnant.

1. *Theſi* 50. *dicit*, veram & realem in Chriſto fieri Naturarum & earum proprietatum communicationem: *deinde theſi* 52. Mixtionem *vocat.*

2. *In tota hac diſputatione* pro Synonimis vtitur Vnionis & Communicationis Naturarum vocabulis, *eamque non niſi ex communicatione illa Idiomatum, ſeu proprietatum naturalium definivit, ita ut aliunde differentiam hujus Vnionis ſpecificam, adeoque ipſam formam conſtituentem ſtupendum hoc Vnionis hypoſtaticæ myſterium omninò peti nollet, Theſi vero* 71. *iſtorum quaſi oblitus*, ex Vnione illa hypoſtatica, ſuam iſtam realem Idiomatum Communicationem conſecutam eſſe *contendit: Deinde ex hac ipſa, quam fingit, reali Idiomatum communicatione ſummam illam Maieſtatis gloriam, quæ ex gratia Vnionis in Humanam Naturam profluxerit, derivat. Multiplicem ergo tam brevibus vnius propoſitiunculæ verbis impoſturam complexus eſt.*

3. *Theſi* 74. *ſuam Idiomatum Communicationem ita deſcribit*, quòd ſit quiddam in aſſumpta Humana Natura conſpicuum, & quidem magis conſpicuum, quàm Vnio ipſa, *tanquam ipſâ Vnione, ſeu Communicatione naturarum, quiddam ratione Ordinis poſterius, etſi cum ipſa Vnione ſit tempore ſimul: quodque nequaquam ſit prædicatio tantum, aut phraſis, ſeu modus loquendi, ſed* res verè exiſtens, *quæ hac phraſi ſeu prædicatione, ſeu modo loquendi exprimatur: Videlicet*, non ipſa Naturarum Vnio, vel Communicatio, ſed proprietatum communicatio, quæ ipſam Vnionem perſonalem ſequatur *Hæc vero prodigioſa deſcriptio, quæ nihil cum antiquitate, nec etiam cum ipſo* Luthero *commune habet, nihil eſt aliud niſi perpetua contradictionis implicatio, & planè quiddam ἀσύστατον.*

 Hinc

Hinc etiam irrefragabiliter ſequitur, hoc commentum, quod realem communicationem Idiomatum vocant, non ſolum in genere ſubſtantiam, ſed juxta hanc declarationem, ſubſtantiam primam, hoc eſt, quiddam in Chriſto individuum & ſingulare eſſe: juxta regulam, quæ nullâ ſophiſtica eludi aut everti poteſt: Omne quod eſt, ſeu reverâ exiſtit, eo ipſo quod eſt, ſeu reverâ exiſtit, ſingulare eſt. *Quum itaque communicatio realis aliquid eſt, quod ex perſonali vnione duarum naturarum ſequitur, & tamen res vere exiſtens, id eſt ſingularis vel individua eſt, oportet ſubſtantiam primam eſſe, quæ in homine hypoſtaſis eſt. Iuxta hoc igitur commentum ex perſonali vnione duarum naturarum in Chriſto neceſſariò adhuc alia perſona ſequitur, vel præter duas illas naturas, aliquid tertium tanquam res vere exiſtens, & realiter omnipotẽs, omnipræſens atq; omniſciens, quod majus monſtrum eſt, quàm Neſt. hæreſis.*

Theſi 88. *Rurſus communicationem Idiomatum cum vnione hypoſtatica malè confundit. Tum ex eo quo talis dicitur eſſe communicatio Idiomatum, qualis eſt vnio: male infert, Communicationem Idiomatum, quam aliàs realem vocat, eſſe perſonalem. Cùm hæc potius ſit ſententia: Sicut vnio duarum naturarum in Chriſto nequaquam ſit in aliqua eſſentiali proprietate, toti Trinitati communi, ſed potius in vnitate ſubſiſtentiæ τȣ̃ λόγȣ: ita etiam naturarum proprietates nequaquam aliter de Chriſto, quam in Concreto, hoc eſt, ut ſubiectum propoſitionis ſit vocabulum, non alterutram tamen naturam, ſed integram complectens perſonam, prædicari poſſe. Nam alioquin, ſi ipſius perſonæ realem aliquam communicationem fingeremus, ut inde communicatio perſonalis dicenda ſit, tolleretur ex definitione perſonæ, quod ſit ὂν ἰςάμενον ἀκοινώνητον, atque ita veritas perſonæ in Chriſto deſtrueretur: eſſetque conſequentia planè præpoſtera.* Leonis *quoque regulam in eadem theſi ad ſuum delirium male detorquet: nihil enim illud omnino reali Idiomatum communicationi patrocinatur, ſed potius eam evertit.*

Schmidlinus multa Scripturæ loca depravat.

Theſi 94. *depravat locum Pauli Coloſ.* 2. In ipſo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. *Hinc enim colligit*, Humanæ Naturæ Chriſti realiter communicatâ eſſe omnia quæ de Deo dici poſſunt. *Non rectè autem detorquetur ad naturam humanam [illegible] in ſe conſideratam, quod de tota perſona dicitur. Non enim in abſtracto loquitur [illegible], ſed in concreto, Eodem modo [illegible] ibidem Ioh.* 3. Pater diligit filium, & omnia dedit in manus ejus. *Matt.* 28 Mihi data eſt omnis poteſtas, *&c. Pſal.* 110 Dixit Dominus Domino meo, Sede a dexteris meis. *Philip* 2. Dedit ei nomen ſupra omne nomen. *Hæc enim [illegible] Scripturæ [illegible] de Chriſti Perſona [illegible]*

quam, quod Schmidlinus *facit, de Natura duntaxat aſſumpta loquuntur. tantum abeſt, ut portentoſum illud dogma de reali Idiomatum Deitatis Communicatione, quam carni factam eſſe contendunt, ſtabiliant.*

Theſi 96. *corrumpit regulam, vnanimi Conſenſu Doctorum purioris primitivæ Eccleſiæ approbatam.* Quæcunque Chriſto data ſint in tempore, ſecundum humanitatem data eſſe. *Vnde colligit Schmidlinus*, Humanam Chriſti Naturam realiter factam eſſe omnipotentem, omniſciam, omnipræſentem, *&c. Sed craſſa eſt ignoratio phraſeos, ut fallacia amphibologias. Dupliciter enim conſideratur illud*, ſecundum humanitatem, *nimirum, vel ſolius aſſumptæ Naturæ, vel ſtatus officii reſpectu*,

Theſi 101. *& ſeq. impudenter, illuſtrem illam ſimilitudinem* Athanaſii, *ſumptam a fabrica hominis, ex Corpore & anima rationali conſlata, omninò præter Symboli nativam ſententiam, depravat.*

A Theſi 112. *vſque ad theſin* 154. *probare conatur, carni aſſumptæ realiter in Chriſto communicata eſſe à λόγῳ per vnionem perſonalem iſta quatuor: Deitatem ipſam, Verbi hypoſtaſin, majeſtatem τȣ̃ λόγȣ, & actiones Dei proprias.*

Theſi 135. *Alcorano æquiparare audet totius Eccleſiæ Catholicæ fidem Orthodoxam [illegible] tam, quod nimirum Chriſtus ſecundum [illegible] naturam, ſit Patri & Spiritui Sancto homoouſios, ejuſdem inquam Deitatis, æqualis gloriæ & coæternæ majeſtatis, ſecundum autem humanam naturam, licet & Patre, & Spiritu Sanctoque ſeipſo minor ſit, tamen majeſtate, poteſtate, gratiâ, & gloria, cæteriſque donis gratuitis, creaturas omnes, ineffabilem in modum excellat: ſed [illegible] tamen, ut ſecundum eandem [illegible] creaturæ limitibus, circumſcriptus, & minor (quemadmodum in Symbolo habetur) Patre, eidemque ſubjectus, qui omnia ei dedit atque ſubjecit, manere nunquam deſiſtat.*

Theſi 155. *contra clariſſimum Articulum Symboli Apoſtolici, & Scripturæ Sacræ apertiſſima teſtimonia, in paſſione Deitatem cum humanitate confundit, & per impiam [illegible] Idiomatum κοινωνίαν, ſimul cum aſſumpta carne [illegible] proprium eſt pati, Verbi Deitatem facit paſſibilem.*

Theſi 171. *Majeſtatem, quam theſi* 123. *τȣ̃ λόγȣ propriam eſſe dixit, fatetur non eſſe τȣ̃ λόγȣ, ſed totius divinitatis propriam, hoc eſt, æterno Verbo, cum Patre & Spiritui ſancto, perinde atque ipſam Deitatis eſſentiam, communem: eamque nihilominus, ut ſæpius ſibi contradicat, carni aſſumptæ per vnionem realiter communicatam eſſe [illegible]*,

Theſi 191. *ad repreſſam [illegible] majeſtatem, reali [illegible] κένωσιν in carnem Chriſti [illegible] ſam [illegible] Mediatoris Chriſti exinanitionem:*

nem: quaſi realiter acceptam omnipotentiam, omniſcientiam, & omnipræſentiam ſuam, ad tempus quaſi majeſtate ſeſe abdicans, non apertè uſurpâ[illegible]it aſſumptâ caro, ſed in forma Dei, cum eſſet ſcilicet, ut pati & mori poſſet, ſervilem habitum induendo, ſeſe ita exinaniverit, ut majeſtatem per unionem acceptam ad tempus diſſimularet, hoc eſt, publicè non oſtenderet. *Quæ nova & inſulſa tanti momenti rei eſt implicatio. In quo cùm omnia ſint falſa & impia, tum vel maximè intolerabile eſt, quòd haud obſcure carni aſſumptæ formam Dei adſcribit, per quam tamen non vult intelligi ipſam Deitatis eſſentiam, ſed divinitus acceptam, neſcio quam omnipotentiæ majeſtatem.*

Vnde etiam in ſequentibus theſibus formam ſervi tantum de ſervili quadam conditione, ſeu larva, quam poſtea depoſuerit Chriſtus, interpretatur. Cùmque hic Chriſtum paſſum & mortuum eſſe contendat, non apertè majeſtatem illam ſeu formam Dei acceptam, uſurpando, ſeu oſtendendo, ſed ſeſe ad tempus quaſi abdicando: quid hoc aliud eſt, quàm paſſionem Chriſti in Martioniticum phantaſma transformare? Præſertim cum theſi 198. *formam illam Dei, hoc eſt, majeſtatem realiter acceptæ omnipotentiæ, omniſcientiæ & omnipræſentiæ, &c. nunquam à carne vere depoſitam, ſed tantum retractam fuiſſe contendat, ne humanitas Chriſti, ut theſi* 193. *loquitur, potenter mortem repelleret. Idem ergo Chriſtus ejuſdem aſſumptæ carnis reſpectu, eodem temporis momento, realiter fuit potentiſſimus, & omnium nihilominus infirmiſſimus habitus eſt: replevit ſecundum carnem realiter Cœlum & terram, fuitq́; ubiq́; locorum, quando in Golgotha, manibus ac pedibus transfixus, de ligno crucis pendulus videbatur. Atq́; ita ſeſe* QVASI *abdicando, & vim repellendi mortem, quaſi retrahendo, hoc eſt, non* APERTE *uſurpando, manſit tamen eadem caro intus re[illegible]ra* IN FORMA *Dei, quam transfig[illegible] oc[illegible]idi, ſepeliri loco denique circumſcribi [illegible] eſt. Qui ergo coram oculis hominum pa[illegible], crucifi[illegible] mori, ſepeliri credebatur, revera ſimul omnis p[illegible]onis expers fuit,* QVASI *ſeſe ad tempus abdi[illegible]ans, & non aperiens majeſtatem, quâ intus fruebatur, & revera præditus erat, etiam carnis aſſum[illegible]tæ reſpectu. Quid hinc aliud colligimus, quam Chriſtum in carne non vere, ſed* QVASI *crucifixum, quaſi paſſum, quaſi mortuum quaſi ſepultum eſſe?*

Theſi 199. *Pauli locum Philip* 2. [illegible] *vix alius extat ad refell[illegible]nd[illegible] omnes adverſus Chriſti perſonam hæreſes, ill[illegible]ſtrior depravat, aut ſaltem pro virili obſcurat, & totum argumenti ſcopum pervertit. Nequaquam enim Apoſtolus ab humana tantum Ch. natura, ſed ab ipſ[illegible] [illegible] [illegible]erſona, nos ad reſtinguend[illegible] [illegible] [illegible] flammas, [illegible] exemplum capere voluit.*

Theſi 211. *ex imperio Chriſti inviſibili, Naturæ aſſumptæ Vbiquitatem inſul[illegible]e colligit.*

Sicut theſi 230. *inepte ab actionibus corporis organici animati ſic argumentatur*, ut actiones animæ in corpore *cum ipſis organis confundat, & aliam fingat Corporis definitionem in re animata, quàm in re inanimata: Sic impie theſi* 231. *& blaſpheme negat, eandem eſſe Chriſti, & noſtrorum corporum definitionem, hoc eſt, naturam & proprietates; cum certiſſimum ſit, non minus Chriſti, quàm Petri & Pauli Corpus non ſimul in diverſis locis coexiſtere.*

Theſi 234. *ſcribit*, humanitatem ſeu carnem Chriſti, tam vere & realiter ubique locorum præſentem eſſe, quam verè & realiter à λόγῳ in unitatem ſuæ perſonæ homo aſſumptus ſit. *Si autem caro ubique cum Deitate, quæ ſola immenſa & infinita eſt, coexiſtit, non eſt amplius caro, aut natura creata, quin & ipſa unio hypoſtatica ſimul evertitur.*

Theſi 244. *veriſſimam Eccleſiæ orthodoxæ ſententiam, quâ Chriſtus ubique totus eſſe dicitur, ſed non totum; hoc eſt, ſecundum utranque naturam, eludit & ſophiſma eſſe dicit eo ipſo autem diſtinctionem inter Perſonam & Naturas penitus abolet, & Naturarum proprietates cum Monothelitis confundit, perſonam autem cum Neſtorio dividit.*

Theſi 251. injuſtè ſibi, ſuisque imputari conqueritur, portentoſam Vbiquitatem, quâ Humanitas Chriſti Divinitati coextenſa fingatur. *De Chriſti vero Corpore ſcribit* Auguſtinus *ad Dardanum & contra Fauſt.* quòd neque extra ſpatia locorum, quib. continetur exiſtere, neque per corporalem præſentiam totum ſimul & unum in pluribus locis eſſe poſſit. *Hinc ſic colligitur: Si Corpus Chriſti per unionem perſonalem, cum divinitate eſt ubique aut hoc eſt per modum extenſionis per omnia loca. & omnes creaturas, ſicut* Thomas Aquinas *de infinito illo, quod omnia loca repleret, corpore ſentit lib.* 1. *Sent. diſt* 37. *art.* 2. *aut ſi totum ubique, vel in pluribus locis totum eſſe dicatur, plura per hoc neceſſario corpora, pluresque Chriſti introducuntur.*

Theſi 255. idem Corpus Chriſti realiter, ac perſonaliter ubique eſſe contendit, quod tamen naturaliter, & eſſentialiter ubique eſſe pernegat. *Quaſi vero idem corpus ſit alicubi realiter, ubi non ſit ejuſdem natura & eſſentia: aut ſi corpus ipſum ſit ubique non ſimul corporis naturam & eſſentiam ubique eſſe neceſſe ſit. Quid autem eſt Corpus Chriſti, ſive corporea natura & eſſentia? Sequeretur etiam Corpus Chriſti non eſſe eſſentialiter in Cœna, ſi non eſt eſſentialiter in pluribus locis. Et quorſum denique i[illegible]ſum naturale & e[illegible] Chriſti corpus etiam impior[illegible] [illegible] tert[illegible] ore [illegible] contendunt, quod tamen non niſi perſonaliter, non au-*

tem ſecundum eſſentiam & naturam ubique eſſe ipſimet fatentur?

Theſi 259. dicit contra ſacram Scripturam, & unanimem totius orthodoxæ Eccleſiæ conſenſum, Maſſam illam Corporis humani, ex utero matris virginis in hypoſtaſin verbi aſſumptam, omnib. rebus creatis, ſimul & ſemel ab initio potuiſſe, & nunc verè eſſe præſentem, conſcia mente, conformi voluntate, adeoque inenarrabili virtutis Divinæ κοινωνίᾳ. Miſcetur autem hic articulus incarnationis, cum Articulo ſeſſionis, ad dexteram Dei, unde neceſſariò ſtatus humiliationis, cum ſtatu exaltationis confunditur, atque ita uterque aboletur, vel in phantaſma convertitur. Rectius igitur Auguſtinus dicit: Filium Dei, & redemptorem noſtrum, ſecundum divinitatem inviſibilem, incorporeum & incircumſcriptum non credere, impium eſt: ita eundem Dei filium, in homine aſſumpto, viſibilem, corporeum atque localem poſt reſurrectionem non credere & profiteri, profanum eſt.

Theſi 260. triplicem Corporis Chriſti Vbiquitatem ſtatuit.

Theſi 261. Seſſionem Chriſti ad dexteram Dei ſic interpretatur, ut inde concludat, carnem à filio Dei aſſumptam in gubernatione univerſi omnibus creaturis realiter præſentem adeſſe.

Theſi 262. humanitatem Chriſti, & Filium hominis pro eodem termino ſumit, & ſic Neſtorianiſmum manifeſtè prodit.

Theſi 265. propter præſentiam Chriſti in Cœna, ſingularem Corpori ipſius modum Vbiquitatis adſcribit: Id verò cum verbis inſtitutionis non congruit, ut olim Patres orthodoxi ex hoc ipſo Sacramento Corporis Chriſti pro nobis traditi, veritatem naturæ aſſumptæ in perpetuum, ſalvis ipſius proprietatibus, contra Eutychianos & Marcionitas defenderint, quos approbato Vbiquitatis ſomnio, refutare hinc minimè potuiſſent.

Theſi 288. ex eo, quòd Chriſtus in die Aſcenſionis abiit ad Patrem, in quo ſe iam ante, cùm adhuc in terris verſaretur, eſſe, priusquam viſibiler in cœlos aſcenderet teſtatus fuerat, colligit, Chriſto in die Aſcenſionis ſuæ, ne latum quidem unguem, aut pilum à terra recedendum fuiſſe, ut ad Patrem veniret: Hic vero Schmidlino idem eſt, eſſe in Patre, & ire ad Patrem, quæ tamen toto genere differunt, illudque Chriſto tantum ſecundum Deitatem, hoc vero ſecundum humanitatem competat: Inſunt igitur argumento quatuor termini, & à non diſtributo ad diſtributum nihil ſequitur.

Theſes de Cœna D. dogmata habens

TERTIO, in Theſibus de Cœna Dom dogmata habet conficta? perque calumniam & invidiam Orthodoxis obiecta, quorum convincet nunquam poterunt. Huius generis ſunt:

conficta & per calumniam orth. doxis obiecta.

1 Quod ſentire, aut docere finguntur: Corpus Chriſti, propterea quòd in Cœlum aſſumptum ſit, NVLLO MODO in Cœna Dom. vere, & realiter præſens eſſe, aut adeſſe poſſe. Theſ. 33.

2 Quod aliam doctrinam de Euchariſtia Chriſti ſuis auditoribus proponant, quàm quæ in verbis Teſtamenti Chriſti comprehenſa eſt. Theſ. 38.

3 Quòd Chriſto dicente: Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt ſanguis meus: illi dicant contrarium: Non eſt Corpus Chriſti, non eſt Sanguis Chriſti.

4 Quod credant, & doceant: corpus & ſanguinem Dom. in S. Cœna MINIME adeſſe. Theſ. 57.

5 Quod corpus Chriſti in Cœna Dom. TANTVM figurari, aut ſignificari dicant: ac Corpore Chriſti, quo ad ſe OMNI MODO abſente tantùm virtutem corporis Chriſti, hoc eſt, TANTVM merita ejus cum externis Symbolis nobis communicari affirment.

6 Quod per vocabulum (ſpiritualiter) intelligant, Spiritum Sanctum TANTVM adeſſe, Theſ. 66. & 67.

7 Quòd Chriſtus ſuo Corpore in Euchariſtia PLANE non adſit. Theſ. 70.

8 Quòd cùm Chriſtus apertè dixerit: Hoc eſt Corpus meum: hæc verba invertant, & dicant: Hoc non eſt Corpus Chriſti. Quæ blaſphemia in ipſos potius adverſarios retorquenda. Illi enim Chriſti verba invertunt, cum non ſimpliciter legunt, Hoc eſt corpus Chriſti, ſed Hoc, quod inviſibiter pani jubeſt, aut ineſt, aut cum viſibili elemento realiter coexiſtit, quodque Cœlum & terram replet, eſt Corpus Chriſti pro nobis traditum: ſcilicet. Theſ. 72.

9 Quod omni nominis divini reverentiâ depoſitâ, nullaque ſalutis æternæ ratione habitâ, cum Chriſtus dixerit: Hoc eſt Corpus meum, illi viciſſim Chriſto auſint in faciem dicere. Hoc non eſt Corpus TVVM. Theſ. 73.

10 Quod in explicatione verborum Teſtamenti Chriſti dicant: Hoc non eſt corpus Chriſti, ſed TANTVM ſignum & figura abſentis Corporis Chriſti, quod Corpus Chriſti abſens TANTVM ſignificat. Theſ. 80.

11 Quod TANTVM virtutem Corporis Chriſti in Cœna eſſe doceant: quaſi verò Corpus Chriſti à ſua virtute divelli, aut ſeparari queat, ut Vbiquitarii ſomniant. Theſ. 103

12 Quòd in interpretatione verborum Pauli: panis, quem frangimus, nonne communicatio Corporis Chriſti eſt? nudam panis ſubſtantiam retineant, Corporis verò Chriſti ſubſtantiam excludant. Theſ. 119

13 Quod ſubinde in deterius proficiant, & in ea quoque ſint ſententia quod Deus non ſit in terris ſuâ eſſentiâ, ut ita Spiritui ſancto etiam ſecundum naturam propriam deſcenſus realiter ab ipſis tribuatur. Theſ. 127.

14 Quod inhabitationem Dei in Sanctis negent Theſ. 128.

15 Quod

Theſ. 130. 15 *Quòd de Deo nihil credant.*

Theſ. 134. 16 *Quod non modo Capernaiticam, ſed* OMNEM, OMNEM, OMNEM *realem carnis Chriſti præſentiam, & manducationem,* QVOCVNQVE *tandem* MODO, *ſive Cæleſti ſive ſupernaturali, ſive quocunque alio cogitari, aut appellari poſſit, damnent.*

Theſ. 136. 17 *Quòd ne quidem dignis, hoc eſt, verè credentibus, ullo modo realiter Corpus Chriſti adeſſe credant.*

Theſ. 169. 18 *Quòd vocabulum* EST *per (ſignificat) interpretantes, ſimpliciter Corporis Chriſti abſentiam doceant.*

Theſ. 170. 19 *Quòd in verbis Teſtamenti per vocabulum* CORPVS *nil aliud, quàm figuram Corporis Chriſti intelligant, verâ Corporis Chriſti præſentiâ negatâ.*

Theſ. 172. 20 *Quòd ut maximè anteceſſorum, & ſociorum non omnia probent, in communi tamen cum ipſis errore verſentur, & doceant: Corpus Chriſti ſimpliciter abeſſe à Cœna, quantum ſummum Cœlum à terra diſtat, cujus loco tantum virtutem Corporis Chriſti pro ipſo Corpore Eccleſiæ obtrudant.*

Has viginti objectiones ſimpliciter Orthodoxi negant, & Schmidlinum *Sycophantam agere dicunt, qui calumniis pro demonſtratis utatur.*

In Theſibus his multæ ſunt antilogiæ. Secundò, *in Theſibus iſtis de Cœna multas habet* ἀντιλογίας *ſeu contradictiones. A Deo enim ſic ordinatum eſt, ut impii ſemper ſeipſos confundant: Et quòd mendacia non conſonent, ſed ſemper contra ſemetipſa teſtentur. Ac notum eſt illud Iacobi Apoſtoli 5. cap.* Vir duplex animo, inconſtans eſt, in omnib. viis ſuis. *Conciliet ergo Schmidlinus has* ἀντιλογίας.

Theſ. 1. 24. 30. 1 *Quòd &* πανταχουσίαν, *&* πολλαχουσίαν, *ſeu τὴν πολυτοπίαν paciſcitur: adeò ut qui Corpus Chriſti in duobus minimum, aut pluribus locis, ſimul, & ſemel vere, atque realiter adeſſe neget, cum eo de reali præſentia Corporis Chriſti in Cœna Domini fruſtrà contendi aſſeveret. Cùm tamen è contrario de Corporis Chriſti vel Vbiquitate, cujus dogma portentum, &* παράδοξον *appellat, vel præſentia in Cœna locali verbum nullum cum quoquam ſe facturum poſt hac palàm proteſtetur.* Theſ. 31. Theſ. 3. 5. 29.

Theſ. 3. Theſ. 85. 86. 2 *Quòd Vbiquitas ſit portentoſa, & monſtroſa, & nihilominus Corpus Chriſti in hordeo & fœno, & omnibus rebus creatis realiter præſens adſit.*

Theſ. 87. 92. 81. 3 *Quòd aliter in pane & vino Cœna, aliter in hordeo, aut fœno ſit Corpus Chriſti, & quòd nihilominus non uni creaturæ adſit, alteri abſit, ſed quod* SIMVL *omnibus rebus creatis* EX AEQVO *adſit: quodque huic dogmati non obſtet Corporis Chriſti proprietas, quod ſua Natura non infinitum quiddam ſit.*

Theſ. 92. 106. 4 *Quòd Chriſtus per Aſcenſum ſuum in cœlum, formam ſervi* PENITVS *depoſuerit, & quod nihilominus integritatem corporis non amiſerit.*

5 *Quòd præſentiam in Cœna non ſtatuat localem, aut corporalem, aut phyſicam: cùm nihilominus diſputet de præſentia Corporis Chriſti ſimul, & ſemel, in diverſis* LOCIS, *videlicet, in cœlo* LOCALI, IN TEMPLO *Vuitebergenſi, Dreſdenſi, & Lipſenſi, ſubſtantialiter & realiter coexiſtentis.* Theſ. 184. 6. & 7.

6 *Quòd Patribus, ut idoneis veritatis teſtibus, credendum ſit, quos paſſim alibi ut patres, & matres ſuggillat, atque explodit.* Theſ. 1.

7 *Quòd Sophiſtarum lacunas à ſanctorum Scholaſticorum lucubrationib. non diſtinguit: cùm ipſemet ad nugaciſſimum ſophiſma confugiat, idque* Hugoni de S. Victore *falſo adſcribat, nimirum:* Quòd Corpus Chriſti in plurib. LOCIS eſſe poſſit, hoc habere ex unione Perſonali. *Admonendus enim hìc obiter Lector eſt,* Hugoni de S. Victore, *nunquam Vbiquitatis illud commentum in mentem veniſſe. Fuit is natione quidem Saxo, ſed Abbas ſancti Victoris Pariſienſis, floruitque circa annum Dom.* 1130. *Hoc authore libellum de eſſentia Divinitatis, qui inter Auguſtini exſtat opera, ſcriptum Eraſmus cenſet: ubi inter cætera credere, nos, & confiteri oportere docet Hugo ille Victorinus, Chriſtum & ſecundum ſubſtantiam Divinitatis ſuæ eſſe incircumſcriptum: & ſecundum humanitatem, circumſcriptum, ac localem eſſe, & hoc non credere impium eſſe, atque profanum. Anteceſſit hic centum annis Hugonem Gloſſatorem, Cardinalem, qui floruit circiter Annum Chriſti* 1230. *Cujus ut maximè laudanda ſit in evoluendis ſacris literis diligentia, ſeculi tamen, in quod incidit, tenebræ deplorandæ ſunt, quibus dementatus totam ferè Scripturam in prodigioſam illam quadruplicis ſenſus Metamorphoſin convertit, & miſerum Tranſſubſtantiationis mancipium eſt, quam fictitiis miraculis palliare, & defendere ſtudet. Cùm enim ad illud Auguſtini reſpondendum eſſet,* quo cibus iſte in mentem, non in ventrem tranſire dicitur, cùm nihilominus elementa viſibilia in humores, ut *loquitur,* reſolvantur: *inter cætera paradoxa quæ ibidem cumulat, in hanc tandem gloſſam erumpit* Hoc Sacramentum plenum eſt miraculis. Eſt enim Miraculum quòd tranſſubſtantiatur panis in Corpus Chriſti. Et miraculum verum, quod factâ diviſione hoſtiæ, ſub unaquaque parte totus eſt Chriſtus. Denique miraculum eſt, quòd formæ remanent, & faciunt illud, quod faceret ſubſtantia panis, & vini. *Quando ergo dicit Auguſtinus:* quod cibus iſte non tranſit in ventrem, &c. reſpondendum eſt, quod loquatur de eo, quod eſt ſub formis. *Hæc ille. Poſſet hac ipſâ reſponſione, quâ id, quod ſub formis eſt, in ventrem tranſire negat, everti commentum de orali manducatione neſcio cuius, ſive* Tom. 41. Tom. 7. in poſtill. 1 Cor. 11. 9 8. 2.

ſub

ſub forma, ſive ſubſtan[illegible] panis, latenter abſconditi corpuſculi.

Sed hoc portento iam omiſſo, hoc ſcire ſufficiat, hunc illum eſſe præclarum Ubiquitatis patronum, quem ſi admittendum cenſeat, ſimul in iiſdem opinionum monſtris, quæ hanc ei de Corporis Chriſti Ubiquitate blaſphemam vocem extorſerunt, audiendum eſſe. Exſtat autem locus, ad quem tanquam ad Sacram anchoram miſer diſputator, totius alioqui orthodoxæ antiquitatis teſtimoniis penitus deſtitutus, quaſi in caſu deſperato, confugit, hiſce apud gloſſatorem illum verbis deſcriptus: Corpus Chriſti hanc habet dignitatem ex natura unionis cum Divinitate, ut ſimul ſit in multis locis: *Libuit enim aſſignare ipſa gloſſatoris verba, cùm facile appareat diſputatorem locum non inſpexiſſe. Quis autem non videt, eadem opinionum portenta defendere, iiſdem qui dogmatum, licet in ſpeciem à ſe mutuo diſſidentium, fundamentis nituntur? Ecquis amplius dubitet, pro verbis Chriſti putidam gloſſam ſubſtitui ab iis, qui ſententiæ ſuæ fulcrum ab ineptiſſimo gloſſatore mutuantur? Hem Sacramentarios, fanaticos & blaſphemos.*

Tomo eodem 1 Cor 10 q. 4 à Concinarium ſentiuns Thomas & Albertus M. in lib. 1 ſent. diſ. 37.

Theſ. 40. Ieſuitarum Moguntinenſium axioma de tropo in verbis Cœnæ. Theſ. 82. 90. 106.

8 *Sunt etiam hæc inter ſe contradictoriè oppoſita, quod tropos ſimpliciter reiicit, & nihilominus ſynecdochen admittit. Reſpondeat ergo Ieſuitis, qui iam pridem in ſolenni diſputatione pro axiomate certo, & indubitato poſuerunt hanc propoſitionem:* Si in verbis Cœnæ corpus de pane prædicetur, & panis ſubſtantia manere dicatur, non poſſe verba Chriſti propriè, & abſque tropo intelligi.

Theſ. 67. 102. 184.

9 *Quòd corporis & panis: item vini & Sanguinis Chriſti unio ſit myſterium ſimul & miraculum (Excogitata eſt hæc opinio ab otioſis, & indoctis Monachis, cùm imaginarentur modum præſentiæ, non Sacramentalem, ſed phyſicum, vel magicum.)*

Theſ. 61.

10 *Quòd modum præſentiæ ſimpliciter dicit eſſe ἄρρητον, cœleſtem, ſupernaturalem, illocalem, & humano captui imperveſtigabilem, quem neque incredulitas impediat, aut fides hom[illegible]s efficiat, quique nullo pacto definiri poſſit: & nihilominus, præter τὴν πολυτοπίαν, quam urget, etiam ore manducari, cùm à piis, tum ab impiis Corpus Chriſti ſubſtantialiter clamitat: quaſi vero multipræſentia & oralitas modum non definiant, aut os hominis, pars illa corporis bruta, quicquam comedat Cœleſti, ſupernaturali, non locali, naturali, aut phyſico modo.*

Theſ. 63.

11 *Quod tria iſta adverbia:* vere, ſubſtantialiter, realiter, *ſyno[illegible] eſſe de[illegible], quæ in commento realis, hoc eſt, phyſicæ Idiomatum communicationis, quæ eſt [illegible]fuſio naturarum, Synonyma eſſe pernegat.*

Theſ. 60.

12 *Quod reſpuentes fanaticum hoc dogma Eccleſias, minimè ſe damnare ſimulat, quarum tamen miniſtros furiarū œſtro percitus anathematizat.*

Theſ. 26. 62.

13 *Quod Corpus Chriſti ſpiritualiter in Sacramento adeſſe concedit, cum idipſum corporaliter & ſubſtantialiter, etiam impiorum ore percipi & devorari blaſpheme vociferetur.*

Theſ. 51. 104. 36. 97. 184.

14 *Quod ſolum τὸ ῥητὸν urgere præ ſe fert, cùm interim ex commento Realis Idiomatum communicationis, diverſis eſſendi modis, Allegoria denique Aſcenſionis Chriſti in cœlum interpoſitione, perverſæ ſuæ gloſſæ fulcra petat.*

Theſ. 101.

15 *Quod cœlum cum inferno ſe permiſcere inficiari non erubeſcit, cum aperta* Brentii *teſtimonia exſtent. Vide* Brentium *in libro Recognitionis, pag. 149. 150. 182. 223. Item de Maieſtate, pag. 159. 160. 162.*

Theſ. 107. 139.

16 *Quod ab omnibus ſimilitudin[illegible] abſtinendum monet: cum ipſe perpetuo in ore habeat ſimilitudinem ferri igniti, item caſtri, denique Solis: quarum applicationem facit ine[illegible]. Et quis ſanâ mente præditus (ne dicam, ſa[illegible] fidei guttulâ imbutus) non ridet, vel potius exe cratur impias* Marbachii *ſimilitudines adverſus* Toſſanum, *quando præſentiam Corporis in Cœna comparat infanti cubanti in cunis, theſauro in ciſta repoſito, cereviſiæ in cantharo, pani in caniſtro comprehenſo, pecuniæ in marſupio reconditæ. Item, imagini Principis in cera expreſſæ, &c. Sed huic ſpermologo ſatis graviter à* Toſſano *reſponſum eſt. Nos bellam illam diſputatoris ſimilitudinem, à radiis ſolaribus deductam, obiter examinemus.* Sicut, *inquit*, iidem numero radii Solis ceram liquefaciunt, & lutum indurant, quod fit propter diverſitatem materiæ luti, & ceræ, in quam Solis radii agunt: Sic idem Corpus Chriſti in Cœna, à dignis & indignis ſumptum, propter hominum diverſitatem diverſa quoque operatur, ut in piis quò ad ſe, judex permanens, eoſdem tamen non iudicet, ſed vivificet, & in impiis, quo ad ſe, vita exiſtens, eos tamen propter incredulitatem non vivificat, ſed iudicet. *Nil proculdubio ineptius, & a myſterio Sacræ Cœnæ alienius in medium proferri poterat. Si enim ut Sol in ceram & lutum: ita Corpus Chriſti in indignos, & in dignos agit, neceſſe erit, ut digni vivificentur non ratione applicationis, quæ fit fide (cujus diſputator nullam in hac propoſitione mentionem facit) ſed nudæ qualitatis reſpectu. Quæ ſententia ut partim eſt Pelagiana, partim Enthu[illegible] totam doctrinam de Iuſtificatione evertit.*

Theſ. 160

V. de orthodox. conſ. cap. 9 in fine.

Ne iam dicam, abſurdiſſimam, imo blaſphemam [illegible] vocem, quâ Corpus Chriſti in Cœna à dignis, & indignis ſumtum, [illegible] quam [illegible] realiter exiſtendo, [illegible] impiorum quidem iudex, piorum autem vivificator eſſe dicitur. Pater [illegible] filio: non aſſumto filii Corpori. [illegible] Pater vitam habet in ſeipſo: ſic dedit & filio habere vitam

in ſeipſo. Nec Paulus dicit Indignos ſumere corpus Domini, quod in impiis, quo ad ſe, vita exiſtens (ut diſputatoris verba habent) eos tamen propter incredulitatem non vivificet. ſed judicet. Quin potius indignè edentem, & bibentem ſibi ipſi judicium edere, & bibere, non diſcernendo Corpus Domini, teſtatur Apoſtolus. Et quis hoc unquam audivit? quis legit? quis hoc fanatico diſputatore excepto, ſomniare, nedum proferre auſus fuit unquam? quod corpus Domini in IMPIIS *(in impiis inquam)* EXISTAT, *quòd Corpus Domini ſit* IVDEX, *quod Corpus Domini reali ſua in* IMPIIS *tanquam iſtis cloacis Satanæ exiſtentia, exerceat judicium. Hæc in tranſitu, hujus ſimilitudinis occaſione moti, breviter annotanda duximus.*

O verè portentoſam Theologiam.

Theſ. 17. 131. 17 *Quod* Berengarium *erroris accuſat, cujus revocationem Syngramma Suevicum, à quo Suevicus hic diſputator turpiter defecit, diſertè comprobat, hiſce verbis quibus nemo ſanus contradicet.* " Nam edimus Corpus, & bibimus ſanguinem carne, non ut Chriſti corpus atteramus & frangamus, ut eſt in revocatione Berengarii, ſed panem ipſum, quâ panis eſt, tractamus, frangimus, edimus, & dentibus atterimus. Corpus autem accipimus, quâ verbum accipimus, HOC EST CORPUS MEVM, ut pulcherrime quidam dixit, Quod edimus, intrat ventrem, quod credimus, intra mentem.

18 *Quid? quòd ad gloſſam decretalium diſputator ipſe provocat: quam ſi admittit, non poteſt non in damnando* Berengario *ſibi ipſi contradicere. Legat enim gloſſam, quæ adjuncta eſt capitulo: Ego Berengarius. Vbi clare dicitur.* Niſi particula ea, quâ perhibetur Corpus Chriſti dentibus fidelium atteri, ſanè intelligatur, in maiorem hæreſin, quàm quæ Berengario impingitur, incurri. *Item:* Berengarium hyperbolicè locutum fuiſſe, & modum indicendo exceſſiſſe. *Adde Gloſſam in cap. Vtrum, & in cap. Hoc eſt, de conſ. diſt. 2.*

Theſ. 116. *Schmidlini theſes dogmata impia & blaſphema continent.* Tertio, *continentur in his Theſibus dogmata, manifeſte impia blaſphema. Hujus generis ſunt iſta.*

Theſ. 7. & 30. 1 *Quod* Schmidlinus *ſtatum cauſæ detorquet ad Corporis Chriſti in pane, & Sanguinis in calice, ſeu vino præſentiam, vel potius affixionem, ſeu coexiſtentiam & incluſionem localem: qua in Filium Dei atrocior contumelia dici non poteſt. Quæſtio enim hîc non eſt,* Vbi ſit corpus Chriſti, *ſed,* quid Euchariſtiæ panis ſit: *Atque ita jam olim* Brentius *ſtatum ipſum formavit, in Exegeſi in Ioannem* [illegible] *quam explicationem plane orthodoxam, & ipſe* Luthero, *in Sermonibus menſalibus, quibus iſtorum Theologaſtrorum grex plurimum tribuit, approbatam, hodie ut Calvinianam, Sacramentariam & hæreticam* Schmidlinus *cum ſuis reſpuit.*

2 *Quòd diſertè dicit, verba Chriſti hoc velle,* ut IBI, in pane & vino Cœnæ, Corpus & Sanguinem Chriſti quæramus, *contra prohibitionem Domini,* Si dixerint; Ecce hic, ecce illic, nolite credere. *Quærunt enim Chriſtum in pane Vbiquitarii, quem non credunt eſſe in cœlo.* Theſ. 87.

3 *Quòd* præſentiam Corporis Chriſti in Cœna comparat viſibili apparitioni Spiritus Sancti in ſpecie columbæ. *Quaſi verò Sacra Cœna ſit viſio quædam, aut peculiaris revelatio, & quaſi ſpectaculum Corporis Chriſti.* Theſ. 76.

4 Quod formam ſervi, *quæ, universâ orthodoxâ antiquitate teſte, eſt ipſa natura aſſumpta,* penitùs à Chriſto per aſcenſum ſuum in Cœlum depoſitam eſſe nugatur: *quâ ratione ne quidem Corpus, quo Eccleſiam in Cœna paſceret, habiturus erat amplius.* Theſ. 92.

5 Quod per Aſcenſionem in Cœlum, Chriſtus viſibilem tantum & corporalem, pro ratione hujus ſeculi converſationem ſubduxerit: Nequaquam verò, quo ad Humanam Naturam, ratione diſtantiæ à nobis receſſerit, ſed quod ſimul omnibus rebus creatis humanitate ſuâ ex æquo adſit. Theſ. 14 & 92.

6 *Quod ex Deitatis in Chriſto immenſitate colligere audet,* Corpus, ſeu humanitatem Chriſti, tam in hordeo & fœno, & in aliis creaturis omnibus præſto adeſſe, quàm in Euchariſtia: ſed hoc tantum intercedere diſcriminis, quòd non habemus verbum Chriſti, ut corpus ipſius in hordeo, aut fœno quæramus, ubi etiam non inveniatur: *ſicut in pane & vino Cœnæ Chriſtum fingit quæri, & inveniri velle. Proferat ergo teſtimonia Scripturæ, ubi dixerit Chriſtus: In pane quæratis: aut ibi in pane invenietis corpus meum. Proferat, inquam, Scripturæ non depravatæ, aut in alienum ſenſum contortæ teſtimonia, nec erit, qui contradicat. Enimverò In, Sub, & Cum pane Sacramentotenus non negamus exhiberi nobis verum Chriſti Corpus: quod tamen reſpectu ſitus & loci, non in pane, ſed ſurſum in regno Patris eſſe credimus.* Theſ. 86. 87.

7 Quòd Chriſtum ſuo Corpore à nobis receſſiſſe, nuſquam in univerſa Scriptura legi, nuſquam hoc dixiſſe Chriſtum, nuſquam Evangeliſtam, nuſquam Apoſtolum, *dirâ voce eructat. Quid autem Deum Spiritum Sanctum, Scripturæ Sacræ authorem, quid teſtes beatos Angelos, ſemper in cœlis intuentes faciem Patris, quid fidem, & ſpem Catholicæ Eccleſiæ, quid denique ſanguinem Martyrum è terris in cœlos clamantem, mendacii eſt arguere, quàm impudenti ore negare, Chriſtum in Cœlum aſcendiſſe, inde venturum eſſe, & ibi jam ſuo corpore verſari?* Theſ. 96.

8 Quod Chriſti Corpus non afficiatur contumelia, ſed ſummâ potius gloriâ extollatur, Theſ. 143 & 146.

tollatur, propter communicatam ſibi Maieſtatem Vbiquitatis, non minus, quàm Deus ipſe diviná ſuá eſſentiá, in omnibus cantharis Cereviſiariis, braſſica, communi pane, & nullibi denique non adeſſe ſingatur. *Sed hæc neque ſanctè dicuntur, neque Chriſtianæ vel pietati, vel gravitati congruunt, neque in explicatione ſecum conſentiunt,*

Theſ. 109.160. 9 *Quod* ſtultè pariter, atque impiè *fingit*, poſſe quenquam percipere in Sacra Euchariſtia Corpus Chriſti, ut non ſimul fiat particeps virtutis ejudem vivificæ: vel virtutem Corporis Dominici ſine ipſo corpore communicari cuiquam poſſe. *Contra ipſius Filii Dei aſſeverationem: Caro mea verè eſt cibus, & Sangis meus verè eſt potus. Qui edit carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Ioan.6.10. Quòd humanam Chriſti Naturam in ſe omniſciam, adeoque καρδιογνώστην eſſe iactitat.*

Theſ. 50. & 52. 11 Quòd veteris, & novi fœderis Sacramenta non tantum ſignis & ceremoniis, ſeu ritibus Sacramentalibus, verùm etiam uſu, fine, & ipsâ re Sacramenti, quæ perpetuò Chriſtum exhibet, adeoque toto genere differre *contendit, nec ipſi Apoſtolo contradicere dubitat, teſtificanti, quòd Patres eandem nobiſcum eſcam comederint. Hoc enim iſte audacter & impudenter negat. Sed hîc opponamus Auguſtini authoritatem, teſtis omni exceptione maioris. Sic enim contra Fauſtum ſcribit*: Magno

Lib. 19. cap 16. errore delirant, qui putant, ſignis, Sacramentiſque mutatis, etiam res ipſas eſſe diverſas, quas ritus propheticus pronunciavit promiſſas, & quas ritus Evangelicus annunciat impletas: *Et Pſalm.*77. Idem in myſterio cibus, & potus illorum, qui noſter, ſed ſignificatione idem, non ſpecie, quia idem ipſe Chriſtus illis in petra figuratus, nobis in carne manifeſtatus. Omnes quidem eundem cibum ſpiritualem manducaverunt, & eundem potum ſpiritualem biberunt, id eſt, ſpirituale aliquid ſignificantem. *Item, Tract.26. in Iohannem*, Hunc panem ſignificavit altare Dei, Sacramenta illa fuerunt, in ſignis diverſa ſunt, ſed in re, quæ ſignificatur, paria ſunt: Audi Apoſtolum: omnes eandem eſcam ſpiritualem manducaverunt, ſpiritualem quidem eandem: nam corporalem alteram, quia illi Manna, aliud nos, Spiritualem vero quam nos. Et omnes eundem potum ſpiritualem biberunt, aliud illi, aliud nos, ſed ſpecie viſibili quidem, tamen hoc idem ſignificante virtute ſpirituali. *Item Tractat. 45. in Ioannem.* In ſignis diverſis eadem fides, ſic autem in ſignis diverſis, quomodo in rebus diverſis? Quem enim venturum eſſe credebant, nos veniſſe credimus. Videte ergo fratres, quod, ſide manente, ſigna mutata ſunt. Ibi petra Chriſtus, nobis Chriſtus, quod in altari Dei ponitur. Et illi pro magno eiuſdem Chriſti ſacramento biberunt aquam de petra fluentem: nos, quid bibamus, norunt fideles: ſi ſpeciem viſibilem intendas, aliud eſt: ſi intelligibilem ſignificationem, eundem potum ſpiritualem biberunt. *Item*, Eundem cibum, & potum manducaverunt & biberunt, erant enim ibi, quod manducabant, intelligebant, quibus plus Chriſtus in corde, quam Manna in ore ſapiebat. Breviter ergo dixerim. Quicunque in Manna Chriſtum intellexerunt, eundem, quem nos, cibum ſpiritualem manducaverunt, ſic etiam eundem potum. Petra enim Chriſtus. Eundem ergo potum, quem nos, ſed ſpiritualem, id eſt, qui fide capiebatur, non qui corpore hauriebatur. *Et mox*: Eundem ergo cibum, & potum ſed intelligentibus, & credentibus, non intelligentibus autem, illud ſolum Manna, illa ſola aqua, ille cibus corporalis eſurienti, iſte potus ſitienti: nec ille, nec iſte, credenti: Credenti autem idem quod nunc. Tunc enim Chriſtus venturus, modò Chriſtus venit: Venturus, & venit, diverſa verba ſunt, ſed idem Chriſtus.

12 *Quod Lutherum Apoſtolo antefert, qui ſe* Theſ.122. *immediatè à Domino accepiſſe profitetur ſententiam, bonâ fide deſcriptam, & quaſi de manu in manum nobis à ſe traditam.*

13 *Quòd Cœnam Domini adulterari calumniatur ab iis, qui loco definitionis Catholicæ de Sacramento Altaris à Luthero traditæ, verbis Apoſtoli utantur, & quòd per verba Apoſtoli Sacramentarium errorem inſtillari incautis blaſphemo ore vociferatur. Quorum cum Lutheri alterum, alterum cum Pauli ſumma ignominia conjunctum eſt, adeoque neutrum ſine atroci in Spiritum ſanctum blaſphemia cogitari, dicive poteſt. Quàm enim hoc à Lutheri mente alienum ſit, vel inde pius Lector æſtimet, quod Catechumenos ad Evangeliſtarum, horumque interpretis Pauli explicationem ipſemet deducit, & ablegat, atque ſecundum illos ſuam definitionem pie accipi vult: tantum abeſt, ut ſuæ quaſi cenſura Sacro Sanctam Apoſtoli interpretationem ſubiiciendam nedum poſtponendam duxerit: cum id ſine læſæ divinæ Maieſtatis crimine tentare nemo unquam mortalium, imo, ne quidem Angelus in Cœlis poſſit, auſitve.*

14 *Quod Corpus Chriſti ore etiam ab hypocritis ſumi* [illegible] *non quidem Sacramentaliter* [illegible] *id* Theſ. 140. 160. *enim* [illegible] *fatemur, ſed realiter*, [illegible] *aliter manducari diſputat, ita ut Corpus Chriſti in impiis exiſtere, eoſque ſuâ in* [illegible] *orum* [illegible] *ribus exiſtentiâ judicare contendat.*

15 *Quod totius Catholicæ Eccleſiæ fidem orthodoxam perpetuã, quã ſincero corde credimus,*

& unanimi

& unanimi conſenſu [...] Corpus Chriſti Salvatoris noſtri nonniſi in Cœlo nunc, unde denuo venturum eſt, eſſe, & ſalvâ veritate Naturæ Humanæ ſimul in Cœlo, & terra eſſe non poſſe, ut hæreticam, & Neſtorianam damnat.

Scimulſimus ſui ipſius oblitus eſt.

Vltimo *tamen in hiſce Theſibus ſuis de Corporis Chriſti in Cœna Sacra præſentia, & contra oralem manducationem ejus, ſuipſius penitus oblitus, ita loquitur non tantum commode, ſed orthodoxè etiam, ut nemo poſſit melius. Cum enim aliquot præcedentibus theſibus dixiſſet,* Corpus Chriſti manducari *Theſi 126. ita diſertè ſcribit:* Neque vero vel phraſis dura aut res abſurda videatur, Corpori Chriſti, pro ratione & modo hujus SacroSancti myſterii, tribui, quod panis proprium eſt. *Et Theſi 153. adhuc clarius.* Neque vero Capernaiticam lanienam carnis Chriſti in Cœna inſtituimus, quum de Corpore Chriſti nihil pro ratione hujus ſeculi in hoc myſterio afferamus: ſed actio tota, quoad Corpus Chriſti, quum ſit cœleſtis, ſpiritualis & myſtica, quæ pani accidunt, propter unionem Sacramentalem, Corpori Chriſti tribuuntur, quum tamen in Corpore Chriſti nihil horum fiat. Sic videri oculis corporeis, frangi manibus, tangi, dentibus atteri, & ſimilia, Corpori Chriſti in Cœna tribuuntur, propter panem, cui accidunt, quum in ſubſtantia Corporis Chriſti nihil horum fiat. *Hæc ille. Quis orthodoxus non ſic ſentit? Sicut enim de verbali communicatione Idiomatum, & phraſi ſeu loquendi formulis Eccleſiæ uſitatis docent: ita ille quæ de pane & vino in Sacra Cœna, id eſt: elementis Sacramenti, & corpore & ſanguine, ut rebus ſignificatis hujus communicata verba utriſque quæ alterutri tantum competunt, explicaui ita diſerte planeque, ut nemo orthodoxus ei non aſſentiri poſſit. Hæc igitur veritatis eſt vis, quod ſæpe nolentes, invitos & inſcientes etiam cogit verum enunciare, & ſæpe loco & tempore alieniſſimo.*

Sic etiam Lutherus in Confeſſ. majore.

CAPVT XXXIX.

Continuatio Hiſtoriæ Peucerianæ: in Qua Confeſſio & judicium ejus de monſtroſis confuſionibus Libri Concordiæ, & alia, quæ in carcere ob veritatis profeſſionem cum eo acta & tentata ſunt, narrantur.

A Peucero judicium de Formula Concordiæ in carcere ſeverè exigitur.

E*Xemplar ſex fabrorum Chimeræ, ex diſcordibus phantaſiis diſſentientium authorum conſarta primùm Torgæ, rurſuſque, ut diximus, arbitrio paucorum in Cœnobio Bergenſi mutatæ, fucatæ, depravatæ, ac confuſæ ſub titulo Libri* Concordiæ, *quum primum in lucem prodiiſſet, mittebatur ad* D. Peucerum *in carcerem, & una* Pouchenii *adverſus* Palmerium *ſcriptum, cum mandato gravi ac ſevero, ut utrunque accuratè perlegeret, ſuamque Confeſſionem & judicium de iis exhiberet. Mox inter legendum non tam miratus Sophiſticas præſtigias & eluſiones, quàm deteſtatus blaſphemias, tetras & ſceleratas corruptelas evidentis atque invictæ veritatis ab iis qui ſe lumina, & capita Auguſtanam Confeſſionem profitentium jactitabant, & agmen tot millium ſubſcriptionis & ſuffragii confœderatione, ex profeſſo bellum apertum Filio Dei denunciantium & inferentium, cœpit cogitare de iis, quæ ex immota & immutabili veritate Scripturæ, ſi foret ſibi reddenda ratio recuſatæ approbationis, opponeret. Deſtituebatur autem ſubſidiis ad opus tale neceſſariis omnibus: Nihil enim papyri, calamorum, atramenti ſuppetebat, quodque maximum erat librorum nihil: nec enim ullis ſupplicibus precibus vel tantum Novum Teſtamentum Græcum elicere poterat. Sed huic tamen indigentiæ ipſe Deus medebatur, ita, ut chartas ſuppeditarent margines Libri Concordiæ, ac vacua folia: atramentum vero cruſtæ panis crematæ, in pulverem hyberno tempore, quo ſemel in die foculus incendebatur in fornace ferrea: & macerata ac diluta cervisiâ: calamos anſerum ala, quam ad detergendos pulveres, & aranearum telas impetraverat: cultellum ſcriptorium, culter ſine cuſpide & acie ipſi ad uſum ſecandorum ciborum relictus: cætera Spiritus Sanctus doctor, formatorque judicii per lucem vivam, & vivificatum memoriæ torpeſcentis vigorem. His mediis uſus, Confeſſionem & Judicium breve texuit, duodecim articulis diſtinctis, juxta Formulam Concordiæ, complexum, quæ in Chimæra repererat corrupta prorſus in præcipuis fidei articulis, & manifeſte repugnantia cum Scriptura, tum ſibimet ipſis. Sic autem de verbo ad verbum habet.*

Confeſſio Peuceri de unione hypoſtatica duarum naturarum in Chriſto.

Primo credo & confiteor toto & ſyncero pectore juxta expreſſa, & perſpicua teſtimonia Scripturæ Sacræ cum orthodoxa Eccleſia omnium temporum, doctore, duce ac teſte Spiritu Sancto in corde meo de Filio Dei, Domino noſtro & Salvatore Ieſu Chriſto, quà ille eſt in una hypoſtaſi, ſeu hyphiſtameno, ſeu Perſona verus & Æternus Deus, naturâ genitus ab æterno de eſſentia Patris ὁμοούσιος Patri, & verus homo naturâ natus ex Maria virgine, ὁμοούσιον nobis, ſed ſine omni labe & peccato. Quod ergo unio hæc hypoſtatica non eſt per ſe & realis communicatio Idiomatum ſeu proprietatum Divinæ Naturæ

cum Humana aut omnium, aut aliquarum, demenſo tanto quanto libuerit, & nota ſit ipſi Chriſto: Sed quod eſt aſſumptio Naturæ Humanæ ἀπὸ τοῦ λόγου, ſeu à Filio Dei λόγῳ, qui eſt hyphiſtamenum, per ſe exiſtens ab origine æterna, in unitatem perſonæ; ſive, ut Greci locuti ſunt εἰς μίαν συνθέτον ὑπόστασιν, inconfuſa, inconverſa, indivulſa, inſeparabilis, conſervante in ea unione utraq; Natura Divina & Humana, eſſentiam ſuam & proprietates eſſentiales immutabiliter & diſtinctim in omnem æternitatem; Talis tamen, ut Humana Natura aſſumpta in divina aſſumente exiſtat, geſtetur, ſuſtentetur ac conſervetur indiſſolubiliter, hac lege, ut niſi ita in ea conſiſteret, aut non eſſet, ſed redigeretur in nihilum, aut eſſet hyphiſtamenum ſeu Perſona per ſe; & ſic ex uno Chriſto fierent gemini & diſtincti, contra liquidiſſima Scripturæ teſtimonia.

Quod ſecundum hunc unum modum unionis hypoſtaticæ Chriſtus eſt una hypoſtaſis, hyphiſtamenum, Perſona compoſita ex duabus Naturis, Divinâ aſſumente, Humanâ aſſumpta in unitatem perſonæ, & non ex duabus perſonis, ſicut ex duobus conglutinatis aſſeribus. Et quòd aſſumptam hoc modo & ſibi inſitam, maſſam noſtram inde uſque ab utero matris Mariæ Spiritu Sancto Sanctificat & implet οὐ κατὰ μέτρον, non ſecundum menſuram, ut Ioannes ait, id eſt, in prærogativa & excellentia virtutis & donorum Spiritus Sancti tantâ, quantâ nullius eſt Creaturæ, neque in Cœlo neque in terra, etſi in ſtatu humili minus ſe exeruit.

Communicatio Idiomatum facta in Chriſto ſine exæquatione aut confuſione naturarum. Errores Formulæ Concordiæ de communicatione Idiomatum.

Affirmo itaque coram Deo Patre, Filio & Spiritu Sancto, & Eccleſia Angelica, & Humana, verè & Sanctè, quòd communicatio realis ac per ſe idiomatum ſeu proprietatum Divinæ Naturæ cum Humana, Chimeræ, (quam illa credi poſtulat impudenter, audacter, furenter, & impiè) facta ſit, citra omnem mutationem, converſionem, & exæquationem naturarum inter ſe, aut humanæ abolitionem. Hanc ergo affirmo eſſe Phyſicam, realem, per ſe confuſionem naturarum in Chriſto, commentum mendax Antichriſti, quo humana abſorbetur ac perimitur. Communicationem autem aliquarum, cum eſſentialia omnia in divinitate ſint ἀμέριστα καὶ ἀδιάσπαστα, id eſt, impartibilia & indivulſa, affirmo eſſe unionis hypoſtaticæ divulſionem, quâ Chriſtus in duas perſonas, ſeu duos Chriſtos dirimitur, & non eſt θεάνθρωπος amplius, id eſt, Deus & Homo; ſed nudus homo θεοφόρος, θεόπνευστος, ἔνθεος, ſeu ἀποθεωθεὶς, id eſt, Deificatus, ſicut Schuenckfeldius loquitur. Non Naturâ Divinâ, ſed ſolâ virtutis divinæ prærogativâ ab hominibus Sanctis differens. Affirmo etiam quod Chimęra veras cauſas in Scriptura traditas, quare Mediatorem inter Deum & hominem oportuerit in duabus naturis diſtinctis, Divinâ, Æternâ aſſumente, & Humanâ aſſumptâ unum eſſe hypoſtaſi, hyphiſtameno, ſeu perſona inconfuſè, immutabiliter, indivulsè, inſeparabiliter, nunquam conſiderarit; Quod Perſonam Chriſti totam in utraque natura deſtruat, divinam excludens ab unione hypoſtatica, cum Samoſateno, Sabellio, Ario, Neſtorio & ſimilibus, humanam penitùs abolens cum Eutyche. Quod Chimera ordinem naturarum & rationem unionis hypoſtaticæ perſpicuo & ubique ſibi conſono verbo demonſtratam penitus invertit, ac pervertit, dum fingit Humanam Naturam tanquam hyphiſtamenum per ſe exiſtens & aſſumens, Naturam Divinam aſſumpſiſſe & induiſſe per communicationem idiomatum eſſentialium realem ac per ſe aut omnium aut aliquorum; Et in eadem illam habitare atque exercere ſeſe ſicut ignis in fornace. In Chriſti maſſa vero tantò efficacius & fortius, quàm in aliis Sanctis, quantò in eo virtute & potentiâ majora efficiat. Et quòd in hoc Articulo Scripturæ & ſibiipſi contradicat in omnibus deſtruens fundamenta, quæ ſe fingit ex puriore antiquitate retinere, & confundens teterrimâ confuſione ac pernicioſiſſimâ proprietates eſſentiales cum virtute ac donis Spiritus Sancti, & cum iis, quæ ſunt miſſionis & officii. Quod orthodoxę Eccleſię omnium temporum Gręcę & Latinę in ipſa etiam Romana Eccleſia tot modis corrupta cum articulo de unione hypoſtatica inconfuſa & inſeparabili, & Doctoribus Scholaſticis communicatio idiomatum eſt phraſis ſeu modus loquendi & prędicatio Dialectica, qua unius naturę propria, diverſa ac diſtincta à proprietatibus alterius tribuuntur toti perſonæ παρωνύμως, & in concreto propter unionem naturarum in perſona una, cuique utrique naturę ſunt propria competunt & rectè tribuuntur hoc modo, quia uni perſonę inſunt. In abſtracto & abſolute non rectè tribuuntur, ſed falso; quia naturę communię non ſunt, ſed retinent ſuas proprietates Sunt autem omnes prędicationes verę, ſicut res veræ ſunt. Hanc quoque loquendi rationem [illegible] penitus evertit Chimęra.

[illegible] circa naturam humanam in Chriſto, & Formulæ Concordiæ de hoc articulo errores.

SECVNDO: De Natura Humana aſſumpta in Chriſto, & de proprietatibus veri & naturalis Corporis Chriſti, in quo natus, educatus, verſatus in terris, crucifixus, mortuus, ſepultus, reſuſcitatus, evectus in cœlum, glori-

glorificatus, exaltatus ad ſacerdotium & regnum æternum, regnat ad dextram Patris, inde venturus judicare vivos & mortuos. De hoc ergo articulo credo & confiteor, ut in primo articulo dictum eſt, ne ſemper eadem verba repetam, quòd de proprietatibus veri & naturalis Corporis Chriſti non ſit conſtituendum aut definiendum judicio & arbitrio rationis humanæ ex fundamento ſolius omnipotentiæ divinæ contra patefactum & expreſſum verbum; quia ad verbum mandato ſeveriſſimo omnes nos alligamur, quòd non ſint ei tribuendi plures modi exiſtendi in loco præter eum, quem unum ei Scriptura tribuit; Aut, quod uno eodemque momento ſimul ſit in diverſiſſimis ac diſiunctiſſimis locis, ut Chimera affirmat Vbiquitatem Brentianam declinans, qui cuivis lapidi & trunco Corpus Chriſti adeſſe palam & audacter aſſerit, ſed in ſolo pane diſpenſativè. Quòd glorificatio & exaltatio Naturæ Humanæ ad dextram Patris neutiquam mutari in ea proprietates eſſentiales, neque exæquarit eam divinæ per ſeſe ullâ re, Sed quod unicum tantum modum exiſtendi in loco ei Scriptura tribuit, omnibus corporibus naturalibus communem uno ac perpetuo conſenſu, mox à nativitate, ante & poſt paſſionem, mortem & reſurrectionem: ante & poſt aſcenſionem in Cœlos, quæ non facta eſt κατὰ ἀφανισμὸν, ſed vero motu locali Phyſico; Item ante & poſt glorificationem & exaltationem, ante & poſt judicium extremum; nimirum, quod in vero & naturali Corpore conformato ad effigiem & formam Corporis humani, ſed nunc glorificato occupet certum ac σύμμετρον, ſuæ magnitudini ſpacium, quo vult cœli loco, phyſica locatione partium, ſicut antea in terris in ſtatu humili; nec propterea aut carcere clauſus aut vinctus eſt ergaſtulis, ut ludit Chymæra, quod glorificatio non abolet naturam corporis, ſed induit ei, quæ ſunt glorificatorum corporum propria. Sed in eo gradu, qui omnia corpora glorificata antecellit. Exaltatio evexit, & extulit eam ex unionis inſeparabilis vinculo ſupra omnes creaturas ad faſtigium ſummæ dignitatis, non ad æqualitatem eſſentiæ & potentiæ, ſed ad ſocietatem Sacerdotii & regni æterni, nec ad æqualitatem, ſed ſocietatem cultus, honoris, adorationis, invocationis, & ut colatur in unitate perſonæ una λατρείᾳ, uno cultu ab Angelis & hominibus.

Manet autem intra metas ſuæ ſubſtantiæ & ſuarum proprietatum, utraque natura ſemper agente & ad commune opus Sacerdotii ac regni conferente, quod ſuum ac proprium eſt, diſtinctim, non ſeorſim tamen, aut ſeparatim, & citra omnem confuſionem, commixtionem aut converſionem, ut naturarum ſic actionum, quæ in opere ipſo ad effectum concurrunt, ac coeunt, & deſinunt in unum Ὑποτέλεσμα, quæ actio eſt, & vocatur θεανδρικὴ & compoſita eſt ſemper.

Affirmo itaque verè & ſanctè coram Deo Patre, Filio & Spiritu Sancto & Eccleſia angelica & humana, quod Chymera, dum Chriſtum, refragante & reclamante totâ Scripturâ, Corpore uno momento in loca innumera diſtrahit, & pani conſecrato includit aut conſociat ſine omnibus corpori propriis, quæ ſibi poſt reſurrectionem ineſſe Chriſtus Apoſtolis demonſtret. Quod ergo Chriſtum proprietatibus Humanæ Naturæ ſpoliatum & corpore penitus exutum in phantaſma & ſpectrum convertit, cum Eutyche, & corpore quærit in pane, quo eum in cœlo eſſe negat: Et quòd adimat hanc ſummam conſolationem ac ſpem, quòd efficiamur fide membra Corporis ipſius, caro de carne, & os ex oſſibus ejus, & quòd glorificato ejus corpori erimus conformes in omni æternitate.

Peuceri Confeſſio de præſentia & efficacia Dei in ſuo verbo & miniſterio, & Formulæ Concordiæ de hoc errores.

Tertio, de vera præſentia, actione & efficacia Dei in verbo patefacto, & in miniſterio verbi ac Sacramentorum inſtituto, expreſſo verbi mandato, credo ac confiteor, ut ſupra: Quod hæc præſentia, actio, & efficacia non eſt generalis in creatione ordinata, phyſica, aut qualis eſt in naturis brutis, aut hominibus non renatis. Nec eſt extraordinaria, inuſitata, rara, qualis eſt in miraculis operum naturæ; Nec eſt Enthuſiaſtica, afflatus & raptus, cum ſenſu, ſed ſine motu; Nec eſt Stoica, ex lege neceſſitatis immutabili; Nec eſt magica, hyperphyſica aut paraphyſica, qualem ex his omnibus monſtroſè confuſam Chimæra comminiſcitur; Nec eſt præſentia unius perſonæ divinitatis tantum, nec confuſa omnium, nec eſt in Sacramentis Baptiſmi & Cœnæ ſacræ alia, quam in verbo & verbi miniſterio; nec alia in his communicatio & diſtributio donorum Dei; ſed quòd eſt præſentia, actio & efficacia ſpecialis, myſtica & pactionalis, diverſa à toto ordine Naturę conditę, patefacta, ordinata, & ex pacto promiſſa certo & expreſſo Dei verbo, & ad Verbum ac Sacramenta tantum alligata, liberrima tamen, & directa ad unum & ſolum hominem, propter quem ſolum inſtituta eſt; exerens etiam & expromens ſe liberrime per ordinata hæc media, in quem vult, arcano decreto divinitatis, & quâ ac quanta vult menſura virtutis divinæ ac bonorum ęternorum, non in uſum hujus vitæ animalis, ſed ad vitam novam, Cœleſtem, Sanctam, ſpiritualem, æternam, conformem Dei voluntati & manda-

mandatis, & Deo placentem in motibus internis & actionibus externis Sanctis. Quod tota divinitas præſens & efficax eſt eo diſcrimine & ordine perſonarum, quem Scriptura tradit, Pater adeſt, ut principium, cauſa, fons, & gubernator totius operis & beneficii gratuiti, per & propter Filium, propitiatorem ac Mediatorem, recipiens in gratiam pœnitentiam agentes & credentes in Filium, donans eos remiſſione peccatorum, juſtitiâ & Spiritu Sancto, ad vitam, lucem, & juſtitiam novam & lætitiam æternam. Filius Dei præſens & efficax eſt merito & efficaciâ. Merito placans ac reconcilians patrem & umbraculo juſtitiæ, atque interceſſionis ſuæ tegens & applicans ſua merita. Efficacia, ut lux mundi, lucens: per verbum in mentibus noſtris, & virtute S. S. accendens lucem novæ & veræ agnitionis Dei & fidem quâ quiſque totum beneficium miſericordiæ Patris & meriti Filii apprehendit, ac per fidem conſolationem & vitam amplectitur & ſibi accommodat. Quod illo ipſo Spiritu Sancto, quo maſſam noſtram, in ſe aſſumptam ex Maria Virgine Vivificat & Sanctificat, electos & inſertos ſibi tanquam palmites viti, tanquam ſurculos arbori, tanquam membra corpori ex ſeſe vivificat, ut fiant & ſint caro de carne ejus, & omnes in unum Corpus redigit, conſociat ac conglutinat tanquam membra hujus corporis myſtici, cujus ipſe caput eſt. Spiritus Sanctus præſens eſt & efficax, ut proximus & immediatus opifex totius operis, virtute divinâ novâ, vivâ & efficaci applicans beneficia Patris & merita Filii, fide accensâ vivificante, quâ acceptus ipſe & efficax in cordibus reliquum opus internæ novitatis in motibus & actionibus ſanctis urget ad normam præſcripti mandati. Quod nulla alia eſt præter hanc præſentia Dei in miniſterio Verbi & Sacramentorum tradita Dei Verbo. Quod talis præſentia eſt actio & efficacia tantum in actione reciproca hominis, id eſt, in ipſo uſu vero, legitimo inſtituto & mandato: In iis qui audiunt, attendunt, cognoſcunt, meditantur & fide apprehendunt. Extra hanc ordinatam actionem & uſum nulla eſt efficacia. Affirmo itaque iterum ſanctè & verè coram Deo P. F. & S.S. & Eccleſia Angelica & humana, quòd Chimæra teterrimis & blaſphemis confuſionibus hanc evidentiſs. Scripturæ teſtimoniis uno conſenſu traditam doctrinam & ſalutis noſtræ causâ inſtitutum miniſterii ordinem penitus obruat ac deleat.

Peucari Confeſſio de efficacia verbi & Sacramentorum in miniſterio Eccleſiæ, & Formulæ Concordiæ de eo errores.

QVARTO. De virtute & efficacia Verbi & Sacramentorum in miniſterio Sacræ Eccleſiæ, credo & confiteor, ut ſupra, quod vox Miniſtri ſonantis verbum, & media externa Sacramentorum non mutant naturas ſuas nec converſione ullâ phyſicâ aut miraculoſa, nec aſcitu novæ alterius naturæ per incluſionem vel alligationem phyſicam, miraculoſam, aut magicam. Nec acquirunt aut induunt vires novas ab inſitis natura diverſas, ſeu divinas, ſeu phyſicas, ſeu magicas, miraculoſas, hyperphyſicas, aut paraphyſicas, ex ea de qua dictum eſt præſentia, actione & efficacia divinitatis aut verbo ipſo, quod vox miniſtri ſonat, & quo media Sacramentorum conſecrantur ac transferantur adverſus deſtinatos ſactos.

Quòd etiam inanis ſonitus non eſt, Verbum feriens aures & pectora blando titillatu eloquentiæ. Sacramenta non ſunt otioſa & inania ſpectacula, qualia ſunt theatrica.

Quòd Corpus Chriſti conſecrato pani nulla ineſt aut copulatur præſentia hypoſtaticæ & inſeparabilis unionis. Nullâ generali, communi, phyſicâ, ordinatâ in natura rerum, ſive localis ſive definitiva cenſeatur, quæ ſpirituum tantum eſt, nullâ extraordinariâ & miraculoſâ, nullâ magicâ, ſive hyperphyſicô ſive paraphyſico fuco coloretur, quòd caro Chriſti efficax eſt & vivifica non virtute & efficaciâ phyſicâ, carnali, brutâ aut magicâ, hyperphyſicâ vel paraphyſicâ. Nec contactu, manſu, paſtu, effectu, mutatione corporum noſtrorum phyſicâ aut magicâ. Quòd Spiritus Sanctus non Stoicâ neceſſitate & coactione, nec impulſu & raptu enthuſiaſtico, nec virtute & efficaciâ, aut phyſicâ, aut magicâ quocunque colore pictâ, ſe per vocem miniſtri & uſum mediorum in Sacramentis exerat, qualia monſtroſâ confuſione Chymera confingit ad novam, Sanctam, Spiritualem & æternam vitam. Quòd etiam non eſt afflatus levis auræ prætervolantis, perſtringens aures & pectora ſono evanido: Sed quòd vox Miniſtri docentis & ſymbola ſacramentorum conſervant naturas ſuas integras & vires à natura inſitas: virtutes autem & efficacia verbi divini (quod vox Miniſtri ſonat, & quo media ſeu ſymbola Sacramentorum, ut aqua Baptiſmi & panis ac vinum Sacræ Cœnæ Sacro uſui conſecrantur, ac deſtinantur) per virtutem Spiritus Sancti accendentis in vero uſu & meditatione verbi ac mediorum externorum novam lucem & fidem, qua fit applicatio beneficiorum Chriſti & inchoatio novitatis, ſed virtute Spiritus Sancti & præſentia, actione atque effectione liberrima. Quòd fide fit applicatio, qua verbum apprehenditur vocale, Miniſtro docente, viſibile in Sacramentis. Sine fide verbum vocale audienti eſt inanis ſonitus, ſicut & Sacramenta nuda & inania ſymbola ſunt utenti ſine fide.

Quòd Sacraméta docent verbis ſuæ inſtitutionis

tionis & præceptis de uſu legitimo, tanquam obvia ſigna per oculos: ſicut auditu aut lectione verbum docet.

Quòd eædem res & eadem beneficia offeruntur, diſtribuuntur, exhibentur, applicantur, & quaſi ſigillo obſignantur in Sacramentis virtute Spiritus Sancti per fidem, quæ in verbo. In actione interna diſcrimen non eſt, ſed externa tantum.

Quòd Chriſtus verè præſens & efficax in cordibus credentium paſcit eos Corpore & Sanguine ſuo interius, & efficit eos viva inſitione membra ſui Corporis veri & myſtici, tam per Verbum & Baptiſmum, quàm in uſu Sacræ Cœnæ, ſed non phyſica ablutione aquæ Baptiſmi, nec phyſica manducatione corporis, ſed interna myſtica virtute ſui Spiritus, de qua externum ſymbolum oculos commonefacit, qua transformamur ad eandem imaginem cum ipſo, & efficimur cum ipſo Chriſto unum Spiritu, ut Paulus ait: Quod nullam aliam rationem præſentiæ Chriſti in Miniſterio verbum patefactum doceat, niſi unam hanc.

Affirmo itaque iterum verè & Sanctè coram Deo Patre, F. & S. S. & Eccleſia Sancta, Angelica & Humana, quòd Chimæra, tetra, monſtroſa & blaſphema confuſione præſentiæ, actionis atque effectionis Dei generalis phyſicæ & ordinatæ, cum extraordinaria phyſica, miraculoſa, Enthuſiaſtica, Stoica, magica, veram, ordinatam, myſticam, pactionalem præſentiam in miniſterio verbi ac Sacramentorum verbo Dei patefactam tollat: Rationem veram totius miniſterii aboleat uſum legitimum inſtitutum ad reparationem & inſtaurationem ſalutis æternæ in genere humano penitus deſtruat.

Peuceri Confeſſio de Cœna, & Formula Concordiæ de ea errores.

Quinto. De Sacramento Corporis & Sanguinis Chriſti, & de præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in pane & vino conſecrato, & in ſumente panem & vinum, credo & confiteor juxta verba inſtitutionis, & declarationem perſpicuam & immotam duorum interpretum, authoris Chriſti, & Pauli Apoſtoli, cum tota prima & puriore Eccleſia per annos amplius quingentos, cui commentum multò poſterius Eccleſiæ Romanæ fuit ignotiſſimum: Quòd panis & vinum non ſunt naturâ & ſubſtantiâ, nec naturale & eſſentiale Corpus Chriſti, neque ex converſione ulla aut tranſſubſtantiatione, neque ex incluſione aut alligatione ulla qualiſcunque fingatur phyſica, miraculoſa ſeu prodigioſa, ſeparabili vel inſeparabili, magica, hyperphyſica, paraphyſica. Quod Chriſtus nullo contactu, manſu, aut paſtu phyſico ſeu carnali, bruto aut commentitio, miraculoſo aut magico, hyperphyſico vel paraphyſico, præſentis Corporis ſui carnem ſumentis ori veſcendam præbeat. Quòd ſimiliter nullo contactu aut paſtu phyſico ſeu carnali Corpus Chriſti carne ſuâ, noſtræ carni coaleſcat, nullo etiam actu & effectu phyſico afficiat, immutet, vivificet corpora noſtra. Quòd Sacra Cœna non eſt paſtus profanus & phyſicus ſeu carnalis corporum ad hanc vitam animalem, quę morte temporali deſtruuntur.

Quòd verba inſtitutionis non Identicâ prædicatione, de hoc viſibili pane ex mutatione ex quacunque ſubſtantię panis, aut novâ commentitiâ unione hypoſtaticâ corporis cum pane, nec ſynecdochicâ prædicatione accipi debent, ex quocunque connexu alio, ſed quod conſecratus panis & calix ſunt corpus & ſanguis Chriſti relativè, ut σύμβολα & ἀντίτυπα, ſicut Græca: ut figuræ & ſigna, ſicut Latina Eccleſia locuta eſt, veri & verè exiſtentis corporis in cœlo, juxta teſtimonia Scripturæ ubique inter ſe conſona, & quòd inſtituta ſunt hoc fine, ut in mandato & legitimo uſu nomine Corporis & Sanguinis commonefaciant & doceant credentes de toto beneficio, paſſione & morte Filii parto, & de præſentia ipſius in cordibus credentium, applicantis merita ſua virtute vivâ Spiritus Sancti, per fidem inſitione vivâ in ſuum verum & vivum Corpus, & myſticum Eccleſiæ, ut dictum eſt, quòd non carnis ſuæ profana, carnali, phyſicâ, bruta, præſentiâ & effectione, ſed virtute & ſocietate unius & ejuſdem Spiritus cum ſua maſſa afficit, vivificat, ſanctificat, paſcit animam, Naturam rationalem & ſpiritualem fide tantum, quâ fit applicatio. Quòd virtute S. S. inſerti Chriſto, ex ipſo vitam & alimoniam ſpiritualis vitæ haurimus, ſicut membra Corporis noſtri vitam animalem ex corde noſtro per ſpiritum vitalem trahunt: Et coaleſcimus ipſi, ut palmites viti, ſurculi arbori, membra corpori, non phyſico contactu & coalitu cum carne, manſu oris ſumpta, quæ prophaniſſima eſt, & falſiſſima, & pernicioſiſſima imaginatio; ſed virtute vivâ Spiritus in novis, vivis, Sanctis, legi Dei congruis, Deo placentibus motibus internis & actionibus externis; quibus novitas inchoata Naturæ & obedientia nova conſtat. Quod Cœna Sacra hoc propter cibus eſt animæ virtute Verbi, quo eſt inſtituta, & Spiritus Sancti per fidem ad alimoniam, incrementum & profectus vitæ Sanctæ Spiritualis. Quod verba Inſtitutionis non accipi aut intelligi aliter debeant aut poſſint, quam Metonymicâ prędicatione, quæ eſt ſigni de re ſignificata. Affirmo itaque iterum verè & Sanctè corã Deo, Filio Dei &

Ee 3 Spiritu

Spiritu Sancto & Eccleſia Sancta Angelica & Humana: Quod totum hoc commentum Eccleſię Romanę de pręſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in pane & vino, & per hæc in ſumente ignotum primæ & ſinceræ Eccleſię ante tyrannidem Romani Pontificis, mendacium ſit apertiſſimum, cum tota Scriptura & ſecum per omnia pugnans: Et quod hoc mendacium Chymera tetrioribus blaſphemiis & furoribus cumulet. Affirmo diſertè, *primò* quod fundamentum ipſum, quo unico nititur, tota alia Scriptura adverſante, nempe verba Inſtitutionis intelligenda ac retinenda eſſe, ſicut ſonant, interpretatione hypotheſi ſuæ contraria, penitus evertat, atque deleat. *Secundò*, quòd Chriſtum authorem, qui ſibi nuſquam diſſidet, nulla in re contradicit, quod hunc ergo mendacii arguet. *Tertiò*, quòd perſpicuis & invictis Pauli teſtimoniis, & Chriſti doctrinæ per omnia conſentientibus decernit ac ſtatuit contrarium. *Quartò*, quòd contra promiſſam, & traditam, & in utroque Teſtamento illuſtribus & conſentientibus teſtimoniis & viſibili miſſione, atque effuſione Spiritus Sancti confirmatam præſentiam & efficaciam Dei in Miniſterio Verbi & Sacramentorum, novam aliam Chriſti per carnem ex ſeſe comminiſcatur, blaſphemiâ in Spiritum Sanctum. *Quintò*, Quòd Antichriſti extremè inter ſe diſiuncta & in æternum infeſta inter ſe caſtra Neſtorii & Eutychis, & univerſim, ut Ioannes Evangeliſta & Apoſtolus loquitur, diſſolventium Chriſtum aut negantium in carne veniſſe, concilians & conſocians inter ſe, Chriſtum Mediatorem in una Perſona, Natura utraque penitus deſtruit, Divinam Naturam, ut ſupra dictum excludens, Humanam demoliens, & Chriſtum nudans atque exſpolians omnibus naturæ Humanæ & Corporis Humani proprietatibus. Et tamen furenter poſtulat credi hunc in Corpore & carne ſua pani adeſſe, à veſcente comedi, *Sextò*; Quòd horribilem idololatriam in Miſſa Pontificia, quâ ſolâ ſtat regnum Pontificium in cultu, adoratione, circumgeſtatione panis conſecrati, & multiplici ejus abuſu ac totius Sacræ Cœnæ cum in aliis, tum in pernicioſiſſimo errore operis operati confirmet ac ſtabiliat: Nec ullum uſum habet alium, quàm quòd Idololatriæ huic patrocinatur, quâ non fuit in Eccleſia à Chriſti ſeculo execrabilior, cum non iota unum tota Scriptura habeat de hac carnali præſentia, multo minus de modo præſentiæ hujus, de tempore, ac duratione, de fine, uſu & fructu, quæ Chimæra non inquirenda eſſe contendit in verbo, ſibi autem fingere illa ſine verbo impunè permittit. *Septimo*, quòd totum hoc commentum revera & in fundamento magicum eſt, diſſentiens in præcipuis articulis fidei a manifeſta Scriptura, imò abolens Articulos fidei, & ſimul pugnans cum rerum Natura, & affingens verbis Inſtitutionis vim magicam, ac ſi pronunciationem verborum, a Sacerdote vel raſo & uncto ritibus Curiæ Romanæ vel noſtro more conſecrato efficiatur.

De vera regeneratione hominis, & Formulæ Concordiæ dicta errore.

SEXTO. De regeneratione hominis & vera ejus converſione ad Deum credo & confiteor, juxta Scripturæ totius perpetuum inter ſe conſenſum cum Sanctis & electis omnium temporum, qui unquam veræ ac ſeriæ pœnitentiæ motus experti, & verâ converſione Deo ſunt reconciliati: Quòd nec regeneratio, nec converſio in pœnitentia vera ad Deum (quæ duo actione internâ & effectu non differunt, ſed mediis externis & horum ordinato ac diſtincto uſu, ideoque unum pro altero ſæpè uſurpato) quod neutra igitur fit phyſicâ ac brutâ actione & vivificatione hominis, ſicut ranæ, hyberno frigore enectæ calore verno Solis fotæ reviviſcunt: Neutra afflatu aut raptu Enthuſiaſtico fit aut coactione Stoicâ. Quòd innata carni lues & labes vitioſa peccati non his eluitur aut expurgatur, pravitas & ἀταξία corruptarum virium non emendatur aut reſtituitur, vulnera reliqua non ſanantur aut redintegrantur, ſicut medicamenta vitioſos humores educunt, aut affectiones morbidas corrigunt aut ſolidant ſaucia corporum effectu & mutatione phyſicâ & brutâ, qualem ex his monſtroſè confuſis Chymæra comminiſcitur cum ſenſu quidem fieri, qualis in brutis eſt, ſed ſine motu ſive actione omni: ut homini, vel creaturæ rationali propria, tantum in ſubjecto patiente. Quòd inſita carni radix peccati, his non exſtirpatur evulſu aut eradicatu phyſico, ſed quod regeneratione, quæ fit per lavacrum Baptiſmi infantes, dum merguntur in aquam aut perfunduntur virtute Spiritus Sancti ſuo modo corda tenella tientis Filii Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti interceſſione, abluuntur à peccatis, abſolvuntur à culpa & reatu, recipiuntur in gratiam, donantur remiſſione peccatorum, juſtitiâ imputatâ Filii, & Spiritu Sancto ad novam vitam, lucem, juſtitiam æternam, inſeruntur Chriſto & efficiuntur viva & ſocia membra corporis Eccleſiæ, & templa atque organa Spiritus Sancti applicantis omnia hæc beneficia, & novam vitam inchoantis, ac tollitur peccatum non ut non ſit, ſed ut non imputetur, ut non condemnet. Quòd cum renatis infantibus cum adoleſcunt, ſed & adultis renatis, deinceps per omnem vitam radix peccati repullulans ac regerminans commoveat & exerat ſe per pravos motus atque affectus

internos

internos, & vitioſas actiones externas, offendentes Deum & promerentes iram Dei & damnationem æternam. Quòd traditâ lapſis verbo Dei unâ medicinâ converſione verâ ad Deum, in vera & tradita ſeria, & ſalutari pœnitentia, quâ Spiritu Sancto arguente peccata conſcientiæ perterrefactæ agnitione peccatorum & ſenſu iræ Dei in terroribus & pavoribus mortis, & inferni anguntur, metu judicii Dei & pœnarum æternarum, unde exordium pœnitentiæ eſt & Contritio vocatur; ſed voce & promiſſione Evangelii ereptæ rurſus doloribus ac terroribus æternis eriguntur, ac vivificantur per accenſam promiſſionem Evangelii, & virtute Spiritus Sācti fidē, quâ conſciētiæ apprehensà miſericordiâ Dei in Chriſto Mediatore eluctantur, hac certâ fiduciâ acquieſcētes in Dei miſericordia, quod per & propter Mediatorē certò conſequantur remiſſionem peccatorum, reputentur juſtæ, reconcilientur Deo Patri, acceptentur in gratiam, Chriſtum induant, comprehenſum & incluſum fide cordibus, donentur Spiritu Sancto ad vitam, lucem, & juſtitiam veram, & hæreditatem æternam. Quòd hæc eſt altera pars Pœnitentiæ, quæ vivificatio vocatur, vel ex correlativo fides, quâ apprehenditur & applicatur juſtificatio. Non eſt enim qualitas ſeu habitus aut virtus infuſa nobis, ut vacuis urceolis, nec Enthuſiaſticus afflatus, aut raptus, cum ſenſu ſine motu, nec opus & meritum noſtrum, ſed imputatio gratuita juſtitiæ, meriti ſeu totius obedientiæ Filii Dei, quam ſibi fide quiſque accommodat & propriam facit. Quòd Fides ſimul eſt medium, quo juſtificamur, quia in promiſſione Chriſtum amplectitur cum omnibus meritis, & principium eſt, cùm vivificationis in pœnitentia afferens & excitans conſolationem, vitam, & lætitiam acquieſcentem in miſericordia Dei, fiduciâ Mediatoris, tum renovationis ſeu totius ſequentis novitatis, accipiens Spiritum Sanctum, quo clamamus Abba pater; cujus virtute, ductu & gubernatione vivâ atque efficaci, ad normam præſcripti Verbi per fidem verbo Deum intuentem, novitas interior reliqua efficitur, tanquam fons & cauſa, per quam obedientia exterior efficitur ac dirigitur.

Quòd renovatio vivifica fit cum deſtructione non ſubſtantiæ, nec virium in homine, ſed peccati, quod non eſt ſubſtantia ipſa & vires ejus, ut fanaticus ſpiritus Flacci Illyrici docuit, ſed labes & pravitas per lapſum à Diabolo inflicta. Quod fit ergo cum hujus deſtructione, ſed in conatu arduo, inter graviſſima certamina, per virtutem Spiritus cum labes inſita ac pravitas retunditur atque emendatur, non momentaneâ phyſicâ mutatione, ſed aſſiduo ac perpetuo certamine; quo intermiſſo aut interrupto quacunque de cauſa, fiunt recidivæ peiores radice, ut Chriſtus docet.

Quòd hæc eſt tertia pars veræ pœnitentiæ, & converſionis ad Deum, imbecillis quidem, & à perfectione legis procul diſtans, placens Deo tamen, quia perſona placet fide, per & propter Mediatorem.

Quòd in omnibus his tribus partibus Pœnitentia ſeu converſio ad Deum, ſi vera eſt, & non ſimulata, & ſi fit in ſeriis & atrocibus doloribus vulneratæ ac conſternatæ conſcientiæ, & in fide non ficta, aut hypocritica, neutiquam fit in homine otioſo & nihil agente, ſed fit conatu ſerio & graviſſimo, qui ſeriò in omnibus partibus pœnitentiæ præcipitur, & inter luctas & certamina, quæ ſunt homini ſumma ac perpetua cum carne ſua, Diabolo, morte, inferno, & mundo, non ſuâ tamen, ſed Spiritus Sancti virtute. Quòd ſi pœnitentia ſtatuatur genus, Converſio, ſpecies, commodè etiam illa in duas partes dividitur, in Contritionem & Converſionem: hæc rurſus in Iuſtificationem, quâ fit reconciliatio, & in renovationem, quâ præſtatur nova obedientia interior & exterior à reconciliatis. Sed res eodem redit: Quòd ſicut regeneratione, ſic pœnitentiâ & converſione, non afflatu Enthuſiaſtico, fit inchoatio vivificationis, nec actu Phyſico & bruto aut utroque, neque exteritur aut deletur inſita labes & pravitas, phyſico eradicatu aut immutatione & converſione carnis vitioſę Phyſica vel Enthuſiaſticâ vel utraque, ac multò minus magicâ carnis & Sanguinis Chriſti præſentis effectione aut virtute Spiritus Sancti, ſed fide purgantur corda, inquit Scriptura, & Sanguine Chriſti mundantur conſcientiæ: Nam Chriſti merito mundi efficimur per fidem ab iniquitatibus, id eſt, liberamur à culpa, quâ ſumus rei iræ Dei, & damnationis æternæ: virtutem autem Spiritus Sancti inde uſque à primo momento regenerationis & converſionis ſpiritus mentis noſtræ & novus atque interior homo dimicat adverſus carnem bello perpetuo, quod ἄσπονδον eſt, reprimens, retundens, coercens, deſtruens, mortificans, ut Scriptura loquitur, in nova luce & virtute & novis ac vivis motibus & actionibus veterem & exteriorem hominem inter luctas perpetuas. Hoc modo mortificatur corrupta caro, ne per peccatum regnet, & non introducitur actu, effectu & immutatione phyſicâ & brutâ, nova carni noſtræ craſis ſeu temperies phyſica, ut Chimæra delirans, ſomniat. Quod tota Scriptura clamat uno ore, Fide juſtificante expurgari corda & conſcientias a culpa & reatu, per reconciliatio-

Spiritu Sancto & Eccleſia Sancta Angelica & Humana: Quod totum hoc commentum Eccleſię Rȏmanę de pręſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in pane & vino, & per hæc in ſumente ignotum primæ & ſinceræ Eccleſię ante tyrannidem Romani Pontificis, mendacium ſit apertiſſimum, cum tota Scriptura & ſecum per omnia pugnans: Et quod hoc mendacium Chymera tetrioribus blaſphemiis & furoribus cumulet. Affirmo diſertè, *primò* quod fundamentum ipſum, quo unico nititur, tota alia Scriptura adverſante, nempe verba Inſtitutionis intelligenda ac retinenda eſſe, ſicut ſonant, interpretatione hypotheſi ſuæ contraria, penitus evertat, atque deleat. *Secundò*, quòd Chriſtum authorem, qui ſibi nuſquam diſſidet, nulla in re contradicit, quod hunc ergo mendacii arguet. *Tertiò*, quòd perſpicuis & invictis Pauli teſtimoniis, & Chriſti doctrinæ per omnia conſentientibus decernit ac ſtatuit contrarium. *Quartò*, quòd contra promiſſam, & traditam, & in utroque Teſtamento illuſtribus & conſentientibus teſtimoniis & viſibili miſſione, atque effuſione Spiritus Sancti confirmatam præſentiam & efficaciam Dei in Miniſterio Verbi & Sacramentorum, novam aliam Chriſti per carnem ex ſeſe comminiſcatur, blaſphemiâ in Spiritum Sanctum. *Quintò*, Quòd Antichriſti extremè inter ſe diſiuncta & in æternum infeſta inter ſe caſtra Neſtorii & Eutychis, & univerſim, ut Ioannes Evangeliſta & Apoſtolus loquitur, diſſolventium Chriſtum aut negantium in carne veniſſe, concilians & conſocians inter ſe, Chriſtum Mediatorem in una Perſona, Natura utraque penitus deſtruit, Divinam Naturam, ut ſupra dictum excludens, Humanam demoliens, & Chriſtum nudans atque exſpolians omnibus naturæ Humanæ & Corporis Humani proprietatibus. Et tamen furenter poſtulat credi hunc in Corpore & carne ſua pani adeſſe, à veſcente comedi, *Sextò*; Quòd horribilem idololatriam in Miſſa Pontificia, quâ ſolâ ſtat regnum Pontificium in cultu, adoratione, circumgeſtatione panis conſecrati, & multiplici ejus abuſu ac totius Sacræ Cœnæ cum in aliis, tum in pernicioſiſſimo errore operis operati confirmet ac ſtabiliat: Nec ullum uſum habet alium, quàm quòd Idololatriæ huic patrocinatur, quâ non fuit in Eccleſia à Chriſti ſeculo execrabilior, cum non iota unum tota Scriptura habeat de hac carnali præſentia, multo minus de modo præſentiæ hujus, de tempore, ac duratione, de fine, uſu & fructu, quæ Chimæra non inquirenda eſſe contendit in verbo, ſibi autem fingere illa ſine verbo impune permittit. *Septimò*, quòd totum hoc commentum revera & in fundamento magicum eſt, diſſentiens in præcipuis articulis fidei à manifeſta Scriptura, imò abolens Articulos fidei, & ſimul pugnans cum rerum Natura, & affingens verbis Inſtitutionis vim magicam, ac ſi pronunciationem verborum, à Sacerdote vel raſo & uncto ritibus Curiæ Romanæ vel noſtro more conſecrato efficiatur.

De vera regeneratione hominis, & Formulæ Concordiæ de ea errores.

SEXTO. De regeneratione hominis & vera ejus converſione ad Deum credo & confiteor, juxta Scripturæ totius perpetuum inter ſe conſenſum cum Sanctis & electis omnium temporum, qui unquam veræ ac ſeriæ pœnitentiæ motus experti, & verâ converſione Deo ſunt reconciliati: Quòd nec regeneratio, nec converſio in pœnitentia vera ad Deum (quæ duo actione internâ & effectu non differunt, ſed mediis externis & horum ordinato ac diſtincto uſu, ideoque unum pro altero ſæpè uſurpato) quod neutra igitur fit phyſicâ ac brutâ actione & vivificatione hominis, ſicut ranæ, hyberno frigore enectæ calore verno Solis fotæ reviviſcunt: Neutra afflatu aut raptu Enthuſiaſtico fit aut coactione Stoicâ. Quòd innata carni lues & labes vitioſa peccati non his eluitur aut expurgatur, pravitas & ἀταξία corruptarum virium non emendatur aut reſtituitur, vulnera reliqua non ſanantur aut redintegrantur, ſicut medicamenta vitioſos humores educunt, aut affectiones morbidas corrigunt aut ſolidant ſaucia corporum effectu & mutatione phyſicâ & brutâ, qualem ex his monſtroſè confuſis Chymæra comminiſcitur cum ſenſu quidem fieri, qualis in brutis eſt, ſed ſine motu ſive actione omni: ut homini, vel creaturæ rationali propria, tantum in ſubjecto patiente. Quòd inſita carni radix peccati, his non exſtirpatur evulſu aut eradicatu phyſico, ſed quod regeneratione, quæ fit per lavacrum Baptiſmi infantes, dum merguntur in aquam aut perfunduntur virtute Spiritus Sancti ſuo modo corda tenella tientis Filii Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti interceſſione, abluuntur à peccatis, abſolvuntur à culpa & reatu, recipiuntur in gratiam, donantur remiſſione peccatorum, juſtitiâ imputata Filii, & Spiritu Sancto ad novam vitam, lucem, juſtitiam æternam, inſeruntur Chriſto & efficiuntur viva & ſocia membra corporis Eccleſiæ, & templa atque organa Spiritus Sancti applicantis omnia hæc beneficia, & novam vitam inchoantis, ac tollitur peccatum non ut non ſit, ſed ut non imputetur, ut non condemnet. Quòd cum renatis infantibus cum adoleſcunt, ſed & adultis renatis, deinceps per omnem vitam radix peccati repullulans ac regerminans commoveat & exerat ſe per pravos motus atque affectus

internos

internos, & vitioſas actiones externas,offendentes Deum & promerentes iram Dei & damnationem æternam. Quòd traditâ lapſis verbo Dei unâ medicinâ converſione verâ ad Deum, in vera & tradita ſeria, & ſalutari pœnitentia,quâ Spiritu Sancto arguente peccata conſcientiæ perterrefactæ agnitione peccatorum & ſenſu iræ Dei in terroribus & pavoribus mortis, & inferni anguntur, metu judicii Dei & pœnarum æternarum, unde exordium pœnitentiæ eſt & Contritio vocatur; ſed voce & promiſſione Evangelii ereptæ rurſus doloribus ac terroribus æternis eriguntur, ac vivificantur per accenſam promiſſionem Evangelii, & virtute Spiritus Sācti fidē,quâ conſciētiæ apprehensâ miſericordiâ Dei in Chriſto Mediatore eluctantur, hac certâ fiducia acquieſcētes in Dei miſericordia,quod per & propter Mediatorē certò conſequantur remiſſionem peccatorum, reputentur juſtæ,reconcilientur Deo Patri,acceptentur in gratiam, Chriſtum induant, comprehenſum & incluſum fide cordibus, donentur Spiritu Sancto ad vitam, lucem, & juſtitiam veram, & hæreditatem æternam. Quòd hæc eſt altera pars Pœnitentiæ, quæ vivificatio vocatur, vel ex correlativo fides, quâ apprehenditur & applicatur juſtificatio. Non eſt enim qualitas ſeu habitus aut virtus infuſa nobis,ut vacuis urceolis,nec Enthuſiaſticus afflatus,aut raptus, cum ſenſu ſine motu, nec opus & meritum noſtrum, ſed imputatio gratuita juſtitiæ, meriti ſeu totius obedientiæ Filii Dei, quam ſibi fide quiſque accommodat & propriam facit. Quòd Fides ſimul eſt medium, quo juſtificamur, quia in promiſſione Chriſtum amplectitur cum omnibus meritis, & principium eſt, cùm vivificationis in pœnitentia afferens & excitans conſolationem, vitam, & lætitiam acquieſcentem in miſericordia Dei, fiduciâ Mediatoris, tum renovationis ſeu totius ſequentis novitatis, accipiens Spiritum Sanctum, quo clamamus Abba pater,cujus virtute,ductu & gubernatione vivâ atque efficaci, ad normam præſcripti Verbi per fidem verbo Deum intuentem, novitas interior reliqua efficitur, tanquam fons & cauſa, per quam obedientia exterior efficitur ac dirigitur.

Quòd renovatio vivifica fit cum deſtructione non ſubſtantiæ, nec virium in homine, ſed peccati, quod non eſt ſubſtantia ipſa & vires ejus, ut fanaticus ſpiritus Flacci Illyrici docuit, ſed labes & pravitas per lapſum à Diabolo inflicta. Quod fit ergo cum hujus deſtructione, ſed in conatu arduo, inter graviſſima certamina, per virtutem Spiritus cum labes inſita ac pravitas retunditur atque emendatur,non momentaneâ phyſicâ mutatione, ſed aſſiduo ac perpetuo certamine, quo intermiſſo aut interrupto quacunque de cauſa,fiunt recidivæ peiores radice,ut Chriſtus docet.

Quòd hæc eſt tertia pars veræ pœnitentiæ,& converſionis ad Deum,imbecillis quidem, & à perfectione legis procul diſtans, placens Deo tamen,quia perſona placet fide, per & propter Mediatorem.

Quòd in omnibus his tribus partibus Pœnitentia ſeu converſio ad Deum, ſi vera eſt, & non ſimulata, & ſi fit in ſeriis & atrocibus doloribus vulneratæ ac conſternatæ conſcientiæ, & in fide non ficta, aut hypocritica, neutiquam fit in homine otioſo & nihil agente, ſed fit conatu ſerio & graviſſimo, qui ſeriò in omnibus partibus pœnitentiæ præcipitur,& inter luctas & certamina,quæ ſunt homini ſumma ac perpetua cum carne ſua, Diabolo, morte, inferno, & mundo, non ſuâ tamen, ſed Spiritus Sancti virtute. Quòd ſi pœnitentia ſtatuatur genus, Converſio, ſpecies,commodè etiam illa in duas partes dividitur,in Contritionem & Converſionem: hæc rurſus in Iuſtificationem, quâ fit reconciliatio, & in renovationem, quâ præſtatur nova obedientia interior & exterior à reconciliatis. Sed res eodem redit: Quòd ſicut regeneratione, ſic pœnitentiâ & converſione,non afflatu Enthuſiaſtico,fit inchoatio vivificationis, nec actu Phyſico & bruto aut utroque,neque exteritur aut deletur inſita labes & pravitas, phyſico eradicatu aut immutatione & converſione carnis vitioſę Phyſica vel Enthuſiaſticâ vel utraque, ac multò minus magicâ carnis & Sanguinis Chriſti præſentis effectione aut virtute Spiritus Sancti, ſed fide purgantur corda, inquit Scriptura,& Sanguine Chriſti mundantur conſcientiæ:Nam Chriſti merito mundi efficimur per fidem ab iniquitatibus, id eſt, liberamur à culpa, quâ ſumus rei iræ Dei,& damnationis æternæ: virtutem autem Spiritus Sancti indè uſque à primo momento regenerationis & converſionis ſpiritus mentis noſtræ & novus atque interior homo dimicat adverſus carnem bello perpetuo,quod ἄσπονδον eſt,reprimens,retundens, coercens, deſtruens, mortificans,ut Scriptura loquitur,in nova luce & virtute & novis ac vivis motibus & actionibus veterem & exteriorem hominem inter luctas perpetuas. Hoc modo mortificatur corrupta caro, ne per peccatum regnet, & non introducitur actu, effectu & immutatione phyſicâ & brutâ, nova carni noſtræ craſis ſeu temperies phyſica, ut Chimæra delirans, ſomniat. Quòd tota Scriptura clamat uno ore,Fide juſtificante expurgari corda & conſcientias a culpa & reatu, per reconciliatio-

nem cum Deo, fiduciam Mediatoris, & remiſſionem peccatorum. Renovationem verò fieri ſecundum imaginem Dei, ad quam homo conditus eſt ſpiritu mentis præcipuè. Radicem verò peccati in carne ſemper repullulantem enecari, reprimi, coerceri ſpiritu & fide, in lucta perpetua, ne exerat ſe, ne creſcat, ne confirmetur, ne vincat, ne regnet, ne dominetur.

Rurſus itaque affirmo verè & Sanctè coram Deo Patre, Filio & Spiritus Sancto & corá Eccleſia Angelica & Humana, quod Chimæra regeneratione & converſione ſua commentitia, phanatica, & in Spiritum Sanctum blaſphema, quæ ex Enthuſiaſtica & phyſica conflata eſt, addo verò etiam magica, quia re propius conſiderata, reipſa affingit Verbo & Sacramentis vim magicam: & talis eſt tota imaginatio de opere operato maximæ multitudini infixa: Quod ergo veram & ſalutarem regenerationem & converſionem (qua Deo reconciliantur & vivificantur renati ad vitam novam, Sanctam, Spiritualem, conformem voluntati divinæ ſecundum legis normam in motibus & actionibus vivis & ſanctis, & ſerviunt in ſpe certiſſima hæreditatis æternæ & Cœleſtis) penitus obruat ac deleat cum omni conſolatione, qua ſalus conſcientiæ anxiæ & deſperabundæ conſiſtit.

De viribus humanis in renatis dum fit converſio & Formulæ Concordiæ de eo errores.

Septimò. De viribus humanis in renaſcentibus & renatis dum fit converſio & deinceps, uno eodemque modo inde uſque à principio converſionis per totum curſum in carne vitæ novæ, Sanctæ & ſpiritualis, Credo & confiteor, cum doctrina totius Scripturæ luce meridiana clariore, quod gratuiti beneficii ac meriti Chriſti Salvatoris applicatio, & Naturæ mortuæ vivificatio in regeneratione & converſione veræ ad Deum, non fit actione phyſica & bruta, aut raptu Enthuſiaſtico aut Stoica coactione, aut magico afflatu Verbi, Sacramentorum & Spiritus Sancti, nec mutatione Phyſica aut magica, hyperphyſica ſubſtantiæ, temperamenti & virium ſeu facultatum hominis, ſentientis quidem, ſed nec moventis ſe, nec quicquam agentis, ſed ſuſtinentis tantùm impreſſionem, ut ſubjectum patiens: ſicut ranæ reviviſcunt à tepôre ſolis, aut corpora noſtra afficiuntur ab aſſumptis medicamentis. Neque fit cum diſtructione ſubſtantiæ & virium, quæ à Deo conditæ, & homini in creatione inditæ ſunt, opificium Dei, & peccatum per ſe non ſunt, ſed peccato ſunt infectæ, corruptæ, & ſauciæ. Nec habet ſeho mo purè paſſivè, nec ut ſubjectum patiens, otioſum, nihil agens, quod afficitur tantum & immutatur: Quòd homo non convertitur ut brutum, mentis, rationis & voluntatis expers, cum ſenſu, ſine motu: Quòd propter hoc actio voluntatis humanæ ut tertia cauſa à converſione hominis excludi non debet: Sed quòd uno & perpetuo conſenſu Scripturæ, totum opus regenerationis & converſionis ad Deum per veram pœnitentiam donum eſt gratuitum miſericordiæ & gratiæ Dei Patris & meritum Filii interceſſoris & redemptioris qui factus victima in carne noſtra ſolvit λύτρον pro nobis, & opus Spiritus Sancti, & proximi & immediati opificis applicantis virtute atque effectione conſcientiæ oppreſſæ terroribus atrocibus, & ingentibus doloribus mortis & Inferni, & aſpectu ſuorum peccatorum, & ſenſu horrendæ iræ Dei, merita & beneficia Filii per fidem verbo & promiſſione accenſam, quâ convertuntur corda ad Deum primum, ac fiduciâ miſericordiæ promiſſæ per & propter Filium Mediatorem & meritorum ipſius fit reconciliatio cum Deo & juſtificatio coram Deo remiſſione peccatorum, & imputatione juſtitiæ Chriſti: Deinde per novam obedientiam, ut fructum fidei, & Spiritus Sancti in tota novitate interioris hominis, qui renovatur ad imaginem creatoris, in agnitione Dei vera, in juſtitia & ſanctitate vera in motibus internis, vivis, Sanctis, & in actionibus externis vitæ novæ, ſpiritualis, Deo placentis, propter quam effunditur in corda noſtra Spiritus Sanctus.

Quod longè aliud eſt totum beneficium & opus regenerationis & converſionis eſſe donum gratuitum miſericordiæ Dei, & hominem habere ſe purè paſſivè ut ſubjectum convertibile, ſed otioſum, patiens, nihil agens: Quòd Deus offert & exhibet beneficio ſuo cum facultate applicandi. Quod neutiquam fit applicatio homini ut ſubjecto purè paſſivo, aut bruto, ſentienti, ſed nihil agenti in nulla parte pœnitentiæ nullo tempore aut momento, ut Chimæra ſomniat. Quod applicatio fit voluntariâ & liberrimâ actione & effectione Spiritus Sancti, cum menſurâ lucis novæ & fidei, quantam Chriſtus diſtribuit in auditu verbi & uſu Sacramentorum inſtituto ac mandato cum ſeria meditatione, & quòd fiunt hæc cum renovatione virium hoc ordine, quo conditæ ſunt, ut in natura rationali, in mente & voluntate, à luce & agnitione Dei novâ & fide. Quòd lux nova & fides ſunt principium juſtificationis & renovationis ſimul. Iuſtificationis, quia luce novâ fides accenditur, quâ miſericordia in Mediatore Chriſto apprehenditur. Renovationis, quia fide ſimul fit

fit vivificatio in conſolatione viva, & inchoatio novitatis internæ. Quod rerum ipſarum diſcrimen retineri exactum oportet, nimirum quòd etſi totum opus eſt beneficium, & donum gratuitum: aliud tamen eſt quo Deo reconciliamur, placemus, acceptamur, pronunciamur juſti coram Deo, nempe meritum Filii: aliud eſt opus, quod virtute & efficaciâ Spiritus ſancti credimus. Antecedit fides quæ juſtificat, ut medium, quo fit apprehenſio meritorum Chriſti, & in hac ipſa apprehenſione & fiducia miſericordiæ Dei fit vivificatio efficaci conſolatione ad novam vitam & lætitiam in novis motibus. Quòd perpetua eſt inimicitia & antipathia inter ſpiritum & carnem in hoc corrupto ſtatu maſſæ noſtræ, & ea neutiquam otioſa eſt: Sed mox à principio regenerationis & converſionis caro inſurgit & luctatur adverſus ſpiritum. Quod in omnibus partibus pœnitentiæ uno & perpetuo conſenſu in tota Scriptura clariſſimis teſtimoniis percipitur, & flagitatur aſſenſus & conatus hominis: cumque præcipua inter facultates humanas ſit voluntas, ad hanc perpetuò concio pœnitentiæ dirigitur, ne recuſet audire, erudiri, cognoſcere, intelligere, agere pœnitentiam, credere Evangelio, emendare vitam, ac nec refragetur aut reſiſtat Spiritui ſancto, ne averſetur verbum: non quòd hæc noſtrarum ſint virium, aut in poteſtate noſtra, ſed docet & vocat nos Deus per verbum, & offert, exhibet, applicat ſua bona, virtute, & efficaciâ vivâ ſpiritus penetrante & rimante ima cordis & ſpiritus viſcera, qua audit, diſcit, cognoſcit, amplectitur, credit, proficiſcit fide & vita ſpirituali, qui non repellit, non negligit, non excutit, vel ab initio vel deinceps peccatis aut lapſibus negligentiæ aut contumaciæ & contra conſcientiam. Qui adverſatur & repugnat, ſua & ſibi inſita pravitate ac Diaboli impulſu aut aliarum cauſarum, ut malorum hominum, repugnat, & ſua ſe ſua culpa in exitium præcitat. Deus enim ut dictum eſt, beneficia ſua exhibet, communicat & applicat cum virtute & auxilio vivo Spiritus Sancto ut hoc quiſque & agnoſcat, & agnitum fide amplectatur & accommodare ſibi poſſit, ſi non ambigat, excludat, negligat, furenter excutiat. Utrumque enim eſt à Deo, beneficium & facultas accipiendi, quod mox ab initio converſionis cum ipſa nova luce & agnitione verbi atque intellectu cientur ingentia certamina, inter Spiritum Sanctum & omnes vires pravas, quæ in omnibus partibus pœnitentię vehementiſſima ſunt, & per omnem vitam durant, etſi in aliis magis, in aliis minus, quòd vires humanæ neutiquam ſunt otioſæ, & nihil agentes, & ut ſubjectum patiens: ſed quòd ſimile, ſuo loco atque ordine, præcipuè autem rationales, mens & voluntas occupatæ certamine ſerio, & graviſſimo, & inter dimidicandum, aut vincentes virtute Spiritus ſancti & Verbi inſitam pravitatem, ac Diabolum: quæ victoria affert vitam æternam: Aut pertinaci enixu ſuæ malitiæ & Diaboli impulſu, Verbo repulſo, Spiritum Sanctum eijcientes aut deſperatione auxilium & initia fidei abjicientes, aut ſecuritate, hypocriſi & curis alienis aut lapſibus voluntariis effundentes: unde ſequitur ruina & interitus. Quòd ergo viribus humanis hoc diſcrimine in modo agendi à duobus diverſis principiis inter luctas & certamina tota Scripruta uno conſenſu ſuum locum inter cauſas converſionis clariſſimis teſtimoniis tribuit: Quòd concurrunt hæ tres cauſæ ſemper qualibet agente ſuo loco atque ordine quod ſuum eſt, diſtincto principio gemino. Affirmo igitur verè & ſanctè coram Deo Patre, Filio & Spiritu Sancto & Eccleſia angelica & humana, quòd Chimæra, dum hominem converti ſomniat, ut ſubjectum patiens otioſum, nil agens in ipſa converſione, ſed & deinceps eâ peracta, expers non ſenſus quidem, ſed motus & actionis: ut enectâ frigore ranâ vel brutum, effectione verò Spiritus & verbi ex phyſica, Enthuſiaſtica, & magica confuſa, immutatione carnis noſtris phyſica, bruta & magica, & dum poſtulat tamen audiri verbum: quòd ergo illudat Deo, rideat Spiritum Sanctum ſeipſam vero ad eum modum implicet, pugnans ubique ſecum & cum Scriptura perſpicua, ut non modò doctrinam evidentiſſimam, de pœnitentia vera, primum ex Scriptura repurgatam, & in his Eccleſiis penitus evertat ac deſtruat, ſed ut dubitem, utrum ullus ex fabris & architectis, motus verè pœnitentiæ unquam ſit expertus.

De prædeſtinatione & erroribus de ea Formulæ Concordia.

Octavò. De præviſione & prædeſtinatione æterna credo & confiteor, inſiſtens evidentibus documentis & perſpicuis atq; immotis interque ſeſe ubiq; conſentientibus teſtimoniis Scripturæ, quod Chimæra ſtatum controverſię in hoc Articulo aut non conſiderarit, aut nunquam intellexerit. Omiſſo enim prorſus diſcrimine quatuor graduum pręſentię Dei in creaturis, & duobus inprimis, primo & tertio, quorum cõſideratio in hac controverſia ſummè neceſſaria eſt planè non diſtinguit inter πρόνοιαν ſeu providentiam, inter προορισμὸν, ſeu prædeſtinationem: & inter πρόγνωσιν καὶ πρόθεσιν, ſeu præſcientiam ac propoſitum. Hæc enim ut genus reliquas duas complectitur in ſe ut ſpecies diſtinctas.

Deus

Deus facit & adminiſtrat omnia univerſim ſecundum prævisionem & propoſitum liberrimæ voluntatis ſuæ, κατὰ πρόγνωσιν καὶ πρόθεσιν, pro bona voluntate ſua, καθ' ὡρισμένην βουλὴν, ſecundum conſilium definitum, κατ' εὐδοκίαν ἣν προέθετο ἐν ἑαυτῷ, ſecundum beneplacitum, quod in ſemetipſo propoſuit, κατὰ βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.

Sed non uno modo omnia. Alia & aliter κατὰ πρόνοιαν, ſeu providentiam: Alia & aliter κατὰ προορισμὸν, ſeu prædeſtinationem.

Providentia quorum ſit. *Providentia* illorum eſt, quæ ad conſervationem, gubernationem, & adminiſtrationem ſtatumque totum rerum creatarum univerſim, ſpeciatim verò ad genus humanum, cujus cauſa condita ſunt omnia, & ad ſocietatem totam generis humani in imperiis, regnis, regionibus urbibus & aliis huic vitæ neceſſariis pertinent, quibus hæc conſiſtunt, quę & cum homine intereunt, & cum toto mundi ſyſtemate, quantum de his reliquum erit, tandem prorſùs conflagratura ſunt.

Hæc communia ſunt Eccleſiæ cum aliis, qui ſunt & vivunt extra Eccleſiam, etſi hęc ipſa Deus ſingulari conſilio ſecundum decretum deliberationis & propoſiti liberrimi diſtribuit ſicut vult, ut cum educit populum Iſraeliticum ex deſerto, deque neceſſariis omnibus illi proſpicit: Pharaonem obrutum aquis marinis exſtinguit. Denique πρόνοια illorum eſt, quæ ſunt hujus vitæ caducæ & ſtatus intereuntis.

Deus conſtituit & transfert regna mundi: Dat illa quibus vult & quando vult. Excitat, inſtruit, armat, evehit ad faſtigia ſumma: Deijcit ex alto præcipitatos in exitium, quos vult, per omnes ordines, & gradus hominum.

Prædeſtinatio quorum ſit. *Prædeſtinatio* vero eſt propria generis humani tantum, conditi non tantum ad hanc vitam, ſed ad vitam futuram aliam æternam, ſeparans ad hanc vitam delectos ac deſtinatos, ut æternâ luce & juſtitiâ fruantur & conſuetudine Dei æterna, ad quam præparamur & inſtruimur Verbo patefacto divinitus per miniſterium verbi in Eccleſia, à reprobis, in æternæ damnationi ac morti addictis.

De utraque etſi ratio Humana, ſecuta reliquias notitiarum divinarum mentibus noſtris inſitas, ſuas habet imaginationes, quæ in Ethnicorum ſcriptis reperiuntur, nobis tamen in Eccleſia, hoc tantum ſentiendum, fide amplectendum ac profitendum eſt quod expreſſo Dei verbo patefactum ac traditum eſt.

De Providentia autem cum vera & pura Eccleſia Chriſti ex Verbo Dei dubii aut obſcuri nihil habeat admodum præciſa illa ſatis ſit indicaſſe: Quod ſicut ab initio fuit totius creati operis pater ut προκαταρκτικὸν αἴτιον, filius ὁ λόγος δημιουργὸς Spiritus ſanctus τελειωτικὸς ἢ τελειώτης: ſic adhuc eſt quiſque ſuo ordine in omnibus ad totius opificii conſervationem & adminiſtrationem pertinentibus: & quòd Chimæra præſcientiam, providentiam, & prædeſtinationem inter ſe confundat, ſicut dictum eſt.

De *Prædeſtinatione* autem cùm ſit certamen præcipuum, ut de arcaniore decreto & òpere divinitatis, & de hoc præcipuè, quę docet Scriptura ſola amplectenda ac firmiter retinenda nobis ſint, inquirere eadem etiam & conſiderare fidelem quemque neceſſitas cogit, ſi ſalvari volumus.

Prædeſtinationis vocabulo, etſi ſignificatur in ipſa Scriptura etiam plerumque primum decernere & definire, quid agere velit cum genere humano antequam agat: Deinde quomodo hoc inter ſe ſegregatum ad certos aliquos uſus ad fines deſtinare, & ex hoc ſeparatos certos ad finem ultimum per certa & ordinata media deducere velit: hoc ipſo ſignificato tamen facit diſcrimen inter electos ex genere humano, & inter reprobos.

Nimirum, certum eſſe numerum electorum, cæteros eſſe reprobos: Quæ ſint etiam cauſæ Electionis, quæ Reprobationis oſtendit. Deinde demonſtrat, qui ſint, & quibus ſint cognoſcendi argumentis ac teſtimoniis electi, & ex quibus de certitudine ſalutis æternæ cuique conſtet evidenter, quibus Reprobi ab his ſecernendi.

Sunt autem de utriſque in verbo patefacto alia arcana beneplaciti, alia revelata verbi quæ arcana illa declarant, quouſque & quantum de illis ſcire nos Deus voluit, tanquam ad certitudinem fidei noſtræ & ſalutem æternam neceſſaria.

Duæ ſunt itaque partes Prædeſtinationis præcipuè, ἐκλογὴ, Electio, & κλῆσις vocatio. Electionis cauſas veras ac præcipuas tradit uno perpetuoque conſenſu Scriptura, 1. χάριν gratiam, ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ 2. ἀγάπην, charitatem ſeu dilectionem in dilecto. Qui prædeſtinavit nos, quos adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum in ſe pro benevolo affectu voluntatis ſuæ, κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, in laudem glorioſæ ſuæ gratiæ, quâ nos gratis effecit ſibi gratos in illo dilecto, in quo habemus redemptionem per Sanguinem ipſius, R. P. ex divites ipſius gratia κατὰ τὸν πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ, ἔλεος miſericordiam ἐκλογὴν κατὰ χάριν, electionem ex gratia, &c.

Omnem

Omnem autem præviſam fidem, omnia opera prævisa excludit Scriptura perpetuò ab electionis cauſa. Roman. 11. τὸ λεῖμμα, Reliquum, ſeu reſervatio ſecundum electionem gratuitam facta eſt. Quod ſi per gratiam, jam non ex operibus, &c.

Electio itaque facta non eſt propter præviſas aut ingreſſas cauſas, ſed ex libera voluntate Dei, ſine ulla conditione præviſę fidei operum, aut meritorum, κατὰ τὴν πρόγνωσιν καὶ πρόθεσιν, καὶ τὴν ὡρισμένην βουλὴν, ἢ κατὰ βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, id eſt, ſecundum pręſcientiam & propoſitum & conſilium voluntatis ſuę, κατ' εὐδοκίαν, ſecundum beneplacitum ἐξ ἀγάπης, καὶ ἐκ χάριτος, καὶ ἐξ ἐλέους, ex charitate, ex gratia, & ex miſericordia.

Electio autem cauſa prima eſt & fons omnis quæ deinceps ſequitur benedictionis, quę & Patris ut principio & fonti origine tribuitur, Gal. 1. 15. Eſtque decretum arcanę deliberationis, quod factum eſt ante jacta fundamenta mundi.

Fundamentum & finis electionis ultimus eſt, quòd Pater Filio per quem & propter quem omnia condidit ex genere humano voluit comparare regnum & hæreditatem æternam. Diſertè autem oſtendit Scripturam cauſa ſeparationis, id eſt, Electionis & Reprobationis in Deo ipſo eſſe liberrimam voluntatem, quę ex paribus ſcilicet, utriſque reis irę Dei æternę damnationis ac mortis æternę poſt lapſum alios elegerit gratis ex miſericordia, & prępararit ad gloriam ut vaſa miſericordię & honoris fierent ad notas faciendas divitias gloriæ ſuæ erga hos: alios juſtiſſimo judicio reprobarit, ut ex carnali nativitate maneant vaſa irę aptata ac prędeſtinata ad interitum, ut oſtendat in eis juſtiſſimam iram ſuam & potentiam.

Electionem ſequitur vocatio, κλῆσις, efficax, quę eſt in verbo patefacto per Filium Dei, declaratio, exſecutio, & applicatio Electionis deducens per ordinata media miniſterii Verbi & ſacramentorum virtute & efficacia Spiritus ſancti converſione ad Deum: juſtificatione coram Deo gratuita, quę fit fide ſeu fiducia miſericordię Dei promiſſæ, ac meritorum filii Dei: & ſanctificatione, ſeu inchoatione in fide, vita & novitate ſpirituali: & glorificatione, ad finem ultimum prædeſtinationis, nimirum ad colendum & celebrandum Deum præſentem gloria ſempiterna.

Totum hunc ordinem converſionis ad Deum exponit Paulus cap. 8. ad Roman. exorſus à Deo Patre, qui filium pro nobis omnibus tradidit, & à Chriſto filio, ut capite Eccleſię inhabitante per Spiritum ſuum in credentibus, quem qui non habet, hunc oſtendit non eſſe Chriſti: Et commemoratis operationibus Spiritus Sancti repetit ordinem totum his verbis: *Qui ſcrutatur corda novit quis ſit ſenſus Spiritus, quia ſecundum Deum interpellat pro ſanctis. Novimus autem iis, qui diligunt Deum, omnia ſimul conferre ad bonum: iis videlicet, qui* κατὰ πρόθεσιν *ex propoſito vocati ſunt. Nam quos præſcivit, eoſdem & prædeſtinavit, ut conformes fiant,* σύμμορφοι, *imaginis filii ſui, ut ſit primogenitus inter multos fratres. Quos verò prædeſtinavit, eos etiam vocavit: Et quos vocavit, eos etiam juſtificavit. Quos autem juſtificavit, eos etiam glorificavit.* &c. Declarat autem ſingula pluribus *in locis, ſuarum Epiſtolarum Paulus diſertè & copioſè.*

His comprehenditur vera ac perſpicua ſententia ac fides Eccleſiæ orthodoxę de utraque quęſtione, de electione, & de vocatione. Ex qua non rectè intellecta, nata ſunt certamina, quę penè certè certitudinem omnem fidei de ſalute ęterna ſi non everterunt, labefactarunt tamen apud imperitos doctrinę, & expertes certaminum.

In prima de Electione, quęſitum eſt: ſi certus eſt Electorum numerus ex arcano beneplaciti, & decreto Dei ante jacta fundamenta mundi: Quæ ſit in Deo cauſa iſtius inęqualitatis in electione: Deinde, unde nobis conſtet, electi ex omni numero qui ſint? Et, quibus teſtimoniis quiſque in conſcientia ſua certus ſit de ſemetipſo quòd ſit inter Electos de ſalute æterna?

In altera de vocatione, quęſitum ac diſputatum eſt pariter: Cùm & vocationis ipſius diverſitas atque inęqualitas ſit tanta, & in cœtu vocatorum ſit diſſimilitudo tanta, & prædicatio pœnitentię voce Evangelii arguat peccata totius mundi, & denunciet atque offerat remiſſionem peccatorum gratuitam propter Chriſtum omnibus agentibus pœniteniam & credentibus in Chriſtum filium Dei? Qui ſint ergo ex omnibus in prędeſtinatorum & efficaciter vocatorum numero, & quibus ipſi teſtimoniis in ſemetipſis ea de re certi ſint, & eſſe in eo numero cognoſcantur, quæritur ac ſemper eſt quęſitum.

De univerſis & ſingulis aliud imaginari aut ſomniare nihil nos Deus vult, quàm quod Verbo patefactum eſt. Et ſi quid tale tentatur, non tantùm conatu ipſo fit irritum, ſed & inextricabilibus dubiis animos humanos implicat, & adigit tandem ad deſperationem.

Quæ univerſim περὶ προσωποληψίας, & de inæqualitate in Electione ſeparante repro-

reprobos ab electis, ac poſtea in diſtributione menſurę fidei, & aliorum donorum ſpiritualium diſputantur, ex ſpeculationibus rationis Humanę magis, quàm ex Verbo Dei naſcuntur & legalia ſunt.

Lex enim merita & dignitatem poſtulat. Evangelica gratuita ſunt, quę docent, & Dei arcana nobiſque à priori nec patefacto nec cognito decreto cum condidiſſe omnia, tum in genere Humano ſibi deſtinato ad ſuos uſus & cultus voluiſſe oſtendere inſigni diſcrimine miſericordiam & juſtitiam ſuam in diſcrimine Electorum, ac reproborum. Nec propterea Deum injuſtum, inæqualem, aut προσωπολήπτην eſſe tribuerit poſt lapſum omnibus peccato infectis, ut inæqualibus inęqualia, & quoſdam acceptarit, alios repudiarit.

Iuſtitiam enim quando ſolvitur debitum æqualia dare ęqualibus: Sed in donatione & gratuita miſericordia non eſſe injuſtum qui dat alicui beneficium non debitum, alteri non dat. Eodemque modo prędeſtinatos ad vitam ęternam, & ad media etiam, quibus eam conſequimur electos eſſe. Reprobos è converſo ad damnationem æternam, quàm peccatis ſibi quiſque ſuis acceſſit ſuâ culpâ.

Quibus autem argumentis certò cognoſcantur ac diſcernantur utrique, & de ſua electione quibus in ſemetipſo certus quiſque ſit & eſſe debeat teſtimoniis quæritur? De hoc conſtat cuiq; ex vocatione efficaci. Sed de hac rurſus quęritur, quibus effectis experimentis, & argumentis, illam quiſque in ſemetipſo & in aliis cognoſcere certò debeat ac poſſit.

Vocationem fieri miniſterio, id eſt, voce & prædicatione Evangelii, quæ eſt prædicatio pœnitentię & remiſſionis peccatorum propter Ieſum Chriſtum conſtat indubitatò. Vult enim Deus argui peccata in omnibus univerſim & indefinitè per totum terrarum orbem. Sed præcipuè peccatum incredulitatis, in Filium maximè poſt declaratam & obſignatam gratiam per & propter Filium ante promiſſam, morte ipſius & glorioſa reſurrectione: Sicut inquit Chriſtus: *Spiritus Sanctus arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me.* Vult iram Dei & pœnas æternas denunciari omnibus tanquam peccatoribus, & rurſus annunciari promiſſionem gratiæ & remiſſionem peccatorum omnibus agentibus pœnitentiam & credentibus in filium. Eſt vero & mandatum de audiendo Evangelio univerſale atque indefinitum & pariter ad omnes pertinet. Vult enim Deus de ira ſua adverſus peccatum, & de miſericordia ac gratia erga credentes in Filium conſtare omnibus, ſicut dicitur Matth. 24. 14. *Prædicabitur iſtud Evangelium regni in univerſa terra, ut ſit teſtimonium omnibus gentibus:* ſcilicet judicii & ſententiæ condemnationis ultimę, quà non agentes pœnitentiam redarguantur, ſi ignorantiam non annunciati Evangelii prætendant, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους

Agentibus autem pœnitentiam, converſionis ſuę ad Deum per fidem in Chriſtum ac perſeverantiæ, juxta dicta Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* ad Romanos 3. *Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes, qui credunt in eum* 1. Timoth. 3. *Deus vult homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire* Iohan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum daret, ut omnis qui credit*, &c. 2. Pet. 3. *Patiens eſt erga nos, nolens ullos perire, ſed omnes ad reſipiſcentiam tendere.* Ezech. 33. *Vivo ego, Nolo mortem peccatoris ſed ut convertatur & vivat.*

Nec auditus tantum præcipitur: ſed & attentio & ſtudium. Audite & intelligite quid audiatis.

Etſi autem nec ad Ethnicos ante natum Chriſtum, nec ad Iudæos pertinaces hoſtes poſt natum Chriſtum miſit ſingulares miniſtros: ſonuit tamen vox doctrinę de Deo patefactę utroque tempore: hoc modo & adhuc ſonat, ut exaudiatur nunc etiam à Turcis & Iudęis. Nec fuerũt unquam excluſi prorſus à gratia & miſericordia Dei ante Chriſtum Ethnici: è quibus innumeris ex omnibus gentibus fuerunt ad Deum converſi. Poſt Chriſtum natum Iudæi, pauciores ex his tamen propter τυφλώτητα καὶ πώρωσιν, ſicut Paulus inquit ἡ ἐκλογὴ ἐπέτυχε οἱ λοιποὶ ἐπωρώθησαν.

Item πώρωσιν, ſeu obdurationem iſtam, quæ eſt, ex parte eveniſſe Iſraeli tantiſper, donec plenitudo gentium introierit.

Ad hanc communem & generalem vocationem, directam ad omnes quæ conſequantur, Scriptura docet. Aliqui enim audiunt: plurimi non audiunt. Et horum aliqui non audiunt ab initio, ſed adverſantur, & repugnant, aut oderunt etiam ac perſequuntur hoſtiliter. Tandem tamen audiunt, cognoſcunt, convertuntur, & ſalvantur. Aliqui in contumacia ſua perdurant.

Audientium verò aliqui aſſentiuntur, credunt & perſeverant: aliqui etſi credunt, non tamen perſeverant. Horum rurſus aliqui redeunt ad pœnitentiam, aut ſi redeant, non tamen perſeverant. Aliqui cum perpetua luctantur & conflictantur dubitatione, qua tandem ad deſperationem adiguntur.

In tanta diſſimilitudine quid & quomodo de efficaci vocatione ſtatui poſſit, aut debeat, tutiſſimum eſt rurſus, omiſſis aliis omnibus quæſtionibus ac diſputationibus de cauſis à priore, in revelatis quæ Scriptura definit à poſteriori, & ex effectis quærere, & in iiſdem reſiſtere, & acquieſcere.

Argumenta ſeu ἐλεγχοικαὶ δοκιμασίαι pœnitentiæ fideique, & impœnitentiæ atque incredulitatis ſunt credentibus quidem, unicuique in ſemetipſo teſtimonium fidei ipſius, quod eſt donum Dei per Verbum & Spiritum S. & bonæ conſcientiæ, quam quiſque credentiûm habet ex fide non dubia, vincente terrores ab ira Dei, & peccato, morte, inferno, & Diabolo. Tranquillitas item ac lætitia poſt luctam & victoriam acquieſcens in miſericordia Dei, item in cruce & afflictionibus, & in omni invocatione, &c. Secundum dicta: *Qui credit in filium, habet vitam æternam.* Item Ioh. 3. *Qui credit in filium, habet teſtimonium in ſemetipſo.* Item Rom. 8. *Spiritus S. dat teſtimonium ſpiritui noſtro, quòd ſimus filii Dei.* Item: *Iuſtificati fide pacem habemus ad Deum per D.N.I.C.* Et ſecundum Auguſtinum: *Credens ſcit ſe credere.*

Ad alios autem teſtimonia ſunt fructus fidei lucentes in bona militia: id eſt, dilectio Dei, quæ eſt obedientia erga Deum, ſecundum omnia mandata, ardens invocatio Dei, gratiarum actio, glorificatio, confeſſio veritatis, & in confeſſione conſtantia, patientia in cruce & afflictionibus, humilitas, manſuetudo, tolerantia injuriarum, benignitas, caſtitas, veritas, &c.

Deinde dilectio proximi juxta mandata ſecundæ tabulæ, non fucata, ſed ſincera. Et complexus eſt ſumma duo capita, quæ repetit Paulus 2. Tim. 2. Chriſtus ipſe Ioh. 13. *Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis. Non de omnibus dico vobis. Scio quos elegerim.* Electionem ponit, quam ipſe ſcit. Beatos pronunciat, qui faciunt, id eſt, credentes & obedientes.

Paulus inquit: *Solidum Dei fundamentum ſtat, habens ſigillum hoc: Novit Dominus qui ſint ſui.* Et, *diſcedat ab impietate omnis, qui invocat nomen Domini.* Ergo ſolus Deus novit qui ſint ſui: Retinens autem fidem & bonam conſcientiam, & perſeverans uſque ad finem, ſe inter illos indubitatò ſtatuat.

Reprobis, incredulis, hypocritis, documenta ſunt ipſis & ad alios: Incredulitas ipſa. de qua Chriſtus: *Qui non credit, iam judicatus eſt.* Item, Contumacia pertinaciter reſiſtens aut repugnans verbo, Blaſphemia, ſeu peccatum in Spiritum S. Impœnitentia finalis, pœnitentia ſimulata, quæ eſt ſine vera agnitione peccatorum, & ſine ſenſu iræ Dei ac dolorum aut terrorum propter peccatum. De qua Chriſtus ad Phariſæos: *Quia videtis, peccatum veſtrum manet, ſineque emendatione & mutatione vitæ in melius.* Item fides ficta, quæ etſi ab hypocritis externâ aliquâ ſpecie recti, juſti, honeſti tegitur, eſt tamen ſine pœnitentia, ſine timore Dei, nec intuetur Deum, nec refert quæ facit in hunc finem, ut Deus honore afficiatur, nec quærit Gloriam apud Deum, ſed apud homines, ut de hypocritis teſtatur Chriſtus: *Quomodo vos poteſtis credere, cùm Gloriam alii ab aliis capitis, & gloriam quæ à ſolo Deo proficiſcitur, non quæratis?* Quæ denique tandem in veris terroribus conſcientiæ, in tentationibus, in procellis tempeſtuoſæ perſequutionis, in cruce & afflictionibus proditur, quia non perſeverat.

Reſtat adhuc una quæſtio, quâ explicatâ facilè diſſolvuntur dubia quæ ex diſſimilitudine vocatorum urgeri poſſent. Nimirum, Cùm totum opus converſionis hominis ad Deum & fides ipſa ſint donum miſericordiæ & gratiæ Dei per media ordinata ad finem ultimum, quomodo in vocatione efficaci fiat applicatio? quâ actione & efficaciâ Spiritûs & quomodo habente ſe ad illam fides accendatur, & quomodo apprehendat, & apprehenſa ſibi applicet beneficia. Verum quoad Spiritum S. actione & efficaciâ mutationis phyſicæ, brutę, ſicut Sol illuminat & calefacit: aut coactione ex lege neceſſitatis Stoicæ aut afflatu, impulſu, vel raptu violento, Enthuſiaſtico, Anabaptiſtico?

Quod ad hominem autem, An in homine ocioſo, nihil agente, habenteque ſe purè paſſivè: aut ſicut truncus ad coactionem neceſſitatis Stoicæ, afflatûſve, aut raptûs Anabaptiſtici, ſicut Flacciani ante editam Chimæram ſomniarunt: aut velut brutum mutatione & converſione hominis phyſicâ aut hyperphyſicâ, qualem fieri fingit Chimæra, non ſine ſenſu quidem, ſed ſine omni tamen motu, tantum ut ſubiectum patiens & convertibile eo uſque, donec tantum acceperit facultatis ac virium, quibus agere poſſit, ſicut rana à tempore verno quantum ſatis, fota ac vivificata ſe movet tandem & coaxat: aut ſicut vacuus vrceolus ad infuſam gratiam ſeu qualitatem novam, ſecundum Scholaſticos & Flaccianos, Vvigandum & alios. An vero viribus in homine Spiritui Sancto ſua naturâ & ex ſeſe cooperantibus & applicantibus ſeſe ad gratiam & ad virtutem Spiritûs S. ac motus Spirituales? An denique concurrentibus in converſione his tribus cauſis verbo, Spiritu S. & voluntate hominis, agentibus nimirum ſuo loco atque ordine viribus in homine, quanquam ex ſeſe & naturâ ſuâ prorſus invalidis ad

ſpiritualia, rationalibus tamen & inter ſe differentibus, eoque ordine, quo conditæ ſunt à Spiritu Sancto per media verbi & ſacramentorum in ordinato ac legitimo ſingulorum uſu, ut in auditu verbi cum attentione & meditatione, virtute ſuâ efficaci ſingulis excitis liberrimè ſine coactionis impulſu aut raptu, & novâ luce accenſa in mente: Nova verò virtute ac facultate communicatâ voluntati, ac cæteris viribus, ea qua placuit menſura Deo, ſed in certamine & lucta carnis cum ſpiritu, id iſt, novę virtutis ſpiritualis cum pravitate inſita, in qua lucta alterutra, facultatem aut nova ſpiritualis, aut innata vitioſa ac prava vincit aut ſuccumbit.

De his tribus, quæ raptum aut mutationem phyſicam aut hyperphyſicam Stoicam, Enthuſiaſticam, Scholaſticam., Flaccianam, Chimæriſticam, itemque συνέργειαν Pelagianam aſſerunt: illa omnia absque omni dubio redarguit ac refutat Scriptura tota uno conſenſu evidentiſſimè.

Tertium & vltimum, cum eadem evidentiſſimè congruit, in qua hæc perſpicuè traduntur de Spiritu Sancto, quòd trahat, illuminet, doceat, arguat, perterrefaciat, conſoletur, vivificet, ſit doctor, & paracletus, ſed præſentia & actione liberrima per verbum & Sacramenta ac preces, quę verbo per fidem nituntur, & trahente non afflatu aliquo auræ prætervolantis, aut impulſu levi aut forti, ſed viva quidem & efficaci virtute, absq; tamen violentia & coactione, liberrima fidei, virtutis ſeu facultatis ſpiritualis, & donorum diſtributione per omnes vires eo ordine, quo conditę ſunt, incipiendo à mente & à parte intelligente, & à voluntate, ut potentia liberè agente, & omnibus reliquis imperante in ordinato & legitimo uſu mediorum, non in abuſu magico & Diabolico, in auditu, lectione & meditatione verbi & uſu ac conſideratione ſymbolorum in Sacramentis ſecundum verbi præſcriptum.

Nec converſio hominis eſt mutatio merè paſſiva & momentanea, ſed acerrimum & perpetuum certamen per omnem vitam in virtute Spiritûs per verbum & fidem ſecundum omnes vires cum carne noſtra, Diabolo, morte, inferno, & mundo, in quo qui eluctantur & vincunt ii ſalvantur. Vincunt autem tantum in Chriſto virtute ſpirituali. Qui reſiſtunt ſpiritui, aut negligunt donum doctrinæ & virtutis ſpiritualis, hi pereunt.

Offert & exhibet Deus promiſſa beneficia æterna per verbum cum facultate viva & efficaci Spiritus: ſed iſta non confertur homini ocioſo, impreſſione aut mutatione phyſica & bruta, nec repugnanti aut averſante pertinaciter.

Qui aſſentiuntur & obſequuntur Spiritui Sancto, virtute ejuſdem id faciunt, non tamen ſine coactione, conatu, & annixu. Qui repugnant, ſua malitia aut contumacia id faciunt, ſive à carne, ſive à Diabolo, ſive à mundo ſit, ſive ab omnibus.

Non vult nos Deus ocioſos, ignavos, ſecuros eſſe, nec deditos cupiditatibus carnis, aut deliliis mundi. Sed vigilantiam, ſtudium, conatum, & luctum præcipit. Qui verò dat velle, dat etiam perficere, ſicut docet Sacra Scriptura innumeris teſtimoniis uno perpetuoque conſenſu.

Nec debet etiam quisquam diſpútare, aut expoſtulare cum Deo de imparitate gratiæ aut fidei in ſe ipſo, aut in aliis, quæ non dantur ut debitum, ſed ex mera miſericordia gratis. Multo minus negligentia, contemptu, aut diffidentia abiici & defodi, ſed negociando acui atque augeri.

Hæc omnia quia ſunt homini ex ſeſe & per ſe impoſſibilia, ideo promittitur, & in actione confertur ſimul facultas ad conatum & actionem in viua & efficaci virtute Spiritûs, qua vult nos Deus in ſeria lucta cum carne, Diabolo, & mundo ad ſe converti: & tali conatu & lucta hanc vitam tranſigere proficiendo in ſpiritutualibus. In carnalibus autem repreſſit, atque enecatis deficiendo, cum radix peccati non exſtirpetur in hac vita eradicatu phyſico, aut commentitio hyperphyſico, momentaneâ mutatione: ſed retundatur virtute novâ Spiritûs in certamine & lucta contraria, perpetua, quæ pii omnes & ſancti experiuntur in ſemetipſis, & quæ in illa diſſimilitudine vocatorum & in ipſo cœtu vocatorum ante oculos eſt.

Paulus cauſam ſingularis prærogativæ in vocatione Iſraelitarum ad hoc, ut ex ea & in ea gente naſceretur Meſſias, tribuit miſericordiæ Dei, & juramento Abrahæ præſtito, quia credidit Deo, quæ fides ei imputata eſt ad iuſtitiam. Cauſam præteritionis gentium ad tempus, quod ad externam vocationem attinet, tribuit impietati & iniuſtitiæ gentium, quia veritatem injuſtè detinuerunt, non glorificantes eum, ſicut in creaturis patefactum conſiderârunt & cognoverunt.

Rurſus vocationem gentium antè præteritarum novam & ſingularem tribuit miſericordiæ & bonitati Dei. Populi Iudaici excidium & repulſionem, ejuſdem cæcitati, contumaciæ & incredulitati, & de Iudæorum hypocriſi, cæcitate, contumaciâ & incredulitate, quæ ſint in Prophetis, concionibus Chriſti & Apoſtolorum manifeſtum eſt.

Sed

Sed & de his dicit Paulus: *Quod poſſit eos Deus, quanquam evulſos, rurſus tamen inſerere.* Hæc de vocatione efficaci monuiſſe ſaltem ſatis ſit.

Formula Concordiæ confundit præſcientiam propoſitum & prædeſtinationem.

Ab hac doctrina Evangelii perſpicua & plana, Chimęra diſcedens confundit, ut dixi, magno errore Pręſcientiam, Propoſitum, & Prędeſtinationem. Nec diſtinguit inter Electionem, quam facit univerſalem & inter vocationem. Nec inter vocationem ſeu generalem, ſeu univerſalem, communem omnibus, & vocationem efficacem. Nec inter Electionem ipſam & exſecutionem per media ordinata, deducentem ad finem vltimum, ad vitam & gloriam ęternam.

Formulæ doctrina erronea de reprobatione.

De reproborum reiectione aſſerit, non quòd à Deo decreta ſit, ſed quòd ab ipſis reprobis initium ſit, cur gratiâ ſuâ illos Deus non dignetur, perinde ut electos. Denique in ipſa exſecutione electionis per vocationem applicat homini effectum vocationis, ut ſubiecto habenti ſe purè paſſivè, & nihil agenti prius quam ſit ſufficienter immutatum a Spiritu Sancto.

Hęc & ſimilia plura alia, ut cum expreſſa Scriptura pugnantia, repudio.

Confeſſio Pencers de Evangelii definitione, & Formula Concordiæ de eo errores.

Nono. De quęſtione, utrum Evangelium ſit ſimul prędicatio pœnitentię & remiſſionis peccatorum, An vero ſolius Remiſſionis peccatorum? De hac ergo credo & confiteor ex doctrina Evangelii evidentiſſima & teſtimoniis immotis: *Primò*, quòd Chimæra ſtatum controverſiæ non rectè definit, qui non in hoc conſiſtit, utrum Evangelium ſit pœnitentię prædicatio, quia arguit Incredulitatem, ſed quia ſuâ quâdam ratione & quodam proprio munere diſtincto à lege de pœnitentia prædicet. Quòd etſi pręcipuum munus Evangelii eſt annunciare promiſſionem remiſſionis peccatorum, per & propter Mediatorem: tamen cum hæc nemini detur, nemini contingat, niſi in vera pœnitentia: quòd ſimul arguat peccata, non generali ſignificato vocabuli de tota doctrina Eccleſiæ, nec ab uſu muneris alieni, ut ſomniat Chimæra, ſed ſuo quodam proprio munere hac in parte à lege differente, quam differentiam retineri & illuſtrari neceſſe eſt, ſi hæc duo doctrinarum genera vere, rectè & exactè diſcernere volumus. Conſiſtit autem illa differentia in his præcipue. Primo, quod Evangelium eſt interpres legis, ſic ut declaret, ſanciat, ac ſtabiliat legem, approbans ac ratum faciens immutabile decretum iuſtitiæ Dei in lege expreſſum, arguens, damnans ac deſtruens irremiſſibiliter omnes non perfecte conformes, non minus quam lex ipſa: Sed hoc diſcrimine, quòd lex arguit tantum ac deſtruit immutabiliter & irremiſſibiliter, quia nemo legi ſatisfacit, nemo conformis eſt: Evangelium hoc approbans & evidentius voce Chriſti declarans, peccata arguit, & oſtendit omnibus pereundum in æternum, niſi Filius Dei patefactus Mediator interceſſiſſet & obtuliſſet ſe ad ſatisfaciendum Iuſtitiæ Dei in aſſumta carne noſtra: Quare aſperitatem & rigorem legis mitigat ac determinat promiſſione miſericordiæ gratuitæ, & meritis atque obedientiâ Filii Mediatoris, omnibus agentibus pœnitentiam, & ad gratiam fiduciâ Mediatoris confugientibus, docens legi ſatisfactum eſſe obedientiâ Mediatoris & iuſtitiam ejus credentibus fide in vera converſione imputans & applicans. Vnde pœnitentia legalis, quæ duceret ad mortem æternam, fit ſalutaris & vivifica propria Evangelii, eripiens ex morte, ſicut oſtendunt pœnitentiæ vtriuſque inter ſe differentis exempla in Davide, Saule, in Petro & Iuda. *Secundò*: Quia Lex flagitat conditionem perfectæ obedientię, quæ ſit huic normę exactiſſimè congrua, ut meritum & cauſſam iuſtificationis coram Deo. Evangelium, cum hęc à nobis præſtari minimè poſſit, vocat ad pœnitentiam in Filio Dei Mediatore non legis, ſed ſuo munere proprio, nec ad legalem pœnitentiam: quia Lex ut reos omnes quos accuſat, ſine vllo auxilio tantum damnat ac perimit, ſed ad ſibi propriam pœnitentiam cum promiſſo auxilii & ſalutis: Ac requirit conditionem pœnitentiæ, non ut meritum & cauſam, ſed ut medium quo pervenitur ad ſalutem, & quo fit applicatio meritorum Chriſti ad iuſtitiam in remiſſione peccatorum gratuita, quæ fit ſolâ fide cum dono Spiritûs Sancti, ad vitam novam in obedientia nova ſpirituali, quę ut ſępè dictum eſt, inchoatur cum novitate interna, in motib. internis, & actionibus externis novis & ſanctis per donum miſericordię Patris in Filio virtute Spiritûs S. Pręterea arguit peccatum incredulitatis in Filium, ut ſuâ voce tantum patefactum, damnans irremiſſibiliter omnes non agentes pœnitentiam, & non credentes in Filium, juxta doctrinam Evangelij. *Tertiò*: Quòd Lex ſemper & immutabiliter quavis conditione, & quovis ſtatu hominis conformitatem perfectæ obedientiæ cum Deo exigit, & implacabiliter damnat omnes nō conformes. Evangelium hoc ἀκριβοδίκαιον moderatur, & adhibens ἐπιείκειαν, inchoatam in renatis obedientiam, quanquã ſit plena infirmitatum, & procul abſit à legis perfectione, placere Deo tamen, & iuſtitiam eſſe pronũciat, eò quòd Perſona recepta prius in gratiam, &

juſta placet propter Filium Mediatorem. Et hæc initia non habentes, nec præſtantes curam & ſtudium obediendi Deo in nova ſpirituali vita, arguit & condemnat in æternum, niſi fiat remiſſio, nec facit id voce & miniſterio legis, ſed ſuo proprio. Alioquin enim Lex ſibi contradiceret. Ἀντιλογίαν verò inter Legem & Evangelium ſolvit ac dirimit meritum ac juſtitia Filii Dei, qui legem implevit, ac juſtitiam ſuam nobis condonat & imputat. Propter has cauſas ergo credo & confiteor, quòd Evangelium cum prædicatione remiſſionis peccatorum, ſit etiam prædicatio pœnitentiæ in Filio Dei, ſuo quodam proprio munere à lege hac in parte diſcrepante, quod ad verum diſcrimen utriusque inter ſe doctrinæ pertinet & conſiderari neceſſe eſt, ne confuſiones tetræ invehantur ac pernicioſæ,

Quòd Chimæra, cum hoc diſcrimen neque animadverterit, neque explicârit, affirmo verè & Sanctè coram D.P.F. & S.S. quòd ineptâ & fucosâ, ſed falsâ conciliatione controverſiæ in hoc articulo & iniuſtâ ac impiâ reiectione hujus particulæ ex definitione, quòd ſi etiam prædicatio pœnitentiæ, penitus obruat & involvat magnam partem doctrinæ neceſſariæ de vero diſcrimine legis & Evangelii & de vera ac ſalutari pœnitentia: & pœnitentiam quod clariſſimè intelligit non de tota converſione hominis ad Deum, ſed de unica ſola contritione parte prima, quæ ex lege ducit ad deſperationem ſine Evangelio.

Vtrum nova obedientia neceſſaria ſit in renatis, & verum Lex ſit in renatis norma obedientiæ novæ.

Decimo & Vndecimo, de duabus quæſtionibus, utrum nova obedientia ſit neceſſaria in Renatis? Et, verum Lex Renatis ſit norma obedientiæ novæ, quæ ab eis Deo præſtanda eſt? credo & confiteor cum Scriptura Sole clariore hac in parte, Quòd hæ controverſiæ motæ & tantis certaminibus agitatæ ſint ab ingeniis ambitioſis & Scripturæ imperitis, ex erroribus his perverſiſſimis, imaginationibus vaniſſimis, perſuaſionibus pernicioſiſſimis, de præſentia & actione Dei in miniſterio Verbi & Sacramentorum, de Converſione hominis ad Deum & de viribus humanis, quas paulo antè indicavimus, nimirum, quod præſentia & efficacia divinitatis in miniſterio Verbi & Sacramentorum ſit ex phyſica, Enthuſiaſtica & magicè monſtroſè conflata, & lege Stoicæ neceſſitatis per externa media ſit efficax. Quòd Chriſtus carne Corporis ſui præſens in pane & in homine efficax ſit, actu & effectu Phyſico, bruto, aut magico, hyperphyſico, aut utroque. Quòd eodem modo virtute Spiritûs S. fiat converſio hominis ad Deum immutatione maſſæ noſtræ, & virium noſtrarum, phyſica, bruta, per impreſſiones Phyſicas, raptus Enthuſiaſticos, afflatus magicos, Stoicam coactionem, ad vitam hanc animalem cum ſenſu Phyſico, bruto, in carne, absque omni tamen motu. Quòd non conſiderant præſentiam, actionem & effectionem totius divinitatis liberrimam eſſe, & opus totum converſioni, eſſe donum miſericordiæ Patris, & meritum Filii diſtribuentis, & applicantis merita ſua voluntate & virtute liberrima, ſed viva & efficaci Spiritûs S. per Verbum & Sacramenta, quibus & quanta vult, & fieri ad vitam ſanctam Spiritualem: Et quòd applicatio fit non ocioſo, ut ſubiecto patienti & nihil agenti, ſed fit in omnibus partibus pœnitentiæ inter luctas & certamina graviſſima virtutis novæ Spiritûs S. cum inſita nobis & adverſante privitate, quæ, ſicut dictum eſt, cum ipſo momento converſionis incuntia per omnem vitam durant, in quibus vires à contrariis duobus principiis incitatæ, aut virtute Spiritûs vincunt in ſerio & acri conatu, non in ocio aut quiete, & vivunt, aut victæ ſua malitia excuſſo ſpiritu ſuccumbunt ac moriuntur oppreſſæ æterna morte. Quòd in omnibus partibus pœnitentiæ præcipitur & requiritur ſtudium, aſſenſus, conatus noſter, ne adverſemur ac reluctemus verbo & Spiritui viva virtute cienti. Quòd imaginantur converſionem eſſe infuſionem vel impreſſionem novæ virtutis aut qualitatis, quæ fit, ut in vacuos urceolos: Nec diſcernunt inter Iuſtificationem, quæ non eſt opus, virtus, qualitas in nobis, ſed remiſſio peccatorum, ut dictum eſt, & reconciliatio cum Deo, & imputatio gratuita juſtitiæ Mediatoris, & inter vivificam renovationem ad novam obedientiam, quæ itidem non eſt impreſſio phyſica, bruta, Enthuſiaſtica aut magica alterius virtutis novæ cum veteris vitioſæ privitatis immutatione facta, ſed in vivis motibus & actionibus Sanctis Spiritualibus conſiſtit, & in certamine perpetuo cum carne, Diabolo, morte, inferno & mundo. Quòd imaginantur, ſic in converſione & vivificatione ſpirituali contactu Phyſico aſſumi atque indui à carne noſtra & viribus virtutem novam & facultatem, ſicut ex igne admoto lignum flammam concipit, qua flagrat, calefacit, urit. Inde inferunt obedientiam non eſſe neceſſariam, nec opus eſſe coactione legis, quia ſit ſpontanea, & impetu motuque naturali, bruto ac ſpontaneo impreſſæ novæ virtutis edatur & peragatur, ſicut Sol ſua natura ſponte lucet Quod ergo utrinque hoc certamen non aliunde extitit, itaque ex his falſis imaginationib. contra perſpicuum & expreſſum verbum.

verbum. Quòd fontibus veritatis ex doctrina ſacra, quos oſtendimus, prolatis, iſtæ vaniſſimæ perſuaſiones ſponte ſua concidant & evaneſcant, quia magno perpetuoque conatu opus ſit, & quod talis præcipiatur, & per verbum à nobis exigitur, etſi ex nobis non eſt, ſed à viva virtute Spiritûs ne noſtrâ ſponte arceamus, aut quoquo modo excludamus. Id enim in nobis eſt & in noſtra poteſtate, ut docet Scriptura, doctrina, præceptis & exemplis. Virtute enim Spiritûs ſancti ſolâ agit, qui benè & rectè agit, qui malè agit, ſua malitia reſiſtit Spiritui Sancto. Affirmo iterum verè & Sanctè coram Deo Patre & Filio & Spiritu Sancto & Eccleſia A. & H. quod Chymæra fucoſè diſſidia in his duabus controverſiis ad eum modum conciliet, ut nervos partis negantis obedientiam novam neceſſariam, & legem normam huius eſſe renaris, in fundamento magis confirmet, quam ipſi authores per hoc, quòd hominem fingit eſſe ſubiectum pariens, ocioſum, nihil agens, ſenſus particeps, in divinis nullius motus, idque cum velit de principio vel motibus primis converſionis intelligi, qua fit illa paſſiva, bruta, phyſica carnis immutatio & vivificatio, diſtinguens juſtificationis & renovationis vivificæ momenta ac tempora, vita autem pii hominis ſit in hac infirmitate revera perpetua pœnitentia & converſio ad Deum, gradibus tantum ſecundum gradus & diſcrimina lapſuum & peccatorum differens, ſicut quotidie oramus: *Remitte nobis debita noſtra:* Quid erit igitur homo niſi ſubiectum brutum & patiens perpetuò? Quid ſunt præcepta, promiſſiones, comminationes? ſic implicatione contradictionis infeſtæ ſeſe iterum penitus & decreta ſua demolitur? Imò qualem definiat Divinitatis præſentiam & actionem per S.S. in Miniſterio verbi & Sacramentorum, qualem horum vim & efficaciam, quomodo iudicet fieri converſionem & vivificationem, ſatis oſtendit, dum occupatur tam laborioſè in excuſanda as mitiganda coactione legis & Spiritus Sancti.

De initio turbarum & tumultuum Flaccianorum & Adiaphoriſticorum.

DUODECIMO: De turbis & tumultibus Flaccianis ſeu Adiaphoriſticis, quibus mendax impoſtor Flaccius Illyricus prima fax diſſidiorum à Rev. D. D. Lutheri morte, commovit, & diſtraxit quietas & concordes Eccleſias Germaniæ ad ciendas a bello Germanico ſeditiones, confiteor, & ut conſcius harum rerum, qui multis interfui, affirmo: Quod artifices Chimæræ ſecuti authorem ipſum mendaciorum & calumniarum, quibus hæ turbæ excitatæ ſunt, falſum committunt: & iniuriâ notoriâ ac contumeliâ atroci afficiunt Eccleſias harum terrarum, & innocentes earum Doctores ac Paſtores, in hoc, quòd accuſant eos in ſtatu controverſiæ de rebus Adiaphoris, tanquam has in gratiam hoſtium Chriſti & veritatis reſtituerint & approbârint tempore perſecutionis, quo fuerit edenda Confeſſio. Quòd falſo cum Flaccio architecto collocat ſtatum controverſię in hac quæſtione: *Utrum tempore Confeſſionis*, & perſecutionis liceat ritus externos Humanâ authoritate inſtitutos, per ſe, non impios, ſed adiaphoros, ante tamen aut deſuetudine collapſos, aut privato conſilio cujuſque intermiſſos, in gratiam hoſtium Evangelicæ veritatis, id imperantium & flagitantium ſarciendæ concordiæ causâ, reſtituere? Nemo enim unquam in his terris hoc quæſivit, nemo fecit, nemo diſputavit, nemo hunc ſtatum controverſiæ agnovit, de quo ut manifeſto per ſe, quæri nihil opus eſt, ſed quæſti ſunt omnes uno ore, calumniâ iniuſtâ ac commentitiâ & iniuriâ atroci has Eccleſias prægravari, quòd demonſtratum eſt publicis ſcriptis, quorum fuerunt fabri aut conſcii Apoſtatæ à veritate inter Chymæriſtas aliquos præcipui. Quòd Imperator Carolus V. victor Sphyngen Auguſtanam celebratam Titulo & Nomine *Interim* propoſuerit Ordinibus Imperii, tanquam formulam profuturam conciliandæ ac retinendæ concordiæ publicæ uſque ad Synodum, non ex ſe multo minus ſuaſu aut conſilio Pontificis Romani aut Pontificiorum, qui ſeriò adverſati ſunt, ſed perſuaſus qui Confeſſioni Auguſtanæ voluerunt videri addicti. Quòd idem Imperator expreſſo promiſſo obligârit ſe Principibus & Ordinibus harum regionum, ſe in religione & Eccleſiis nihil mutaturum, niſi per legitimam & liberrimam Synodum. Quòd cum urgenti Imperatori Sphyngen Auguſtanam obligationem hanc opponerent, reſponderit, Exſtitiſſe eam ab addictis Confeſſioni Auguſtanæ, tanquam ab illa non diſcrepantem. Quòd non acquieſcente Imperatore, Principes & Ordines harum Regionum re deliberatâ inter ſe, decreverunt experiri, utrum aliquâ Confeſſione placare illum & divertere à ſe Sphyngen poſſint, ac quæſiverint à Theologis, *Utrum cedere in rebus mediis pertinentibus ad ordinem externorũ rituum Imperatori poſſint, ut retineant puritatem Doctrinæ & Sacramentorum, a qua conſtitutum ſit in ipſis non diſcedere.* Quod Theologi reſpõderint; non ſatisfacturũ hoc Imperatori quod Ordines adiecerint, ſive ſatisfaciant ſive nõ, oportere ſe tamen oſtendere Imperatori diſcrimẽ in rebus

neceſſariis inter Confeſſionem & Sphyngen Auguſtanam in doctrina vera & ſacramentis, & conſulere conſcientiis ſuis, ſi pericula ſint adeunda, ut ſe ſciant illa ſubire ac pati, propter res neceſſarias, quas abiicere ſine impietate & iactura ſalutis æternæ nequeant. Quòd admiſerint Theologi, ſed eâ lege & conditione, ut cum ediderint jam multa ante ſuum de Sphynge Auguſtana judicium, libera ipſis facultas contradicendi ſemper impiis dogmatibus & res neceſſarias explicandi ſuo ipſorum periculo concedatur. Hæc ſumma fuerunt capita deliberationum, quæ cum Theologis habitæ ſunt. Status ergo controverſiæ in hoc conſiſtit: *Vtrum licuerit Eccleſiis harum regionum, Imperatori, qui hujus proſapiæ Principibus nec ante nec poſt bellum hoſtis fuerat, ac diſerto promiſſo caverat Eccleſiis, ſe nihil in eis mutaturum, niſi legitimâ & liberrimâ Synodo, cui ipſe ſit affuturus, quærenti tamen pacem & concordiam publicam bello pacato, ac proponenti formulam concordiæ in concordiæ vinculum non ex ſe, nec ſuaſu hoſtium veritatis, qui diſſenſerunt, ſed volentium videri addicti veritati & Confeſſioni Auguſtanæ, ac rem ſemel cœptam vrgenti, vtrum ergo licuerit repudiatis impiis, offerre ſe ad cedendum in non impiis & mediis rebus concordiæ causâ, ut integritatem & puritatem in doctrina & ritibus divino inſtitutis mandato conſervent: Aut, ſive obtineant hoc ſive non, ut conſulant conſcientiis ſuis coram Deo, ac liberent ſe culpâ ac ſuſpicione ſeditioſæ adverſationis aut recuſationis contumacis & non neceſſariæ apud Imperatorem, ſi de veritate doctrinæ ac Sacramentorum puritate, quam amplexi ſint, periclitari cogantur?* Hic eſt ſtatus controverſiæ, de quo judicet Eccleſia.

De his itaque articulis omnibus, quæ me credere ac confiteri profeſſus ſum; ea Deo Patre cum Filio & Spiritu S. in teſtem vocato, ſanctè, verè & conſtanter affirmo, non eſſe mea, nec ex me orta, nec à me excogitata, ſed mihi à Spiritu ſancto, Doctore in verbo patefacto evidentibus & invictis teſtimoniis demonſtrata eſſe, cum ſeveriſſimo mandato, ut ea proferam in lucem, & annunciem Eccleſiæ, nec reformidem vlla interdicta, adverſationes, minas, pericula, eo tempore, quo mihi ex hac ſolitudine in publicum producto, Deus os aperuerit, & loqui me juſſerit, additâ comminatione atrociſſimâ, vt niſi id faciam, ſit mihi pereundum in æternum. Si paream & Dei mandata exequar, futurum ut liberer ego omni culpa ſive audiat, ſive non. Affero igitur vobis mandata & dogmata Dei perſpicuis verbi patefacti teſtimoniis declarata, & terris blaſphemiis ac monſtroſis confuſionibus Chymeræ oppoſita.

Huic *Confeſſioni & Iudicio de Libro Concordiæ*, Peucerus *attexuit, vberiorem ſingulorum Articulorum declarationem*, Apologiæ *loco, ut ipſe in hiſtoria Carcerum ſuorum pag.* 738. *teſtatur. Sed præter ſuffragium & approbationem ab eo nihil poſtulabatur. Id vero cum non obtineretur, aliquantò poſt mittuntur rurſus ad eum quæſtiones tres, præcipiturque ei minaciter, ut de iis ſic ſe explicet, ne offenſum Electorem, & plus ſatis irritatum antea, denuò & gravius exacerbet cum periculo ſuo extremo. Reſpondit* Peucerus, *ſe facturum cum invocatione Dei, quod rectum fuerit coram Deo, & conſcientiæ ſuæ neceſſarium ac ſalutare. Hæ autem erant quæſtiones.* *Subſcriptio & approbatio Concordiæ cum à Peucero obtineri non poſſet ad tres quæſtiones reſpondere iubetur.*

Prima, An credat, quòd Chriſto ſecundum Humanitatem, aut ipſi Humanæ Naturæ in Chriſto in perſonali vnione, omnipotentia Dei, quæ Dei propria eſt, ipſo facto, & in rei veritate, ſeu realiter ſit communicata? *Ad hanc quæſtionem reſpondit, Se hoc non credere, nec debere credere, his duabus de cauſis.* Prima, *quod homines Verbo Dei adſtricti ſint, hoc gravi mandato, ut nihil de Deo vel fingant, vel credant, quàm ut ſe in verbo ſuo manifeſtavit, eique nihil addant vel demant. Certiſſimum autem eſſe, in tota Scripturâ nullum exſtare teſtimonium, ut & nullum in Formula Concordiæ citetur, quo probari poſſit, omnipotentiam, vel ſimiles eſſentiales proprietates Deitatis, humanitati Chriſti per ſe, vel, ut quæſtio habet, ipſo facto & in rei veritate communicari: Sed omnia in Formula Concordiæ citata teſtimonia loqui de vna, inconfuſa & indiviſa Perſona Chriſti, eiuſque officio, de naturis autem per ſe & ſeparatim nequaquam.* Alteram *cauſam eſſe, quòd vniverſale Concilium Chalcedonenſe irrefragabiliter contra Eutychis errorem probârit*, Si eſſentiales proprietates Deitatis etiam humanitati per ſe communicentur, extra Perſonam, quocunque prætextu vel colore id fiat, hoc ipſo Humanitatem Chriſti in Deitatem converti, & Chriſtum hominem verè aboleri, *Perſonalem autem vnionem vtriuſque Naturæ in Chriſto, in eodem Concilio longè aliter, quàm in Formula Concordiæ, declarari, à qua declaratione cùm Formula recedat, errare eam neceſſe ſit: & eum qui hanc ſequatur, vel in Eutychianiſmum incidere, & verum hominem Chriſtum amittere, vel in Neſtorianiſmum prolabi, & duos Chriſtos facere, & ſic Chriſtum in vna Perſona, ut verum Deum amittere. Hujus verò declarationis Formulam Concordiæ ne verbo quidem mentionem facere: neque etiam meminiſſe cauſarum graviſſimarum, ob quas Mediatorem inter Deum & homines, oportuerit* *Reſponſio ad primam quæſtionem.*

in

in vna perſona inconfuſè verum Deum & hominem eſſe; quum tamen in his duobus Articulis fundamentum ſalutis noſtræ conſiſtat. Quum autem Iohannes de vtroque errore diſertè dicat, Qui Chriſtum dividat, vel eum in carne neget, Antichriſtum eſſe, *Celſitudinem Electoris Auguſti hinc intelligere poſſe, cur Formulam Concordiæ approbare nequeat. Adhæc, Concordiam fateri, neminem melius ſcire poſſe ipſo Chriſto, quid humanitas Chriſti à Divinitate acceperit. Si verò hic articulus non ſatis manifeſtatus & declaratus, adeoque dubius & myſterium ſit, quod Chriſtus ſibi ſoli reſervârit, cur igitur articulum fidei ex eo faciant, & eum non approbantes perſequantur?*

Reſponſio ad ſecundam quæſtionem.

Altera quæſtio Peucero propoſita hæc fuit: An credat, quòd Corpus Chriſti & Sanguis ſimul & ſemel in Cœlo & in Terra, ſive in vno tantum loco, verè & ſubſtantialiter eſſe poſſit, & ſit ibi, vbicunque Sacra Cœna celebratur? *Ad hanc quæſtionem reſpondit* primò *cum diſtinctione. Quæritur, An poſſit? At verò, inquit, non quæſtio eſt, quid Chriſtus poſſit: Nam abſque omni dubio, ſecundum ſuam omnipotentiam, cum vero ſuo corpore poteſt efficere & agere, quicquid vult. Sed hoc quæritur, quid & quomodo Chriſtus in ſuo verbo, de ſua humana aſſumpta natura doceat, & quid nos de ea, juxta Verbum Dei ſcriptum, credere & ſentire debeamus. Verbum autem Dei tale Corpus Chriſto attribuit, quòd verè omnes eſſentiales proprietates, quæ ſeparari non poſſunt à natura & ſubſtantia veri corporis, retineat, & in æternum habiturum ſit. Secundum igitur naturam veri corporis ſimul & ſemel in vno tantum loco eſt, vbicunque vult. Formula autem Concordiæ contra hanc doctrinam ne unum quidem teſtimonium ex tota Scriptura habet, ſed tantum Omnipotentiam Dei obiicit. Sin verò abſque aperto & manifeſto Verbo Dei, fides ſimpliciter omnipotentiæ Dei inniti deberet, eo prætextu defendi & excuſari poſſent omnia de Deo & religione figmenta.* Secundò, *hæc doctrina de omnipræſentia humanæ naturæ, Chriſtum omnibus proprietatibus veri & humani corporis ſpoliat, in quo ipſi ſimiles & conformes erimus, juxta Ioannem & Paulum: Deinde ex humana natura phantaſma facit, contra manifeſtum verbum Dei.* Tertiò, *ex tota ſacra Scriptura, ne vno quidem verbo probari poteſt, quod Chriſtus velit corpore ſuo carnaliter & corporaliter fidelibus ſuis adeſſe, eoſque cibare: ſed Chriſtus ipſe huic ſententiæ Capernaiticæ Ioan. 6. c. contradicit.*

Reſponſio ad tertiam quæſtionem.

Tertia quæſtio fuit: An credat *Peucerus,* quòd Chriſti Corpus ore in Cœna ſacra accipiatur ab omnibus qui accedunt, ſive fidem veram habeant, ſive non? *Reſpondet* Peucerus *ad hoc ex Paulo, qui abſque omni diſcrimine, de fidelibus & infidelibus ait, panem ab ipſis edi, & poculum bibi, & ex tota Scriptura ſacra nihil contra hoc proferri poteſt. De indignis clarè dicit Apoſtolus,* eos Corporis & Sanguinis Chriſti reos fieri, quòd Corpus Chriſti non diiudicent. *Diſcrimen, juxta Paulum, non facit ratio humana, ſed fides tantum. Ex quo ſequitur, indignos ideò non participes fieri Corporis Chriſti, quòd non credunt, nec diſcernunt fide inter hunc cibum, qui nos corpore & ſanguine Chriſti cibat, & alios communes cibos, &c. Hæc reſpondit* Peucerus *ad tres quæſtiones* 11. *Ian. anno* 1580. *in carcere.*

Iudicium de Reſponſionibus Peuceri.

Hoc Reſponſum cùm legiſſet Elector Saxoniæ, ad Secretarium, nobilem virum Iohannem Zſchammerum *converſus,* Quid dicam tibi? *inquit,* D. Peucerus credere non poteſt, Chriſtum naturâ ſuâ humanâ, ut divinâ, pariter immenſum, & omnipotentem eſſe. *Reſpondit ille*: Hujus rei habet magnas cauſas. *In Symbolo enim Athanaſii confitemur, quòd ſit* æqualis Patri ſecundum Divinitatem: minor Patre ſecundum humanitatem. Non ſunt, *inquit Elector,* hæc verba Athanaſii. *Et mox poſtulato libro, cum legiſſet, turbatus animo, expalluit.*

De ſepultura Peuceri ſi moreretur in carcere. Pag. 754.

Evenit nihilominus poſt hæc, quod comminatio præmiſerat. Nam quum carceribus perennibus addictus eſſet, & acceſſiſſet offenſa irritatrix nova, ex judicio de libro Concordiæ, & Reſponſo ad tres articulos propoſitos, de Sepultura, ſi moreretur in carcere, perſeverans in hac declaratione; quæſita eſt ſententia Conſiſtorii ſupremi Dreſdenſis, quod tunc recens conſtitutum erat pro libri Concordiæ exſecutione. Accedebat autem, ut febri ſatis difficili corriperetur: Quod cum cuſtodes carceris ſignificâſſent Præfecto, venit ille ad fores carceris cœnæ tempore, quærens quomodo valeat? Reſpondit: Id ignotum tibi eſſe non poteſt, cùm à ſatellitibus, bis cibum afferentibus docearis quotidiè, quæ ſit mea conditio. *Ille continuo,* Moriaris quandocunque voles, *inquit,* ſed hoc certò ſcias, quòd non admiſſurus ſim ad te quenquam, nec conſolationis, nec medicationis causâ. Nec ſepultura te ſollicitet, de qua mandata habeo, ut ſepeliam te ſepultura aſini, inter cadavera excoriatorum pecorum. *Cui reſpondit Peucerus:* Facilis jactura ſepulchri, cuique piè ſanctèque & in veritatis divinæ confeſſione conſtanter morienti. Sed hoc dico tibi viciſſim, quòd nec Elector necaturus me ſit, nec tu ſepulturus ſis: Idque ex me Electori ipſi ſignifices. *Hoc de Sepultura terriculamentum tunc eſſe tantum putabat* Peucerus: *ſed poſt liberationem certò comperit, rem ſeriam actam fuiſſe ex ſententia ipſa Conſiſtorii Dreſdenſis, cujus decretum hæc*

de re ad verbum, ut Germanicè conceptum fuit, ſic habet.

Decretum Conſiſtorii Dreſdenſis de ſepultura exuviarum Peuceri, ſi in carcere moreretur, anno 81. Maij. Pag. 755 756.

Gnedigſter Churfürſt / vnd Herr / auff ewer Churfürſtlichen Gnaden Befelch / haben wir D. Peucers ſchreiben in Vnderthenigkeit geleſen / und in Gottesforcht mit fleiß erwogen. Vnd ſo viel erſtlich die erklärung ſeines Glaubens anlanget / befinden wir / daß er im Artickel vom H. Abentmahl / nicht mehr dann wie alle Caluiniſchen thuen / nur ein Geiſtliche Nieſſung deß Leibs vnd Bluts Chriſti glaubet / wiewol er ſeine Meynung gantz argliſtig und verſchlagener weiſe verſteckt.

Von den andern ſtreittigen Artickeln aber beruhet er auff dem alten Corpore Doctrinæ, und wil keines wegs mit dem itzigen Concordien Werck / da die Irrthumben außgeſetzt und verworffen werden / zufriden ſeyn.

Daß hierauff ewer C. G. vnſer vnterthenigſt bedencken / begeren / ob ihme / D. Peucern / das Hochwürdige Sacrament zureichen / und / da er ſterben würde / ob er auch auff den Kirchhoff neben andern Chriſten ſolle begraben werden / können wir erſt nit rathen / daß ihm das H. Sacrament gereicht werden ſolte: Es ſey dann / daß er dieſen ſeinen Calviniſchen Irrthumb verwerffe / und ſich mit vns zur rechten Lehr / ſo im Concordien Buch verfaſſet / bekenne: Darneben auch das gegebene Ergernuß / und den groſſen Schaden / ſo er in dieſen Landen geſtifftet / erkenne / und von Hertzen berewe / widerruffe / und Gott und der Kirchen abbitte: Wo ferne das von ihme nicht geſchicht / können wir vns der groſſen Sünden nicht theilhafftig machen / daß der heylige Leib Chriſti von ihme / als einem Vnbußfertigen ſolte vnwürdiglich mißbraucht / und er in ſeinem Irrthumb geſtärcket werden. Zu deme daß er das H. Sacrament ihme ſelbſt nur zum Gerichte und Verdamnuß empfangen werde: Doch köndte er nachmals zuvor durch H. Doctor Selneckern / und iemandt anders Chriſtlichen vermahnet / und ſeines Irrthumbs erinnert werden: Ob er ſich vielleicht eines beſſern beſinnen / und gewinnen laſſen wolte.

Die Begräbnuß belangende / were wol nicht vnrecht / daß Ewer Churfürſtliche Gnaden andern zur Abſchew / ein ſonderlich Exempel an ihme / als dem fürnembſten Capitanen und Redelſführern / der ſo groſſen vnwiderbringlichen Schaden in der Kirchen Chriſti gethan / ſtatuirten: Aber weil ſolches etwa bey vnſeren Widerſachern den Papiſten / gegen rechtglaubigen Chriſten gerahten möchte / iſt vnſer vnterthenigſt Bedencken / Ewer Churfürſtliche Gnaden lieſſen ihn allein damit bedrauwen / und alſo in den Gedancken bleiben / als ſolte er nicht neben andern Chriſten begraben werden. Aber im Fall da er ſtürbe / laß man ihn ſine Ceremoniis auff den Kirchhoff hintragen / 21. *Datum 5. Maij, anno* 81.

In hoc decreto mentio ſepulturæ aſini prateritur, quam Capitaneus Lipſenſis in carcere expreſſerat, & Peucero minatus fuerat: & pronuntiatur, diſſimulatâ illâ, quòd tali dignus ſit, ſed non fore conſultum, hoc ut fiat, quod Pontificii exemplum hoc imitaturi eſſent adverſus alios rectè credentes.

Converſio rerum inter autores Formulæ Concordiæ & Schmidlini tyrannide erga eos Pag. 758

Interea autem dum iſta cum Peucero *captivo tractantur, ſubita, improviſa prorſus & inexpectata omnium rerum converſio accidit: quæ abſque omni dubio illuſtre teſtimonium & exemplum eſt judicii divini de hac tota Peuceriana Tragœdia. Qui enim ex conſpiratione fratres Cadmæi, iuſte, rectéque Formulæ Concordiæ & iniuſtiſſimo agendi modo, refragati fuerant, eos Schmidlinus ad carceres adactos tandem in exilium pepulit, iniuſtiſſimo obligatos promiſſo, ne cœptis & conatibus ipſorum adverſentur.*

Pauli Crellii horribilis mors.

Vaſtationis autem & everſionis Academiæ Vuitebergenſis Crellius *initium fecit, quod prodromus Damon per ſpectri terriculamenta fugatis è domo ipſius inquilinis ante adventum, tandem & ſpecie canis in ipſum ante mortem mordicus inſiliens portendit: impleto ſimul præſagio Electoris, qui ad operas ſibi addictas abeuntem, hac imprecatione proſecutus eſt, ſub ſigno manu efficta crucis:* Vade ergo, & quod cœpiſti, perfice. Sed dico tibi, ſi me deceperis, abripiat te diabolus.

De hoc mortis genere Crellii D. H. M. ſic ad D. Iohannem Iacobum Grynæum ſcripſit: Als Paulus Crellius D. Schmidels fürnembſter Patronus, der auch Corpus Doctrinæ nouum getrieben / auß Neyd und Haß gegen D. Peucern und Rachgierigkeit ſo weit kommen iſt / daß er mit Rath und That den Feinden der Warheit beyſtandt thete / und Tag und Nacht damit vmbgieng / wie er fromme Leut in groß Jammer und Leyden bringen möchte / Da iſt ein Hundt zu gebürender Raach ſeiner verruchte und Boßheit an ihn kommen / der ihm für ſeine Schmach und Laſterwort / auch Lügen die er fräffner weiß vber fromme Leut auß gegoſſen / den wolverdienten Lohn geben hat. Dann dieſer Hunde hat ihn bey der Gurgell erwitſchet / und ihm nicht allein die Rede genommen / ſonder ihn mit ſeinem Wühten dermaſſen vergifftet / daß er der Sinnen beraubet / und mit ſchrecklichem Heulen / wie ein wühtender Hundt / verſcheiden iſt. *Dicant jam etiam, ut de Stœſelio, hoc ipſi ob defectionem ab orthodoxa ſententia ad Vbiquiſtarum doctrinam de Perſona Filii Dei & Cœna Domini accidiſſe.*

Schmidlinus mala cum gratia dimiſſus è Saxonia.

Hunc ergo ultionis divinæ exemplo illuſtri prius exturbârat Schmidlinus, *ut ipſe ſolus regnaret. Sed nec ipſe tyrannide ſuâ impiâ diu* ga-

gaviſus eſt. Malè enim cum gratia ab Electore Auguſto *è Saxonia dimiſſus eſt, ubi fraudes, impoſturas, ac dolos ejus cognoviſſet. Gloriatus ille quidem eſt multa in quodam ſcripto de ſua vocatione in Saxoniam, & benigna dimiſſione:* Superioribus, *inquit*, annis varia certamina in Eccleſiis Saxonicis excitata ſunt: ad quæ componenda inter alios Theologos ego quoque ex Suevia per Auguſtum Ducem Saxoniæ evocatus ſum, poſtquam verò negotium in regno Electoris feliciter ſucceſſit, Celſitudo ejus latius propagandum judicavit. Re igitur ad alios Auguſtanæ Confeſſionis Imperij Germanici addictos, Electores, Principes & præcipuos Ordines relatâ, maxima pars aſſenſit. Cùm autem quidam Ordines in quibuſdam articulis hærerent, per aliquot tempus teſtificatio conſenſûs publici extracta fuit. Interea dum reliqui Principes Imperii & liberæ Civitates de hoc negotio cogitant, Saxoniæ Elector in Scholarum & Eccleſiarum inſtauratione laborat: cujus rei causâ ad quintum annum me ſecum retinuit. Quia verò cùm extra Electoris regnum, tum etiam intra eiuſdem fines, hoc negotium multis ſuſpectum redderetur Calvinianæ ſectæ clam addictis, ne poſt meum diſceſſum ex Saxonia vociferari poſſent, v[illegible]agis quàm veritate & cauſæ bonitate omnia geri, paulò ante diſceſſum meum ex Saxonia, Vuitebergæ in Academia diſputationem de Cœna Domini & Perſona Chriſti publicè propoſui, eamque diebus quatuor integris & continuis, uno ſaltem interpoſito, perpetuavi, provocatis omnibus omnium profeſſionum Doctoribus & diſcipulis, extraneos quoque, qui advenerant ex vicinis provinciis Theologis: & demonſtravi, doctrinam de his duobus articulis in Libro Concordiæ comprehenſam, & per Lutherum in illa Schola propoſitam verbi Dei ſententiam eſſe. Cuius rei ad minus homines millè, Profeſſores, Studioſos & Eccleſiarum miniſtros teſtes habeo, qui auditores & ſpectatores fuerunt. Inter quos & Calviniano prius errore involuti, opponebant argumenta & urgebant ſtrenuè: tandem convicti palmam ei teſtificatione publicâ tribuerunt. His omnibus peractis, rurſus per literas à Duce Vuirtenbergenſe revocatus, dimiſſionem per literas, ab Electore peto, quæ mihi non ante conceſſa eſt, quam Academia Ienenſis quoque viſitaretur, quæ & ipſa infecta fuit. Inde reverſus dimiſſionem impetravi, gratam fuiſſe operam teſtatus, Duci Vuirtenbergenſi gratias egit ſcriptis literis pro opera conceſſa. Deinceps munere liberali, curru & equis donatis, comitatum ſuis aliquot equitibus ad meum Principem ſuis quoque ſumptibus remitti.

Schmidlini abfertigung vom Churfürſten zu Sachſen *è Peuceri hiſtoria Carcerum pag. 759. &c.*

Sed vanitatis hanc gloriationem convincit ſcriptum Electoris, quod Secretario Ienilio *dedit, & juxta ejus formulam* Schmidlinum *dimittere juſſit. Id de verbo ad verbum, ut Electoris manu exaratum eſt, ſic habet.* Erſtlich/ wuſte ich mich meiner/ und ſeiner Schreiben wol zuerinnern/ wuſte auch daß ich meine Brieff in keiner andern Spraach als Deutſch geſchrieben. Daß er ſie nun ungütlich und ubel verſtunde und auffnehme/ das ſtelte ich an ſeinen Orth/ wie ihme mit der Zeit wol ſoll angezeiget werden/ was mich darzu bewogen. So hette ich auch ſeine Entſchuldigung/ ſeiner Bitte nach verleſen/ und lieſſe dieſelbe auff ſeinem werth und unwerth beruhen. Hette auch keinen Zweiffel/ wann die Leute/ ſo in ſeiner Verantwortung angegriffen/ der Dinge berichtet würden/ wie dann geſchehen ſoll/ ſie werden ſich/ ein jeder inſonderheit/ oder ſämptlich ihrer Gelegenheit nach/ zuverantworten wiſſen. Was meine Perſon anlanget/ wüſte ich mich nicht zuerinnern/ daß ich ihme Urſach gegeben/ meine Gnade und Ungnade gering zuachten/ da ich doch/ ſondern ruhm/ ihme den Rücken gehalten/ daß er nicht den Propheten lohn empfangen. Wie er abgeſcheiden/ wüſte er am beſten: Ein mal wüſte ich mich zuerinneren/ daß ich ihme mein lebenlang nichts böſes gethan/ was mir aber von vielen glaubwürdigen leuten warnungs weyſe von ihme geſagt/ und zugeſchrieben/ das were jetzo zulang zuerzehlen. Das müſte ich aber bekennen/ daß die ſelben auff den zweck geſchoſſen/ Dann ein mal gibt man ihm dieſe ſchuld/ daß er nichts geſtehet/ was er im gifftigen gemüth/ von andern leuten hohes und nidriges ſtandes perſonen redet. Und ſolches iſt ein Bübenſtuck/ und redet ſolches nicht der heilige Geiſt/ ſonder ein verlogner Teuffelopfaffe/ darbey müſte ich es auch bleyben laſſen. Was die reden/ ſo meine perſon anlangen/ ſo in Doctor Selneckers buch angezogen/ betrifft/ gunnete ich ihme ſeine vermeinte verantwortung gerne: Ich wölle ihme auch gerne zuſehen/ ob er die ſelbe wird alſo außführen/ wie er ihme/ als der oberſte Hohepriefter/ vorbildet/ und ſol ſich hierüber aller gnade und ungnade/ nach ſeinem verdienſt von mir zuverſehen haben. *Actum anno* 80.

Idem Elector Auguſtus *etiam ſanctè coram aliquot Principibus teſtatus eſſe dicitur à Kemnitio*, Se quatuor tonnas auri daturum, ſi Polypragmona & garrulum iſtum Suevum in ſuam ditionem nunquam vocâſſet, aut vocato non adeo ſe præbuiſſet credulum.

Schmidlino ſucceſſerunt nihilo meliores. In hiſtoria Peuceri carcerum. Pag. 761

Dimiſſo & pulſo ad hunc modum Schmidlino *è Saxonia, ſucceſſerunt alii nihilo meliores illo, qui veſtiebant Idolum panis. fucatum pallio, nomine quidem in ſpeciem alio, reipſà verò eodem.*

eodem. Quod illi enim Maieſtaticum Corpus *erat ex reali communicatione Idiomatum, ſeu Eutychianâ confuſione divinæ naturæ cum humana, hoc iſtis* hyperphyſicum *eſſe prædicatur & miraculoſum: reverâ autem cum Pontificiis* Magicum. *Inter hos antecellebat alios* Selneccerus *Protheus in Religione & Vertumnus. Quem ſuimetipſius inſcitiæ conſcium, inexplebilis tamen ambitio perpulit, ut non puderet eum,* Examen D. Philippi Melanthonis, *orthodoxorum omnium ſuffragiis, & vſu publico comprobatum, revocare ſub incudem ſuam, & cœno cenſuræ ſuæ ad compilatas ſine judicio rhapſodias examinatum, contradictionibus perpetuis commaculare ac deformare: quibus vnus ex Cadmæis fratribus* Kemnitius *interrogatus quid tribueret, reſpondit:* Talia eſſe, qualia ſint, quæ ſine judicio corradantur ab eo & congerantur. *Tulit hoc de eo judicium* Kemnitius *eo tempore, quo pro* Schmidlino *profligato à* Kemnitio *factionis Vbiquitariæ anteſignano, ipſo &* Kirchnero *ſuffragatore, Apologia libri Concordiæ ad Cadum vinarium Erphordiæ anno 83. fabrefacta eſt.*

Kemnitii judicium de Selneccero. Pag. 762.

Interea quum Peucerus ſpem omnem liberationis abjeciſſet, & ſibi omnino in carcere moriendum eſſe perſuaſum haberet, Teſtamentum conſcripſit in carcere, diſtinctis quidem, ſed tamen per literas combinatis chartulis, in defectu plenioris chartæ: in quo & veras cauſas captivitatis ſuæ exponit, & gratiam Dei ſingularem, quâ ſuſtentetur & conſervetur, celebrat: Tum etiam generos & liberos ad timorem Dei, conſtantiam in agnita veritate & veram Concordiam hortatur. Dilectiſſimi generi, *inquit,* & liberi mei, ſcitote omnes, quòd nullâ re, vel minimâ læſerim aut Illuſtriſſimos Principes, aut quenquam alium: ſed mearum perſecutionum, quas ſuſtinui, & carcerum, una hæc & ſola eſt cauſa, quod Confeſſionem agnitæ veritatis in duobus Articulis de Chriſto, vero Deo & homine, in vna inconfuſa & inſeparabili Perſona, & de vera ejus præſentia in Cœna ſacra, abiicere & abjurare, & juratus hoſtis Filii Dei fieri, & ſupplex deprecari non volui: hoc ipſum tanquam ſingulare & atrox ſcelus, quod hanc doctrinam amplexus, & meo loco, vbi debui, profeſſus ſum, quanquam languidius & timidiùs id fecerim, quàm debui, quod deploro & deprecor in conſpectu Dei toto corde meo aſſiduè. Nolite ergo dubitare, Deum judicem & vindicem fore, & veritatis, & gloriæ Filii vnigeniti Ieſu Chriſti, & meæ innocentiæ. Expoſui cauſas maximas ac graviſſimas Illuſtriſſimo Principi, propter quas diſcedere ab hac æterna & immota veritate cœleſti non poſſim, & fundamenta demonſtravi in vtroque Articulo talia, quæ contra nec ipſæ inferorum portæ prævalebunt. Sed quia contradicere his vllo Scripturę teſtimonio nequiverunt, ne verbo quidem vno mihi reſponderunt, ſed pertexerunt me affligere carceribus inclementius quàm antea, iis etiam mutatis, quę in medicamentorum vſu antea mihi conceſſa & libera fuerant: parcius enim illa mihi permittenda eſſe, mandatum fuit, & ſecuta eſt mutatio victûs, quæ multo quam prior deterior fuit in omnibus: Præfectus enim me pavit penè non ut hominem, aut certe ut abjectiſſimum hominem. Sed ignoſco omnibus ex animo. Hæc de mea innocentia vobis nota eſſe cupio, & ut nota fiant, Deo procurante, toto precor pectore. Vos omnes ardentiſſimis votis & in hac & in illa æterna & beata vita Deo commendare non deſinam: Timete Deum: obtemperate Deo, & meis, quæ dedi vobis, mandatis. Diligite vos invicem ex animo & mutuis officiis juvate. Habete vobis commendatas ſorores duas, miſeras orphanas, cum filio Philippo, & date operam, ut honeſtè elocentur. Hæreditatem, quantulacunque eſt, dividite inter vos amanter, ſervatis illis, quæ antea ordinavi. Ego me totum & animam meam aſſiduis gemitibus commendo Deo per & propter Filium Ieſum Chriſtum, Dominum & Salvatorem meum, in cuius confeſſione, adjuvante Spiritu Sancto, perſeverare conſtanter & piè mori conſtitui, quandocunque Domino Deo noſtro placuerit, cui ſervio in confeſſione Filiĩ vnigeniti per Spiritum ſanctum, exſpectans ſpem gloriæ & adventum magni Dei & Salvatoris Ieſu Chriſti. Veni Ieſu Chriſte Fili Dei, & fac finem vel vitæ meæ, vel carcerum, ut te celebrem vel cum electis tuis coram, vel cum Eccleſia Sancta tua in hac vita, teſtis & præco veritatis & mirabilium tuorum omnibus diebus vitæ meæ, Amen.

Peucerus teſtamentum ſuum in carcere ſcribit. Teſtamenti Peuceri ſumma. Carcerum Peuceri vera cauſa. Vide initium hiſtoriæ carcerum Peuceri.

Hortor etiam & obteſtor vos omnes, ut gratias agatis Deo Patri, per Filium Ieſum Chriſtum, quòd & conſervavit me, in veritatis confeſſione, & illuſtribus teſtimoniis præſentiæ ſuæ oſtendit, & declaravit mihi miſericordiam ſuam toto hoc tempore carcerum meorum, quos mihi ſuſtinere ac perferre fuiſſet impoſſibile, niſi me Deus manifeſto miraculo ſervaſſet ac ſuſtentaſſet. Vtinam vita mihi prorogaretur ad hæc tanta beneficia vobis commemoranda, & commendandam ac præcipiendam vobis perpetuam gratitudinem erga Deum. Inprimis autem agetis Deo gratias pro hoc ſingulari beneficio, quod quaſi dexterâ ſuâ me deduxit & collocavit in hanc viam & vocatio-

tionem confitendæ & illuſtrandæ ſuæ veritatis, patefactis occaſionibus, & in ea me docuit, adjuvit, confirmavit & direxit. Certus ſum, quòd, vel ſi rumpantur inimici mei, refutaturi non ſunt confeſſionem meam. De hoc ergo, & de admiranda mei liberatione, & conſervatione, quòd non paſſus eſt me opprimi primo impetu & conſumi, & in iſtis carceribus per Angelos ſuos me ita fovit, curavit, ſanavit, penitus deſertum ab omnibus, & omni ſolatio, conſilio & auxilio humano deſtitutum, ut nec vermiculus, nec puſtula mihi moleſta fuerit: Deo gratias agetis ſempiternas, & in his terris omnibus diebus vitæ veſtræ: Nihil moveamini hoc fato meo, quòd in carcere morior. Quid mihi ſalutare magis? quid honorificentius? quid glorioſius accidere poteſt? quam ſi Domino meo Ieſu Chriſto obſignem veritatem & gloriam ſuam morte meâ? nec dubitate, Deum vobis omnibus benedicturum & benefacturum eſſe propter me. Hac conſolatione leniatis vobis mutuò luctum, quem afferet vobis interitus meus. Ego ad beatam migrationem paratus exſpecto Dominum & liberatorem meum Ieſum Chriſtum ad omnia momenta, ut educat me ex hoc carcere vel ad vos, ſi volet me eſſe ſuperſtitem, vel in Eccleſiam cœleſtem ut in ipſius complexu, cum mea dulciſſima coniuge, ſocero dilectiſſimo, avo veſtro, lætus Patrem æternum aſpiciam & celebrem, Amen.

Exemplum omnium ſcriptorum, quæ miſi ad Illuſtriſſimum Principem, teſtamenti & hæreditatis loco, vobis reliqui. Id, ſi inter reculas meas non inveneritis, petere tanquam jure vobis debitum poteſtis, ut ſciatis, in qua confeſſione mortuus ſum. Paulatim conſumtus ſum toto pectore, abſque dolore & moleſtia, ſingulari Dei miſericordiâ. Ex carcere inde vſque à die 23. Martij, Anni 1577. nunquam ſum eductus. Tentaverunt me multis modis, denuntiatâ mihi morte, & tetris carceribus, ſed Deus clementer me conſervavit in veritatis ſuæ confeſſione: cui ſit laus, honor, & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Dixit Chytræus *de* Philippo; *Tollendum eum eſſe, ne impediat hoc, quod ipſi moliantur in hac ipſa cauſſa.* Quod in ſocero non potuerunt, hoc perficiunt in genero: Sed benedictus ſit in ſecula Dominus & Salvator meus Ieſus Chriſtus, qui potens eſt in mea infirmitate. Deus vltionum appare. Exalta te tandem, qui judicas terram. Iudica cauſſam, vindica gloriam; affere veritatem Filij tui vnigeniti, & tu Ieſu Chriſte, Fili Dei, qui dominaris in medio inimicorum tuorum, reprime & confunde hoſtes tuos, pertinaciter adverſantes veritati & gloriæ tuæ. Sanabilibus ignoſce, hos converte ad te in veritate tua, & ſana eos, Tibi commendo & trado in manus tuas omni momento, animam meam, impendens hanc vitam meam in teſtimonium veritatis tuæ, tu me redemiſti precioſo ſanguine tuo, propter te mortificor totâ die, & æſtimor ſicut ovis deſtinata mactationi, fac finem, fac finem, fac finem, & libera me ſecundum beneplacitum tuum, Amen.

Quantò mihi dolori fuerit, quòd complecti mihi dilectiſſimam conjugem meam, matrem veſtram morientem non licuit, cum qua in caſtiſſimo conjugio vixi vſque ad Annum 27. & quòd nunc mihi non conceditur mori in veſtris amplexibus, & frui ante mortem aſpectu & colloquio veſtro, & dulciſſimorum meorum nepotum, ac neptum, æſtimare vobis facilè eſt; quibus mea philoſtorgia nota eſt: Sed tales ſunt nuptiæ Sanctorum. Scribitur Petrus Apoſtolus coniugi ſuæ dixiſſe, cum duceretur ad mortem: Chriſtus inquit: Si quis parentes, coniugem & liberos plus diligit, quàm me, non eſt me dignus: Oportet itaque confeſſionem Chriſti anteferri rebus omnibus humanis. Hac atroci vòce Chriſti & auxilio Spiritûs ſancti, vici paternos affectus, & relictis vobis, adhæſi Chriſto, cui vos & Deo Patri ex meis ardentiſſimis precibus, curæ fore non dubitetis. Bene & feliciter valete in æternum, Amen. Anno 1584.

Selneccerus, *faſtu tumens Anno* 1585. *Auguſto menſe ad Peucerum*, Schiltero *collegâ miſſus eſt, cum mandatis, affectatâ & vſurpatâ poteſtate, & authoritate Pontificiâ*, Schiltero *diſputante, ipſo interpellante quoties libebat, tam inſolenter* Peucerum *tractabat, ut priores omnes, quotquot eum convenerant, ferociâ ſuperbiæ, atrocitate minarum & fulminis aulici terriculamentis ſuperaret.* Non dubites, *inquit*, hoc beneficium fore gratiæ veteris vltimum, quod tibi præſtatur, niſi fueris aſſenſus nobis. *Cui reſpondit*: Quis tu es, qui te conſiliorum Dei arcanorum conſcium eſſe putas? An vero in manu tua eſt cor Principis? & quâ impudentiâ & arrogantiâ arrogas tibi, quod ſolius Dei eſt? Ego verò idem ſentio quod tu, Fore nimirum hoc vltimum, ſed minimè eo eventu, quem tu præſagis, idque tibi certò perſuadeas. *Ex diſputatore vero* Schiltero *cum intelligeret* Peucerus *Vbiquitatem, quæ ſola producebatur præſtigiis, velo verborum quidem novis ac diverſis;*

Colloquium minaciſſimum Selneceri & Schilteri cum Peucero in carcere.

In hiſtoria Peuceri carcerum, Pag. 763

verſis, *reipſâ tamen iiſdem palliari*, *converſus ad* Selneccerum, Iſta, *inquit*, an congruunt Schmidelianis, quæ tu in hoc ipſo conclavi ex eo audiviſti? *Ad hæc ille:* Quid nobis cum Schmidelino, à quo nos diſſentire oſtendimus palàm. *Peucerus rurſus*: Egregia ergo hæc concordia eſt, cui ſuffragari me cogitis. Conſtituite vos diſcordes architecti prius inter vos, quæ ſit veſtra fides, poſtea de ea diſceptabimus.

Ex hoc colloquio vterque, Selneccerus *&* Schilterus, *chartis variæ ſparſerunt, quæ* Peucerus *Sanctè teſtatus eſt & affirmavit, calumnioſè depravata eſſe.* Dixi tunc, *inquit*, quod dicturus ſum ac celebraturus quoad vixero, & in omni æternitate coram Deo, ac tota Eccleſia cœleſti Angelica & humana profeſſurus, dixi, inquam, & in eo gloriatus ſum, glorior ac gloriabor, quòd præter ſpes & exſpectationes omnium hominum à Deo ſolo mirabiliter & miraculoſè protegar, conſerver, docear, regar, lætificer, & confirmer non tantùm Corpore, ſed & animo, ſpiritu ac fide, evidenti ſenſu virtutis, efficaciæ & conſolationis vivificæ in corde meo, inter preces & meditationes pias ac perpetuas adverſus tela ignita diaboli, & carnis meæ colaphos, & inimicorum immania odia, ac Sycophantica ac funeſta molimina, ac tali quidem ſenſu, ut non dubitem, me vocatum eſſe, atque in hac velut ſtatione collocatum divinitus, ad veritatis confeſſionem & aſſertionem, & Deum, qui per annos totos novem, in mediis faucibus, inque ipſis dentibus orci, diaboli & inimicorum meorum deſtitutum ab omni ſolatio, ac præſidio humano, munierit, texerit, ac ſalvaverit, glorioſè tandem etiam me liberaturum eſſe. Nec terriculamenta iſta me ad abnegationem veritatis adactura eſſe.

Pag. 764. *Hæc ſunt quæ dixit* Peucerus. *Inimici autem ejus, quod ſemel, ut ipſemet teſtatur, ex commotione animi & vocis, contentione paulò vehementiore irritatus toties blaſphemiis, impudentiâ, audaciâ & rabie tam manifeſtâ, levi Syncope interloquendum corriperetur, protinus ipſum ut abiectum à Deo ac deſertum argumento deliquii huius, tandemque ut mente captum lymphaticum, delirumque prorſus, imo ut Dei manu tactum, proſtratum, etiam ex cathedra Lipſica proclamârunt. Quo exemplo debet eſſe orthodoxis & piis* [illegible]*, ne cum hypocritis, ſophiſtis, ſycophantis,* [illegible] *demonſtratæ atque evictæ veritati* [illegible]*ter adverſantibus, in occulto, & in carceribus abditis inprimis, committi ſe patiantur.* Pag. 765. *Sæpius provocavit ad Electorem ipſum* Peucerus, *ac petivit ſupplex ut audiat ipſum coràm: id verò impetrare non potuit, non tamen Electoris culpâ, ſed hypocritarum, & Gnathonum iſtorum in aula & templis. Hoc erratum ſuum, quod Elector tandem agnoverit ac deplorarit, ſitque execratus illos, à quibus deceptus fuit ac ſeductus, demonſtravit ſententâ ſuâ in* Schmidelinum, *& ſermonibus aliis ad ſummos Principes, & conſiliarios ſuos de opere ipſo Concordiæ.*

Poſt hunc actum Harmoſtæ iſti mittebant ad Peucerum *in carcerem per Capitaneum libros*, Pag. 766. *quos pro ſtabilienda Formula Concordiæ emiſerant.* Selneccerus *mittebat compilatam farraginem & adornatam ad Examen* Philippi *diſcentium manibus excutiendum: & Apologiam Concordiæ contra aſſertores veritatis ad Cadum vinarium Erphordiæ comparatam:* Schilterus *ſuam brevem & perſpicuam: ut nominavit, declarationem, nuſquam veritatis, nuſquam ſibiipſi congruam, aut cohærentem, cum teſtificatione de ſua erga eum voluntate & affectione bona, ac flagitatione, ut de lectis illis libris quid ſentiat, proferat, ſe non gravatim colloquii de iiſdem cauſſâ ad eum redituros, quoties velit, aut opus ſit futurum. Reſpondit eis per eundem Capitaneum, magno eum quòd beneficio affecerint communicatione ſuarum editionum: ignota enim penitus fuiſſe ſibi hactenus, quæ publicatam & nunc in Eccleſiis Auguſtanis Confeſſionis graſſantem Chimaram conſecuta ſint, & quo ſint in loco & ſtatu certamina Eccleſiaſtica. Multum itaque ſe debere ipſis, quòd ſua ad ſe ſcripta miſerint, de ignotis atque incompertis ſibi in hac triſti ſolitudine & ad veritatis agnitæ aſſertionem adverſus blaſphemias, & præſtigias ipſorum, quòd eum inſtruxerint & armârint. Ad Colloquia autem & collationes de iiſdem alias, niſi publicas, quod eum pertracturi in poſterum nō ſint, rogareq; eos ut hoc certò credant. Si non diffidant cauſæ ſuæ, cur ſua ſola ei obtrudant, & non adiiciant adverſa, ut ſit ei judicium de vtriſq; liberum? Non ſufficere, quæ allegata ex veteribus & recentibus detorta ſint arbitrio & libitu ſuo pro, & contra, ad ſuas blaſphemias in perſonam Filii Dei, & idolum magicè conſecrati panis ſtabiliendum: & ad cæcitatem imperitæ atque ab ipſis faſcinatæ multitudinis augendam. Hoc fine colloquia omnia inter ipſos deinceps conſiluerunt.*

Antagoniſtæ autem Peuceri, *ut diximus,* Pag. 767. Reſponſio Peuceri ad duas quæſtiones. *pervulgârunt chartis ſuos triumphos de ipſo penè enecto, & ad inſaniam adacto. Non fuerunt tamen diuturni triumphi iſti. Mox enim altero menſe Septembri mittebat ad* Peucerum *Elector pagellam iterum, quæ omiſſa prorſus communicatæ omnipotentiæ & Vbiquitatis mentione, impudentiam ſtolidi Thraſonis Theologici redarguebat, & duas tantum quæſtiones proponebat, ſimulque ſi liberari vellet, exigebat conſenſum cum Theologaſtris ſuis. Ad ea reſpondit Peucerus ut ſequitur.*

Auff

Declaratio Peuceri de duobus articulis poſtremò ſibi in carcere propoſitis Pag. 768

Auff den erſten Punct / von dem heiligen Abentmal / gläube und bekenne ich von grund meines hertzens / daß ich im heiligen Abentmal empfange den wahren leib und blut Chriſti / wie mein Herr / und Heyland Jeſus Chriſtus ſelbſt warhafftig / und weſentlich gegenwertig in meinem hertzen / mich mit dem ſelben / durch ſeinen H. Geiſt ſpeyſet / und warhafftig mich mit ſeinen wahren lebendigen leibe / als ein wahres lebendiges gliedmaß vereiniget / wenn mir der Diener die euſſerliche ſichtbarliche mittel / deß brots und weins darreicht / die darum geordnet / und eingeſetzt ſind / daß ſie mich / als euſſerliche / ſichtbarliche Zeichen / von der inneren / vnſichtbaren wahren ſpeyſe / die mir der Herr Chriſtus mittheilet / erinnern ſollen / und meinen glauben erwecken und ſtercken / nach der klaren hellen lehr / Ordnung und einſatzung deß Herren Chriſti ſelbſt / nach der erklerung deß Apoſtels Pauli / und nach dem rechten brauch deß Sacraments in der erſten reinẽ Kirchen. Die Papiſten haber haben auß dem geſegneten brot / einen Gott gemach / darauß groſſe Abgötterey / Irrthumb / und Mißbreuche erwachſen ſindt / zu den ſelben bekenne ich mich nicht.

Pag. 769 Auff den andern Punct / was die andere ſtreitige Artickel in der Chriſtichen lehre anlanget / bekenne ich / und habe mich ieder zeyt bekannt / wil mich auch in alle ewig keit bekennen zu der lehre dieſer Lande und Kirchen / wie die ſelbe vom anfang an iſt erkleret / und durch vi und groſſe kempffe / diſputationes / Schrifften und gefahr / auff Reychßtägen / und ſonſten / erhalten / erſtritten / und beſtetiget worden / durch die außerwehlte werck zeuge / die Gott darzu erweckt hat / und mit ſeinem H. Geiſt erleuchtet / und regieret nach laut und vermögen des Corporis Doctrinæ / dieſer Kirchen / in welcher lehre alle die erſten / und alten Lehrer und Seelſorger / dieſer Landt / und Kirchen / ſampt vnzehlich vielen frommen leuten ſehligklich im Herrn Chriſto entſchlafen ſind / und nu ruhen mit den ſelben wil ich / Ob Gott will / mein ende / in veſtem / beſtendigem glauben / und einhelligem bekenntnis der lehre / ſo von ihnen geführet / auch ſchlieſſen und in künfftiger aufferſtehung / Gottes angeſich frölich ſehen / zu der neuwerung aber der ietzigen Lehrer und Theologen / bekenne ich mich nit / ſondern befehle mich Gott.

Pag. 770 Vnd veil es vmb meine ſchwachheit alſo gewandt / daß ich alle ſtunde / und augenblick warte / wenn mich mein Herr Jeſus Chriſtus abfordert / nach ſeinem wolgefallen / ſo bitte ich abermals zum vnderthenigſten / flehelichſten / und vmb Gottes willen / mein Gnedigſter Herr und Churfürſt / wolle mir das hochwirdige Sacrament nicht wegern / auch nicht lenger abſchlagen / und entzichen / Notürfft / ſonderlich von Artzneyen / / Sterckungen und labungen / ſo lange es mit mir wehret / da es auch zuerhalten iſt / daß mich ihre Churfürſtliche Durchleuchtigkeit / in mein Kindern wieder geben / und bey ihnen mein ende wolle ſchlieſſen laſſen / darfür wil ich Gott von hertzen widerumb bitten / daß er ſolchs ihren Churfurſtlichen Gnaden reichlich vergelten wolle / an ewiger und zeitlicher wolfahrt / Amen.

Cur Peucerus in carcere Euchariſtiam petierit.

Quòd autem in Appendice hujus reſponſionis uſum Cœnæ Sacræ ſibi permitti poſtulavit, id à ſe hoc conſilio factum eſt, ut apud imperitos, ſed bonos viros ex ſatellitio militari, qui ipſi optimè cupiebant ex vera commiſeratione, ſed perpetuò occinebant, atque inculcabant profanitatem & contemptum Sacræ Cœnæ, ſuſpicione iſtius contemptus ſe liberaret. Diſertè autem ad hos teſtabatur, quod duo ſibi obſtiterint hactenus, & adhuc obſtent, quod ad uſum & ſumptionem ſe admiſſuri illi non ſint: imò niſi approbet commentitia, blaſphema & idololatrica ipſorum deliria. Deinde, niſi veritatem, pro qua tulerit omnia hucuſque abjuret. Neutrum vero ſe facere poſſe, nec velle, idcirco irritum fore quicquid conentur hac in parte. Sed & ita ſe edoctum atque confirmatum eſſe animo, ut ſciat, quomodo ſe, ſi potiri eâ nequeat, conſolari meditatione & fructu illius debeat, verâ, vivâ & efficaci fide, ſecundum verbum patefactum virtute Spiritus Sancti.

Hanc declarationem cum Elector legiſſet, à nobili viro, Iohanne Zſchammero, Secretario intimo exhibitam, & converſus ad illum, Laudo *inquit,* D. Peucerum: facit, quod viro bono dignum eſt, perſeverat in ſua confeſſione firmiter & conſtanter. Ego quid credam, & in quo acquieſcam, incertus ſum prorſus, quod Deus novit. De die enim in diem aliquid novi ſacrificuli mei cudunt & proferunt, ex uno me errore in alium pelliciunt, atque implicant dubitationibus perpetuis. *Hæc præſentibus multis optimis ac præcipuis viris recitavit Peucero aliquot annis poſt ſuam liberationem* Zſchammerus *ipſe, & repetivi eadem ad alios, quæ poſt liberationem ſuam teſtimonia plurium aliorum ex Conſiliariis repetita confirmarunt: Retulit eadem ex ore Electoris audita, ad multos Illuſtriſſ. Princeps Landgravius Vuilhelmus.* Pag. 772

CAPVT XL.

Admonitiones, cenſuræ & judicia Chriſtiana de Libro Concordiæ, in lucem jam edito

Iudicium Neuſtadianorũ Theologorum de Formula Concordiæ. Sæpius Bergenſium in Formula Concordiæ.

ANNO 1581. *edita eſt* Neuſtadianorum *Theologorum & Miniſtrorum Eccleſiarum in ditione Illuſtriſsimi Principis* Iohannis Caſimiri *Palatini ad Rhenum, &c.* Admonitio *de Libro Concordiæ in lucem jam edito. In ea* PRIMO *omnium indicant, quem ſcopum compilatores & fabricatores hujus Libri ſibi in eo propoſitum habuerint.* In hoc Libro, *inquiunt*, repeti-

repetiverunt opinionum quarundam falſarum & obſoletarum refutationes, & condemnationes, quarum pleręque partim ſolidis aliorum refutationibus, partim ſuâ abſurditate conciderunt, & ferè hac ætate, quâ ſunt exortæ, etiam mortuę cum ſuis authoribus ſunt, atque ſepultæ: Conſilium autem & ſcopum eorum hunc fuiſſe, res ipſa loquitur, & ipſi non diffitentur, ut in illarum opinionum cumulum conjectam veram de Chriſti Domini noſtri Perſona & myſtica Cœna doctrinam, quam aliæ Eccleſię profitentur, ſimul cum illis condemnarent, & ex Eccleſia ejicerent. Et quia omni idoneorum argumentorum robore deſtituti, atque iis etiam, quibus cauſam ſuam populo venditabunt, coloribus exuti, ad confictam nuper Corporis Chriſti *Vbiquitatem* ſeu *Omnipotentiam* confugerunt, ut quia ubique ſit, etiam in pane Euchariſtico illud eſſe obtinerent, veterem errorem novo atque antehac in Eccleſia Chriſtiana, tam ante, quàm poſt natum Papatum, inaudito cumularunt: eumque in hoc libro, oppreſſa irrefutabili veritate per magiſtratuum authoritatem, & poteſtatem politicam, ac ſuffragatorum multitudinem, Eccleſię obtrudere conati ſunt. Quod ut perficiant, hunc librum volunt haberi ab omnibus pro Regula & Norma diſcernendi veram Doctrinam Religionis à falſa, Orthodoxos ab hæreticis, & pro ultima Auguſtanæ Confeſſionis declaratione, cui nihil deinceps addi poſſit aut debeat à quoquam, & à qua nemini liceat diſcedere: ſi quis autem diſſentiat, vel Confeſſionem Auguſtanam aliter intelligat, his tanquam hæreticus jam declaratus, & ad carceres vel exilia condemnatus, ex Eccleſia & pace Religionis excludatur atque proſcribatur.

Neuſtadiani repetunt orthodoxam ſententiam de perſona Chriſti & eiuſdem Cœna contra Bergenſes.

SECVNDÒ, *repetunt Orthodoxam Doctrinam noſtrarum Eccleſiarum de duobus Articulis ob quam noſtras Eccleſias potiſſimum condemnant in libro, videlicet de Perſona Chriſti, & Sacra eius Cœna, ut omnes intelligant, noſtros, quos Sacramentarios vocant, nihil Verbo Dei, Symbolis & veteri Eccleſiæ non conſentaneum credere & profiteri: Nempe, quod ad Perſonam attinet, Chriſtum de matris ſuæ ſubſtantia, Naturam verè humanam, animâ rationali & Corpore conſtantem, in unitatem ſuæ Perſonæ aſſumpſiſſe: eam ſibi non tantum ipſe inſeparabiliter: ſed etiam arcano & inſcrutabili, arctiſſimo & ineffabili modo ac vinculo adjungentem & copulantem, ut æternus Dei Filius, & maſſa Naturæ aſſumptæ ſimul ſine ſubſtantia unius Perſonæ Chriſti, qui unus & idem ſit verus Dei & hominis Filius, verus Deus & verus homo, ab æterno ex patre, & in tempore ex virgine genitus. Neque enim ſic tantum eſſe in Chriſto Divinitatem, ſicut omnibus creaturis adſit ad earum conſervationem & gubernationem: neque tantum ſicut in Sanctis habitet, per gratiam & Spiritum ſuum, eos ſibi conformes facientem: ſed ſic inhabitare & geſtare, movere & vivificare* λόγον *hanc carnem ſibi propriam, ut cum ea in unitatem Perſonæ ſemel ſibi aſſumpta, ſemper unius ejuſdemque perſonæ Chriſti maneat ſubſtantia. Non tamen mutatas, aut permixtas, aut confuſas eſſe duas Naturas in Perſona Chriſti; neutram in ſubſtantiam, aut partem, aut Naturam alterius mutatam eſſe, vel proprietatibus eſſentialibus aſſimilatam, aut exæquatam alteri, ſed unitas pariter & diſtinctas eſſentias, & eſſentiales proprietates & operationes in æternũ retinere. Et ſicut in una Chriſti Perſona duæ ſint Naturæ, ſic etiam geminam eſſe mentem, voluntatem, operationem, ſapientiam, robur, virtutẽ, &c.*

Propter hunc autem utriusq; naturæ in una Perſona complexum, quicquid in Scriptura prædicetur, de tota & indiviſa eius Perſona verè & realiter dici, alia tamen utriusq;, alia duntaxat Naturæ ratione & reſpectu. Officiũ enim Mediatoris quia utriusq; Naturæ proprietates & actiones poſtulet, ſecundum utranq; Naturam Chriſto competere & tribui: ſervato tamen Naturarũ & proprietatum & operationum diſcrimine. Proprietates verò & paſſiones vel operationes alterius naturæ proprias, de tota perſona prædicari, ſecundũ eam naturam cuius propria ſint, & non ſecundum alteram. Idcirco de perſona quidem ab altera natura denominata, ſed non de altera natura verè prædicari. Et tamen verè & realiter de perſona dici, non tantùm quæ ſecundum totum, hoc eſt, utranq; naturam, ſed etiam quæ ſecundum partem, hoc eſt, naturam alteram, ei competant.

Differre etiam in Chriſto proprietates eſſẽtiales humanas ab accidẽtalib. Eſſentiales eſſe, ſine quib. humana Natura deſinat eſſe humana: Negatis enim proprietatib. negari naturas: ut finitũ & circũſcriptum eſſe, habere corpus verè Humanũ, viſibile, palpabile, &c. Has retinere Chriſtum à Conptionis momento in æternũ, ut ſit verus homo in omni æternitate. Accidentarias eſſe, quæ naturam non conſtituant, nec eius conſtitutionẽ neceſſariò conſequantur, nec ipſã deſtruant, licèt ab ea removeantur. Harum rurſus alias eſſe infirmitatis, ut, eſurire, ſitire, fatigari, dolere, contriſtari, pati & mori poſſe, &c. Has Chriſtũ omnes unà cum Natura Humana aſſũpſiſſe, excepto peccato, prout poſtularit officiũ eius: ſed in glorificatione ſui omnes depoſuiſſe, ut iam ſit morti, &c. non amplius obnoxius. Alias eſſe gloriæ & Majeſtatis, ut robur ſit, incorruptibilitas, fulgor, ſapientia, &c. Has etiam Chriſtum in humilitate ſua habuiſſe: quatenus ad puritatem & ſanctitatem perfectam, & adminiſtrationem officii ſui requiſitum ſit: In exaltatione verò, tale earum incrementum accepiſſe, quod numero & gradibus donorum, non

tantùm omnem Angelorum & hominum excellentiam & Gloriam Cœleſtem, ſed etiam dona Humanæ Chriſti Naturæ in humilitate conſtitutæ, longiſſimè excedat.

Quantum ergo ad proprietates Divinas attineat, eas habuiſſe Chriſtum in humilitate ſua, non minus quàm nunc habeat in gloria. Has enim eſſe ipſam æternam & immutabilē Divinitatem. Quantum verò ad proprietates humanas, ex iis quoque eſſentiales eum habere & retinere in utroq; ſtatu eaſdem in perpetuum. Accidentarias autem humiles quidem omninò depoſuiſſe, at glorioſas & perfectas ſibi auxiſſe uſque ad ſummam, quæ increatam Naturam cadere poſſint, perfectionem. Et quia ipſius caro Dei ſit, non illas tantùm virtutes in ea lucere, quæ extra hanc unionem cum Deitate poſſent in creaturam cadere, ſed plures etiam & majores, quàm omnes aliæ creaturæ poſſent capere, quæ tamen licet ſupra naturam ſint, non tamen contra naturam eſſe, & proprias & eſſentiales Naturæ Humanæ & creatæ non tollere nec deſtruere.

Hanc doctrinam de Perſona Chriſti, ut orthodoxam, probant Neuſtadiani Theologi ex Scriptura Sacra, ex Symbolis Chriſtianorum Catholicis, è Scriptura deſumtis, & ex conſenſu omnium veterum & orthodoxorum Eccleſiæ Scriptorum, qui inde ab Apoſtoli uſque ab ſtabilitam in Eccleſia tyrannidem Antichriſtianam vixerunt: quales fuerunt Ignatius, Iuſtinus *Martyr,* Irenæus, Clemens *Alexandrinus,* Tertullianus Cyprianus, Athanaſius, Euſtathius *Antiochenus*, Gregorius *Nyſſenus*, Baſilius, Didymus *Alexandrinus,* Ambroſius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Cyrillus, Theodoretus, Leo, Fulgentius, Vigilius, *&c.*

De Cœna verò Domini iidem de Admonitione ſua docent, Sacramentum eſſe novi Teſtamenti, quo Chriſtus per diſtributionem & ſumtionem panis ac vini, cum ſui ſuorumque beneficiorum commemoratione, in cœtu Eccleſiæ, in memoriam revocet ac teſtetur, ſingulis fidelibus, Corpus ſuum ab ipſo traditum in mortem, & Sanguinem ſuum effuſum eſſe pro ipſis, in remiſſionem peccatorum & unicam ipſis eſcam & potum eſſe, quibus ad vitam æternam ab ipſo paſcantur & nutriantur ut hujus beneficii fiducia in ipſis excitata & confirmata, magis magniſque in ipſius communiore proficiant. Profiteri ergo & teſtari Chriſtum in actione hac ſolenniter, ſe nobiſcum, & nos profiteri teſtari, nos cum ipſo, omnibuſque fidelibus habere communionem, Cœleſtem illam ac ſpiritualem, in Evangelio promiſſam omnibus credentibus, ſine qua nemo hominum vitam æternum conſequatur. Eam vero communionem eſſe, quò mortis Chriſti merito, tanquam unico, & omnibus communi ſacrificio, omnibus illud verâ fide ſibi applicantibus juſtitia & vita æterna parta ſit, & omnes Chriſto, tanquam membra, unico ſuo, & omnibus communi capiti, per Spiritum ſuum in illis habitanti, & eos ſibi unienti, inſerantur, & inter ſe invicem ad mutuam dilectionem & ædificationem devinciantur, ut ille in ipſis, & ipſi in illo maneant & vivant in æternum. Hanc autem communionem, cum non ipſi fidem in Chriſtum cuiquam contingat, per prædicationem Evangelii inchoari, ut per quam fides in cordibus accendatur, per uſum vero Sacramentorum conſervari & augeri, ut per quem, ſicut per meditationem promiſſionum Chriſti, fides foveatur & corroboretur. Hinc autem conſentaneum eſſe, panem & vinum ex manibus, verba promiſſionis gratiæ, huic ritui adjuncta, ex ore miniſtrorum accipi, res autem his ſignificatas, ipſum Corpus & Sanguinem Chriſti, non niſi ex manu ipſius Chriſti, per fidem & Spiritus Sancti in cordibus efficaciam percipi. Manifeſtum etiam hinc fieri, nullum eſſe legitimam hujus Cœnæ uſum, niſi panis & vini inter fideles diſtributio, & mortis ac beneficiorum Chriſti commemoratio fiat, ad mutuam voluntatis Chriſti erga nos, & noſtræ erga ipſum teſtificationem. Et in hoc uſu certiſſimè & veriſſime Chriſtum ſuis fidelibus unà cum viſibilibus ſymbolis, inviſibilem, Cœleſtem & ſpiritualem æternæ vitæ alimoniam, Corpus & Sanguinem ſuum edendum & bibendum præbere, ſuique, & omnium ſuorum beneficiorum participes facere: adeo, ut etiam his rebus viſibilibus, utatur Spiritus Sanctus, tanquam organis, ad fidem & communionem Corporis & Sanguinis Chriſti, in cordibus obſignandam & augendam. & propter hanc rerum cœleſtium per terrenas ſignificationem & communicationem, hunc panem & hoc vinum, ipſum Chriſti Corpus & ſanguinem à Domini appellata eſſe, ut ſciant fideles, ſe non tantùm pane & vino ſed vero etiam Domini Corpore & Sanguine ab ipſo Dom. paſci: Extra hunc vero uſum à Chriſto inſtitutū, rerum quidē ſignificatarum nihil accipi, etiamſi omnib. eas in Sacramentis & Verbo ſuo Chriſtus offerat, & acci vera fide ab omnib. præcipiat: ſed horribili ingratitudine & contumeliâ ſpreti & conculcati Sanguinis Chriſti, & ſignorum divini fœderis abuſu & profanatione, iram Dei irritari, & pœnas corporales atque æternas attrahi & exaſperari.

Hanc doctrinā, docēt Neuſtadiani Theol. in Admonitione ſua, non aliunde, quàm ex puriſſimis Scripturæ fontib. hauſtā eſſe, atq́; etiā ex Symbolis approbatis, & ſcriptis Patrū purioris antiquitatis.

Neuſtadiani in ſua Admonitione multas falſiſſimas calumnias & mendacia Vbiquiſitarum de orthodoxis Eccleſiis diluunt.

TERTIÒ, *Neuſtadiani Theologi in hac ſua Admonitione diluūt accuſationes falſas Orthodoxarū Eccleſiarū de quibuſdā falſis dogmatib. Nam in hoc novo Corpore Doctrinæ de Orthodoxis Eccleſiis multæ falſiſſimæ criminationes & calumniæ continentur, quas Patres Bergenſes partim temerè & ſine colore de ipſis aſſeverant, partim iis quæ confitentur callidè & fraudulenter admiſcēt. partim vero aut imperitè aut ſophiſtice, ex doctrina*

earum conſequi fingunt. Ajunt enim, eas docere, quòd Deus nihil cum Humanitate Chriſti realiter commune habeat. 2. Eas unionem hypoſtaticam Naturarum in Chriſto talem facere, quâ neutra Natura alteri aliquid conferat & communicet, & ſic copulare duas naturas in Chriſto, ſicut conglutinantur duo aſſeres. 3. *Docere*, quod unio Perſonalis tantùm faciat communia nomina proprietatum & Naturarum Deo & homini: tantùm eſſe verbalem communicationem idiomatum: tantùm eſſe titulos inanes & nomina. 4. Doctrinam illarum Arianiſmo & Samoſateniſmo favere & viam aperire. 5. Eas inſtar Neſtorii Perſonam Chriſti diſſolvere, pro duabus Naturis duas Perſonas & duos Chriſtos ſubſtituere: alterum Deum, alterum Hominem: nudamque humanitatem pro nobis paſſam eſſe & nos redemiſſe. 6. *Docere*, paſſionem Chriſti ad Filium Dei nihil attinuiſſe. 7. Præſentiam Deitatis Chriſti in terra, ad humanitatem ipſius in Cœlo degentem, nihil pertinere: & humanitatem nihil nobiſcum habere negotii, 8. Chriſtum non facere opera ſua Divina omnia & ubique in & cum Natura ſua Humana. 9. *Eas negare*, Homini Chriſto datam eſſe omnipotentem, & Chriſto homini nullam eſſe cum omnipotentia communionem. 10. *Illas* tribuere Chriſto certam menſuram Scientię, ut tantùm ſciat, quantum ſcire debeat, 11. Chriſto non relinquere plus cognitionis quàm requiratur ad officium judicis. 12. Homini Chriſto non tribuere perfectam agnitionem Dei 13. *Docere*, quòd Chriſto ſecundum Humanam Naturam ſit impoſſibile, ſcire omnia, quę ſunt, quæ fuerunt, & quę erunt. 14. Quòd Chriſto reſtituta ſit omnis poteſtas poſt reſurrectionem, quaſi ante reſurrectionem eam non habuerit. 15. Eas Chriſtum in Cœlum concludere, certo Cœli loco alligare; *& ſimilia* 16, *Clamant perpetuò*, eas verba Teſtamenti Chriſti corrumpere, & in ſenſum novum & alienum trahere. 17. *Dicunt*, eas exponere hæc verba Chriſti ſecundum rationis Humanę judicium, 18. Quaſdam omittere verba hęc in adminiſtratione Cœnæ Dominicę. 19. *Docere*, Sacramenta nihil eſſe amplius, niſi notas, quibus agnoſcantur & diſcernantur Chriſtiani ab aliis hominibus. 20 Panem & vinum Cœnę Domini tantum eſſe ſigna ſignificantia Corpus Chriſti. 21. Sacramentalem unionem eſſe analogiam ſeu ſimilitudinem ſigni & ſignati. 22. Præſentiam Corporis Chriſti tantum de Deitate intelligendam. 23. In Cœna ſolum virtutem, efficaciam & meritum carnis Chriſti nobis communicari. 24. Fidem efficere præſentiam Corporis Chriſti in Cœna. 25. Etiam de procul abſente Chriſti Corpore fraudulenter diſſimulant, quomodo abſens, quomodo præſens ſit Corpus Chriſti. 26. Secundum noſtram Doctrinam nihil eſſe præſens in Cœna Domini, & ore comedi, præter panem.

Neuſtadianorũ ſententia de Auguſtana Confeſſione.

QVARTO, *Neuſtadiani Theologi agunt de Auguſtana Confeſſione. Ac* primò, *de eius authoritate. Nam qui Lutheri partes & Doctrinam ſequuntur, inprimis Vbiquitæ, hoc unum perpetuò urgent, Hanc Confeſſionem Anno* 30. *Carolo* 5. *nomine Principum & Ordinum Evangelicam doctrinam amplectentium, exhibitam, ſummam & normam continere omnis veræ Doctrinæ, in Scriptura Sacra, Symbolis & Orthodoxis veterum ſcriptis traditæ. Ab hac igitur Confeſſionis forma, quicunque ulla in parte diſcedant, eos à veritate & Verbo Dei aberrare, & tanquam alienos à vera Dei Eccleſia juſtiſſimè condemnari. Inde inferunt, nos noſtraſque Eccleſias, quia Auguſtanæ Confeſſioni non aſſentiantur, crimen hæreſeos effugere non poſſe. Theologi igitur Neuſtadiani diligenter oſtendunt, ſcriptorum Eccleſiaſticorum gradus, authoritatem uſum, & obligationis ad ſubſcribendum illis, limites & modum. Hinc colligunt irrefragabiliter, propter diſſenſionem ab Auguſtana, vel alia particularium Eccleſiarum Confeſſione, quenquam hæreſeos damnandum eſſe, qui diſſenſionis à Sacra Scriptura & Symbolis non convictus ſit.*

Deinde oſtendunt in ipſa Auguſtana Confeſſione rationes graviſſimas, quare illa non debeat in hunc uſque gradum extolli, ut vel pro Symbolo & norma doctrinæ recipienda ſit, vel omnes aliarum Eccleſiarum Confeſſiones authoritate ſuâ, abolere vel obſcurare poſſit. 1. Iniquiſſimum enim eſſe unam aliquam Eccleſiam particularem præſcribere formulam omnibus in mundo Eccleſiis, hac authoritate, ut qui non ſine exceptione in eam jurare velint, pro hæreticis habeantur 2. Auguſtanam Confeſſionem ſcriptam eſſe non ita multis annis poſt reformationis initium, in quo poſt tenebras Papatus denſiſſimas, non ſubito omnia rectiſſime & abſque omni hallucinatione perſpici & explicari potuerunt. 3. Auguſtanam Confeſſionem ſcriptam eſſe duorum vel trium Theologorum conſilio tantum. 4. Scriptam eam eſſe in feſtinatione & ſumma temporis anguſtia Auguſtæ, in diverſorio, in comitiis, urgente Imperatoris poſtulatione. 5. Scriptam & exhibitam eſſe in maxima motu præſentium periculorum. Idcirco ſtuduiſſe Confeſſionis authores omnia Papatus ulcera & idolomaniam, in iis Articulis, de quibus tum ſcribendum putarint, quàm parciſſimè & leviſſime attingere. 6. Illos ipſos, qui Confeſſionem Auguſtanam ſcripſerint, approbarint ac ediderint, multa ſubinde in

ea correxiſſe, addidiſſe, declaraſſe, denique totam repetiviſſe & retexiſſe pleniori ac meliori formâ. 7. Oſtendũt multa ordine in Auguſtana Confeſſione & Apologia, quæ ne ipſi quidem acerrimi ejus propugnatores probent aut recipiant. Ex his omnibus conficiunt Neuſtadiani, etiamſi verum eſſet, quod dicant Vbiquitarij, noſtras Eccleſias adverſarii Auguſtanæ Confeſſioni, non tamen propterea eas poſſe condemnari hæreſos, dum modò ſacræ Scripturæ & Symbolis eas adverſari non oſtendatur.

Neuſtadiani de vero ſenſu Auguſtanæ Confeſſionis in Admonitione ſua agunt.

QVINTÒ, *tractant de vero intellectu & ſenſu Auguſtanæ Confeſſionis, & probant luculenter, noſtras, earumque Confeſſiones cum Auguſtana Confeſſione nequaquam pugnare, cùm in aliis Articulis, tum etiam inprimis de Perſona Chriſti & ejuſdem Sacra Cœna: ſed pugnare noſtros cum quibuſdam Vbiquiſticis Theologis, Auguſtanam Confeſſionem malè interpretantibus, Vbiquitatem ei aſſingentibus, cùm tamen ne apex quidem de ea in illa reperiatur, ſed eam potius refellat. Hoc verò non eo conſilio faciunt, ut noſtrarum Eccleſiarum Doctrinæ confirmationem, in conſenſu ſeu patrocinio Auguſtanæ Confeſſionis ponant, aut illius prætextu hominibus eam venditare vel obtrudere conentur: melioribus enim fundamentis nititur fides & doctrina noſtrarum Eccleſiarum, quàm ut hominum teſtimoniis aut prædiis, nedum aſſimulatâ cum illis conſenſione indigeant: ſed ut Anathematiſtarum Bergenſium iniquitas hinc intelligatur, qui illos condemnant, qui Auguſtanæ Confeſſionis doctrinam multo verius & rectius profitentur, quàm Liber Concordiæ Bergenſis eam interpretatur.*

De Lutheri authoritate ejuſque ſcriptorum agitur etiã.

SEXTÒ, *de authorite* Lutheri *agunt. Et quia diſcipuli ejus noſtris objiciunt, ut ut alii Confeſſionem Auguſtanam intellexerint & interpretati ſint,* Lutherum *tamen eam intellexiſſe qui ſit habendus præcipuus author Confeſſionis, & omni exceptione major interpres: & cujus libri debeant eſſe norma & commentarius, & intelligendæ Confeſſionis & doctrinæ in omnibus Eccleſiis, & deciſionis controverſiarum. Ab hujus ergo ſententia de Corpore Chriſti & Cœna ejus cùm diſcedant noſtræ Eccleſiæ; etiam à Scriptura & Confeſſione Auguſtana, & Eccleſia Catholica eas diſſentire, ac proinde hæreſeos juſte condemnari concludunt. Reſpondent autem huic Bergenſium argumento Neuſtadiani, ſententiam & ſcripta* Lutheri, *præſertim de Humana Natura Chriſti & Euchariſtia, nequaquam oportere normam eſſe exponendæ vel Scripturæ, vel Auguſtanæ Confeſſionis, vel judicandi de Doctrinæ veritate, & diſcernendi orthodoxos ab hæreticis. Concedunt,* Lutherum *à Deo multis excellentibus donis & virtutibus ornatum fuiſſe. Non autem inde colligi debere,* Lutherum *& ſcripta ipſius pro norma doctrinæ Eccleſiaſticæ habenda eſſe, cum qua quicquid congruat, orthodoxum, à qua quicquid diſcrepet, hæreticum pronuntietur. Hoc ut probent, ingens diſcrimen oſtendunt, quo differant a Prophetis & Apoſtolis, omnes alii miniſtri & doctores Eccleſiæ: ac docent prolixè, nulli prorſus alteri doctori, præter Apoſtolos & Prophetas, authoritatem illam judiciariam competere, ut ipſius Doctrina ſit regula fidei & Religionis: Cumque* Lutherus *non fuerit Propheta aut Apoſtolus, non eſſe ad Dogmata & verba illius alligandas Eccleſias & conſcientias omnium, quaſi ab illis diſcedi non poſſit, ſine diſceſſione à Deo, à veritate & ab Eccleſia. Oſtendunt, non eſſe æquum, anteponi & opponi* Lutherum *ſolum omnibus Patribus antiquis, quorum tamen nullus hanc ſibi ſuiſque ſcriptis authoritatem arrogarit. Proferant ex* Lutheri *libris multa, in quibus hallucinatio tam eſt manifeſta, ut & ipſe* Lutheri *ea poſtea retrectaverit, & iſti immodici ipſius laudatores ea non poſſint defendere, & tamen ad hæc ſcripta* Lutheri, *tanquam ad regulam Doctrinæ, omnes Eccleſias aſtringi volunt. Oſtendunt denique multis rationibus, authoritatem hanc judiciariam ſcriptis* Lutheri, *polemicis inprimis nequaquam competere.*

De condemnationibus antè legitimã cauſæ cognitionem factis.

SEPTIMÒ, *docent, cùm abſq; ulla dijudicatione legitima & cauſæ cognitione ſeu examine ſcriptæ ſint condemnationes à Bergenſibus in iſto libro ſuo, non poſſe eſſe regulam Concordiæ Eccleſiarũ, & diſcretionis orthodoxorum aut piorũ ab hæreticis*

Neuſtadiani probant nova & falſa dogmata in Formula Concordiæ contineri.

OCTAVÒ, *probant luculenter Neuſtadiani, Bergenſes in ſuo Concordiæ Libro nova & falſa, ne dicam prodigioſa dogmata, Scripturæ, Symbolis & ipſi etiam Auguſtanæ Confeſſioni repugnantia, obtrudere conari Eccleſiæ, & quidem pro norma doctrinæ, & diſcretionis Orthodoxorum ab hæreticis.*

Nam primò, *in Articulo de Perſona Chriſti docere eos, proprietates duarum Naturarum in Perſona Chriſti eſſentiales realiter utrique Naturæ eſſe communes: atque uti ſimilibus ferri candentis, &c. quæ ipſi partim non juvent, partim etiam lædant. Docere, ſi proprietates Divinæ non realiter communicentur humanitati, hominem Chriſtum non verè Deum fore, ſed duntaxat nomine tenus: In humanitate Chriſti, & in aliis Sanctis ſi ſic adſit Deitas, ut non faciat eos omnipotentes: Chriſtum non magis eſſe Deum quàm Paulam & alios Sanctos.*

Secundò, *Filium Dei paſſum eſſe ſecundum proprietatem Naturæ Humanæ. Hoc eſt, paſſam quidem eſſe Humanitatem ſecundum ſuam & ſibi naturalem proprietatem, Deitatem autem non ſecundum ſuam, quam ex ſe & ſua natura habeat, ſed ſecundum alienam, videlicet, humanam proprietatem, realiter ſibi communicatam.*

Tertiò, *Naturã Humanam Chriſti inde à puncto Conceptionis, habuiſſe Majeſtatem & omnipotentiam illã Divinam ſibi realiter cõmunicatam.*

Quartò, *Corpus Chriſti ſuâ ſubſtantiâ ubique præſens eſſe idque ſecundum modum dextræ Dei, hoc eſt, Deitatis, Hæc enim illis eſt dextra Dei.*

Quinto, *Aſcenſionis articulum corrumpit Liber iste, quæ in tota Scriptura & antiquitate, nulla niſi viſibilis, localis & ſurſum facta deſcribitur ut Eccleſia ſciat, ubi verſetur Dominus ſecundum carnem uſque ad mundi finem Libro autem huic, ut Vbiquiſtis omnibus, Aſcendere in Cœlum idem eſt, quod incipere in omnibus locis eſſe: atque ita duplicem aſcenſionem faciunt; unam viſibilem, in conſpectu diſcipulorum, alteram inviſibilem, quâ inde ab utero matris in Cœlo fuerit Chriſtus ſuo Corpore. Hanc ob cauſam docet etiam Liber, quòd Cœlum, in quod aſcendit Chriſtus, ſit ubique patens per cœlum viſibile, terram & infernum; atque adeò ipſe Deus.*

Sextò, *Corrumpit Articulum fidei, de Seſſione Chriſti ad dextram Patris. Collocationem enim hanc ad dexteram, exponit unionem humanitatis cum λόγῳ, & realem communicationem Divinarum proprietatum, præſertim Omnipotentiæ & Vbiquitatis.*

Septimò, *Perpetuò ſumit pro iiſdem & æquipollentibus, Hominem, & Humanitatem: & has duas loquendi formas. Homo Chriſtus eſt omnipotens, ubique &c. &, Humanitas eius eſt omnipotens, ubique, ſed falsò.*

Octavò, *docet, Filium Dei λόγον omnia opera ſuæ omnipotentiæ per humanam ſuam Naturam exequi.*

Nonò, *de Cœnâ Domini contendit Liber Concordiæ, Corpus Chriſti eſſe ſubſtantialiter in pane, & Sanguinem in vino, & ore Corporis edi ac bibi.*

Decimò, *aſſeverat Liber, Corpus Chriſti, manducari etiam ab impiis & infidelibus.*

Vndecimò, *contendit, Elementa conſecrari per recitationem verborum Chriſti: hoc eſt, verbis recitatis ſuper panem & vinum fieri, ut adſit in pane Corpus, & in vino Sanguis Chriſti corporaliter, & ſumatur ore piorum & impiorum. A Chriſto enim juſſionem & operationem ſuam recitationi noſtræ alligatam eſſe.*

Duodecimò, *ut hanc præſentiam corporalem, poſt verba ſuper panem pronunciata, & Corporis Chriſti in miniſtris manibus geſtationem obtineat Liber, malignè corrumpit regulam:* Nihil habet rationem Sacramenti, extra uſum legitimum & inſtitutum à Deo. *Et uſum hunc inſtitutum à Deo, acriter contendit eſſe Ceremoniæ obſervationem & ſuam conſecrationem, etjam ſine fide ſumentium.*

Decimotertiò, *tollit diſcrimen malignè utentium Sacramento, & contendit nullum fidelium poſſe Cœnam Domini ad judicium edere.*

Decimoquartò, *panem & vinum Cœnæ Domini docet ad hunc uſum conſecrari & ſumi, ut in illis caro & Sanguis Chriſti ſumantur ore Corporis.*

Decimoquintò, *addit aliam corruptelam uſus Cœnæ Domini, eam ideò inſtitutam eſſe docens, ut confirmet, Chriſtum etiam ſecundum Naturam habentem carnem & Sanguinem, nobiſcum, & in nobis eſſe, & habitare, & operari velle: hoc eſt, ut ſit teſtimonium Vbiquitatis & omnipotentiæ Naturæ humanæ Chriſti.*

Decimoſextò, *confirmari fidem per oralem manducationem Corporis Chriſti.*

Decimoſeptimò, *glorientur, docuiſſe hæc nova dogmata veteres Eccleſiæ Patres, quod eſt, falſiſſimum.*

Neuſtadiani docent Formulam Concordiæ contradictoria multa continere.

NONO, *juxta Admonitionē Neuſtadianam, Liber iſte multis in locis non tantum ſibiipſi, ſed etiam ſuiſmet conſarcinatoribus, fabricatoribus & authoribus contradicit, ut aſſeverationes & negationes eorum nunquam inter ſe conciliari queant.*

Nam primò, *dicunt ſex eius fabricatores, in iſto Libro repeti Doctrinam Confeſſionis Auguſtanæ, & proteſtantur ſe ab illa & libris cæteris quos inſeruerunt novo Corporis ſeu Normæ, nec in rebus, nec in phraſibus diſceſſuros. Nullus autem apex eſt in tota Auguſtana Confeſſione de Vbiquitate Corporis Chriſti, reali communicatione Idiomatum per diſpenſationem Vnionis hypoſtaticæ, & ſimilibus.*

Secundò, *ſcribunt, ſe per gratiam Spiritus Sancti ſingularem, omnia ad Concordiam & declarationem pertinentia & neceſſaria, in Libro Torgæ approbato complexos eſſe: atque hanc ultimam ſeu finalem & deciſivam Auguſtanæ Confeſſionis declarationem nominant: & tamen fatentur, ſicut & res ipſa loquitur, multorum Cenſuras & Admonitiones neceſſarias & utiles poſtea demum acceſſiſſe. Ex illis etiam Cenſuris ipſi delegerunt, quas voluere, & abjecerunt, quæ ipſis non placuerunt.*

Tertiò, *à ſe culpam perſecutionis removent & Sanguinis Martyrum. Simul autem eos condemnant impietatis, & hæreſeos, hoſtibuſque communibus gladium porrigunt, quo in illis ſæviunt. Iudæi etiam dicebant:* Si fuiſſemus temporibus Patrum noſtrorum, non fuiſſemus eorum ſocii in cæde Prophetarum: *Et tamen Dominus eis dicebat;* Veniet ſuper vos omnis Sanguis juſtus, effuſus ſuper terram à Sanguine Abel juſti.

Quartò, *ſe non damnare ajunt Perſonas, & Eccleſias: interea verò Doctrinam eorum, tanquam hæreticam, anathematiZant: Et authores ſunt Principibus, ut eos omnes proſcribant, qui Concordiæ Bergenſi ſubſcribere recuſant.*

Quintò, *normam Orthodoxæ doctrinæ volunt eſſe Scripturam Sanctam & Symbola: Confeſſionem Auguſtanam: Articulos Schmalcaldicos, & Lutheri Cathechiſmos, unâ cum libris eius polemicis, adeoque totum Concordiæ librum:*

ſimul

ſimul tamen volunt Scripturam ſolam doctrinæ normam eſſe debere.

Sextò, *negant ſe damnare Philippi Libros: & tamen eos impuræ doctrinæ adeò ſuſpectos faciunt, ut dignos eſſe cenſeant, quorum editio ſub trium millium florenorum mulctâ prohibeatur.*

Septimò, *Unionem hypoſtaticam duarum naturarum in Chriſto dicunt eſſe myſterium imperſcrutabile: & tamen eam explicant, definiendo reali communicatione Idiomatum, & omnium operationum divinarum per Naturam Humanam effectione. Si in his conſiſteret λόγου ἐνσάρκωσις, non eſſet imperſcrutabilis.*

Octavò *aiunt, ſe unitatem Perſonæ Chriſti præclarè tueri. Dicunt autem, Unionem conſiſtere vel in reali communione proprietatum Divinarum & Humanarum, vel in effectione omnium divinorum operum per Naturam Humanam. Hac enim ſublatâ, negant relinqui ullum diſcrimen inter Chriſtum & alios Sanctos, inter præſentiam Deitatis in Chriſto & in omnibus aliis Creaturis: Dicunt etiam, Chriſtum non magis nobiſcum fore, quàm cæteros Sanctos: adeoque nullam prorſus fore communionem duarum Naturarum in Chriſto. Realis autem Idiomatum communio, & actio unius per alterum non eſt Unio hypoſtatica; alioqui duo Angeli aut homines, aut tres Divinitatis Perſonæ. Nihil minus ergo hâc ſuâ definitione, quàm veram Naturarum Unionem conſervant.*

Nonò, *ſubinde repetunt, ſe Naturas in Chriſto, earumque proprietates non confundere, neque permutare. Diſtinctioni autem naturarum realis Idiomatum communio repugnat. Nam, ipſo Luthero teſte, ne quid de veteribus dicam, tollens proprietates, tollit Naturas; ſic etiam confundens proprietates confundit Naturas. Confundere autem nihil eſt aliud, niſi unius Naturæ proprietates realiter alteri communes facere.*

Decimò, *fatentur, utranque Naturam ſuas proprietates retinere ſine deſtructione: & tamen contendunt Humanitatem Chriſti ſimul realiter ubique eſſe, & alias Deitatis proprietates realiter ſibi communicatas habere, non obſtantibus & ſimul manentibus proprietatibus Naturæ Humanæ: atque adeo ſententia eorum eſt, idem ſubſtantiâ, ſeu ſubjecto, ſeu numero Corpus ſimul viſibile & inviſibile, finitum & infinitum eſſe poſſe.*

Undecimò *fatentur, Deitatis proprietatem eſſe eſſentialem & immutabilem, ſua eſſentia ſemper eſſe ubique, & quidem tantum ubique eſſe, nunquam autem ſimul ubique eſſe, & in uno loco circumſcribi. Volunt autem hanc proprietatem ſic humanitatis realiter communicari, ut quando collibitum ei ſit, ubique & non ubique ſit.*

Duodecimò *dicunt, ſummam hanc Dei communionem cum homine, ipſam Perſonalem Naturarum unionem eſſe: Et nihilominus communionem hanc realem proprietatum ex unione promanare: quæ ſimul conſiſtere non poſſunt: Non enim idem ſunt Unio & Unionis effectus, cum nihil ſuiipſius cauſa ſit.*

Tertiodecimò, *omnia Humana, quæ de Deo, & omnia Divina, quæ de homine prædicantur, propter realem communicationem Idiomatum dici volunt: & has prædicationes conferunt, tanquam eandem cauſam & rationem habentes: Deus eſt natus ex muliere, paſſus, mortuus, ſepultus, ſuſcitatus, aſſumptus in cœlum. Et, Homo eſt ubique, omnipotens, &c. Ac rectè quidem, & ſi errent de cauſa: Et tamen, cùm declarare eos hæc oportet, Deum quidem eſſe natum ex muliere, paſſum, mortuum & circumſcriptum loco fatentur: Sed Deitatem non eſſe natam ex virgine, paſſam, mortuam, circumſcriptam loco: hoc, Deum eſſe paſſum ſecundum ſuam humanitatem, ſed non ſecundùm Deitatem. Hominem autem & humanitatem ejus volunt pariter eſſe omnipotentem, omnipræſentem, omniſciam, &c. Id eſt, hominem non tantum ſecundum Deitatem, verum etiam ſecundùm humanitatem ſuam eſſe omnipotentem, omnipræſentem, &c.*

Decimoquartò *proferunt ſimilitudinem ferri candentis: Ea verò ipſis maximè adverſatur. Nam in ferro ſunt qualitates effectæ ab igne, calor & ſplendor: ferrum enim ignitum, non eſt ignis, ſed qualitates igneas habeat. Talem autem omnipotentiam, omniſcientiam & omnipræſentiam effectam & creatam eſſe à Deitate in carne Chriſti rectè etiam ipſi Ubiquiſtæ negant: Id verò rurſus iſtâ ſimilitudine in hoc libro affirmant: dum carnem omnipotentem faciunt, ſicut ferrum urens.*

Decimoquinto, *urgent etiam ſimilitudinem Corporis & animæ, quæ ipſis etiam adverſatur. Unita quidem ſunt perſonaliter Corpus & anima; & tamen proprietates eorum eſſentiales non realiter communicantur.*

Decimoſexto *aiunt, niſi Divina realiter dicantur de Humanitate, non poſſe ea realiter dici de homine. Ipſimet verò non audent dicere, humanitatem realiter eſſe Deum, & tamen rectè cum orthodoxis docent, hominem realiter Deum eſſe. Quid igitur obſtat, quo minus etiam homo ſit omnipotens, ubique & omniſcius realiter, etiamſi humanitas non ſit omnipotens, ubique, & omniſcia, ſicut realiter homo iſte eſt Deus æternus, licet Humanitas ejus non ſit Deus æternus?*

Decimoſeptimò, *non ſolum in hoc Libro, ſed alibi etiam ſcribunt, Humanitatem Chriſti à conceptione ſua ſemper habuiſſe, etiam in morte, ſuam Majeſtatem, hoc eſt, omnipotentiam, omniſcientiam, & omnipræſentiam, & exaltatam fuiſſe reipsâ & verè ad dexteram Majeſtatis; eam ſaltem Majeſtatem diſſimulaſſe, & occultaſſe. Et tamen fatentur, Chriſtum ſecundum*

humanitatem verè profeciſſe & creviſſe ſapientiâ, gratiâ, & ſtaturâ, cum ætate. Fatentur ſimiliter, verè mortuum & infirmum fuiſſe : non ergo revera ſimul ſecundum carnem infirmam & mortuam, fuit omnipotens & ubique regnans in Majeſtate Divina.

Decimooctavò *dicunt, Divinam Naturam nec mori nec pati poſſe : ſimul autem affirmant Deitatem non tantum nomen, ſed etiam rem ipſam paſſionis, & mortis cum carne communem habere, & realem eſſe communicationem Idiomatum inter duas Naturas. Si verò propter hanc realem communicationem dicendum eſt, Humanitas eſt omnipotens & omnipræſens, neceſſariò dicendum quoque eſt, Deitas eſt mortua.*

Decimononò *ſcribunt, Humanam Naturam eodem modo ubique eſſe, quo Deitas ubique eſt. Et tamen fatentur, eam ubique eſſe ſecundum modum dexteræ Dei, id eſt, Deitatis; & carnis Chriſti omnia eſſe plena, modo Divino.*

Vigeſimo, *rectè docent, Humanam Naturam non eſſe æqualem Deitati, nec ſubſtantiâ, nec proprietatibus. Contra verò dicunt, carnem ſubſtantia ſua ibi exiſtere, ubicunque eſt Deitas, & realiter omnipotentem eſſe, & proprietates Divinas eſſentiales realiter communicatas habere.*

Vigeſimoprimò *dicunt, Humanam Naturam non eſſe ubique localiter extenſam. Inde verò ſequitur, ſubſtantiam ejus illocaliter ubique eſſe: & ubique totam, non habentem partem extra partem, ſed omnes partes in omnibus, hoc eſt, ubique eſſe ſicut Deitas. Quomodo igitur negant, eam ubique eſſe eo modo, quo Deitas ubique eſt? Item, cùm non ſit extenſivè ubique non habendo partem extra partem, quomodo docent, ſe retinere proprietates eſſentiales carnis ſine abolitione?*

Vigeſimoſecundo *docent, poſt formam ſervi demùm planè depoſitam, hoc eſt poſt reſurrectionem, aſcenſionem & ſeſſionem ad dexteram Dei, omnia divina opera λόγον operari cœpiſſe per carnem ubique præſentem, quâ Majeſtate prius abſtinuerit : & tamen contendunt, ſi non agat omnia, In, cum, per ubique præſentem carnem, Perſonam Chriſti divelli. Quomodo ergo in humilitate Chriſtus ſecundum illos verus Deus fuit?*

Vigeſimotertiò *dicunt, naturarum eſſentias non miſceri aut confundi, neque proprietates æquari: & tamen naturas habere communionem realem in eſſentia & in proprietatibus. Hoc autem nihil aliud eſt, quàm communem & ſimilem, ſive ejuſdem Naturæ eſſentiam & pares atque eaſdem proprietates habere communes.*

Vigeſimoquartò *fatentur, propria naturarum non egredi ſua ſubjecta, id eſt, non in alia, quàm in ea Natura reperiri, cujus propria ſunt. Item, omnipotentiam, omnipræſentiam, omniſcientiam, etiam in unione Perſonali cum Deitate, non competere Humanæ Naturæ in ſe & per ſe, eſſentialiter, formaliter, habitualiter & ſubjectivè. Et tamen contendunt, has proprietates divinas carni realiter competere. Nihil autem realiter alteri competit, quod non ſit vel de ipſius eſſentia, vel proprietas eſſentiam neceſſariò comitans, vel accidens.*

Vigeſimoquintò *affirmant, Perſonæ Chriſti attribui debere utriuſque Naturæ propria, cum diſtincta declaratione, cui naturæ unumquodque ſit proprium. Et tamen, cum Perſona realiter, Naturæ Humanæ verbaliter Divina tribui noſtri dicunt, mox clamant, eos Chriſtum dividere.*

Vigeſimoſextò *concedunt, Humanam Naturam ſuas proprietates eſſentiales in æternum retinere, & tamen docent, eam in omnibus locis incircumſcriptam exiſtere.*

Vigeſimoſeptimò *aiunt, naturales & eſſentiales proprietates humanitatis, non omnino à Chriſto depoſitas eſſe : alibi verò contra docent, formam ſervi omninò & prorſus depoſitam eſſe in glorificatione.*

Vigeſimooctavò *repetunt, niſi ſubſtantia carnis ubique ſit unà cum Deitate, Naturas in Chriſto divelli : & fatentur interim, carnem Chriſti humilitatis tempore non ubique ſubſtantialiter fuiſſe, ſalva nihilominus unitate perſonæ.*

Vigeſimonono *concedunt, Chriſtum ſuo Corpore verè in cœlum aſcendiſſe, eundo de loco in locum: quin etiam nunc & in æternum manere uno in loco uno tempore circumſcriptum & viſibilem: & tamen docent, aſcendendo eum declaraſſe Majeſtatem Vbiquitariam.*

Trigeſimò, *fatentur, idem eſſe omnipotentiam, & Deitatem æternam, ac proinde, eſſe omnipotentem, & eſſe Deum æternum : & tamen humanitatem omnipotentem eſſe contendunt: Deum æternum eſſe negant. Ita cum libet, ſunt illis idem Deitas & omnipotentia, cùm non libet, non ſunt idem.*

Trigeſimoprimo, *in Articulo de Cœna Domini dicunt, fundamentum unicum ſuæ de Cœna doctrinæ ſe conſtituere verba Inſtitutionis. Non igitur fundamentum ejus eſt Vbiquitas. Verbis igitur unum, reipsâ duo fundamenta ponunt. Lutherus quatuor in fervore certaminis poſuit, vincendi ſtudio.*

Trigeſimoſecundò *aſſerunt, panem & vinum verè, hoc eſt, ſecundum literam: & ut ſonant verba, ſine tropo & figura ſermonis, propriè loquendo, eſſe corpus & ſanguinem Chriſti: Et tamen verba illa ſic eſſe intelligenda, quod in, vel ſub, vel cum pane vino, vel apud panem & vinum corporaliter & ſubſtantialiter adſit verum Corpus & verus Sanguis Chriſti,*

Trigeſimotertiò *fatentur, Cœnam Domini eſſe Sigillum Novi Teſtamenti: & ſimul perpetuò inculcant, eam eſſe ipſum Teſtamentum novum,*

& nos,

& nos, tanquam violatores Teſtamenti Chriſti, traducunt. Sigillum autem Teſtamenti non eſt ipſum Teſtamentum, & contrà. Secundum illos ergo, Cœna erit Sigillum, & non erit; Teſtamentum erit, & non erit.

Trigeſimoquartò fatentur Concordiſtæ, unionem panis & Corporis, vini & Sanguinis Chriſti Sacramentale eſſe. Repugnat autem huic unioni, peculiaris illa & Corporalis unio rei & ſigni, quam in Cœna Domini fingunt, ſine ulla diſcriminis ratione.

Trigeſimoquintò docent de conſecratione, Corpus Chriſti præſens eſſe non per recitationem verborum, ſed per omnipotentiam Dei: Et tamen ibidem dicunt, Verba pronuntiari debere ſuper panem: & benedictionem, de qua loquitur Paulus 1. Cor. 10. fieri per recitationem verborum, & ex Luthero, Chriſtum alligaſſe ſuam juſſionem & operationem noſtræ recitationi. Juſſionem autem & operationem Chriſti eam intelligunt, quâ Chriſtus jubeat & efficiat, ut Corpus ſuum ſubſtantialiter ſit & comedatur in pane. Si hæc operatio, ſeu hic effectus omnipotentiæ Dei alligatus eſt, pronunciationi verborum ſuper panem, certè fit per recitationem, ut omnipotentia Dei hoc operetur.

Trigeſimoſextò fatentur, illum eſſe legitimum uſum Cœnæ, qui eſt à Chriſto inſtitutus: fatentur etiam, hunc uſum non eſſe niſi cum vera fide, & ad fidem confirmandam: Et tamen contrà dicunt, etiam, uſum inſtitutum eſſe ceremoniam etiam abſque fide.

Trigeſimoſeptimò fatentur, nihil habere rationem Sacramenti extra uſum à Chriſto inſtitutum, qui non eſt ſine fide: Et tamen etiam ſine fide volunt accipi rem & ſignum, hoc eſt, manducari verum Corpus Chriſti etiam ab infidelibus.

Trigeſimooctavò dicunt, in verbis; Hoc eſt Corpus meum, eſſe prædicationem Sacramentalem, quâ rerum & ſignorum nomina permutantur: & tamen aſſerunt etiam, eſſe prædicationem inuſitatam.

Trigeſimononò contendunt, Corpus Chriſti ore manducari, non tamen Capernaitico modo.

Quadrageſimò dicunt, ſe ſentire cum Luthero, qui ponit Corpus Chriſti in pane definitivè: hoc eſt, ſicut ſpiritus, lux, calor & ſonus eſt in aliquo Corpore: & tamen contra Lutherum dicunt, Corpus in pane eſſe ſecundum modum dexteræ Dei, id eſt, Repletivè ſicut Deus eſt ubique. Manifeſtè igitur pugnant & ſecum, & cum Luthero.

Quadrageſimoprimo, damnant Tranſſubſtantiationem, & tamen probant primum exemplar Auguſtanæ Confeſſionis, in quo illa non damnatur. Illiipſi quoque in hoc ſuo Libro dicunt, panem eſſe verè & propriè Corpus Chriſti.

Quadrageſimoſecundo, damnant opiniones, quòd extra ceremoniam Cœnæ, Corpus ſit præſens in pane: At ſi tum non eſt in pane, quomodo dicunt eſſe ubique.

Quadrageſimotertiò, dicunt, privatione poculi, ſpoliari populum Sanguine Chriſti. Et tamen ipſi docent, Corpus Chriſti vivum & integrum eſſe, & edi, tam in pane, quàm in poculo.

Quadrageſimoquartò, dicunt, verum, ſubſtantiale, naturale & humanum Corpus Chriſti eſſe in pane, & ore manducari: & tamen fatentur, verum & naturale Corpus eſſe circumſcriptum, ſenſile, habens ſuam magnitudinem & figuram, &c. In pane autem his omnibus proprietatibus exutum Corpus conſtituunt. Quomodo ergo verum & naturale Corpus in Cœna ore manducari dicunt?

Has & alias multas Antilogias in Libro Concordiæ Neuſtadiani Theologi monſtrant, ad ejus inconſtantiam & perplexitatem arguendam, & probandum illum pro norma ſeu regula doctrinæ non poſſe nec debere agnoſci. Quòd ſi illa etiam colligenda eſſent, in quibus Libri Theologorum de Ubiquitate ſcripti, & ab hoc Concordiæ Libro, & à ſe invicem, & à ſeipſis diſcrepant, longior Catalogus texendus eſſet: ſed pluribus Lectorem in re deploranda nolumus detinere.

DECIMO, quum omnia Lutheri non ſolum didactica, ſed etiam polemica ſcripta canonizarint in hac Bergenſi Concordia, quòd in Propheticis & Apoſtolicis Libris, in tribus Symbolis, in Auguſtana Confeſſione & ejus Apologia, in Articulis Schmalcaldicis, & utroque Lutheri Catechiſmo, nullum prorſus de Ubiquitate veſtigium exſtet; ſed tantùm in polemicis Lutheri ſcriptis an. 27. & 28. editis: canonizarunt igitur etiam, atque adeò pro norma fidei & judicandi controverſias hæc ſequentia ſtatuerunt, quæ in polemicis Lutheri ſcriptis reperiuntur.

Nova, falſa & prodigioſa dogmata in Formula Concordiæ approbata polemicorum librorum Lutheri canonizatione.

1. Verba Chriſti, Hoc eſt Corpus meum, hunc ſenſum habere: In hoc pane realiter adeſt, & corporali præſentiâ continetur Corpus meum: atque hoc modo verba Dominicæ Cœnæ, extra omnem tropum, juxta τὸ ῥητὸν intelligenda, quibus ſe Chriſtus Corporali præſentia ad panem alligarit, & edixerit, quod corporaliter in pane adeſſe, & in eo etiam quæri, inveniri & comprehendi velit.

In Confeſſ. magna & lib. Quod verba Chriſti adhuc firma ſtant.

2. Per Verba, Hoc eſt Corpus meum: Corpus Chriſti penetrare in panem, occultare ſe in pane, nec ſe permittere inde ſegregari.

3. Verba, Accipite & manducate, Hoc eſt Corpus meum, hoc naturali ſenſu accipienda eſſe, ac ſi quis convivis ſuis oſtendens cantharum cum vino, vel ſaccum cum pecunia, diceret, Hoc eſt vinum Rhenenſe: hoc eſt pecunia.

4. Pronomen Hoc non ſimpliciter de pane, ſed de pane carneo intelligi debere.

In Serm. contra Suerm. & Confeſſ. magna. Contra Caroloſtadium & de Capt. Babyl. Lib. quod verba, &c.

5. Species & accidentia panis, longum, latum, denſum,

denſum, rotundum & color. per verba, Hoc eſt Corpus meum : *non amplius ipſius panis, ſed Corporis Chriſti ſpecies & accidentia facta eſſe.*

6. *Hanc eſſe corporalis manducationis utilitatem, ut os, gula & Corpus, quæ Chriſti Corpus manducant, inde vitam æternam conſequantur.*

Ibid. 7. *Verba Chriſti Ioan.* 3. Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui de Cœlo deſcendit, Filius *&c. hunc ſenſum habere : quòd Corpus Chriſti jam tum cùm Nicodemo ſic loqueretur, ſimul in cœlo & in terra, adeoque etiam ubique & in omnibus locis fuerit.*

Ibid & in Kſſ. ad Italos. 8. *Non eſſe quæſtionem magni momenti, An ſubſtantia panis in Euchariſtia maneat, necne.*

In Confeſſ. Majore. 9. *Corpus Chriſti tres inter ſe varios & diverſos ſimul eſſendi modos, Circumſcriptivum, Definitivum & Repletivum habere: & quatenus per unitatem Perſonæ in Deo ſit, non eſſe Humanæ Naturæ proprietatibus obnoxium, ſed eſſe in omnibus creaturis, & extra creaturas omnes, ut ipſe Deus.*

Ibid. & alibi. 10. *Còrpus Chriſti glorificatum, eſſe rem longè ſubtiliorem quàm ſit ſonus Humanæ vocis: ideoque multò facilius ipſi eſſe invadere & penetrare in panem, quàm Humana facies in ſpeculum, aut ſonus Humanæ vocis ad multorum aures pervenire poſſit.*

11. *Quoniam Chriſtus una Perſona ſit; ideò ſicut divinitas ejus ubique ſit, ita etiam humanitatem ejus ſimul ubique eſſe : aut Chriſtianam fidem falſam eſſe.*

12. *Valere conſequentiam argumenti, Verbum eſt ubique : Caro unitate Perſonæ eſt unita Verbo: ergo & caro Verbi eſt ubique. Item, Dextera Dei, ad quam humanitas Chriſti eſt exaltata, ubique eſt, etiam in pane Euchariſtiæ: ergo etiam humanitas ipſa per modum ſeſſionis ad dexteram, eſt ubique.*

In Serm. contra Suerm. 13 *Papiſtas verum Chriſti Corpus in proceſſionibus ſuis circumgeſtare, licet hoc faciant ſine Dei mandato.*

Tom 12. Vuiteb. fol. 165. 14. *Papiſtas in ſua Miſſa communionem populi facientes, & celebrantes ſub una ſpecie, verum Corpus realiter diſtribuere.*

In Confeſſ. parva. 15. *Elevationem Corporis Chriſti in Sacramento ad hoc eſſe utilem, ut intelligant Chriſtiani, Hoc eſſe verum & reale Corpus Chriſti, quod pro iis eſt traditum.*

Contra Vualden. fratres & contra Carolſt. 16. *Corpus Chriſti in hac elevatione adorandum eſſe, aut ſuo debito honore ſpoliari.*

17. *Nicolaum Pontificem rectè Berengarium damnaſſe, & ad hanc confeſſionem adegiſſe, ut diceret, Corpus Chriſti non tantum in Sacramento, ſed & in veritate manibus tractari, frangi & dentibus atteri.*

In Confeſſ. parva. 18 *Pontificiam Eccleſiam hactenus de corporali præſentia rectè ſenſiſſe, cum qua etiam ſe ſentire velle profitetur.*

Tom. Ien. 2. fol. 100. De Capt. Babyl. 19. *Papam non reddere, paſſionem Chriſti inutilem eo, quòd doceat, Chriſtum in ſpecie panis remittere peccata, & nos redimere. Si venis in locum, in quo tantum una ſpecies datur, ſume tantum unam ſpeciem, ſicut & ipſi faciunt. Item, Non quod peccent in Chriſtum, qui unâ ſpecie utuntur, quum Chriſtus non præceperit ullâ uti, ſed arbitrio cujuſlibet reliquit, dicens Quotieſcunque hæc feceritis in mei memoriam facietis.*

In lib. de Euchar. Contra cæleſtes Prophetas. 20. *Non eſſe neceſſe dare locis utranque ſpeciem.*

Similia multa etiam de aliis articulis ex Lutheri ſcriptis adduci poſſunt. Veluti quod de Imaginibus ſic ſcribit: Dico, ſecundum legem Moſis, nullam aliam imaginem prohibitam eſſe præter imaginem Dei. Crucifixi autem, vel alterius Sancti imaginem habere, non prohibitum eſt. Ne ingeratur nobis Moſes. Nos in Novo Teſtamento Moſem nec videre nec audire volumus. *Item :* Mandatum de Statuis & Sabbatho, ſunt ceremoniæ quæ ſuo modo ſunt ſublatæ. *De Oratione pro mortuis*, Dominica 1. poſt Trin. Cùm neſciamus, *inquit*, an de animabus defunctorum lata ſit ſententia, non peccas pro illis orans.

Hæc & ſimilia multa Lutherus in polemicis ſuis ſcriptis habet, quæ Patres Bergenſes Canonem ſeu normam & regulam doctrinarum omnium faciunt & conſtituunt. Longè aliter de iis judicavit ipſe Lutherus, ſic ad Capitonem ſcribens: De Tomis meorum librorum diſponendis, ego frigidior ſum & ſegnior, eò quòd Saturninâ fame percitus, magis cuperem eos omnes devoratos. Nullum enim agnoſco meum juſtum librum : niſi forte de Servo arbitrio & Catechiſmum.

Neuſtadiana Admonitio de Bergenſium modo agendi iniquo & injuſto in Formula Concordiæ conſcribenda, &c. VNDECIMÒ, *oſtendunt modum agendi iniquiſſimum quem in conſcribenda, ſuffragiis munienda, & promulganda Concordiæ Formula, ſequuti ſint Bergenſes Theologi. Quia enim propoſitum ipſis fuit, dogma ſuum novum & hactenus in Eccleſia inauditum de* VBIQVITATE *Corporis Chriſti editione hujus Libri ſtabilire & confirmare : ſcirent autem* Philippum Melanchthonem *hoc dogma in ſuis ſcriptis acriter oppugnare & refutare, huc omnes ſuos conatus & artes direxerunt, ut omnem nomini & ſcriptis* Philippi *authoritatem derogarent, eamque ad ſe, prætextu nominis* Lutheri, *transferrent. Illum igitur Solomoni compararunt, ſalutem ejus in dubium vocarunt, ipſum falſarium, Auguſtanæ Confeſſionis corruptorem, Apoſtatam à veritate, proditorem ac peſtem, Eccleſiarum ſeductorem ac omnium in iis malorum authorem, atrociſſimiſque ſuppliciis dignum proclamarunt. Libros illius tanquam hæreticos & impuros damnarunt, & quicquid potuerunt in iis reprehenderunt, diſcipulos quoque ejus exiliis & carceribus mulctarunt : Qui aliquanto antea Melanchthon,*

ſecun-

ſecundum Deum, quicquid haberent boni, ſe debere faſſi ſunt, magiſtrum & amicum ipſum agnoverunt & venerati ſunt, libros ejus in Scholis juventuti commendarunt & prælegerunt: quique in ſua de conſenſu Eccleſiarum Auguſtanæ Confeſſionis narratione anno 70. edita, clariſſimum Dominum, Patrem & Præceptorem, heroem præſtantiſſimum, & cum Luthero *concordem, Theologum excellentem & præ multis illuminatum, eum nominarunt; in cujus Libris, præſertim Corpori doctrinæ inſertis, omnes articuli Confeſſionis Auguſtanæ, piè & rectè declarati ſint.*

Sed quum ſpes hæc eos fefelliſſet, quòd nomen & authoritas Philippi *in bonorum animis nondum exſtincta & deleta eſſet, & prodirent paſſim ſcripta ex reformatis Eccleſiis, & à Pontificiis, quibus falſa eorum & abſurda dogmata, præſertim de Vbiquitate, ſolidè refutabantur, & contra diſputando & ſcribendo viderent ſe non poſſe conſiſtere; de veritate per ſuffragiorum authoritatem & multitudinem opprimenda cogitare cœperunt. Blandè & molliter igitur tentati ſunt animi ab initio docentium in Academiis & Eccleſiis præcipuis, & exploratum, an colligi ſuffragiorum tantus numerus poſſet, qui cum ſpe victoriæ Calviniſtis & Papiſtis opponeretur. Susceptus eſt itaque ad hanc rem primus Vbiquitatis Apoſtolatus per totam Germaniam. Exaggeratæ ſunt paſſim querelæ de calumniis Papiſtarum & aliorum, dictitantium, non reperiri duos Auguſtanæ Confeſſionis concionatores, qui inter ſe conſentiant; de Eccleſiarum deformatione, de infirmorum offenſione, quæ ex illis calumniis exiſterent: Amplificata eſt neceſſitas & pium ſtudium, illis occurrendi per conſenſus publici teſtificationem: Sanctè promiſſum fuit, nihil cogitari, nihil inſtitui, niſi quod ad* Philippi *honorem, Eccleſiarum & Scholarum ſalutem ſpectet: Dictum denique, normam illius Conſenſus fore Corpus doctrinæ Saxonicum, in ejus Confeſſione & approbatione ſe morituros. Propoſiti ſunt primùm articuli pauci, quorum facilior ſperabatur impetratio: Et quidem alibi ſecundum Corpus doctrinæ, alibi aliter formati, prout unicuique loco apti fore videbantur. Horum conceſſione obtentâ, gratulationes, & fraternitatis teſtificationes fuerunt magnificæ, etiam concionibus, & ſumptione Cœnæ Dominicæ confirmatæ. Illos conſequuta eſt Appendix de Cœna Domini, aſperſâ leniter Vbiquitate. Hanc repudiantibus reſponſum eſt, ea de parte cum nemine pugnatum iri: modo* τὸ ῥητὸν *verborum Cœnæ retineatur. Sed* curioſitas *abſque vocatione advolans, inquirens in ſibi non commiſſa, & dogmatis novitas, ſermonum & actionum inconſtantia offendit multos etiam inter ſe alioqui diſjunctos, & à pleriſque utriuſque partis primùm ſatis auſterè eſt repulſa, ſicut edita adverſus ipſos ſcripta teſtantur.*

Cùm igitur nondum poſſent, quos volebant, in naſſam ſuam pellicere, ad alteram partem, oralem eſum ſine Vbiquitate defendentem, facta eſt inclinatio, & cogitatum de occupandis Principũ animis, ut cùm diſputando non poſſent, vi perrumperent, & magnatum authoritate muniti, approbatores ſui dogmatis invenirent, & hac in re aliquos annos conſumpſerunt: Paulatim inſuſurratum illis, diſcedi à Luthero *& ab Auguſtana Confeſſione; Corpus doctrinæ eſſe corruptum; aboleri per illud libros* Lutheri*: doctrina autem illorum, qui petebantur, partim diſſimulata, partim calumnioſè depravata: Concordia* Lutheri *cum Helvetiis, & Germaniæ ſuperioris Eccleſiis inita, & fundamenta totius cauſæ Sacramentariæ alto ſilentio ſepulta; Authoritas* Lutheri, *& ficititia* Melanchthonis *& aliorum ab Auguſtana Confeſſione defectio, amplificata: Scripta* Lutheri *polemica publicè & privatim laudata, & inculcata, & horum prætextu dogma Vbiquitatis animis inſtillatum. Initium hujus perſuaſionis factum eſt à Principibus, authoritate & potentiâ antecellentibus, quorum exemplum & ductum cæteri facilè ſequuturi videbantur. Habito Conventu, ſcripta eſt Formula conſenſus, in qua vicit veritas, frementibus adverſariis, & fruſtra* Lutherum *ſine Scriptura allegantibus. Acrius ergo urgeri cœptum. Qui caput mali fuerunt, diu per cuniculos & alios egerunt, tundendo & obtundendo, & aliis Sinoniis artibus, tandem perſuaſa Principibus pericula, quæ imminerent, niſi maturè occurreretur: perfectum, ut ipſi aditu invento audirentur.*

His machinationibus ubi ſeptimo demùm anno Principum patrocinia parta fuerunt, non jam vetus illa modeſtia & manſuetudo, ſed nova confidentia, & diu occultatum virus haud obſcurè ſe exeruit. A quindecim Theologis, excluſis iis, qui erant ſuſpecti, conſcripti articuli de corporali præſentia Chriſti. Etiam hi non placuerunt; quia in illis conjungebatur adhuc Philippus *cum* Luthero, *non damnabatur Corpus doctrinæ, non ſatis expreſſa erat Vbiquitas Corporis Chriſti. Itaque his repudiatis, alii Conventus habiti, novum Corpus doctrinæ conditum, nova conſenſionis formula ſcripta, paucorum arbitrio, in qua dogma Vbiquitarium ex profeſſo poſitum, & in Canonem doctrinæ Eccleſiaſticæ relatum eſt. His cæteri ſubſcribere juſſi ſunt, ſine ulla diſputatione aut exceptione. Adverſantes aut recuſantes ſubſcribere, tanquam res novas molientes non tantum in Eccleſia, ſed etiam in Repub. calumniis oppreſſi, non auditi, non refutati, non collatis ſententiis, indictâ cauſâ, à ſuis accuſatoribus condemnati ad proſcriptiones & carceres: Ibi cum illis actum de ſubſcriptione, non rationibus, ſed promiſſionibus & minis.*

minis. Dictum palàm fuit ab iſtorum ſociis, omni ratione cavendum eſſe, ne res ad diſputationem veniret, ſi enim accuſatis poteſtas diſputandi & ſe defendendi fieret, actum eſſe de cauſa ſua. Propoſitæ ſunt quæſtiones inquiſitoriæ, ad quas reſpondere jubebantur ſimpliciter affirmatione aut negatione: qui non reſponderet ſecundùm Vbiquitatem, dictum & factum; Sacramentarius proclamatur: Anathema qui diſputaret, quia Lutherus *diſputaret ſatis.*

Miſſa eſt deinceps nova formula Concordiæ ad alios Confeſſionis Auguſtanæ Ordines ac petita fuit ſpecioſis rationibus Libri cenſura & approbatio. Cùm plerique ſubſcriptionem multis & juſtis de cauſis recuſarent, & graviſſimas Eccleſiarum controverſias alio modo tractandas & dijudicandas cenſerent, nec non alii alia in Libro deſiderata indicarent, delecti Vbiquitariæ ſectæ Coryphæi *arbitrio, ſex Theologi, qui ex Formula Torgenſi confecerunt Bergenſem, addentes, mutantes, dementes, ex cenſuris aſſumentes, & prætereuntes ad cauſam ſuam ornandam, quæ ipſis placuere.*

Iudicarunt Illuſtriſſimi atque optimi Principes, Librum à Theologis hoc modo confectum, non eſſe publicandum, niſi prius examinatum & approbatum in libera Synodo, in qua etiam diſſentientes à Libro audirentur. Hic verò Bergenſes Theologi, vires & artes ſuas omnes adhibuerunt, ut Principes ab iſto conſilio averterent, quòd viderent, Librum tam multis non tantùm doctoribus Eccleſiarum, ſed etiam Principibus & aliis Ordinibus improbari, ut ſi ad Synodum liberam veniretur, de ejus ſubſcriptione & publicatione parum ſperandum eſſet. Aliud autem huic conſilio oppoſuerunt, ut ſupra cap. 19. de ſubſcriptione Electorum ac Principum indicavimus.

Conſilium Theologorum Bergenſium de Synodo.

Hoc conſilium urgentibus Theologis, nihilominus aliqui Principum perſtiterunt in ſententia de Synodo generali convocanda: Theologi Reſponderunt: Sin omninò poſtularetur Synodus, *eam exſequutionis causâ hoc modo inſtituendam eſſe, ut ſupra quoque indicatum eſt.*

Sed, cùm hæc Synodi forma non probaretur, perſuaſerunt Theologi Principibus, ut ſecundum Decretum Bergenſe, res perageretur. Petitum ergo eſt, ut ſaltem aliqua corrigerentur & mutarentur in Libro, quibus ſubſcribere grave eſſet. Proteſtati ſunt ſex Theologi, ſe ne minimam quidem Libri partem mutaturos, ac ne de verbo quidem uno ceſſuros: nec tantum Theologis & Miniſtris, ſed etiam Principibus omnem ulterioris cenſuræ aut mutationis poteſtatem negarunt, utcunque illi nec pauca nec levia in Libro deſiderarent. Imo rationes afferentibus, quare dogmata Libri probare non poſſent, reſponderunt, ſe non diſcendi causâ veniſſe. Aliqui Principes hac de cauſa Librum reſpuerunt, aliqui ſuas cenſuras in Libri correctione præteritas & omiſſas, quæſti ſunt, & non ſatis æquo animo tulerunt.

Quin etiam dum iſta ſic geruntur, ex ipſis Libri concinnatoribus alii in univerſum editionem Libri diſſuaſerunt, alii de ea penè deſperârunt, alii ſive conſcientiâ ſtimulante, ſive metu de rerum ſucceſſu, cæteros monuerunt, à pluribus non probari, quòd res tanta, & ad omnes Eccleſias attinens, tam paucis hominibus committeretur ſine communi Synodo: Subſcriptio ſimplex ab iis poſtularetur, qui deliberationi & decreto faciendo non interfuiſſent: In ipſo etiam Libro eſſe plurima, quæ emendationem vel additionem requirerent: dogmata quædam & anathematiſmos pugnare cum cæteris Libris Normæ: imò & in illis ipſis confirmari Tranſſubſtantiationem, & alia, quæ in declaratione damnentur: Condemnationes omittendas, & Philippi *mentionem honeſtam faciendam eſſe.*

Hic modus agendi, & hoc aucupium fuit, quo Theologi Bergenſes collegerunt & Librum ſuum, & ejus ſubſcriptiones, & in lucem hunc montium partum ediderunt. Ac teſtantur ſanctè Neuſtadiani Theologi, in tota hac narratione nihil exſtare, quod non in tota Germania notorium ſit, & multorum teſtimoniis luculenter confirmari poſſit, atque etiam breviſſimè tantùm ſe capita attigiſſe, ex multorum annorum hiſtoria.

Neuſtadiana Admonitio fructus Formulæ Concordiæ indicat.

DVODECIMO, *oſtendunt, quid ex hoc Libro naſciturum, & qui fructus ad Eccleſias & Reſpublicas redituri eſſent, ſi ſecundum ipſum de Chriſtianiſmo ſtatuendum & judicandum eſſet. Nam primò multipliciter in eo depravari & perverti doctrinam Religionis Chriſtianæ. 2. Multa nova commenta & Confeſſioni Auguſtanæ etiam repugnantia in hac Formula contineri. 3. Miniſterii & Religionis omnis authoritatem hujus Libri exſequutione non poſſe non funditùs convelli. 4. Diſſidia quæ hactenus in Eccleſiis fuerint, Librum iſtum receptum augere, vetera & jam olim ſepulta reſuſcitare, & nova his non leviora excitare. Nova enim dogmata, & novas phraſes non poſſe non nova certamina parere. 5. Ex his autem graviſſima ſcandala infirmorum, & conſcientiarum vulnera in Eccleſiis neceſſariò conſequi, tam apud Miniſtros, quàm apud populum, atque etiam ipſos adverſarios Papiſtas. 6. Præcipuè vero iſtis molitionibus Theologorum deformari Illuſtriſſimos Principes, quorum honor ut ſalvus ſit Eccleſia & Reipub. plurimùm interſit. Authoritatem laudatiſſimorum majorum, omnium de religione prius actorum & decretorum, atque adeo totius Eccleſiarum reformationis, maniſeſtè labefactari, dum prius rectè & piè conſtitutis & approbatis contraria in hoc Libro ſtatuantur: Corpus doctrinæ, publicis edictis ſancitum & commendatum Eccleſiis & miniſtris, in ipſorum vocatione & ordinatione, priva-*

privatim & publicè receptum à pleriſque Auguſtanæ Confeſſionis ſociis Ordinibus, & à cæteris Eccleſiis probatum, nunc aboleri & damnari, nullâ Eccleſiis cauſâ expoſitâ, & nullius erroris convictum, tantùm ideò, quia non Vbiquitati patrocinetur. 7. Deformari quoque hoc Libro Lutherum, *cujus errata & lapſus, quos tegere & oblivione ſepelire deberent, mundi totius oculis ſpectandos ingerant.* 8. Philippum Melanthonem, *de Eccleſiis & Scholis optime meritum conculcari, proclamari hæreticum, proditorem Eccleſiarum falſarium Auguſtanæ Confeſſionis, depravatorem Doctrinæ clancularium. 9. Turbatâ autem Eccleſiarum pace & tranquillitate publicâ, etiam politiarum incolumitatem in periculum non obſcurum adduci. 10. Præter Eccleſiæ & Reipub. etiam Scholarum ruinas librum hunc Bergenſem minari. Viros enim hunc librum non probantes eiici e Scholis, alios non admitti; alios nolle ad functiones docendi periculoſas & lubricas accedere, metu tyrannidis quam videant in bonos exerceri.*

DECIMOTERTIO, *Epilogum huic Admonitioni annectunt Neuſtadiani, in quo de vera Chriſtianæ Concordiæ in Eccleſiis conſtituendæ ratione agunt.*

Cujuſdam docti viri de Neuſtadiana Admonitione.

De hac Admonitione vir quidam doctus ad amicum ſic ſcripſit. Aſſeruit hic Liber gloriam Filii Dei, ſaluti proſpexit multarum Eccleſiarum, frænos injecit tyrannidi novæ, Pontificiam vel æquanti, vel ſuperanti. Ex huius libri lectione factum, ut multorum animi, qui vel non potuerant, vel etiam noluerant controverſias illas cognoſcere, ad diligentiorem veritatis indagationem incitarentur, & ad moderatiora judicia converterentur. Multi, qui in ignoratione rerum omnium, præoccupati inſtitutione puerili, & ſermonibus malevolorum, minus commodè de doctrina Eccleſiarum orthodoxarum ſentirent, æquiores eis redditi, ſimul atque eis indicatum eſt & demonſtratum chaos abſurditatum, ſub ſpecioſis quibuſdam nominibus deliteſcens. Vt non ſine gravi cauſa in præcipuo quodam Germaniæ oppido, Conſul vir gravis, cano capite & albâ barbâ, poſt multiplices de turbis, odiis, condemnationibus & proſcriptionibus querelas, hæc ſubjunxerit: *Profectò ex animo lætor in toto orbe terrarum unum angulum aliquem reliquum eſſe* (Neuſtadium innuens) *ex quo Harmoſtæ illi, Spartanis longè aſperiores, de erroribus horribilibus, quos per vim obtrudunt Eccleſiis, libere commonefiant. Abſque hoc,* addens, *oppidulo, jam pridem monſtrum illud παλλαγναίτις, Maieſtatis pallio veſtitum, ſecundum ab idolo Maozim in templis locum obtineret.*

De Appendice Formulæ Concordiæ viri docti Iudicium.

De Appendice Formulæ Concordiæ vir doctus ad R. G. hæc ſcripſit inter alia quoque: Quàm vellem ut N. Appendicem libri Bergenſis, de Maieſtate hominis Chriſti, refutandum ſuſciperet. Tota ex *Kemnitii* libro deſumpta eſt. Conatus eſt Sophiſta teſtimoniis iſtis Maieſtatem hominis Chriſti in genere probare, cùm hìc adverſarium habeat neminem. Occultat verò inſidiosè quatuor iſtius Majeſtatis ſpecies, quas humanitati Chriſti competere, & tribuendas eſſe vult: nempe, Omnipotentiam, Omnipræſentiam, Vivificationem & Adorationem. Iam ſi omnino Patrum ſententiæ, ex quibus Majeſtatem in genere probare contendit *Kemnitius*, diligenter excutiantur, facillimum eſt ex omnibus ferè probare, quod quatuor iſtas Majeſtatis ſpecies Humanitati Chriſti ſecundum ſe competere negent. Nemo enim eſt, qui humanitatem Chriſti omnipotentem, omnipræſentem, vivificatricem & adorabilem per ſe dicat. Sed ſicut carnem Deum eſſe dicunt, non in ſeſe, ſed in Verbo, cujus eſt propria & vnica caro: ita quoque omnipotentem, omnipræſentem, vivificatricem & adorabilem eſſe fatentur.

Chriſtoph. Irenæus refutat Formulæ Concordiæ articulum de peccato Originali.

Prodiit quoque in lucem Examen *Primi Articuli & ſpiritûs vertiginis in novo Concordiæ libro; unà cum ſolidâ probatione, quod in eo Articulus de Originali peccato ſecum ipſe pugnet, & ſeipſum evertat,* M. Chriſtophoro Irenæo *auctore: Germanicè. In Præfatione indicat, Fabrum, hoc eſt,* Schmidlinum, *duodecim annis integris hunc Librum Concordiæ nunc hac, nunc aliâ formâ fabricaſſe.*

Bellarmini Ieſuitæ judicium de libro Concordiæ.

Eodem ferè tempore prodiit in lucem quoque Iudicium Roberti Bellarmini *Ieſuitæ de libro Concordiæ, idque tria potiſſimum continere mox ab initio teſtatur.* Primò, *inſignem vanitatem.* Secundò, *graviſſimas hæreſes contra Symbolum Apoſtolicum:* Tertiò, *mendacia innumerabilia, apertiſſima, atque inter ſe pugnantia.*

Formulæ Concordiæ vanitas ex Bellarmino.

PRIMO, *Quod ad Vanitatem attinet: eam in Subſcriptionibus perſpici ait.* Quorſùm enim, *inquit*, attinebat, vt omnes Miniſtri, Concionatores, Ludimagiſtri & hypodidaſcali ſubſcriberent? Certè non poteſt exemplum vllum, ejuſmodi ſubſcriptionum, in negotio fidei, ab antiquitate peti. Siquidem ab Apoſtolicis temporibus per annos mille quingentos, in omnibus Conciliis, tam generalibus, quàm nationalibus, aut Provincialibus, ſoli Prælati, qui juriſdictionem aliquam habent, ſubſcribere conſueverunt. Sunt etiam interdum addita nomina Imperatorum, aut

 Regum,

Regum, aut Principum aliquorum: Sed Ludimagiſtrorum & Hypodidaſcalorum nulla uſquam invenitur mentio. Deinde, *ait*, iſta ſubſcriptio ad Librum Concordiæ, ingentis Diſcordiæ ſignum eſt. Qualem enim vnionem inter Lutheranos eſſe exiſtimandum eſt, quando non ſolùm Principes ad Concordiam redigi, ſed etiam privati homines ad ſubſcribendum cogi debuerunt? Et quamvis numeroſa ſubſcriptio eſſe videatur, eſt tamen ipſa quoque paucitatis argumentum. Nam ſi Rom. Eccleſia ejuſmodi ſubſcriptionem inquireret, in puncto temporis haberet non octo millia, ſed plus quàm octingenta millia ſubſcribentium: neque ex ſola Italia ſubſcriberent innumerabiles Presbyt. & Diaconi, atque Scholarum & gymnaſiorum præfecti, ſed etiam ex Hiſpania, Germania, Gallia, America, Braſilia, India, Iaponia. Denique tam numeroſa ſubſcriptio, inexcuſabilia reddit tam multa, & tam craſſa mendacia, quæ in hoc libro continentur. Si enim vnus tantum aut alter librum iſtum, antequam ederetur, vidiſſet, ignoſci poſſet fortaſſe Humanæ imbecillitati, ſi aliquid erroris obrepſiſſet: at quod ſedecim millia oculorum craſſiſſima mendacia deprehendere non potuerint, quis ferat? Alterum profecto neceſſarium eſt, aut cœcos omnes fuiſſe, aut etiam cum mendaciis Concordiam facere voluiſſe.

Formulæ Concordiæ errores ex Bellarmino.

SECVNDO *inter errores Concordiæ, diſcordantes à Symbolis, in ipſa autem Concordia receptos, hunc* primò *loco numerat, quòd ſcribant, Chriſtum non ſolùm ut hominem, ſed etiam ut Deum Patri fuiſſe obedientem.* Hic error, *inquit Bellarminus*, deſtruit penitus veram dignitatem Chriſti, quam Symbolum Nicenum contra Arianos aſſeruit. Nam ſi Chriſtus, ut Deus, Patri obedivit, certè ut Deus à Patre diſtinguitur: alius igitur Deus eſt Pater, alius Deus eſt Filius: Sed vnus tantùm eſt verus Deus, & conſtat, Patrem eſſe verum Deum, non igitur Filius eſt verus Deus. Rurſum, qui obedit, minor eſt illo cui obedit: Ergo ſi Chriſtus, ut Deus, Patri obedit, Deus minor eſt Patre, contra Symbolum Athanaſii, &c.

Alter error eſt, quòd Humana Natura Chriſti ſit vbique verè & realiter. Hic error, *inquit Ieſuita*, repugnat *Primò* Scripturis, quæ paſſim aſſerunt, Chriſtum ratione humanitatis alicubi non fuiſſe. *Secundò*, repugnat Articulis Symboli, de Chriſti conceptione, nativitate, &c. Nam Articulus de conceptione docet, in ſolius Mariæ vtero Corpus Chriſti fuiſſe: At ſi vbique fuit ſtatim ab incarnatione, ut adverſarii docent, fuit in vteris omnium fœminarum, imò etiam omnium virorum. Articulus de Nativitate, docet, Chriſti corpus poſt nonum menſem, ex vtero prodiiſſe, & ſic verè natum eſſe. At, ſecundum Vbiquiſtas, primò die conceptionis fuit extra vterum, & poſt Nativitatem adhuc erat in vtero, &c. Pari ratione deſtruuntur cæteri Articuli.

Tertius *error eſt, quòd Chriſti humanitati ſint collata verè & realiter, multa attributa Divina, ut omnipotentia, omniſcientia, omnipræſentia, atque adeò ipſa Divina Majeſtas.* Hic error *inquit*, deſtruit veritatem Humanitatis Chriſti, renovat hæreſin Eutychetis & pugnat cum Symbolo fidei. Nam ſi Chriſti Humanitas verè & realiter non ſolùm eſt vbique, quia eſt in toto mundo, ſed quia habet omnipræſentiam & immenſitatem, quam habet Verbum, & proinde eſt in infinitis ſpaciis imaginariis extra mundum, vel certè eſſe poteſt: profecto eſt formaliter infinita & immenſa: & cùm non ſit infinita magnitudine molis, ut adverſarii concedunt, infinita erit magnitudine virtutis. Infinita autem virtus infinitam eſſentiam requirit, eſt igitur Chriſti Humanitas, eſſentia infinita: & proinde vel eſt converſa in Deitatem, vel duo ſunt entia infinita. Idem argumentum de omnipotentia & aliis Dei attributis fieri poteſt.

Quartus *error eſt, quòd Vnio hypoſtatica conſiſtat in communicatione divinorum attributorum.* Hæc ſententia, *inquit Bellarminus*, deſtruit myſterium incarnationis. Nam cùm divina attributa ſint communia toti Trinitati: ſi in illorum communicatione *conſiſtit Vnio hypoſtatica, ſequitur, omnes tres Perſonas incarnatas eſſe, cum Vnio facta ſit in eo quod eſt commune toti Trinitati. Deinde, ſequitur hinc, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum vnitos eſſe hypoſtaticè, atque vnam tantum eſſe Perſonam. Præterea, aut volunt, hypoſtaticam Vnionem conſiſtere in communicatione omnium attributorum, vel aliquorum tantùm. Si omnium, impoſſibilis erit Vnio hypoſtatica. Nam inter attributa Dei, numeratur vera æternitas, principio & fine carens: at impoſſibile eſt, rem creatam carere principio, & ſaltem certum eſt, Chriſti humanitatem non fuiſſe ab æterno. Si vero aliquorum tantum, quis dicere poterit, quæ ſint illa, cum eadem ſit ratio omnium? Vt enim eſſe poteſt Vnio hypoſtatica, ſine communicatione æternitatis, cur non poterit eſſe ſine communicatione omnipræſentiæ vel omnipotentiæ? Denique, iſta attributa non poſſunt eſſe Naturæ Humanæ eſſentialia, erunt igitur accidentalia: quod Liber Concordiæ aſſerere videtur. At hæc ipſa eſt Neſtorii hæreſis,*

reſis, qui Verbum cum homine per operationem conjungebat.

Vuitteberg. contra Bellarmini judicium.

TERTIO, *longum catalogum Mendaciorum quæ in Libro Concordiæ continentur, Ieſuita enumerat.*

Hoc judicium Bellarmini de Libro Concordiæ, mox ab univerſa Academia Vuittenbergenſium Theologorum conjunctis viribus oppugnatum eſt. In Refutatione autem primi erroris non ſolùm admittunt, Chriſtum, ut Deum, obediſſe Patri, ſed etiam virginem Mariam non tantùm eſſe matrem Dei, quæ vera eſt ſententia, ſed etiam eſſe Matrem Chriſti ut Dei, quod eſt hactenus apud Chriſtianos inauditum, cùm reduplicatio, VT, *non ſuppoſitum, ſed formam reduplicet.* Quemadmodum, *inquiunt,* Maria Chriſti non ſolùm ut hominis, ſed etiam, ut Dei mater eſt, ita quoque Chriſtus, non ſolùm ut homo, ſed etiam ut Deus Patri obediens fuit. *Quid eſt autem, ſi propriè loqui velimus, Mariam eſſe matrem Chriſti, non ſolùm ut hominis, ſed etiam ut Dei, niſi Chriſtum à Maria Divinitatem habere, ſicut ab illa humanitatem habet? Quòd ſi Chriſtus à matre divinitatem & humanitatem habet, certe antequam ex virgine naſceretur, Deus non erat, imò neque aliquid erat, qui* Ebionis *&* Photini *error fuit. Ex eodem ignorantiæ fundamento paulò pòſt addunt,* non poſſe negari, quin Chriſtus, ut Deus, fuerit Patri obediens, niſi duæ cum Neſtorio affirmentur in Chriſto eſſe Perſonæ, vna, quæ obediverit Patri, altera, quæ Patri non obedierit, *Quaſi verò non poſſit vna & eadem Perſona Divina in forma ſervi obedire Patri, in forma Dei cum Patre jubere. Sic enim Apoſtolus ad Philip. 2. de una eademque Perſona Chriſti loquitur. Sed & ulterius progrediuntur, & obedientiam Filio Dei tribuunt etiam antequam formam ſervi acciperet, id eſt, non ſolùm ſecundum Deitatem, ſed etiam ſecundum ſolam Deitatem, quod ab hæreſi Ariana nihil differt.*

Poſtremò, arguendo Librum Concord. mendaciorum plurimorum, ſcribunt Vuitteb. Bellarminum Illuſtriſſ. Principes Germaniæ mendaciorum arguere. Idem etiam Calvinianis, Concor. librum oppugnantibus, obiiciunt. Ita enim derivatâ mendaciorum infamia à ſe in Principes, id futurum ſperant, ut quod ipſi rationibus non poſſunt, notam videlicet mendaciorum & falſarum aſſertionum eluere, id Principes authoritate ſua præſtarent. At *inquiunt,* verba illa Præfationis Concordiæ, in quibus mendacia notantur, Principum verba ſunt. *Reſpondet rectè ac verè Bellarminus,* Verba quidem illa ita ſcripta ſunt, ac ſi à Principibus dicerentur, ſed reverà à Theologis compoſita & conſcripta ſunt. Principes enim nomine ſuo Præfationem illam edi voluerunt, quò Liber Concordiæ plus authoritatis haberet. Sed quemadmodum decepti ſunt, non autem mentiti, cum Concordiæ ſubſcripſerunt, quia vera eſſe crediderunt, quæ in ea continebantur: ita quoque cùm Præfationem à Theologis confectam ſuo nomine typis mandari voluerunt, non ipſi mentiti eſſe dicendi ſunt, quamvis in ea Præfatione multa ſint falſa: ſed ii, qui ſcientes falſa eſſe, non veriti ſunt ea conſcribere. Non igitur Principes quęrentur de aliis, ſed de Theologis ſuis, qui ipſis ita impoſuerunt, ut errores graviſſimos mendaciaque clariſſima pro veritate eis obtruſerunt.

Extat etiam de hac Concordia Ioannis Pauli Windeck in Prognoſtico futuri ſtatus Eccleſiæ hoc judicium. Vt Schmidlinus, *inquit,* Calviniſmum, Adiaphoriſmum, Majoriſmum, Oſiandriſmum, & Antinomiam majori auctoritate ac vi obrueret, expugnaretque, à multis ſtatibus Imperii approbationem ſuæ Concordiæ efflagitavit. Quam magno, ut fatetur, labore fabricatam, ceu idolum quoddam Delphicum in univerſum omnibus adorandum propoſuit, ac veluti ex Tripode Sententiam Sanguine Scriptam, adverſus iſtas Sectas ſuperciliosè poſtulavit & obtinuit. Quid effecit? Paucis multa complectar. Animos utrinque exacerbavit, partes inter ſe de novo commiſit, magiſtratus à ſociis, ſocios à ſe invicem, alios ſuſpicionibus, alios ſimultatibus, alios ſeditionum uſurpatione diſtraxit, Sectas confudit, miſcuit, pervertit. Et mox: Hæc condemnandi libido hominum hæreticorum propria eſt, ac in tantum quidem propria, ut ſi ſigna alia deſint, hoc unica certè, à legitimo ac uno, nec uno ſaltem, ſed verè ac radicitus etiam, in pietate fideque unito Dei grege ſeparari ac dignoſci queant. Pax quidem inter Lutheranos ac Zuinglianos, ſeu Calviniſtas, non ſemel & tentata, & facta eſt, at per iſtam Concordiam diſſenſionis malum eò uſque invaluit, ut vix ullam medicinam admittat. Nam occaſione Concordiæ iſtius, prælia concertationum ac condemnationum ex leviſſima unius aut alterius Saxonis umbra, vel dedolati fabri (Schmidlini) acerbè recruduerunt, ut pax ipſa illa magis ad renovandum bellum, quam Concordiam conſervandam videretur inſtituta.

Anhaldinorum *quoque Theologorum edita eſt adverſus Formulam Concordiæ* Repetitio brevis, ſimplex & perſpicua Orthodoxæ Confeſſionis de aliquot articulis controverſis. *Item*, de myſterio Incarnationis Verbi & vnionis hypoſtaticæ contra Vbiquitatem & realem Communicationem Idiomatum, Aſſertio catholica: exſtructa

Anhaldinorum Repetitio brevis de quibuſdam controverſis articulis.

ſuper fundamentum ſacrarum literarum, juxta conſenſum totius orthodoxæ antiquitatis & Scholaſticorum ſynceriorum: Cumque iis & Lutherum conſentire docent, vbi hunc locum ex profeſſo & ſolidè tractat. *Exhibita fuit hæc Confeßio primùm, antequam ederetur, à Theologis Anhaldinis Anno 79. menſe Martio, in Caſſellano Conventu Theologis Haßis, & legatis reliquis. Ad finem Libri adjectæ ſunt Theſes de vivifica carne Chriſti, auctore* Hermanno Pacifico.

Anno etiam Dom. 1589. *Germanica lingua editus eſt Liber, hoc titulo:* Compendium & Delineatio Formulæ Concordiæ. *In eo ad oculum demonſtratur, quæ Doctrina de Perſona Chriſti, & ſacroſancta ejuſdem Cœna in Libro Concordiæ contineatur. Additæ ſunt Cenſuræ & Iudicia nonnullorum Principum & aliorum de Theologis iſtis, quib. conſcriptio Libri Concordiæ demandata fuit.*

Quòd autem ad Doctrinam Formulæ Concordiæ de Perſona Chriſti attinet: oſtenditur in hoc libello primò, *quòd in ea confundant Bergenſes Patres Concretum & abſtractum, nec diſtinguant nomen Perſonæ & Naturæ, ſed vocabula Dei & Deitatis, Hominis & Humanitatis, pro iiſdem uſurpent: ſimiliterque abſtractum pro diſtracto; & particulas diſtinctivas pro diſiunctivis ponant, unde novæ phraſes in Theologia naſcantur, quæ nec cum ſacris literis, nec cum Auguſtana Confeßione & ejus Apologia congruant: Hæc autem propterea à Patribus iſtis fieri, ut ſub hac larva Vbiquitas occultari poßit. Hæc videre licet in Concordiæ libro fol. 7. Præfationis: & deinde fol. 245. 310. 311. 313. 314.*

II. Quòd nova doctrina in Formula Concordiæ, de Communicatione reali, jam pridem in Corpore doctrinæ Philippi, *& ab ipſo quoque* Selneccero *in Geneſin fol. 839. & 8 5. anno 69. rejecta, in Eccleſiam introducatur. Qua de re vide Formulam Concordiæ fol. 306. a. 244. a. b. 245. a b. 246. Neg. 5. 6. 7. fol. 247. a. Neg. 16. fol. 305. 306. 313. b.*

III. Quòd Incarnatio ſit perfectio Filii Dei: vide Formulam Concord. fol. 305. b. 302. a. hoc eſt, quòd Divina Natura Filii Dei per ſe non ſubſiſtat, ſed unio Humanæ Naturæ Perſonam perfectam reddat: Item, quòd Perſona Filii Dei non perfecta Perſona ſit.

IV. Quòd deificetur Humana Natura per realem communicationem eſſentialium proprietatum Deitatis. Vide fol 244 a. 245. a. b 313. b.

V. Quòd doceatur Confuſio & exæquatio duarum naturarum, & extenuatio Divinæ. Vide fol. 245. b. Affirm. 0. 11. 12. 242. a. Si enim Humanitas Chriſti eſt omnipotens, omniſcia, &c, non ſequitur, Chriſtus eſt omnipotens, Ergo eſt verus Deus.

VI. Quod aſſeratur in Formula Concordiæ duplex omnipotentia, omnipræſentia & Deitas: una æterna communicans, altera in tempore realiter communicata. Vide fol. 312. b. 313. b. 314. Iuxta hanc verò Doctrinam non rectè diceretur in Athanaſii Symbolo; Minor Patre ſecundum humanitatem: *ſed dicendum eſſet, Æqualis Patri ſecundum Humanam Naturam, cui realiter Omnipotentia & Vbiquitas communicata eſt.*

VII. Quòd doceatur annihilatio Humanæ Naturæ, cui nunc competat alia definitio, quia ſit alterius veritatis, & ſic alterius ſpeciei, atque noſtra corpora, Fol. 245. b. affirm. 12. & 302. 313. b. Ibi enim aſſeritur, quod Humana Natura integra carne & oßibus vbique etiam in pane Cœnæ ſit, ſed tamen inviſibiliter, incomprehenſibiliter & inſenſibiliter, & quidem non ſecundum proprietatem Humanæ Naturæ. Neceſſariò igitur vel cum Eutyche & Suenkfeldio fateantur, Humanam Naturam Corporis Chriſti, non amplius, ut antea, viſibilem, comprehenſibilem, & nobis fratribus ſuis ſimilem eſſe: vel ſtatuant aliud Corpus in cruce pependiſſe, & aliud inviſibile ubique occultatum fuiſſe.

VIII. Quòd extenuetur opus Redemptionis humanæ.

IX. Quòd confirmetur mixtio duarum naturarum in unum tertium.

X. Quòd Quaternitas affingatur Trinitati.

XI. Quòd tollantur principia fidei in myſterio Trinitatis, de ſimplicißima & individua eſſentia.

XII. Quòd ſubſternatur fundamentum errori de ſubſtantia peccati.

XIII. Quòd reali ſuâ communicatione evertant Bergenſes in Concordiæ Libro Realem diſtinctionem.

XIV. Quòd Antitrinitariis & Arrianis in eo libro fundamentum ſternatur.

XV. Quòd Concordiſtæ in eo diſſentiant, Num omnes, an verò aliquæ proprietates realiter communicentur: Et quando hæc communicatio inceperit.

XVI. Quòd tollatur diſcrimen inter unionem, communicationem, & ipſam exaltationem & humiliationem: fol. 246. b. affirm. 10. 11. 12. 306. a. 307. b. Vbi dicitur, Humanam Naturam bis ad dexteram Dei exaltatam, videlicet in utero materno, deinde poſt reſurrectionem.

XVII. Quod doceatur fol. 245. b. 307. b. 309. b. 311. b. penitus à Chriſto depoſitam eſſe formam ſervilem, hoc eſt, comprehenſibilem, viſibilem & Corporeum modum Corporis, ut expreſſè declaratur fol. 302.

XVIII. Quòd quatuor diverſißimæ Naturæ in Chriſto ex errore de tribus Eſſendi modis in hoc libro ſtatuantur.

XIX. Quòd fol. 302. Aſcenſio Corporis Chriſti in Cœlum tranſformetur in diſparitionem:

quòd tanquam Calviniſticus error damnetur fol.243.293.246.negat 10.11.ſi quis credat, quòd Chriſti Corpus in Cœlo tantum, & non vbique ſit: Quòd locus Act.3. Oportet Chriſtum cœlum accipere, *explicetur fol. 304. quaſi Chriſtus non in Cœlum, ſed Cœlum in Chriſtum tranſierit: Quod doceatur fol. 245. b. Aſcendere in Cœlum nil aliud ſignificare, quàm ubique eſſe, omnia implere, ad omnem omnipotentem Majeſtatem & in omnibus creaturis præſens collocari, inviſibilis & incomprehenſibilis fieri, & formam ſervi penitus deponere.*

XX. Quòd aſſeratur fol.207.b.245.b.302.b. Cœlum non certum locum eſſe.

XXI. Quod doceatur fol. 245. b. affir. 10.11. 307.b. humanitatem ab ipſo momento conceptionis ad dexteram Dei ſediſſe, & proinde Aſcenſionem quoque in ipſa conceptione in utero Mariæ factam eſſe.

XXII. Quòd Seſſio ad dexteram confundatur cum Incarnatione & Aſcenſione, & ex tribus Articulis Fidei unus tantum conſtituatur.

XXIII. Quòd reditus ad Iudicium fol. 302. a. in apparitionem convertatur.

XXIV. Quod generalis Vbiquitas Corporis Chriſti in omnibus Creaturis in Concordiæ Libro doceatur & ſtabiliatur: Eo ipſo, quòd teſtimonia Lutheri pro Vbiquitate allegentur: quòd fol.243.Neg.11.legatur, Corpus Chriſti poſſe uno & eodem tempore in plurib. imò omnib. locis præſens eſſe in Cœlo & in terra, & damnentur contrarium docentes & ſentientes: quòd fol. 245.b.affir.11.doceatur, Chriſtum non tantum ut Deum, ſed etiam ſecundùm humanitatem ſuam, omnibus creaturis præſentem eſſe, & verba Apoſtoli, Vt omnia impleret, *ad carnem, oſſa & Sanguinem Chriſti referantur: quod affir.12.aſſeratur, Corpus Chriſti in pane præſens eſſe juxta proprietatem dexteræ Dei, id eſt, ſecundum ipſam Deitatem, quæ Humanitati realiter communicata ſit: quòd affirmetur fol. 302. Corpus Chriſti corporali modo non eſſe in Cœlo, ſed in omnibus creaturis cœleſti modo, juxta quem omnibus creaturis æquè præſens ſit ac Deitati: quòd fol.307.legatur, Chriſtum etiam juxta Humanitatem ſuam omnia implere, & vbique præſentem eſſe: quòd fol. 313. doceatur, Chriſtum juxta ſuam carnem & Sanguinem omnibus, in nomine ſuo congregatis, præſentem eſſe, & omnia Chriſti plena eſſe: Item, vbicunque Deitas collocetur, ibidem etiam humanitatem collocandam eſſe: quòd Chytræus pag.24.25. 26. ſua Cenſura, & Megapolitani in ſua ſimiliter rotundè fateantur, negari non poſſe, quin generalis Vbiquitas in Formula Concordiæ fundata ſit.*

Compendium errorum in Formula de Cœna Dom.

Quòd verò Doctrinam Libri Concordiæ de Cœna Domini attinet, oſtenditur in hoc compendio Formulæ, quòd in Præfatione ejus promittant Principibus, unicum fundamentum præſentiæ Chriſti in Cœna, fol. autem 241. b.301. b. 313.b. quatuor diverſiſſima fundamenta ponant; primò fol.248.affir.5.b.245.affir.10.301.b. Vnionem perſonalem: deinde *fol.245.b.affir.12.307. b.313.b. Vbiquitatem, Maieſtatem, Aſcenſionem & dexteram Dei:* tertiò, *tria hæc tantummodò verba,* Hoc eſt Corpus, *cæteris neglectis, quæ ab Vbiquiſtis depraventur, & in alienum ſenſum detorqueantur:* vltimò, *accommodationem uni eidemque corpori tres modos diverſiſſimos Eſſendi; ideoque Proteſtationem Concordiſtarum in Præfatione, contrariam eſſe facto in toto libro.*

II. Quòd tollant veram communicationem ſubſtantialis Corporis Chriſti in Cœna, quantumvis multum glorientur de corporali præſentia in pane.

III. Quòd duplex error de Conſecratione in lib. Concordiæ contineatur: Nam fol. 241. b. art. 3. & fol. 300. a. dicitur, præſentiam Corporis Chriſti in pane, abſque ulla pronuntiatione verborum Chriſti, ſolâ omnipotentiâ Chriſti confici. Et rurſus fol.300.a.b. ſcribitur, hoc non tantum omnipotentiâ Dei fieri, ſed etiam pronuntiatione verborum, quib. hæc præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti alligata ſit. Et ita nullum diſcrimen inter Conſecrationem Papiſtarum & Concordiſtarum, præter verbale monſtrari poteſt.

IV. Quòd fol. 293. dicatur, verum Corpus Chriſti ſub ſpecie panis præſens eſſe; & his verbis Papiſticæ Tranſſubſtantionis fundamenta ponantur.

V. Quòd Capernaiticam manducationem verbaliter in Concordiæ libro negent, realiter verò aſſerant; quum verba Chriſti de naturali, corporali & orali manducatione intelligant.

VI. Quod evertatur regula de vero uſu Sacramentorum: Nihil habet rationem Sacramenti extra vſum à Chriſto inſtitutum; *quum dicant, Non fidem, ſed externam actionem verum uſum Sacramenti eſſe*

VII. Quòd fol.296.a. quadruplex error de Sacramentali unione reperiatur. Nam Primò *verba Chriſti,* Hoc eſt corpus meum, *ſimilia eſſe dicunt, propoſitionibus de Incarnatione Chriſti: & hoc pacto ex Sacramento faciunt incarnationem panis.* Secundò, *Sacramentalem unionem appellant, phraſin loquendi, ſed tantum pro forma, & nullam ipſi Sacramentalem locutionem adponunt.* Tertiò *dicunt, verba Chriſti,* Hoc eſt corpus meum, *proprium, non Sacramentalem ſermonem eſſe, & ſimpliciter juxta literam accipienda: Mox tamen fatentur, ea explicanda per particulas In, Cum, Sub,* Quartò, *in verbis Chriſti inuſitatam prædicationem ſtatuunt.*

VIII. Quod pervertatur principalis finis & verus uſus Cœnæ, qui eſt memoria & annun-

tiatio mortis Domini, donec revertatur è Cælo. Concordiſtæ autem dicunt fol. 299. a. Corporalem præſentiam in Cœna inſtitutam eſſe, ut certi reddamur, quòd Chriſtus carne & ſanguine ſuo ſubſtantialiter in nobis ſit & habitet: hoc eſt, quòd Cœna ſit approbatio ſeu confirmatio omni præſentiæ & omnipotentiæ Humanæ Chriſti Naturæ.

IX. Quòd fol. 294. a. 302. a. figmentum de illocalitate, invißibilitate & infinitate corporis Chriſti ſtabiliant, eo ipſo autem tollant Articulum de creatione & neceßitatem definitionis.

X. Quòd modum negent, & tamen multiplices modos determinent. Primus *enim modus, ſecundum quem Chriſti Corpus in pane ſit, dicunt eſſe Corporaliter, ſed ſine modo Corporis. 2. Occultatio corpuſculi in rotunda cruſtula panis. Ad hunc modum Melanthon in Colloquio Vuormatienſi reſpondit adverſariis:* Vos quæritis Corpus Chriſti in pane, & in ore impij, quod non creditis eſſe in Cœlo, & in corde fideli. *3. Sub ſpecie panis, fol. 293. more Papiſtico: qui modus in prima Auguſtana Confeßione poſitus, ſed poſtea communi conſenſu expunctus fuit. 4. In pane, cum pane, ſub pane, fol. 296. a. 5. Secundum humanitatem: quod tamen rurſus negant fol. 245 artic. 12. dicentes: Non ſecundum modum & proprietatem Humanæ Naturæ 6. Corpus Chriſti ſine modo carnali editur, ſed tamen corporaliter. 7. Iuxta modum Dexteræ Dei, fol. 245. a. affir. 12. juxta quem modum corpus Chriſti adeſt, etiam ante pronuntiationem verborum.* 8. *Secundum modum Omnipotentis Majeſtatis, fol. 245. b. qui modus propriè Vbiquitatis eſt. 9. Spiritualis uſûs Corporis Chriſti triplices modos fingunt: primus eſt, qui fit ore, etiam ab impiis, & tamen ſpiritualiter, fol, 302. b. Alter, In fide, ſed tamen ore: Tertius, In fide tantum, etiam extra Cœnam. 10. Verè. 11. Supernaturaliter. 12. Cæleſti modo 13. Oraliter, ſed tamen ſubtili modo, non ut reliqui cibi. 14. Inſenſibiliter. 15. Non Capernaiticè, ſed tamen ut in ventrem deſcendat, juxta Papæ Nicolai doctrinam. 15. Inperſcrutabiliter. 16. Invißibiliter. 16. Incomprehenſibiliter. 18. Sicut ſonus, vel ſpectra parietem tranſeunt. 19. Sacramentaliter, ſed tamen quadrupliciter rurſus.*

XI. Quòd figuratas locutiones verbis reiiciant, & facto illas approbent: Hoc etiam Chytræus *in ſuo judicio, & Mechelburgenſes fol. 36. illis exprobrarunt.*

XII. Quòd non maneant in verbis Chriſti, neque retineant τὸ ῥητὸν, & pervertant totum ordinem Inſtitutionis Chriſti in formam Antichriſti.

XIII. Quòd diſſentiant à Confeſſ. Auguſtana, ejusdem Apologia, & ab ipſo quoq; Luthero,

XIV. Quod occultent Orthodoxam Sacramenti definitionem, & ſignum in rem ſignatam commutent.

CAPVT XLI.

De Continuatione Certaminis inter Ioannem Sturmium & Pappum Argentinæ ob formulæ Concordiæ. ſubſcriptionem orti.

E*Dita eſt anno* 1581. Lamberti Danæi *Reſponſio triplex ad Tubing. fratres, & triplex eorum ſcriptum, de trib. graviſſ. quæſtionib. de Cœna Dom. de Majeſtate hominis Chriſti, & de non damnandis Eccleſiis Dei nec auditis nec vocatis, cum brevi epiſtolâ ad Selnec. Reſpondet autem potißimum ad Collegii Theologici Tubingenſi Præfationem, quam* Antidanæo Gerlachii, *anno* 80. *edito, præfixit.*

Lamb. Danæi triplex reſponſio ad Tubing. contra Formulam Concordiæ.

Eiuſdem Danæi Encauſtice, *&* Colluſtratio *colorum, quibus injuſta omnium orthodoxorum Eccleſiæ Dei Paſtorum condemnatio à* Luca Hoſiandro *& aliis quibusdam facta, priùs delineata tantùm fuerat in* L. Danæi Anthoſiandro, *Adverſus* Leonici, *ſeu Nicodemi Equitis inanem, & ut ab ipſomet Nicodemo vocatur, quatriduanam* Spongiam. *Sunt autem hujus reſponſionis partes duæ: Vna, quæ omnia illa breviter commemorat, quæ in Laonicino ſcripto, vel propter ipſam rerum falſitatem, vel* Laonici *intemperiem, nullâ refutatione egent: altera eorum quæ in* Anthoſiandro *verè ſcripta à* Danæo, *à* Laonico *verò reprehenſa ſunt, confirmationem continet.*

Danæi Encauſtice.

Item, Reſponſio ad Stephanum Gerlachium *& illius* Antidanæum *neceſſaria.*

Danæus contra Gerlachium.

Eiusdem Danæi *in lucem prodiit* Examen Libri de duabus in Chriſto Naturis, de Vnione hypoſtatica, & Idiomatum, quæ ex illa ſequitur communicatione, à Martino Kemnitio conſcripti. *Huius autem Examinis hic eſt uſus, quòd præcipuis doctrinæ Bergenſis, de Majeſtate hominis Chriſti, in Formula Concordiæ editæ argumentis reſpondetur, & Patrum authoritates in eadem Formula prolatæ explicantur. Confutat etiam ſolidißimè in eodem* Examine Kemnitii *ſententiam, de reali communicatione eſſentialium Deitatis λόγου proprietatum in Humanam Naturam aſſumptam, à Brentiana quidem & Schmidlina Effuſione verbo quidem diſcrepantem, reipſa verò nequaquam.*

Danæus contra Kemnitii librum de duabus naturis &c.

Edita eſt etiam Iacobi Schmidlini *Reſponſio contra librum* Ioan. Sturmii, *quem* Antipappum *quartum inſcripſit. In quo Cl. V.* Ioan. Sturmium *ob ſummam doctrinam & eruditionem in tota Europa celeberrimum, indoctißimum omnium nominat: ſtolidum, imperitum & rudem literarum & rerum ſacrarum, delirum, non conſiderantem quid dicat,*

Schmidlini reſponſio ad Sturmii Antipappum quartum.

aut

aut ſcribat, qui commeruerit ut in prima claſſe à pueris ſuis flagelletur: dicit, neque ad eum, neque ad officium eius pertinere, de verborum & ſententiarum monſtris, quæ ab Vbiquiſtis in lucem, maximo cum ſcandalo, eduntur, conqueri. De Vbiquitate doctrinam non attingit, quum tamen Sturmius *eam in Antipappis ſuis, & maximè in quarto oppugnet graviter: quæſtionem ſaltem de Cœna Dom. inſidioſe ad concitandum populum adverſus* Sturmium *in arenam adducit: & antiquas calumnias de ea revocat: cætera, quæ multa ſunt & gravia in* Antipappo quarto, *omittit.*

Apologetica epiſtola Sturmii contra Schmidlinum.

Mox verò Sturmius ei Apologeticam epiſtolam oppoſuit, in qua ad ſingula doctè, prudenter & graviter reſpondit.

Fugeri Admonitio.

In lucem quoque emiſſa eſt Caſpari Fugeri *Admonitio de libro Concordiæ, per quæſtiones & reſponſiones pro rudioribus explicata. Dresdæ Germanicè.*

Hyperaſpiſtes Antidanæi.

Item, Hyperaſpiſtes Antidanæi, de Condemnatione errorum, de S. Cœna, de Maieſtate Chriſti hominis, adverſus Lambertum Danæum, *Stephani Gerlachii.*

Pappi defenſiones tres contra Sturmium.

Editæ ſunt & Ioan. Pappi *Defenſionis contra* Sturmium *Partes tres priores, pro Eccleſiis Auguſtanæ Confeſſ. & pro lib. Concor. cum Præfatione miniſtrorum Eccleſiæ Argentinenſis.*

Sturmii Confeſſio Auguſtana Argentinenſis.

Quia verò inter alia mentionem fecit Pappus *Auguſtanæ Confeſſionis Argentinenſis, eique omnem authoritatem & veritatem auferre conatus eſt, magno cum dedecore Argentinenſium: idcirco* Sturmius *peculiari Epiſtola ad id reſpondit, eiusque argumenta, quibus hoc probare voluit, refutavit, & in lucem dedit, ſub hoc titulo:* Ioan. Sturmii Rectoris Argentinenſis Confeſſio Auguſtana Argentinenſis.

Sturmii Palinodia ad Hoſiandrum.

Ioannis Sturmii *Palinodia ad* L. Hoſiandrum: *in qua ad Hoſiandri Antiſturmium alterum reſpondet.*

Palinodiæ huic additæ ſunt Theſes & ſententiæ Hermanni Pacifici, *quibus veri Corporis Chriſti vera & realis communicatio in Dominica Cœna breviter explicatur. Has* Sturmius *refutandas cum Palinodia* Hoſiandro *miſit.*

Sturmii Antipappi quarti pars quarta.

Edidit idem Sturmius *Antipappi quarti partem quartam, quam* Pappum Elenchomenon primum *nominavit, pro exteris Eccleſiis & pro Synodo. Ac primò oſtendit, quæ ſit controverſio inter* ipſum *&* Pappum, Hoſiandrum, Schmidlinum, Laonicum *&* Gerlachium *in tot Antipappis & Antiſturmiis? 1. An quos Pappus velit, errores ſibi & Hoſiandro, & paucis aliis his ſimilibus condemnare liceat? 2. An exteræ Eccleſiæ Helvetiorum, Anglorum, Gallorum etiam Germanicæ, Friſiorum, Belgarum, Palatinorum, Polonorum, Scotorum, cæteræque ſint ab his paucis condemnandæ? 3. An doctrina exterarum iſtarum Eccleſiarum, de Cœna Domini, verè repugnet veræ fidei, & vero fundamento? 4. An ſubſcribendum ſit iſti diſſidioſæ Formulæ Concordiæ, in qua abominanda lateat hæreſis de Corporis Ieſu Chriſti Vbiquitate? 5. An æquum ſit & rectum, ſex tantum viros inimicos exterarum Eccleſiarum, ſimul & reos eſſe, & accuſatores & iudices? 6. An pulchrum ſit Argentinenſium maiores, Senatum & Theologos, ſummam amicitiam cum Helvetiis & exteris Eccleſiis coluiſſe, utraſque partes conciliaſſe; iam verò iſtorum aliquos diverſam viam ingreſſos eſſe, & ad* Ioachimum Vueſtphalum *illiusque ſectatores inimicos* Philippi Melanthonis *& exterarum Eccleſiarum tranſiluiſſe, ad eos qui Vbiquitatem parturiant, nova diſſidia quærant, & qui ex amicis inimicos faciant? 7. An iniquum & iniuſtum ſit hanc controverſiam de Cœna in legitima Synodo cognoſci & decidi? ac dicit, ſe harum negantem, iſtos verò affirmantem partem tueri. Deinde, quæ Pappus in Defenſione ſua ſecunda & tertia, contra Antipappum Sturmii Maiorem & Epitomicum attulerat, Sturmius acutè & ſolide confutat ac diluit.*

Publicavit etiam paulò poſt hanc Confutationem Sturmius, Epiſtolam Euchariſticam Ambroſiam *ad Ioannem Pappum: in qua oſtendit, quàm parùm Pappum iuvet* D. Ambroſii *authoritas, quam ipſe omnibus Formulæ authoritatibus, quas Schmidlinus in acie collocarit, anteponat.*

Argentinenſium Paſtorum conciones contra Sturmium tribunitiæ.

Dum hæc in Schola gererentur, Paſtores Eccleſiæ Argentinenſis plus quàm tribunitias & Manlianas conciones habent: & quia unum Ioan. Sturmium *putabant publicè & privatim ſubſcriptionem Lib. Concordiæ impedire, & conatibus eorum reſiſtere, ideò caput optimi viri unicè etiam in concionib. ſuis petebant.* Faber *pro ſuggeſtu, ad nomen* Sturmii *alludens, & in ipſum eiusque domum intentans faces, publicè populum alloquens, dixit;* Privati hominis domus flagrare ſi incipiat, omnes ad ſonitum concurritis: hìc tota Schola, tota Eccleſia inflammata eſt: nullus ſonitus auditur, nullus fit concurſus cur non concurritis? cur non claſſicum auditur? *Quid hiſce voluerit, quid urſerit, quid mandarit, prudentes facile intelligunt. Ille ipſe Theologus, ſi Diis placet, Conſuli & Prætori lachrymans conqueſtus eſt, ex ædibus* Sturmii *exire, qui gladiis cincti & gladiis diſtrictis ſibi inſidientur, & eorum quinque eſſe dixit: quorum nullum tamen nominare aut oſtendere potuit.*

Paſquilli privatis ædibus & curiæ affixi.

Multi quoque famoſi libelli inter cives ſparſi, & Paſquilli non tantum privatorum ædibus, ſed ipſi etiam curiæ affixi. Vnus in Curiam coniectus fuit, quem præterire non poſſum quin

adſcribam, ut inde intelligatur, quo furore rapiantur, quove ſpiritu iſti homines ducantur. Sic igitur habet Paſquillus ille ad Senatum populumque Argentoratenſem.

O gladii, ô reſtes, fluviique, crucesque, rogique,
Et quodcunque genus ſupplicii ſupereſt,
Quis vos tam torpens, hebetat cohibetve veternus?
An vis Cinguicolas tollere nulla poteſt?
Ergóne perpetuas peſtes, & monſtra feremus?
An non iuſta piis ſuggerat arma furor?
Suggerat arma furor, contortos nectite funes,
Cos acuat ferrum, Rhenus inundet aquis.
Omnibus in triviis infames ſurgite furcæ,
Tu ſceleris vindex corripe flamma pyras:
Iratus Chriſti miſerandis mortibus hoſtes.
Fortiter ad ſtygios præcipitato lacus,
Molliaque frangat miſeratio pectora, Chriſti,
Gloria vos ſtimulet, zelus, amorque Dei.
Sin horum miſeret quos non ſuus abſtulit error,
Anthorem teneat pœna cruenta mali,
Vnum pro multis pereat caput, inde quieſcet,
Deſpoliata ſuo cætera turba duce.
Proſpera ſi pares eris Argentina monenti.
(Horreo quæ dicam) perdita ſi renues,

Senatus diligenter in authorem inquiſivit, ſed deprehendere non potuit. Lutherani omnem culpam in Zuinglianos ſtudioſos conferre conati ſunt, quaſi eorum aliquis hunc Paſquillum conſcripſerit: quo adverſæ parti odium conciliarent.

Fructus tribunitiorum concionum.

His tribunitiis concionibus & libellis famoſis plebem concitârunt, ut paſſim ædes Sturmii *ad necem eſſent à quibusdam propoſitæ, vnus vel alter ſicas geſtarent quibus virum optimum necarent: quin in ædes eius impetum faciendum iam ſtatuebat barbarus quidam negotiator, homo ingratiſſimus, quem* Sturmius *aliquando ex præſenti periculo eripuerat.*

Imò eò uſque res devenit, ut multi ex plebe in necem omnium eorum conjurârint, qui ipſis de Calviniſmo ſuſpecti eſſent: iamque in ſingulas horas tumultus ac ſeditio expectabatur, niſi authoritate ſuâ prudentiſſimus Senatus malitioſorum conatus repreſſiſſet. Quæ omnia non aliam ob cauſam fiebant, quàm quòd Theologi Pandoræ Saxonicæ ſubſcriptionem vt à Senatu extorquere volebant.

Ioh Caſimiri Palatini litera ad Tigurinos de turbulento ſtatu Argentinenſi.

Scripſit de hoc turbulento Argentinenſi vrbis ſtatu ad Senatum Tigurinum copioſè Illuſtriſſimus Princeps Ioan. Caſimirus Palatinus Rheni: *conqueſtus eſt graviter de ſeditioſis Miniſtrorum concionibus & importunis clamoribus, quibus non ſolùm puram & veram doctrinam de Sacra Dom. Cœna inviſam reddant & condemnent, & portentoſum Dogma Vbiquitatis commendent, ſed etiam Senatum populumque ad ſubſcriptionem adigere conentur. Valde igitur, metuendum, ne Senatus ad ſubſcriptionem compellatur, florentiſſima Schola diſſipetur, multique pii & boni viri cum uxoribus & liberis in exilium pellantur. Id ne fiat, monuit Tigurinos, ad ampliſſimum Senatum Argentinenſem ſcribant, pro veteris amicitiæ iure, unà cum reliquis urbibus Evangelicis per Helvetiam, eumque hortentur ad conſtantiam in conſervanda ac tuenda veteri Confeſſione & Concordia inita inter ipſos, Lutherum & Helvetios. Se quidem una cum Illuſtriſſimo* Vvilhelmo Landgravio *Haſſiæ his de rebus accuratè ad eos ſcripſiſſe: ac licet hucuſque reſponſum nullum acceperint, intelligere tamen ſeſe Eccleſiarum Miniſtris omnibus mandatum, ut deinceps pro ſuggeſtu à convitiis & condemnationibus exterarum Eccleſiarum abſtineant; miniſtros autem contemptâ Magiſtratûs authoritate, in veteri ſuo inſtituto perſeverare & pergere, adeò ut ſi res Argentinenſium unquam fuerint malo & periculoſo in loco, nunc ſint omnium peſſimo & periculoſſimo.*

Sturmio & Pappo ſilentium imponitur.

Tigurini admonitionem hanc Chriſtianam non contemnendam eſſe iudicantes, re cum aliis Helvetiis communicatâ, amicè ac diligenter nec infructuosè de hac re ad Argent. ſcripſerunt. Vtrique enim parti, tam Pappo *quàm* Sturmio *ſilentium à Senatu Argentinenſi, propoſitâ pœnâ, impoſitum, & mandatum eſt, ad avertenda pericula, quæ ex eorum diſſidio & ſcriptis oriri poſſent. Paruit* Sturmius, *ea tamen conditione, ne contra peregrinos ſeu exteros, ſi ab iis oppugnetur ſcriptis, manus ligata ſit. Hac verò de cauſa factum eſt, ut Sturmii* Epiſtola Anaſcevaſtica *ad Pappi* Commonitionem, *non excuſa, ſed ſuppreſſa ſit, quamvis ad Typographum jam miſſa eſſet. Conſtituerat etiam edere ſuam* συνδρομὴν, *quæ libros quinque continet.* Primus *eſt,* ἀποτρεπτικὸς *de Formula Concordiæ contra Præfationem:* Alter κατηχητικὸς *de Cœna Domini:* Tertius ἀποφαντικὸς *prior, de Perſona Chriſti.* Quartus ἀποφαντικὸς *poſterior, refutans authoritates Vbiquiſtarum, quæ continentur in Formula Concordiæ.*

Pappus *etiam etſi nihil ſcripſerit, pro concione tamen complices eius ad ravim uſque contra* Sturmium *clamarunt, & peregrinos, ut contra* Sturmium *ſcriberent, inſtigarunt, qui illum hæreticum, ſeductorem, corruptorem juventutis, mendacem hominem, ſceleſtum, furciferum, &c. publicis ſuis ſcriptis nominarunt.*

Schmidlini virulentum ſcriptum contra Sturmium.

Imprimis edidit Germanica lingua Iacobus Schmidlinus *adeo virulentum & maledicum ſcriptum, Senatui populoque Argentinenſi dedicatum, contra Ioh. Sturmii* Apologeticam

cam Epiſtolam, *ut prudentes viri ſimile à Chriſtiano homine, nedum Theologo nunquam editum fuiſſe judicarint. Titulus Libri eſt,* Solida admonitio ad Ioan. Sturmium, *&c.* Grundtlicher bericht/ ꝛc. *Conatus eſt autem hoc libro ſummam invidiam optimo viro conciliare apud Senatum populumque Argentinenſem: vel id ſaltem efficere, ut os ei obturetur à Senatu. Ac* Primò, *indigniſſime fert, Ubiquitatem à* Sturmio Dianam Epheſinam Liſtricam *nominari: calumniatur*, Sturmium *hoſtem eſſe divinæ Majeſtatis & gloriæ Domini ac Servatoris noſtri Ieſu Chriſti, eamque ab ipſo oppugnari.* Secundo *gloriatur*, Sturmium *a* Pappo *&* Hoſiandro *victum, nunc ſe adoriri velle.* Tertiò *ſcribit*, Sturmium *provocaſſe* Pappum *invitum ad hoc certamen & bellum.* Quarto, *obiicit ei ſummam ignorantiam in Theologicis rebus, nec ejus officij eſſe dicit, de his diſputare. Theologicum Conventum Argentinæ à Scholaſtico ſeparandum eſſe monet, ut Theologi à nemine impediti faciliùs perrumpant. Multa de Concordia inter Argentinenſem & Vuirtenbergicas Eccleſias gloriatur. Tùm mirum in Modum, in* Lambertum Danæum *debacchatur, quod adorationem carnis Chriſti per ſe improbarit, &c.* Denique *de Cœna Domini, de ſervando τοῦ ῥητοῦ: de Authoritate Patrum, & Melanthone quædam adducit. Hoc ſcriptum* Schmidlini *à* Michaele Liechtenſteigero, *tum Conſule, Senatui oblatum atque prælectum fuit.*

Sturmii vortrab contra Schmidlinum

Sed ut Sturmius *etiam audiatur, ipſe* Den vortrab ſeiner verandtwortung/ ꝛc. *hoc eſt, Prodromum, & veram, ſolidamque Commonitionem oppoſuit* Iacobi Schmidlini *vaniſſimæ Admonitioni, eamque dedicavit quoque Senatui & Civibus Argentinenſibus. Conſul autem hoc ſcriptum in Senatu recitari noluit, cùm tamen* Schmidlini *ſingulis ſenatoribus exemplaria dediſſet, tot enim miſerat ei, & ut legerent hortatus eſt.*

Sturmius Rectoratum deponere iubetur nec ut audiatur impetrare potuit.

Concionatores hanc occaſionem minimè negligendam rati, bis ſupplicibus libellis apud Senatum accuſarunt Sturmium *& 29. Iulii decretum fit contra eum. Audientiam* Sturmius *petiit, utque cauſa legitime cognoſcatur obnixè rogavit: nihil autem impetrare potuit. A Quindecimviris igitur petiit, ut audiatur ſaltem abſens. Reſcriptum ab illis eſt 13. Sep. redeat domum, niſi audiatur à Senatu, ſeſe manum illi porrecturos. Redit igitur in ſuam domum. Petiit copiam ſcripti Miniſtrorum Senatui in duabus ſupplicationibus exhibiti: Hoc non modò recuſavit Senatus, ſed etiam firmum eſſe juſſit edictum prius. Rectorarum quoque Sturmio ad finem uſque vitæ, gratitudinis ergo, decretum, prætextu ætatis, ad petitionem adverſariorum deponere juſſus eſt, & 9. Decemb. vi & metu extortis ſuffragiis novus Rector declaratus eſt.*

Dennò igitur ſupplicat Senatui Sturmius, *& quinque potiſſimum ab eo poſtulat: quæ autem & cujusmodi illa fuerint, ex ſequenti Scripto* Sturmii, *ad Senatûs Argentinenſis* Reſponſum, *de quinque eius poſtulatis, facile intelligi poteſt. Id autem de verbo ad verbum ſic habet.*

Reſponſio Ioannis Sturmii ad illud Senatus Argentinenſis Reſponſum quod de quinque ſuis poſtulatis acceperat.

Legi quid mihi ſenatus reſpondeat ad mea quinque poſtulata: verbo quidem clementer, ſed re ipſa non abſque periculo famæ & exiſtimationis meæ. Moleſtum etiam mihi eſt, quòd hæc reſponſio quaſi ex ore adverſariorũ meorũ defluxiſſe videatur.

Quantum enim ad primam petitionem attinet, non ſatis eſt, adverſarios non accuſandi cauſa de me, quæcunque illa fuerit, ex ſcripto retuliſſe, nec formam aliquam iudicialem inſtituiſſe ad Senatum: ſed ut ſuæ Doctrinæ & fidei rationem redderent, iccirco veniſſe in Senatum. Iſtud verum eſſe credo, quoniam Senatum verum eſſe non dubito. Sed nullo ingenio præditus eſſem, ſi non ex iſto reſponſo animadverterem, Theologos conqueſtos eſſe, quòd falsò eos accuſarim, quòd defendant doctrinam *Iacobi Andreæ, carnem Chriſti in omnium arborum foliis eſſe, infernum in cælo eſſe, Diabolum etiam in Cælo, & Chriſtum cum Corpore ſuo in inferno eſſe*: & ſi quid horum eſt ſimile: ut multa ſunt ſimilia. Si iſtud poſitum eſt in eo ſcripto, & ſi dicant ſe non defendere hanc *Iacobi Andreæ* Doctrinam, falſum dicunt. Atque hoc nomine adhuc peto, mihi illius ſcripti dari exemplar: Ut ad iſtud reſpõdere poſſim, Et ob hoc ipſum doleo: quòd videam, Senatum vel non legiſſe, vel non intellexiſſe quæ ſcripſi. Notati enim à me ſunt libri & folia & paginæ, in quibus hæc abſurda Dogmata ab ipſis affirmantur. Quoniam igitur hic ab ipſis mendacii arguor: poſtulo, ut mihi liceat me contra mendacium defendere, famam ſcilicet & exiſtimationem meam. Nihil ſcripſi de his rebus in quo ſit mendacium: neque dubito, quin alia ſint in illo ſcripto expoſita, quam ea, quæ & Senatum à me alienarint, & nomen atque famam meam lædant. Itaque adhuc peto à Senatu, ut mihi hujus ſcripti fiat copia, non propter diſceptationem religionis, cuius cognitio ad Senatûs iudicium non pertinet, & de qua ego non inſtitui hic agere: ſed contra injuriam & calumnias oportet, ut

Prima petitio.

ut defendam caput meum. Nullum enim diſcrimen pono inter vitæ & famæ periculum. Spero etiam ſi mihi exemplum ſcripti Theologici concedatur, poſſe me oſtendere, quòd in eo ſcripto me authorem eſſe dicant contentionis, quæ inter me & Pappum primum exorta fuit: & poſt communicata cum Parochis & Diaconis, contra me tanquam Miniſterii hoſtem. Quod ſi verum eſſet, maximum crimen eſſe, & propterea maxima infamia, quam non ferre poſſum, cogitoque eam omni ratione depellere. Hic ego doleo & conqueror, Senatum alteram aurem aperuiſſe & præbuiſſe accuſatoribus meis, vel, ut ipſi videri volunt, conqueſtoribus, alteram autem mihi clauſiſſe, ut ne me poſſim defendere. Accedit ad hoc, quòd cùm iſtud in meis ſcriptis non ſemel, ſed ſæpius negârim, & cùm nominârim Scholarchas teſtes hujus rei, quod Senatus non ſolùm me ad ſe non vocârit de hoc crimine, ſed ne Scholarchas quidem in hujus Conſulis creatione an verum ſit, quod in aliquibus locis meorum ſcriptorum affirmârim. Moleſtum etiam mihi illud eſt, & plus quam moleſtum, quòd Senatus me ſuſpicatur diſſidia vel in urbe, vel extra urbem excitare: & tamen non cogitet de concionibus à Paſtoribus & Diaconis habitis pluſquam ſeditioſis, plenis falſorum criminum: in quibus ego etſi non nominatus, tamen digito quaſi notatus fui, primò Abrahami Heldii conſulatu, deinde hoc Liechtenſtegeri, qui debuerint importunitati paſtorum reſiſtere: tamen iſtud facere diſſimulârunt. Et quia horum criminum fortaſſis renovata memoria eſt in hoc ſcripto: non deſino petere, poteſtatem mihi dari hujus ſcripti legendi, ut me in manifeſta infamia defendere poſſim. Quod verò poſitum eſt in reſponſo, Mea ſcripta Latinè & Germanicè edita diſſidia peperiſſe aliquorum hominum, non ſcio quinam illi homines ſunt. Simile etiam mihi aliquod Iacobus Moltzhemius obiecit, præſentibus duobus alteris Deputatis. Etiam hic conqueror, hanc culpam mihi potius, quam adverſariis meis aſcribi. Quod ſi Theologi vel Heidelbergenſes, vel noſtræ Reip. ſcripſerunt aut dixerunt, Electorem Palatinum & Ducem Caſimirum propter mea ſcripta inter ſe diſſidere, iſtud ego pernego, & teſtes ipſos Principes facio, quod meo nomine & propter meos libros inter ipſos minus conveniat. Quò magis ego peto, ſi hujus mali aliquid poſitum eſt in ſcripto Theologico, poteſtatem mihi huius ſcripti legendi fieri. Ego etiam ſic ſtatuo, ſi ſcriptum illud recitatum ab ipſis fuit, nempe à Fabro, ut audio: aut traditum fuiſſe Senatui, aut ſecum domum reportaſſe ipſos. Si Senatui tradiderunt, peto, ut Senatus, qui in ſuâ poteſtate habet hoc ſcriptum mihi tradi non recuſet: Si domum reportaverunt, magis conqueror, quòd periculoſum mihi ſit illud iam ab ipſis repeti: corrigi enim potuit & molliri & multa potuerunt auferri Itaque peto, ut ex Protocollo magiſtratûs mihi communicentur eorum querelæ, ut me poſſim defendere contra injurias etiam apud poſteritatem: quoniam huius ſcripti ſententia in perpetua ſervetur cuſtodia, & propterea etiam memoria, quæ mihi infamiam poſt mortem queat parere. Atque illud reſponſum eſſe volo ad primam partem ſcripti ſenatorii.

In parte altera ſenatorii ſcripti lucem deſidero, & plenam rei intelligentiam: nam iſta reſponſio pertinet ad ſecundum Senatûs decretum, omiſſo primo decreto. Primo autem decreto mandatum fuit & mihi & Pappo, ut deſiſteremus inter nos publicis ſcriptis contendere, & imperatum ſilentium fuit, etiam corporis multâ poſitâ. Si mihi ſcriptum Theologorum exhiberetur, recitatum in Senatu adverſus me, de quo conqueror: facilè oſtendi poſſet, ut confido, in eo ſcripto me accuſatum fuiſſe, quòd iſtud decretum Senatûs violârim: ut non obſcurè apparuit ex Davidis Iohami, Abrahami Heldii, & Iacobi Moltzhemii primâ reſponſione, qui mihi indicârunt, Senatum pœnam violati decreti ſibi reſervare. Quam pœnam, & quam deprecationem ego ſum deprecatus, quoniam non violavi, id quod conſtabit ex meo ſcripto Prodromico, cuius translatio ſola fuit divulgata, cum Latina ne hoc quidem tempore ſint edita. Neque Decreti huius Senatûs mentionem facit in hoc reſponſo ſecundi articuli, neque pœnæ, neque petitionis meæ. Quamobrem ut ante, ſic rurſus hic peto copiam & exemplum ſcripti Theologici, ut me defendam contra calumniam. Ich ſuche kein Weitläufftigkeit / wil auch kein Weitläufftigkeit ſuchen: nec ego religionis cauſam in hac cognitione Senatûs, ſed injuriarum: & de nullitate (quod mihi mandatum eſt) me non audito, neque adhibito, ne quidem contra cæteros mihi liceat me defendere, contra tam famoſum ſcriptum Iacobi Andreæ: neque reſponſum eſt eſt remittenda reſervata pœna, quam ego non commerui. Nihil enim contra Pappum poſt edictum aliud primum ſcripſi. Videatur meum Prodromicum. Addo, quòd Senatûs à Davide Iohamo, Abrahamo Heldio, &

Secunda petitio Sturmii à Senatu.

dio, & Iacobo Moltzhemio recitatum fuit, & antequam ego Argentinâ propter metum carceris Spiram & Neoſtadium profectus eſſem, eam materiam non ſolum tractavi, ſed propè abſolvi : quæ eſt quatuor librorum: qui antequam diſcederem Argentinâ, fuerunt ab interprete converſi in Linguam Germanicam: id quod poſſem idoneis teſtibus probare. Scripſi iſtos libros tum, cùm mihi licitum eſſe putarem ſcribere, cum non vetitum eſſet, ut ne Iacobo Andreæ & exteris reſponderem, quemadmodum intellexi ex ore Davidis Iohami. Itaque non clam eſſe volui me iſta ſcribere, & legenda amicis dedi & audio aliquos deſcripſiſſe: ac metuo, eſſe fortaſſis qui divulgare velint, niſi ego emendatos & expolitos emittam. Quare hæc res in mea manu non amplius eſt: & iniquum eſt, me hoc Senatuſconſulto iuberi præſtare id quod mihi eſt impoſſibile. Quòd verò Senatus iam tandem innuit cum Duce Vvirtebergenſi agere, ut eius authoritate interpoſitâ Theologi ejus deſinant contra me ſcribere, id nunc intempeſtivè fit, & ut in proverbio eſt, Poſt feſtum venit. Antequam mihi imperatum ſilentium eſt, illud factum oportuit, aut ſtatim faciundum fuit, poſtquam mihil ſilentium fuit imperatum. Quemadmodum tum dicebatur & fama erat in urbe, hanc cauſam D. Grempium vel per ſe ſuſcepiſſe, vel à Senatu mandatum habuiſſe, ut iſtud apud principem ageret. Quò magis doleo, Iacobo Andreæ ſpacium & tempus datum eſſe ad conficiendum ſuum calumniatotium libellum, plenum maledictis, cui omnino mihi reſpondendum fuit: ut etiam reſpondi, antequam Neoſtadium profectus eſſem. Sed an iſtud impetrari à Duce poſſet, incertum eſt: certum autem eſſet & certius fuiſſet, Senatum facere, quod in poteſtate ſua fuit & eſt: providere & facere, ne concionatores pergerent aut perrexiſſent in ſuis concionibus me graviſſimè perſtringere, calumniari exteras Eccleſias, & per calumniam exterarum Eccleſiarum & Doctorum caput meum vulnerare: id quod multis concionibus factum fuit, nec non ita pridem cœptum eſt fieri. Propter has & hujuſmodi cauſas poſtulavi cauſam meam recognoſci, & quaſi à Senatu malè informaro ad Senatum melius informandum provocavi. Hanc enim actionem inſtituere mihi gratius fuit & adhuc eſt, quàm auxilium à ſuperiore magiſtratu, hoc eſt, à Cæſare & iudicio Cameræ petere: & adhuc opto & peto, ut hanc mihi benevolentiam oſtenderet.

Tertia ſturmii petitio.

Quantum attinet ad tertiam partem ſenatorij Reſponſi, non ego poſtulavi nec poſtulo, Senatum à ſua laudabili conſuetudine recedere, & cuique ſuam relinquere conſcientiam: ſed ut mihi liceat iure Romano uti illo antiquo & uſitato in reiiciendis Iudicibus. Hic enim populus cum videret, ſæpè actionem injuriarum non competere, etiam in probabilibus injuriis, loco actionis injuriarum jus reiectionis conceſſerunt, non ſolùm adverſus teſtes, ſed adverſus etiam Iudices in decernendo iudicio. Injuriarum enim actio teſtes requirit idoneos, ut qui duos non habet, non queat, conſiſtere in actione iniuriarum. Reiicere autem licebat, & excipere in ſuſpicionibus, quemadmodum ego feci in Iacobo Moltzhemio reiiciendo, qui me iniuriâ laceſſivit, præſente Davide Iohamo & Abtahamo Heldio: contra quem gratias ago Senatui, quòd mihi poteſtatem & proteſtandi & accuſandi dederit. Et hoc ipſo ſcripto proteſtor, ſi ea quæ dixit, per iniuriam mihi dixit, ſi dicat me ſeditioſum civem, ſi hæreticum, ſi perturbatorem Senatûs aut civium, tamdiu habiturus ſum eo loco, quo me eſſe inſimulat, quamdiu non demonſtrabit verum eſſe, quod de me temerè & iracundè & cum iniuria dixit. Et contra Liechtenſtegerum exceptionem habeo & juſtam reiectionem, qui dicitur præhenſaſſe ſenatorios viros, ut ſibi datâ manu promitterent, ad futuros ſe illi in decernenda ſubſcriptione operis Concordiæ à quo ipſe ſcit me alios dehortatum maximè autem Senatum noſtrum. Si enim iſtud poſtulare à ſenatoribus iniquum eſt, contra conſuetudinem ſenatoriam eſt, cur mihi non ius eſſet excipiendi contra eum ipſumque reiiciendi? Aliter agerem cum illo, ſi duobus teſtibus inſtructus eſſem: unum producere poſſum, quòd me infami injuriâ affecerit, und mich hat genandt einen loſen Mann: & cui iſtud dixit, eundem iuſſit ſuo nomine renunciare. Eſt aliquis, qui dicit, idem vel ſimile palam dixiſſe in Senatu de me, atque iſtud ex ſenatorio viro auditum eſſe. An iſtud verum ſit, ego quidem deſtituor ſecundo teſte, ſed an verum ſit, quòd in Senatu iſtud dixerit, qui in Senatu fuerant, ſine dubio illis conſtabit. Contra huiuſmodi ſuſpiciones & huiuſmodi iure Romano antiquo in conſtituendis judiciis ſemper licuit excipere, & tales reiicere. Quod ſi hæc conſuetudo æqua eſt, poſtulo, ut quemadmodum mei affines exiverunt, ſic etiam iſti exeant: & ſi iſtis poteſtas manendi data eſt, concedatur etiam affinibus & amicis meis, ut liberè dici poſſit, quod cuique præſcribet & dictabit conſcientia.

De quarta parte iam etiam reſpondi & prote-

Quarta Sturmii petitio. proteſtatus ſum in hoc ſcripto contra Moltzhemium, mihi liberum reſervans antequam annus prætereat ſeverius perſequendi ius meum. De procuratore etiam Dominis gratias habeo, eoque utat libenter, viro bono, docto, & fideli.

Quinta petitio Sturmii in qua retentio Rectoratus ſui, imo non à multis annis. Reſtat ſexta pars, quæ eſt de *Rectoratu*. Ego Rectoratum nunquam petii: mihi, authoribus Scholarchis, *Iacobo Sturmio*, *Nicolao Kniepſio*, *Iacobo Meiero*, conſentiente Senatu, non petenti oblatus fuit, anno M. D. XXXVIII. Scholâ tunc meo conſilio deſcriptâ, atque conſtitutâ. Idem Rectoratus mihi confirmatus fuit in Academia conſtituenda, cùm jus Academicum ab Imperatore Maximiliano eſſet impetratum, me non poſtulante, neque me interrogato, an mihi placeret: & magis obtemperarem in Rectoratu retinendo, quam & ego honorem & laudem inde quærerem. Sunt aliquot millia iam hominum, qui aut me audiverunt docentem, aut in Claſſibus noſtris eruditi fuerunt. Hos omnes teſtes facio, nihil me feciſſe in Rectoratu adminiſtrando violenter, nihil ambitioſè, nihil ſuperbè. Poteſtatem etiam facio Profeſſoribus, ut contra me teſtimonium dicant: ſi probare poſſunt, me horum aliquid, quę propoſui, commiſiſſe. Sed ſi Senatus me ab hoc officio removere velit, contra vim non poſſum: conqueri poſſum de ignorãtia. Senatus enim ipſe, qui hoc decretum fecit, de hac ſpoliatione in ſuo ſcripto, quod tradidit Procuratori meo, indicat, ignominioſum mihi eſſe, ſi me removeat, & ad novum Rectorem creandum progrediatur. Hanc autem ignominiam putat me avertere poſſe, ſi petam propter ætatem affectam, propter infirmas vires, propter occupationes, me hoc onere Rectoratûs levari. Sentio Magiſtratum ſuſpicari, me ab *Hugone Dauro* monitum fuiſſe de Senatûs hac voluntate, & tamen diſſimulare. Sive monitus fuerim, ſive aliquid de eo audierim nihil ad rem facit. Nam ne nunc quidem me ipſum hoc officio volo abdicare, propter infamiam atq; ignomiam. Nam Senatus ipſe fatetur, abſque ignominia fieri non poſſe, & mea & affinium meorum, & amicorum meorum, niſi ultrò diſcedam. Atque etiam in hoc tempore ſi dimiſſionem petam, non poſſum vitare infamiam. Nam quod mihi iam reſpondetur, id ab adverſariis iamdudum meis auditum fuit, me amplius Rectorem non eſſe, me depoſitum nunc eſſe. Et ignominioſe loquuti ſunt, idq; etiam palam. Atq; etiam iſtud *Laurentius Englerus* in convivio palam dixit in Alſatia: ego eodem loco pono iniuriarum & contumelię, vel Senatũ privare me hoc tot annorũ perpetuo officio, idq; cum laude, ut ſpero, & multorum adhuc virorũ diſcipulorũ teſtimoniis (ſi opus foret) pręclaris in omnibus Ordinib. Imperij: in ipſo etiam Iudicio Camerę in multorũ Regũ & Princip. aulis. Crudelis in me eſſem, ſi hanc mihi notam infamię inurerem: etſi in hac infamia, ut ipſe Senatus fatetur, nõ auxilium petam à ſuperiore Magiſtratu. Non poſſum igitur, in hac parte Senatûs ſive petitioni, ſive conſilio obtemperare. Itaq; reſpondeo, quod olim Epiſcopus Vvirzeburgenſis, *Iacobus*, ut opinor: qui Epiſcopatum illum ſuâ prudentiâ, gravitate, diligentia atq; induſtria, perditum ab anteceſſoribus, in integrum recuperatis facultatibus reſtituit. Huic Canonico Collegę ipſius conſilium dederunt, ut ipſe ſui rationem haberet, otio tandem honeſtiſſimo & glorioſo frueretur: & Adminiſtratorẽ ſibi Vicarium cooptaret, qui authoritate & mitrâ Epiſcopali, authore ſe Epiſcopo, in negotiis adminiſtrandis uti poſſit. Hic vir præ ſe ferens, idem velle quod Collegę peterent, & ſi rectè memini, Collegis cõvocatis, & aliunde accerſitis propinquis, affinibus, cognatis, in Conventum indutus ſuâ mitrâ & baculo Epiſcopali venit: & habitâ oratione, & indicato cõſilio ſuo, acceptâ mitrâ de ſuo capite, à Prępoſito & Decano initium faciens, & vſq; ad extremum perſequens, ſingulorum capitibus mitram impoſuit: & cùm nullũ caput inveniret tã magnum, quod coronę conveniret, aut in quo corona apte conſiſteret, reverſus in cathedrã Epiſcopalem, ſuo capiti rurſus impoſuit, & dixit, Nullius capiti mitrã magis convenire, quàm ſuo: ſe illam velle retinere, dum memoria adhuc firma ſit, & dum authoritas valeat: authoritatẽ enim in ſene, qui adhuc ingenii viribus valeat, magis creſcere, magiſq; confirmari. Idẽ ego de me reſpondeo, tametſi id re non tam glorioſa, quam laborioſa, & hanc Rectoralem mitrã potius, quam ipſe deponam, deponi à Magiſtratu per ignominiam patiar, minimè, ut ſpero, meo cũ decore. Anno M.DXXV. die Mercurii poſt factũ Pentecoſtes, bello Ruſticano tũ prope cõfecto, mihi Lovanii depoſita fuerũt in Collegio Lilii, quod *Eraſmi Roterodami* ſcriptis celebre erat, cornua Beanitatis: und bin auff das mahl ʒimlich geſchechelt worden. Et hoc nomine accepi jus Academicũ: & nomen mihi datum eſt, ut tum loquebãtur ſtudentes, & liberaliũ, artiũ, diſciplinarum, & Linguarũ, quib. ita incubui, ut poſt 26. anno docuerim in ea Vniverſitate Latinos & Græcos ſcriptores, Socratem, Demoſthenẽ & Platonem id quod meis monimentis tũ ſcriptis poſsũ comprobare. Ex illo tẽpore vſq; ad hoc tẽpus, & hunc Senatũ, & ad iſtos Scholarchas, hãc Spartã nactus exornavi, neq; exornare deſinã, dũ vires & memoria ſuppeditabit. Quantũ ad Rectoratûs honorẽ pertinet,

pertinet, non multum laboro: Poſtulavi enim vt Senatus ipſe reſpondeat per Doctorem *Ludovicum Grempium*, & D. *Bernhardum Botzhemum*, & D. Nervium, annis ab hinc non paucis, hoc me poſſe pace bonâ liberari, & donari vacatione & immunitate Academicà, iam vetere iure multorum Imperatorum. Et conceſſa mihi tum fuit vacatio a Lectionibus quotidianis, & quotidiana diſciplina, vt legerem quum velim, & cum nolim non legerem: Rectoratum vero vt pergerem adminiſtrare: id quod feci vſque hanc ad horam, qua hora iſta denunciata eſt mihi ignominia. Sed hoc modo de iſto gradu deponi, & ſic per ignominiam deiici non patiar, & quamobrem non patiar, nec pati debeam, ſpero me poſſe omnibus prudentibus & literatis hominibus rationes probabiles reddere.

Affines etiam & amici D. Sturmij Senatui pro eo ſupplicârunt, & vt depoſitio eius à Rectoratu ſuſpendatur vehementer rogârunt.

Rodolphus Imp. Sturmii depoſitionē à Rectoratu Nullitatem decreuit. Pag. 383.

Quin ipſe Imperator quoque Rodolphus *pro* Sturmio *interceſſit, eiuſq; depoſitionem, Nullitatem decrevit, & Novi Rectoris electionem infirmam eſſe voluit. Sed fruſtra fiebant hæc omnia. Qua de re* D. Beutherus *contra Agendam novam Argentinenſem hæc ſcripſit:* Als die Straßburgiſche Damnatiſten mit ihrer gantzen Vbiquitiſtiſchen Schar inden nechſtfolgenden dreyen Jahren / mit ihrer fürgenommener weiſe / Sturmio nochnichts abbrechen könten / haben ſie einen andern weg gefunden / und ihn bey dem Rahtſtart angeben / als ob er (wie das Schaff dem Wolff daß Waſſer betrübt) den Streit ſeines theils angefangen / und noch die Kirch / Schul / Regiment und gantze gemeine Statt Straßburg vnruhwig mache: Dem doch wider alle Recht / und der Statt Straßburg eigene burgerliche Ordnung / und ſo wol von dem Rath / als gemeiner Burgerſchafft mit Eyde bekräfftigte Statuten (wie ſeine Freundt und Verwandte deſſen ſich beklagt) ſeines Gegentheils heimliche und falſche Anklag umb ſeine gebührende Verantwortung nicht mehr / wie vor 10. Jahren geſchehen / zugeſtellet worden: und alſo Sturmius ſich (nicht anders dann wie die Baalspfaffen den Heliam / als ob er Iſrael verwirre / welches doch ſie gethan hatten / bey dem K. Achab) angeben müſſen laſſen: Darauff er dann Anno 1580. Decemb. 22. nicht allein außführlich ſich entſchuldiget / ſonder auch gute Mittel / wie man wider zu einem beſtändigen Friden in allen Ständen kommen möchte (als daß der Raht ſeine eygene decreta halten: den Kirchendienern keine priuat Conuent zugelaſſen: Sonder ſie die alte Straßburgiſche Anno 1548. auffgerichte Kirchen Conuents ſtatuta zuhalten / angewiſen: und durch den Conuent die Authoritet dem Rectori und Viſitatoribus, in obſervatione legum gegen den Studioſis Academiæ reſtituirt werden ſolte / fürgeſchlagen: welche Schrifft anfängt) Senatus noſter ante annos complures decretum fecit, &c. Auff welche Schrifft aber ſeine Feindt viel erbitterter worden / daß alſo auch andere hohe Perſonen / ſolchen Streit zuvergleichen und gäntzlich auffzuheben / ſich nicht wenig bemühet.

Aber weder Sturmius für ſeine ſelbſt eygene Perſon / noch alle ſeine Freundt / ſo von den fürnemſten Geſchlechten in der Statt Straßburg / und anſehnliche Regiments Perſonen geweſen / etwas fruchtbarliches außrichten / oder erhalten können: Dieweil ſein Gegentheil endtlich gantz vnverſchämt auff die Condemnation Sturmii zu ewiger Gefängnuß: oder wo ſie die nicht erhalten möchten / auff die offentliche Entſetzung ſeines mit ehren von Anno 1537. bißher beſtändig getragenen und perpetuirten Rectorats getrungen / aber doch ſolches auch nicht alſo balde ins Werck richten können / biß daß Michel Liechtenſteiger alter Ammeyſter / in abweſen etlicher fürnehmen Regiments Herꝛen / D. Michaelem Beutherum, damals geweſenen Decanum Academiæ, mit fürgewendtem Befelch eines gantzen Ehrſamen Rahts / bey ſeinem Burger Eyd zu pariren / und innerhalb einen kurtzen Zeit / ia / wie ſeine eygene Wort gelautet / heut dieſen Tag / und in dieſer ietzigen Stundt müſſe es ſeyn / und kein anders / dann es ſey jener Herꝛen Befelch / einen newem Rectorem zu denominiren genöhtiget. Darauff auch die gezwungene Electiones, und vota, cum comminatione exorta allgemach endtlich ergangen / und gleichwol non ſine certa præmiſſa conditione (wann D. Sturmius nicht mehr im Leben were / und ein anderer Rector an ſeine ſtatt erwehlet ſolte werden / ſine D. Sturmii tamen honoris imminutione / M. Melchior Iunius, von D. Beuthero zum erſten fürgeſchlagen worden / welcher auch alſo aldt zum newen Rectore elegirt / darwider gleichwol noch denſelbigen Tag von D. Sturmio per Notarium & Teſtes proteſtirt / aber ſolches vngeachtet / folgends von ermeltem D. Beuthero den 12. Decemb. Anno 1581. vermög ſeines publici Programmatis, in dem Chor deß Prediger Kloſters / der new elegirte Rector im Namen und auß Befelch deß Rahts / preſentirt vnd ſolenniter renuncirt hat müſſen werden. Dergleichen Proceß der Senat zu Venedig gewißlich nicht fürnemmen / noch gebrauchen würde. Vnd iſt darneben kein Zweiffel / wenn man ihn ſo wol als ſeinen vnbefugter weiſe klagenden Gegentheil / auch nach der gebühr gehöret: und gemeltes ſein Gegentheil nicht zugleich hette agiren / teſti-

ren und iudicirn / das iſt / Kläger / Zeugen und Richter ſeyn laſſen / es würde viel ein ander Vrtheil ergangen ſeyn. Derwegen ſeine voremehlte Freunde und Verwandte / als Johan Carl Lorcher / Johan von Hohenburg / beyde alte Ammeyſter / Herr Henrich Johan von Mundolzheim / Stättmeyſter / und Herr Paulus Hochfelder Stattſchreiber / in einer an den Rath geſtellten ſehr beweglichen Schrifft Anno 1581. den 12. Nou. eben hierwider / und daß ſolche gleiche Audienz dem Sturmio nicht wider fahren ſey / hefftig geklagt: darneben auch mit Einführung allerley hochbedencklichen Vrſachen das vnzeitige Decret / von vorhabender Entſetzung D. Sturmii von ſeinem Rectorat / noch länger zu ſuſpendiren / gantz flehlich und demütig gebetten / und für ihn zum höchſten intercedirt. Vnd ſo er zu nohtwendiger Verantwortung ſeiner Perſon / und billicher Verſchädigung ſeiner Sachen zugelaſſen worden were / wie gleichwol nicht geſchehen / würde er ſich nicht weniger auch ietzt von dem iungen Pappus herauß geriſſen haben / als er ſich zuuor / da man ihn / wie an ihm ſelbſt recht geweſen / nach Notturfft verhöret hatte / auch deß alten Marbachii erwehren können.

Daher man ſich auch / auff ergangene Keyſerliche arctiores compulſoriales, ſo 15. Maii Anno 1582. decretirt / und den 26. Maij ſolenniter inſinuirt worden / die Acta (gleichwol / wie darfür gehalten wirdt / durch Gegentheils Verhinderung) zuedirn geſchewet / und dem Keyſerlichen Mandat nicht pariren wöllen. Vnder deſſen aber / hochgedachter Keyſerlicher inhibition vnangeſehen / ſindt ſie mit der vermeinden Entſetzung fortgefahren / haben in derſelben einigen Sach widerwertigen Beſcheidt gegeben / und wie das Keyſerliche Mandat redet / notoriam Nullitatem begangen: welches auch / dieſelbige Deſignation novi Rectoris, eine vermeinte / vnordenliche / und wegen verweigerter Audientz und verworffner vngehörter Proteſtation / eine nichtige Wahl nennet / ꝛc.

CAPVT XLII.

De Recitationibus Selnecceri Formulam Concordiæ attinentibus.

Selneccerus ſuis Recitationibus confirmat Neuſtadianam Admonitionem.

R*Efutato Libro Concordiæ, à Neuſtadianis, Anhaldinis, Bremenſibus, aliiſque Theologis graviter & ſolidè*, Nicolaus Selneccerus *Anno* 1581. Recitationes *aliquot, ſic ipſe vocat, in lucem edidit*: Primò *de Conſilio ſcripti Libri Concordiæ, & Modo agendi, qui in ſubſcriptionibus ſervatus ſit*: Secundo *De Perſona Chriſti & Cœna Domini*: Tertiò, *de Authoritate & ſententia Auguſtanæ Confeſſionis*: Quartò, *de Authoritate Lutheri & Philippi*: Quintò, *de controverſis nonnullis Articulis; Lipſiæ primò publicè pronunciatis: quibus inprimis refutare voluit* Admonitionem Neuſtadianam *de hoc ipſo libro. Sed qui utrunque ſcriptum ſine præjudicio contulerit, facilè intelliget, Selneccerum, quæ refutare voluit, illa confirmaſſe, quaſi ad hoc ipſum conductus eſſet.*

Nam PRIMO *in genere* Admonitio *queritur, noſtros injuſtè condemnari in Libro Concordiæ Bergenſis, duabus potiſſimùm de cauſis: tum quòd Doctrina noſtra vera, adverſariorum falſa ſit; tum quòd modus agendi, decernendi & condemnandi à Bergenſibus introductus, planè cum Divinis & Humanis legibus pugnet. Vtrunque querelæ firmamentum tam apertè, tam ſolidè ſtabilitur & confirmatur in his* Recitationibus *à Selneccero, ut qui dogmatum Bergenſium vanitatem & actionum injuſtitiam denuò probare, vel demonſtrare aliis velit, is lucem Soli fænerari videatur. Præcipuas objectiones Admonitionis prætерit. Ea quæ contra affert, partim inter ſe pugnant, in his ipſis* Recitationibus; *partim cum ſcriptis ipſius prioribus; partim cum Sociorum*, Brentij, Schmidlini, Kemnitii *& ſimilium libris, partim cum ipſa veritate. & rerum geſtarum certitudine. Negat enim Vbiquitatem abſolutam in omnibus locis Corporis Chriſti, eamque nihil ad ſe & Lutheranas Eccleſias ſpectare dicit, ut quæ verbo Dei expreſſo deſtituta ſit. Probavit autem illam* Schmidlinus *cum* Brentio, *ut verbo Dei congruam: cumque in Libro Concordiæ diſertis verbis doceatur, eam* Selneccerus *quoque ſubſcriptione ſua canonizavit. Negat* Philippum *Sacramentariorum doctrinam foviſſe. affirmat id* Schmidlinus *cum aliis multis. Negat etiam alia, quorum contraria* Schmidlinus *& ſocii* διαῤῥήδην *vera eſſe contendunt. Dicit enim Berga in Libro Torgenſi, quoad ſententiam, nihil mutatum eſſe: Hanc verò impudentiam* Selnecceri *vel ipſi Bergenſes improbabunt: Multum enim in rebus & phraſibus diſſimiles ſunt libri Bergenſis & Torgenſis: Mutarunt, expunxerunt, addiderunt, omiſerunt pro arbitrio, ut exemplar Torgenſe ſatis declarat, quod adhuc in nonnullorum eſt manibus. Negat* Selneccerus *Præfationem Libri à Bergenſibus conſcriptam fuiſſe, ſed à Conſiliariis Principum: cùm ex ſtylo, ex rebus & verbis* Faber *agnoſcatur dictator: Neque unius ex Archivo profecta ſunt illa; Non eſſentialiter, formaliter, habitualiter, ſubiectivè, & ſimilia. Negat quenquam coactum huic Concordiæ ſubſcripſiſſe, ſed conceſſam fuiſſe omnibus libertatem quærendi, & contra diſputandi: Rectè; ſed tamen hac conditione, ut qui reſponſionibus Bergenſiũ contenti non eſſent,*

Selneccerus multis docet in ſuis Recitationibus quæ pugnaſit cum ſuis Sociis.

nec

nec ſubſcribere vellent, ſi functionibus ſuis abire, & aliis cedere juberentur. Quam etiam bonâ omnium pace, & voluntariâ ſubſcriptione ſit actum, ut prædicat in hoc Libro Selneccerus, *teſtantur evidenter multorum objectiones à Patribus iſtis non ex Verbo Dei ſolutæ, ſed authoritate partim abſentium, partim præſentium, & exemplis exulum & captivorum, repreſſæ. Negat idem, quoſdam Libro non perlecto ſubſcripſiſſe. Atqui, ſecundum* Selnecceri *Recitationes, plerique omnes, Libro ſemel tantum prælecto ſubſcripſerunt. Prælectio autem non eſt Perlectio, præſertim in his ſophiſmatum* λεξολογίαις, *ex quibus etiam cautus & diligens perlector ſe vix expediat. Quin ſunt, qui ne prælecto quidem ſibi Libro ſubſcripſerunt, quia ſive lecto ſive non lecto ſubſcribendum fore ſcirent. Quod etiam ait, putidum eſſe mendacium, quoſdam annexâ privatim conditione ſubſcripſiſſe, in eo ſui ſimilis eſt. Factum enim hoc in Franconia: nota ſunt & loca & perſonæ. Cauſam Libri collecti & publicati ſanctè adjurat fuiſſe reſpectum puritatis Doctrinæ. Sed multa teſtantur, & res ipſa clamat, ideò hoc factum, ut eos, quos Sacramentarios vocant, multitudine ſuffragiorum opprimerent, cum diſputando veram cauſam ſe tueri non poſſe intelligerent. Negat* Selnecceus, *in Concordiæ Libro quicquam eſſe poſitum, quod cum prioribus Libris Corporis Doctrinæ pugnet, & illis vel in minimo adverſetur: Realem autem communionem Idiomatum, & Ubiquitatem carnis Chriſti aſſerens, pugnat cum Confeſſione & Apologia Auguſtana. Liber Bergenſis illam aſſerit: Ergo pugnat cum Confeſſione & Apologia, quin etiam cum articulis Schmalcaldicis & Catechiſmo Lutheri.* Sturmium *queritur ſcribere, latere in Formula Concordiæ, abominandam illam hæreſin de Ubiquitate Corporis Chriſti. Hoc dicit eſſe calumniam diabolicam. Negat latere in Formula Ubiquitatem abſolutam: eam autem demonſtravit in Formula* Heshuſius, *itemque* Neuſtadiani *in Admonitione Germanica, in Aſſertione quarta falſa Libri Concordiæ, à pag.* 449. *uſque ad pag.* 453. *Vocat etiam* Selneccerus *Ubiquitatem abſolutam Corporis Chriſti, portentum diabolicum.*

Modum agendi iniquum quo uſi eſſe Bergenſes Admonitio Neuſtad. aſſerit Selneccerus confirmat.

Secundo, *Actionum injuſtitiam Bergenſium in circumcurſitando, & emendicandis, ſeu potius extorquendis votis & ſuffragiis, à Neuſtadianis adumbratam, vivis quaſi coloribus depingit in ſecunda, tertia, quarta & quinta Recitatione, ut etiam ſupra expoſuimus.*

Selnecceri Recitationes multas antilogias, falſa &c. continent.

Tertio *in ſexta, ſeptima & octava Recitatione de Perſona Chriſti multas habet antilogias, plurima falſa veris miſcet, novas phraſes fingit, & prodigioſa* Schmidlini *dogmata modò negat & improbat, modò verſipellis defendit & probat.*

Selneccerus in articulo Cœnæ rejicit nomen ſigni figuræ, &c.

Quarto, *in nova Recitatione conatur ante omnia relegare ex Cœna Domini nomen & rationem* Signi, Symboli, Typi, Figuræ, Significationis, *hoc eſt, Rem Sacramenti in locum Sacramenti ſubſtituere. Sed repugnat ei tota Scripturæ de Sacramentis Doctrina: Chriſtus dicens, Cœnam eſſe ſui* μνημόσυνον: *tota antiquitas purioris Eccleſiæ: Confeſſio Auguſtana ejuſdemque Apologia, quæ docet, Sacramenta omnia, & in his etiam Cœnam, eſſe ſigna viſibilia inviſibilis gratiæ Dei in Evangelio promiſſæ credentibus. Mox tamen ſui oblitus* Selneccerus *dicit, Corporis externum ſymbolum & antitypum panis elementum eſſe. Dicit etiam, veteres uſurpaſſe vocabula* ἀντιτύπων: συμβόλων, *&c. contra Tranſſubſtantiationem: Quaſi verò ex Patrib. ſomniarit aliquis de hoc portento, vix ante annos ſexcentos edito.*

Recenſet deinde & ſuggilat varias Sacramentariorum interpretationes verborum Chriſti, Hoc eſt Corpus meum. Quidam, *inquit,* hæc verba, figuram & repræſentationem Corporis exponunt. *Hoc autem non faciunt Sacramentarii ſolum, ſed* Tertullianus, Auguſtinus *& tota purior antiquitas.* Aliqui, *ait,* Metaphoram comminiſcuntur. *Sin autem propriè dicitur, edi Corpus Chriſti, bellum indicat Capernaitis: Sin figuratè tropum nominet.* Aliqui, *inquit,* Metonymiam, *&c. Sin autem Sacramenta ſunt ſigna juxta* Auguſtinum, *& panis eſt Sacramentum Corporis, etiam hunc tropum nominet.* Quidam Allegoriam afferunt: ſicut panis eſt cibus Corporis, ita Corpus meum eſt cibus animæ. *Hoc Scholion aliunde affertur ex cap. 6. Ioan. Verbis autem Chriſti non tenebras offundit, ſed potius lucem affert. Cum enim audimus, panem appellari Corpus Chriſti, id eſt Sacramentali phraſi, ſymbolum vel ſignum Corporis, occaſio datur quærendi, qua de cauſa de pane prædicetur, quòd ſit Corpus Chriſti; nempe, ad docendum & teſtificandum, nos Corpore & Sanguine Chriſti ali ad vitam æternam, idque tam certò, quàm panis & vini ſymbola nobis porriguntur.* Quidam, *ait,* δεικτικῶς hæc verba explicant: Hoc, quod vobiſcum ad menſam videtis ſedere, eſt Corpus meum. *Sed hæc* Carolſtadii *ſententia jam pridem obſoleta eſt.* Quidam Corpus Chriſti præſens eſſe aiunt, virtute Spiritus Sancti. *Opinatur* Selneccerus, *nihil præſens eſſe, niſi quod manib. teneat, & ore percipiat.* Quidam Corpus abſens à Cœna, accipi fide perhibent. *Atqui fatemur nobis eſſe abſens loco, ſed præſentiſſimum unione noſtri cum illo, per habitantem in eo & in nobis Chriſti Spiritum. Præſentiam enim ſpiritualem non impedit Corporalis abſentia, quarum utranque Chriſtus nos docuit. Hinc intelligimus, iſtarum interpretationum omnium eandem eſſe ſententiam, exceptâ* Carolſtadii.

Selneccerus recenſet orthodoxorum varias interpretationes verborum Inſtitutionis Cœnæ.

Iam vobis viciſſim Selneccerus *conciliet Ubiquiſtarum gloſſas & ſententias: Panis eſt*

Ubiquiſtarum gloſſæ de verbis Inſtitutionis.

propriè Corpus Chriſti. Panis eſt Sacramentaliter Corpus Chriſti. Non panis, ſed in pane, cum pane, ſub pane eſt Corpus. Quod Chriſtus & miniſter in manu habet, & porrigit, eſt Corpus Chriſti. Ante & poſt ſumptionem non eſt præſens Chriſti Corpus, ſed pronunciatis verbis ſuper panem, exiſtit in eo Corpus. In hoc & omnibus panibus, jam antea præſens eſt Corpus Chriſti: Sed prolatis verbis ſuper panem, corpus cum hoc pane recipitur ore, quod non fit cum aliis panibus. Corpus Chriſti immobile ſecundũ locũ, & jam antea exiſtens in ſumente, ſumpto hoc pane incipit operari in homine vitam aut mortẽ. In pane Corpus eſt definitivè. In pane Corpus eſt ſecundum modum in dextera Dei. Harum concordiam, inquam, monſtret Selneccerus, poſt hæc ſuum dogma, quòd in, ſub, cum pane exiſtat, & corporaliter, oraliter edatur Corpus Chriſti, conciliet cum verbis Chriſti, nominantis panem ſuum Corpus. Fatetur propoſitionem hanc, panis eſt Corpus Chriſti, eſſe Sacramentalem: cùm qualis eſt res, talis de ea ſit prædicatio. Si verò locutio hæc eſt Sacramentalis, ſanè locutionibus ſimilibus de aliis Sacramentis in Scriptura, non erit diſſimilis, & eodem, quo illæ, modo intelligenda: hoc eſt, panis erit Corpus Chriſti, ſicut alia ſigna Sacramentalia ſunt & dicuntur res illis ſignificatæ & repræſentatæ. Ait Lutherum Synecdochen poſuiſſe, quâ intelligatur verè ſumi Corpus Chriſti, idque tantum in uſu inſtituto. Cùm Lutherus conceſſerit Synecdochen, non potuit retinere τὸ ῥητὸν, ſicut videri voluit, ſed coactus fuit concedere, propoſitionem eſſe figuratam, & proinde quærendam in Scriptura ipſius διάνοιαν. Huic vulneri tale emplaſtrum adhibet. Hanc, inquit, Synecdochen non eſſe figuram de Corpore abſente à Cœna. Neque nos dicimus, Corpus abeſſe à Cœna, etſi non ſit in pane. Et ſi figura eſt, non eſt τὸ ῥητὸν, ac proinde Vbiquiſtis etiam probationem corporalis præſentiæ quærere neceſſe eſt, & vanitas apparet eorum clamoris, quo homines obtundunt, ſe tenere rotunda verba Chriſti. Negat autem Selneccerus Synecdochen eſſe locutionem impropriam & figuratam. Atqui in omnibus Scholis Synecdoche inter figuras numeratur. Fatetur etiam, ſeſe uti particulis In, Cum, Sub pane, non autem illis incluſionem, non conſubſtantiationem, non latentem occultationem ſignificari. Negavit antea Vbiquitatem abſolutam corporis; præſentiam ibi tantum ſtatuit, quò Chriſtus ſuum Corpus alligavit verbo, id eſt, in pane tantum. Quomodo igitur differunt incluſio in pane: ab exiſtentia tali corporis in pane, ut in aliis corporibus circa aut juxta panem poſitis non exiſtat Corpus, & cum pane ex manu miniſtri moveatur in os ſumentis? Quomodo differt unio duarum ſubſtantiarum in eodem loco à conſubſtantiatione? Quomodo denique differt præſentia, In, Cum, Sub pane inſenſilis & inviſibilis, à latitatione & occultatione?

Fol. 191 ait, Se & ſuos manipulares abhorrere ab uſu vocis ſpiritualiter, inter ſe, qui videlicet intelligant, Corpus Chriſti ſpiritualiter ore corporeo accipi. Ergo quod inter ſe fateri ipſos cogit conſcientia, ab ejus confeſſione coram aliis abhorrent: videlicet, rectè & ſecundum Scripturam dici ſpiritualiter præſens eſſe in Cœna, & ſpiritualiter manducari Corpus Chriſti, cibum ſpiritualem, ore ſpirituali, ad vitam ſpiritualem, Cœleſtem, æternam, omnibus electis æque neceſſarium & communem. Neque mirum, nam etiam idiotæ, ſi faterentur, ipſorum fraudes & contradictiones intelligerent. Profert ex Libri Præfatione, Verbis Inſtitutionis inſiſtere, eſſe rationem tutiſſimam, & erudiendis ſimplicioribus accommodatiſſimam, cùm Laici diſputationes cæteras non aſſequantur. Negant autem hoc Schmidlinus & Brentius, qui ſcripſerunt ſæpè, ſine Vbiquitate præſentiam corporalem neque conſiſtere, neque credi poſſe. Item, præſens eſſe Chriſti Corpus jam antea ex vi unionis hypoſtaticæ: Recitationem autem verborum ſuper panem duntaxat efficere, ut Corpus in hoc & in omni pane exiſtens in hoc pane manducetur oraliter, id quod in alio pane non fiat.

QVINTO, In Decima Recitatione probare conatur, etiam impios Corpus Chriſti & ſanguinem ore percipere: cùm ne potuerit quidem probare pios ore Chriſtum edere. Probat autem abſurdam ſuam hypotheſin argumentis vel pueris refutatu facilimis, qui phraſes Sacramentales intelligunt, & Sacramenta duabus rebus conſtare ſciunt, terrenâ nimirum & Cœleſti. Atque hanc fide tantum à piis accipi norunt, illam verò ore ſumi à piis ſimul & impiis. *Selneccerus vult impios etiam Corpus Chriſti edere.*

SEXTO, in Decima tertia Recitatione ſuum judicium, grave ſcilicet, de authoritate Lutheri & Melanchthonis adponit. Primo dicit; Deum in hac mundi ſenecta, in Germania noſtra, præſertim in Miſnia & Saxonia delegiſſe ſibi Lutherum, eumque excitaſſe, docuiſſe, duxiſſe, rexiſſe & defendiſſe ad repurgationem Evangelii. Rectè: ſed excitavit, docuit, rexit, defendit etiam alibi alios extra & intra Germaniam, pios & præſtantes Doctores, per quos à Luthero inchoatam Eccleſiæ inſtaurationem continuavit & amplificavit. Non autem ſequitur, ut vult Selneccerus, Quia per Lutherum factum eſt principium reformationis in Saxonia; quia ornatus fuit à Deo excellentibus donis: Ergo in nulla re errare potuit, & nihil aliis repurgandum & illuſtrandum reliquit. Non enim ſemper ſic à Deo reguntur etiam Sancti Doctores, quin alicubi impingant & hallucinentur, ut his ipſis eorum erratis, diſcrimen inter ipſos, ac Prophetas & Apoſtolos conſpiciatur. Secundò dicit, Quicunque non ſequantur Lutheri *Selnecceri judicium de Luthero & Philippo.*

dogma

dogma de Cœna Domini, ipſi infenſos eſſe: Imo dicit, Omnes in hac parte doctrinæ Lutherum *non ſequentes fures & latrones eſſe.* Et Chriſtianos nullos vult eſſe niſi Lutheranos. *Folio* 268. *inquit,* Omnes Lutheromaſtiges ſunt aut idololatræ, aut hæretici, aut Epicurei, aut hypocritæ, aut flagitioſi, & Chriſtum & verbum ejus non amant. Tertiò, Lutherum *Theologum facit, quod ad res, ſive dogmata, & quod ad verba & explicationis formam attinet.* Philippum *verò in rebus & verbis Philoſophum, Theologum autem non in dogmatibus, ſed in verbis tantum, phraſibus & expoſitionis methodo.* Lutherus *autem contra fatetur, in Theologia* Philippum *ſibi ſocium adjunctum fuiſſe à Deo: In Theologia, non tantum in literis, tantum operatum eſſe Deum per hoc organum, ut omnes debeant eum agnoſcere præceptorem, ut fruſtrà iraſcantur Satan, & omnes ejus ſquamæ.* Quarto, *puſillanimum aut fuiſſe interdum* Philippum, *animo & corpore ad ἤθη natum. Sed non ſemper timidi nocent rebus publicis, verum etiam, & quidem ſæpius, animo excelſo homines.* Quintò, *Tria crimina* Philippo *objicit: quò lenius egerit contra Sacramentarios: quod ſcripſerit quædam contra* Lutherum: *quod mutaverit quædam poſt* Lutheri *mortem. Sed hoc poſtremum calumnia eſt. Nam mutationes in verbis Confeſſionis factæ ſunt adhuc vivente* Luthero, *& ab omnibus Ordinibus approbatæ, & Pontificiis communi nomine oppoſitæ. In doctrina autem nihil mutavit. Eadem enim vivo* Luthero *& approbante ſcripſit in Apologia & Locis communibus, quæ poſt ejus mortem: etſi aliqua tum aliquanto expreſſius. Hæ ſunt illæ graves cauſæ, propter quas* Selneccerus *in* Philippo *agnoſcit Humanam imbecillitatem.* Sextò, *De libris* Philippi *ex Libro Concordiæ vult judicium fieri; item, ſcripta* Philippi *ornari pallio* Lutheri.

Selneccerus recenſet ex Libris Philippi quædam errata.

Cæterum ne videatur injurius fuiſſe in Philippum, *relegando eum ex Theologis ad Philoſophos: recenſet ejus loca obeliſco digna,* Selnecceri *judicio.* 1. Regula Theodoreti, Unio facit communia nomina; *fatetur etiam Lutherum uſum eſſe, ſed tamen intellexiſſe communia non titulo, ſed reverâ. Is vero intellexit re ipſa communia perſonæ: titulòtenus naturæ propter unionem. Eodem enim ſenſu hominem Deum, atque æternum facit, quo omnipotentem: & eodem ſenſu Deum paſſum, quo hominem vivificatorem. Sic &* Theodoretus, *& omnes veteres: ſic &* Philippus, *& omnes noſtri.* 2. Filio Dei reſtituta eſt gloria, *&c.* Cyrilli *fatetur eſſe vocem, ſed piè accipiendam, de manifeſtatione gloriæ ad tempus occultatæ. At quis aliter eam accepit? Sic non tantum* Cyrilli *vox eſt, ſed ipſius Chriſti dicentis,* Glorifica me, Pater, eâ gloria, quam habui apud te ante mundum conditum. *Quis ergo non videt, has notationes ex zoili ſcriniis depromptas eſſe, ad* Philippi *veram doctrinam premendam &* Lutheri *errata canonizanda?* 3. Spiritus Sanctus eſt aliquid Dei, vel eſſentiæ Divinæ, *&c. Phraſis hæc, inquit, eſt ignota Eccleſiæ, cum de Spiritu Sancto ut Deo ſermo habetur. Cur ergo Angelus nominat eum* virtutem altiſſimi, *& Chriſtus,* Digitum Dei? *Non eſt aliquid Dei, ſed Deus. Quaſi vero id, quod eſt eſſentiæ Dei, ſive in eſſentia Dei, poſſit aliud eſſe quam Deus ipſe, cum Deus ſit ἀυτεισος. Et Filius & Spiritus Sanctus dicuntur in Scriptura eſſe in Deo & ex Deo: quorum illud unitatem eſſentiæ, hoc Perſonarum diſcrimen indicat: Utrunque voluit ſignificare* Philippus, *cum dixit,* Spiritum eſſe aliquid eſſentiæ Dei, *hoc eſt, ipſam eſſentiam Dei, ſive ipſum Deum, ſic tamen ut ſit diſtinctum à Deo, cujus eſt. Et fatetur ipſe cum in explicatione dicti,* effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, *dicitur mitti aliquid Oris, vel eſſentiæ Dei, diſtingui Perſonam Divinæ eſſentiæ mittentem à miſſa.* Philippus *ergo nihil aliud voluit, niſi quod ſignificatur, cum Spiritus Sanctus dicitur Spiritus, Virtus & Digitus Dei, ſumendo nomen Dei pro Perſona Patris. Neque hinc ſequitur, Spiritum ſic eſſe aliquid Dei, ſicut pars eſt totius, aut accidens ſubjecti, aut creatura creatoris. Ideò ſe explicat, aliquid eſſentiæ Dei, id eſt, eſſentia Dei.* 4. *De prima cauſa rejectionis pereuntium, & electionis ſervandorum, ſcripſit ſane* Philippus *quædam imperfectius, obſcurius, & non ubique ſibi conſtans. Sed illa Patres Bergenſes cum Sociis in Concordia & aliis Libris non tam explicant, quàm implicant, dum electionem confitentur, reprobationem negant, quorum tamen alterum ſine altero conſiſtere nequit. Et aliquot verè converſos ad Chriſtum perire aſſerunt, quam in ſententiam, etſi Melanchthon quoque alicubi inclinet, contrarium tamen prolixe docet in Comment. ſuper dictum Matth. 7. Ædificatos ſuper petram non perituros.* 5. *Definitionem Liberi arbitrii dicit eſſe Scholaſticam. At* Philippus *eam recitat, non ut ſuam, ſed ut Scholaſticorum, quorum ſententiam non defendit, cum docet, non renatos non poſſe inchoare novam obedientiam. Cur igitur hæc reprehenditur tanquam ipſius? Et cum ipſe teſtatus ſit ſe de renatis hoc accipere, quid quæſo opus fuit hic notatione.* 6. *In tribus cauſis converſionis dicit, voluntatem eſſe ſubjectum. Sed ſi de actionibus voluntatis intelligantur, nihil eſt incommodi. In novis inclinationibus accipiendis, habet ſane ſe voluntas pure paſſivè, tanquam ſubjectum: In actionibus verò habet ſe active & paſſive, tanquam ſubjectum & tanquam inſtrumentum Spiritus Sancti ſimul agens.* 7. Diſciplina externa eſt pædagogus ad Chriſtum. *Hanc phraſin, inquit, Paulus non uſurpat de diſciplina externa, ſed de lege quæ cum accuſat peccatum,*

 impel-

impellit ad quærendum medicum Chriſtum. Atque hoc Philippus non excludit, ſed vult reſpondere, quot modis lex Pædagogus ad Chriſtum ſit. 8. Præſentia bonorum operum non excluditur ex juſtificatione, ſed meritum. Hic Selneccerus vult etiam præſentiam excludi, quia juſtificamur ſolâ fide, etſi fides non ſit ſola. Iuſtificationis Doctrinam Philippus melius explicavit, quàm Selneccerus, qui fortaſſis eam ignoraret, niſi à Philippo didiciſſet. De ſalvandis quæſtio mota fuit. In his præſentiam operum eſſe neceſſariam conſtat: Quin etiam in juſtificandis, ſi intelligantur, qui jam juſtificantur. Etſi enim naturâ & cauſarum ordine, prior eſt juſtificatio operibus, ſimul tamen tempore ſunt, teſte Selneccero. Si enim nunquam, Ergo nec in principio fides eſt ſola, imò & ipſa bonum opus eſt. 9. Metonymia eſt, calix eſt novum Teſtamentum, ſicut Faſces ſunt Romanum Imperium.. Hoc exemplum, inquit Selneccerus, ad figuram congruit, non ad rem, id eſt, ad Sacramentum. Duo itaque largitur. Vnum eſt, quòd in verbis Chriſti figura ſit: Calix eſt novum fœdus in meo Sanguine. Non igitur ſecundum τὸ ῥητὸν intelligenda ſunt. Alterum; quòd hæc figura cum illa congruit: Faſces ſunt Imperium. Eſt ergo Metonymia, id eſt, prædicatio rei ſignatæ de ſigno. Sed ad rem, inquit, non congruit. Rem autem exponit Sacramentum: Cur ergo faſces non congruerent ad Sacramentum, tanquam ſignum ad ſignum? Et Imperium ad fœdus cum Deo, tanquam ſignatum ad ſignatum? Non eaſdem, ſed ſimiles res requirit ſimilitudo figuræ, & quidem in eo ſimiles, quod eſt cauſa & ratio ſimilis de utraque re locutionis. Sine hac ſimilitudine rerum ſimilitudo figuræ non conſiſtit. Vt hic utrobique prædicatur ſignatum de ſigno, eodem figuræ genere, ſcilicet Metonymia: quia ſicut faſces ſignificabant & teſtabantur illi Imperium à populo Romano commiſſum eſſe, cui præferebantur faſces: neque propterea fuiſſet Conſul Romanus, ſi quis præferendos ſibi curaſſet faſces, non traditos à populo, ſed potius tanquam reus majeſtatis, inſaniæ & petulantiæ pœnas dediſſet. Ita Spiritus Cœnæ ſignificat & teſtatur, illum cum Deo confœderatum eſſe, & Sanguinis Chriſti, cui Deus hoc Symbolum tradit: neque propterea eſt Chriſti κοινωνὸς, ſi quis infidelis, cui Deus non dedit jus uſurpandi hoc Symbolum, illud ad ſe rapiat, ſed potius tanquam reus Corporis & Sanguinis Chriſti, prophanationis hujus pœnas ſibi attrahit. Secum ergo Selneccerus ſuo more pugnat, concedens figuræ ſimilitudinem, & negans rerum, de quibus uſurpatur, ſimilitudinem. Sed vellet ſcilicet Sacramentum eſſe ejuſmodi ſignum, in quo exiſteret res ſignata corporaliter, etiam extra uſum, nempe ſanguis in poculo, & eſſet propriè loquendo ſumptio iſtius poculi novum Teſtamentum, hoc eſt, ſecundum Selneccerum, oralis hauſtus Sanguinis Chriſti communis fidelibus & infidelibus, quod perinde eſt, ac ſi Imperium arripi à quovis potuiſſe dicatur cum faſcibus. Congruit igitur exemplum ad rem & ſignum: quia ſicut faſces ſunt ſignum & teſtimonium Imperii, & propterea nominantur ipſum Imperium: ſic Sacramentum eſt ſignum & teſtimonium Corporis Chriſti. Sed aliud eſt, inquit, Calix eſt ſanguis Chriſti: Hìc metonymia nulla eſt. Reſpondet Philippus in eodem loco ad Corinth. dicens: Syntaxis apud Matthæum & Marcum alia eſt: Hic eſt Sanguis meus novi Teſtamenti: Nec ſubtiliter quærenda differentia. Hic eſt calix novi Teſtamenti, id eſt, ritus & pignus ſeu ſigillum novi Teſtamenti. Hæc ille. Et cur quæſo hic non Metonymia eſſet? An non eodem prorſus modo ſumptio hujus poculi eſt novum Teſtamentum, id eſt, communio Sanguinis Chriſti, quo vinum eſt ſanguis? Certè calix pro vino ſumitur per Synecdochin continentis pro contento. Vinum autem nomine calicis intellectum, nominatur ſanguis Chriſti, vel ſanguis novi Teſtamenti, vel novum Teſtamentum ſeu fœdus, id eſt, reconciliatio cum Deo, in ſanguine, ſeu per Sanguinem Chriſti initum per Metonymiam. 10. Sumptio propriè habet rationem Sacramenti in his qui ſumunt fide. Hic etiam erravit Selneccceri opinione Philippus. Erravit ergo & Paulus, qui dicit, Circumciſionem eſſe præputium in tranſgreſſoribus legis: Item, a prophanantibus Cœnam, non manducari Cœnam Domini. Erravit Iſaias qui dicit, Sacrificia impiorum fuiſſe quaſi homicidia vel canum jugulationes. Errat etiam Confeſſio vel Apologia Auguſtana, quæ dicit, Sacramenta ſine fide eſſe inanes Ceremonias, ſicut verbum non acceptum fide eſt inanis ſonitus. Et tamen verbum Dei non deſinit eſſe verbum Dei, etiamſi ab infidelibus audiatur, qui nihil accipiunt, quod in eo promittitur credentibus, & offertur etiam non credentibus. Si ergo Sacramentum eſt verbum viſibile, idem ſignificans, quod promiſſio Evangelica, quomodo accipient res eo ſignificatas non credentes id quod ſignificatur? Ecce autem artificioſam Selneccceri gloſſam: ſumptio ſcilicet ſalutaris, habet propriè rationem Sacramenti in ſumentibus fide. Ergóne ſumptio ſalutaris aliqua poteſt eſſe in ſumentibus ſine fide? Et ſumptio ſalutaris alicubi impropriè Sacramentum dicitur. Auf.r iſtas ſtrophas. Sumptionem cum fide ait Philippus eſſe propriè Sacramentum: ſumptionem ſine fide non habere rationem Sacramenti, id eſt, non eſſe Sacramentum ſine fide ſumenti, quia eſt extra uſum à Deo inſtitutum: etiamſi impropriè dicantur impii Sacramentum accipere propter ordinationem divinam horum rituum ad ſignificandum id, quod in illis fideles ſumunt. Sine fide, inquit, habet rationem Sacramenti ad judicium & mortem.

mortem. Quid audio? Hactenus didicimus Sacramenta eſſe ſigna & Sacramēta gratiæ: in fidelibus autem occaſiones judicii & mortis. Iam Selneccerus *nos docet eſſe etiam ſigna & Sacramenta judicii & mortis. Atqui quod judicium & mortem affert, eo ipſo non habet rationem Sacramenti. Addit & rationem: Nemo metiri debet integritatem Sacramenti ex noſtra fide vel incredulitate. At Scriptura docet integrum eſſe omnibus Sacramentum ſignificatione & oblatione rerum inviſibilium, non autem acceptione, niſi ſolis fidelibus. Quia promiſſio gratiæ, ſive verbis, ſive ſignis repræſentata, in qua etiam ipſius Chriſti communio comprehenditur, ſemper habet adjunctam fidei conditionem:* II. Evangelium eſt prædicatio pœnitentiæ. *Caſtigat hoc dictum geminâ interpretatione: pœnitentiæ ſcilicet ſalutaris: quaſi* Philippus *voluerit Evangelium docere pœnitentiam Iudæ. Addit, ſi Evangelium pro tota doctrina accipiatur, id eſt, Evangelico Miniſterio legis & Evangelii. Imò etiamſi propriè ſumatur: Nam lex peccatori non facit ſpem veniæ. Evangelium autem peccatorem revocat ad Deum & docet converſionem. Arguit, inquit, Evangelii concio peccatum Miniſterio legis per accidens. Imo arguit peccatum etiam per ſe in genere, dum omnes jubet in Chriſto juſtitiam quærere. Legis autem miniſterio, ſingulæ peccatorum ſpecies arguuntur. Quin etiam in ſpecie & per ſe accuſat & damnat non credentes in Chriſtum. Vtrumque enim eſt propria Evangelii vox:* Qui credit ſervatur, & qui non credit damnatur. *Etiam* Philippus *ait ſic ſe declaraſſe. Quid igitur opus fuit hac cenſura?*

Hi ſunt errores illi graves, propter quos Philippum Melanthonem *ex albo Theologorum expungit* Selneccerus: *Candidus autem Lector facilè intelligit, exceptis quibuſdam de Libero arbitrio, & Prædeſtinatione languidius dictis, quæ tamen illi magis obſcurant, in cæteris quæſitam potius, quàm inventam eſſe reprehenſionis materiam. Et verè de illis dici poteſt, quod in libris* Philippi *feſtucam, in ſuis ipſorum autem trabem non videant.*

Selneccerus denotationi falſarum aſſertionum in libro Concordiæ contumelis

In notatione falſarum Aſſertionum, quas Neoſtadiani in Libro Concordiæ demonſtrarunt, negat Selneccerus in Libro reperiri: quod proprietate duarum Naturarum in Chriſti Perſona eſſentiales, realiter utrique ſint communes. Liber autem iſte & Recitationes Selnecceri *nihil aliud continent, quàm confirmationem hujus Communicationis realis. Negat à Bergenſibus Patribus deficiari Humanam Chriſti Naturam. Hoc autem apertiſſime fit in Doctrina de reali communicatione Idiomatum. Nec cui omnipotentia tribuitur, eidem etiam tribuitur Deitas: cùm idem ſit omnipotentia, quod Deitas. Negat in Concordia aſſeri, quòd Chriſtus abſque reali communione Idiomatum non ſit Deus: Legatur autem eius affirmativa ſexta de Perſona Chriſti, & eius declaratio. Negat à Bergenſibus in hoc libro dici, Naſci & mori realiter Deitati communicari. Damnat autem Liber docentes, in his propoſitionibus, Deus eſt paſſus, Deus eſt mortuus, tantum eſſe prædicationem verbalem, & non reipſa ſic eſſe. hocque contendit realiter accipiendum eſſe de natura. Negat localitatem in hoc Libro Naturæ Humanæ adimi, cùm id per exaltationem manifeſtè faciat.*

Elector Saxoniæ removet Bibliorū verſionē Tigurinā

Hoc ipſo denique anno accidit, ut Elector Auguſtus *ſacrorum Bibliorum Codicem Tiguri excuſum in templo arcis Dreſdenſis reperiret. Id verò indigniſſime ferens, eum inde afferri mandavit, & ipſe manibus ſuis Lutheri verſionem in locum eius repoſuit, hac Proteſtatione in frontiſpicio Codicis Biblici manu ſuâ ſcriptâ:* Ich habe mich von jugendt auff zu der H. Biblia und der Auſpurgiſchen Confeſſion bekennet/ dabey gedencke ich auch mit Gottes hilff und genaden zuſterben. Weil ich dann geſehen/ daß in meiner Hoffkirchen eine Calviniſche Bibel vorhanden/ ſo M. Chriſtianus Schils vor ſich/ und ohn mein vorwuſſen darein gebracht hat/ ſo hab ich ſolche herauß genommen/ und D. Martin Luthers verſion an die ſtelle ſelbſt gelegt/ deßgleichen auch die Formulam Concordiæ, und habe das gnedige vertrawen zu meinen Sehlſorgern und Predigern/ ſie werden ſich/ als trewe Paſtores, in lieb und einigkeit underſich ietz nun künfftig erzeigen/ und die lehre/ dazu ſie ſich bißhero bekennet/ ihres höchſten vermögens/ und fleißes fortſetzen/ und ſich nicht davon ſchrecken oder abhalten laſſen/ ſo lieb ihnen ihrer Sehlen heyl und ſäligkeit iſt: Actum Dreſden den 12. Maii Anno 1581.

CAPVT XLIIII.

Acta & ſcripta quædam anno 1582. de Formula Concordiæ edita.

Collatio Catholicæ & Orthodoxæ de perſona Chriſti eiuſque Cœna cum diſputatione Schmidelini editur.

A*Nno 1582. in cauſa Euchariſtica Bergenſis Concordiam ſpectante ab orthodoxorum parte ſequentes libri in lucem ſunt, editi* Collatio Catholicæ & Orthodoxæ Chriſtianorum fidei de Perſona Chriſti & Sacra eius Cœna: cum diſputatione Iacobi Andreæ habita Vuitebergæ Anno 80. *Neapoli Nemetum. Cùm enim maxima pars Eccleſiarum Germanicarum, & in iis docentium, ab Vbiquitatis novitate & multiplici abſurditate abhorreret: variis verborum ambagibus, coloribus & involucris tectam & ornatam carnis Chriſti omnipræſentiam ſeu Vbiquitatem, ſic in Concordiæ Librum Bergenſes Patres intruſerunt, ut minus exercitati in diſputationibus & controverſiis Eccleſiaſticis, non omnes primo*

intuitu eam deprehendunt. Imò quibuſdam etiam perſuadeatur, eam neque palam neque latenter in Concordia contineri. Sperarunt enim non ſine ratione, ſi hæc ſui dogmatis fundamenta, quæ in Libro Concordiæ jecerunt, obtinerent, nullo negotio ſe deinceps quæ vellent ſuperſtructuros. Hujus rei ſpecimen & teſtimonium illuſtre ſunt iſtæ Iacobi Schmidlini Theſes: eas enim illo fine diſputandos propoſuit, ut ejus doctrinæ, quæ in libro Concordiæ brevius & involutius comprehenſa eſt, plenior explicatio & declaratio eſſent, atque ita quicquid eſt novarum & abſurdarum loquutionum in Concordiæ formula & aliis libris pro Vbiquitate ſcriptis, authoritatem obtineret. Hoc itaque periculum & obſcurationis doctrinæ Chriſtianæ, & majorum Eccleſiarum, diſtractionis, videntes viri quidam pii & docti in Eccleſiis Germanicis, qui veram Auguſtanæ Confeſſionis doctrinam ſincerè amplectuntur & conſtanter retinent, tamque opinionibus novis, & cum fundamentis Chriſtianæ religionis pugnantibus, depravari ac deformari doluerunt ac deplorarũt, collatis operis hanc Antitheſin & defenſionem veteris & orthodoxæ Chriſtianorum fidei, ad muniendos piorum animos adverſus doctrinæ corruptelas, & concordiæ Bergenſis illecebras & fucos Theſibus illis Schmidlini *opponere voluerunt. Hunc enim laborem profuturum judicarunt* primum *iis, qui dogmatis Vbiquitarii perſuaſione occupati ſunt ut re diligentius expenſâ, & ſententiis atque argumentis collatis, perſpectâ illius doctrinæ falſitate, abſurditate, & cum legitimè damnatis olim & repreſſis hæreſibus cognatione ab ea ſibi caveant.* Secundo, *illis, qui dogma quidem ipſum averſantur, ſed librum tamen Bergenſem ideò recipiunt, quia perſuaderi ſibi patiuntur ab hominibus aut verſutis aut rerum imperitis, illud in libro non contineri, ut videant ſe conſiliis artibus & dolis fabrorum Vbiquitatis deceptos, & inſcios à vera & germana S. Scripturæ, veteris Eccleſiæ, & Confeſſionis Auguſtanæ doctrina, ad nova, & cum illis pugnantia commenta adductos eſſe.* Tertio, *etiam illis, qui Concordiæ Bergenſi non ſubſcripſerunt, ut intelligant, ſe ſibi & ſuis Eccleſiis eâ detrectatione rectè conſuluiſſe. Ac denique ipſi quoque poſteritati quæ vagantium hac ætate errorum allegatione minus commovebitur, cum ex hoc & ſimilibus ſcriptis cognoſcet, quicquid peccatorum noſtrorum culpâ evenerit, plurimos tamen fuiſſe in Eccleſiis, tam qui ſubſcripſerunt, quam qui non ſubſcripſerunt Libro Bergenſi, veritatis divinæ & ſalutaris Eccleſiarum Concordiæ amantes, qui animadverſas has novas doctrinæ corruptelas nequaquam approbarint, ſed ſolidè ac perſpicue refutarint, quantumvis aliquantis per adverſariorum calumniis, & vociferatione ac dominatione tribunitia, preſſa, ſed non oppreſſa veritas fuerit.*

Non adſcripſerant autem ſua nomina Authores hujus Refutationis, partim quia non tantum aſperrima odia & crudeles inſectationes, ſed etiam exiliorum & carcerum pericula intentant Vbiquiſtæ contra ipſos mutientibus; partim vero nec unius opera collecta eſt, nec illi ſua tantum, ſed multorum piorum, honeſtorum & cordatorum hominum ex omnibus ordinibus, & omnibus Germaniæ regionibus, Confeſſionem Auguſtanam incorruptam amplectentium & aſſerentium, unanimem ſententiam hoc ſcripto teſtatam facere voluerunt.

Ioh. Rælai Examen Recitationũ Selnecceri.

In lucem etiam prodiit Ioannis [illegible] *Theologiæ ſtudioſi* Examen Recitationum Nicolai Selnecceri de libro Concordiæ *Admonitionem Neuſtadianam luculenter confirmantium, collectum in Academia Lipſica. Neapoli Nemetum.*

Danæi refutatio theſium Schmidlini.

Edita eſt quoque Lamberti Danæi *Demonſtratio antitheſis ſeu repugnantiæ theſium & doctrinæ Iacobi Schmidlini de Perſona Chriſti, ex ipſiſmet illius theſibus collecta. Et quia hunc titulum Libro præfixerat Schmidlinus*, Repetitio ſanæ doctrinæ Martini Lutheri De Perſona Chriſti *in Præfatione ad Lectorem docet* Danæus, *iſtius repetitionis theſes non ex* Martini Lutheri, *ſed ex* Martini Kemnitii *libro* De duabus naturis in Chriſto *decerptas & ad verbum ferè deſcriptas eſſe, voluiſſeque ſpecioſo* Lutheri *nomine ſimplicioribus fucum facere. Deinde trecentas ejus theſes ſeu repetitiones dividit in has quinque Claſſes, nimirum, in Theſes obſcuras, falſas, ἀσυςάτυς, αἰηθέσεις, & ineptas.*

Nova Vbiquiſtica

Item, NOVA Vbiquiſtica de Bergenſium Patrum monſtro Concordiæ: *in quibus tum Auctores, Confeſſio & Doctrina iſtius Libri; tum vero Symbola, Precationes, Epiſtolæ, adeoque varia Epigrammata Secreta, & Acta breviter & perſpicue continentur. Poſt paucos annos recuſa ſunt & multum aucta, hoc titulo:* NOVA ſuper nova novorum. *Liber eſt facetiſſimus, qui multa in receſſu ſecreta & abſcondita habet.*

Refutatio Bremenſis Eccleſiæ quam Epiſcopus impedire conatur.

CVM *Bremenſes de refutatione ſuarum Eccleſiarum, abolitione reliquiarum Papatus, falſæque Doctrinæ de Perſona Chriſti & Sacra Cœna Domini proximè elapſis annis ſedulo ac diligenter in timore Domini deliberaſſent, Archiepiſcopus ejus diœceſeos toto fere anno ſuperiore non modo ſuis, ſed etiam potentiſſimorum Principum Electorum, Saxonis & Brandeburgici, Julii Brunſvicenſis, Archipræſulis Magdeburgenſis, Statum Circuli inferioris Saxoniæ, denique & Regis Daniæ minaciſſimis literis eos ab hoc propoſito deterrere conatus eſt. Sub initium quoque veris hujus anni, legatos ex præcipuis iſtius diœceſeos Ordinibus, adjunctis quibuſdam conſiliariis ſuis, Bremam miſit, qui flagitarent categoricum reſponſum, utrum controverſiam religionis*

ligionis Bremenſes judicandam ſibi permittere vellent. Reſpondit autem Senatus graviter, editam jam, totius Eccleſiæ Chriſtianæ judiciis ſubjectam eſſe Apologiam *Miniſterii Bremenſis, rem ipſam quoque, de qua controvertatur, pertinere non ad unum & alterum, ſed ad omnes Status Confeſſioni Auguſtanæ addictos, quibus præjudicium fieri minimè debeat. Præterea inter majores Archiepiſcopi & Bremenſem Rempublicam, ſtatim ſub initium repurgatæ Doctrinæ Evangelii, ita conveniſſe, ut Religionis nomine neutra pars alteri litem moveat. Senatum quoque longi tẽporis præſcriptione uſurpaſſe conſtituendi Miniſterii pro ratione atque neceſſitate ſuarum Eccleſiarũ. Ac tempore belli Germanici obſidionẽ tolerare maluiſſe, quã Imperatori Carolo V. poteſtatẽ Religionis in Vrbe mutandæ. Hunc ipſum Archiepiſcopum, quem homagium ei præſtaretur ante biennium, confirmaſſe literis publicis omnia jura & immunitates Reipublicæ Bremenſis, quum quidem jam diu ab aliquot annis duraſſet controverſia, cujus cognitionem hoc tempore præter jus & æquum ad ſe transferre vellet: de qua ne quidem Verbo ullo tum poſtulaſſet, neque ſi poſtulare auſus fuiſſet, quicquam impetrare potuiſſet: Nunc etiam incitatum ab adverſariis, ſimul & actorem judicem eſſe velle, & præjudiciis malis, atque adeo ante cognitionem cauſam ipſam curare, quæ nullo jure ad ipſum pertineat: Doctores & Miniſtros Eccleſiæ Bremenſis habere ipſum pro anathematis & hæreticis, qui prorſus non ſint ferendi, ut facilè intelligi queat, quo res evaſura ſit, ſi poteſtas judicandi de ipſis permittitur ei. Hac de re ſic quidam ad amicum etiam ſcripſit:* Soli Bremenſes vicini noſtri aperire oculos ad veritatem cœperunt. Sed Deus bone quanti fremitus & quàm graves minæ in vicinis aulis audiuntur. Incitat vicinos omnes Archiepiſcopus, eoſque ad comprimendum in prima flamma incendium hortatur. Itaque nuper miſſis ad Senatum Bremenſem literis, abducere eum a ſuſcepta veritatis cognitione conati ſunt: Archiepiſcopus quoque cauſæ cognitionem ſibi permitti poſtulavit: ſed reſpondit Senatus conſtanter & animoſè, & cauſam, quæ communis ſit omnium Auguſtanæ Confeſſionis ſociorum, non niſi in Synodo legitima dijudicari petiit.

D. Pezelius hortatur Senatum Bremenſem ad reformationem cultus externi divini, qui libenter ei aſſenſit.

Hoc reſponſo accepto, quum & Ordines diœceſeos illius diſerte teſtarentur, non ſe adduci poſſe, ut adverſus Bremenſem Rempub. arma moveant quievit ſane Archiepiſcopus, neque ex eo tempore adverſus eos de cauſa Religionis quicquam ſcripſit amplius.

Interea verò, dum poſt editam Miniſterii Bremenſis Apologiam, *mediocris Eccleſiæ illi tranquillitas affulſit, non deſtitit* D. Chriſtophorus Pezelius *hortari collegas & Magiſtratum ſuum, ut cum puritate Doctrinæ, quam hoc quidem tempore liberè ſonabant de controverſis articulis, conjungeretur etiam puritas externi cultus divini. Non reſiſtebat Senatus. Itaque in ſuo templo inchoavit ritum Fractionis panis Euchariſtici: quod exemplum poſtea, urgente & inſtante ipſo, tandem collegæ quoque eius ſecuti ſunt, primatibus plerìſque in magiſtratu aſſentientibus. Mox etiam articulos certos,* εὐταξίαν *Eccleſiaſticam pertinentes, ampliſſimo Senatui exhibuit, quibus petitum inter alia fuit, ut paſtores, in pagis juriſdictioni Senatus ſubjectis, ad Conventus Miniſterii Vrbis adeſſe juberentur, ordo eleemoſynarum certus conſtitueretur, ratio legitima dijudicandarum controverſiarum Matrimonialium conſcriberetur, adminiſtratio Baptiſmi, nullis temporibus certis hactenus, & quidem extra cœtus Eccleſiaſticos peracta, in dies illos transferretur, quibus propter conciones ſacras frequentes cœtus in Eccleſia ſint, & Exorciſmus in eo aboleretur: denique idola & imagines, quæ paſſim adhuc in templis erant reliquæ ſemel amoverentur omnes magiſtratus authoritate & juſſu, ſine tumultu. De his atque aliis articulis bona ipſis à Senatu ſpes facta fuit, & brevi poſt reformatio inchoata & feliciter ad finem perducta eſt.*

Iodocus Glaneus Bremenſium reformationẽ indignè fert.

Erat eo tempore Iodocus *Glaneus Miniſter in urbe Bremenſi, qui hanc Reformationem, in primis vero abolitionem Exorciſmi, fractionem panis, & ſimilia, ægerrimè indigniſſiméque ferebat, ideoq; apertum & periculoſum ſchiſmain urbe Brema committens, infantẽ ſuam intra privatos parietes à peregrino Paſtore baptizari voluit, in contemptum reformationis & Symmyſtarum ſuorum. Cumque ille promitteret, ſe in Colloquio comprobaturum reformationem illarum non ad regulam Verbi Dei inſtitutam eſſe, Magiſtratus Bremenſis Colloquium inſtituit. Nihil autem aliud magis tum à Magiſtratu, tum è deſignatis Collocutoribus petitum fuit, quàm ut, non dico diſputare, ſed amicè tantùm conferre vellet* Glaneus, *adductis quos & quot optaret amicis ac fautoribus ſuis civibus. Sed tergiverſatus ſemper eſt metuens caſſes quibus irretiri poſſet. Tandem etiam vocati ſunt peregrini, viri docti & celebres qui ei aſſiſterent, idque liberali & amicâ Magiſtratus ſumptu & invitatione. Sed neque hoc ſucceſſit, non Bremenſium culpâ, ut* Hamelmannus *calumniatus eſt, detrectatione eorum, qui vocati fuere.*

Pezelius ſcribit contra Hamelmannum

Inter hæcqueq; D. Pezelio *conflictandũ fuit cum* Hermanno Hamelmanno, *& reſponſio ad eius calumnias & mendacia ab eo edita eſt, hoc titulo:* Warhafte und beſtendige erzellung / was ſich mit den vertriebenen Wittenbergiſchen Theologien anno 1574. von wegen der domahls von ihren wiederwertigen newgeſtellten Torgiſchen Artickeln wom handel deß H. Abendmals / begeben und zugetragen / ꝛc. *Ex hoc ſcripto Lector intelligit*

intelligit novum genus ſævitiæ, quo Pezelius *una cum Collegis ſuis in Conventu Torgenſi anno 74. circumventi fuerunt, Hiſtoriam fere integram illarum actionum, ſed breviter complexus eſt: ſic tamen, ut magiſtratui parcens quæ ad politicas inſidias & injurias pertinent, deditâ operâ ſilentio præterierit.*

Bremenſes propter reformationem accuſantur in Halberſtadienſi cõventu.

Reformatione autem Bremæ factâ, eo modo quo flagitata fuerat, anno 82. circa veris principium graviter accuſati ſunt Bremenſes in Conventu Halberſtatenſi apud Ordines Circuli inferioris Saxoniæ à legatis Archiepiſcopi, quòd Calviniſmus magis magiſque in eorum urbe invaleſcere, Lutheri Catechiſmus in Scholis & templis removeri, & ſtatuæ ejici dicerentur, quæ illi ſummi criminis inſtar protulerunt, quibus aperta etiam mendacia addita fuerunt, de multis millibus infantium non baptizatorum in urbe deque Communione privata abolita prorſus: & Archiepiſcopum non conſilio tantùm, ſed etiam auxilio totius provinciæ petere juvari in comprimenda civium audacia indicarunt. Reſponſum eſt autem illis, rem tam arduam non eſſe tentandam bello, nec turbandam propterea Rempublicam, quòd in uno vel altero Doctrinæ Articulo ſe diſſentire à vicinis dicerent Bremenſes, ſed id potius agendum, ut quod Bremenſes toties petierint, cauſæ cognitio, convocata Synodo, inſtituatur, audita utraque parte, quid ex uſu ſit Reipublicæ decernatur. Cumque non alieni eſſe ab hoc conſilio ſuperioris Saxoniæ Principes videantur, ad quos non minus quàm ad ſeſe moti belli pericula pertineant, ſibi videri, ad hos, atque inprimis ad Electorem Auguſtum *ſcribendum hac de re, & ut Synodus aliqua per Germaniam indicatur, poſtulandum eſſe. Forma etiam epiſtolæ, ad Electorem mittendæ à* Iulii *Brunſvicenſis Cancellario, de cæterorum conſenſu mox concepta eſt: de qua tamen inter Principes & Ordines provinciæ deliberatum fuit variantibus hinc inde ſententiis, & pleriſque Synodi nomen exhorreſcentibus.*

Bremenſes reſpõdent publico ſcripto ad accuſationes & calumnias.

Supra dictæ verò calumniæ & mendacia Bremenſibus Theologis neceſſitatem attulerunt, brevi ſcripto, ut legi facilius ab omnibus poſſet, tum de aliis, quæ ipſis objiciebantur, ſeſe purgandi, tum de ſtatuis & imaginibus, quid in controverſia poſitum ſit & quo modo ac ordine ex templis ſublatæ eſſent: nempe, abſque omni tumultu, & magna Eccleſiæ ſuæ parte aſſentirent, niſi quòd ex civibus ii, qui alioquin in genere doctrinæ diſſidebant ab ipſis, Flaccianis addicti, & cœtus orthodoxorum Eccleſiaſticos in urbe vitare ſolebant, rem omnem exponendi integrè. Profuit eius, quanquam brevis lectio plurimum, non modo ad mitigandos Ordines præcipuos Saxoniæ, ſed etiam ad redarguendos & pudefaciendos adverſarios.

Paulo etiam ante hæc tempora Iacobus Schmidlinus *ſub nomine Vuirtenbergicorum Theologorum Confutationem* Apologiæ *Bremenſis Eccleſiæ Miniſtrorum edidit, in qua cantilenam antiquam canit: accuſat enim eos potiſſimum, quod de Perſona Chriſti, non juxta Verbum Dei, ſed juxta Neſtorii doctrinam ſentiant: quod de Baptiſmo contra Sacras Scripturas & Auguſtanam Confeſſionem doceant: quod in Cœna Domini veram Corporis Chriſti præſentiam negent: quod non expreſſe ſuam ſententiam de Electione & libero Arbitrio declarent.*

Schmidlini pugna Bremenſium Apolog.

Bremenſes reſpondent Schmidlini calumniis.

Huic vero libro oppoſuerunt graviſſimam reſponſionem anno 83. Bremenſes Theologi hac titulo: Refutatio vaniſſimæ Confutationis Iacobi Schmidlini, nomine Vuitenbergenſium Theologorum evulgatæ, adverſus veram & Chriſtianam Apologiam Miniſtrorum Eccleſiæ Bremenſis, ante ſeſquiannum editam, in qua ſumma audacia, doli, fraudes, imposturæ, temeritas ac impudentia Iacobi Schmidlini deteguntur.

Bremenſes copioſiorem refutationem contra Schmidlinũ edunt.

Quia vero in hac ſua Refutatione non ad omnia & ſingula, ut neceſſitas poſtularat, propter inſtantes nundinas Francofurtenſes reſpondere poterant Bremenſes Theologi, ideò ſequentibus nundinis aliam copioſiorem ediderunt, cui hunc titulum præfixerunt: Reſponſio Miniſtrorum Verbi Dei in Eccleſia Bremenſi, ad Iacobi Schmidlini, ſub nomine Vuittenbergicorum Theologorum, editam vanam ac falſam Confutationem Apologiæ Bremenſium Anno 1581. Menſe Iulio evulgatæ, de Perſona, & duabus Naturis in Chriſto, itemque de Cœna Domini: ex qua pacis amans Lector intelliget, utrius partis ſcripta Prophetarum, Apoſtolorum ac Patrum Doctrinæ magis ſit contentanea. *Ediderunt autem hoc ſcriptum, tum propter vicinos Saxones, tum domeſticorum, quos intra urbem habeant, hoſtium cauſâ, quibus magno numero* Schmidlinus *exemplaria ſui ſcripti obtruſerat.*

Synopſis Bremenſium refutationis.

Addiderunt huic Refutationi idem Bremenſes Theologi Συνοψιν *ſeu Indicem, qui ſcripti prolixioris & ideam & uſum prima ſtatim fronte oſtenderet: Nempe, 1. Quæ ſit Doctrina Miniſtrorum Eccleſiæ Bremenſis de Perſona Chriſti & Sacra Domini Cœna. 2. Quibus calumniis à* Schmidlino *injuſtiſſimè onerentur. 3. Quæ paradoxa & abſurda iſte ipſe defendat ac propugnet. 4. Vt ambigue ac ſubdole ſcribat & loquatur. 5. Quibus argumentis utatur in propugnanda Vbiquitate. 6. Vt corrumpat falſis ſuis gloſſis & interpretationibus multa Scripturæ loca & Patrum teſtimonia 7. Quibus contradictionibus ſeſe involvat. Liber eſt utiliſſimus ex quo tota* Schmidlini *& Vbiquitariorum Theologia cognoſci poteſt: & quod mireris, Hamburgæ publice venditus fuit. Nam quia ſuperiori anno Typographus Bremenſis juſſus fuerat ex ea urbe auferre*

exempla-

exemplaria primæ Apologiæ *Bremenſis, magiſtratu incitato ab hierophantis Eccleſiæ illius qui toti Flacciani erant, cives Hamburgenſes obmurmurantes ei decreto, palàm queſti fuerant adimi ſibi jus cognoſcendi momenta controverſiarum, de quibus ex ſuggeſtu nil niſi anathematum fulmina audirent quotidiè. Metuentes igitur Theologi majores turbas apud ſuos, & fremitum civium, non auſi ſunt jam impedire exemplarium ſcripti Bremenſis recentis diſtractionem. Quanquam convicta fuit ipſorum conſcientia, ne tamen Deo & veritati gloriam dediſſe viderentur, tali effugio uſi ſunt, non tam ad ipſos, quàm ad* Schmidlinum *Apologiam Bremenſem pertinere, & ſe indignari, quod ſe ipſorum certaminibus immiſcuerit ille, nec ſe gratias illi agere, quòd contra Bremenſes hoc modo ſcripſerit.*

Ex aula Archiepiſc. Bremenſis data fuit occaſio Tubigenſibus ſcribendi cōtra Bremenſes

Porrò ex relatione fide dignorum hominum conſtabat Bremenſibus, ex ipſa Archiepiſcopi ſui aula occaſionem datam eſſe Tubingenſibus contra ſe aliquid moliendi. Nam edito primo illorum ſcripto, cenſuram de eo Archiepiſcopus petiit trium Academiarum, Helmſtadienſis, Tubingenſis & Marpurgenſis. Helmſtadienſes inter quos primarius fuit Heſshuſius, *in articulo de Cœna potiſſimum ſententiam Bremenſium oppugnavit, ſed non permiſit eis Princeps Iulius Brunſvicenſis ut Rapſodiam illam ederent. Marpurgenſes* Landgravii Vuilhelmi *operâ, prorſus ab inſectatione ſcripti Bremenſis abſtinuerunt. Tubingenſes manu ſcriptam invectivam ſuam potius quàm refutationem Archiepiſcopo miſerunt: poſtea vero, non expectato illius juſſu, typis illam evulgarunt.*

Paſquillis ludūt adverſus Bremenſē reformationē; quibus rithmos etiā oppoſuerunt.

Paſquillis etiam adverſus Bremenſium reformationem in vicinia luſerunt, quibus more Schroppii *Abbatis Doctrinam eorum cum Philoſophia, Alcorano & Thalmudicis figmentis contulerunt, & odioſa* Berengarii, Zuinglii, Oecolampadii, Carolſtadii & Calvini *inſectatione inviſos eos imperitis reddere conati ſunt. His etiam Bremenſes rithmos Germanicos oppoſuerunt, quibus Eccleſia ſua introducitur ſermonem conferens cum Eccleſia orthodoxa omnium locorum & temporum, & cum Apoſtolis ac Chriſto ipſo, qui eandem cum ipſis doctrinam tradiderint.*

A multis civibus Bremenſibus ſiniſtri rumores de Theologis Bremenſibus ſparguntur. Vera cauſa odii erga orthodoxos Bremenſis.

Quin etiam à quibuſdam Civibus Bremenſibus Flaccianæ factionis, & ad vicinos Ordines, & in ipſam aulam Archiepiſcopi, multi ſiniſtri rumores de eius urbis orthodoxis Theologis ſparſi & propagati ſunt: quos tamen non tam Religio, quam praetexuerunt ſuo zelo, quàm memoria rerum ante annos plures quàm viginti geſtarum in cauſa Domini Alberti Hardenbergii, *ad odium contra eos exſtimulavit. Impetraverant illi circiter annum* 61. *ab* Heſshuſio, Muſæo *& id genus Theologis, quos Paſtores tum habebant, incitati, decretum Ordinum inferioris Saxoniæ, quo jubebatur* Hardenbergius *urbe Bremenſi excedere, qui in templo Cathedrali concionatoris præcipui officio fungebatur, non aliam ob cauſam, quàm quòd Calvinianus eſſet: quod nomen apud Saxones inprimis, inde uſque à renovato certamine Sacramentario per* Vueſtphalum *Hamburgenſem, ſummi probri & criminis loco & habitum fuit hactenus, & adhuc hodiè apud imperitos habetur.* Hardenbergius *ergo, cùm tranquillitatis publicæ ſtudio, & ut decreto illi pareret, in exilium abiiſſet ſingulari Dei judicio factum eſt, ut anno mox ſequente,* Daniele Burenio, *qui favebat cauſæ* Hardenbergii, *eique in Comitatu Brunſvicenſi Patrocinio ſuo affuerat, ad gubernationem conſularem evecto, primarii illius adverſarii ſponte ex urbe aufugerent, hoc unum cauſati, non ſatis ſe tutos eſſe intra urbem propter fremitum vulgi, indigniſſimè ferentis ejectionem* Hardenbergii, & Danielis *Conſulis authoritatem & potentiam, qui totus, ut ipſi loquebantur, Calvinianus eſſet. Etſi autem foris apud Civitates maritimas, apud Ordines Saxoniæ inferioris, denique & apud* Ferdinandum Imper. *& hujus ſucceſſorem* Maximilianum 2, *Omnia in perniciem patriæ moliti fuerunt profugi iſti, inter quos erant Conſules* 3. *& Senatores* 17. *tamen controverſia iſta eum tandem finem ſortita eſt, ut præcipuis Statibus Imperii intercedentibus, & authoritate Cæſaris, formula quadam compoſitionis, quæ vocatur* Receſſus Verdenſis, *ſancita ſit anno* 68. *quâ turbulenti quidem ex profugis, in perpetuum excluſi urbe fuerunt: cæteri certis conditionibus intra urbem recepti, ita quidem, ut novo juramēto urbi obſtringerentur, & qui in munere publico fuerunt antea privati deinceps viverent: Qui verò abſentibus illis in Senatum allecti eſſent, eam dignitatem retinerent: In religione autem nihil introduceretur pugnans cum Auguſtana Confeſſione, Francofurtenſi Receſſu, Lutheri Cathechiſmo & Agenda Bremenſi. Quæ duo poſtrema capita diutiſſimè ἀφορμὴν adverſariis domeſticis præbuerunt undique calumniis orthodoxos deformandi apud vicinos Ordines, quorum plerique etiam à mentione Calviniani nominis abhorrebant:. ἄνοι verò latens in animis adverſariorum hoc Vergiliano verſu continetur;* Manet altâ mente repoſtum, *amiſſio nimirum dignitatis priſtinæ, & odium adverſus magiſtratum. Sed benedixit tamen Deus Eccleſiæ Bremenſi, ut ab aliquot jam annis magis magiſque lux veritatis in ea emicuerit, cujus liberam Confeſſionem hodie Dei beneficio Miniſtri eius habent tum in Concionibus publicis, tum in ſcriptis, quæ contra hoſtes defendendæ veritatis cauſâ ſubinde maximo cum fructu edunt.*

Schmidlinus.

Edidit quoque hoc anno Iacobus Schmidlinus *Admonitionem brevem de* crimine Stellionatus

edit librum de crimine Stellionatus Calviniſtarum.

lionatus Calvinianorum, quo Ieſuitas in ſuam ſocietatem rapere, & Doctrinam Lutheri de Perſona Chriſti, & Sacra Cœna, illorum authoritate opprimere conentur. Ediderant Ieſuitæ Ingolſtadienſes anno 1564. Diſputationem de Majeſtate hominis Chriſti, ad normam veræ piæque doctrinæ per Theſes explicatam, adverſus impias Iacobi Schmidlini Theſes Tubingæ olim propoſitas. Ac duplicem ordinem Theſium poſuerunt, ut primum haberet Lector totius negotii hujus, quòd pleriſque obſcurum videtur, neceſſariam explicationem: deinde vero, ut de Schmidlini ineptiis, imo, ut ipſi loquuntur, aperta & horrenda impietate, boni omnes rectius judicarent. Quare Theſes alias explicatorias, alias confutatorias fecerunt. Hæ Theſes, ut orthodoxæ anno 71. Vuitebergæ, conſilio orthodoxorum Theologorum, qui tum ibi docebant, & juſſu Rectoris ſecundò excuſæ ſunt, & tertiò etiam Genevæ recuſæ, ut omnes, nullo pravo præjudicio faſcinati homines, hinc intelligerent, Deum, pro immenſa ſua miſericordia, etiam in denſiſſimis Papatus tenebris veram doctrinam de præcipuo Chriſtianæ fidei Articulo, nempe, de Perſona Chriſti ſartam tectamque conſervari voluiſſe. Hoc verò indigniſſimè tulit Schmidlinus intelligens videlicet, impiam ſuam de hoc articulo doctrinam, non ſolùm à Calvinianis, ſed etiam a Papiſtis, imprimiſque à Ieſuitis, quos illi in hac cauſa in ſocietatem traherent damnari & graviſſimè confutari. Non animadvertit autem, vel ſaltem animadvertere diſſimulat, ſe, magna cum contumelia Dei, cum ingenti dedecore incommodo & detrimento Eccleſiæ Chriſti, in ſocietatem ſuam rapere veteres hæreticos; puta Martionitas, Manichæos, Neſtorianos, Eutychianos, Apollinariſtas, Arrianos, Monothelitas, Iacobitas & ſimiles alios, ſuoſque tetros errores & horribiles blaſphemias iſtorum argumentis propugnare ac defendere, Ingens ſaltem noxa, & plusquam capitale crimen eſt Schmidlino, quod orthodoxi, quos per calumniam Calvinianos vocat non ſimul cum paleis, triticum etiam abjiciunt, ac non exemplo iſtius Agyrtæ, & ſociorum illius, cæco odio perſonarum, rectè & piè dicta ſuperbè aſpernantur; & temerè condemnant. Iudicent autem omnes ſani & prudentes, an Calviniani quos ſic vocant, cum Ieſuitis, ideo meritò potuerint, aut debuerint ab iſto accuſari aut damnari, quod in ſuis diſputationibus ac ſcriptis ſimul & conjunctè repetant & inculcent orthodoxam de Perſona Chriſti Doctrinam cujus cum omnes Eccleſiæ & Scholæ quæ hactenus Auguſtanam Confeſſionem ſunt amplexæ, tum Lutherus ipſe ſe approbatorem & ſectorem eſſe, manifeſtè teſtatus eſt: quemadmodum liquidò ex Auguſtana Confeſſione, eiuſdem Apologia & Smalcaldicis Articulis, ut complura alia illuſtria argumenta non attingam, apparet. Si iſtis in Eccleſia recens exortis Pontificibus, non parùm inclementioribus ipſo Pontifice Romano, pro univerſali dominio, quòd ſibi ambitiosè pariter ac impudenter in omnes Eccleſias & Scholas reformatas, imo in totam Eccleſiam orthodoxam vendicant & uſurpant, non ex ſeſe, ſed ex ipſis perſonis æſtimanda veritas videtur, ut verum eſſe perhibeatur quod docent, quos ipſi probant & amant, falſum verò quod ab illis traditur, quos per[illegible] que, ut dicitur, oderunt & averſantur: Quid [illegible] conſtanter verum aut falſum poterit prohiberi? in quo tuto poterunt quieſcere piæ mentes: Verum in tali conatu & actione parum [illegible] eſt Schmidlinus cum ſuis gregalibus eorum, quæ paſſim in Moſe & Prophetis leguntur, qui ſuam doctrinam non ex ſuis, aut aliorum perſonis, ſed à ſolo authore Deo commendant.

Ieſuitæ Schmidlino reſpondent pro Zuinglianis.

Reſpondent etiam Ingolſtadienſes Ieſuitæ pro ſe & Calvinianis Schmidlino ad hunc modum: Quid nobis, inquiunt, ſuccenſet adhuc Schmidlinus, quòd etiam alicubi cum Zuinglianis conſentiamus? quaſi vero nihil norint aut habeant ex doctrina Chriſtiana. At habent ſanè, cur Ubiquitatem & plura Schmidlini figmenta magnâ vi refutent, & arguant, habent quod in Brentiana Schola deſiderent & deteſtentur. Item, Oppugnant Zuingliani, & verè quidem oppugnant Ubiquitatem Schmidelinam Corporis Chriſti: faciunt utique, quod Catholicos facere oportebat: nec gravate illis conſentimus, ubi rectè docent.

Vbiquiſtæ impediunt Colonienſem reformationem.

Hoc ipſo quoque tempore Archiepiſcopus Colonienſis Gebhardus Truchſeſſius, Archiepiſcopatum ſuum ab idolomania aliiſque erroribus Papiſticis repurgare inſtituerat. Bonnam igitur ſtatim Vbiquitarii, inter quos Hoſiander antesignanus erat, confinxerunt, ut Archiepiſcopo dogmata ſua Vbiquitaria obtruderent, & ad Calvinianos damnandos, exſtirpandos, exterminandoſq; impellerent: Etſi vero Principum Proteſtantium, inprimiſque Electorum ſtudia benevolentiam retinere conaretur Archiepiſcopus, tamen quod verâ & orthodoxâ doctrinâ illuminatus eſſet, quidvis potius pati paratum ſe eſſe apertè profitebatur, quam ut vel Vbiquitati, vel Eccleſiarum Orthodoxarum Condemnationi ſubſcribat. Principum igitur Evangelicorum omnium, etſi initio toti eſſent in promovendo negotio reformationis hujus, tamen ad ſolam Calviniſmi, cui addictus videbatur Archiepiſcopus mentionem, ſtudia deferbuerunt, excepto Palatino Iohanne Caſimiro. Accedebant ſacrificulorum & Vbiquitariorum perſuaſiones, ſatius eſſe Papatum ſartum tectum conſervari, quam Calviniſmum introduci: hoc enim Calviniſmum prorſus everti, & in Mahometiſmum converti: quod crediderunt Principes. Interea Bavarus Leodienſis Epiſcopus rerum potitur: Truchſeſſius

ſedibus ſu's eiicitur & ſit extorris.

Providentiæ & Protectionis divinæ evidentiſſimum exemplum.

Hic temperare mihi non poſſum, quin abſcribam hiſtoriam, licet huc non pertinentem, quæ hoc tempore, hocque bello accidit, tanquam providentiæ & protectionis divinæ evidentiſſimum exemplum. Bonnâ perfide à militibus traditâ, & per proditionem ab Hiſpanis captâ, inter alios comprehenſus quoque eſt M. Ioannes Northuſius, Thuringus quidem, ſed orthodoxus, qui tempore obſidionis Bonnæ Evangelium docuerat. Is 27. Ianuarij anno 84: veſperi ex carcere ad præfectum Hiſpanum adductus eſt: a quo cum crimen læſæ maieſtatis in Cæſarem ipſum & Bavarum Epiſcopum Electorem, & hæreſeos ac defectionis ab Eccleſia Romana ei obiecta eſſent, rogatus eſt tandem, Num abiectâ & eiuratâ hæreſi ad Romanam Eccleſiam redire vellet? Cumque impunitate promiſſâ, ac magnâ ſpe honorum & dignitatum oblatâ, conſtanter ille in agnita veritate perſeveraturum ſe affirmaret, tandem colligatis manibus pedibusque quàm arctiſſimè, è telonio, quod eſt ad præterfluentem Rhenum, in profundum Rheni gurgitem præcipitatus eſt. Ibi miſer ille undis jactatus, deſperatâ iam vitâ, ſenſit diſſolvi funiculum, quo manus pedibus alligatæ erant. Poſtea cùm vi fluminis cuidam fractæ navi allideretur, ibidemque aliquandiu hæreret, vincula manuum admorſa dentibus, quantum potuit diſſolvit, atq; tum, cùm melius ſperare inciperet, pedicas ſibiipſe manibus ſuis, quantumuis frigore rigerent, ademit. Ita in mediis undis Rheni ſervatus, & ex flumine egreſſus, præſidiarios milites, qui in ſtatione paſſim collocati erant, latere non potuit. Sed diſſimulato nomine & fortunâ iſtâ, ſeſe in quodam pago ſuperiore in flumen incidiſſe finxit, & à militibus veſtem (nam præter caligas & interulam miſero nihi reliquerant) ne frigore nocte illâ enectus periret, petiit. Milites ergo, qui quid actum eſſet in telonio ignorarant, ſtragulum quoddam detritum ei donarunt, quo ille involutus, & aliquot excubias, quæ in agro & pagis vicinis diſpoſitæ erant, præteriens, antelucano tempore Coloniam venit. Vbi, vix ægre in urbem intromiſſus, per tres ſeptimanas latitavit in ædibus fidelium: quum quidem à Senatu urbis, juſſu Bavari, ſolicitè ad novum, opinor, balneum, inquireretur. Tandem in equo unà cum miniſtro Præpoſiti Vvitgeſtenii ex urbe & inſidiis evaſit. Hanc hiſtoriam, quam prodeſt notam eſſe quàm plurimis viri fide digniſſimi recitare Northuſium audiverunt. Multi eam boni ominis loco acceperunt, quibus exemplum hoc providentiæ divinæ, editum in conſervatione Miniſtri Eccleſiæ, ſpem non dubiam fecit, etiam Eccleſiam armis Pontificiis vexatam ad Rhenum, evaſuram tandem. Nam, juxta illud, Tingitur uter aquis, ſed non fas mergier illum.

CAPVT XLIV.

De Apologia Erfurtenſi pro Libro Concordiæ: ejuſque Cenſuris, cùm aliorum, tum maximè QVEDELBVRGENSIS Conventûs: deque eiuſdem editione & erroneis dogmatibus.

Electorales Theologi Erdfurdiæ ad Cadum vinarium, ob conſcriptionem Apologiæ pro libro Concordiæ.

QVÆ res fecit, ut ſuperiore anno Nicolaus Selneccerus librum Recitationum ſuarum pro Libro Concordiæ in lucem ederet, eoque Neuſtadianam inprimis Admonitionem refutare conaretur; eadem etiam reliquos Concordiæ libri Patres ac genitores permovit, ut de ſcribenda publicandaque APOLOGIA, & adverſariorũ: Neuſtadianorum maxime, Anhaltinorum & Bremenſium refutandis (ut vocarunt) calumniis vehementer laborarent. Iuſſu itaque trium Electorum, tres Theologi Kirchnerus, Selneccerus & Kemnitius ſuperiore hyeme anni 80. Erfordiæ in diverſorio ad Cadum vinarium (zum Weinfaß) vocato, convenerunt, ubi multis ſeptimanis unà fuerunt, deliberantes primo, de Apologia opponenda adverſariorum ſcriptis, defendi libri Bergenſi causâ. Deinde diſtributis inter ſe operis, & ſcriptis adverſariorum examinatis, grande volumen confecerunt, in quo non ſolum nominatis jam adverſariis reſpondere conati ſunt, ſed etiam in Danæo, Ambroſio Vvolſio, & aliis aliquot Theologis exagitandis multas paginas conſumpſerunt, confectumq; aliis Ordinibus Auguſtanæ Confeſſionis, ad revidendum libereq; conſendum, ſicut ipſi in Præfatione Voluminis ſcribunt, miſerunt.

Lipſenſes, Magdeburgenſes, &c. quid deſideraverint in Apologia.

In Cenſuris Lipſenſium, Magdeburgenſium & aliorum, querebantur alii, multas ſupervacaneas repetitiones in Apologia, & contra multa neceſſaria omitti: Alii monebant, multa malè poni, & malâ fide recitari, & ſyllogiſticè ſingula adverſariorum argumenta repetenda & examinanda eſſe. Item, ponderandum diligentius, an ſimpliciter verum ſit illud axioma, Chriſtum omnia omnipotentiæ ſuæ opera, per ſuam Humanam Naturam operari? &c.

Roſtochienſium, Megapoliſanorum, &c. cenſuræ & judicia de Apologia.

Roſtochienſes & Megapolitani Theologi prolixitatem etiam & ταυτολογίας Apologiæ reprehenderunt, ejuſque fabricatores criminis falſi in citandis non modò adverſariorum, ſed etiam Patrum dictis arguerunt. Multa pro orthodoxis ad cauſæ eorum defenſionem attulerunt. Non multum ad Patres provocandum monuerunt, quod pro adverſariis plurimùm faciant. Bergenſem librum non obſcure vellicarunt: Tropum etiã in Cœnæ verbis admittendum confirmarunt. Inprimis autem admonuerunt eos, quòd generalis

Vbiquitas in libro Concordiæ nuſquam contineri, ſed ei affingi in Apologia dicatur: adductiſque ex libro Concordiæ quinque teſtimoniis generalem & abſolutam Vbiquitatem in eo contineri expreſſè oſtenderunt, ac proinde vt iſta corrigerentur in Apologia ſuaſerunt, niſi authores Apologiæ aperti mendacij conuinci vellent.

Verba eorum hæc ſunt fol. 24. Die *Apologia* ſagt *fol.* 11. *fac.* 2. das Chriſtlich Concordibuch gehe eigenlich und allein und nicht weiter/ dann auff die *præſentiam totius Chriſti in Eccleſia & Sacramentis.* Item/ daß die *Generalis Vbiquitas* werde dem Concordibuch angedichtet. Nun iſt ia im Concordibuch dieſes augenſcheinlich und derhalben vnlaugbar/ daß die *Generalis Vbiquitas Corporis Chriſti*, daß Chriſtus auch nach ſeiner Menſchheit/ und mit ſeinem leyb allenthalben ſey/ wo Gott iſt/ in etlichen vnderſchiedenen örtern außtrucklich/ im Concordibuch auch geſetzt und beſtetiget wirdt/ als nemblich *fol.* 313. *b.* So muß folgen/ daß Chriſtus auch nach der dritten vber natürlicher weyß ſey/ und ſeen müſſe allenthalbene/ wo Gott iſt/ und alles durch und durch voll/ wo du kanſt ſagen/ hie iſt Gott/ da muſt auch ſagen/ ſo iſt Chriſtus der Menſch auch da/ und wo du ein ort zeigen wurdeſt/ da Gott were und nicht der Menſch/ ſo were die Perſon ſchon getrennet.

Item/ Nein Geſell/ wo du mir die Gottheit hinſetzeſt/ da muſtu mir auch die Menſchheit hinſetzen/ ſie laſſen ſich nicht ſondern.

Fol. 3. *fac.* 2. Wirdt auß Lutheri groſſen Bekanntnus ein langer *locus* abgeſchrieben/ da für dieſen worten (Meine gründe darauff ich ſtehe ſeind dieſe) außtrücklichen die Propoſition geſetzt wirdt/ daß er geſchrieben habe/ daß der leyb Chriſti allenthalben ſey. Solches erweiſet er bald mit folgenden vier gründen/ die im Concordibuch erzehlet/ die in D. Luthers Bekandtnus außtrücklich zur Beſtetigung *Generalis Vbiquitatis* geſetzt werden.

Item fol. 302. Du muſt das weſen Chriſti/ ſo mit Gott ein Perſon iſt/ eben ſo tieff und nahe in allen Creaturen ſetzen/ als Gott darinnen iſt. Dann er iſt ein vnzertrennte Perſon mit Gott/ wo Gott iſt/ da muß er auch ſeyn/ oder unſer Glaub iſt falſch.

Dieweil nun das Concordibuch ſo offt und außführlich/ an etlichen vnderſchiedlichen Orten/ die *Generalem Vbiquitatem* öffentlich bekennet und vertheidiget/ ſo werden ia die wort in der *Apologia fol.* 117. daß das Concordibuch eigentlich und allein nicht weiter/ dann auff die *præſentiam Chriſti in Eccleſia & Sacramentis* gehe/ und das dem Concordibuch die *Generalis Vbiquitas* angedichtet werde/ müſſen geändert und außgelaſſen werden/ wo nicht die *Apologia* in einer öffentlichen vnwarheit ſol erwiſchet werden.

De Patribus ad quos non multùm prouocare debeant, quod pro ſe non faciant, ſic ſcribunt pagina 14. So wiri alſo gewiß unde wig wahr geſetzet/ das *fol.* 36. gantz in zweifel geſetzet wirdt/ als daß man nicht gewiß iſt und dargeben köndte/ Ob Chriſti leib im Hjmmel vmbſchrieben ſey.

Daß ſie auch 53. *fol.* ſetzen/ daß die *Aduerſarij* mit keinem beſtändigen können oder ſollen auß den *Patribus* erzwingen/ daß ſie den leib Chriſti auß ſeinem heiligen Abendmal/ daß hie auff erden gehalten wirdt/ außſchlieſſen/ das wiſſen die Apologien verfaſſer/ daß die Widerſächer den Spruch *Auguſtini in Pſalm.* 98. Non hanc carnem, quam videtis, manducaturi eſtis, neque hunc ſanguinem, quem fundent, qui me crucifigent, bibetis, *&c.* Vnd andere viel/ ſo faſt vnzehlichen/ anziehen/ da ſie *Panem Cœnæ Domini* nennen *Signum, Figuram, Similitudinem, Symbolum, Imaginem Corporis Chriſti; quòd alibi expreſſè dicunt* Iam non eſt in terra, ſed in cœlo, *&c.* Derhalben vielicht rahtſamer were/ nicht alſo ſehr ſich auff die *Patres* zuberuffen/ ꝛc.

De TROPO *in verbis Chriſti admittendo, his verbis Apologetas monuerunt:* Vom heiligen Abendmal wirdt mit vielen blettern gehandelt/ daß der eigentliche natürliche verſtand der hauptwort deß Sacraments (Das iſt mein Leib/ das iſt mein Blut) nach dem buchſtaben zubehalten/ und kein FIGVRA in den ſelben worten zu zulaſſen ſey/ wie hernacher auch *fol.* 408. *fac.* 2. *Apologiæ* geſagt wirdt: Die Widerſächer nemmen für bekannt an/ und halten gewiß/ daß Chriſti wort figürlich ſein/ das ihnen noch auff den heutigen tag zubeweiſen oblieget: Dann wir ſagen ſtracks Nein darzu/ und wöllen Nein ſagen/ ſo lang als vnſer athem währet.

Dargegen bekennet die *Apologia* ſelbſt *fol.* 399. *item* 400. und anderſchwo/ daß in den hauptworten deß Nachtmals ein *Synecdoche* ſey/ welches nicht ein gemein figur oder ſonderliche art zureden/ ſondern auch ein *Tropus* darinnen/ *totum pro parte, pars pro toto, contentum pro contento, & è contra,* genommen und alſo der eigentliche und natürliche verſtand der worten nicht vnverändert behalten wird.

So wiſſen die Herren verfaſſer der *Apologiæ*, daß im Bremiſchen buch/ deſſen widerlegung ſie *Cap.* 4. verheiſſen nicht auß den worten vom Kelch/ Dieſer Kelch iſt das Neuw Teſtament in meinem blut/ dieſe Sacramentliche und figürliche art zureden/ *N.* 2. *&* 3. *& deinceps*, durchs gantz *O. P. Q.* beweiſet/ ſonders auch *R.* 1. 2. nicht eine oder zwo/ ſonder zehen oder eilff figuren ordenlich erzellt werden/ ſo in den worten deß Abendmals/ auch die ienige zulaſſen müſſen/ ſo am meinſten vom buchſtaben rühmen.

Derhalben

Der halben wir die Herren verfaſſer *Apologiæ* bitten/ dieweil ſie ſelbſt/ wie auch *Lutherus* und *Brentius*, in den hauptworten/ Das iſt mein Leib/ das iſt mein Blut/ nicht ein ſchlechte figur/ ſondern ein *Tropum*, nemlich *Synecdochen* zulaſſen/ und in den worten vom Kelch/ Dieſer Kelch iſt/ ꝛc. ein doppel *Synecdochen* und andere figuren zulaſſen müſſen/ daß ſie ſich etwas eigentlicher und gründtlicher erklären/ wann man *Synecdochen* in den worten deß Abendmals zulaſt/ wie mã das τὸ ῥητὸν *verborũ Chriſti*, könne behalten/ und ob nicht nohtwendig ein figur in *verbis Cœnæ* muß zugelaſſẽ werden/ und deß halbẽ die ernſte *aſſeveratio fol.* 408. (wir ſagen ſtracks Nein darzu/ und wollen Nein ſagen ſo lang vnſer athem were) etwas müſte gelindert und gemeſſiget werden/ und ob es genug ſey/ wie *Brentius* etwa gelehrt/ *In verbis Cœnæ Tropo opus eſſe, ſed non tali, qui auferat præſentiam Corporis, qualis ſit Synecdoche.* Wie dann auch die verfaſſer der Apologien an etlichen orten andeuten/ daß es nicht ein ſolche *Metonymia* ſein könte/ *in qua ſigno nomen rei ſignatæ præſentis & ſimul exhibitæ tribuatur:* wie die *Patres* das Brodt im Abendmal nennen/ *Signum, Symbolum, Sacramentum, Typum, Antitypum, Figuram Corporis Chriſti, ſcilicet præſentis & unà exhibiti.*

Fol. 324. 325. *&c.* Werden die wort *Lucæ* und *Pauli* (Dieſer Kelch iſt das Newe Teſtament) zuhandlen vorgenommen/ und wirdt geſagt/ daß es nicht Figuren und Deutungen/ und das wort Newe Teſtament/ laſſe ſich nicht deuten für ein zeichen deß Newen Teſtaments/ ꝛc.

Helmſtadienſium Theologorum admonitio de Apologia Erfortenſi & Vbiquitate.

Cùm etiam Ducis Brunſvicenſis Iulij *mandato ac iuſſu Helmſtadienſes Theologi Erdfurtenſem Apologiam diligenter legiſſent, ac ſingula eius capita examinaſſent, deprehenderunt in ea latentem Vbiquitatem deque illa varias ac tantùm non contrarias ſententias, quibus ea modò negatur, modò per aliquot paginas adſeritur. Amicè ergo ac fraterne, propter adverſarios, Authores Apologiæ monuerunt ac rogârunt, ut non neceſſario Diſputatio de Vbiquitate, quæ in verbo Dei fundata non ſit, in Apologia præcidatur. Hanc ob cauſam indictus eſt ab Illuſtriſſimo Principe Brunſvicenſe Vlſſæ Conventus Theologorum Circuli inferioris Saxoniæ: Sed, diſſuadente hunc Conventum* Kemnitio, *in fumum abiit. Non ceſſavit tamen Brunſvicenſis, & apud tres Electores obtinuit, ut Theologos Brunſvigam primò, deinde Helmſtadium mittendos decreverint, qui cum Helmſtadienſibus ex factis Cenſuris Apologiam corrigerent, & de vera eius forma inſtituenda deliberarent. Sed ne hoc quidem decretum Electorum Theologis ſuperbiſſimis placuit: ipſiq́;* Heſſhuſium, *ſolum Vvigandum* [?] *callidè, vocârunt, ut ibi cum eo ſolo, abſque collega & teſte, agere & tranſigere poſſent: quod ipſe quoque iuſtis de cauſis detrectavit.*

Superbiſſimus Theologorum Bergenſium ſpiritus.

Ducis Brunſvicenſis iuſta querela de ſuperbo Bergenſium ſpiritu.

De hoc ſuperbiſſimo Theologorum ſpiritu Dux Brunſvicenſis in literis ad Ludovicum Electorem Palatinum graviſſimè conqueritur, his verbis. Hochgeborner Fürſt/ freundlicher lieber Oheim und Schwager/ was zwiſchen den Herren Churf. Sachſen und Brandenburg/ und uns/ wegen der Concipirten *Apologiæ* uber die *Formulam Concordiæ* für wechſelſchrifft *hinc inde* ergangen/ auch wie einer Chriſtlichen und brüderlichen zuſamenkunfft/ etlicher ihrer E. L. und unſerer Theologen halber geſucht/ beide ihre E. L. auch ſich darauff erkläret und erbotten/ das alles wiſſen ſie ſich guter maſſen noch wol zuerinneren. Ob wir nun wol gern E. L. gleicher geſtalt hierumb hetten erſuchen ſollen/ So iſt es doch wegen ferrne deß wegs und kürtze der zeit verblieben. Wir aber hetten nicht deſto weniger verhofft E. L. *Theologus D. Timotheus Kirchnerus*, der damals neben den anderen Theologen von E. L. allerſeits abgeordnet geweſen/ ſolchem von beiden Churfürſten eingewilligten *Colloquio* hette bey wohnen mögen/ darauff wir dann unſeren Theologen befohlen/ der ſelben Collation mit aller Chriſtlichen beſcheidenheit dermaſſen beyzuwohnen/ damit wir und iedermeniglich im werck ſelbſten zuſpüren/ daß ſie die ehr Gottes/ und fortpflantzung ſeines ſeligmachenden reinen worts und nicht eigene ehre/ anſehen und nutz/ trewlich ſuchten und befürderten. Und alldieweil uns wiſſend/ auch wir zum theil ſelbſt im werck erfahren/ was es vor nutz und einigkeit in der Chriſtlichen Kirchen ſchaffet/ wann die Theologen allein zu hauff im finſteren winckel Kirchen/ und winckel Colloquia oder Synodos für ſich ſelbſt halten/ und alles dirigiren wöllen/ Als haben wir nit undienſtlich geachtet/ auch etliche Politicos darzu zuverordnen/ wie wir auch in unſeren vorangemeltem ſchreiben/ beyden Churfürſten Sachſen und Brandenburg/ freundlich angedeutet. Und ihre L. L. ſich nicht miß fallen laſſen/ ſondern ſich dahin gegen uns erklärt/ daß die ſelbigen ihres theils deßgleichen auch zuthun/ nicht ungeneigt/ da die zeit nicht zu kurtz. Darauff wir dann in allem Chriſtlichem wolmeinen vorermelten unſeren Theologen unſere fürnemme geheimbte Politiſche Räthe zugeordnet/ iedoch anderer geſtalt nicht/ ſondern dahin zuſehen (weil uns etlicher unrühige zänckiſche köpffe zimlicher maſſen wol bekandt/) daß beyde theile/ einer den anderen placidè hörten/ Chriſtl. und brüderlich auch friedlich candidè conferirten/ und daß ebenmeſſig/ Als E. L. Theologen ihres alſo/ die unſeren auch unſers gemeſſenen befelchs/ ſo wir ihnen in dieſen ſachen auffgegeben/ ſich gleichförmig verhielten/ auch in dieſen hochwichtigen

 Chriſtli-

Chriſtlichen gewiſſens ſachen/ nit zuweit ſich verlieſſen/ oder vnnöhtige Ehrgeitzige wortgezäncke (der doch leider an ietzo mehr dann zuviel mit höchſter ergernuß und beſchwernuß vieler frommer Chriſtlicher hertzen im ſchwang gehen) ſtiffteten und erweckten. Inmaſſen dann ſolches in anderen gehaltenen Collationibus andere Chur und Fürſten/ für vns nit allein alſo löblichen und wol herbracht/ ſondern auch die Hiſtorien bezeugen/ daß in primitiua Eccleſia viel Chriſtlicher Keyſer und Potentaten/ in vielen celebrirten Synodis ſolcher præeminentz ſich geübt und gebraucht/ auch viel guts darduch geſtiffet/ und vielen vnheil Rotten und Secten dardurch geſteuret/ und gewehret haben.

Ob wir nun wol vns hetten verſehen ſollen/ alldieweil ſich gegen vns beide Churf. Sachſen und Brandenburg erkläret/ daß ſie derſelben Theologen ſolches in befelch gethan/ die ſelben würden ſich aller ſchuldigen Chriſtlichen beſcheidenheit erinneret/ und ihrer L. befelch zufolge/ dem beſtimbten handel beygewohnet haben/ ſo befinden doch E. L. auß beygefügtem der Theologen gethanem ſchreiben/ warumb und auß was/ vnſers erachtens/ vnerheblichen vrſachen/ ſie ſich deßwegen verweigeret.

Alldieweil aber/ wie vorgemelt/ die winckel Colloquia Theologorum nichts guts ſtifften/ ia nicht die geringſte vrſach auch ſein/ darumb die publicierte Formula Concordiæ von vnſerem Widerſächeren zum hefftigſten impugnirt würden/ und wir auch in dieſem angeſteltem Colloquio keiner præeminentz/ mehr dann als für vns iüngſtlich andere Chur und Fürſten/ ia vorzeiten die Chriſtliche Keyſer und Potentaten gethan und geleiſtet/ anzumaſſen und zugebrauchen/ uns vnderfahen.

Darumb hetten wir vns/ ſo viel weniger zu den zuſammen verordneten Theologen verſehen ſollen/ daß ſie ſich deſſen verweigeret/ wir können vns auch nicht erinneren/ wie ſich dieſes bey vnpartheyiſchen bementeln/ und beſchönen laſſen wölle. Vnd ob ihre vermeinte ingewandte entſchuldigung/ ſie von ihrer L. Befelch liberirn und entfreyen könne/ Sintemal ſie von wegen ihres ampts ſchuldig ſein/ ihrer lehr halber/ auch ohne befelch ieder meniglich bericht und vnderricht/ auch rede und antwort außzugeben/ und einzunemmen: und gebürt vns nicht allein nicht vnbillich/ allerhand beſchwerliche nachdencken/ daß man nicht ans liecht und tag gewölt/ der warheit beyzupflichten/ und anderer Chriſtlichen Theologen und Politiſchen Räthe Colloquia und iudicia, als einen hefftigen gifft geſchewet/ und geflogen/ wie dann das auch/ daß man allein mit D. Heſhuſio ſemotis aliis, als einer einzigen perſon ſich zuverkrichen/ zubereden/ und zuvereinigen anerbeut/ und dardurch vermeinet/ wann ſie D. Heſhuſium vielleicht vberreden köndten/ vns und anderen fürzugeben und fürzuſchreiben/ was ihres gefallens/ wir und ſie glauben und lehren ſollen/ und beſorgen in höchſter warheit daß ſolche vnvermuetliche verweigerung (wie dann/ Gott erbarms/ nichts verholen bleibt/ und die gegentheile an allen örteren ihre kundſchaffter und auffmercker haben) bey den Widerſächern erſchallen wird/ die ſelben nicht allein ein groß gepler darauß machen/ ſondern auch/ da nicht alle gehört/ quorum intereſt, wie dann dieſe ſache/ ſo wol vns und vnſere Theologen mit betreffen thut/ zumal wir und ſie die Formulam Concordiæ, wie die in ihrem erſten begriff vns und ihnen fürgelegt/ durch Subſcriptiones approbiert/ und die Apologia darüber alſo auch vnder vnſerer Theologen namen nie außgehn ſoll/ werden ſie und wir all zuſpat aller erſt erfahren/ was vnheil in dieſem Apologiæ werck/ ſie mit ſolcher vnzeitigen verweigerung/ und daß man andere/ die gleichwol auch ihre gaben haben/ nicht hören wöllen/ angerichtet und eingeführet haben/ vns aber vngelegen geweſen/ mit den von E. L. und den anderen Herren Churf. verordneten Theologen allein ſich ſolches wichtigen wercks zuvndernemmen/ Sintemal die Widerſächer zum höchſten auffmutzen/ daß allein etliche wenige die Formulam Concordiæ geſtellt/ und die allein darzu gezogen/ deren ſie haben gewuſt/ mechtig zuſein. Solche cavillation zuverkommen/ haben wir geachtet/ daß ein zuſammen kunfft mehrer Theologen zum höchſten von nöthen were/ nicht darumb daß wir gemeinet/ etwas newes anzuführen/ ſondern wöllen bey der reinen wahren geſunden lehre deß Göttlichen worts/ ebener maſſen/ die in vnſerer publicirten Kirchenordnung/ und dem Corpore Doctrinæ, dieſes vnſers Fürſtenthumbs erklärt/ beſtendiglick biß an vnſer end/ durch Gottes gnedige hülff bleiben und verharren.

Dieweil dann das vnſer gentzlich gemüt/ intent und meinung geweſen/ wie es dann auch noch iſt/ vnſeren Theologen zum höchſten beſchwerlich/ das vns und ihnen/ wie vns fürkompt/ ſchuld gegeben/ und vnder die leute (wiewol Gott lob und danck/ mit lauterem vngrund/) außgeſprengt wird/ als flieſſe die zerrüttung der fürgeweſenen zuſammen kunfft von vns und vnſeren Theologen her/ wie wir dann erachten/ es werden ſich etliche leut vnderſtehen/ da es nicht allbereit zu werckt geſtellet/ ſolchs E. L. auch einzubilden/ und mit der vorklage zukommen/ wir bitten aber freundliches fleiſſes E. L. wollen ſolchen und dergleichen vngegründeten bericht/ keinen glauben noch beyfall geben/ beſondern dieſen vnſern warhafftigen Gegenbericht dargegen halten/ und mit gerechten augen anſehen

und

und erwegen / auch ihrem blutsverwandten freund mehr glauben geben / als zweyen oder dreyen Theologen. Als dann werden E. L. klärlich und greifflich wol befinden / welcher oder welche das liecht und den tag geſchewet / und und rem hütlin zuſpilen luſt gehabt / und die angeſtellte zuſammenkunfft verhinderet / und gehemmet hat oder haben. Hetten etliche wenige Theologen ſolche und dergleichen heimliche privat practicklin / und ihren eigenen nutz / im anfang deß gantzen Concordien wercks vermitten / und den vns inſonderheit vertröſteten Synodum fortge[illegible] / und andere leute bey ſich auch etwas gelten / und ſein laſſen / ſo were vielem vbel / ſo nun jetzo ſich leider erreget / fürgebawet worden / und wir ſehen auch bey vns noch nicht / wie dieſen ſachen gründlichen / auſſerhalb ſolches Synodi zurathen und zuhelffen ſey / es ſchicke dann die Göttliche Allmacht ein ander ſonderlich mittel darzu / von welchem wir doch noch zur zeit auch nichts vernommen haben.

Damit wir aber bey E. L. und ſonſten jedermenniglichen von etlichen vnruhigen / Ehrgeitzigen leuten nicht außgeſchreyet werden / als ob wir und vnſere Theologen / nicht allein zu keiner Chriſtlichen einigkeit und Concordien / da wir doch ohne vngebürlichen ruhm zumelden / wie E. L. wiſſen / in vnſer angehenden Regierung / auch jetzo noch die ſelbe mit hoher mühe / arbeit und koſten / gantz emſich allezeit getrieben und gefürderet / luſt nach begierde trügen / beſonder viel mehr das gantze nützliche werck der Apologiæ Formulæ Concordiæ zuhindern / und zuhemmen gedechten / So haben wir auß Chriſtlichem Fürſtlichem gemüt vnſerer Perſon ſelbſt / auch nebent vnſeren vertrawten Politiſchen Räthen / etlicher Prelaten und Theologen etliche tage frühe und ſpat / für und nach mittage ohne vnderlaß dieſem hochwichtigen werck / mühſelig und ernſtlich beygewohnet / die Apologiam durchleſen / und was vnſere Theologen für hochwichtige bedencken an vnderſchiedlichen orthen dabey befunden / zum Papir bringen laſſen / und thun demnach ſolche Cenſuras und notationes, wie ſie damals verfaſſet / hiemit E. L. freundlich vberſchicken / auß dem ſelben E. L. nun mehr wol erſehen / was vns und vnſere Theologen darzu höchlich bewogen / daß wir und ſie / ſolche concipirte Apologiam, wie vns Abſchrifft davon zugeſchickt / und ſo ferrn die nicht geendert / und wir deſſen beſtendiglich berichtet werden / noch zur zeit in etlichen puncten und articuln / allerdings nicht billichen und approbiren können.

Vnd bitten gantz freundliches fleiſſes / E. L. wöllen diß alles hoch vernünfftiglich / und von Gott erleuchtem verſtand nach erwegen / und weil dieſe ſachen hochwichtig / und die ehre Gottes betrifft / und der Chriſtlichen Kirchen / zum höchſten vieler leut verwirrete hertzen / mit emſigen ſeufftzen darnach verlangen thun / auch hertzlichen Durſt darnach haben / und der lieben poſteritet darmit gedienet / und alſo an der Apologia, auch vnſerer Widerſächer halben treulich viel gelegen / (damit ſie dergeſtalt möge gefaſt werden / daß ſie im grund der warheit vnüberwindtlich beſtehen möge) vns nicht verdencken / daß wir auch noch auff der meinung verharren / wie wir all mal geweſen / daß ſolch hochwichtig werck etlichen wenigen nicht allein zubefehlen / das mehrer bedencken Mündlich gehört müſſe werden / dann in Mündlicher und Perſönlicher vnderredung einer den anderen beſſer berichten kan / dann ſonſt in Schrifften / und heiſt gleich wol / daß viel augen mehr als eins ſehen / und ob wir wol niemand tadeln / ſo ſein wir doch alle Menſchen / und weiſe gelehrte leut fehlen auch / und lauffe Ehrgeitz und Bruder Nidhard auch Eigennutz / gar meiſterlich verdecket und verborgen heffig mit vnder / und dann auch vnſeren und der vnſeren Mißgünſtigen vngegründten anbringen / vber vns und die vnſere keinen glauben beymeſſen / noch ſich von den ſelbigen gegen vns und die vnſerigen vnfreundlich und vngnedig verhetzen / oder an den Spitz ſetzen laſſen / der Theologen Menſchen gedancken / ſo ſie mit Gottes wort nicht bewehren können / zu approbirn / ſondern vor allen dingen / als eine fürnemme hauptſeule im heiligen Römiſchen Reich / nach ihrem hochbegabten Fürſtlichen beywohnenden verſtand / es dahin richten / daß auß dieſen Religion ſtreiten der vnruhigen Theologen zwiſchen den Ständen / ſo ſich an jetzo nach zu Augſpurgiſchen Confeſſion im heiligen Römiſchen Reich bekennen / keine trennung oder gefehrlicher Riß entſpringe und entſtehe / noch auß dem Chriſtlichen wolmeinenden werck Formulæ Concordiæ der Theologen etlicher geſtifften Geitzes und Neidhalben eine diſcordia werde. Dann ſolte das geſchehen / ſo werden wir allererſt vnſeren Widerſächeren vrſachen / ja das ſchwerdt ſelbſt in die hand reichen / damit ſie hernach dermalen eins gewaltiglich und erbärmlich vns hinrichten werden / dann wie feſtiglich die ſelbe vbereinander halten / Ja wie ſie nach ihrem euſſerſten vermögen / und höchſten verſtand dahin trachten / daß ſie ihr zerfallens Reich widerumb aufbawen / und vns und die vnſeren dämpffen und außrotten mögen / gibt die tägliche erfahrung / ja auch der jetzwarende Reichstag an ihme ſelbſt klärlich / und ſeind die Exempla præſentia verè odioſa.

Wir für vnſer Perſon ſein gantz willig vnderthenig und erachten / da bereit E. L. und vnſere Theologen vber der geſtalt Apologia

ſich nicht vereinbaren würden oder köndten/ wie wir doch eines beſſern hoffen wollen/ nit deſtominder mit E. L. vnſer vnder lang habende freundliche vertráwliche Correſpondentz getrewlich zu continuiren/ und der ſelben in allen muglichen dingen vnſers höchſten vermögens allen freundlichen beſtendigen willen zuerzeigen/ und vns daran nichts irren laſſen/ inmaſſen wir dann vns deßgleichen zu E. L. hinwieder viel gewiſſer dan gewiß verſehen wollen.

Wann vns nun E. L. Chriſtlicher Eyffer vber vnſer warhafften Chriſtlichen Religion mehr/ dann bekandt und wol wiſſend iſt/ daß E. L. ohne vnſere erinnerung für ſich ſelbſt dar zuwerden mehr als geneigt ſein. Dennach wöllen wir auch nicht mehr an ietzo hievon ſchreiben/ damit es nicht das anſehen gewinne/ als ob wir E. L. gemelten Chriſtlichen eyffer in zweiffel zögen/ ſondern wir vertrawen E. L. gentzlich/ die ſelbe werde hierinn gewißlich nichts vnderlaſſen/ ſondern alles das/ höchſtes fleiſſes zubefürdern wiſſen/ was zu Gottes ehr/ zu außbreittung der einmal erkandten vnd bekandten warheit/ und zu Chriſtlicher einigkeit hochnützlich und nöhtig iſt. Das haben wir E. L. der ſachen wichtigkeit und vnſer erheiſchenden notturfft halben/ nicht können verbergen/ und ſind E. L. nach vermögen zudienen ſtets willig. Datum den 29. Auguſti, Anno &c. 82.

Dux ad Electorem Saxoniæ hac ipſa de cauſa ſcribit.

Ad Auguſtum *quoque Saxoniæ Electorem Dux Brunſvicenſis hac ipſa de cauſa hac ſcripſit.* Ewer L. ſchreiben am 24. Aprilis gegeben/ haben wir empfangen/ und der ſelbige Chriſtliche ſorgfeltigkeit/ vnſers wolmeiniglichen fürhabens/ der angeordneten zuſammen kunfft halben/ vnſer und etlicher benachbarten Theologen/ auch Politiſche Räthe/ wegen erwegung und berathſchlagung der verfaßten Apologię Formulæ Concordiæ, daraus verleſen. [illegible]hen wol woher ſolche ding rühren/ und das etliche leute/ die ſich etwa zu weit vergangen haben mögen/ und gleich wol zu ihrer ſelbſt Erkändtnuß nicht kommen wöllen/ das liecht ſchewen. Wir wiſſen auch gar wol/ daß in dieſem werck viel andere practicken/ dieſer örter/ ſo wol als ſonſten/ getrieben worden/ und noch werden. Was aber ſolches für ein anſehen/ in ſo hochwichtigen Kirchen ſachen beyn Theologen/ ſo die fürtrefflichſten und beſten ſein wöllen/ und ob den händlen dadurch geholffen/ was auch für groſſer Gottes Segen darbey ſein könne/ wann man nicht fein richtig/ recht und ſchlecht wandlet/ das geben wir den leuten/ ſo es treiben/ ſelbſt zuerwegen anheim/ und ſtellen ſolches/ und viel anders/ dißmal an ſein orth. Vnſer zuſammen kunfft aber zu Vltze/ iſt gar nicht dahin gemeint/ daß vnſere/ oder andere Theologen/ ſich einen anhang ſuchen und machen ſolten/ ſonderen viel mehr wie den vnrühwigen/ neidiſchen köpffen/ mit beſtand und auß gutem grund zubegegnen. Vnd werden ſich E. Churfürſt. L. freundlich erinnern deß/ vor dieſer zeit/ und wie man mit vollziehung deß Chriſtlichen Concordiwercks vmbgangen/ dieſelben an vns geſucht/ daß wir die vornembſte dieſes orths geſeſſene Niderſächſiſche und Weſtphaliſche Graffen vnn Städte beſchreiben/ vnd die zu Vnterſchreibung und vnderſchreibung/ der auß den Eingekommenen Cenſuren verbeſſerten Formulæ Concordiæ bewegen helffen möchten/ wie auch von vns geſchehen.

Dieweyl nun die Apologia dem gemeinen werck der Formulæ Concordiæ anhenget/ ſo ſehen wir nicht/ wie die Stände/ ſo ſich zur Formula bekennen/ bey der Apologia füglich/ und ohn ſorgliche zerrüttung/ vorbeygangen werden können/ oder auch ſollen. Dann es heiſt hie: Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari: Derhalben wir dann auch in vnſern erſten beantwortung/ auff die vberſchickte Apologiam an E. L. vnder anderen bericht und erklärung gebetten/ wie es dieſelben deß orths zuhalten gemeinet/ ob eine zuſammen kunfft der Theologen darüber anzuſtellen/ und die benachbarte Graffen und Städte darzu auch zuforderen/ oder nicht/ darauff vns gar keine antwort zukommen/ und alſo wir in ſolchem zweiffel bleiben/ darunder gleichwol befunden/ daß zwar bey dieſem werck viel zuerinnern/ haben wir nicht bedencken konnen/ wie dieſen dingen beſſer/ dann durch eine Chriſtliche und freunliche collationem ſententiarum zuhelffen/ wie wir dann auch D. Kemnitium, ſo die Apologiam berathen und zuſammen bringen helffen/ vmb mehr berichts willen/ und weitläuffigkeit zuverhüten/ gen Vltze nun beſchreiben laſſen. Wir ſpüren aber/ daß die Collectores für die leute/ auch an die örter/ nicht gern wöllen. Dann ſie wiſſen/ daß ſie nicht ſtracks zu ihren an und fürgeben Amen ſagen werden/ und da ſie E. L. Churf. hohen autoritet es ihres gefallens durch zutreiben/ keine hoffnung noch gelegenheit zuhaben vertrawen/ daß es E. L. gleichwol mit vns darfür halten/ daß ein Synodus oder zuſammen kunfft der Theologen in fürfallenden Religion Streiten/ zu Chriſtlicher und Freundlicher vergleichung der ſelben ein Chriſtlich werck ſey/ rc. Solches vernemmen wir gern/ wiewol wir auch wiſſen/ daß E. L. ſolcher Chriſtlicher meinung allzeit geweſen/ wie dann auch die H. Apoſteln ſelbs zu Jeruſalem ein Concilium gehalten. Vnd die Schrifft bezeuget/ daß es dem H. Geiſt alſo gefallen habe. Vnd werden wir auß der Kirchen hiſtoria berichtet/ daß die Gottſeligen Lehrerer allwege ſolchem Exempel der Apoſtel gefolget/ und auch bey der zeit/ als die Römiſchen Keyſer/ vnſers Chriſtlichen glaubens noch nicht geweſen/ in groſſer anzahl Synodos

dos gehalten / und durch ſolche weg die fürfallenden Religionſtreit communicato conſilio auffgehoben haben / wie E. L. auch wiſſen / daß die hocherleuchte fürnemme Männer D.Luther, Philippus Melanthon, und Brentius ſich zu ihren zeiten der hochwichtigen Religion ſachen allein nicht vnderwunden / ſondern die fürnembſten Theologen in Teutſcher Nation erforderet / zu Schmalkaldiſchen Artickel mit gemeinem zuthun geſtellt / und es nicht allein auff Schrifftliche Cenſuren geſetzt / ſondern viel mehr an gegenwirtiger und gründtlicher vnderredung auch endtlicher vergleichung befördert haben. So wiſſen ſich auch E. L. zu erinnern / daß vnſere, auch alle Theologen in dieſer Nachbarſchafft zu der Subſcription der Formulæ dadurch fürnemlich bewogen worden / daß man die eigentliche vertröſtung gethan / Es ſolten in einem anſtellendem Synodo zu Magdeburg allen in den Cenſuren erinnerten mängeln / und vnrichtigkeiten abgeholffen werden. Solte nun an ſolches nicht erfolgen / hette es warlich ein ſeltzam anſehen / und müſten wir bekennen / daß viel Chriſtliche Paſtores in dem hindergangen ſein / die ſich deſſen auch billich zubeſchweren haben würden / daß wir auch dazu ſelbſt rhat und that geben hetten / wie dann von vns ſo wol Schrifftlich und mündlich geſchehen. Welche vnleidliche Nachſage wir zwar für vnſer perſon in dieſen hochwichtigen Kirchenſachen auff vns nicht beruhen / noch vns eines anderen von etlichen liechtſchewenden Theologen vberreden laſſen / können noch wöllen.

Daß aber die Synodi deßhalb vnderlaſſen werden ſolten / daß die Theologi, wie E. L. ſchreyben meldet / dardurch in weitere Diſputationes und verbitterung gerathen / ein jeder mehr als der ander ſein / und keiner dem andern im geringſten weichen oder nachgeben wöllen: In dem können wir noch zur zeit mit E. L. (welches wir vns freundtlich zu gut anhalten bitten) aller dinge nicht einig ſein. Das iſt wol an den Theologen in dieſer letzten zeiten zum theil / ja faſt bey den meiſten / leider all zu war / daß es alſo mit ihnen gethan / wie E. L. ſie zuvor mit ihren rechten farben abmalen / welche andächtige tugenden auch bey den jetzigen ſorgſamen weſen und beſchwerlichen leufften / fürnemlich auß ihren / ſolcher Theologen Geitz und vnerſettigen Eigennutz / gemeinlich herflieſſen / dergleichen man doch an den thewren nützlichen lehrern D. Luthero und Philippo Melanchtone ſeligen nicht erfahren. Darauß müſſen und ſollen aber die Synodi, vnſers erachtens / nicht nach bleiben / ja wann die vnruhige / eigenſinnige / ehr und geltgeitzige köpff das mercken und ſehen / daß ſie auch hohe häupter eines ſolchen bereden können / ſo werden ſie in ihrem eigenen ſinn deſto vnruhiger / und ſind ſonderlich jetziger zeit darauff befliſſen / wie ſie durch heimliche / geſonderte Conventicula, oder auch privat Schrifften / daran ſie dann einen ſonderlichen groſſen mißbrauch treiben / ſich allenthalben / und je mehr und mehr einen heimlichen anhang machen / und alſo das jenige / ſo ſie in einem offenen Synodo mit Gottes wort zuvertheidigen und zuerhalten / nit getrawen / durch aller hand geſuchte Scheinfarben / damit ſie ſich dann weidlich zuflicken wiſſen / durch zutreiben vermeinen / darauß ſpaltung und zerrüttung der Kirchen gemeinglich erfolgen / auch offtmals Chriſtlicher hertzen betrübet / und die gewiſſen irr gemacht werden müſſen.

Darumb ſolchen und andern viel mehr vnrichtigkeiten / der halßſtarrigen Theologen zubegegnen / halten wir einen Synodum, oder offentliche zuſammen kunfft den richtigſten auch ſicherſten weg / darneben aber nöhtig ſein / daß man ſolche hohe Gottes ſachen / nicht allein ſchlecht auff die eigenſinnigen / rach und zanckgirigen Theologen ſtelle / und ſie ihrens willens allemal walten / auch wann es ihnen gefellig / und ſie mit gutem grund nicht weiter fort können / ſondern mercken daß ſie geſchlagen ſein / auß andern gemachten Scheinurſachen ſie die Colloquia außrüffen / und davon ziehen laſſe / ſondern das man ihnen jeder zeit Chriſtliche Gottsförchtige und friedliebende reine politicos zuordne / die gleichwol ihre Theologiam auch ſtudirt haben / und ſonſten darinn erfahren ſein / auch auß Gottes wort ſehen und vrtheilen helffen können / welch theil recht oder vnrecht / und grund in Gottes vnfelbaren wort oder nicht habe / welches zu weit gegangen / zu viel oder zu wenig gethan / in maſſen im Nicena, Chalcedonenſi, und anderen Synodis geſchehen / und die Politici dieſelben zum gröſſern theil dirigirn helffen / vnd trefflichen nutz geſchaffet. Ja das E. L. wir und andern Chriſtlichen / und in vnſer waren Religion / und der Formulæ Concordiæ ſich bekennenden / Churf. und Stände / wie man deſſen an etlichen Chriſtlichen Keyſeren hohe Exempel haben / daß vnſere ſelbſt darzu nicht thun / daß wir von Theologen auff vngleichen wegen befunden / eines andern und beſſern mit gutem glimpff und beſcheidenheit erinnert / zu recht gebracht / und wo ſie je ſo ſtörrig / halßſtarrig / und eigenköpfiſch ſein und bleiben wöllen / ein ernſt dagegen gebraucht / ihnen in die würffel gegriffen / und biß zum end und beſchluß vnd außgang auß zuwarten angehalten. Oder / und wann mann bey ihnen gar keine Chriſtliche / billiche volg haben kan / ſie alſo mit genommen werden / daß ſie ſpüren / daß man ihres vnſchlachtigen kopffs nicht eben leben / nach ihnen alles gut ſein laſſen / oder verhengen wölle. Das herrlich Miniſterium halten wir billich

hoch vnd in ehren/ ſchreiben diß auch gar nicht zu verachtung oder verkleinerung deſſelben/ oder rechtſchaffener Prediger/ ſondern es werden billich die mißbreuch der Perſonen von dem Ampt deß H. Geiſtes/ ja recht Gottſelige Lehrer vnd Seelhirten/ von den Mietlingen vnd eigennützigen leuten vnderſchieden/ dabey dann auffſehen vnd gute diſcretion hoch nohtig iſt.

Ewer L. haben vns in vnſer erſt angehenden Regierung/ mit eigener hand freundlich vnd vätterlich vermahnet vnd gerathen/ wir ſolten vnſeren Theologen den zügel nicht zulang laſſen/ dem bißhero gefolget/ vnd haben befunden/ daß es zum beſten gerathen/ vnſerer Landkirchen auch dardurch nechſt Gottes Segen/ ihm ſey lob/ in zimlicher ruh vnd frieden erhalten worden. Darumb wir Gott zu forderſt/ vnd dann E. L. höchlich danck ſagen/ vnd nit zweiffeln/ E. L. wie auch andere Chriſtliche Potentaten/ werden alſo ferner geſinnet ſein vnd bleiben/ wie es dann auch zwar gar gefehrlich ſtehet/ wo jetziger zeit die Theologen den einen fuß auff der Cantzel/ den andern in der Rahtſtuben haben wollen. Vnſere Theologen zwar müſſen vnd ſollen nichts vndienſtlichs regen/ noch auff die bahn bringen/ deſſen ſie in Gottes außtrücklichen wort keinen grund vnd beyfall/ oder ſonſt erhebliche vnd vnumgengliche vrſachen/ deſſen auch nach vorgehender Chriſtlicher vnd fleiſſiger erwegung/ von vns ſelbs/ oder/ vnſer regierung nachlaß vnd befehl haben. Dann wir geſtatten auch ſonſten gar nicht/ daß ſie vns vnwiſſend das geringſte/ ſo zu weitterung vrſach geben möchte in Religions ſachen moviren/ noch was ohn vnſeren vnderſchriebenen befelch/ vnd ehe wir es revidirn/ vnd all wol erwegen/ drucken laſſen/ noch auch auff die Cantzel ſolche ding (fürnemlich in Schulen gehören) bringen/ vnd ſonderlich ad hypotheſin ſo leichtlich/ vnd ohn vnſers Conſiſtorij erkändtnuß/ vmgehn/ ſondern deß läſterns vnd ſchmähens gentzlichen enthalten müſſen.

Das E. L. dann zu verfaſſung der Apologia auß gutem bedencken wenige/ vnd allein drey Theologen zuſammen geordnet/ das laſſen wir vns nit gefallen/ wie auch das darnach anderer/ vnd ſonderlich der Theologen auff Vniuerſiteten Bedencken darüber erholet werden. Das aber die vollziehung deß wecks vnder den wenigen allein bleiben/ vnd die andern alle gar vorbeygangen werden ſolten/ das iſt bey vns auß vrſachen/ wie oben gerürt/ etwas ja gar hoch beweglich: vnd können wir zwar/ das erſtlich wenig Theologen ſich ſolcher authoritet anmaſſen ſolten/ zu einem immerwärendem/ vnleidlichem præiudicio, nicht einraumen/ noch vnſern vnd andern Theologen/ ihr/ ja vnſer ſelbſt liberum votum in dieſen gemeinen Gottes ſachen nemmen laſſen. So ſehen auch wir an jetzt allzeit mehr/ dann wenige/ vnd iſt Gott der Allmächtige bißweilen in den geringen vnd ob man ſchlechſten thetig vnd krefftig/ die wirckung deß H. Geiſts auch wunderbarlich. Vnd blenden die Privat affect auch offtmals hohen Theologen die augen dermaſſen/ daß ſie die Göttliche warheit/ vnd was der ewigen Allmacht darinn offenbareter wille erfordert/ entweder gar nicht ſehen/ oder auch wol vorſetzlich vnd wiſſentlich es vndertrucken/ verdrehen/ vnd bemänteln. Da wir aber bey den vnſern in gemein/ oder ihrer einem in ſolches oder ſonſten beſtanden wurden/ daß es ihnen oder ihm ſo ſehr nicht vmb rechte Chriſtliche einigkeit/ vnd der Göttlichen warheit/ als etwan ſeinen ehrgeitz vnd andern eigengeſuchten nutzzuthun/ oder auch ſich einen anhang zur aufflehnung vnd abſonderung von dem Concordiwerck zumachen/ die oder denſelben wöllen wir dermaſſen anſehen/ daß ſie ſelbſt vnd andere/ ſich daran ſpieglen ſöllen.

So viel das Concordiwerck belanget/ haben wir zwar für vns/ wie auch für die vnſern der Doctrinalien halben daran gar keinen mangel/ ſondern wiſſen mit E. L. das alles was darinnen begriffen/ den H. Prophetiſchen vnd Apoſtoliſchen Schrifften gemeß iſt. Was wir aber vor publicierung der Formulæ bey einen vnd anderen/ ſonderlich aber der Præfation/ Naumburgiſchen vnd Franckfurtiſchen Abſchied/ anderen Editionen der Augſpurgiſchen Confeſſion/ vnd anders halben wolmeinlich/ vnd auß hoher ſorgfeltigkeit erinnert/ das wird E. L. vnſers erachtens/ wo fern den ſelben/ ſolches wie wir vns gleichwol verſehen wöllen/ recht fürbracht/ vnabgefallen ſein. Vnd hat zwar das/ was wir vns darbey erfahret/ die erfahrung bezeuget/ vnd das widertheil ſich ſolches alles wol zu nutz gemacht/ wie dann auch in den Lateiniſchen/ vnd andern verſionibus, deßgleichen in dem corrigiren/ vnd bey den Buchdruckern/ der fleiß vnd trew nicht befunden wirdt/ das man damit zufrieden ſein/ oder es ſchier auch ohne verweiß beantworten laſſen kan. So iſt der Appendix auch der Formulæ der vnſerer vnd andern Theologen/ gantz vnwiſſend angehengt/ vnd wie wir vernemmen/ auch nach der beſchehenen Subſcription/ in der Formula ſonſt etlich ding nicht ohn gefahr verendert. Vnd dann bey der verfaſten Apologia, zwar hin vnd wider noch viel zu erinnern/ Es gleichwol damit alſo gethan/ daß vermittelſt einer Chriſtlichen vnd freundtlichen vnderredung/ vnſers erachtens/ dem allem wol zuhelffen/ doch viel dings alſo geſchaffen/ da dem ſelben vor publicirung der Apologia nicht recht/ vnd auß dem grund geholffen werden ſolte/

daß

daß zwar eine groſſe zerrüttung/ und unwiderbringlichen Kirchenriß dahär zůbeſorgen/ welches uns dann fürnemlich die wolmeinliche zůſamen kunfft zů Heſſen anzůſtellen bewogen.

Wir geben aber E. L. freundtlich zůwiſſen/ daß wir vor dieſer zeyt/ und ſo bald uns von E. L. die antwort und bericht ein kommen/ daß der defect in der Apologia mit widerlegung deß Breniſchen buchs/ und verfertigung deß 4. und 9. Capitels noch nicht complirt/ wir auch diſſen vor dem 6. dieſes/ nich mechtig werden können/ den außgeſchriebenen Religions tag zů Heſſen biß zů anderer gelegenheit/ und wann uns die Completio zůkommen/ wendig gemacht haben/ und möchten von hertzen wol gunnen und wünſchen/ daß dieſem Chriſtlichen werck/ ohn ſolche/oder auch andere zuſammen kunfft geholffen/ und alle mengel richtig gemacht werden köndten/ und man alſo der zuſammen ordnung der Theologen uberhaben bleiben möchten. Achten auch daß dazů der von Hochgedachtes Churf: Pfaltz/ und E. L. den vorgenommenen weg/ mit ahnordnung D. Kirchners/ unn D. Selneckers nicht ohndienſtlich ſein werde/ wie wir dann vernemmen/ daß D. David Chytræus gleich fahls erfordert ſein ſolte/ darzů wir das unſere auch gern thůn/ und beſchaffen wollen/ daß aller beſonderer mängel halben/ unſere Theologen ſich mit ihnen bereden/ auch ſo viel immer möglich/ und ohn abbruch der götlichen warheit geſchehen kan/ veroffentlich vergleichen ſollen/ darauff wir dann ein ſonderlich wachendes auge mithaben/ den unſern auch etliche gelehrte Politicos zůgeben wöllen.

Dieweil aber D. Heßhuſius/ ſeines ſchweren Beinſchadens/ und anderer täglich zůfallenden leybs gebrechen halben/ nicht wol wanderen/ zu Helmſtadt/ auch ohn daß dieſer handel am beſten fürgenommen und verrichtet werden kan/ ſo verſehen wir uns freundtlich/ E. L. werden ſich nicht zů wider ſein laſſen/ daß Doctor Kirchner/ D. Selneccer/ D. Chytræus/ D. Kemnitius/ ſich gen Helmſtadt begeben/ und allda die tractat und beratſchlagung fürgenommen hetten/ warum wir auch und daneben freundtlich bitten E. L. möchten auch iemand von ihren Politiſchen Räthen/ und ſonderlich die ienigen/ ſo E. L. hiebevor in dieſem Concordiwerck gebraucht und befunden haben/ Daß ſie dem ſelben von hertzen zůgethan/ und es gerne befordert ſehen/ auch ſonſt friedliebend und ohn verdechtig ſind/ zů ſölcher beredung und Collation der Theologen mit verordnen.

Alſo haben wir umb ſo viel mehr hoffnung zu richtiger und recht Chriſtlicher vergleichung/ darzů wir dann auch unſers theils alle mügliche beförderung thůn/ und ſonderlich darfür ſein wöllen/ das an unſern zur billichkeit kein mangel erſcheinen/ noch ſie daß geringſte ohn und außerhalb Gottes wort und tringender noht erregen/ viel weniger auff einen ungrund halßſtarrig beharren/ ſonder viel mehr ſich weiſen laſſen ſollen/ zůverſichtig die andern vic Doctores Theologiæ/ wo ihnen daß gemeine Gottes werck iemahls ein rechter ernſt geweſen/ und noch iſt/ werden dergleichen auch geſinnet ſein/ und E. L. ſie darzů/ daß ein ieder ſich auch in dem er geſtrauchlet/ und zů weit gangen/ erkennen/ und was verſtoſſen/ zur beſſerung richten und kommen laſſen möge/ gebürlich erinneren/ Innaſſen die unſern/ in dem ſie uberwieſſen und mangelhafftig befunden werden/ nicht weniger thůn/ auch von uns ernſtlich und ohnnachleſſig dahin getrieben werden ſollen. Welches wir E. L. dann alſo geſtalter ſache nach was außführlicher antworrten wöllen/ deß freundtlichen ungezweiffelten vertrawens/ die werden es anders nicht/ daß wie es von uns auß ſonderlicher Chriſtlicher ſorgfeltigkeit/ und zu rechtbeſtendiger fortſetzung deß heylſamen Concordiwercks/ im beſten gemeinet/ aufnemmen/ darumb wir auch freundtlich bitten/ und ſind E. L. ſampt und ſonderlich/ viel freundtlicher dienſt/ und allen angenemen gefelligen willen beſten unſers vermögens der verwandtnuß nach zůerzeigen willig. Datum den 1. Maij Anno 1582.

Ac certè officio ſuo non defuit Brunſvicenſis Optimus Princeps, ſed Schoningæ anno 82 *Conventum indixit, cui tam Politici Conſiliarii Principis, quàm Theologi magno numero interfuerunt. In eo decretum eſt. Admonitionem Helmſtadienſium de Apologia Erdfurtenſi, tanquam Chriſtianam, neceſſariam & in verbo Dei fundatam, tribus Electoribus mittendam eſt.*

De Quedelburgenſi Conventu.

A*B Electoribus tandem indictus eſt* Quedelburgi *in Thuringia Conventus menſe Ianuario anni* 83. *Venerunt eò Theologi Electorales* Timotheus Kirchnerus. Vuilhelmus Zimmerman, Nicolaus Selneccer *&* Martinus Kemnitius: *A parte autem* Iulii *Brunſvicenſis Ducis & Helmſtadienſium* Vglerus *&* Abbas Marienthalenſis, Tilemannus Heſshuſius, Daniel Hofmannus, Ioan. Mallzius *Concionator in aula* Iulii *Ducis,* Baſilius Satler *&* Henricus Copius.

In hoc Conventu Helmſtadienſes cum Electorum trium Theologis de Sex potiſſimùm capitibus egerunt. Primò, *poſtularunt Synodum excluſis tamen adverſariis.* Secundò, *de libero arbitrio aliam ab ea, quæ in Libro Concordiæ Bergenſis continetur, explicationem flagitarunt.* Tertiò, *phraſes inconcinnas & duras* Lutheri

Capita 6. de quibus in hoc Conventu collo- quuti ſunt

vel

vel prorſus omittendas, vel ſaltem mitigandas & dextrè explicandas eſſe. Quartò, *hypotheſin hujuſmodi ponendam, quâ non in genere tantum, ſed in ſpecie quoque errores & horum authores taxentur & rejiciantur.* Quintò, *conqueſti ſunt, mutata quædam eſſe in Bergenſi Concordia poſt factas ſubſcriptiones.* Sextò, *die Ianuarii* 14. *&* 16. *de Vbiquitate tantum diſputarunt, quam in Apologia apertiſſimè defenderunt & propugnarunt Electorales Theologi, eamque in verbo Dei fundatam eſſe, & ex eo probari poſſe in hoc Conventu quoque affirmarunt: Helmſtadienſes contrariam ſententiam defenderunt, neve in Apologia propugnetur, contenderunt.*

Primum argumentum Electoralium Theologorum pro Vbiquitate, & ad id reſponſio. Explicatio loci Eph. 1. Ergo corpus Chriſti ubique ſubſtantialiter præſens in Eccleſia & omnibus Chriſtianorum corporibus. Ergo etiam præſentia Chriſti ſpiritualis eſt.

Primùm *argumentum Electoralium Theologorum, quo doctrinam ſuam tueri conabantur, fuit locus Epheſ. 1. cap. ubi Apoſtolus dicit:* Dedit illum caput ſuper omnia Eccleſiæ, quæ eſt Corpus illius, plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet. *Reſpondit Heſſhuſius Helmſtadienſium nomine, Paulum hoc loco non loqui de omnibus creaturis, utpote Sole & Luna, aere & aqua, ſed de Eccleſia Dei, quæ ſit regnum ejus: Dicere enim* Primò *Apoſtolum*, Deum dediſſe Chriſtum caput ſuper omnia Eccleſiæ: Super omnia, *hoc eſt, ſuper omnes fideles, ordines, officia, dona & omnia ea quibus opus habet Eccleſia, quæque ad eam pertinent: Chriſtum, in ſumma, caput eſſe Eccleſiæ in omnibus rebus, nihil prorſus excepto.* Secundò *dicit Apoſtolus*, Quæ eſt Corpus illius. *Eccleſia, inquit Heſſhuſius, in toto mundo eſt tanquam Corpus, cujus Chriſtus caput eſt: hoc eſt, ſpirituale eſt regnum, in quo Chriſtus ſolus regnat. Qui igitur in Chriſtum non credit, is non eſt membrum hujus Corporis, nec Chriſtus in eo operatur per Spiritum S.* Tertiò, *quod ait Apoſtolus*, hoc Corpus eſſe plenitudinem, *id hunc ſenſum habere Heſſhuſius docet, Eccleſiam Dei, ſpirituale Corpus & regnum Dei perfectum eſſe: quod enim perfectum ſit, id Paulum, Hebræorum more, plenitudinem appellare. Senſum igitur eſſe, Chriſti regno nihil deeſſe: Chriſtum enim, verum Deum & hominem, omnia creare & regere.* Quartò, *quòd dicat Paulus*, Chriſtum omnia in omnibus adimplere, *ad Eccleſiam quoque referri debere: Chriſtum enim, Deum & hominem, cuncta in Eccleſia Dei gubernare, operari, perficere ac implere, id eſt, perfecta facere, ut eis nihil deſit: Apoſtolum enim loqui de conſummato regno & beneficio Chriſti. Hinc autem non poſſe colligi, Chriſti Corpus ubique præſens eſſe. Statum igitur Controverſiæ de hoc Pauli loco hunc eſſe: Num verbum* Adimplendi, *ſi ad humanitatem referatur, ſic intelligi debeat, quod caro ſubſtantia ſua impleat omnia: an verò virtute, efficacia, fructu, operatione, donis Spiritus Sancti, auxilio, dominatu, &c. Id verò quum non expreſſerit Paulus, ſequendam eſſe orthodoxam antiquitatem, quæ hic nullam Vbiquitatem Corporis Chriſti intellexerit.*

Non etiam ſequitur quod corporaliter in ſuis membris hic in terra ſit. Vide Auguſt. tract. 50. in Ioan. & Cyrillum lib. 9.

2. argumentum pro Vbiquitate Reſponſio. Explicatio loci Eph. 4.

Alterum *argumentum Electoralium Theologorum fuit locus Pauli Epheſ.* 4. Aſcendit ſuper omnes Cœlos, ut omnia impleret. *Hic rurſus controvertitur, inquit Heſſhuſius, Num verbum* Implendi *ſic ſit intelligendum, Quòd Chriſtus ſubſtantiâ carnis impleat omnia: an verò virtute, affectione, operatione, donis, dominatu, &c. Si prius defendant Collocutores, concedere eos oportere, quod Chriſti Corpus in omnibus arborum foliis, gramine, ligno, lapide, &c. ſit. Vniverſalem enim Clauſulam* Omnia, *complecti cuncta quæ ſub Cœlo ſint, Solem, Lunam, Stellas, Aerem, nubes, terram, vaſa cervuiſiaria, arbores, montes, ligna &c. Sin verò poſterius concedant, facilè intelligere eos, quòd ex hoc loco Vbiquitas probari non poſſit. Quæſtionem enim eſſe,* An ſubſtantia Corporis Chriſti ſit ubique.

3. argumentum & ad id reſponſio. Explicatio loci Pſal. 8.

Tertium *argumentum eorum fuit locus Pſalmi* 8. Conſtitues eum ſuper omnia opera manuum tuarum, omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus. *Sed neque ex hoc loco Vbiquitatem evinci poſſe Heſſhuſius indicat. Omnia enim ſub pedibus habere, non ſignificare Vbique eſſe, ſed, Super omnia poteſtatem habere. Dicere itaque Prophetam velle, Trades illi dominatum ſeu imperium ſuper omnes creaturas. Sic etiam Paulum ſcribere Epheſ.* 1. Sedere fecit eum ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſuper omnem principatum, ac poteſtatem, & virtutem, & dominium, & omnia ſubjecit ſub pedibus ejus.

4. argumentum, & ad id reſponſio. Ergo hactenus decepimus eſt mundus Hoc argumento.

Quartum *argumentum ſumpſerunt ab Vnione Perſonali.* Quicquid cum Deo perſonaliter unitum eſt, id in omnibus quoque locis oportet eſſe, ubicunque Deitas eſt, alioquin perſonalis unio divelleretur. *Antecedens negat Heſſhuſius, nempe, ubi una natura ſit, ibi alteram quoque eſſe debere: nam finiti ad infinitum nullam eſſe proportionem. Et tamen ſe credere, naturas ſemper unitas eſſe. Chriſtum dicere Ioh.* 11. Gaudeo quod hic non fuerim: *Ergo, quum Lazarus mortuus ſit in Bethania, non ibi fuiſſe Chriſtum corpore ſuo ſed in itinere. Sic Chriſtum, quum penderet in cruce, corpore ſuo non fuiſſe Romæ, Athenis, &c. Divinitatem tum quidem ejus fuiſſe ubique, & ſalvam manſiſſe unionem perſonalem. Hinc ergo irrefragabiliter ſequi, quòd naturæ non divellantur, etiamſi aſſeratur, quòd alicubi ſit Divinitas λόγου, ubi ſubſtantia ſua non exiſtat cara. Quomodo verò hoc fiat, nos non intelligere, ſed eſſe myſterium abſconditum.*

Cur ergo damnant refutationem hujus argumenti pro. Fundamenta Lutheranæ doctrinæ Inſtantia & ad eam reſponſio.

Quod autem objiciant, tunc fuiſſe tempus exinanitionis, ad rem non pertinere. Vnionem enim perſonalem manere firmiter tam in exinanitione, quàm in glorificatione & exaltatione. Hominem enim Chriſtum fuiſſe Deum in una Perſona, etiam cum penderet in cruce. Exinanitionem quidem paſſionem ejus indicâſſe, unionem autem perſonalem non violaſſe, aut ſuſtuliſſe.

Ex

Ex his igitur omnibus tale argumentum extruit.

Ergo non ſolvitur quoque vnio eſi corpus Chriſti non ſit in pane

Quæ ſtante vnione hypoſtatica aſſeruntur à Spiritu ſancto, hæc non ſolvunt unionem hypoſtaticam.

Sed Spiritus Sanctus affirmat Corpus Chriſti fuiſſe in uno loco, quum tamen Divinitas impleverit omnia, & Spiritus Sanctus non ſolvit vnionem.

Ergo ex vnione perſonali non poteſt probari Vbiquitas.

5 argumentum & ad id reſponſio Vide fundamenta Lutheranæ doctrinæ c. vltimo.

Quintum *argumentum Electoralium Theologorum pro Vbiquitate à Dextera Dei petitum fuit.*

Dextera Dei eſt ubique.

Corpus Chriſti eſt ad dexteram Dei.

Ergo Corpus Chriſti eſt ubique.

Reſpondit Heßhuſius, conſequentiam non valere, quia ſint quatuor termini. Aliud eſſe, ad Dexteram Dei eſſe, aliud, ad Dexteram Dei ſedere. Dexteram Dei eſſe ipſam omnipotentiam: ſed ad Dexteram ſedere, ſignificare pari potentia regnare cum Patre & Spiritu ſancto, & cum tota divinitate. Divinitatem τȣ̃ λόγȣ eſſe ipſam Dexteram Dei, ſed corpus Chriſti non eſſe ipſam Dexteram Dei, alioquin eſſet divina natura, quod non ſit. Ad Dexteram ſedere, ſignificare pari potentia cum Patre dominari & in omnes creaturas imperium habere. Ex articulo igitur de Seßione Chriſti ad Dexteram hoc tantum ſequi, quod corpore poßit eſſe ubique, quando velit, ſed quod ſit: non ſequi ex Seßione ad Dexteram. Diſputationem autem inter ipſos eſſe, non de eo, an poſſit eſſe, *quod concedat ipſe, ſed de eo* Num ſit, *& velit eſſe, hoc perſpicuo Dei verbo demonſtrandum eſſe, quod hactenus factum non ſit.*

Hoc non verum eſt, quia iſta potentia pugnat cum Incarnationis veritate.

Heßhuſius nec nomen nec doctrinam Vbiquitatis probat.

Sequenti die, qui fuit 16. Ian. rurſus diſputarunt de Vbiquitate. Ac primò, *quòd Electorales Theologi proteſtati eſſent, ſe non agnoſcere prodigioſum vocabulum Vbiquitatis, nec quicquam ſibi cum eo negotii eſſe: ad id reſpondit Heßhuſius, non tam agi de hoc prodigioſo vocabulo, quàm de doctrina & reipſa. Sive enim vocetur Vbiquitas, ſive Omnipræſentia carnis Chriſti, ſive impletio quo ad ſubſtantiam, ſe tamen nec nomina, nec Doctrinam recipere & approbare poſſe, & rotunde dicere, neutrum ex verbo Dei probari poſſe.*

1. Auguſtinus abſolutè negat Vbiquitatem tanquam deſtructionem corporis.

Secundo, *Heßhuſius ordine recenſuit ea, in quibus Theologi Electorales & Helmſtadienſes conſentiant. Primo in hoc, quod Humana Chriſti Natura non ſic vbique ſit, ut Divina. 2. quòd Corpus Chriſti non localiter ubique ſit & ſic extenſum in omnibus locis in cælo & terra, ſicut aer & ſimilia. 3. quod Chriſtus, cum penderet in cruce, non Corpore fuerit Romæ, Athenis & aliis in locis, ſed tantum in uno loco: & quod Corpus Chriſti non ſit in omnibus creaturis, ſicut Brentius docuerit, inquiens.* Vnum idemque corpus quod erat in Ieruſalem viſibiliter & localiter, cum in templo concionaretur, aut in cruce penderet, fuit ſimul Romæ, Athenis, in Cœlis & extra omnia loca inviſibiliter & illocaliter. 4. *Quòd Chriſti Corpus non ſit in omni ligno, lapide, arborum folio, gramine, Sole, Luna & omnibus Creaturis in Cælo & terra ſubſtantia ſua 5. quòd Vbiquitas Corporis Chriſti non ſit fundamentum eiusdem præſentiæ in Cæna ſacra. 6. quòd nulla inter ipſos ſit controverſia de præſentia Chriſti ſecundum vtramq; Naturam in Eccleſia.*

2. Ergo tot, ut Chriſti

non eſt quantum ſed ſimpliciſſima eſſentia, nullius loci ſpatio definita, ſed tota vbique ſicut Deitas

3. Hæreticum Brentii dogma

Tertio, *repetiit Heßhuſius ſtatum cauſæ de Vbiquitate, ut ab Electoralibus Theologis formatus fuerat. Nempe, Chriſtum Deum & hominem, etiam juxta humanam naturam, omnibus creaturis præſentem eſſe, in primis in ſtatu exaltationis. Reſpondet autem Heßhuſius, hæc verba aliquo modo ambigua eſſe. Quod enim Chriſtus totus omnibus Creaturis præſens ſit, omnia videat, audiat, ſciat, regat & conſervet, pertinere ad ipſius majeſtatem & omnipotentiam. Sin vero ſenſus ſit, naturam & ſubſtantiam Corporis Chriſti eſſe apud & in omnibus creaturis, negari non poſſe, quod hoc ipſo generalis Vbiquitas aſſeratur, ſecundum quam Chriſti corpus in omnibus creaturis, ligno, lapide, &c quo ad ſubſtantiam ſit. Adhæc in Apologia pro Synonymis haberi & poni,* Omnibus creaturis præſens eſſe, & Vbique eſſe *quod ſatis claro argumento ſit, Electorales Theologos contraria docere. Modò enim aſſerere eos, quòd Perſona, ac præſertim Humana Natura Chriſti, omnibus creaturis præſens ſit: modo negare, quòd Humana Chriſti Natura in omnibus creaturis præſens ſit, quo ad ſubſtantiam.*

4. Sic autem docuit Lutherus in Serm. anno 26. contra Sacramentarios, idque Kemnitius, Selneccerus & Zimmerman Deßavii tanquam verbum Dei approbarunt.

Quartò, *reſpondet ad ea Heßhuſius, quibus ſuam ſolutionem argumentorum pro Vbiquitate Electorales Theologi refutare conati ſunt. Ad locum Eph. 1 quod attinet, aſſeruerunt Electorales Collocutores, quod non tantum de Eccleſia intelligi debeat, ſed etiam de omnibus aliis creaturis extra Eccleſiam. Id vero non inficiatur Heßhuſius: ſimul tamen negat: ex hoc loco vel Vbiquitatem, vel Omnipræſentiam probari poſſe. Verbum enim* implet, *non ſic intelligendum, vel ipſorum Collocutorum teſtimonio, quòd caro Chriſti ſubſtantia ſua impleat omnes creaturas, ſed operatione, dominatione, virtute, efficacia. Hinc ſic collegit.*

5. Hoc pugnat cum doctrina Tubingenſium Status controverſiæ ambiguè formatur ab Electoralib.

Heßhuſius, reſpondet ad ſolutiones ſuorum argumentorum.

Natura, quæ non exiſtit ſua ſubſtantia in ſingulis creaturis, in impiis hominibus, in Sole, Luna, ſtellis, arboribus, plantis, in ſingulis arenis & piſcibus maris: non eſt ſua ſubſtantia præſens omnibus & ſingulis creaturis, etiamſi imperium habet in omnes.

6. De loco Eph. 1.

Sed Electorales Theologi proprio teſtimonio concludunt, Naturam Humanam vnitam λόγῳ non exiſtere ſubſtantia in omnibus creatu-

virtutem& dominium,*&c.*& omnia ſubjecit pedibus eius. *Hæc nihil ad Vbiquitatem pertinere. Adhæc ex interpretatione hac Electoralium Collocutorum multa abſurdiſſima ſequi. Spiritum namque Dei in ſpecie nominare omnes creaturas quæ Chriſto ſubjectæ ſint etiam extra Eccleſiam.* Oves & boves, inſuper & pecora campi, volucres cœli & piſces mari, *&c. Quòd ſi igitur locus Pſal. 8. accipiendus eſſet de Omnipræſentia vel Vbiquitate, neceſſario ſequi, humanam Chriſti naturam ſubſtantiâ ſuâ in omnibus pecoribus, avibus, piſcibus, in ſole, luna, ſtellis, &c. eſſe, quod tamen ipſi Collocutores pernegent.*

4. *Ad locum Mat. 28.* . *Ad locum Matth.* 28. Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo & in terra, *quo Electorales Theologi etiam probare conati ſunt omnipræſentiam corporis Chriſti in omnibus creaturis; Reſpondit Heſhuſius, probare hunc locum tantum quòd Chriſtus juxta humanitatem ſuam omnem poteſtatem, ac proinde omnipotentiam quoque in tempore acceperit, non autem quòd Humana Natura omnibus creaturis præſens ſit. Diverſa enim eſſe, æternam poteſtatem Dei & Vbiquitatem vel omnipræſentiam.* (*Neque locus iſtam docet ſecus, hic.*)

5. *A loco Pſal 77. & 93.* *Adduxerunt etiam Theologi Electorales locum ex Pſalm.* 77. Dominabitur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum: *item ex Pſalmo* 93. In manu eius ſunt omnes fines terræ, *quibus itidem omnipræſentiam vel Vbiquitatem probare voluerunt. Reſpondit autem Heſhuſius, utrunque locum de amplitudine regni Chriſti loqui, quod nullis limitibus circumſcriptum ſit, & diſtinguere inter regnum ſpirituale Chriſti, & reliqua mundi regna. Hoc verò nihil prorſus pro Vbiquitate facere: Non enim ſequi*, Regnum Chriſti extenditur in univerſum mundum, ergo corpus Chriſti ſubſtantia ſuâ ubique, vel omnibus creaturis præſens eſt. *Item*, Chriſtus per totum orbem terrarum regnat, ergo ſubſtantia carnis eius ubique eſt. *Id id verò quod objiciebant, Chriſtum in regno ſuo dominari non abſentem, Reſpondit Heſ. hoc verum eſſe. Chriſtum autem præſentem ubique eſſe Deitate ſua, omnibus creaturis, & implere omnia in omnibus, ideoque dominari ipſum in regno ſuo præſentem, non abſentem.* (*Ad inſtantiam reſponſio.*)

6. *De loco Apoc. 5.* *Verbis Apocalyp.* 5. Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divitias, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem: *reſpondit Heſshuſius, non addi, & Vbiquitatem vel omnipræſentiam carnis.*

Argumentum Kirchneri pro Vbiquitate ex unione perſonali

Ex unione perſonali pro Vbiquitate ſeu omnipræſentia corporis Chriſti ſic argumentatus eſt Kirchnerus.

Vbicunque eſt λόγος, in cujus complexum indiſtanter & inſeparabiliter Humana Natura aſſumpta eſt, ibi quoq; Humana Natura eſt eo reſpectu, quo à λόγῳ aſſumpta eſt.

Sed Humana Natura in complexum λόγου indiſtanter & inſeparabiter aſſumta eſt.

Ergo ibi quoque eſt, ubi eſt λόγος, eo reſpectu, quo a λόγῳ aſſumpta eſt.

Reſponſio Heſshuſii. *Reſpondit autem* Heſshuſius: *Etiamſi tendiculæ ſint in additamento,* Eo reſpectu, quo à λόγῳ aſſumta eſt, *tamen ſimpliciter negandam majorem. Non enim ex unione hypoſtatica hoc conficitur, quod ubicunque eſt λόγος, ibi etiam ſit caro λόγῳ unita. Reſpectus, cujus ſit mentio in majore, nullum hic habet locum, eſt ſonus ſine re, verbaque inania. Vos inquit, Electorales Collucutores conceſſiſtis, quod corpus Chriſti, quandò jacuit in præſepio, ſedit in templo ac pependit in cruce, non fuerit Romæ, Athenis, &c. Et tum unio hypoſtatica non eſt divulſa neque diſſoluta. Ergo manifeſtum eſt, ex unione hypoſtatica hoc non poſſe confici, quod D. Collocutores volunt. Vbicunque eſt Deitas λόγου, ibi quoque neceſſe eſt carnem exiſtere λόγῳ hypoſtaticè unitam. Si enim hæc conſequentia conſtaret & neceſſaria eſſet, oporteret ſtatuere, quod corpus Chriſti ſuâ ſubſtantiâ etiam Romæ, Athenis, & alibi fuiſſet, quando in cruce pependit, aut ſedit in templo annos natus* 12. *Quam neceſſariam & inevitabilem conſequentiam quia* Brentius *vidit, cùm de omnipræſentia ex unione hypoſtatica duarum naturarum in Chriſto argumentaretur, diſertis & expreſſis verbis poſuit:* Idem Corpus Chriſti etiam Romæ & Athenis fuiſſe inviſibiliter eo tempore, quo Chriſtus in cruce pependit. (*Nota Brentii inſaniam.*) *Quia verò Domini Electorales hanc abſurditatem conſtanter pernegant, reipsâ demonſtrant, ex unione hyopoſtatica, non hoc poſſe confici, quòd ubicunque ſit Deitas λόγου, ibi neceſſe ſit etiam carnem, exiſtere, qui ὑποςατικῶς λόγῳ unita eſt. Deitas enim Chriſti, etiam tempore Paſſionis, replevit cœlum & terram, fuit Romæ, Athenis, Corinthi, Auguſtæ, &c. At corpus Chriſti non fuit Chriſti non fuit Romæ tempore Paſſionis, ſed tantum in monte Calvariæ in cruce pendens. Et tamen illibata, inconcuſſa, immota, æterna manſit unio hypoſtatica duarum Naturarum in Chriſto. Omnes ergo ſano judicio præditos fateri neceſſe eſt, ex Vnione hypoſtatica hanc propoſitionem (quæ ſanè ſi vera eſſet, fundamentũ eſſet Vbiquitatis & omnipræſentiæ carnis Chriſti) non poſſe exſtrui: Vbicunq; eſt Deitas λόγου, in cujus arctiſſimum complexum Humana Natura Chriſti indiſtanter & inſeparabiliter aſſumta eſt, ibi quoq; humanã Chriſti carnem exiſtere. Non jam quæritur, an hoc vel illo reſpectu hoc ſequatur, vel eſſe poſſit. Aliena ſunt hæc ab argumẽto, & fallaciã propoſitionũ inferunt. Reſecãda illa ſunt, quæ nihil ad rem faciũt, niſi quod veritatis inquiſitionẽ offuſis nebulis involuãt. De eo nunc agitur, nũ ex Vnione hypoſtatica neceſſariò ſequatur: Vbicunq; eſt Deitas λόγου*

ibi quoque Humana ſit eius Natura, quæ à λόγῳ ὑποςατικῶς *aſſumpta eſt. Hoc enim aſſerunt Electorales Theologi. Illam conſecutionem & propoſitionem nos ſimpliciter, rotundè & conſtanter pernegamus, & contrarium tam ex Verbo Dei, quàm ex conceſſione Electoralium Theologorum demonſtravimus. Iudicium verò de hac controverſia committimus Synodo. Non enim dubitamus, quin adhuc multi pii & docti viri ſint in Eccleſia, qui ſuo teſtimonio veritatem comprobaturi ſint.*

Inſtantiæ de tribus eſſendi modis reſpondetur

Quòd autem Electorales objecerunt, Deum tres modos eſſendi habere, Circumſcriptivum, Definitivum & Repletivum, neque evertit, inquit Heſshuſius, noſtrum argumentum, neque veſtrum probat. Vnio enim hypoſtatica arctiſſima inſeparabilis & immota manet, etiamſi Deus decem, vel plures eſſendi modos haberet. Rurſus enim dicimus & affirmamus, quum tempore exanitionis corpus Chriſti in omnibus locis non fuerit, ubi Deitas fuit, nec tamen per hoc unio hypoſtatica diſſoluta eſt, ex unione hypoſtaca non ſequi, ut ibi ſit Deitas, ubi etiam humanitas ſit.

Schmidlini effugium & ſophiſma

Nam quod excipiunt Domini Collocutores, Chriſtum habuiſſe majeſtatem & poteſtatem ubique eſſendi, ſed eam tempore exinanitionis uſurpare, noluiſſe, inane κρυπτοφύγιον *eſt. Non enim quæritur,* An Chriſtus majeſtatem ſeu potentiam habeat eſſendi alicubi, *ſed,* An ex unione duarum naturarum neceſſariò ſequatur, ut ubi ſit Deitas, ibi etiam ſit humanitas. *Et quandiu in hac ſententia permaneant Electorales Collucutores, non poſſe eos quicquam ſolidi reſpondere ad hoc Calviniſtarum argumentum:*

Hunnius quoque ad hoc argumentum nihil reſpondit unquam.

Quod ſtante Unione hypoſtaticâ Spiritus Sanctus aſſeverat, id non ſolvit Unionem
Spiritus ſanctus affirmat, Corpus Chriſti ſtante unione hypoſtaticâ, in uno fuiſſe loco, non ubique.
Ergo quando affirmatur, Corpus Chriſti non eſſe ubicunque eſt Deitas, non diſſolvitur Unio.

Argumentum de Seſſione ad Dexteram Dei repetitur.

Repetierunt etiam Electorales Theologi argumentum de Seſſione ad dexteram Dei, & faſſi quidem ſunt, Dexteram Dei locum non eſſe, approbarunt quoque Philippi *explicationem, Sedere ad dexteram Dei, ſignificare pari potentiâ regnare cum Patre ſuper omnes creaturas: ſimul tamen contenderunt, ex articulo de Seſſione ad dexteram Dei Vbiquitatem vel omnipræſentiam neceſſariò ſequi: affirmarunt inſuper, hoc argumentum reperiri in Formula Concordiæ, quam ſubſcriptione ſuâ approbarint, & à qua diſcedere nullo modo velint.*

Reſponſio

Reſpondit Heſshuſius, *neque Vbiquitatem, neq; omnipræſentiam carnis Chriſti ex Articulo de Seſſione ad dexteram Dei probari poſſe. Aliud enim eſſe, ubique eſſe, vel omnibus creaturis ſubſtantiâ præſens eſſe, & ad dexteram Dei ſedere. Ad Dexterā Dei ſedere ſignificare, pari potentiâ regnare cum Patre & cū Spiritu S. ſuper omnes creaturas. Hanc gloriam Chriſtum accepiſſe ſecundū ſuam Humanam Naturam, quæ ad dexteram Dei collocata ſit. Quòd autē ſubſtātia corporis Chriſti, qui ad dexterā Dei ſedet, ubiq; vel omnib. creaturis præſens ſit, in Verbo Dei non doceri, neque etiam ex hoc Articulo ſequi. Poſſe Chriſtum humanitate ſua eſſe ubicunque velit, quia ſit omnipotens, quumq; corpus Chriſti ad dexteram Dei ſedeat, poſſe eum hoc efficere, quando & ubicunque velit. Non autem ex omnipotentia ſed ex Verbo Dei argumentandum eſſe: Non enim Deum omnia facere quæ poſſit. Quum itaq; in Verbo Dei expreſſum non ſit quod Chriſti Humana Natura ubique, vel omnibus creaturis præſens ſit, hoc ex Chriſti omnipotentia, vel Seſſione ad dexteram colligi non debere.*

Verū eſt de tota Perſona Chriſti poſt humiliationem per Seſſionem ad dexteram exaltata ſed ſalvā cujuſque naturæ veritate & proprietate. Neque etiam in verbo Dei expreſſū eſt quod Chriſtus corporaliter ſit in pane.

Ad objectionem Kirchneri, *non ſolum ex hoc Articulo ſequi, quod poſſit eſſe, ſed etiam quod ſit ubiq́, quia ſcriptū ſit,* Sedet, *non,* quòd poſſit ſedere: *Reſpondit* Heſshuſius, *hanc conſequentiā falſam eſſe. Non enim in hoc Articulo fidei dici, Vbiq́ eſt Chriſtus corpore: ſed,* Sedet ad dexterā Dei: *& verbum* Sedet, *intelligendum de Seſſione non de Vbiquitate. Si verba præciſè urgeātur, hoc ex iis elici poſſe Quòd Chriſtus poſſit præſtare, ut corpus ſit ubicunque velit; non, quod ſit: nam de voluntate nihil ſine & contra verbum eius ſtatui debere. Mirum quoque ſibi videri ait, Electorales Theologos hanc reſponſionem ad hoc argumentum rejicere, quum tamen S*elneccerus *in ſuis Recitationibus eam approbarit.*

Nota Kirchneri Theologiam de dicto, Sedet ad dexteram Sed non vult contraria veritati.

Heſshuſius Vbiquitatim Formulæ Concordiæ non ſubſcripſit.

Quòd Electorales provocent ad Formulā Concordiæ, in qua argumentū hoc de dextera Dei exſtet, Reſpondere ſeſe, Formulam Concordiæ non ſe ita intellexiſſe, quod Vbiquitas vel Omnipræſentia in ea approbetur, & ſi hoc animadvertiſſet, non ſe adduci potuiſſe ut ei ſubſcriberet. Hoc autē ſenſu ſe Formulā Concordiæ accepiſſe, quod Chriſtus præſens eſſe poſſit ubicunq́, velit, & ſuam præſentiā promiſerit. Sic enim habere verba Formulæ Cōcordiæ in articulo de Perſona Chriſti: Quod autem Chriſtus omnipotentiâ ſuâ divina corpore ſuo, quod collocavit ad dexteram majeſtatis & potentiæ Dei, præſens eſſe poſſit, ubicunq; vult, præſertim in ſacra ſua Cœna, quo ſe in verbo ſuo alligavit, id facilè omnipotētia ejus efficere poteſt, ſine abolitione veræ ſuę Humanæ Naturę. *Hoc ſenſu ſe, inquit Heſshuſius, Formulam Concordiæ intellexiſſe, recepiſſe, eique ſubſcripſiſſe. Si igitur Electorales Theologi Formulam Concordiæ non ſic intelligant, & conſtanter adſeverare pergant, quòd Vbiquitas vel Omnipræſentia carnis Chriſti in ea poſita & fundata ſit, ſe rotundè & apertiſſimè dicere ac profiteri, Ordines Auguſtanæ Confeſſio-*

Falſum principiū Chriſtus enim non promiſit, quod corpus ſuum in pane inviſibiliter præſens facere velit. Sed dicit ipſum panem eſſe ſuum viſibile & pro nobis traditum corpus: Nota dolum Formulæ Concordiæ.

Confeſſionis, inprimiſque inferioris Saxoniæ Eccleſiæ, quæ nunquam Ubiquitatis commentum approbarint, ne forte deceptas & circumventas, nec candide & ingenue, ut in tanti momenti cauſa oportuerit, cum ipſis actum eſſe. Sequuturum quoque inde neceſſario, Apologiam Formulæ Concordiæ contrariam eſſe, nec cum hac unquam conciliari poſſe. Si enim Ubiquitas & omnipræſentia Christi approbetur, nempe, quod Humana Natura Christi, quoad ſubſtantiam, omnibus creaturis in cœlo & in terra præſens ſit, ſequi neceſſario, illam etiam in omni ligno, lapide, gramine, ſole, luna, omnibus item granis tritici &c. eſſe. Apologiam autem cap. 9. hoc ſæpiſſime apertis verbis negare, ac inter alia quoque ſic dicere: Quòd in tertio articulo Auguſtanę Confeſſionis doctrina de generali Ubiquitate Chriſti fundata ſit, ſic videlicet, ut corpus Chriſti in omni ligno, lapide, gramine, cantharis cerviſiariis, omnibuſque impuris locis ſit, ut adverſarii noſtris Eccleſiis affingunt, conſtanter negamus. *Selneccerum etiam in verſione Latina Formulæ Concordiæ pag. 406. ſic ſcribere:* Ubiquitas carnis abſoluta, verbo Dei deſtituta, & ad ſingulas ſpecies, & individua omnia localiter & incluſive relata, reijcitur & damnatur. *Regulæ autem duæ retinentur:* Chriſtum etiam corpore ſuo poſſe eſſe ubicunque, quomodo & quandocunque vult eſſe. Chriſtum verè eſſe præſentem, non tantũ Spiritu & Deitate ſuâ, ubi ipſe dixit & promiſit, ſe præſentem eſſe, licet modus ille præſentiæ paradoxus & impoſſibilis rationi, & ſapientię humanę, quę coram Deo ſtultitia eſt, videatur. His igitur obſervatis, cætera quę ad myſterium perſonalis & indiſtanter factę duarum Naturarum in Chriſto unionis & ſeſſionis ad dexteram Dei omnipotentis pertinent, & in hac vita a nobis intelligi & explicari non poſſunt, reſerventur in Academiam Cœleſtem, *&c. Hoc modo ipſoſmet Electorales Theologos Formulam Concordiæ declaraſſe, quod Ubiquitas in ea non contineatur.*

Hoc autem docet Lutherus 2. Tom. Viteb. pag. 112.

Fucus ad decipiendos ſimplices.

Quod ad locum Lutheri pertineat, qui in Formula Concordiæ allegetur pag. 313. fateri eos illum Ubiquitatem probare, negari etiam non poſſe, quòd Lutherus vocabulo Ubiquitatis uſus ſit: ingenue autem ſe dicere, ſatius fuiſſe, ſi locus ille in Formula omiſſus eſſet, vel adhuc expungeretur: eum etiam, qui hunc locum in Formulam ſcripſerit, nam ab initio non fuiſſe in ea repertum, cum Saxonicis Eccleſiis, ſub Lutheri nomine, doloſè ac fraudulenter egiſſe. Et hoc ſe nominatim de Iacobo Schmidlino *loquitur, qui Scholas & Eccleſias, tanquam falſarius, deceperit. Luthero autem ſe opponere Lutherum, qui hanc diſputationem de Ubiquitate retractarit, Nam Tomo Ienenſi 8. pag. 340. ſic eum ſcribere:* Verum corpus Chriſti, & verus eius ſanguis ad edendum & bibendum datur. Hic incidit quæſtio, Quomodo Chriſtus eſſe poſſit in Sacramento corporaliter, cum tamen unum corpus non poſſit eſſe ſimul & ſemel in pluribus locis? Ad hoc ego reſpondeo, Chriſtus dixit, quòd ibi adeſſe velit, ideò verè eſt in Sacramento, & quidem corporaliter, &c. *Item:* Quod autem ad ipſum corpus attinet, poteſt Chriſtus, quando vult, ubique & in omnibus locis eſſe, ac ideo alia eſt ratio ipſius, quàm noſtri corporis. Et paulo poſt: De Ubiquitate, vel in omnibus rebus præſentia, non debet diſputari. Longè enim alia res eſt in hac cauſa. Nam & Scholaſtici nihil de Ubiquitate loquuntur, ſed retinent ſimplicem intellectum de corporali præſentia corporis Chriſti. *His ſe cauſis moveri, quod Ubiquitatem probare non poſſit: ſed periſtare ſe in ſententia ſua, quòd Ubiquitas vel omnipræſentia Chriſti in Verbo Dei fundata non ſit, ideoque eam temere non aſſerendam eſſe. Nec ſibi ſatisfacere Electoralium Theologorum argumenta, ſicut ex ſuis reſponſionibus abunde intellexerint.*

Quod etiam Electorales petant, ut Helmſtadienſes caput 9. Apologiæ de omnipræſentia approbent, & libere dicant, numquid in Formula Concordiæ deſiderent, quod emendari oporteat; Dicere ſe ingenue, quod caput illud non approbent, quum omnipræſentia in eo defendatur, tanquam articulus fidei. Intellexiſſe quoque ipſos hactenus, quid in Formula Concordiæ requirant.

In fine Apologiæ ſuæ adjecerunt Erdfurtenſes Appendicem, hujuſmodi inſcriptione: Vera Chriſtiana & ſolida confutatio Reſponſionis Miniſtrorum Bremenſis Eccleſię. *Intelligunt autem Reſponſionem Bremenſium anno* 81. *editam, ad quadam capita, de quibus a vicinis Theologis inferioris Saxoniæ accuſabantur: in qua libri Concordiæ mentionem nullam prorſus fecerunt. Hanc Appendicem quoque Heßhuſius in hoc ipſo Quedleburgenſi Colloquio in multis improbavit.* Bremenſes, *inquit inter alia*, ſi ſcriptum eorum diligenter inſpiciatur, dicunt, nuſquam reperiri in Sacra Scriptura, quod Chriſti Corpus & anima ubiq; ſint, in aëre, in inferno, in foliis arborum, gramine & lapidibus. Fatetur etiam Apologia, in Verbo Dei non expreſsâ eſſe Ubiquitatem per ſpecies: hoc vero quid aliud eſt quàm non reperiri in ſacra Scriptura? Reprę̄hẽdit igitur Apologia Bremenſes in eo, quòd ipſa probat. Has Antilogias, *ait*, abſque dubio nobis objicient.

De Appendice Apologiæ Erdfurtenſ. Heßhuſii judicium

Rurſus de eodem Heßhuſius: Apologia dicit quum Bremenſes negent, quòd Chriſtus vero ſuo corpore ſimul in Cœlo & Cœna ſacra,

 adeoque

adeoque eodem tempore pluribus in locis ſit, Neſtoriani ſunt. At verò Bremenſes hoc non dicunt: Præſentiæ Corporis Chriſti ne uno quidem verbo meminerunt: ſed Ubiquitatem tantum improbant. Nec cum veritate dicere poſſumus, Auguſtini loca adducta Ubiquitatem ſtabilire. Bremenſes tuentur ſe Scripturâ ſacrâ & Auguſtini ſcriptis, quòd à nemine poteſt negari. Etſi vero Ubiquitatem non probent, non tamen ſunt propterea Neſtoriani appellandi. Teſtatur enim Scriptura, Chriſtum, quum eſſet in utero matris, & jacuiſſet Bethlehemę in præſepi: non fuiſſe tum ſimul etiam aliis in locis. Hęc omninò Bremenſibus ſunt concedenda. Citant iidem clariſſima loca Auguſtini & Vigilii contra Ubiquitatem, & ſic veriſſimè probant ſe non eſſe Neſtorianos. Ad hęc Apologia reſpondere debuit, ſed ne uno quidèm verbo id fecit. Dicit quidem, Patres hęc loca non oppoſuiſſe pręſentię corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna. At de hoc non eſt quęſtio ſed, an is, qui Ubiquitatem negat, propterea Neſtorianus ſit? Apoſtoli crediderunt, corpus Chriſti in uno loco tantum eſſe, non in omnibus ſimul: iidem crediderunt, Divinitatem Chriſti cœlum & terram ſimul implere, nec tamen fuerunt Neſtoriani. Videat ergo Apologia, quomodo accuſationem contra Bremenſes inſtitutam, probare poſſit. Bremenſes non negant, locum Pauli Epheſ. 1. c. & 4. quòd Chriſtus, ſecundum exaltationem ſuam omnia impleat. Sed quærunt, quomodo illud *Implere* ſit intelligendum? an de operatione, vel de ſubſtantia corporis? Si de operatione, ut Lutherus in margine interpretatur, nulla Ubiquitas inde ſequitur: ſin verò de ſubſtantia Corporis, quod facit Apologia quomodo id obſecro probari poterit?

Surdis narrata eſt in Colloquio. Quedelb. fabula, & propterea re infectâ inde diſceditur.

Hæc omnia Heſhuſius in illo Colloquio: & vehementer petiit, ut errata corrigerentur, nec quicquam defenderetur quod probari nequeat: non enim hic agi de noſtro honore, ſed de conſervatione divinæ veritatis. Sed ſurdis narravit fabulam, ac proinde re infectâ ex iſto Colloquio diſceſſum eſt. Facta quidem ſpes fuerat Helmſtadienſibus, de indicenda & conſcribenda Synodo, ſi conſenſu Principum impetrari hoc modo poſſit, decretumque, ne ante hanc Synodum Apologia Erdfurtenſis publicetur, ac in lucem edatur.

Electorales Theologi Synodum Principibus diſſuadent & Apologiam publicam faciunt.

Neutrum tamen præſtiterunt Electorales Theologi, qui unà cum ſuis Collegis, Principibus Synodum omnibus modis diſſuaſerunt, & Apologiam fecerũt: Anno 83. ita tamen ut ſi titulus ſpectetur, trium Theologorum, quos paulò antè nominavi, nomine; ſin autem Præfationum altera non tam Theologorum, quàm Electorum & Principum, atque Ordinum Auguſtanæ Confeſſionis edita eſſe videatur. Nam in Præfatione diſertè dicitur, Cum adverſus Concordiam, hoc eſt, Confeſſionem Chriſtianam trium Electorum atque aliorum Principum & Ordinum Auguſtanæ Confeſſionis, & Theologorum anno 80. editam, ſcripta quædam publicata ſint, Electores atque alios ad Apologiam edendam ſuæ Confeſſionis extremâ quaſi neceſſitate coactos fuiſſe. Hac fraude ac dolo uſi quoque ſunt Bergenſes, qui ſimiliter Formulæ ſuæ Concordiæ Præfationem nomine Electorum & Principum, tanquam clypeum Aiacis, ſub quo deliteſcere poſſint, præpoſuerunt, ſic à palatio & curia ſibi potius, quàm ex Scriptura ſacra authoritatem & præſidium quærentes, quod in negotio fidei ac religionis valde eſt indecorum.

An Lutherani cum Zwinglianis unquam de perſona Chriſti contenderint.

In eadem Præfatione Apologia ſuæ, quaſi jam omnis recordatio Hiſtoriæ noſtrorum temporum ex animis hominum deleta eſſet, perſuadere hominibus conantur, perpetuo contendiſſe cum Sacramentariis Lutheranas Eccleſias de Perſona Chriſti. Hoc autem falſum eſſe Conventus Marpurgenſis abunde teſtatur, in cujus Actis legitur, inter Lutherum & noſtros ſummum conſenſum deprahenſum fuiſſe in omnibus capitibus Religionis Chriſtianæ: Hoc ſolum controverſum manſiſſe, An verum Chriſti corpus & verus eius ſanguis corporaliter in pane & vino Cœnæ ſint? *Georgius Cœleſtinus quoque in ſua Hiſtoria Auguſtanorum Comitiorum diſertè ſcribit* neque de Perſona Chriſti, neque de aliis apicibus Chriſtianæ Religionis, ſed de præſentia corporis in pane, & manducatione impiorum non potuiſſe convenire Auguſtę Lutheranis cum Bucero & Helvetiis.

Apologiæ doctrina erronea de præſentia Chriſti in pane Cœnæ.

In ipſa vero Apologia vel ad argumenta adverſariorum nihil reſpondent, vel aliena reſpondent, vel talia quæ cum Concordia Bergenſi, quam tamen defendere conantur, pugnant. Paginâ 44. circulari prorſus demonſtratione utuntur, quando præſentiam multis in locis, ex præſentia in pane & præſentiam in pane ex fictitia omnipræſentia probare conantur. Chriſtus, *aiunt*, in Teſtamento ſuo promiſit, ſe corpore ſuo in Cœna præſentem eſſe: Ergo habet modum quo corpus ſuum ſit in multis locis, & maneat interim verum & naturale corpus. *Ubi antecedens ambiguum eſt, & conſequentia cum antecedente non cohæret. Nuſquam enim Chriſtus promiſit, ſe corpore ſuo præſentem eſſe velle, ſed dixit*, Relinquo mundum, *item, ſe Cœnam inſtituere, in ſuam corpore diſcedentis memoriam. Non etiam ſequitur, Chriſtus eſt in Cœna, ut in Sacramento, ſacramentaliter præſens: ergo corpore ſuo, & corporaliter eſt ubique.*

Deinde docent, Chriſtum corpus quidem viſibile & palpabile aſſumpſiſſe, & viſibilitatem

ac

2. De Corpore Christi.

ac palpabilitatem naturali modo ad Corpus Chriſti pertinere: ſed tamen Corpus Chriſti, quando & quoties ipſe vult, inviſibile & impalpabile fieri poſſe in ſe, &c. Idque ſic demonſtrare conantur. Chriſtus in Cœna dat nobis ſuum Corpus: Sed illud non videtur & palpatur. Ergo Corpus eius eſt inviſibile & impalpabile. *Hæ ſunt duæ falſiſſimæ hypotheſes: Altera, Inviſibilia eſſe omnia, quæ verè dantur, niſi ſtatim oculis aſpiciantur: Altera, dari Corpus in Cœna ſubſtantialiter in pane occultatum & ore comedendum: quum articuli fidei & tota Scriptura teſtentur, Corpus Chriſti eſſe in Cœlo, & omnes ſaniores Theologi affirment, nullum fieri, ne in Cœna quidem, corporis Chriſti aſcenſum aut deſcenſum, nullam etiam phyſicam immeationem in panem, aut alligationem ad panem.*

3. De Ubiquitate.

In dogmate de Ubiquitate in Apologia retractant ea, quæ in Concordia Bergenſi aſſeruerant & ſubſcripſerunt: ſed ita retractant, ut ſubinde & ſecum, & cum ſociis ſuis pugnent, vera falſis admiſceant, & omnia miſcere malint, quam veritatem agnoſcere & fateri. Negant enim in Apologia pag. 68. & 71. Ubiquitatem vel omnipræſentiam Corporis Chriſti in Lapide, lignis, &c. Quâ igitur conſcientiâ ſubſcripſerunt Apologetæ iſti Bergenſi Concordiæ, in qua hoc ſubinde inculcatur: Niſi quis credat, ubicunque ſit λόγος Dei Filius, ibi etiam eſſe Humanam Naturam; *imo* ſi locus aliquis oſtendi poſſit, in quo ſit Dei Filius, non autem Humana quoque Natura, dividi Perſonam Chriſti. *Item*, Omnia in univerſum plena Chriſti eſſe etiam iuxta humanam naturam. *Quid denique ſibi volunt tres illi modi eſſendi, quos corpori Chriſti ex polemicis Lutheri ſcriptis tribuunt authores Concordiæ Bergenſis, diſertis verbis affirmantes*, Chriſti corpus etiam talem eſſendi modum habere, quo repletivè abſolute, & ut Deus in omnibus creaturis ſit, nec tamen ab illis ſentiatur aut contineatur. *Canonizarunt etiam Bergenſes in ſua Concordiæ Formula locum Lutheri Tom. 2. Uniteberg. 112. qui ſic habet:* Chriſtus non ſolum ſecundum Deitatem, ſed etiam juxta Humanam Naturam ubique præſens eſt. *Et mox:* eſt quidem Chriſtus omninò in omnibus creaturis, adeò, ut eum in lapidibus, igne, aqua, vel etiam in laqueo invenire poſſem: ſicut etiam reverâ ac certò ibi eſt: tamen non vult ut eum abſque verbo ſuo ibi quæram, *&c.*

In Apologia ſibi ipſis contradicunt authores eius.

Sibiipſis quoque Apologetæ apertiſſimè contradicunt in Apologia ſua. Pag. 63. aſſeverant, poſſe rationem inveniri, quâ Corpus Chriſti licet finitum, ſimul ſit in Cœlo & in terra. *Item*, Quamvis omnia implere æterna & eſſentialis Dei ſit proprietas: In cœlum tamen aſcendiſſe Chriſtum, ut omnia Corpore impleret. *Et tamen concedere nolunt, quòd in omni lapide, ligno, &c. ſit Pag. 20. dum Danæo litem capitalem movent, quòd ſcripſerit*, eos, qui ad carnem Chriſti adorationem ſuam dirigant, idololatras eſſe, carnem enim propriè non eſſe objectum adorationis: *ipſimet tamen poſtea pag. 21. diſertis verbis fatentur*, carnem Chriſti, ſive aſſumptam humanam naturam; cum per ſe, ut creatura, etiam in unione perſonali conſideratur, non eſſe adorandam: quòd honor adorationis ſoli omnium conditori Deo competat. *Hoc ipſum autem docuit quoque Danæus. Pag. 62. aſſerunt*, tempore humiliationis, Chriſti majeſtatem occultam fuiſſe, uſque ad tempus reſurrectionis. *Hoc verò alibi in Apologia evertunt, affirmantes*, tum in Cana Galilææ, tum alias ſæpè gloriam Chriſti patefactam. *Nec illa conciliari poſſunt, quòd fatentur*, Scripturam & orthodoxam Eccleſiā reclamare generali Corpus Chriſti Ubiquitati: *& tamen expreſſis verbis etiam in Apologia ſcribunt*, Corpus Chriſti, quatenus Filio Dei perſonaliter unitum, & ad Dexteram Dei exaltatum ſit, habere ſibi omnes creaturas præſentes: *quod ſanè fieri non poteſt, niſi illud ipſum Corpus Chriſti omnibus creaturis generaliter ſit præſens. Item quod affirmant*, Modum Corporis Chriſti alicubi exiſtendi ad ſolam veram in Cœna præſentiam pertinere: *& tamen ſcribunt*, ſecundum illum modum Corpus Chriſti omnes creaturas ſibi præſentes habere, ac per conſequens, omnibus creaturis præſens, hoc eſt generaliter ubique eſſe.

Electorales Theologi adverſantur in Apologia primariis ſuis Sociis.

Adverſantur etiam in hac Apologia ſua tres iſti Theologi primariis ſuis ſociis, & magnis illis Concordiæ fabricatorib. Contra Brentium *enim negant*, duplicem aſcenſionē in Cœlum: Chriſtū aſcendiſſe in Cœlum Ubiquitarium: confuſionē cœli cum inferno. *Aſſerunt contra eundem*, Aſcenſionem ſecundum literam & hiſtoricè intelligendam, viſibiliter Chriſtum per nubes aſcendiſſe in cœlum quadrageſimo die poſt reſurrectionem. *Negant ſe* confundere incarnationem, aſcenſionem, & ſeſſionem ad dexteram Dei Sedere ad dexteram Dei, *inquiunt*, eſſe Divinâ potentiâ & virtute ſupra omnes creaturas dominari. *Negant* diſparitionem & evaneſcentiam Corporis Chriſti in aſcenſione in cœlum: Chriſtum ſecundum utranque naturam paſſum eſſe: duplicem divinitatem. *Probant* circumſcriptionem corporum glorificatorum, *ab aliis improbatam. Negant* æqualitatem potentiæ, *&c.*

Pag. 108. Pag. 106. Pag. 107. Pag. 114. Pag. 126.

Negant rurſus generalem Ubiquitatem in pomis pyris, lapidibus, lignis, *&c. non ſolum contra librum Concordiæ, ſed primarios quoque ſuos ſocios. Brentius enim ſcribit contra libellum Bullingeri pag. 10. & 12.* Humanam Chriſti ſubſtantiā omnia implere. *In Recognit. pag. 244*

 Corpus

Corpus Chriſti eſt unà cum Filio Dei ſupra, infra, extra & intra omnia loca. *Iohannes Parſimonius concionator aulicus Stutgardiæ in Latina Concione anno* 1561. *Tubingæ in* 4. *edita pag.* 7. *rotundè ac multis verbis fatetur*, quòd Corpus Chriſti ubique & in omnibus locis ac creaturis, non ſolùm in pane & vino Cœnæ, ſed etiam in omnibus lignis, lapidibus aëre, igne, aqua, pomis, pyris, caſeo, & cerviſia, imò in Cœlo & terra, ac in omnibus & ſingulis partibus rerum terreſtrium ſit. *Idem etiam fatetur Lucas Hoſiander in AntiSturmio altero pag.* 9. 12. *&* 13. *Iohannes Marbachius contra Danielem Toſſanum anno* 1579. *pag.* 104. 105. *ſic ſcribit*: Wir Lutheriſche glauben / daß Chriſtus nach dem er in ſeiner angenommenen Menſchlichen Natur in den Himmel auffgefahren / vnd zur rechten ſeines Himliſchen Vatters ſitzet / eben ſolcher ſeiner erlangten Göttlichen Ehr und Allmacht halben / nicht allein bey Brot und Wein / ſonder auch in der Helle / und einer jeden Vierkanten perſönlich gegenwertig ſey / ꝛc. *Hæc omnia probant Vuirtebergenſes Theologi, qui in copioſa illa ſua contra Bremenſes declaratione pag.* 318. *hæc ſcribunt*: Quantum ad ea attinet, quæ D. Marbachius & M. Parſimonius de præſentia Chriſti juxta humanitatem ſcripſerunt, in pomis, pyris & omnibus creaturis: Legant quæ Lutherus in Serm. de Sacramento contra Svuermeros anno 26. edidit: ubi hanc Ubiquitatem luculenter depinxit, & expreſſe ſtatuit, atque pronunciat, qui eam non credat illum abnegare Chriſtum. Nos igitur credimus, Chriſtum ſecundum Humanam Naturam omnia implere, & ubique eſſe præſentem, *&c. Hæc illi. Iſta vero omnia in Erdfurtenſi Apologia, rejiciuntur & damnantur.*

Apologia falſa doctrina de Communicatione Majeſtatis.

Porrò de Communicatione Majeſtatis pag. 5. *Apologiæ affirmant*, Humanæ Naturæ Chriſti ſupranaturales & eſſentiales proprietates, datas & communicatas eſſe divinas proprietates. *Pag.* 5. *&* 10. Humanam Naturam, propter unionem Perſonalem & Seſſionem ad dexteram Dei, exaltatam eſſe ad communionem & unionem & uſum divinarum proprietatum, & ſecundum has in officii exæquatione agere & operari. *Item*, Humanæ naturæ per unionem perſonalem & Seſſionem ad dexteram Dei divinas & infinitas proprietates; *item*, divinam majeſtatem, & attributa divinitatis propria, communicata & data eſſe, ut omniſcientiam, virtutem vivificandi, omnipotentiam, adorationem, *&c. Pag.* 6. *&* 9. communicationem illam non per phraſin aut modum loquendi, ſed ſecundum Humanam Naturam intelligendam eſſe realiter, non autem eſſentialiter aut phyſicè, non per confuſionem, converſionem, exæquationem proprietatum eſſentialium, non ſubjectivè, ut Humana Natura ſit ſubjectum illarum proprietatum. *Pag.* 32. Non unam tantum Naturam in Chriſto adorabilem eſſe, ſed duas. *Item*, Objectum adorationis eſſe non tantum divinam, ſed etiam Humanam Naturam, *&c.*

Apologiæ Erdfurtenſis Appendix eiuſque doctrina.

In Appendice contra Bremenſes cap. 1. *primo loco agunt de Perſona Chriſti. Et pag.* 1. *dicunt*; Se de generali Ubiquitate Corporis Chriſti in omnibus creaturis, in foliis arborum gramine, lapidibus, lignis, ac omnibus fœtidis locis cum quoquam contendere nolle, eſſe enim myſterium ineffabile. *Et tamen eadem mox paginâ ut* 3. *&* 6. *aſſerunt*, Chriſtum humanitatem ſuam ſupra omnes creaturas exaltaſſe, ut eâ impleret omnia, ſive omnibus creaturis præſens eſſet: *Item*, Chriſtum implere omnia etiam ſecundum aſſumtam Humanam Naturam *Deinde per novem ferè paginas ſpecialem ſeu reſtrictam Vbiquitatem iiſdem argumentis defendunt, quibus Iacobus Schmidlinus generalem propugnat. Cap.* 2. *tractant de divina omnipotentia Chriſti: Ibi dicunt*, ſe non docere, quòd ſubſtantialiter divinæ naturæ proprietates, humanæ communicentur: neque etiam naturaliter, vel per effuſionem id fieri. *Docet autem hoc* Schmidlinus *in Colloquio Mulbrun. Tubingæ edito pag.* 126. Vuigandus *in lib. de Communicatione Idiomatum pag.* 139. Selneccerus *in libello contra Bezam anno* 72. *edito. Negant etiam ſe docere*, Humanam Chriſti Naturam in & per ſe omnipotentem eſſe; *quum* Selneccerus *eodem loco, & alii id manifeſtè doceant. Cap.* 3. *agunt de Communicatione Idiomatum. Ibi negant*, ſe docere, eſſentiales proprietates Divinæ Naturæ, proprias fieri Humanæ Naturæ aſſumtæ: *& tamen ſimul docent*, Realem communicationem Idiomatum in Humana Natura Chriſti. *Pag.* 21. *dicunt*, Brentianam transfuſionem Metaphoricè intelligendam. Chriſtum ſecundum Humanam Naturam tantum fuiſſe in utero Mariæ, non alibi: *Et negant etiam*, Chriſtum ſecundum Humanam Naturam in paſſione ubique fuiſſe, *contra Brentium.*

CAPVT XLV.

Scripta & acta Erdfurtenſis Apologiæ editionem ſequuta.

Anhaldini reſpondent Refutationi ſuæ Apologiæ.

Oppugnatâ in Erdfurtenſis Apologiæ capite quartò Anhaltinorum Theologorum Apologiâ, oppoſitâ trium Electoralium Theologorum Refutationi, Confutationis Præfationis Libri

Concordiæ

Concordiæ Anhaltini mox adornarunt graviſſimam Reſponſionem, in qua perſpicue Lectori oſtendunt, ſua argumenta XLII. contra Vbiquiſtarum doctrinam de Perſona Chriſti, adhuc immota & firma ſtare. Titulus libri hic eſt: VERA declaratio Articulorum de Perſona, Officio & Majeſtate D. N. Ieſu Chriſti, ex ſolidis fundamentis ſacræ Scripturæ certis argumentis ſeu theſibus comprehenſa, ad refutandam falſam Doctrinam de communicata à Divina Natura Humanæ Naturæ Chriſti, omnipotentia, omniſcentia & omnipræſentia.

Reſponſio ad Appendicem Apologiæ Erdfur.

Edita quoque eſt Bremenſis Eccleſiæ Theologorum Vera, Chriſtiana & ſolida Reſponſio ad Appendicem Erdfurtenſis Apologiæ.

Demonſtratio contra Selneccerum.

Item: Solida demonſtratio, quòd Nicolaus Selneccerus decem argumenta, ad quæ ut reſponderet provocatus fuit manifeſtè alio detorſerit, in teſtimonium convictæ conſcientiæ.

De vera adoratione humanitatis Chriſti in unione perſonali

Item: De vera adoratione humanitatis Chriſti in Unione perſonali, orthodoxa veteris Eccleſiæ ſententia, contra Selnecceri & cæterorum Apologetarum Erdfurtenſium manifeſtas ac repetitas fraudes & impoſturas. *Neoſtadii Germanice.*

Vuilhelmus Damaſus contra librum Concordiæ.

A Pontificiorum autem partibus editus quoque eſt à Vuilhelmo Damaſo *Lindano liber contra Formulam Concordiæ, hoc titulo*, Concordia diſcors: ſive Querimonia Catholicæ Chriſti Ieſu Eccleſiæ, ad Illuſtriſſimos S. Romani Imperii Principes, & alios ad unum omnes nomine ſemi-Chriſtianæ, Confeſſionis ſuæ Auguſtanæ temerè gloriantes: *quâ illis demonſtrat, ſimulatam ac verè perſonatam ipſorum Concordiam, anno* 1580. *initam, non ſolùm viros facere ſemi Chriſtianos, ſed & minime ſolidis, imo aſſ[illegible]ſtatis, adeoque pugnantibus niti fundamentis Coloniæ.*

Heſshuſius pergit generalem Vbiquitatem improbare.

Heſshuſius *etiam poſt ſcriptam Apologiam Erdfurtenſem perrexit generalem Vbiquitatem Corporis Chriſti publicè & privatim improbare. Sic enim in Theſib. anno* 83. *menſis Oct. Helmſtadii diſputatis ſuo ſuorumque collegarum nomine theſi* 28. *ſcripſit* Πανταχουσίαν corporis Chriſti, ut paſſim ſit in ligno, herba, lapide, pariete, animantibus & omnibus creaturis, non adſerimus: Religio eſt enim nobis quidquam adſerere in doctrina pietatis, de quo non exſtat expreſſum & perſpicuum Verbum Dei. Recitationes in cauſa fidei, niſi probè & accuratè munitæ ſint, & teſtimoniis Scripturæ nitantur, plerunque fallunt. *Alii contrarium ſcripſerunt; ut videat Lector, inter ipſoſmet Lutheranos & Vbiquiſtas de quibuſdam dogmatibus Libri Concordiæ, eiuſque Apologiæ, nunquam ſatis conſtare potuiſſe, ſed diſſenſionem non levem exſtitiſſe.*

Schmidlini Confutatio diſputationis Heydelbergæ à Grynæo habitæ.

Anno Domini 1584. *in lucem prodiit* Iacobi Schmidlini Confutatio Diſputationis Iohannis Grynæi de Cœna Domini Heydelbergæ habitæ. *In hac Confutatione generalem Vbiquitatem & quædam dogmata, quæ in Apologia Erdfurtenſi rejiciuntur ac damnantur, ipſe defendit & retinet. Nam paginâ* 14. *dicit:* Humanitatem Chriſti divinitati eius exæquari, non οὐσίᾳ, ſed ἐξουσίᾳ, non eſſentiâ, ſed potentiâ, non naturâ, ſed gloriâ, non ſubſtantiâ, ſed majeſtate. *Pag.* 15. propter unionem perſonalem, ipſam humanitatem Chriſti ubique præſentem eſſe. *Pag* 16. Humanitatem Chriſti eadem majeſtate res præſentes, rebuſque præſentem eſſe, quâ divinitas. *Pag.* 17. Chriſtum hominem majeſtate ſuâ rebus omnibus præſentem eſſe, ſeque piis, tum in verbo, tum in Sacramentis fruendum exhibere. *Pag.* 18. Corpus Chriſti juxta modum perfectionis per unionem hypoſtaticam acquiſitum, præſens eſſe & diſtribui in Cœna. *Item*, Chriſtum creaturis omnibus, cœleſtibus & terrenis, ſecundum humanitatem præeſſe ac adeſſe. *Pag.* 20. Corpus Chriſti in Cœna eſſe generali illâ majeſtatis præſentiâ. *Item*, Corpus & Sanguinem præſentia eſſe in Cœna juxta modum à divinitate communicatum. *Item*, Cœlum eſſe, quod nullo loco phyſico, ſed ſolius gratiæ Dei communicatione definitur. *Pag.* 291. Ubicunque filius Dei eſt, ibi quoque aſſumptum hominem eſſe. *Pag.* 292. Omnipræſentiam propter Divinitatem & reſpectu divinitatis tribui Chriſto. *In quibus omnibus ab Apologia Erdſurdienſi recedit.*

Schmidlini Admonitio de Synopſi D. Grynæi.

Edidit ſimul Schmidlinus Admonitionem *de Synopſi Orationis* Ioannis Iacobi Grynæi, *quâ Diſputationi de Cœna Domini Heydelbergæ hoc anno,* 15. *April. finem impoſuit.*

In utroque Scripto non ſolùm innocentes Eccleſiæ Miniſtros hoſtiliter cædit, & deformat injuriis ac mendaciis: ſed etiam viros politicos virtute, auctoritate & meritis graviſſimos, inhumaniſſimè traducit: quin etiam mortuos refodit, eiſque maledicit: nec Eccleſiarum reformatarum ex præſcripto Verbi Dei, nec piorum Magiſtratu, qui atrociſſimâ contumeliâ, per latera piè docentium afficiuntur, ullâ ratione habitâ.

Schmidlinus contra Academiæ Baſilienſ. & Tubing. monita ſcribit contra Grynæ.

Cum fama Senatui Academico Baſilienſi innotuiſſet, parari Tubingæ à Schmidlino *iſtiuſmodi Scripta contra* Grynæum, *metuens, ne ſi in publicum emitterentur, paroxiſmus inde Eccleſiæ periculoſius magis, quàm utilis, oriretur, exulcerato præſertim hocce temporum ſtatu, ſcripſit Rectori & Profeſſoribus Tubingenſis Academiæ, ab iiſque amanter petiit, ut ſi quid tale paratum eſſe comperirent, quod ad infringendum* φιλαδελφίας *vinculum facere poſſet, ſuâ*

virtute & auctoritate ſopirent. Scribendi libertatem viris doctis eripi ſe non poſtulare, ſed ut Schmidlinus ſcripta ſua, ſi quæ habeat, ita moderetur, ne in cauſa communi multis, unum ſibi Grynæum, quem nominatim impetat, deſumpſiſſe videatur: hacque ratione ea, quæ inter utranque Academiam Concordia fuit, labefactetur. Quin imò percupere ſeſe, ut ſi fortè ad Schmidlinum, δύσφημα quædam de Grynæo perlata eſſent, privato literarum commercio, cum eo componeret, nihil addubitantes fore, ut motus inde orti pacatè & amicè ſedentur. Licet autem Tubingenſis Academiæ Profeſſorum plerique Chriſtianum Baſilienſium conſilium approbarent, Schmidlinus tamen maledicentiſſimis ſuis Scriptis perrupit, eaque in lucem edidit.

D. Grynæus oppenis ſcriptis Schmidlini Apologiam.

Oppoſuit autem Grynæus duobus his Schmidlini Scriptis Apologiam brevem, in qua primum reſpondet ad criminationes ejus. Deinde graves cauſas exponit, propter quas nec ſibi, nec aliis honeſtis & bonis viris ad Schmidlini monſtroſas calumnias poſthac reſpondendum; ſed legitimæ Synodi judicio rem permittendam cenſet: Vt quòd Schmidlinus convitiis tantum, mendaciiſq; cum adverſariis agat, & perſonas præcipuè inſectetur: 2. quòd conſenſus orthodoxi publicus notoriuſque perduellis, nec mortuis nec viventibus adhuc Dei ſervis, nulli etiam ordini hominum, ætati nulli, quum iraſci & maledicta ſpargere cœperit, parcere conſueverit: 3. quod ne quidem conſentientes in dogmatibus κ; ὁμογνοῦντας collegas aliter tractet, primatum ſcilicet appetens, quàm ut pleriſque magis notus ſit, quàm charus: 4. quòd ſibi in Doctrina non conſtet: 5. quòd eminus eos aggrediatur, qui cum præſente cominus parati eſſent æquo jure de doctrina conferre: 6. quòd Cramben repetat, ſexcenties ab eo coctam, recoctam, & maledictorum ſputo cœnoque conſpurcatam: 7. quòd in controverſia Euchariſtica ſeſe actorem pariter & judicem conſtituat.

Poſtremò Grynæus in hac ſua Apologia, præcipua tantùm ſophiſmata & calumnias in gratiam piæ juventutis refutat; quæ in duobus iſtis Scriptis continentur, 1. de Baſi doctrinæ Euchariſticæ: 2. de Chriſti omnipotentia, veritate, omnipræſentia & adoratione: 3. de Statu controverſiæ: 4. de Scripto verborum Cœnæ: 5. de Conſubſtantiatione negata: de Via regia in controverſia Euchariſtica: 6. de multis locis adverſariorum à Schmidlino calumnioſè expoſitis: 7. de Anabaptiſtarum ſententia de Cœna, quam orthodoxis affingit: 8. de Metonymia in verbis Cœnæ: 9. de rei ſignatæ participatione: 10. de Infidelium manducatione.

CAPVT XLVI.

Adverſus Tubingenſis Scripta Helmſtadienſium Theologorum, negantium Vbiquitatem abſolutam in Formula Concordiæ contineri: & Tubingenſium ad ea Reſponſio.

Helmſtadienſes à Tubingenſibus accuſantur apud Iunium Principem.

POſt Quedleburgenſe Colloquium Ludovico Duci Vuirtebergenſi perſuaſerunt Tubingenſes Theologi, Helmſtadienſes negantes Vbiquitatem abſolutam Corporis Chriſti, negare Majeſtatem Humanæ Naturæ Chriſti, & rejicere peculiarem Articulum Symboli Apoſtolici: item, negantes Vbiquitatem abſolutam in Formula Concordiæ doceri, & ſeſe huic Vbiquitati in Libro Concordiæ non ſubſcripſiſſe, nec ſubſcribere velle, hoc ipſo ſubſcriptionem ſuam Formulæ Concordiæ revocaſſe. De his igitur & ſimilibus à Duce Vuitebergenſi apud Iulium Brunſvicenſem Principem graviter accuſantur. Helmſtadienſes autem per Principem ſuum à Vuirtebergenſi petunt Colloquium, in quo cum Tubingenſibus de Vbiquitate amicè colloqui, & ſeſe de his criminibus excuſare poſſint. Vuirtebergenſis vero, inſtinctu Theologorum ſuorum, Colloquium detractavit, & utrinque ſcriptis potius diſputare juſſit.

Helmſtadienſes in Colloquio de intentatis criminibus purgare ſe volunt, ſed ſcriptis agere jubentur.

Helmſtadienſium Apologia ad Tubingenſium calumnias, in qua probant neque abſolutam, neque reſtrictam Vbiquitatem in F.C. doceri.

Helmſtadienſes igitur Theologi Anno 85. ad Tubingenſium calumnias ſcriptum adornârunt hoc titulo: Beſcheidliche gründtliche Ablenung der gantz unerfindtlichen aufflagen / damit die Theologen der Julius Vniverſitet zu Helmſtadt bey hohes und niders Stands Perſonen hin und wider verunglimpfft und beſchweret werden / als ſolten ſie von der approbierten Formula Concordiæ abgefallen ſeyn / darumb daß ſie die ungegründte Vbiquitatem carnis Chriſti nicht billichen / ſonder bey zu ſetzen rathen und bitten.

In hoc ſcripto docent, ſe rectè negare, Vbiquitatem abſolutam in Formula Concordiæ contineri ac doceri, Atque ad hunc ferè modum PRIMO argumentantur.

Si Vbiquitas abſoluta in Formula Concordiæ docetur, plerique authores Formulæ non ingenuè, ſincerè & candidè, ſed fraudulenter, ſubdolè & callidè cum Electoribus, Principibus, aliiſque Ordinibus egerunt.

Sed hoc falſum eſt, ergo & illud.

Connexum Majoris probant longâ Inductione Theologorum Auguſtanæ Confeſſionis, & authorum Formulæ: quorum aliqui in genere Vbiquitatem rejecerunt & damnarunt: aliqui verò in ſpecie coram Principibus & aliis Sanctè affirmarunt & teſtati ſunt, Vbiquitatem in Libro Concordiæ non doceri.

Kemni-

1. *Kemnitius improbavit Vbiquitatem.* Kemnitius *enim*, *unus ex Concordiæ Libri authoribus*, *ante editionem ejus*, *in Libro quodam*, *quem* Iulio *Brunſvicenſium Duci dedicavit*, *inter alia hæc de Vbiquitate ſcripſit:* De iis, *inquit*, quæ ad officia Meſſiæ in Eccleſia pertinent, præcipuè ſolliciti ſimus in hac diſputatione de utraque Natura in Chriſto, in reliquis contenti ſimus generali Doctrina, quòd Chriſtus ſecundum utramque Naturam, ſervatâ tamen cujuſque differentiâ, omnia ſibi ſubjecta habeat, & omnibus dominetur. Ac contineamus nos in ſimplici illa regula, Chriſtum quidem aſſumpta ſua Natura adeſſe poſſe ubicunque voluerit, nos vero ibi certo & tutò de præſentia Humanæ Naturæ in Chriſto aſſeverare poſſe & debere, ubi ſe cum illa adfuturum verbo manifeſto nobis teſtificatus eſt. Quæ verò ulteriùs quæruntur & diſputantur, de quibus non habemus peculiare & expreſſum Dei verbum ea rejiciamus ad æternam illam Scholam, ubi Chriſtum Deum & hominem videbimus, ſicuti eſt, 1. Ioan. 3. Quia Humana Natura in Chriſto exaltata eſt ſuper omne nomen, quod nominatur, non tantùm in hoc, verùm etiam in futuro ſeculo. Non igitur pudeat nos ſimplicis, humilis & puerilis hujus Confeſſionis, quòd Majeſtatem aſſumptæ Naturæ in Chriſto non poſſimus in hac vita totam vel cognoſcere vel explicare. Illi verò meritò damnantur, qui quicquid ingenii ſui capacitate aſſequi non poſſunt, ſtatim exclamant, Filium Dei cum aſſumpta Humana Natura, ſalvâ ejus veritate facere non poſſe: Reliquas igitur diſputationes de generali Vbiquitate Corporis Chriſti, cùm de ea quoque antiquitatis teſtimonia non ſatis conſentire videam, in medio relinquamus. *Quapropter Kemnitius Vbiquitatem in Formulæ Concordiæ diſpoſitivis verbis, quæ nunc à Vuirtebergicis ad generalem Vbiquitatem referuntur, affirmare noluit.*

2. *Communis Confeſſio Saxonicarum Eccleſiarum contra Stereoma Vuitebergenſium edita eſt, & à Brunſvicenſibus, Luneburgenſibus, Mechelburgenſibus, multarum quoque Civitatum Theologis approbata: in qua Vbiquitas rejecta eſt. Hinc inferunt Helmſtadienſes, Si Vbiquitas in Formulam Concordiæ recepta eſt, & ſine illa præſentia Corporis Chriſti in Cœna obtineri non poteſt, Formula Concordiæ Confeſſionem Saxonicam abrogavit, & Vuirtebergenſium periculoſam de Vbiquitate diſputationem approbavit.*

3. *In articulis Torgenſibus, & correctione eorum, Vbiquitatis nullo verbo fit mentio.*

4. *Cùm Formula Torgenſis locupletaretur & emendaretur Bergæ, tum quidem in Formulam Bergenſem quadam dicta Lutheri recepta ſunt, quæ, ſi abſque omni limitatione expendantur, & non eo ſenſu accipiantur, quo à Luthero uſurpata ſunt, nonnihil pro Vbiquitate faciunt. Cum autem in verbis diſpoſitivis ne tum quidem aliquid mutatum ſit, allegata illa dicta, juxta verba diſpoſitiva Formulæ accipienda ſunt: præſertim quum Bergenſes Theologi poteſtatem nullam habuerint quicquam in ſubſtantia Libri mutandi, vel ipſo* Kemnitio *teſte*, *&* Selneccero, *qui in ſuis Recitationibus pag. 55. ſic ſcribit:* Munus Theologorum Bergæ congregatorum erat, tantummodo legendo cognoſcere cenſuras, & nihil in ſententia, cùm in ea conveniretur ut plurimùm, mutare. *Chytræus etiam, qui unus etiam ex ſex Bergenſibus Patribus fuit: Roſtochienſis Scholæ nomine ad Helmſtadienſes Theologos 27. Novembr. anno 82. ſic ſcripſit,* Vtinam hic campus adeò ſpecioſè contra Vbiquitatem declamandi adverſariis inſertione locorum quorundam Lutheri in Libro Concordiæ non patefactus eſſet, quæ in Torgenſi Archetypo non exſtare, ipſi meminiſtis. *Ex hoc teſtimonio intelligitur*, Chytræum, *inſertionem Locorum* Lutheri *non approbaſſe; nec campum Vbiquitatis Torgenſi Archetypo patefactum eſſe. Aiunt etiam Helmſtadienſes, Lutherum ipſum ſe explicare tom. 3. Ienen. pag. 494. & teſtari anno 28. ſe ponendo quod Corpus Chriſti, ubique ſit, poſſe tantum probare voluiſſe: hoc eſt, non probare ſe voluiſſe, quòd Corpus Chriſti ubique ſit, ſed quòd ubique eſſe poſſit.*

5. *In Corpore Doctrinæ Brunſvicenſi, Anno 77. hortante* Kemnitio & Kirchnero, *in lucem edito, doctrina de Vbiquitate prorſus adjecta, & diſputatio de illa in cœleſtem Scholam tota reſervata eſt.*

6. *In Præfatione Theologorum Bergenſium ad Librum Concordiæ Vbiquitas his verbis rejecta eſt:* Vmb der Läſterung willen wöllen wir von der Gegenwertigkeit deß Leibs Chriſti an allen Orten (doch hiermit der Göttlichen Warheit und unſer Kirchen Chriſtliche Bekandtnuß nichts begeben / ſondern dieſelbige uns in allwege jederzeit vorbehalten) kein Wort mehr in der Diſputation vom H. Abendtmahl mit jenen verlieren. *Hoc eſt: propter calumnias, de præſentia Corporis Chriſti in omnibus locis (ſic tamen ut à veritate & Confeſſione noſtrarum Eccleſiarum recedere nolimus) nullum verbum poſt hac in diſputatione de Cœna Domini cum illis (Sacramentariis) perdere amplius volumus:*

7. *Anno* 81. Kirchnerus, Selneccerus & Kemnitius, *poſt ſcriptam Erdfurtenſem Apologiam, juſſi ab Electoribus non falſum teſtimonium dicere, teſtati ſunt, Vbiquitatem abſolutam Libro Concordiæ non inſertam eſſe. Verba eorum hæc ſunt:* Dabey laſſen wir es in dieſem Leben bewenden / daß wir ex verbo Dei wiſſen / daß Chriſtus mit ſeinem Leib ſey / und

und ſeyn könne wo/ wie / und an welchem Orth er wolle/und zugleich mehr/ dann an einem Orth. Dann er hat es in ſeinem Wort und Teſtament zugeſagt / wie dann auch das Chriſtlich Concordien Buch eygentlich und alleine/ und nicht weiter / dann auff die præſentiam totius Chriſti in Eccleſia und S. Cœna gehet. Laſſen vns derwegen des Gegentheils Zettergeſchrey von der generali Vbiquitate, die ſie dem Concordien Buch andichten/ nichts irꝛen. *Hæc Electorales tum coram Deo cordium cognitore, tum coram Magiſtratu non ludente in negotio Religionis, & coram Eccleſia, quæ in his iocum non patitur, ſub data fide depoſuerunt.*

8. *Anno* 82. Selneccerus *Formulam Concordiæ Germanicè & Latinè in lucem edidit, & inter alias quoque Academiæ Helmſtadienſi dedicavit, in qua Vbiquitatem verbo Dei deſtitutam damnat. Abſoluta autem Vbiquitas* Kemnitio *contra Theſes* Amelingi *pag.* 135. *nihil eſt aliud, quàm præſentia carnis Chriſti in lignis, lapidibus, &c.*

9. *Roſtachienſes etiam ad Helmſtadienſes hæc ſcripſerunt:* Intelligimus de Vbiquitate, cujus patrocinium ſuſcipiendum non ſuadetis, in emendatæ Apologiæ cap. 9. ita diſſeri, ut generalis illa πανταχουσία Corporis à diſputatione de Cœna exemplo Lutheri (*tom.* 2. *Vuiteberg. Germ. pap.* 187.) præcidatur, nec tamen prorſus damnetur: ſed cùm non ſatis explicatè in Scriptura traditum ſit, quid ſit, ſuper omnes Cœlos aſcendere, ut omnia impleat, in æternæ vitæ Academiam illud reiici.

10. *Helmſtadienſes ex ipſa Formula Concordiæ clarum & manifeſtum teſtimonium citant, quo probant, generalem Vbiquitatem in ea reiici. Nam pag.* 294. *Dreſdenſis exemplaris ex Vuitebergenſi Concordia anno* 36. *inter* Lutherum *& ſuperioris Germaniæ Eccleſias inita, hæc verba allegantur:* Non ſentiunt fieri localem incluſionem in pane, aut durabilem, aliquam conjunctionem extra vſum Sacramenti. Nam extra uſum, cum aſſervatur in pixide, aut oſtenditur in Proceſſionibus, ut fit à Papiſtis, ſentiunt non adeſſe Corpus Chriſti. *Hic (inquiunt) clare exſtat negatio præſentiæ, & affirmatio abſentiæ Corporis Chriſti. Quapropter Formula Concordiæ cum illa Vuitebergenſi expreſſe negat, quod corpus Chriſti extra uſum legitimum cum pane alicubi præſens ſit. Negando ergo, ajunt, Vbiquitatem generalem corporis, nihil contra Formulam Concordiæ docemus.*

Helmſtadienſes perſeverare volunt in Subſcriptione Formulæ Concordiæ, & condemnatione Vbiquitatis.

Ex his omnibus ſic inferunt Helmſtadienſes Theologi: Sagen derowegen mit vberauß gutem Gewiſſem/ Fug und Grundt/ daß wir bey der Formula Concordiæ, die wir vnderſchrieben/ in ihrem Original geſunden Verſtandt nachmals vnverwandtes Hertzen beſtehen/ und durch Gottes Gnade dabey verharren wollen: mit deutlicher Erklärung/ daß wir Krafft deſſelben bleibens/ der Wirtenberger vngegründte Vbiquitet/ als gewiß und nohtwendig zuglauben/ nicht annemmen/ ſondern wol vermüge der Formulæ Concordiæ gar leugnen könden. Will ſie iemands auff ſein Abentheiwer affirmiren und defendiren/ daß müſſen wir geſchehen laſſen/ man laß vns nun das herrliche Concordi Buch/ daß vnſer mit iſt/ damit vnverworren/ mache keinen Artickul des Glaubens darauß/ tringe es keinen Kirchen/ und ſonderlich den hiervon ſtets geſonderten Sächſiſchen löblichen Kirchen nicht auff/ verſtoſſe derſelben eygene Confeſſiones nicht/ und laſſe diſſentientes vnverläumbdet/ als ſolten ſie die verwierſene Vbiquitet nicht affirmiren wollen/ von der Formula Concordiæ abfallen. Dann wann diß geſchicht/ ſo hat ia ein Gott vnd Ehrliebender zuermeſſen/ daß die/ ſo es angehet/ hochgetrungen werden/ ſolchen Leuten gebürlich zubegegnen. Zuſetzen aber/ daß die Zunötigung ſo ſpecial nicht were/ können wir auch ſonſt nicht gar hiervon ſtillſchweigen. Dann daß mann meynet/ man ſolle affirmantes Vbiquitatem gantz und gar gewehren/ und ſich im geringſten nicht mercken laſſen/ daß iemandt der Formula Concordiæ zugethaner mit der Vbiquitet nicht friedlich ſey/ diß iſt *ingenuis ſervitus intolerabilis*, und wirt ia nit ſolchem vor Gott und menſchen ein vnbilliches von vns erfordert. Dann die Vbiquitet iſt das gröſte geſchrey in den ietzigen ſtreyten/ hat kein außtrucklich wort Gottes/ machet vnſern nötigen ſtreitt wider die Sacramentirer/ als vom H. Abendmal/ und der offenbarten Mäyeſtät der Menſchlichen natur verdechtig/ als ſey eins ſo gewiß als das ander/ entzeuget vnſer Confeßion viel Gliedmaſſen/ weret daß viel nit zů vns tretten/ gibt den Sacramentirern ſtets ein frolocken/ weiſet ihnen aufenthalt/ daß ſie auff die gewiſſe gründe nicht antworten dörfen/ vermag nicht ein einiges pünctlein vnſers Glaubens und troſts/ den Gottes wort ſtets auff etwas gewiſſes ſetzet/ zůſtercken: Iſt ſonderlich im ſtreit vom H. Abendmal gar vnnötig/ gibt vrſach zů groben gedancken und reden/ betrübt die einfeltigen/ und iſt deß iamers kein ende. Dahat vnſer G. F. und Herr ſie nicht vnbillich ein leidige Vbiquitet genennet.

Vbiquitatis egregia deſcriptio ex fructibus.

Ex prædictis quoque inferunt Helmſtadienſes, quum Vbiquitas generalis in libro Concordiæ non contineatur & doceatur, ſe nullo modo probare poſſe, quod Vuitteb. in Refutatione Orthodoxi conſenſus p. 119. Vniverſalem præſentiam *Pag.* 21.

pecu-

Pag. 23. Pa. 26.

peculiarem Symboli Apoſtolici articulum nominent. *Item quòd Hoſiander ſcribat*, fatuum ſeu ſtolidum illum eſſe (habe das Hirn gar weſchen gegeben) qui Formulam Concordiæ legerit, non autem Vbiquitatem (*quam ille vocat doctrinam de Perſona & Majeſtate Chriſti*) in ea invenerit. *Item, quòd Schmidlinus doceat in Theſibus de Majeſtate Chriſti Anno 64. editis, theſi 53.* Præſentiam Corporis Chriſti in Cœna, a generali Vbiquitate reſpectivè ſui non ſeparandam eſſe. *Et quod Gerlachius ſcribat in Aſſertione pag. 477. agere volens de præſentia ſpeciali & Sacramentali:*

Ibid.

Quid aliud evidentius quam Chriſtum hominem in dextera majeſtatis æquali cum Deo gloriâ ubique regnantem ex vi communicatæ Deitatis prius adeſſe, quàm nobis ſuum Corpus in cibum diſpenſet, *Item, quod in Indice Refutat. Orthodoxi Conſenſus, ſuam ſententiam pag. 507. prolixe expoſitam, paucis comprehendentes, dicunt*, Omnipræſentia Humanæ Naturæ, eſt fundamentum Sacramentalis præſentiæ in S. Cœna. *Subſcripſerunt Heſhuſius, Hoffmannus, Sattlerus & Boetius 15. Auguſti anno 85.*

Pag. 17.

Helmſtadienſium aliud ſcriptum ad Principem ſuum de calumniis Tubingenſium.

Eodem anno die 20. Aug. ſcriptum exararunt aliud Helmſtadienſes, & ad Principem ſuum miſerunt. In eo Primò *gravem querelam in ſinum ejus effundunt, de calumniis, quibus in aulis Principum, & alibi paſſim onerentur à Vuirteberg. Theologis, ac ſi ſubſcriptionem & approbationem Formulæ Concordiæ revocarint, & calumniam hanc à ſe depellere conantur.* Secundò, *cauſas adducunt, ob quas ſubſcriptionem ſuam revocaſſe à Vuirtebergenſibus dicantur: nempe, quòd non cum ipſis doctrinam de Majeſtate hominis Chriſti, & Vbiquitatem confundant, & utranque pro una eademque habeant, ſed diſtinguant. Helmſtadienſes igitur negantes Vbiquitatem, à Vuirteberg. traduci, quod etiam Majeſtatem hominis Chriſti negent.* Tertio, *exponunt ſuam doctrinam & ſententiam de Majeſtate hominis Chriſti, & docent, eandem eſſe cum ea, quæ in Formula Concordiæ continetur. E contrà verò indicant, Vuirtebergenſes Vbiquitatem ſeu Omnipræſentiam carnis Chriſti in omnibus creaturis, pro Majeſtate hominis Chriſti contra Librum Concordiæ habere. Hinc animorum diſtractiones, calumnias, odia, & diſſidia adverſus ſeſe orta eſſe.* Quartò, *ut Princeps vanitatem Vbiquitatis intelligat, refutant argumenta Vuirtebergenſium pro defenſione Vbiquitatis, ſumpta ab Vnione perſonali, pag. 4. A Seſſione ad Dexteram Dei, pag. 5. Ex verbis Pauli Epheſ. 4. pag. 6. & aliis locis Scripturæ. Hinc inferunt, Cùm in verbo Dei & tota Scriptura veteris ac novi Teſtamenti ne verbum quidem unum oſtendi poſſit, quo probetur, Chriſtum etiam ſecundum Humanitatem ſuam ubique præſentem eſſe, non rectè eos facere, qui hanc novam, prodigioſam & veteri Eccleſiæ incognitam doctrinam Eccleſiis obtrudere conentur.*

Poſt hæc reſpondent ad argumentum Vuirtebergenſium ſumptum ab authoritate Lutheri, qui etiam ipſe Vbiquitatem docuerit. Et ſe defendunt verbis Lutheri, qui docuit, Solum verbum Dei unicam regulam doctrinarum eſſe & manere debere. Rogavit etiam pium Lectorem Lutherus, ut ſua ſcripta legat cum judicio & multâ miſeratione. His addũt, ipſummet Lutherum tom. 8. Ien. Vbiquitatem abjeciſſe, & conſilium dediſſe, ne de ea in Cœnæ negotio diſputetur pag. 7. & 8.

Reſpondent etiam ad hoc argumentum Vuirtenbergenſium: In Formula Concordiæ, quam ſubſcriptione ſua probarint Helmſtadienſes, Vbiquitatem doceri, non rectè igitur facere eos, qui Vbiquitatem condemnent. Hac occaſione probant etiam, in repetita contra Stercoma Vuirtebergenſium Confeſſione inferioris Saxoniæ Eccleſiarum, anno 71. edita, Vbiquitatem damnari & rejici. Abjeciſſe eandem quoque ante hæc tempora Kemnitium, Kirchnerum *& ipſum quoque* Schmidlinum. *Cùm enim* Kemnitius *à* Landgravio *domum reverſus eſſet, & Duci Brunſvicenſi acta legationis obitæ expoſuiſſet, inter alia dixit,* Landgravium *Libro Concordiæ ſubſcribere recuſare, quòd Vbiquitas in ea adſeratur. Tum Princeps interrogavit* Kemnitium, *An igitur Vbiquitas in Formula doceatur? Cui reſpondit ille, Nequaquam, Illuſtriſſime Princeps: non docetur in illa.* Kirchnerus *Anno 75. Helmſtadii de duabus naturis in Chriſto, & Communicatione Idiomatum diſputans, Theſi 125. inquit:* Quod ergo ad generalem illam Vbiquitatem Corporis Chriſti in omnibus creaturis attinet, conſilium D. Lutheri ſequimur, qui ſuadet abſtinendum eſſe, quantũ fieri poſſit à ſcrupuloſa ejus inquiſitione, ne interminabilibus quæſtionibus nos implicemus, *&c. Schmidlinus Anno 80. in theſibus Vuitebergæ diſputatis, theſi 29. inquit:* Publicè coram univerſa Eccleſia teſtatum volumus, nos in doctrina de Cœna Domini, poſthac nullum verbum cum Sacramentariis de præſentia Chriſti in omnibus locis, ſive de Vbiquitate facturos.

Pag. 15. Pag. 14.

Docent præterea Helmſtadienſes, non ſeſe, ſed Vuirtebergenſes à vera Formula Concordiæ defeciſſe. Illos enim Vbiquitatem carnis Chriſti fundamentum præſentiæ ejus in S. Cœna ſtatuere. In Colloquio Mulbrunnenſi Schmidlinus, *rejecta ſententia, qua verbis Inſtitutionis præſentiam Corporis Chriſti quidam Lutherani, quin ipſe quoque Lutherus probant,* Nolo, *inquit*, vos celare, quicunque inter nos, qui Auguſtanam Confeſſionem profitentur, dicunt ſe credere veram Corporis & Sanguinis Chriſti præſentiam in Cœna, & tamen Vbiquitatem negant, eique contradicunt, hos certè oportet aut

Vuirtenberg à vera Formula Concordiæ defeciſſe.

Pag. 16.

aut Magicos Papiſtas eſſe, qui putant, quòd per recitationem verborum Cœnæ Corpus Chriſti antea abſens, ſtatim præſens è Cœlo faciant & adducant: aut in intimo corde cum Zuinglianis ſentire, Corpus Chriſti non eſſe realiter in pane. *Et in Refutatione Orthodoxi Conſenſus dicunt:* Omnipræſentia humanæ naturæ, eſt fundamentum præſentiæ Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœna. *In ſcripto etiam ſub nomine quidem* Ludovici *Vuirtenbergenſis Principis, revera autem à Theologis Vuirtenberg. dictato & ad Ducem Brunſuicenſem miſſo, id ipſum quoque aſſeritur, Verba hæc ſunt:* Dann da den Caluiniſten ſo viel von E. L. Theologen eingeraumpt/ daß Chriſtus mit ſeiner H. Menſchheit zuvorn/ und auch auſſer der handlung deß H. Abendmals ſeiner H. Chriſtenheit allenthalben/ und alle zeyt biß ans ende der Welt gegen wirtig/ und dahero in haltung deß H. Abendmals/ wie zwiſchen vns bekandtlich/ nicht vom Himmel auff und abe/ hin und widerfehret: So mögen E. L. zůſehen/ ob der ſelben Theologi auch einige warhafte gegenwertigkeit deß leybs Chriſti im H. Abendmal wider die Calviniſten erhalten und behalten/ und von dieſem anfang nach und nach/ nicht auch in gleiche meinung mit den leſteren der Maieſtet Chriſti eingeführt werden.

Contrarium verò in Præfatione Electorum & Principum ad librum Concordiæ, docetur. Verba eius ſic habent: Ob wol etliche Theologi/ wie auch Lutherus ſelbſt vom H. Abendmal/ ie die Diſputation von der Perſönlichen vereinigung beyder naturen in Chriſto/ doch wider ihren willen/ von den widerſechern gezogen: So erklären ſich vnſere Theologen Innhalts deß Concordienbuchs/ und der darinn begriffenen *norma* weiter/ daß vnſer/ und deß buchs beſtendiger meinung nach/ die Chriſten von deß Herren Abendmal/ auff keinen andern/ ſonder auff dieſen einigen grund und fundament/ namlich auff die wort der Stifftung des Teſtaments Chriſti gewieſen werden ſollen/ ꝛc. *Vuirtenbergenſes ergo docent, Vbiquitatem fundamentum eſſe præſentiæ Chriſti in Cœna: Formula autē Concordiæ, Verba Inſtitutionis. Concludunt igitur Helmſtadienſes, non ſe, reiectione Vbiquitatis, ſed Vuirtenbergenſes adſertione ejus à Formula Concordiæ defeciſſe. Subſcripſerunt iidem qui ſupra.*

Ducis Brunſvicenſis admonitio ad Schmidlinū

Mittuntur hæc ſcripta ad Principem Vuirtebergenſem à Duce Brunſvicenſe, qui etiam privatas ad Iacob. Schmidlinum *dat literas, in quibus ſignificat ei, vehementer ſibi dolere, quòd* Schmidlinus *inveteratum ſuum odium erga* Heſhuſium *non deponat, & calumniarum, contentionum, rixarum & ambitionis inter Theologos nec modus, nec finis vllus ſit. Rectè etiam Helmſtadienſes in Erdfurtenſi Apologia quadam de Vbiquitate monuiſſe, hortaturque* Schmidlinum *& alios Vuirtebergenſes ut ea corrigant, &c.*

Reſpondēt Vuirtebergenſes ad Helmſtad ſcripta, & probant, in F. C. Vbiquitatem doceri. Nota Concordiam.

Ad utrunque verò ſcriptum Helmſtadienſium reſponderunt Vuirteberg. nempe, Schmidlinus, Magirus, Hoſiander, Holder *&* Varenbuler, 27. *Maii anno* 86. *Ac* Primò *docere conantur, In Libro Concordiæ Doctrinam de Vbiquitate generali Chriſti ſecundum Humanam Naturam in omnibus creaturis, contineri.* Secundò, *negant in Confeſſione Saxonicarum Eccleſiarum contra* Stercoma *Vuitebergenſium edita, & Corpore Doctrinæ Brunſvicenſi, ſic Vbiquitatem reiici & damnari, quod ſit falſa & verbo Dei contraria.* Tertiò, *negant, Lutherum unquam abieciſſe Vbiquitatem.* Quarto, *probare volunt, Vbiquitatem in verbo Dei fundatam eſſe, &c.*

Schmidlinus ſe apud Ducem Brunſvicenſem excuſat.

Reſponſum hoc mittitur ad Ducem Brunſvicenſem, & ſimul etiam Schmidinus *anno* 16. *Maii* 18. *die ſe apud eundem excuſat, vehementerque ſibi dolere ait, Principem perſuaſum, admonitiones ſuas, non ex pio zelo, ſed inveterato odio* Heſhuſij *perſonæ, libidine calumniandi & mera ambitione profectas eſſe. Accuſat etiam* Heſhuſium *& Collegas ejus, quod loca Scripturæ, quæ Zuingliani & Calviniani hactenus pro ſe allegarint, etiam ipſi jam proferant, & Calviniſticè interpretentur, fundamenta* Lutheri *evertant, & toti mundo perſuadere conentur,* Lutherum *Articulos Fidei non rectè intellexiſſe, & falſam eorum interpretationem pertinaciter defendiſſe, modo ipſe ſimplicem ſenſum verborum Teſt. Chriſti contra adverſarios obtinere poſſit. Affirmat quoq; in* Agenda *Brunſvicenſi, & Repetita Confeſſione Eccleſiarum inferioris Saxoniæ Vbiquitatem generalem doceri, ſicut etiam in Torgenſi libro, & Bergenſi Formula. Offert ſe denique ad Colloquium: multaque gloriatur Thraſonicè de victoria in Mompelgardenſi, aliiſque Colloquiis maxima cum laude parta, modo* Heſſ. *à ſua ſententia diſcedat, ſe enim à ſua ne latum quidem vnguem diſcedere velle. De hoc etiam in literis ad* Duciſſam *Brunſvicenſ. inter alia eodem tempore ſic ſcripſit:* Wann aber Heſhuſ. nach mals geſinnet/ wie er auff dem Quedlinburgiſchen Colloquio ſich gegen den Churf. Sächſiſchen Theologen erzeiget/ und er/ ſampt den Helmſtadiſchen Theologen/ nicht gedencken von ihrem vnbefügten fürnemmen zůweichen/ ſo iſt weder E. F. G. Herzen und Gemahl/ noch dem Hertzogen zů Würtenberg zů rathen ein einigen Heller/ auf ſolch Colloquium zůverwenden: Dann weder von dem lautern Bůchſtaben deß Bůchs der Concordien/ darinn die gegenwart Chriſti/ nach ſeiner H. Menſchheit mit außgetruckten worten geſetz/ noch von D. Luthers erklärung/ ich alle die tag meines läbens

wie

wie auch meine [illegible]brüder / die Wittenbergiſche Theologen nit weichen / ſonder durch Gottes genad bey der [illegible] ich gedenck beſtendiglich an mei[illegible] zu bleiben. *In eodem ſcripto ad Duciſſ[illegible] voc[illegible] Heſhuſium einen Wetter[illegible] / hoc eſt, leviſſimum & inconſtantem [illegible], der [illegible] zeit auch bey Luthern geha[illegible] jetzt aber fürgeben dorff / was deraleichen in ſeinen Schrifften geſchrieben / ſeye zweiffelhafftig geſtellt / das man hinüber und herüber ziehen könn und außtrucklich auff den [illegible]ſchen und Calviniſchen verſtand gerichtet ſey.

In eandem ſententiam Schmidlinus ſcribit ad Cancellarium Brunſvicenſem.

Ad Ca[illegible] quoque Brunſvicenſ. D. Franciſcum Mutzeltin *de hac ipſa cauſa ſcribit* Schmidlinus *in hanc ſententiam.* Quæ nuper nomine Illuſtriſſ. Principis ac Domini, Domini Iulij, Ducis Brunſvicenſis & Luneburgenſis ad me ſunt ſcripta, ea omnia tibi non ignota, ſed probe cognita & accuratè meditata eſſe nihil dubito. Quæ cauſa eſt, ut has breves literas etiam ad T. D. hominem amiciſſimum & integerrimum ſcribere viſum fuerit, Video enim optimum Principem perſuaſum, admonitiones meas nuper tactas, non ex pio zelo, ſed inveterato odio Perſonæ *D. Heſshuſij* & libidine contradicendi & mera ambitione profectas eſſe. Quod quidem Eccleſiarum Brunſvicenſium cauſâ mihi vehementer doluit. Idem enim mihi vobiſcum accidit, quod D. Paulo cum Galatis: *Sicut Angelum Dei*, inquit, *excepiſtis me, & teſtimonium vobis perhibeo, ſi fieri potuiſſet oculos veſtros eruiſſetis & dediſſetis mihi.* Ideò etiam cum ipſo addere poſſum. *Ergone inimicus factus ſum, verum dicens vobis.* Monui de ſummo periculo, quod imminet Eccleſiis veſtris, & cum diminutione nominis & authoritatis veſtræ etiam latius ſerpere poteſt. Quod ut averterem, agnovi me vobis omnibus debere, cum ratione vocationis, tum etiam acceptorum beneficiorum. Duo enim vobis perſuadere conatur *D. Heſshuſius.* I. Doctrinam de generali præſentia Chriſti ſecundum humanitatem in libro Concordiæ *verbis Diſpoſitivis* contineri. *Id vero quisquis ſibi perſuaderi patitur, aut librum non legit, aut oſcitanter legit. Contrarium enim expreſſis verbis ad oculum demonſtrari poteſt.* II. Deinde eandem in ſcriptura non fundatam & Lutherum erraſſe, qui hoc falſo fundamento jacto, ſimplicem ſententiam verborum Teſtamenti Chriſti confirmare conatus ſit. Ad quod tertium accedit: Idem videlicet ſentire Eccleſias Saxonicas, & ordinationem Eccleſiaſticam Brunſvicenſem à me quoque approbatam, quæ hoc Lutheri dogma tanquam falſum & in ſacra Scriptura non fundatum damnent, ideoque ex Eccleſia Dei exter[illegible]nandum. Quæ omnia, quòd ſic ſe non habeant, ex ſcripto intelliget T. D. quod nomine Theo[illegible]rum Vuit[illegible]nbergenſium Duci *Ludovico* o[illegible]tum, ad Illuſtriſſ. Principem Ducem *Iulium* mit[illegible]ur. Id ut pro veſtra pietate ſapientia & ſingulari judicio diligenter expendatis pro meo erga Eccleſias veſtras amore diligenter moneo. Nec quicquam ſuſcipiatis cujus deinceps vos pœnitere, non autem mutari amplius poſſit. Agitur non ſolum de Majeſtate Chriſti, ſed etiam de honore veſtræ Scholæ & Eccleſiarum. Et facilius prôvocatur hoſtis, quàm repellitur. Nos amici ſumus, & fuimus hactenus eo loco habiti & cogniti, donec hoc turbulentum ingenium ad vos acceſſit, vbique turbas & diſtractiones animorum poſt ſe relinquens quocunque pervenit. Chriſtum Ieſum in teſtimonium voco ſuper animam meam, me nihil odio Perſonæ *Heſshuſii*, ſed omnia amore Eccleſiarum veſtrarum ſcribere & monere. Novit *Heſshuſi[illegible] D. Vuigandum* nobiſcum ſentire, dolens igitur Epiſcopatu ſe excidiſſe, vel hâc ratione ſe vlciſci conatur. Quum igitur offendiculum nondum ſanatum ſit quod in Boruſſia dedit, hîc novum molitur. Id quantum exitium Eccleſiis noſtris allaturum ſit, nollem vos experiri. Nullo enim veritatis teſtimonio nituntur, quæ nobis purſuadere conatur. Et inſanire illum Beza hoſtis noſter intelligit, cùm omnipotentiæ communicationem concedat, & omnipræſentiam neget, quæ vllo modo à participatione omnipotentiæ ſeparari poteſt, cum vna & eadem numero ſit Maieſtas, in ſeipſa indiviſibilis.

Teſtimonium Schmidlini de Heſshuſio.

Hæc ad te hominem amiciſſimum ſcribo, vt de hoc negotio accurate & diligenter cogitetis. Neque enim exiſtimare debes, me Doctorem *Heſshuſium* aut ejus congreſſum metuere, quin vnicè expeterem veſtrarum Eccleſiarum causâ, ſi tam veritatis & pacis ſtudioſus, quàm amans litium & contentionum eſſet. Sed cum Quedelburgenſis actio nihil apud ipſum profecerit, non video quis vſus novæ collationis eſſe poſſit, quæ, niſi *Heſshuſius* mutatus ſit aut mutatur, non niſi majores diſtractiones efficiet. Neque enim in animum ſuum inducat cum quidquam apud nos effecturum, ut nos mutemus ſententiam noſtram, quæ vera & irrefutabilis eſt, ſicut ex ſcripto noſtro intelligitis. Sin verò ſe corrigi pati[illegible]tur cum ſuis complicibus, aliquid tentari poſſit. Non autem dubio eventu, ſed certiſſimâ ſpe veritatis demonſtratæ, ut maximè *Heſshuſius* non eme[illegible]daretur, vos tamen eum turpiter errare intelligeritis. Et deinceps quoque facilè deliberari poſſet, quæ via ineunda, ne Eccleſiæ

veſtræ hoc malo involvantur. Majus enim periculum eſt, quàm vos nunc divinare aut proſpicere poſſitis. Ego ad vtrumque Principem Ducem filium & Conjugem ejus ſcripſi, & animam meam liberavi. Amorem veſtrum omnium & Eccleſiarum perpetuum retineo, & negotium ipſum Deo Opt. Max. commendo. De offendiculo quod opinione omnium majus exorietur authores reſpondeant Deo & Eccleſiæ. Nos veritatem perpetuo contra Sacramentarios defenſam neque poſſumus neque volumus deſerere. Neque maximum, ſed ferè minimum errorem Sacramentariorum eſſe ſcias de Sacramento altaris, quod T. D. plenè cognoviſſet, ſi Colloquio Mompelgardenſi interfuiſſet. Benè *&* feliciter valeat T. D. Et admonitiones meas ex pio corde & Eccleſiarum veſtrarum amantiſſimo profectas ſcias. *Raptim Tubingæ* 17. *Maii anno* 86.

Hæc omnia cùm ſic ſe habeant, ego Heßhuſii argumentum ſic inverto.

Si Vbiquitas abſoluta & generalis in Formula Concordiæ docetur, authores eius non ingenuè, ſincerè & candidè, ſed fraudulenter, ſubdolè & callidè cum Electoribus, Principibus aliiſque Ordinibus egerunt, negantes ab initio eam in Formula contineri.

Sed Vbiquitas generalis in Formula Concordiæ docetur & confirmatur, Schmidlini & omnium Vuittebergenſium teſtimonio.

Ergo authores Formulę non ingenuè, ſincerè & candidè cum Electoribus & Principibus, ſed fraudulenter & callidè egerunt.

CAPVT XLVII.

De Liberatione D. Caſpari Peuceri ex decennali carcere.

ANno 1585. *Calend. Octob. mortua eſt* Auguſti *Electoris Saxoniæ conjunx* Anna, *ex Danorum Regum ſtirpe, quæ D.* Peucerum *ante hac à fide & ſtudio erga Electorem ſemper mirificè commendarat: tandem verò nullo ſuo merito, incitata à Secretario Ienſio, & aliis, qui faces fuerunt omnium priorum turbarum & vaſtationum, ad necem vſque eum proſecuta eſt. Et cum Illuſtriſſimus* Landgravius Vuilhelmus *apud Electorem ab acidulis Schvualbacenſibus reverſum ad ipſum, pro* Peuceri *liberatione inſtaret iterum, obtineretque ex promiſſo ſtipulatæ manûs dimiſſionem, ea tamen lege & conditione, ut conjugem prius ſuam de eadem ſerio & graviter compellaret, odii acerbitatem recuſatione tali declaravit,* Me viva Peucerus non liberabitur. *Quod pii & ſapientes plerique cum Landgravio ipſo in eam partem tunc interpretati fuerunt,* Brevi morituram illam, ut libertati priſtinę Peucerus reſtitueretur. *Comprobavit hoc præſagium eventus. Mortua eſt enim eo die & anno, quo diximus, eoque ipſo momento, quo Peucero ſecundum quietem per ſomnium [illegible] illuſtre ſpectanti, & campanam pulſanti, fune rupto, occurrebat Pſalmi verſus:* Anima noſtra ſicut avis erepta eſt de laqueo aucupis. Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.

Margin note: Augusti Electoris Saxon. conjunx moritur.

Cum autem ad acidulas Schvualbacenſes proficiſcens Lipſiæ pernoctaret Elector cum conjuge, venit ad Peucerum *mane Præfectus præſidii Lipſici, & quæſivit ex eo, an putet ex uſu & commodo Electoris & conjugis illas eſſe?* Peucerus, *qui minime dubitabat, id fieri mandato Illuſtriſſ. nihil diſſimulans, e veſtigio reſpondebat,* Eos qui iter ad thermas, & vſum illarum eis ſuadeant, ad mortem eos deducere. *Præſagium hoc eventu complevit Deus in Electore & conjuge. Nam ad acidulas ipſe Elector pene inter manus Illuſtriſſimi Principis Palatini Ioh. Caſimiri animam exhalaſſet, niſi refectionibus perpetuis, aliquot horarum ſpacio, vix eſſet revocatus & ſervatus. Coniunx verò ad obitum vſque amiſſas vires nunquam recuperavit.*

Poſt ſublatum è medio hoc obſtaculum, tranquillitas oboriebatur aliqua, vſque ad novas nuptias, quas Elector cum Agneta Heldvuige *contraxit, filia Illuſtriſſimi Principis Anhaltini,* Ioachimi Erneſti, *&c. à quo, propter recuſatam libri Concordiæ approbationem alieniore ante hac animo fuerat. His confectis, ac ſponſæ deductione ad arcem Dreſdenſem completis Anhaldinus, pro affectione erga* Peucerum *ſingulari, ut qui maioribus ipſius, & toti familiæ, medica opera multos annos ſervierat, & aliorum Principum impulſu, inprimis, captata occaſione tandem liberationem eius impetravit.*

Margin note: Novæ nuptiæ Electoris Sax. liberationem Peuceri impetrant interceſſione Anhaldini Principis.

De hac liberatione quomodo poſſet fieri, & quibus conditionibus, ſic ut in Peucerum *culpa carceris ab Electore derivaretur, & ut obſtringeretur ipſi tamen hac dimiſſione, tanquam ſingulari beneficio, & ut præcideretur ei omnis vltio & vindicta, citra tamen mentionem religionis, quam ſuperatos poſt annos carceris minime abjecturus eſſet, multum diſputatum eſt ab iis, qui delecti ac deſtinati ad iſtam deliberationem ab utraque parte fuerunt, ut ex ipſorum relatu poſtea cognitum eſt. Sed vicit tandem ſententia* Ieniſii *Secretarii, ut formula obligationis hoc modo, & his verbis comprehenderetur, quæ ſequuntur.*

Margin note: Quibus conditionibus dimittendus Peucerus deliberatur.

Ich Caſpar Peucerus der Elter, Bekenne/ Nach dem der Hochgeborne Fürſt und Herr/ Herr Joachim Ernſt/ Fürſt zu Anhalt/ mein Gnediger Herr/ auf ſeiner Fürſtlichen [Gna]den fleißige vorbitte/ bey dem Durchleuchtigſten

Margin note: Forma obligationis Peuceri.

ſten und Hochgebornen Fürſten und Hern/ Hern Auguſto, Hertzogen und Churfürſten zu Sachſen/ und Burggraven zu Magdeburg/ rc. meinen gnedigſten Churf. und Herren ſo viel erhalten/ daß irer Churf. G. endtlich gnedigſt verwilligt/ mich auff etliche gewiſſe *conditiones* auß ihrer Churfurſtlichen G. verwahrung folgen zulaſſen/ daß ich ſolche ubergebung/ und loßlaſſung/ für eine ſondere gnade erkenne/ und anneme/ will auch die verurſachte und biß anhero erdüldete gefengliche verwarung in keinerlei weiſe oder wege ihn/ noch außerhalb Rechtens wieder den Churfürſten zu Sachſen/ ihrer Churfürſtliche Gnaden Lande/ Leute/ Räthe/ und Diener/ niemandes nicht außgeſchloſſen: und wen ich auch ſolcher meiner verhafftung in argkwohn/ oder verdacht ziehen möchte/ weder mündtlich/ nach ſchriftlich/ heimlich oder offentlich in ungüten zugedecken/ oder zu eifern/ nach ſolches iemandes von meinet wegen zugeſtatten: Sondern wil mich die zeit meines lebens der verpflichtung/ ſo meine bürgen und mein Gnedigſter Fürſt/ und Herr/ Herr Joachim Ernſt zu Anhalt gethan/ in allen artickeln/ unverbrüchlichen/ und veſtiglichen verhalten/ als mir Gott helffe/ und ſein heiliges Göttliches wort.

Iudicium Peuceri de ea obligatione.

Hanc Peucero *formulam hora octava matutina Capitaneus Satellitii Lipſici exhibuit, cum mandato, ut deliberet ſecum utrum quid in ea deſideret. Leoni ſtatim, & quid Sophiſticæ ſubſit, non tantum ex non ignota ſibi Aulæ conſuetudine, ſed ex intentione ſingulari architecti* Ienisii *animadvertit, id ſpectantis, ne ipſorum artes patefierent. Reſpondit igitur, eodem die ad horam duodecimam eductus ex carcere ad legatos, in peculiari conclavi congregatos, ineſſe obligationi, quæ diſputare, & propter quæ illam rectè, juſtéque recuſare poſſet, quæ etiam pii ac ſapientes omnes, tanquam retia Sophiſtica & ſycophantica, ſervata ipſis ad ſe, quocunque fuco & prætextu etiam poſt carceres perſequendum texuiſſent, agnituri & execraturi eſſent. Ex horum autem numero ineſſe primum, ut dimiſſionem hanc, & in manus Principis Anhaltini traditionem, ſingularis gratiæ & beneficii loco habeat. Deinde, ne hanc cuſtodiam, origine, & cauſa à ſe profectam, & à ſe tamen hucuſque toleratam, ullo modo, aut ratione, nec per jus, neque extra jus vindicare velit, neque in ipſo Electore, neque in ſubjectis regionibus, aut quoquam ex ſubditis, conſiliariis & miniſtris, nemine excepto: ac ne iis quidem, quos in ſuſpicionem aliquam trahere poſſet, neque ore, neque ſcriptis apertè vel occultè, mentione iniqua, aut ultionis cupiditate: nec permittere, ut pro ſe id faciant alii. Sed quòd toto vitæ tempore obligationem fidejuſſorum ſuorum, & Illuſtriſſimi Principis,* Ioachimi Erneſti *inviolabiliter & conſtanter ſervare velit, Deo ipſum adjuvante, & ſancto verbo ſuo.*

Sub hæc ergo quantum de loco eat, & ſuſpirium, ſi ſe quanquam carceribus tam diuturnis & toties exaſperatis atque aggravatis, tot que comminationibus terroribusque, uſque ad ſæviitam in corpus debilitatum, quam non tentarint tamen, ſi non putent, ſe intelligere & conſiderare, quod multum errent. Beneficii loco ſe ducere & ponere debere, quod dimittatur, id ſe accipere in eam partem, quâ à bonis, innocentibus, & benemeritis aulicæ dimiſſiones tales acceptæ ſint omni tempore, nimirum, ut colaphos accipiat, & inſuper agat gratias. Deinde, quod cuſtodiam, cui præbuerit cauſam, & quam toleraverit ulciſci, nec jure, neque injuriâ velit: quantum ad cauſam fateri ſe culpam, quam communem ſibi cum Chriſto Salvatore, Apoſtolis & Martyribus omnibus ſuſtineat, quia noluerit facere, quæ à ſe flagitata fuerunt, ut confeſſionem, ac defenſionem veritatis abjicere, & abnegare, ac Libri Concordiæ mendaces, impias, blaſphemas & idololatricas præſtigias probare queat. Aliam nullam ſe agnoſcere, neque expreſſam eſſe ullam, ac ne hanc ipſam quidem. Nec ſe aſſertionem veritatis Spiritûs Sancti auxilio unquam donec vixerit, deſerturum eſſe. De vindicta vero, cur intexuerint, ne quid vel jure, vel injuria ultionis cauſa tentet in quenquam (qua in parte architecti conſiliorum ex utroque ordine ſacro & politico cavere ſibi voluerunt, lucem veritatis & Peuceri *innocentiam veriti) id mirari ſe ſatis non poſſe. Si cauſæ & actioni ſuæ confidant, tanquam rectæ & juſtæ, cur jus ſibi adimant? quod ipſum (videlicet jus ſuum cuiquam adimere) civilibus legibus improbetur, tanquam injuſtum. Sed de hac parte eos ſcire debere, quod dudum omnem vindictam Deo commendarit, ſecundum mandatum:* Mihi vindictam & ego retribuam. *Nec ſe non tantum de ultione ulla cogitaſſe unquam, ſed precari ſe Deum ut condonet omnibus, quæ in ipſum perpetrarint. Se ipſis & poſteris ipſorum, benefacturum quibus modis poterit.*

Sed propter ſubtus latentem fraudem, ſi poſt liberationem ſuam ad ultionem trahere velint, ſi fidei ſuæ cum veritatis aſſertione rationem reddat Eccleſiæ præſenti, & ad poſteritatem, ſive provocatus à Theologaſtris Ubiquitariis, ſive non; Et ſi hiſtoriam carceris ſui recitet quærentibus: hæc ergo ſi generali iſta ſophiſtica comprehendi & prohiberi velint, ſe contra hanc ſophiſticam proteſtari. Non velle, nec poſſe, nec debere ſe Contra Dei expreſſa mandata de neceſſitate confeſſionis, & de non dicendo falſo teſtimonio propter conſcientiam ſuam & ſcandalum inde exoriturum in Eccleſia diſſimulare tacendo cauſas, propter quas pertulerit, quæ pertuliſſe ipſi confiteantur.

Peucerus traditur in manus Anhaldini.

Reſponderunt qui promiſſum à Peucero exigebant nihil horum in formula obligationis contineri, ideo ad hæc eum non obligari. Sic igitur ad vocem prælegentis formulam cum eadem verba clara voce, digitis erectis repetiviſſet, è veſtigio dimiſſus, & in manus legatorum Illuſtriſſimi Anhaldini Principis traditus fuit: quos metuentes concurſum, qui futurus eſſet, ſi educeretur cum frequenter aliquo comitatu, ut periculo & metu periculi, certiſſima fiducia præſidii divini liberaret præcedere voluit.

Exit Peucerus ex arce Lipſica.

Exiit ergo Peucerus ex arce Lipſica ſolus, uno filio ſuo Philippo *comite, intra tertiam & quartam pomeridianam die octava Febr. Iuliani anni* 1586. *Sed paucis ab arce paſſibus digreſſum mox cingebant effuſa ex ædibus privatorum, & circumfuſa ei agmina ſpectatorum, qui ipſum ad hoſpitii domum uſque proſequebantur, ſed nulla prorſus contumelia, nulla injuria affectum: inter quos fuerunt examinatores ejus præclari*, Selneccerus & Schilterus, *ſed ab ipſo non viſi. Pernoctavit in hoſpitio cum legatis ad eum miſſis,* M. Ioan. à Berga *conſiliario, &* Ioanne Bertholdo *Secretario, uſque ad horam diei ſequentis decimam, qua diſceſſit, durante adhuc concurſu ſpectatorum, qui mox cum prima luce repetebatur, & gratulantibus ipſi liberationem uno atque altero ex bonis viris in conſpectu reliquorum, & non reformidantibus odia & pericula, in quæ eſſent incurſuri.*

Peucerus venit Deſſaviam. Auguſtus Elector Sax. moritur.

Hoc altero die à liberatione venit Peucerus Deſſaviam, ubi die ſequenti quievit.

Quarto die à liberatione, qui fuit undecima Febr. deceſſit ipſe Auguſtus Elector Saxoniæ: *quo ipſo die Illuſtriſſ. Principi Anhaldino primum* Peucerum *audienti poſt reditum, prædixit inter alia, non gaviſurum ipſum eſſe de hac affinitate, nec quicquam commodi inde percepturum. Præſagium hoc ad diem Solis ſecuta literis ſignificatio mortis Electoris complevit: exactis à die nuptiarum ſeptimanis quinque & diebus quatuor, currente ætatis ejus anno ſexageſimo.*

Morte Electoris Sax. liberatur Peucerus ejus obligationis vinculo.

Mortuo Electore boni aliquot & prudentes viri, rerumque periti, ac deliberationem conſcii monebant Peucerum, formulâ obligationis & areſti vinculo nemini hominum ipſum obſtrictum fuiſſe præterquam duobus Principibus Electori Saxoniæ & Principi Anhaldino: neque ulli ex ipſorum poſteris, idq; ſic etiam benè ac ſapienter deliberatum ac concluſum in hanc ſententiam fuiſſe. Vinculum obligationis ex parte Electoris ruptum expiraſſe, & Anhaldino ſoli cum adhuc devinciri.

Chriſtianus Elector Sax. liberat Peucerum ab omni vinculo obligationis.

De hoc, cum Illuſtriſſimus Princeps Ioachimus Erneſtus, *ac poſt hujus mortem iterum filius ſucceſſor* Ioannes Georgius *Anhaldinus ſcripſiſſet, ad ſucceſſorem Illuſtriſſimum* Electorem Chriſtianum Saxoniæ Ducem, *Auguſti Filium, cujus literis & ſuas adjunxit* Peucerus, *& Elector ſe diſertè declaraſſe per Illuſtriſſimum fratrem Anhaldinum Chriſtianum*, ſe à Peucero nunquam ullâ re offenſum eſſe, nec ſe ad hoc uſque tempus explorare, certoque à quoquam doceri potuiſſe, quâ re Illuſtriſſimum patrem Auguſtum læſerit; nec reperire ſe, quòd ullo verbulo in formula dimiſſionis ipſi devinciatur, ſe & liberare eum hoc nexu penitus, & abolere memoriam eorum, quæcunque ab Illuſtriſſimo parente facta ſint.

Eadem repetivit idem Elector ad Chriſtianum *Anhaldinum domum proficiſcentem cum mandatis, ut* Peucero *ea referret, tanquam teſtis vivus & fide digniſſimus. Quod factum eſt Anno* 1587. *menſe Aprili, Hanaviæ ad Albim, cùm iter facienti* Peucero *in patriam Princeps obviam factus, prolixe gratularetur de clementi erga ipſum affectione* Illuſtriſſimi Electoris Chriſtiani.

Sed & idem repetivit iterum Elector ad Illuſtriſſimos fratres ambos Anhaldinos, Ioannem Georgium & Chriſtianum *in arce venatoria Vueidenhan, prope Torgam, cum reverſi ex Sileſia, & invitati ad ipſum, & vocati, ex itinere eo deflexiſſent. In quorum comitatu cum* Peucerus *quoque tum fuiſſet, doluit illi, quòd ipſum compellare non potuerit cum Illuſtriſſima conjuge Principis* Ioannis Georgii *domum ſummo mane valetudinis cauſâ properante.*

Tandem cum Deſſaviam anno 1591. *die* 18. *Martii veniſſet, Elector ad Peucerum ipſum coram omnia iſta expreſſè repetivit, manu ſtipulata cum teſtificatione perpetuæ erga ipſum & ſingularis conſtantiſque benevolentiæ, & voluntatis ſuæ clementiſſimæ, addita etiam obteſtatione,* ne ſibi imputet, quæ in ipſum admiſiſſet uterque parens: quorum cauſam nec explorare a quoquam potuerit, ac ne nunc quidem norit. *Factum hoc eſt adſtantibus, & audientibus Illuſtriſſimis fratribus Anhaldinis,* Ioan. Georgio & Chriſtiano, *qui & piorum omnium & horum conſcii ſunt, ac meminerunt, quàm evidens teſtimonium innocentiæ* Peucero *præbuerit* Elector Chriſtianus, *& quoties teſtatus ſit, quod non ſit ei obligatus ulla ex parte areſti, quo in formula dimiſſionis ſolis duobus, patri ipſius & Anhaldino obſtringatur.*

Princeps Anhaldinus quoque Peucerum nexu obligationis ſolvit.

Princeps verò Anhaldinus Ioachimus Erneſtus, *mox poſt Electoris* Auguſti *obitum, à debito obligationis, quantum ad ipſum etiam, penitus* Peucerum *abſolverat, ſed cum petitione, & non cum poſtulato, ne ab ipſo diſcedat, cum & ſibi ante caſum illum, & majoribus, ſuis ac fratribus tot annis opera Medica ſervierit, & multis aliis melius, ipſorum ac ditionis totius ſtatum norit. Non defuturum* Peucero *ſuo loco, & condi-*

conditione, honeſtiſſimum ſtipendium. Non difficulter aſſenſit, & clementiſſimæ erga ſe Electionis omnium ex hac ſtirpe Principum piorum, & pro beneficio liberationis debitæ gratitudinis memoria. Sic manſit apud Patrem, & hoc, anno eodem 1586. die 6. Decembris Iulii ini... defuncto, apud Illuſtriſſimos Principes Anhaltinos filios ſeptem.

Peucerus itaque in areſto Torgæ, Rochlitii & Zizæ per biennium. in carcere autem ſqualido & tetro Lipſiæ per annos decem integros detentus fuit.

Electori Sax. ante mortem oculi aperiuntur.

Illuſtriſſ. autem Principi Electori Auguſto ante mortem oculos mentis aperuit & illuminavit Deus, ut quantum deceptus ac ſeductus erraris, agnoſceret ac confiteretur, & palàm declararet ad poſteritatem, judicium ſuum & de opere & de impoſtore architecto Schmidelino ante finem, opere ipſo ad ignem condemnato: Architecto vero, ut mendaci & diabolico (hæc enim ei tribuit epitheta) cum infamia per miniſtrum, ut cuſtodem, ſeu verius lictorem ad ſuos, intra metas perpetui quaſi carceris in toto itinere domum remiſſo: & de Peuceri, perſeverantiæ pronunciaret, quadrante anni ante mortem: ipſum præſtare, quòd ſit homine pio & integro dignum, ſe de die in diem à ſuis ſacrificulis novis opinionibus ad eum modum irretiri, ut neſciat quid credat aut quomodo extricare ſeſe inde debeat & poſſit, aut in quibus ſibi ſit acquieſcendum.

Elector ipſe Peucero ſemper ſatis excuſatus fuit, quia ſcivit ex ipſo nata non fuiſſe, ſed ex aulis quibuſdam occupatis à Schmidelino, quæ incitatum eum urgere & impellere non deſtiterunt, donec expugnatum, & ad ſe pertractum, factionis Vbiquiſticæ caput, ducemque conſtituerunt: idque ne quidem Elector ipſe initio ad Peucerum diſſimulavit. De vocibus etiam, ſcriptis & accuſationibus contra Peucerum editis nunquam Electorem ipſum ſuſpectum habuit: ſed miniſter ſcriptorum fuit Secretarius Ienißius, cuius fuerunt ἀυτόγραφα, quæ originalis vocantur, etiam illa, quorum ἀντίγραφα, Electoris chirographo, fidei, & authoritatis majoris cauſa emiſſa fuerunt. Ab hoc ipſo, & paucis aliis extiterunt conſilia illa, de opprimendo Peucero & Theologis Vuittebergenſibus, ſchemate politico ſeditionum & diſſidiorum, cujus cum nullos reperiſſent prætextus, neque in literis amicorum ereptis ipſis, neque uſpiam alibi, decurrerunt tandem ad Religionem ipſam, hoc eſt, ad Doctrinam orthodoxam de Perſona Christi, Cœna Domini, & his adhærentibus.

Elector Saxoniæ Peucero ſatis excuſatus.

De Electore ipſo affirmavit Peucero conſtanter unus ex conſiliariis præcipuis, D. Andreas Pauli, certò ſibi conſtare, quòd, ſi vita ſuppeditaſſet, ipſum ad ſe intra tempus breve poſt liberationem evocaturum fuiſſe, & de his omnibus eum coram auditurum.

Cauſæ decreti de perpetuo carcere Peuceri.

Cauſæ autem præcipuæ fuerunt hæ illius decreti de perpetuo carcere quod metuerent, ſicut aperte apud Peucerum profeſſus eſt Rauſchetus, eum ut arcanorum multorum conſcium, illorum patefactione ulturum, & niſi ipſis ſe Religione conjungeret, quæ cœperant, impediturum eſſe.

CAPUT XLVIII.

Acta & Scripta Erdfurtenſis Apologiæ editionem & Auguſti Electoris Saxoniæ mortem proxime ſecuta.

Chriſtianus Elector Saxoniæ ſtudium in propaganda vera religionis.

ILluſtriſſimo Electori Saxoniæ Auguſto mortuo ſuccedit ejus filius CHRISTIANUS, Dici non poteſt, quàm inter varias occupationes ſolicitus de Repub. & Eccleſia fuerit, & inprimis de Scholis illuſtribus & Academiis, quas mirificè exoptabat regi poſſe à viris omni liberali doctrina politiſſimis. Luculentis igitur ſtipendiis undique doctos invitare celeberrimorum Theologorum & Iuriſconſultorum operam conducere, nullam non curam ſuſcipere, quà fieret, ut eruditorum hominum copia ditio eius ampliſſima floreret, & ut ipſe dicere ſolitus eſt, ab indoctis & opinione ſcientiæ inflatis Clamatoribus tandem liberaretur. Non raro conqueſtus eſt de fraudulentis Theologorum artibus, quibus in fabricanda Concordiæ formula, & venditanda Auguſto Patri ſuo optimo uſi eſſent: nec diſſimulavit, ſe ex animo odiſſe illos, quos ſciret accepta pecuniæ ſumma certa ad ſubſcriptionem inductos fuiſſe, a qua antea ſe alieniſſimos in publicis etiam concionibus oſtenderant. Excuſarunt iidem factum quod dicerent, obteſtationibus & lachrymis etiam Electoris Auguſti fractos ſe tandem manus dediſſe, vel potius commodaſſe falſitatis comprobationi.

Memor etiam eorum quæ Patri accidiſſent, apertè profitebatur, ſeipſum controverſias cogniturum, nec in rebus graviſſimis & ad animæ ſalutem pertinentibus aliorum decretis acquieturum, multo minus paſſurum, ut quovis doctrinæ vento huc illuc raperetur. Quare cum quotidie à ſuis Calvinianos atrociter exagitari audiret, & inſimulari eoſdem horribilium errorum: non accuſatorum ſententiis ſibi ſtandum, ſed utramque partem audiendam eſſe putavit. Auditis igitur in Colloquio quodam privato utriuſque partis Theologis, perlectis etiam ſcriptis & Apologiis Calvinianorum, mox animadvertit, criminationum, quibus Eccleſiæ Calvinianæ infamarentur, malitioſam futilitatem

& importunam vanitatem. Aliis etiam copiam fieri voluit cognoſcendæ veritatis, ideoque ut publicè Calvinianorum libri in ditione ſua venales eſſent curavit.

Chriſtiani Electoris Saxoniæ decretum ut Paſtores abſtineant à conviciis, &c.

Graviſſimo etiam edicto per univerſam Electoralem Saxoniam, aliasque hæreditarias provincias mandavit, ut Eccleſiarum Miniſtri Verbum Dei purè annuntient populo, abſtineant autem à conviciis, maledictis, calumniis, condemnationibus & invectivis, quibus hactenus intemperantiſſimè uſi fuerant, & ſecus facientes loco movit. Patefecit etiam rurſus Saxoniam omnibus iis, qui paulò antè ob orthodoxam ſententiam de Cœna inde ejecti & pulſi fuerant. Concordiæ librum abrogavit, & Corpus Doctrinæ, aliaque Philippi Orthodoxa ſcripta Eccleſiis & Scholis reſtituit. Exorciſmum quoque abrogavit, & Baptiſmum abjectis omnibus humanis additamentis, juxta inſtitutionem Chriſti ſimpliciter, ad morem Apoſtolicum, adminiſtrare juſſit. Vt autem Theologorum Vbiquiſticorum conviciis & maledictis publicè & privatim ob hanc cauſam impetitus, ac tantùm non laceratus fuerit, in altera parte Hiſtoriæ noſtræ Sacramentariæ prolixè expoſuimus.

De perſequutione orthodoxorum in Saxonia mortuo Electoris Chriſtiani ſecuta.

Moritur autem verè Chriſtianus Princeps anno 1591. *Septemb. die* 25. *Eius mortem perſequutio graviſſima per univerſam Electoralem Saxoniam ſecuta eſt, quod Theologi Vbiquiſtici unicè optabant. Inquiſitores enim Theologici, quibus Adminiſtrator Fridericus Vuilhelmus frena nimiùm laxaverat, non ſolùm Theologos quamplurimos, ſed etiam Iuriſconſultos alioſque politicos, viros honeſtos, graves, prudentes & pios, vel parùm de Calviniſmo ſuſpectos, ex Academiis & Conſiſtoriis ejecerunt, aliiſque officiis & dignitatibus privarunt, ne ſuis conatibus reſiſterent.*

Nicolaus Crellius in vincula conjicitur & paulò poſt ſupplicio afficitur.

*Pridie quàm Electoris Exequiæ Dreſdæ celebrarentur, cum D.*Nicolaus Crellius *Saxoniæ Cancellarius ex aula domum concederet, aliquot ſatellites è curia miſſi ſunt, qui eum in ædibus ſuis cuſtodirent, donec quid de eo faciendum eſſet ſtatueretur. Mox ſubſequuti ſunt alij, qui ſcripta illius omnia in Catalogum redegerunt, ſcriniis incluſerunt & conſignârunt. Paulo poſt currum aſcendere juſſus, in arcem* Hohenſtein *deductus, ibique in carcerem detruſus fuit. Tandem anno* 1601. *Octob.* 9. *die Dreſdæ in Saxonia capitis ſupplicium de eo ſumptum eſt. Hiſtoriam ſupplicij & proceſſum ſeu modum agendi in lucem ejus propinqui & amici anno* 1605. *ediderunt.*

Crimina objecta Crellio.

Obiiciebatur huic, quòd cruentis & ſeditioſis conſiliis ſuis Patriæ ſuæ ad perpetuam ignominiam, damnumque irreparabile contra conſcientiam ſuam præfuerit: quod Electorem ad mutationem religionis & politicæ adminiſtrationis, ad ſubſidia quoque in Gallias mittenda impulerit: quòd eundem contra Cæſaream Majeſtatem, cæteroſque Electores & Principes imperii inſtigarit: provincias & populum variis periculis expoſuerit: ſchiſmata & diſcordias in Conſilium Principis diſſeminarit: multos Conſiliarios ſuſpectos & exoſos falsò reddiderit: cum cæteris, qui ſuæ Religionis & opinionis erant clandeſtina conſilia communicarit: Paſtores Lutheranos perſequutus ſit & Saxonia ejecerit: Biblia & Catechiſmum Lutheri prohibuiſſe: Calvinianorum ſcripta eorum loco introduxiſſe: Auguſtanam Confeſſionem non mutatam in dubium vocarit, & ſimilium multorum criminum eum reum faciunt, quæ tamen in dicta hiſtorica narratione ſolidè diluuntur omnia.

Poſt ſepultum Electorem, Theologi nonnulli orthodoxi diverſis in locis comprehenſi, & in vincula conjecti ſunt etiam.

Theologorum Vbiquiſticorum quoque inſtinctu pacta & fœdera ante hoc tempus cum exteris Regibus ac Principibus inita irrita decernuntur. Edictum etiam technis ipſorum promulgatum eſt, quo Calviniſtarum librorum omnium non ſolùm lectio, ſed etiam venditio prohibita fuit.

Defenſio Neuſtadianæ Admonitionis contra Erdfurtenſem Apologiam.

Anno Domini 1586. *edita eſt* Defenſio Neuſtadianæ Admonitionis, contra Apologiæ Erdfurtenſis ſophiſmata & cavillationes: *Scripta, ut habet quidem titulus, ab aliquo Theologiæ ſtudioſis in Schola Neuſtadiana: ſed verus ejus auctor fuit* Marcus Beumlerus *Tigurinus: qui initiò ſtatim Defenſionis huius indicat, Triumviros Erdfurtenſes hæc duo in Apologia ſua ſedulò agenda judicaſſe: Primùm, ut Sophiſticâ ſuâ argumentorum pondera Neuſtadianæ Admonitionis eluderent & obtenebrarent:* Deinde *Ordinem, quo diſpoſita erant, perturbarent & confunderent, ut ſimpliciores Lectorem magis magiſque ſic involverent, & à ſcopo diſputationis abducerent, ne partus ſui fœditas omnibus conſpicua fieret.*

Summa capitum Defenſionis.

Primò *autem reſpondetur ad Caput primum Apologiæ, cujus duæ ſunt partes præcipuæ: prior eſt Proœmium quoddam, in quo Apologiſtæ partim calumniantur, partim de injuriis ſibi ab Admonitione facta conqueruntur, partim quædam Admonitioni concedunt, partim ſua quædam abſurda tegere & velare conantur: Poſterior pars, eſt ipſa de Perſona Chriſti deque communicatione humanitati Maieſtatis divinæ.*

In capite ſecundo diluitur crimen noſtris Eccleſiis in Apologia illatum, quòd doceant, Deum nihil cum humanitate Chriſti commune habere. Hinc ſequentes calumniæ diluuntur. 1. *de ſimilitudine duorum aſſerum.* 2. *de verbali communicatione Idiomatum.* 3. *de Arianiſmo.* 4. *de Neſtorianiſmo.* 5. *de Paſſione Filii Dei, quaſi doceamus, paſſionem Chriſti ad Filium Dei nihil attinuiſſe.* 6. *De præſentia Chriſti in his terris: ac ſi docerent noſtræ Eccleſiæ, præſentiam Deitatis*

tis

tis Chriſti in his terris, ad Humanitatem eius in Cœlo degentem, nihil attinere, & Humanitati illius nihil nobiſcum rei eſſe. 7. de Operationibus Chriſti divinis, in & cum humanitate ſua. 8. de Omnipotentia & omniſcientia Chriſti 9. de cognitione Chriſti, quod ad officium iudicis attinet. 10. quod Chriſto homini non tribuamus perfectam Dei cognitionem. 11. nos docere, impoſsibile eſſe Christo, ſecundum humanam naturam ſcire omnia, quæ ſint, fuerunt & futura erunt. 12. de hæreſi Agnoetarum. 13. nos Chriſto, qua homo eſt, nihil tribuere ſupra Naturam Humanam. 14. de reſtitutione omnis poteſtatis poſt reſurrectionem Ch. 15. de incluſione ſive alligatione Chriſti in certo Cœli loco. 16. de depravatione loci Act. 3. v. 21.

In capite tertio probatur & aſſeritur Admonitionis demonſtratio falſarum aſſertionum & in libro Concordiæ, & in Apologia Erdfurtenſi: contendunt enim in utroque ſcripto: 1. proprietates duarum Naturarum in Perſona Chriſti eſſentiales realiter utrique Naturæ communes eſſe. 2. Filium Dei paſſum eſſe ſecundum proprietatem humanæ naturæ. 3. Humanam Chriſti Naturam habuiſſe Maieſtatem & omnipotentiam Divinam à puncto conceptionis ſibi realiter communicatam 4. Corpus Chriſti ſubſtantiâ ſuâ ubique eſſe.

Capitis quarti Apologiæ Erdfurtenſis refutatio in hac Defenſione omiſſa eſt, quòd ea quæ in illo Capite tractantur, à Theologis Anhaltinis graviſsimo in publicum edito ſcripto Germanico, ita omnia ſolidè, eruditè, & ſecundum orthodoxum antiquiſsimæ Eccleſiæ conſenſum refutata ſunt, ut nihil contra vel à Sexemviris Bergenſibus, vel à Triumviris Erdfurtenſibus lectu dignum hactenus prodierit.

In Capite quinto refutantur, quæ in Apologia aſſeruntur contra Admonitionem Neuſtadianam, de doctrina Sacramentorum in genere, & de Cœna Domini in ſpecie.

In Capite ſexto diluuntur accuſationes, 1. quòd noſtræ Eccleſiæ verba Cœnæ obſcurent. 2. quòd noſtri verba Chriſti corrumpant, & in alienum ſenſum detorqueant. 3. quod verba Chriſti ſecundum rationis Humanæ iudicium exponant. 4. quòd noſtrorum aliqui verba Inſtitutionis non recitent in Adminiſtratione Cœnæ. 5. quòd noſtri verba Chriſti variè interpretentur. 6. quòd doceamus, Sacramenta nihil aliud eſſe niſi nuda ſigna, & notas, quibus agnoſcantur & diſcernantur Chriſtiani ab aliis hominibus. 7. quòd doceamus, panem & vinum Cœnæ tantum eſſe ſigna ſignificantia Corpus Chriſti. 8. Refutantur calumniæ Apologiæ de procul abſente Corpore Chriſti. 9. de analogia ſigni & ſignati. 10. de ſolius panis & vini in Cœna præſentia in noſtris Eccleſiis. 11. de præſentia Chriſti in Cœna ſecundum Divinitatem tantum. 21. de Chriſti tantum ſpirituali præſentia. 13. de ſolius virtutis, efficaciæ, & meriti carnis Chriſti communione. 14. de præſentia Chriſti in Cœna quam fides faciat. 15. quod doceamus, dignitatem accedentium Cœnam Domini, non in ſola fide conſiſtere, ſed etiam interna præparatione hominis. 16. quod ipſis tribuamus eſum Corporis Chriſti Carpernaiticum.

In Capite ſeptimo refutatur defenſio Erdfurtenſis Apologiæ falſarũ aſſertionum Libri Concordiæ de Cœna Dom. inter quas hæ ferè præcipuæ ſunt. 1. Corpus Ch. eſſe ſubſtantialiter in pane, & ſanguinem in vino, & ore corporis edi ac bibi. 2. Corpus Ch. in Cœna manducari etiam ab impiis ac infidelibus. 3. Elementa conſecrari per recitationem verborum Chriſti: hoc eſt, verbis recitatis ſuper panem & vinum, fieri, ut adſit in pane corpus, & in vino Sanguis Ch. corporaliter, & ſumatur ore piorum & impiorum. A Ch. enim iuſsionem & operationem ſuam recitationi noſtræ alligatam eſſe. 4. Confirmari fidem per oralem manducationem Corp. Ch. 5. Panem & vinum Cœnæ Dom. ad hunc uſum conſecrari & ſumi; ut illis caro & Sanguis Ch. ſumantur ore Corporis 6. Cœnam ideo inſtitutam eſſe, ut confirmet, Chriſtum etiam ſecundum naturam habentem carnem & Sanguinem, nobiſcũ eſſe, & in nobis habitare, & operari velle.

In octavo Capite diſputatur de authoritate Auguſtanæ Confeſsionis.

In nono Cap. agitur de vera ſententia eiuſdem Confeſsionis: & quod Erdfurtenſis Apologia aſſerit, Vbiquitatem in Auguſtana Confeſſ. doceri, id Defenſio rationibus firmis negat. Deinde probat contra Apologiam, in Confeſsione Auguſtana, non quidem expreſſe & diſertè noſtram ſententiam aſſeri, ſed in ea tantum nihil contineri quod noſtram doctrinam evertat.

In decimo Cap. Defenſio contra Apologiam probat, polemica Lutheri *ſcripta non poſſe eſſe normam doctrinæ publicæ, ad quam omnes Eccleſiæ alligatæ ſint. Item*, Lutherum, *quia lubrico & ruinoſo fundamento niteretur, quatuor ad minimùm opiniones foviſſe de Cœna Dom. Item*, Lutherum *paulo ante obitum ſuum, antequam Vviterbergâ in patriam proficiſceretur*, Philippo Melanthoni *faſſum eſſe, in negotio de Sacramento nimium à ſe factum eſſe.*

In Cap. undecimo probat, noſtros injuſtè tanquam hæreticos, & non auditos in Libro Concordiæ condemnari.

In Cap. duodecimo, quia Apologia Erdfurtenſis præteriit 59. antilogias, quas Admonitio Neuſtadiana in Concordiæ libro monſtravit, & unicam tantum attigit de Vbiquitate, Defenſio probat, Vbiquitatem cum orali manducatione pugnare.

In Cap. decimo tertio probatur, talem modum agendi à Bergenſibus in adornando & ſubſcribendo Libro Concordiæ, uſurpatum eſſe, qualis demonſtretur in Admonitione Neuſtadiana.

Anhaldini reſpondent Kirchnero.

In Cap. decimo quarto contra Erdfurtenſes probat Defenſio, illa incommoda omnia ex Concordiæ Libro ad Eccleſiam dimanatura, quæ oſtendit Neuſtadtana Admonitio.

Reſponderant etiam hoc anno Anhaltini Theologi ad Timothei Kirchneri *refutationem 42. argumentorum ab Anhaltinis contra Librum Concordiæ, ejusque Apologiam editorum: & inter alia multa probant etiam, Erdfurtenſem Apologiam,* Opus imperfectum eſſe, *quia plus ſit in eo propoſitum, quàm abſolutum.*

Errores Refutationis Kirchneri.

Kirchnerus *autem in ſua Refutatione inter alia affirmat, has duas proſitiones æquipollentes eſſe:* Humana Chriſti Natura eſt omnipotens, & Homo Chriſtus eſt omnipotens *pagina* 60. *Contrà autem pagina* 130. *ſcribit,* vocabulum Chriſti nomen eſſe totius Perſonæ. *Contendit etiam pagina* 169. Quicquid Humanæ Naturæ proprium ſit, id Deitati realiter communicari & tribui: *Item*, proprietates Deitatis aſſumptæ Humanæ Naturæ Chriſti realiter communicari: *pag.* 170. *Vigilius autem Martyr ſcribit:* Impium & ſacrilegum eſt, ea, quæ ſunt propria Verbi, Naturæ carnis adſcribere. *Pag.* 101. *ſcribit,* Carnem vel aſſumptam Humanam Naturam Chriſti, in & per ſe non omnipræſentem eſſe, ubi Perſona ſit. *Contra autem ſcribit pagina* 150. Chriſti quidem Corpus eſſe verum, finitum, & circumſcriptum Corpus: & tamen incircumſcriptivo, incomprehenſibili & ſupernaturali modo præſens eſſe, ubicunque Perſona ſit. *Pag.* 117. *aſſerit,* Vbicunque λόγ@ ſit, ibidem etiam carnem Chriſti oportere eſſe. *Pag.* 101. 102. Niſi corpus Chriſti vbique, ſicut Deitas, ſit, fidem noſtram falſam eſſe. *Pag.* 135. *ſcribit,* Chriſti glorificatum Corpus illocale eſſe, & omnes creaturas penetrare, ſicut aërem viſus, ſonus, &c. *quo ipſo Origenianorum hæreſis revocatur. Pag.* 534. 551. 508. 587. 589. 594. 595. *ſcribit,* hanc doctrinam fundatam eſſe in ſacra Scriptura, quòd Chriſti Corpus non ſolum in multis, ſed etiam in omnibus locis ſimul ſit, & non ſine horrenda blaſphemia hoc poſſe negari. *Et tamen Kirchnerus primarius fuit inter fabricatores Erdfurtenſis Apologiæ, in qua pag.* 68. *&* 171. *apertiſſimè negant,* Vbiquitatem corporis Chriſti generalem in lignis, lapidibus, *&c. Pag.* 383. Vbiquitatem communicationem omnipræſentiæ vocat. *Pag.* 148. fälſum & blaſphemum eſſe, ſi quis doceat, in Scriptura non reperiri, quod caro Chriſti, vel Humana eius Natura, omnipotens, omniſciens ac omnipræſens ſit, *quum tamen pag.* 7. *fateri eum oportuerit,* has phraſes ne in Auguſtana quidem Confeſſione inveniri, *&c.*

Kirchneri Enchiridii errores.

In Enchiridio *etiam ſuo, ante triennium edito, pag.* 29. *ſimpliciter negat,* Subſtantiam Corporis Chriſti omnibus creaturis eſſe, ut in lapidibus, lignis, foliis arborum, *&c. Affirmat autem,* in iis locis eſſe, ad quæ expreſſo verbo ſuo ſe alligavit, *nempe Pſal.* 8. *Ephſ.* 1. *&* 4. *& tamen utitur teſtimoniis & argumentis, ex quibus generalis Vbiquitas neceſſario ſequitur. Nam eadem pag. ... & illa verba Pſalmi* 8. Omnia ſubjeciſti pedibus ejus, oves & boves, beſtias agri, volucres Cœli, piſces maris: *& verba illa Epheſ.* 4. Aſcendit ſupra omnes Cœlos, ut impleret omnia; *ad Corpus Chriſti accommodat: Erit igitur iam* Kirchnero *Corpus Chriſti præſens in his omnibus. Deinde, quia ex Seſſione ad Dexteram Dei Vbique præſentiam, & ex Vnione perſonali de præſentia corporis Chriſti concludit. Præterea pag.* 22. Aſcenſionem Chriſti in Cœlos propriam intelligit, & viſibiter factam eſſe dicit, *Pag.* 238. Corpus Chriſti iam in cœlo circumſcriptum eſſe fatetur, pro ratione corporum glorificatorum. *Denique pag.* 201. fundamentum præſentiæ Corporis Chriſti in Cœna ſumendum eſſe dicit, non ex generali Vbiquitate, ſed ex verbis inſtitutionis. *Ex quibus omnibus intelligit Lector, Concordiſtas iſtos non ſolum cum ſociis ſuis, ſed etiam ſecum ipſis pugnare, & unum idemque modò affirmare, modò negare, prout libet.*

Supra indicavimus, ut Iacobus Schmidlinus *Electoris* Auguſti *literis munitus Norobergam venerit, & ſubſcriptionem Formulæ Concordiæ à Senatu flagitarit. Etſi verò re infecta in Saxoniam redierit, non ceſſavit tamen irrequietus homo, ſed iterum, iterumque inſtitit. Semper autem à prudentiſſimo Senatu repulſam ferens, id indigniſſime tulit. Anno igitur* 1588. *librum edidit, & Senatui Norobergenſium dedicavit, in quo eorum Miniſtros orthodoxos horrendis conviciis, calumniis, mendaciis & maledictis lacerat & proſcindit, in primisqueD. Herteſianum iuriſconſultum, quem unum conatibus ſuis obſtare putavit, ideoque eum Diaboli organum nominavit, & authorem fuiſſe eius decreti criminatus eſt, quo Senatus Anno* 85. *aliquot concionatorū in urbe ſua linguarū libertatem & petulantiam coercuit, & ut ſub pœna privationis à calumniis, convitiis & maledictis abſtineant deinceps mandavit, Oppoſuit igitur Senatus prudentiſſimus huic maledicentiſſimo Schmidlini libro alium Anno* 1589. *in quo decretum hoc non jam primum promulgatum, ſed anno* 59. *factum, jam verò neceſſitate id poſtulante, repetitum & renovatum eſſe indicat: deinde Theologos ſuos, maxime vero Herteſianum adverſus Schmidlini convitia, maledicta & calumnias defendit. tertiò, Schmidlinū vivis coloribus depingit.*

Delineatio Formulæ Concordiæ.

Anno 1589. *ſequentes libri ſunt in lucem editi.* Kurtzer Außzug/ und einfeltige aber ... ge/ Entwerffung der FORMVLAE CONCORDIAE

CORDIÆ: Das iſt/ was im ſelben Buch/ ſo wiel beyde hochwiguige Artickul von der Perſon Chriſti vnd dem H. Nachtmahl an langt/ für ein Lehr und Glauben begriffen und gefuhret werde. Bineben angehenaten etlichen vnderſchiedlichen Cenſuren/ Judicien und Bedencken vber die ienigen Perſonen und Theologen/ ſo zu verfaſſung obberurten Concordi Buchs und deſſelben Apologiæ verordnet und gebraucht worden: Darauß ein ieder einfeltiger Chriſt/ der nicht mutwilliger weiß betrogen ſeyn will/ angewieſen wirdt/ die Lehr deß Concordi Buchs/ nach Anleitung der Artickulen deß allgemeinen Chriſtlichen Glaubens/ und auß Gottes Wort zuvrtheilen/ und die Geyſter zuprüfen.

Inter Cenſuras vero & Iudicia duo inprimis in hoc libro continentur, huiuſmodi titulis: Extract auß einem Fürſtlichen Schreiben/ darinnen der Pfaff Schmidlein/ ſo der Meiſter vnder denen/ ſo das Concordi Buch geſchmidet/ geweſt/ eygentlich obgemahlet wirdt/ 2c. 2. Extract und kurtzer Außzug eines Geſprächs/ ſo ein hohe Fürſtliche Perſon welche ihr das Concordi Werck ſehr angelegen ſeyn laſſen in ihrer Schlaffkammer/ in bey ſein etlicher irer vornemen Räth und Secretarien/ mit D. Kirchnern/ ſo die Erdfürtiſche Apologiam zum Weinfaß ſchmiden/ und hernach in der Statt Braunſchweig zum vollen Faß vollendt außflicken helffen/ gehalten/ laut Prothocolls den 6. Julii Anno 82. auffgefaſt. Darinnen die Collectores deß Concordi Buchs/ mit ihren lebendigen Farben herauß gebutzt werden/ darumben ſich nicht zu verwundern/ daß das gantze Werck nicht beſſer gerahten/ 2c.

Acta & ſcripta ad formulam Concordiæ pertinentia.

ACTA und Schrifften zum Concordi Buch gehörig und nöhtig. Darinnen zwiſchen den Fürſtlichen Braunſchweigiſchen/ und Würtenbergiſchen Theologen/ geſtritten wirdt. 1. Ob die Vbiquitet und Lehr von der Allenthalbenheit deß Leibs oder Menſchheit Chriſti im Concordi Buch ſtatuirt und begriffen. 2. Ob ſolche Lehr der Vbiquitet in Gottes Wort grundt habe oder nicht. In welchen beyden Fragen die Braunſchweigiſchen die negativam, die Wurtenbergiſchen aber die affirmativam vertheidigen thun. Sampt etlichen zu ende angeheffteten/ und hierunder beyderſeits gewechſelten Miſſiuen.

Eodem etiam tempore Flaccio-Brentiani quidam Concordiæ librum liberis in ſuperiori Hungaria civitatibus obtrudere conati ſunt, eoque maximarum turbarum & diſcordiarum auctores fuerunt. Indixerat Synodum Paſtoribus civitatum illarũ D. Thomas Frœlichius Caſſonienſis Paſtor, & reliquarum Eccleſiarum conjunctarum tunc temporis ſenior, Anno 1574. Caſſoniæ 18. Ianvarii celebratum. In ea communi, tam Paſtorum quàm Politicorum conſenſu, approbata priùs vetere confeſſione, octo articuli conditi ſunt Flaccianorum furoribus oppoſiti, tum maxime in multis locis Germaniæ graſſantibus, hoc conſilio, ne (ut ſunt hominum mentes novarum rerum cupidæ, & natura ad errores arripiendos & approbandos quàm ad veritatem inveſtigandam & propagandam ſemper procliviores) Eccleſiæ illæ ſatis alioquin afflictæ, iſtarum & in religione novarum confuſionum acceſſione perturbarentur. Ut autem illarum Paſtores evidentiori teſtificatione ſe ab omnib. novis & erroneis opinionibus ſejungerent, publicè proteſtati ſunt, ſe à corpore Doctrinæ Philippi Melancthonis, quandoquidẽ ſacris literis conſentanea doceat, & a Scriptis D. Lutheri, & horum ſinceris diſcipulis tum Vuitebergæ & Lipſiæ S. Teologiam profitentibus in nullo articulo diſcedere velle. In eadem Sydodo quoq; Thomas Faber Ludi-rector Barthenſis a corpore Doctrinæ aliena de perſona Chriſti diſcipulis ſuis propoſuiſſet: qui quidem tum promiſerat, ſe a diſcipulis chartas illus repeciturum & Vulcano traditurum eſſe, ne ſe authore nova & ſcandaloſa dogmata in illas Eccleſias inveherentur. Hos articulos una, cum confeſſione liberarum Civitatum Caſpar Pilcius Vuaralien. Eccleſiæ Marcuvillanæ in Scepuſia Paſtor Caſſonia ex officio ſcholaſtico Vuitebergam proficiſcens, Senioris & Conſeniorum juſſu & commiſſione ad Profeſſores Academiæ illius pertulit. ut conſtaret, quod & prolixa Epiſtola teſtabatur Eccleſias illas unanimem cum illis in religione conſenſum fovere, & opinionibus Flaccio-Brentianis nullum locum dare velle. Hanc illorum in Orthodoxa religione tuenda conſtantiam, & ad evitanda periculoſa certamina vigilantiam, Theologi Vuitebergenſes magna cum gratulatione approbarunt & exoſculati ſunt. Verùm pace Eccleſiarum Saxonicarum turbata, & formula Concordiæ in lucem edita, ut in locum corporis Doctrinæ Philippi Melanchtonis ſuccederet, etiam Eccleſias illas Hungaricas hæc publica & fatalis calamitas invaſit. Quidam enim Mentor & Crazerus videntes eos certa confeſſione colligatos, & formulam Concordiæ non facilè admiſſuros eſſe, ut eos ſuſpectos apud omnes facerent, corpus Doctrinæ cui ſubſcripſerant erroris ſacramentarii publicè accuſare ceperunt & cunctos, qui id approbarent ac defenderent condemnare. Hoc cùm & in Marcinillana Eccleſia publicè & privatim facerent, Pilcius brevi ſcripto Corporis Doctrinæ complexus eſt. Contra utrumq; defenſionem, illudq; Benedicto Belſio Paſtori Epperienſi & Seniori exhibuit. Ille approbavit Scriptum. Mentoremq; & Crazerum Eccleſiarum illarum hoſtes nominavit

&

dixitque ſe maximo eius periculo intueri, quo minus communem cauſam defendendam ſuſciperet, commodiorem occaſionem expectandam eſſe, quo conjunctis viribus his calumniatoribus & Eccleſiarum Turbatoribus occurri poſſit. Interea ne ſibi Pilcius formulam Concordiæ à ſuo Magiſtratu obtrudi pateretur, ſedulò ipſum monuit Belſius inſtruxitque rationibus quibus niteretur, ſi quid tale tentaretur.

Quòd ſi Belſius in hoc ſano propoſito perſeveráſſet, à quo poſtea fatali quodam malo deturbatus eſt, minus hodie confuſionum & turbarum in iſtis Eccleſiis Hungaricis eſſet. Nunc verò Corporis doctrinæ Philippi nudo ſaltem titulo fit mentio: Brentius contrà, Kemnitius, & Schmidlinus, qui in veram doctrinam de Filio Dei novos errores in veteri corpore doctrinæ reiectos induxerunt cum Formula Concordiæ canoniſantur à pleriſque quibus docendi munus in Eccleſiis & ſcholis iſtis Barthę in primis demandatum eſt.

Vtque liberè Magiſtratûs authoritate abutantur, & aures vulgi orthodoxis prorſus intercludant, onerant eos calumniis indigniſſimis & maledictis acerbiſſimis.

Theſes Hunnii de unione hypoſtatica utrumque examen.

Anno 1592. Hunnius *Vvitebergæ theſes ad diſputandum propoſuit* de Vnione hypoſtatica duarum Naturarum in Chriſto. *Cumque in iis omnia vela ingenij & Sophiſticæ ſuæ quod ad hanc controverſiam attinet, de unione hypoſtatica, ſeu Vbiquitate & illocalitate corporis Chriſti, expanderit, in Lectoris gratiam paucis eas cum* Beroaldo *percurram.*

In theſi 3. dicit, humanitatem perſonę Verbi vi Vnionis plene capacem eſſe. *Quo pacto autem Natura finita, id eſt, Corpus ſolidum ac verum, Naturam infinitam, id eſt, Deitatem* PLENE *capere poſſit, non liquet, niſi fortaſſe putet* Hunnius, *Deitatem carne Chriſti, quaſi vaſculo aliquo, plenè capi, quod* Euſtathius *Antiochenus vehementer improbat apud* Theodoretum *Dial.* 3.

In theſi 6. dicit, Corpus Chriſti conforme manere beatorum glorificatis corporibus ſubſtantiæ & quantitatis ratione. *Primò autem Apoſtolus diſertè dicit. Chriſtum conforme redditurum Corpus noſtrum humile corpori ſuo glorioſo: quæ verba Apoſtoli maieſtate Chriſti honoriſ ſunt, quàm* Hunnii, *qui ſervos Domino æquatores facit. Deinde noſtra corpora etiam glorificata non ubique erunt aut illocalia, quale* Hunnius *vult eſſe Corpus Chriſti glorificatum. Locum Apoſtoli aliter explicat* Theodoretus *Dial.* 2. *ubi verbis commentarius hæc addit:* Non igitur Corpus Chriſti in aliam Naturam mutatum eſt, ſed Corpus manſit, divinâ tamen gloriâ plenum, & radios lucis emittens: illi corpori conformia exiſtent Sanctorum corpora. Quod ſi illud in aliam naturam mutatum eſſet, etiam horum corpora ſimiliter mutarentur. Nam, ut diximus, illi conformia exiſtent. Si vero Sanctorum corpora ſuæ Naturæ formam & lineamenta retinent, etiam Domini corpus ſuam eſſentiam ſimiliter ſine ulla mutatione retinebit.

Longiſſimè differunt animæ corpo riſque coniunctio, & Vnio duarum naturarum in Chriſto.

In Theſi 9. dicit, Perſonam poſt Incarnationem σύνθετον eſſe, atque ita loquutos eſſe Scriptores Eccleſiaſticos, *aut. Sed compoſitionis modum explanare debuit* Hunnius, *ne ſimile ab ipſo paulo poſt adductum rudiores in errorem adduceret. Nam longiſſimo intervallo diſtant animæ corporiſque conjunctio & Vnio duarum naturarum. Animus enim & corpus nequaquam integræ & perfectæ eſſentiæ ſunt ſed unius eſſentiæ partes: Divina vero & Humana Natura in Chriſto eſſentiæ ſunt ſic integræ atque perfectæ, ut nullâ ratione unam tertiam eſſentiam abſolvere poſſint. Poteſt hoc declarari ex* Iuſtino *Martyre, In Expoſitione fidei:* Homo, *inquit*, etſi conſtat ex anima & corpore, non tamen idem eſt cum eis, ſed diverſum: ut iam homo ex conjunctione animæ & Corporis aliud ſit abſolutum tertium, Nam corpus μένει τὸν οἰκεῖον σῶζον λόγον, cùm etiam mortuum tres dimenſiones retineat. Similiter etiam anima ſeparata rationis particeps manet. Cæterum homo periit, qui conſtabat ex coniunctione utriuſque. At Chriſtus, non ex Deitate & Humanitate Chriſtus factus eſt, cum non ſit diverſus ab his duabus, ſed utrunque homo & Deus. *Hæc Iuſtinus.*

In Theſi 15. *dici*, unum eſſe Chriſtum non converſione Deitatis in carnem, ſed aſſumptione Humanitatis in Deum. *Hic explicatiuncula neceſſaria fuiſſet, ita ſcilicet humanitatem vel carnem aſſumptam in Deum, ut caro ſit pars Perſonæ illius, quæ Deus eſt, non autem Deitatem æquet proprietatibus.*

In Theſi 19. *notat ſimilia, quibus nonnulli demonſtrare voluerunt non neceſſe eſſe, ut id, quod in Deo eſt, quemadmodum* Auguſtinus *loquitur, ſic ſit ubique ut Deus. Neque enim, ut ipſis videtur, Vnio Naturarum exæquatione conſtat. Convenientior eſt,* Hunnii *iudicio ſimilitudo animæ & corporis, quàm gemmæ & annuli. In quo tamen diſcedit ab opinione ſui præceptoris, qui in Colloquio Mulbrunnenſi,* Similitudo, *inquit,* de anima & corpore ſumpta myſterium hoc declarare nequit, quia loquitur de re naturali, *&c. Sed ſit illa convenientior, ad demonſtrandum unum [illegible] ex duabus naturis conſtans, ut ſupra ex* Iuſtino *oſtenſum: Verum quod addit Theſi* 21. ſic totum incarnatum λόγον extra ſuam carnem neceſſe, nec quæri aut inveniri poſſet, ſicut animâ ſubſtantiâ ſua non ſit extra corpus,

tota

tota quippe ſuo corpori unita: *Id verò indiget luculentiore explicatione. Nam quæ ponitur in Theſi 25. a nemine intelligi poteſt. Si Divinitas ita eſt in carne ut anima in corpore, quid ſequatur, [illegible] videt. [illegible] non quærendum λόγον nunquam non unitum carni, ſed λόγον extra carnem nunquam exiſtere, nemo mihi perſuaſerit. Ubicunque caro, ibi λόγος: ſed non ubicunque λόγος, ibi quoque caro exiſtit. Non enim continetur λόγος intra anguſtias corporis, ſed ſimul & intra corpus & extra omnia eſt. Simile igitur illud vel reiiciendum eo ſenſu, quo* Hunnius *vult, vel admittendum eo modo, quo Veteres uſurparunt. Nam quod dicit Theſi 25.* ex ipſorum doctrina non ſequi ejuſmodi aliquam incluſionem τοῦ λόγου in aſſumptam Naturam, quæ Perſonam Verbi ab infinitate ſua dejectam finitam efficiat, *Sibyllæ folia ſunt. Theſi 6. dixit Chriſtum non phantaſma corporis, ſed corpus ſolidum ac verum aſſumpſiſſe, quod carne conſtaret & oſſibus: extra hoc Corpus ſi λόγος nec eſt, nec quæri aut inveniri poteſt, ut* Hunnius *ait, non immeritò inde ab aliquo colligi poteſt, perſonam Verbi finitam eſſe: præſertim cum Theſi 22. non obſcure eos reprehendat, qui λόγον extra carnem in innumeris reliquis locis exiſtere, vel, ut ipſe loquitur, ſubſiſtere contendunt. Atqui orthodoxe* Iuſtinus *in Expoſit. fidei*, Credo, *inquit*, λόγον ubique adeſſe ſecundum eſſentiam, & eximio modo exiſtere in templo proprio. *Orthodoxè etiam* Athanaſius *de Incarnatione Verbi* λόγος, *inquit*, non eſt colligatus corpori, ſed ipſe corpus continet, ut & in eo ſit, & extra omnia, & in ſinu Patris, neque cùm ſit in omnibus fit pars aliorum, ſed omnia vitam ſuſtentationemque ab ipſo accipiunt.

In Theſi 23. ex perſonali Unione, quam in corporali inhabitatione & immanentia plenitudinis Deitatis in carne conſiſtere dicit, per immotam conſequentiam infert, quod ubi λόγος in carne non habitet, ſed extra illam eſſe fingitur, ibi nec unitus cum ea dici poſſit. *Reſpondeo, Divina Natura in Chriſto quia immenſa & infinita, eadem ſimul tota & in ſuo Corpore & extra Corpus exiſtit. Manet igitur Divinitas unita carni ubicunque exiſtit, ſive in Corpore, ſive extra Corpus: & hoc ubicunque eſt, unitum manet Deitati, nec propterea tamen eſt, ubicunque eſt Deitas. Cum enim Divinitas comprehendi non queat, & omni loco præſens ſit, neceſſario conſequitur eſſe eam quidem extra Humanam Naturam, quam aſſumpſit, ſed nihilominus tamen eſſe in eadem eique Perſonaliter unitam manere. Nam quod metuit* Hunnius, *ne intima illa planeque indiſtans Unio locorum ſpaciis diſtrahatur, puerile eſt. Neque enim caro à Verbo ſeparatur, & ſi non eſt ubique, cum λόγος ſemper in ea maneat & quidem ἀδιαςάτως. Ut lux eſt in corpore ſolari, ſi λόγος in carne, quo ſimili* Iuſtinus *utitur, ita videlicet, ut neque lux in ſolis, neque Deitas in Chriſti corpore includatur, verum & extra illud ſit, & tamen ab eo non divellatur. Neque enim λόγος dividi poteſt loco à Natura Humana cum ubique ſit, ac proinde ubicunque eſt, ſimul totus & idem in ſua carne ſit. Chriſtus ubique eſt totus ac indiviſus, ſed non totum Chriſti, idque ſine ulla diviſione.*

Theſes 26 [illegible] 27 obſcuriſſimæ ſunt. Theſi 6. dixit, à Chriſto fuiſſe aſſumptum Corpus ſolidum ac verum, quod conſtaret carne & oſſibus: quod Corpus etiam in gloria verum maneat. *Hæc ſi vera ſunt, ut ſunt verè, qui fit, ut huic vero corpori locum adimat* Hunnius? *Etſi enim alia ratio eſt humanitatis vel corporis ipſius, alia loci: nunquam tamen evincet ut unionis factum fuiſſe, ut caro ſupra localitatem in ipſa Filij Perſona ſubſiſteret, ut ipſe loquitur. Quorum verborum ſenſum hunc eſſe puto, ut intelligat corpori localitatem poſſe adimi, quo tempore nobis libuerit. Huic opinioni tota Evangelica hiſtoria & Antiquitas orthodoxa acerrimè refragatur, infinitis propemodum in locis teſtificans, Humanam Naturam etiam in gloria & majeſtate viſibilem & circumſcriptam eſſe, de loco in loco mobilem, & uno tempore uno tantum loco exiſtere.* Spacia locorum tolle corporibus, *inquit Auguſtinus*, & nuſquam erunt, & quia nuſquam erunt, nec erunt. *Unde valdè frivolum eſt, quod theſi 29. dicit*, carnem in loco cum vult exiſtere. *Quamdiu enim λόγος volet carnem eſſe, tamdiu etiam volet eam loco circumſcribi. Iam vero quod ſemel aſſumpſit, nunquam vult deponere, nunquam igitur etiam volet localitatem illi adimere.*

In Theſi 28. dicit, locum ambientem carnem extra ὑπόςασιν Verbi manere perpetuò. *Nemo autem unquam dixit loco includi ὑπόςασιν Verbi: ſed carnem aſſumptam ideò loco non circumſcribi, quod in ὑπόςασιν Verbi aſſumpta ſit, non conceditur.* Auguſtinus *certe non concedit, qui diſerte dicit*, Non conſequens eſſe ut id, quod in Deo eſt, ſic ſit ubique, *id eſt illocale, ut Hunnius loquitur*, quemadmodum Deus. *Etſi enim cum Deo λόγῳ unum eſſe ὑφιςάμενον non eſt, ſitu ac loco phyſico circumſcribi, idem tamen non eſt etiam non circumſcribi. Eſt enim idem Filius Dei & ἀπερίσπαστος & περίσπαστος. Putidum igitur commentum eſt quod additur Theſi 29.* Vi Unionis vel reſpectu ejus carnem locum, in quo aliàs commoratur, ineffabiliter tranſcendere. *Rectè dicit* ineffabiliter. *De hujuſmodi enim tranſcenſione ne fando quidem quicquam ad nos pervenit.*

Porro illuſtrare conatur Hunnius *πανταχουσίαν ſuam terminis Scholaſticis theſi 30. & dicto*

Atha-

Athanaſii *theſi* 35. *quod* Hunnius *ita explicat, ut dicat*, carnem perſonalis Vnionis reſpectu omnem localitatem tranſcendere, & in λόγῳ illocalem exiſtendi modum verè ſortiri. *Theſi autem* 6. *dixit*, verum Corpus etiam manere in gloria: *hic aſſerit illocale eſſe, vel poſſe, quorum neutrum in verum corpus, quandiu corpus eſt, cadit.*

In ſymbolo Chalcedonenſi, cujus Hunnius *dicis causâ mentionem facit, confitetur Eccleſia*, Chriſtum coeſſentialem Patri ſecundum Divinitatem, & coeſſentialem nobis ſecundum Humanitatem per omnia nobis ſimilem, dempto peccato: *non addidi, ut* Hunnius, *remota localitate: Miror, quid cogitarit* Hunnius, *cum legit hoc* Auguſtini *in Iohan. Tract.* 71. A quibus homo abſcedebat, Deus non recedebat, & idem ipſe Chriſtus Deus & homo eſt. Ergo & ibat per id, quod homo erat, manebat per id, quod Deus erat. Ibat per id, quod uno loco erat, manebat per id, quod ubique erat. *Item hoc* Vigilii *lib.* 4. *contra Eutychen*: ſecundum vos aut verbum cum carne ſua loco continetur, aut caro cum Verbo ubique eſt: quando una Natura contrarium quid & diverſum non recipit in ſeipſa. *Diverſum autem eſt, & longe diſſimile circumſcribi loco & ubique eſſe. Et quia Verbum ubique, caro autem eius ubique non eſt, apparet unum eundemque Chriſtum utriuſque eſſe Naturæ, & eſſe quidem ubique ſecundum Naturam divinitatis ſuæ & loco contineri ſecundum Naturam Humanitatis ſuæ.*

Ex dictis, *inquit Hunius theſi* 39. apparet etiam, Vnionem λόγου cum carne ipſarummet Naturarum ad ſe invicem κοινωνίᾳ verâ ſolidaque eſſe deſcribendam. *Hic divinare vix quiſquam poteſt, quid ſit* Hunio *Naturarum* κοινωνία. *Si, ut veteribus nonnullis, idem eſt quod* ἕνωσις ὑποστατικὴ, *fuerit iam deſcribenda* ἕνωσις *per* ἕνωσιν: *quo quid ineptius? At* περὶ ἑνώσεως Hunium *loqui ſequens Theſis indicat, in qua* Cyrilli *&* Damaſceni *verbis utitur, quibus humanitati* τοῦ λόγου *perſonam communicatam & collatam eſſe idem eſt, quod unitam eſſe. Inde autem ſequitur, quod* Hunius *ponit theſi* 41. ut Perſona Deitatis ſit utrique Naturæ communis, *hoc eſt*, Hunio *interprete*, ut Deitas Naturæ Humanæ ſuam Naturam, *id eſt*, Deitatem communicet, *hoc eſt*, ut λόγος ſit Naturâ Deus, Humanitas autem Deus vi Vnionis. *Atque hanc mentem* Hunii *ipſe fragmenta evidentiſſimè probant, ubi dicitur*, carnem ὑποστάσεως τοῦ λόγου participem evaſiſſe non nudo titulo, ſed revera. *Quemadmodum autem* λόγος, *particeps factus eſt carnis et Sanguinis ita, ut Deitas non ſit Humanitas: ſic etiam caro particeps facta τοῦ λόγου ut Humanitas non ſit Deitas. Ac errorem* Hunii *ſimilia quæ in fine adjecit pulcherrimè refutant. Etſi enim anima Corpori unita eſt, vel ut* Hunius *loqui ſolet, communicata aut collata, non tamen vi Vnionis eſt ius animæ ſit Corpus, vel Corpus anima: eadem eſt ratio ignis & ferri candentis, ut ex Admonitione Neuſtadiana diſcere potuiſſet.* Apollinarius *ipſe apud* Theodoretum *Dial.* 2. *contra quàm* Hunius *ſentiens, negat ex ſimilitudine ignis & ferri candentis, Dei cum corpore unionem mutationem eſſe corporis: Et addit*, Si homo habet animam & corpus, eaque manent in Vnione: multò magis Chriſtus habens Deitatem cum corpore utraque habet permanentia & non confuſa.

CAPVT XLIX.

Colloquium Theologorum viſitatorum in Electorali Saxonia, Miri, Mulleri, Hunii, N. N. & Præfecti Vigilum, cum D. Vrbano Pierio in carcere habitum.

Poſt mortem Chriſtiani Electoris Saxoniæ, inter Theologos aliquot, diverſis in locis comprehenſos, & in vincula coniectos, D. Vrbanus Pierius *quoque fuit, Profeſſor & Concionator Vuitenbergenſis, quem Elector paulò antè Cuſtrino ex Marchia Brandenburgenſi evocarat. Cùm enim Vuitenbergam Conſiliarii Principis Adminiſtratoris veniſſent*, Pierium *ad ſe vocarunt, mandatum ſuum illi exhibuerunt, & tandem ſententiã pronunciarunt, ut captivus ſcilicet à Magiſtratu in arcem abduceretur. Qui cùm hanc ſententiam iniquam eſſe diceret, & cauſam ſuam multis argumentis defendere conaretur in apertam pene diſputationem provecti fuiſſent. Cæterum rata permanſit ſententia, &* Pierius *captus in arcem, quàm occultè fieri potuit, à Conſule abductus fuit Anno* 1592. *Anno ſequente die* 21. *Iulii menſis* D. Pierium, *iam ſeptimanas* 36. *in carcere detentum Præfectus vigiliæ hora* 5. *veſpertinâ, & de ſuo ad illum in carcerem adventu cum vix præmonuiſſet, ſubſequuti ſunt continuò dicti Theologi, & ubi ex ordine conſediſſent, cum eo colloqui cœperunt:* primò, *de ſubſcriptione Libri Concordiæ*: Secundò, *de omnipræſentia corporis Chriſti in terris. Cumque utile ſit noſſe Vbiquiſticorum Theologorum morẽ diſputandi, artes, dolos, fraudes, & ſophiſticas eluſiones argumentorum, Acta Colloquij hujus, bona fide ab uno qui interfuit, excepta, in Lectorum gratiam integra adſcribam.*

Captivitas Vrbani Pierii.

De quibus Articulis colloquium habitum ſit.

MIRVS. *Cùm ex mandato Illuſtriſſ. Ducis Saxoniæ, & c. ad nos devoluta ſit viſitatio, voluimus etiam te* D. Vrbane, *ex quadam commiſeratione (nullum enim de te mandatum habemus)*

habemus) in carcere tuo viſitare, & audire, num in viam te reducere poſſimus; ac proinde apud Illuſtr. Principem pro te, ſi veritati manus dederis, libenter intercedemus, ut ex hoc carcere dimittaris. Conſtat autem tibi quod à Formula Concordiæ, cui ſubſcripſiſti, & à Lutheri doctrina, quam in Marchia profeſſus es, receſſeris, & in his terris damnatos errores Calvinianos ſparſeris. Ut igitur tibi, coniugi, & liberis conſulas, agnoſce errorem, & ad mentem meliorem redi. PIERIUS. Habeo gratiam reverendis & clariſſimis Dominis Doctoribus pro viſitatione; & precor Deum, ut inſtitutum veſtrum in ipſius cedat gloriam, & Eccleſiæ ædificationem: ſpero quidem vos mihi bene cupere, & de te præſertim D. Mire; ut, cuius fidem antehac expertus ſum, ſicut tu viciſſim meam, omninò hoc mihi perſuadeo. Si verò eſt animus vobis meum diſputandi & colloquendi, alio loco & tempore hoc fieri oporteret: aut, ſi omnino hic conferre mecum volueritis, opus mihi fuerit arbitris & notario. MULLERUS. Non erit diſputatio, ſed tantum amica collatio. PIER. Si ea in nullius debet fieri præiudicium, eſto: verum poſtulationi veſtræ de agnoſcendo & revocando errore, ut, cuius mihi non ſum conſcius, locum dare bonâ conſcientiâ non poſſum. Libro enim Concordiæ neque ſimpliciter ſubſcripſi; cui meæ aſſertionis teſtem habeo vivum adhuc D. Cornerum, neque ab univerſa Lutheri Doctrina, quam vocant, prorſus receſſi, neque aliam Cuſtrini in Marchia, quàm in his terris, doctrinam ſum profeſſus; id quod multis argumentis, ſi ea audire vobis habet, manifeſtum faciam. MIR. Lutheranos nos vocamus non reſpectu perſonæ Lutheri, (neque enim in Lutherum, Calvinum, Paulum vel Cepham baptizati ſumus) ſed reſpectu doctrinæ, quam ex verbo Dei illuſtravit, & contra adverſarios Calviniſtas defendit. Hanc utrum pro vera agnoſcas, nobis indica. In Concordiæ verò Libro nomen tuum ſimpliciter ſubſcriptum reperimus. Debuiſſes ad Electorem Brandeburgenſem ſcribere, & apud illum de recuſata ſubſcriptione te excuſare. PIER. Ad utrumque reſpondeo. 1. Quatenus Lutherus, ex, & cum verbo Dei loquitur, & veritatem defendit, aſſentior illi: ſicut ſimiliter Calvino, non propterea quòd Lutherus vel Calvinus illud dixerit aut ſcripſerit, ſed Chriſti verbo eſt conſentaneum; atque ideò neque Lutheranus ſum, nec Calvinianus, ſed Chriſtianus. Fateor nomen ſimpliciter ſubſcriptum eſſe: quia nolebat Elector Brandeburgenſis addi conditionem; ſed illa fuit referenda ad Commiſſarios Theologos: quod & ego feci. At reſpondit mihi Muſculus, præſente Cornero, ſe quoque habere quod in libro iſto reprehendat: Imo (inquit) ſuffurati mihi ſunt ſubſcriptionem meam

Pierius ut libro Concordiæ ſubſcripſerit.

Muſculus de libro Concordiæ, & ſuâ ſubſcriptione.

homines ſceleſti: ſed quid faciam? quidquid facio, hoc facio propter bonum pacis: idem tu facias: docebit nihilominus unuſquiſque quod hactenus docuit. MUL. Fuit iſ hæc tua tergiverſatio & deceptio, ac proinde non feciſti, quod te honeſtatis ratione facere decuit. PIER. Bona, quæſo, verba D. D. ſi enim dixeris quæ nolueris, iterum audies quæ nolueris: & te precor D.D. Mire, ut contineas colloquium: non enim poſſum ferre hominis iſtius importunitatem. MIR. Omnino non debuiſſes ſubſcribere, niſi doctrinam in libro contentam approbaſſes. Scis enim ſubſcriptores ſe in fine obſtrinxiſſe, quod cum illa doctrina velint comparere in judicio Dei. PIER. Rectè: Et hæc ipſa cauſa me movit, ut licet ſimpliciter ſubſcripſiſſem. HUNNIUS. Audite, jam fatetur ſe ſimpliciter ſubſcripſiſſe. PIER. Audite me prius: etſi, inquam, ſimpliciter ſubſcripſiſſem, tamen publico ſcripto ſubſcriptionem meam revocavi, & remiſſionem peccati, ſubſcriptione illâ commiſſi, apud Chriſtum & Eccleſiam deprecatus ſum: quia cum illa doctrina in conſpectum Chriſti venire non audeo. MIR. Quid igitur reprehendis in Concordia? PIER. Rogavi ante hac D. Mullerum, ut communicaret mihi exemplar, me ordine errores notaturum; ſed obtinere illud non potui. Si verò nunc eos enumerare debeam, non patietur hoc temporis anguſtia, & vos erga me reddidero acerbiores. MIR. Quidquid ſit, ſubſcripſiſti ſemel, & iterum receſſiſti. PIER. Promittebat nobis D. Cornerus Lubuſij ſubſcriptionem non fore ratam ante Synodum, quæ Magdeburgi propediem cogenda eſſet. MUL. Et quid opus foret Synodo, factâ jam ſubſcriptione? PIER. Ut ſi liber à Synodo, in qua liberæ eſſent futuræ voces, approbaretur, poſtea demùm ederetur, quod nunquam fore ego mihi pollicebar. MIR. Non poteris omninò negare, te non fuiſſe Concordiæ approbatorem. Meminiſti enim te aliquando, cum Cuſtrini eſſem, me conveniſſe, & de iniuria periſteri cuiuſdam, qui te errorum inſimulaſſet, conqueſtum fuiſſe, & ubi res ad Theologos & Conſiſtorium delata eſſet, te ex Concordia defenſionis arma deprompſiſſe. PIER. Optime memini, quid Cuſtrini actum: verum alii erant, & quidem graviſſimi, qui mihi ab illo homine affingebantur errores: quòd videlicet docuiſſem; Dum Chriſti Divina Natura cibaſſet quinque millia hominum in deſerto, Humanam ejus naturam interim navigio ſuper mare vectam fuiſſe; quæ certè hæreſis eſt, cujus vel ipſum puderet Neſtorium. Item, me omnipotentiam & veritatem Chriſti negaſſe; & alia huiuſmodi. MIR. Erat tibi tamen etiam controverſia aliqua de aſcenſione Chriſti, & de communicatione Idiomatum; & ſcis me tibi ſententiam meam breviter conieciſſe in chartam. PIER. Sic eſt. Dixeram Aſcenſionem

& importunam vanitatem. Aliis etiam copiam fieri voluit cognoſcendæ veritatis, ideoque ut publicè Calvinianorum libri in ditione ſua venales eſſent curavit.

Chriſtiani Electoris Saxoniæ decretum ut Paſtores abſtineant à convitiis, &c.

Graviſſimo etiam edicto per univerſam Electoralem Saxoniam, aliasque hæreditarias provincias mandavit, ut Eccleſiarum Miniſtri Verbum Dei purè annuntient populo, abſtineant autem à convitiis, maledictis, calumniis, condemnationibus & invectivis, quibus hactenus intemperantiſſimè uſi fuerant, & ſecus facientes loco movit. Patefecit etiam rurſus Saxoniam omnibus iis, qui paulò antè ob orthodoxam ſententiam de Cœna inde ejecti & pulſi fuerant. Concordiæ librum abrogavit, & Corpus Doctrinæ, aliaſque Philippi Orthodoxa ſcripta Eccleſiis & Scholis reſtituit. Exorciſmum quoque abrogavit, & Baptiſmum abjectis omnibus humanis additamentis, juxta inſtitutionem Chriſti ſimpliciter, ad morem Apoſtolicum, adminiſtrare iuſſit. Vt autem Theologorum Vbiquiſticorum convitiis & maledictis publicè & privatim ob hanc cauſam impetitus, ac tantùm non laceratus fuerit, in altera parte Hiſtoriæ noſtræ Sacramentariæ prolixè expoſiumus.

De perſequutione orthodoxorum in Saxonia mortuo Electoris Chriſtiani ſecuta.

Moritur autem verè Chriſtianus Princeps anno 1591. Septemb. die 25. Eius mortem perſequutio graviſſima per univerſam Electoralem Saxoniam ſecuta eſt, quod Theologi Vbiquiſtici unicè optabant. Inquiſitores enim Theologici, quibus Adminiſtrator Fridericus Wilhelmus frena nimiùm laxaverat, non ſolum Theologos quamplurimos, ſed etiam Iuriſconſultos alioſque politicos, viros honeſtos, graves, prudentes & pios, vel parùm de Calviniſmo ſuſpectos, ex Academiis & Conſiſtoriis ejecerunt, aliiſque officiis & dignitatibus privarunt, ne ſuis conatibus reſiſterent.

Nicolaus Crellius in vincula coniicitur & paulò poſt ſupplicio afficitur.

Pridie quàm Electoris Exequiæ Dresdæ celebrarentur, cum D. Nicolaus Crellius Saxoniæ Cancellarius ex aula domum concederet, aliquot ſatellites è curia miſſi ſunt, qui eum in ædibus ſuis cuſtodirent, donec quid de eo faciendum eſſet ſtatueretur. Mox ſubſequuti ſunt alij, qui ſcripta illius omnia in Catalogum redegerunt, ſcriniis incluſerunt & conſignàrunt. Paulo poſt currum aſcendere juſſus, in arcem Hohenſtein deductus, ibique in carcerem detruſus fuit. Tandem anno 1601. Octob. 9. die Dresdæ in Saxonia capitis ſupplicium de eo ſumptum eſt. Hiſtoriam ſupplicij, & proceſſum ſeu modum agendi in lucem ejus propinqui & amici anno 1605. ediderunt.

Crimina obiecta Crellio.

Obiiciebatur illi, quod cruentis & ſeditioſis conſiliis ſuis Patriæ ſuæ ad perpetuam ignominiam, damnumque irreparabile contra conſcientiam ſuam præfuerit: quod Electorem ad mutationem religionis & politicæ adminiſtrationis, ad ſubſidia quoque in Gallias mittenda impulerit: quòd eundem contra Cæſaream Majeſtatem, cæteroſque Electores & Principes imperii inſtigarit: provincias & populum variis periculis expoſuerit: ſchiſmata & diſcordias in Conſilium Principis diſſeminarit: multos Conſiliarios ſuſpectos & exoſos falsò reddiderit: cum cæteris, qui ſuæ Religionis & opinionis erant clandeſtina conſilia communicarit. Paſtores Lutheranos perſequutus ſit & Saxonia ejecerit: Biblia & Catechiſmum Lutheri prohibuiſſe, Calvinianorum ſcripta eorum loco introduxiſſe: Auguſtanam Confeſſionem non mutatam in dubium vocarit, & ſimilium multorum criminum eum reum faciunt, quæ tamen in dicta hiſtorica narratione ſolidè diluuntur omnia.

Poſt ſepultum Electorem, Theologi nonnulli orthodoxi diverſis in locis comprehenſi, & in vincula conjecti ſunt etiam.

Theologorum Vbiquiſticorum quoque inſtinctu pacta & fœdera ante hoc tempus cum exteris Regibus ac Principibus inita, irrita decernuntur. Edictum etiam technis ipſorum promulgatum eſt, quo Calviniſtarum librorum omnium non ſolùm lectio, ſed etiam venditio prohibita fuit.

Defenſio Neuſtadianæ Admonitionis contra Erdfurtenſem Apologiam.

Anno Domini 1586. edita eſt Defenſio Neuſtadianæ Admonitionis, contra Apologiæ Erdfurtenſis ſophiſmata & cavillationes: Scripta, ut habet quidem titulus, ab aliquibus Theologiæ ſtudioſis in Schola Neuſtadiana [illegible] verus ejus auctor fuit Marcus Beumlerus Tigurinus: qui initiò ſtatim Defenſionis huius indicat, Triumviros Erdfurtenſes hæc duo in Apologia ſua ſedulò agenda judicaſſe: Primum, ut Sophiſticâ ſuâ argumentorum pondera Neuſtadianæ Admonitionis eluderent & obtenebrarent: Deinde Ordinem, quo diſpoſita erant, perturbarent & confunderent, ut ſimplices Lectorem magis magiſque ſic involverent, & à ſcopo diſputationis abducerent, ne parius ſui fœditas omnibus conſpicua fieret.

Summa capitum Defenſionis.

Primò autem reſpondetur ad Caput primum Apologiæ, cujus duæ ſunt partes præcipuæ. Prior eſt Proœmium quoddam, in quo Apologiſtæ partim calumniantur, partim de injuriis ſibi ab Admonitione factis conqueruntur, partim quædam Admonitioni concedunt, partim ſua quædam abſurda tegere & velare conantur: Poſterior pars, eſt ipſa de Perſona Chriſti deque communicatione humanitati Maieſtatis divinæ.

In capite ſecundo diluitur crimen noſtris Eccleſiis in Apologia illatum, quòd doceant, Deum nihil cum humanitate Chriſti commune habere. Hinc ſequentes calumniæ diluuntur. [illegible] de ſimilitudine duorum aſſerum. 2. de verbali communicatione Idiomatum. 3. de Arianiſmo. 4. de Neſtorianiſmo. 5. de Paſſione Filii Dei, quaſi doceamus, paſſionem Chriſti ad Filium Dei nihil attinuiſſe. 6. De præſentia Chriſti in his terris: ac ſi docerent noſtræ Eccleſiæ, præſentiam Deitatis

tis

tis Chriſti in his terris, ad Humanitatem eius in Cælo degentem, nihil attinere, & Humanitati illius nihil nobiſcum rei eſſe. 7. de Operationibus Chriſti divinis, in & cum humanitate ſua. 8. de Omnipotentia & omniſcientia Chriſti. 9. de cognitione Chriſti, quod ad officium iudicis attinet. 10. quod Chriſto homini non tribuamus perfectam Dei cognitionem. 11. nos docere, impoßibile eſſe Chriſto, ſecundum humanam naturam ſcire omnia, quæ ſint, fuerunt & futura erunt. 12. de hæreſi Agnoetarum. 13. nos Chriſto, qua homo eſt, nihil tribuere ſupra Naturam Humanam. 14. de reſtitutione omnis poteſtatis poſt reſurrectionem Ch. 15. de incluſione ſive alligatione Chriſti in certo Cæli loco. 16. de depravatione loci Act. 3. v. 21.

In capite tertio probatur & aſſeritur Admonitionis demonſtratio falſarum aſſertionum & in libro Concordiæ, & in Apologia Erdfurtenſi: contendunt enim in utroque ſcripto: 1. proprietates duarum Naturarum in Perſona Chriſti eſſentiales realiter utrique Naturæ communes eſſe. 2. Filium Dei paſſum eſſe ſecundum proprietatem humanæ naturæ. 3. Humanam Chriſti Naturam habuiſſe Maieſtatem & omnipotentiam Divinam à puncto conceptionis ſibi realiter communicatam 4. Corpus Chriſti ſubſtantiâ ſuâ ubique eſſe.

Capitis quarti Apologiæ Erdfurtenſis refutatio in hac Defenſione omiſſa eſt, quòd ea quæ in illo Capite tractantur, à Theologis Anhaltinis graviſſimo in publicum edito ſcripto Germanico, ita omnia ſolidè, eruditè, & ſecundum orthodoxum antiquißimæ Eccleſiæ conſenſum refutata ſunt, ut nihil contra vel à Sexemviris Bergenſibus, vel à Triumviris Erdfurtenſibus lectu dignum hactenus prodierit.

In Capite quinto refutantur, quæ in Apologia afferuntur contra Admonitionem Neuſtadianam, de doctrina Sacramentorum in genere, & de Cæna Domini in ſpecie.

In Capite ſexto diluuntur accuſationes, 1. quòd noſtræ Eccleſiæ verba Cænæ obſcurent. 2. quòd noſtri verba Chriſti corrumpant, & in alienum ſenſum detorqueant. 3. quod verba Chriſti ſecundum rationis Humanæ iudicium exponant. 4. quod noſtrorum aliqui verba Inſtitutionis non recitent in Adminiſtratione Cænæ. 5. quòd noſtri verba Chriſti variè interpretentur. 6. quòd doceamus, Sacramenta nihil aliud eſſe niſi nuda ſigna, & notas, quibus agnoſcantur & diſcernantur Chriſtiani ab aliis hominibus. 7. quòd doceamus, panem & vinum Cænæ tantum eſſe ſigna ſignificantia Corporis Chriſti. 8. Refutantur calumniæ Apologiæ de procul abſente Corpore Chriſti. 9. de analogia ſigni & ſignati. 10. de ſolius panis & vini in Cæna præſentia in noſtris Eccleſiis. 11. de præſentia Chriſti in Cæna ſecundum Divinitatem tantum. 21. de Chriſti tantum ſpirituali præſentia. 13. de ſolius virtutis, efficaciæ, & meriti carnis Chriſti communione. 14. de præſentia Chriſti in Cæna quam fides faciat. 15. quod doceamus, dignitatem accedentium Cænam Domini, non in ſola fide conſiſtere, ſed etiam interna præparatione hominis. 16. quod ipſis tribuamus eſum Corporis Chriſti Carpernaiticum.

In Capite ſeptimo refutatur defenſio Erdfurtenſis Apologiæ falſarũ aſſertionum Libri Concordiæ de Cæna Dom. inter quas hæ ferè præcipuæ ſunt. 1. Corpus Ch. eſſe ſubſtantialiter in pane, & ſanguinem in vino, & ore corporis edi ac bibi. 2. Corpus Ch. in Cæna manducari etiam ab impiis ac infidelibus. 3. Elementa conſecrari per recitationem verborum Chriſti: hoc eſt, verbis recitatis ſuper panem & vinum, fieri, ut adſit in pane corpus, & in vino Sanguis Ch. corporaliter, & ſumatur ore piorum & impiorum. A Ch. enim iuſſionem & operationem ſuam recitationi noſtræ alligatam eſſe. 4. Confirmari fidem per oralem manducationem Corp. Ch. 5. Panem & vinum Cænæ Dom. ad hunc uſum conſecrari & ſumi, ut illis caro & Sanguis Ch. ſumantur ore Corporis 6. Cænam ideo inſtitutam eſſe, ut confirmet, Chriſtum etiam ſecundum naturam habentem carnem & Sanguinem, nobiſcũ eſſe, & in nobis habitare, & operari velle.

In octavo Capite diſputatur de authoritate Auguſtanæ Confeßionis.

In nono Cap. agitur de vera ſententia eiuſdem Confeßionis: & quod Erdfurtenſis Apologia aſſerit, Vbiquitatem in Auguſtana Confeſſ. doceri, id Defenſio rationibus firmis negat. Deinde probat contra Apologiam, in Confeßione Auguſtana, non quidem expreſſè & diſertè noſtram ſententiam aſſeri, ſed in ea tantum nihil contineri quod noſtram doctrinam evertat.

In decimo Cap. Defenſio contra Apologiam probat, polemica Lutheri *ſcripta non poſſe eſſe normam doctrinæ publicæ, ad quam omnes Eccleſiæ alligatæ ſint. Item,* Lutherum, *quia lubrico & ruinoſo fundamento niteretur, quatuor ad minimum opiniones foviſſe de Cæna Dom. Item,* Lutherum *paulò ante obitum ſuum, antequam Vuitebergã in patriam proficiſceretur,* Philippo Melanthoni *faſſum eſſe, in negotio de Sacramento nimium à ſe factum eſſe.*

In Cap. undecimo probat, noſtros injuſtè tanquam hæreticos, & non auditos in Libro Concordiæ condemnari.

In Cap. duodecimo, quia Apologia Erdfurtenſis præteriit 59. antilogias, quas Admonitio Neuſtadiana in Concordiæ libro monſtravit, & unicam tantum attigit de Vbiquitate, Defenſio probat, Vbiquitatem cum orali manducatione pugnare.

In Cap. decimo tertio probatur, talem modum agendi à Bergenſibus in adornando & ſubſcribendo Libro Concordiæ, uſurpatum eſſe, qualis demonſtretur in Admonitione Neuſtadiana.

CORDIÆ: Das iſt/ was im ſelbem Buch/ ſo wiel beyde hochwichtige Artickul von der Perſon Chriſti vnd dem H. Nachtmahl anlangt/ für ein Lehr und Glauben begriffen und geführet werde. Beneben angehengten etlichen vnderſchiedlichen Cenſuren/ Judicien und Bedencken vber die ienigen Perſonen und Theologen/ ſo zu verfaſſung obberürten Concordi Buchs und deſſelben Apologiæ verordnet und gebraucht worden: Darauß ein ieder einfeltiger Chriſt/ der nicht mutwilliger weiß betrogen ſeyn will/ angewieſen wirdt/ die Lehr deß Concordi Buchs/ nach Anleitung der Artickulen deß allgemeinen Chriſtlichen Glaubens/ und auß Gottes Wort zuvrtheilen/ und die Geyſter zuprüfen.

Inter Cenſuras vero & Iudicia duo inprimis in hoc libro continentur, huiuſmodi titulis: Extract auß einem Fürſtlichen Schreiben/ darinnen der Pfaff Schmidlein/ ſo der Meiſter vnder denen/ ſo das Concordi Buch geſchmidet/ geweſt/ eygentlich abgemahlet wirdt/ ꝛc. 2. Extract und kurtzer Außzug eines Geſpréchs/ ſo ein hohe Fürſtliche Perſon welche ihr das Concordi Werck ſehr angelegen ſeyn laſſen in ihrer Schlaffkammer/ in beyſein etlicher irer vornemen Räth und Secretarien/ mit D. Kirchnern/ ſo die Erdfürtiſche Apologiam zum Weinfaß ſchmiden/ und hernach in der Statt Braunſchweig zum vollen Faß vollendt auffſlicken helffen/ gehalten/ laut Prothocolls den 6. Julii Anno 82. auffgefaßt. Darinnen die Collectores deß Concordi Buchs/ mit ihren lebendigen Farben herauß gebutzt werden/ darumben ſich nicht zu verwundern/ daß das gantze Werck nicht beſſer gerahten/ ꝛc.

Acta & ſcripta ad Formulam Concordiæ pertinentia. ACTA und Schrifften zum Concordi Buch gehörig und nöhtig. Darinnen zwiſchen den Fürſtlichen Braunſchweigiſchen/ und Würtenbergiſchen Theologen/ geſtritten wirdt. 1. Ob die Vbiquitet und Lehr von der Allenthalbenheit deß Leibs oder Menſchheit Chriſti im Concordi Buch ſtatuirt und begriffen. 2. Ob ſolche Lehr der Vbiquitet in Gottes Wort grundt habe oder nicht. In welchen beyden Fragen die Braunſchweigiſchen die negativam, die Würtenbergiſchen aber die affirmativam vertheidigen thun. Sampt etlichen zu ende angehefften/ und hierunder beyderſeits gewechſelten Miſſiuen.

Eodem etiam tempore Flaccio-Brentiani quidam Concordiæ librum liberis in ſuperiori Hungaria civitatibus obtrudere conati ſunt, eoque maximarum turbarum & diſcordiarum au[illegible]ores fuerunt. Indixerat Synodum Paſtori[illegible] [illegible]viratum illarũ D. Thomas Frœlichius Caſſ[illegible]enſis Paſtor, & reliquarum Eccleſiarum conjunctarum tunc temporis ſenior, Anno 1574. Caſſoniæ 18. Ianuarii celebratum. In ea communi, tam Paſtorum quàm Politicorum conſenſu, approbata prius vetere confeſſione, octo articuli conditi ſunt Flaccianorum furoribus oppoſiti, tum maxime in multis locis Germaniæ graſſantibus, hoc conſilio, ne (ut ſunt hominum mentes novarum rerum cupidæ, & natura ad errores arripiendos & approbandos, quàm ad veritatem inveſtigandam & propagandam ſemper procliviores) Eccleſiæ illæ ſatis alioquin afflictæ, iſtarum & in religione novarum confuſionum acceſſione perturbarentur. Ut autem illarum Paſtores evidentiori teſtificatione ſe ab omnib. novis & erroneis opinionibus ſejungerent, publicè proteſtati ſunt, ſe à corpore Doctrinæ Philippi Melancthonis, quandoquidẽ ſacris literis conſentanea doceat, & a Scriptis D. Lutheri, & horum ſinceris diſcipulis tum Vuitebergæ & Lipſiæ S. Teologiam profitentibus in nullo articulo diſcedere velle. In eadem Sydodo quoq; Thomas Faber Ludirector Barthenſis à corpore Doctrinæ aliena de perſona Chriſti diſcipulis ſuis propoſuiſſet: qui quidem tum promiſerat, ſe à diſcipulis chartas illus repetiturum & Vulcano traditurum eſſe, ne ſe authore nova & ſcandaloſa dogmata in illas Eccleſias [illegible]herentur. Hos articulos una, cum c[illegible]ne liberarum Civitatum Caſpar Pi[illegible]cius Vuaralien. Eccleſiæ Mar[illegible]ivill[illegible] in Scepuſia Paſtor Caſſonia ex officio ſcholaſtico Vuitebergam profi[illegible]ſcens, Seni[illegible]ris & Conſeniorum juſſu & commi[illegible]one ad Profeſſores Academiæ illius pertulit, ut conſtaret, quod & prolixa Epiſtola teſt[illegible]batur Eccleſias illas unanim[illegible]m c[illegible]m illis in religione conſenſum fovere, & opinion[illegible] Flaccio-Brentianis nullum locum dare velle. Hanc illorum in Orthodoxa religione tuenda conſtantiam, & ad evitanda periculoſa certamina vigilantiam, Theologi Vuitebergenſes magna cum gratulatione approbarunt & exoſculati ſunt. Verum pace Eccleſiarum Saxonicarum turbata, & formula Concordiæ in lucem edita, ut in locum corporis Doctrinæ Philippi Melanchtonis ſuccederet, etiam Eccleſias illas Hungaricas hæc publica & fatalis calamitas invaſit. Quidam enim Mentor & Crazerus videntes eos certa confeſſione colligatos, & formulam Concordiæ non facilè admiſſuros eſſe, ut eos ſuſpectos apud omnes facerent, corpus Doctrinæ cui ſubſcripſerant erroris ſacramentarii publicè ac[illegible]are ceperunt & cunctos, qui id approbarent ac defenderent condemnare. Hoc cùm & in Marcinillana Eccleſia publicè & privatim facerent, Pilcius brevi ſcripto Corporis Doctrinæ complexus eſt. Contra utrumq; defenſionem, illudq; Benedicto Belſio Paſtori Eppericnſi & Seniori exhibuit. Ille approbavit Scriptum. Mentoremq; & Crazerum Eccleſiarum illarum hoſtes nominavit

dis-

dixitque ſe maximo eius periculo moveri, quo minus communem cauſam defendendam ſuſciperet, commodiorem occaſionem expectandam eſſe, quo conjunctis viribus his calumniatoribus & Eccleſiarum Turbatoribus occurri poſſit. Interea ne ſibi Pileius formulam Concordiæ a ſuo Magiſtratu obtrudi pateretur, ſedulò ipſum monuit Belſius inſtruxitque rationibus quibus niteretur, ſi quid tale tentaretur.

Quod ſi Belſius in hoc ſano propoſito perſeveráſſet, à quo poſtea fatali quodam malo deturbatus eſt, minus hodie confuſionum & turbarum in iſtis Eccleſiis Hungaricis eſſet. Nunc verò Corporis doctrinæ Philippi nudo ſaltem titulo fit mentio: Brentius contrà, Kemnitius, & Schmidlinus, qui in veram doctrinam de Filio Dei novos errores in veteri corpore doctrinæ reiectos induxerunt cum Formula Concordiæ canoniſantur à pleriſque quibus docendi munus in Eccleſiis & ſcholis iſtis Bartphę in primis demandatum eſt.

Vtque liberè Magiſtratûs authoritate abutantur, & aures vulgi orthodoxis prorſus intercludant, onerant eos calumniis indigniſſimis & maledictis acerbiſſimis.

Theſes Hunnii de unione hypoſtatica utrunque examen.

Anno 1592 Hunnius *Vuitebergæ theſes ad diſputandum propoſuit* de Vnione hypoſtatica duarum Naturarum in Chriſto. *Cumque in iis omnis vela ingenij & Sophiſtica ſuæ quod ad hanc controverſiam attinet, de unione hypoſtatica, ſeu Vbiquitate & illocalitate corporis Chriſti, expanderit, in Lectoris gratiam paucis eas cum* Beroaldo *percurram.*

In theſi 3. dicit, humanitatem perſonę Verbi vi Vnionis plene capacem eſſe. *Quo pacto autem Natura finita, id eſt, Corpus ſolidum ac verum, Naturam infinitam, id eſt, Deitatem* PLENE *capere poſſit, non liquet, niſi fortaſſe putet* Hunnius, *Deitatem carne Chriſti, quaſi vaſculo aliquo, plenè capi, quod* Euſtathius *Antiochenus vehementer improbat apud Theodoretum Dial.* 3.

In theſi 6. dicit, Corpus Chriſti conforme manere beatorum glorificatis corporibus ſubſtantiæ & quantitatis ratione. *Primo autem Apoſtolus diſertè dicit. Chriſtum conforme redditurum Corpus noſtrum humilis corpori ſuo glorioſo. quæ verba Apoſtoli maieſtate [illegible] fuit, quum* Hunnius *ſer[illegible] [illegible] faciat. Deinde [illegible] corpora etiam glorificata non ubique [illegible] aut illocalia, quale* Hunnius *vult eſſe Corpus Chriſti glorificatam. Locum Apoſtoli alter [illegible]* Theodoretus *Dial.* 2. *ubi verba [illegible] hæc addit:* Non igitur Corpus Chriſti in aliam Naturam mutatum eſt, ſed Corpus manſit, diviná tamen gloriá plenum, & radios lucis emittens: illi corpori conformia exiſtent Sanctorum corpora. Quod ſi illud in aliam naturam mutatum eſſet, etiam horum corpora ſimiliter mutarentur. Nam, ut dictum, illi conformia exiſtent. Si vero Sanctorum corpora ſuæ Naturæ formam & lineamenta retinent, etiam Domini corpus ſuam eſſentiam ſimiliter [illegible] mutatione retinebit.

Longiſſimè differunt animæ corporiſque coniunctio, & Vnio duarum naturarum in Chriſto.

In Theſi 9. dicit, Perſonam poſt Incarnationem σύνθετον eſſe, atque ita loquutos eſſe Scriptores Eccleſiaſticos, *ait. Sed compoſitionis modum explanare debuit* Hunnius, *ne ſimile ab ipſo paulo poſt adductum rudiores in errorem adduceret. Nam longiſſimo intervallo diſtant animæ corporiſque conjunctio & Vnio duarum naturarum. Animus enim & corpus nequaquam integræ & perfectæ eſſentiæ ſunt ſed unius eſſentiæ partes: Divina vero & Humana Natura in Chriſto eſſentia ſunt ſic integra atque perfecta, ut nullá ratione unam tertiam eſſentiam abſolvere poſſint. Poteſt hoc declarari ex* Iuſtino *Martyre, In Expoſitione fidei:* Homo, *inquit*, etſi conſtat ex anima & corpore, non tamen idem eſt cum eis, ſed diverſum: ut iam homo ex conjunctione animæ & Corporis aliud ſit abſolutum tertium, Nam corpus μένει τὸν οἰκεῖον σώζον λόγον, cùm etiam mortuum tres dimenſiones retineat. Similiter etiam anima ſeparata rationis particeps manet. Cæterum homo periit, qui conſtabat ex coniunctione utriuſque. At Chriſtus, non ex Deitate & Humanitate Chriſtus factus eſt, cum non ſit diverſus ab his duabus, ſed utrunque homo & Deus. *Hæc Iuſtinus.*

In Theſi 15. *dicit*, unum eſſe Chriſtum non converſione Deitatis in carnem, ſed aſſumptione Humanitatis in Deum. *Hic explicatiuncula neceſſaria fuiſſet, ita ſcilicet humanitatem vel carnem aſſumptam in Deum, ut caro ſit pars Perſonæ illius, quæ Deus eſt, non autem Deitatem æquet proprietatibus.*

In Theſi 19. *notat ſimilia, quibus nonnulli demonſtrare voluerunt non neceſſe eſſe, ut id, quod in Deo eſt, quemadmodum* Auguſtinus *loquitur, ſic ſit ubique ut Deus. Neque enim, ut ipſis videtur, Vnio Naturarum exæquatione conſtat. Convenientior eſt*, Hunnii *iudicio ſimilitudo animæ & corporis, quam gemmæ & annuli. In quo tamen diſceſſit ab opinione ſui præceptoris, qui in Colloquio Mulbrunnenſi*, Similitudo, *inquit*, de anima & corpore ſumpta myſterium hoc declarare nequit, quia loquitur de re naturali, *&c. Sed ſit illa convenientior, ad demonſtrandum unum [illegible] ex duabus naturis conſtans, ut ſupra ex* Iuſtino *oſtenſum: Verum quod addit Theſi* 21. ſic totum incarnatum λόγον extra ſuam carnem neceſſe, nec quæri aut inveniri poſſet, ſicut animâ ſubſtantiâ ſua non ſit extra corpus,

tota quippe ſuo corpori unita. Id vero indiget luculentiore explicatione. Nam quæ ponuntur in Theſi 25. à nemine intelligi poteſt. Si Divinitas ita eſt in carne ut anima in corpore, quid ſequatur, vel quæri debet. Sed non quærendum λόγον nunquam non unitum carni, ſed λόγον extra carnem nuſquam exiſtere, nemo mihi perſuaſerit. Ubicunque caro, ibi λόγος. ſed non ubicunque λόγος, ibi quoque caro exiſtit. Non enim continetur λόγος intra anguſtias corporis, ſed ſimul & intra corpus & extra omnia eſt. Simile igitur illud vel reiiciendum eo ſenſu, quo Hunnius vult, vel admittendum eo modo, quo Veteres uſurparunt. Nam quod dicit Theſi 25. ex ipſorum doctrina non ſequi ejuſmodi aliquam incluſionem τοῦ λόγου in aſſumptam Naturam, quæ Perſonam Verbi ab infinitate ſua deiectam finitam efficiat, Sibyllæ folia ſunt. Theſi 6. dixit Chriſtum non phantaſma corporis, ſed corpus ſolidum ac verum aſſumpſiſſe, quod carne conſtaret & oſſibus: extra hoc Corpus ſi λόγος nec eſt, nec quæri aut inveniri poteſt, ut Hunnius ait, non immerito inde ab aliquo colligi poteſt, perſonam Verbi finitam eſſe: præſertim cum Theſi 22. non obſcure eos reprehendat, qui λόγον extra carnem in innumeris reliquis locis exiſtere, vel, ut ipſe loquitur, ſubſiſtere contendunt. Atqui orthodoxè Iuſtinus in Expoſit. fidei, Credo, inquit, λόγον ubique adeſſe ſecundum eſſentiam, & eximio modo exiſtere in templo proprio. Orthodoxè etiam Athanaſius de Incarnatione Verbi λόγος, inquit, non eſt colligatus corpori, ſed ipſe corpus continet, ut & in eo ſit, & extra omnia, & in ſinu Patris, neque cùm ſit in omnibus ſit pars aliorum, ſed omnia vitam ſuſtentationemque ab ipſo accipiunt.

In Theſi 23. ex perſonali Unione, quam in corporali inhabitatione & immanentia plenitudinis Deitatis in carne conſiſtere dicit, per immotam conſequentiam infert, quod ubi λόγος in carne non habitet, ſed extra illam eſſe fingitur, ibi nec unitus cum ea dici poſſit. Reſpondeo, Divina Natura in Chriſto quia immenſa & infinita, eadem ſimul tota & in ſuo Corpore & extra Corpus exiſtit. Manet igitur Divinitas unita carni ubicunque exiſtit, ſive in Corpore, ſive extra Corpus: & hoc ubicunque eſt, unitum manet Deitati, nec propterea tamen eſt, ubicunque eſt Deitas. Cùm enim Divinitas comprehendi non queat, & omni loco præſens ſit, neceſſario conſequitur eſſe eam quidem extra Humanam Naturam, quam aſſumpſit, ſed nihilominus tamen eſſe in eadem eique Perſonaliter unitam manere. Nam quod metuit Hunnius, ne intima illa planeque indiſſolubilis Unio locorum ſpatiis diſtrahatur, puerile eſt. Neque enim caro à Verbo ſeparatur, & ſi non eſt ubique, cum λόγος ſemper in ea maneat & quidem ἀδιασπάστως. Ut lux eſt in corpore ſolari, ſi λόγος in carne, quo ſimili Iuſtinus utitur, ita videlicet, ut neque lux in ſole, neque Deitas in Chriſti corpore includatur, verum & extra illud ſit, & tamen ab eo non divellatur. Neque enim λόγος dividi poteſt loco à Natura Humana cum ubique ſit, ac proinde ubicunque eſt, ſimul totus & idem in ſua carne ſit. Chriſtus ubique eſt totus ac indiviſus, ſed non totum Chriſti, idque ſine ulla diviſione.

Theſes 26. 27. obſcuriſſimæ ſunt. Theſi 6. dixit, à Chriſto fuiſſe aſſumptum Corpus ſolidum ac verum, quod conſtaret carne & oſſibus: quod corpus etiam in gloria verum maneat. Hæc ſi vera ſunt, ut ſunt certe, qui fit, ut huic vero corpori locum adimat Hunnius? Etſi enim alia ratio eſt humanitatis vel corporis ipſius, alia loci: nunquam tamen evincet vi unionis factum fuiſſe ut caro ſupra localitatem in ipſa Filij Perſona ſubſiſteret, ut ipſe loquitur. Quorum verborum ſenſum hunc eſſe puto, ut intelligat corpori localitatem poſſe adimi, quo tempore nobis libuerit. Huic opinioni tota Evangelica hiſtoria & Antiquitas orthodoxa acerrimè refragatur, infinitis propemodum in locis teſtificans, Humanam Naturam etiam in gloria & majeſtate viſibilem & circumſcriptam eſſe, de loco in loco mobilem, & uno tempore uno tantum loco exiſtere. Spacia locorum tolle corporibus, inquit Auguſtinus & nuſquam erunt, & quia nuſquam erunt, nec erunt. Unde valdè frivolum eſt, quod theſi 29. dicit, carnem in loco cum vult exiſtere. Quandiu enim λόγος volet carnem eſſe, tandiu etiam volet eam loco circumſcribi. Iam vero quod ſemel aſſumpſit, nunquam vult deponere, nunquam igitur etiam volet localitatem illi adimere.

In Theſi 28. dicit, locum ambientem carnem extra ὑπόστασιν Verbi manere perpetuo. Nemo autem unquam dixit loco includi ὑπόστασιν Verbi: ſed carnem aſſumptam ideò loco non circumſcribi, quod in ὑπόστασιν Verbi aſſumpta ſit, non conceditur. Auguſtinus certe non concedit, qui diſerte dicit, Non conſequens eſſe ut id, quod in Deo eſt, ſic ſit ubique, id eſt illocale, ut Hunnius loquitur, quemadmodum Deus. Etſi enim cum Deo λόγῳ unum eſſe ὑφιστάμενον non eſt ſitu ac loco phyſico circumſcribi, idem tamen non eſt etiam non circumſcribi. Eſt enim idem Filius Dei & ἀπερίγραπτος & περίγραπτος. Putidum igitur commentum eſt quod additur Theſi 29. Vi Unionis vel reſpectu ejus carnem locum, in quo aliàs commoratur, ineffabiliter tranſcendere. Rectè dicit ineffabiliter. De hujuſmodi enim tranſcenſione ne fando quidem quicquam ad nos pervenit.

Porro illuſtrare conatur Hunnius πανταχουσίαν ſuam terminis Scholaſticis theſi 30. & dicto

Atha-

Athanaſii *theſi* 35. *quod* Hunnius *ita explicat, ut dicat*, carnem perſonalis Vnionis reſpectu omnem localitatem tranſcendere, & in λόγῳ illocalem exiſtendi modum verè ſortiri. *Theſi autem* 6. *dixit*, verum Corpus etiam manere in gloria: *hîc aſſerit illocale eſſe, vel poſſe, quorum neutrum in verum corpus, quandiu corpus eſt, cadit.*

In ſymbolo Chalcedonenſi, cujus Hunnius *dicis causâ mentionem facit, confitetur Eccleſia*, Chriſtum coeſſentialem Patri ſecundum Divinitatem, & coeſſentialem nobis ſecundum Humanitatem per omnia nobis ſimilem, dempto peccato: *non addidi, ut* Hunnius, *remota localitate: Miror, quid cogitarit* Hunnius, *cùm legit hoc* Auguſtini *in Iohan. Tract.* 71. A quibus homo abſcedebat, Deus non recedebat, & idem ipſe Chriſtus Deus & homo eſt. Ergo & ibat per id, quod homo erat, manebat per id, quod Deus erat. Ibat per id, quod uno loco erat, manebat per id, quod ubique erat. *Item hoc* Vigilii *lib.* 4. *contra Eutychen*: ſecundum vos aut verbum cum carne ſua loco continetur, aut caro cum Verbo ubique eſt: quando una Natura contrarium quid & diverſum non recipit in ſeipſa. *Diverſum autem eſt, & longè diſſimile circumſcribi loco & ubique eſſe. Et quia Verbum ubique, caro autem eius ubique non eſt, apparet unum eundemque Chriſtum utriuſque eſſe Naturæ, & eſſe quidem ubique ſecundum Naturam divinitatis ſuæ & loco contineri ſecundum Naturam Humanitatis ſuæ.*

Ex dictis, *inquit Hunius theſi* 39. apparet etiam, Vnionem λόγου cum carne ipſarummet Naturarum ad ſe invicem κοινωνίᾳ verâ ſolidaque eſſe deſcribendam. *Hic divinare vix quiſquam poteſt, quid ſit* Hunio *Naturarum κοινωνία. Si, ut veteribus nonnullis, idem eſt quod ἕνωσις ὑποστατικὴ, fuerit tam deſcribenda ἕνωσις per ἕνωσιν: quo quid ineptius? At περὶ ἑνώσεως* Hunium *loqui ſequens Theſis indicat, in qua* Cyrilli *&* Damaſceni *verbis utitur, quibus humanitati τοῦ λόγου perſonam communicatam & donatam eſſe idem eſt, quod unitam eſſe. Inde autem ſequitur, quod* Hunius *ponit theſi* 41. ut Perſona Deitatis ſit utrique Naturæ communis, *hoc eſt*, Hunio *interprete*, ut Deitas Naturæ Humanæ ſuam Naturam, *id eſt*, Deitatem communicet, *hoc eſt*, ut λόγος ſit Naturâ Deus, Humanitas autem Deus vi Vnionis. *Atque hanc mentem* Hunii *eſſe ſequentia evidentiſſimè probant, ubi dicitur*, carnem ὑποστάσεως τοῦ λόγου participem evaſiſſe non nudo titulo, ſed reverâ. *Quemadmodum autem λόγος, particeps factus eſt carnis & Sanguinis ita, ut Deitas non ſit Humanitas: ſic etiam caro particeps facta τοῦ λόγου ut Humanitas non ſit Deitas. Ac errorem* Hunii *ſimilia quæ in fine addit pulcherrimè refutant. Etſi enim anima Corpori unita eſt, vel ut* Hunius *loqui ſolet, communicata aut collata, non tamen vi Vnionis illius anima ſit Corpus, vel corpus anima. eadem eſt ratio ignis & ferri candentis, ut ex admonitione Neuſtadiana diſcere potuiſſet.* Apollinarius *ipſe apud* Theodoretum *multò conſultius quàm* Hunius *ſentiens, negat ex ſimilitudine ignis & ferri candentis, Dei cum corpore unionem mutationem eſſe corporis: Et addit*, Si homo habet animam & corpus, eaque manent in Vnione: multò magis Chriſtus habens Deitatem cum corpore utraque habet permanentia & non confuſa.

CAPVT XLIX.

Colloquium Theologorum viſitatorum in Electorali Saxonia, Miri, Mulleri, Hunii, N. N. & Præfecti Vigilum, cum D. Vrbano Pierio in carcere habitum.

Poſt mortem Chriſtiani Electoris Saxoniæ, inter Theologos aliquot, diverſis in locis comprehenſos, & in vincula conjectos, D. Vrbanus Pierius *quoque fuit, Profeſſor & Concionator Vvitenbergenſis, quem Elector paulò antè Cuſtrino ex Marchia Brandenburgenſi evocarat. Cum enim Vvitenbergam Conſiliarii Principis Adminiſtratoris veniſſent*, Pierium *ad ſe vocarunt, mandatum ſuum illi exhibuerunt, & tandem ſententiã pronunciarunt, ut captivus ſcilicet à Magiſtratu in arcem abduceretur. Qui cùm hanc ſententiam iniquam eſſe diceret, & cauſam ſuam multis argumentis defendere conaretur in apertam penè diſputationem provecti fuiſſent. Cæterum rata permanſit ſententia, &* Pierius *captus in arcem, quàm occultè fieri potuit, à Conſule abductus fuit Anno* 1592. *Anno ſequente die* 21. *Iulii menſis* D. Pierium, *iam ſeptimanas* 36. *in carcere detentum Præfectus vigiliæ horâ* 5. *veſpertinâ, & de ſuo ad illum in carcerem adventu cum vix præmonuiſſet, ſubſequuti ſunt continuò dicti Theologi, & ubi ex ordine conſediſſent, cum eo colloqui cœperunt:* primò, *de ſubſcriptione Libri Concordiæ:* Secundò, *de omnipræſentia corporis Chriſti in terris. Cumque utile ſit noſſe Vbiquiſticorum Theologorum morẽ diſputandi, artes, dolos, fraudes, & ſophiſticas eluſiones argumentorum, Acta Colloquij hujus, bona fide ab uno qui interfuit, excepta, in Lectoris gratiam integra adſcribam.* Captivitas Vrbani Pierii. De quibus articulis colloquium habitum ſit.

Mirvs. *Cum ex mandato Illuſtriſſ. Ducis Saxoniæ, &c. ad nos devoluta ſit viſitatio. voluimus etiam te* D. Vrbane, *ex quadam commiſeratione (nullum enim de te mandatum habemus)*

habemus) in carcere tuo viſitare, & audire, num in viam te reducere poſſimus; ac proinde apud Illuſtr. Principem pro te, ſi veritati manus dederis, libenter intercedemus, ut ex hoc carcere dimittaris. Conſtat autem tibi quod à Formula Concordiæ, cui ſubſcripſiſti, & a Lutheri doctrina, quam in Marchia profeſſus es, receſſeris, & in his terris damnatos errores Calvinianos ſparſeris. Ut igitur tibi, conjugi, & liberis conſulas, agnoſce errorem, & ad mentem meliorem redi. PIERIUS. Habeo gratiam reverendis & clariſſimis Dominis Doctoribus pro viſitatione; & precor Deum, ut inſtitutum veſtrum in ipſius cedat gloriam, & Eccleſiæ ædificationem: ſpero quidem vos mihi bene cupere, & de te præſertim D. Mire; ut, cujus fidem antehac expertus ſum, ſicut tu viciſſim meam, omnino hoc mihi perſuadeo. Si verò eſt animus vobis meum diſputandi & colloquendi, alio loco & tempore hoc fieri oporteret: aut, ſi omnino hic conferre mecum volueritis, opus mihi fuerit arbitris & notario. MULLERUS. Non erit diſputatio, ſed tantum amica collatio. PIER. Si ea in nullius debet fieri præjudicium, eſto: verum poſtulationi veſtræ de agnoſcendo & revocando errore, ut, cujus mihi non ſum conſcius, locum dare bonâ conſcientiâ non poſſum. Libro enim Concordiæ neque ſimpliciter ſubſcripſi; cui meæ aſſertionis teſtem habeo vivum adhuc D. Cornerum, neque ab univerſa Lutheri Doctrina, quam vocant, prorſus receſſi, neque aliam Cuſtrini in Marchia, quàm in his terris, doctrinam ſum profeſſus; id quod multis argumentis, ſi ea audire vobis habet, manifeſtum faciam. MIR. Lutheranos nos vocamus non reſpectu perſonæ Lutheri, (neque enim in Lutherum, Calvinum, Paulum vel Cepham baptizati ſumus) ſed reſpectu doctrinæ, quam ex verbo Dei illuſtravit, & contra adverſarios Calviniſtas defendit. Hanc utrum pro vera agnoſcas, nobis indica. In Concordiæ verò Libro nomen tuum ſimpliciter ſubſcriptum reperimus. Debuiſſes ad Electorem Brandeburgenſem ſcribere, & apud illum de recuſata ſubſcriptione te excuſare. PIER. Ad utrumque reſpondeo. 1. Quatenus Lutherus, ex, & cum verbo Dei loquitur, & veritatem defendit, aſſentior illi: ſicut ſimiliter Calvino, non propterea quòd Lutherus vel Calvinus illud dixerit aut ſcripſerit, ſed Chriſti verbo eſt conſentaneum; atque ideò neque Lutheranus ſum, nec Calvinianus, ſed Chriſtianus. Fateor nomen ſimpliciter ſubſcriptum eſſe: quia nolebat Elector Brandeburgenſis addi conditionem; ſed illa fuit referenda ad Commiſſarios Theologos: quod & ego feci. At reſpondit mihi Muſculus, præſente Cornero, ſe quoque habere quod in libro iſto reprehendat: Imò (inquit) ſuffurati mihi ſunt ſubſcriptionem meam homines ſceleſti: ſed quid faciam? quidquid facio, hoc facio propter bonum pacis; idem tu facias: docebit nihilominus unuſquiſque quod hactenus docuit. MUL. Fuit iſthæc tua tergiverſatio & deceptio, ac proinde non feciſti, quod te honeſtatis ratione facere decuit. PIER. Bona, quæſo, verba D. D. ſi enim dixeris quæ nolueris, iterum audies quæ nolueris: & te precor D. D. Mire, ut contineas colloquium: non enim poſſum ferre hominis iſtius importunitatem. MIR. Omninò non debuiſſes ſubſcribere, niſi doctrinam in libro contentam approbaſſes. Scis enim ſubſcriptores ſe in fine obſtrinxiſſe, quod cum illa doctrina velint comparere in judicio Dei. PIER. Rectè: Et hæc ipſa cauſa me movit, ut licet ſimpliciter ſubſcripſiſſem. HUNNIUS. Audite, jam fatetur ſe ſimpliciter ſubſcripſiſſe. PIER. Audite me prius: etſi, inquam, ſimpliciter ſubſcripſiſſem, tamen publico ſcripto ſubſcriptionem meam revocavi, & remiſſionem peccati, ſubſcriptione illâ commiſſi, apud Chriſtum & Eccleſiam deprecatus ſum: quia cum illa doctrina in conſpectum Chriſti venire non audeo. MIR. Quid igitur reprehendis in Concordia? PIER. Rogavi ante hac D. Mullerum, ut communicaret mihi exemplar, me ordine errores notaturum; ſed obtinere illud non potui. Si verò nunc eos enumerare debeam, non patietur hoc temporis anguſtia, & vos erga me reddidero acerbiores. MIR. Quidquid ſit, ſubſcripſiſti ſemel, & iterum receſſiſti. PIER. Promittebat nobis D. Cornerus Lubuſij ſubſcriptionem non fore ratam ante Synodum, quæ Magdeburgi propediem cogenda eſſet. MUL. Et quid opus foret Synodo factâ jam ſubſcriptione? PIER. Ut ſi liber à Synodo, in qua liberæ eſſent futuræ voces, approbaretur, poſtea demùm ederetur, quod nunquam fore ego mihi pollicebar. MIR. Non poteris omninò negare, te non fuiſſe Concordiæ approbatorem. Meminiſti enim te aliquando, cum Cuſtrini eſſem, me conveniſſe, & de injuria periſteri cujuſdam, qui te errorum inſimulaſſet, conqueſtum fuiſſe, & ubi res ad Theologos & Conſiſtorium delata eſſet, te ex Concordia defenſionis arma deprompſiſſe. PIER. Optime memini, quid Cuſtrini actum: verum alii erant, & quidem graviſſimi, qui mihi ab illo homine affingebantur errores: quòd videlicet docuiſſem; Dum Chriſti Divina Natura cibaſſet quinque millia hominum in deſerto, Humanam ejus naturam interim navigio ſuper mare vectam fuiſſe; quæ certè hæreſis eſt, cujus vel ipſum puderet Neſtorium. Item, me omnipotentiam & veritatem Chriſti negaſſe; & alia hujuſmodi. MIR. Erat tibi tamen etiam controverſia aliqua de aſcenſione Chriſti, & de communicatione Idiomatum; & ſcis me tibi ſententiam meam breviter conjeciſſe in chartam. PIER. Sic eſt. Dixeram Aſcenſionem

Pierius ut libro Concordiæ ſubſcripſerit.

Muſculus de libro Concordiæ, & ſua ſubſcriptione.

Chriſti factam eſſu localiter, & circumſcriptive quod ille negabat; & volebat corpois Chriſti Vbiquitatem probare ex dicto. Data eſt mihi omnis poteſtas. *De hoc ubi apud te fuiſſem conqueſtus, inter alia mihi conceſſiſti, omnem poteſtatem, in illo dicto non ſignificare omnipotentiam Dei abſolutam.* Mir. & Mvl. *Quid igitur ſi non illam?* Pier. *Significat iuris & dominij Chriſti manifeſtam uſurpationem. Sed tibi dicam tria formalia: Volebas per omnem poteſtatem intelligi oportere exercitium omnipotentis gubernationis. Verùm illud minùs recte. Omnipotens enim gubernatio præſupponit omnipotentem naturam.* Hvn. *Rectè ἐνύφσεια οὐσίαν.*

Explicatio loci Matth. 28.

Mir. *Sed ad propoſitum. Quatuor ſunt præcipua capita, de quibus inter nos & Calviniſtas controvertitur. 1. de Cœna. 2. de Perſona Chriſti. 3. de Baptiſmo. 4. de Prædeſtinatione. De his tuam audiemus ſententiam. Sentisne igitur de Cœna cum* Luthero? Pier. *Sentio, ubicunque cum Scriptura loquitur: ut primò, quando Sacramenta nominat, Signa & Sigilla gratiæ: ſecundò, quando diſcernit in Cœna inter ſacramentum & corpus.* Mvl. *Quid? diſcernit ne inter illa?* Pier. *Imò tantum inter ſe differre illa dicit, quantum Oriens ab Occidente.* Hvn. *De ferro ignito loquitur: Licèt ferrum & ignis diſtent, ut Oriens & Occidens, tamen ignem de ferro ignito prædicari.* Pier. *Et inter ſacramentum & corpus ſic diſcernit: credite mihi:* Mvl. *Vbi?* Pier. *Puto tibi de loco conſtare. Nam addit*, Turpiſſimum eſſe unum inveniri Epiſcopum, qui inter hæc duo diſcernere nequeat. Mir. *Sed dicit hoc contra Pontificiorum Transſubſtantiationem.* Mvl. *Aut loquitur de ſacramento, ſic dicto ſpecialiſſime.* Pier. *Imò propriiſſime: quia aliud eſt ſacramentum ſeu ſignum; aliud res ſignata, ſeu res ſacramenti: inter quæ duo etiam tota antiquitas diligentiſſimè diſtinguit. Sed pergo de doctrina* Lutheri, *in hoc capite, & 3. ſentire me cum illo dico, quando omiſſa orali manducatione, urget ſpiritualem, affirmatque Corpus & Sanguinem Chriſti non niſi ſpiritualiter, fide nimirum & corde tantum percipi. 4. quando aſſerit, ſecuros quidem cibum illum quærere, ſed non invenire, licet ſacramento utantur.* N. N. *Ergo putas fidem in Cœlum aſcendere, & ibi corpore & ſanguine Chriſti frui?* Pier. *Reſpondeo ex* Luthero *qui dicit:* cùm ratio præſentibus ſoleat niti, fides abſentia complectitur, & contra rationem illa præſentia eſſe iudicat. Mir. *Non oportet te excerpere paucula quædam, ſed totam* Lutheri *doctrinam profiteri.* Mvl. *Ipſe Lutherus dicit:* qui non fatentur Iudam tantum accepiſſe, quantum cæteri Apoſtoli, *&c. illos pro iiſdem habeo.* Pier. *Scio ipſum hoc dicere in parva Confeſſione, quam ut & alia ipſius in hoc doctrinæ capite ſcripta, Confeſſionem ſcilicet magnam: &, Quod verba adhuc firma ſtent, forte diligentius, quam alius quiſquam legi & evolui.* Mir. *Sed, probásne Catecheſin illius?* Pier. *Quomodo improbarem ut qui meis liberis ad illam ediſcendam ſemper author fuerim: eandemque ita distribuerim ut ſingulis diebus partem unam cum expoſitione ex illa recitent; & ſic ſingulis ſeptimanis totam Catecheſin ſemel abſolvant?* Vvurzens. Svp. *Benè, maneant in hoc exercitio.* Mvl. *At in Catecheſi illa dicitur*, nos ſub pane & vino manducare & bibere Corpus & Sanguinem Chriſti. Pier. *Phraſis illa intelligenda eſt non localiter, ſed ſacramentaliter.* Hvn. *Sed hic quæritur, quid ſignificet, ſacramentaliter.* Pier. Sacramentaliter quid.
Significat analogiam ſigni ad rem ſignatam. Mir. *In eadem Catecheſi de Baptiſmo dicitur.* quòd liberet à peccato, morte, & Satana: *probásne illa verba?* Pier. *Cur improbem? Tamen ſic in noſtra conſideratione de Exorciſmo collegimus: Baptiſmus liberat a Satana; Ergo non Exorciſmus.* Mir. *Sed non tantum inſtrumentaliter, verum etiam effective.* Pier. *Imo, effective; quia Spiritus Sanctus vere in illo eſt efficax. Sed Sacramentaliter, ut dixi, iſtæ phraſes ſunt intelligendæ: quod ſi fiat, omnes etiam alias ſacramentales locutiones, quæcunque in* Luthero *occurrunt, admittere poſſum. Et certe id fieri debere ipſe* Lutherus *innuit.* Recte, inquit, dicitur: qui videt, tangit, premit, terit panem; eum videre, tangere, premere, terere Corpus Chriſti, cum tamen nihil horum Corpori Chriſti accidat, ſed pani. Mvl. *Idem adhuc docemus in noſtris Eccleſiis.* Pier *Sed addit* Lutherus; *de* corpore tamen iſta omnia prædicari ratione Sacramentalis unionis. Mir. Mvl. Hvn. *& alij, Non potes pro te allegare* Lutherum, *ut qui contra Calviniſtarum errores ſemper, dum halitum trahere potuit, acerrimè diſputavit.* Pier *Rogo vos Domini, ſi omninò mecum conferre conſtituiſtis, ut unus aliquis veſtrum colloquutoris partes ſuſtineat: id verò antequam fiat, rogo veſtra nomina. Tu ne es* Hunius: Hvn. *Sum.* Pier. *Bene eſt, Scias me tui in publico auditorio honorificam feciſſe mentionem: te nimirum doctiſſimum eſſe omnium illorum, qui nunc contra dictos Calviniſtas ex veſtris ſcribunt* Hvn. *Ego verò iſtam laudem mihi non arrogo.*

Mir. *Concedamus ergo Dn. D.* Hunio *conferendi partes, ſed diſputetur placide.* Pier. *Quo placidiores vos præſtiteritis, eo plus apud me effeceritis. Meum enim ingenium tale eſt, quod vim minantibus non cedit.* Hvn. *Placidè ergo tecum conferam.* Mir. *Conſtituatur certa theſis.* Hvn. *Dicebas antea, Chriſti aſcenſionem factam eſſe localiter & circumſcriptive: quomodo hoc probabis? putásne, Chriſtum localiter in* De Aſcenſione Chriſti.

Cœlo

Cælo contineri, ita ut ſit in certo Cæli loco, non quidem alligatus, ſed libere, ut ſoletis vos explicare? Quod ſi ita eſſet, non in his terris præſens eſſet. PIER. Aſcendit verè, ſecundum humanæ naturæ proprietatem relinquendo terram, & ſurſum aſcendendo in Cælum Et ſymbolum noſtrum dicit: Aſcendit in Cœlum. Vos monſtrate contrarium, quod iterum è cælo deſcenderit. N.N. Ipſe dicit; Ege vobiſcum ſum. PIER. Loquitur de perſona ſua, & verè nobiſcum eſt, ſed, ſecundum divinitatem. N.N. Ergo dimidius Chriſtus nobiſcum eſt? Perſona certè conſtat ex duabus naturis: Ergo, ſecundum utramque Naturam præſens eſt. PIER. Perſona Chriſti pro nobis mortua eſt: Ergô ſecundum utramque Naturam. Vide qualis conſequutio. HVN. At diſcrimen eſt inter has prædicationes. Nam, Chriſtum mortuum eſſe, pertinet ad primum genus Communicationis Idiomatum: præſentem eſſe pertinet ad tertium PIER. Utraque propoſitio, Deus eſt mortuus: &, homo Chriſtus eſt omnipræſens, eſt explicanda per Communicationem Idiomatum: hoc eſt, quod de Perſona dicitur, ſecundum alteram & alteram Naturam intelligendum eſt. HVN. Non ita; ſed hæc propoſitio, Deus eſt paſſus intelligitur de perſona ſecundum alteram naturam tantum. Hæc vero, Chriſtus præſens eſt, de perſona ſecundum utramque naturam. PIER. Quæ eſt igitur ratio diverſitatis? HVN. Hæc eſt: verè filius Dei mortuus eſt, ſed in proprietate Humanæ Naturæ, ſeu carne, ut Petrus loquitur, non ſecundum Divinam Naturam. PIER. Ergo non conſentitis cum Andrea Muſculo. N.N. Illéne diverſum ſentiebat? PIER. Et alij ex veſtris. HVN. Dilabimur à propoſito. PIER. Pergat ergo reverenda dignitas tua. HVN. Omnipræſentia prædicatur non tantum de Divina, ſed etiam de Humana Chriſti Natura. Ratio eſt: quia in λόγῳ eſt, non extra λόγον, ita ut nulla duarum naturarum fieri poſſit ſeparatio. PIER. Scio hanc tuam eſſe phraſin: Humana Natura aſſumpta eſt in λόγον. Sed novo eſt, ego malo dicere à λόγῳ. HVN: Hoc tu publicè docuiſti, ſed malè, quia; Athanaſius dicit: Unus eſt Chriſtus, non converſione divinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum. PIER. Sed Athanaſius in Symbolo ſuo hoc intelligit de unione duarum Naturarum in unam Perſonam. Si igitur Reverenda tuò dignitas per aſſumptionem humanitatis in λόγον etiam intelligit unionem perſonalem facilè tibi illam phraſin conceſſerim: verùm aliud vis; nempe Humanam Naturam omnipræſentem eſſe, quia in λόγον, qui non eſt locus, aſſumpta eſt. HVN. Hoc ipſum ſequitur. Nam cùm humana natura in λόγον, qui localis non eſt, aſſumpta ſit & λόγος non ſit extra Humanam Naturam; ſequitur, λόγον non extra carnem, ſed cum carne ſua, hoc eſt, Chriſtum ſecundum utramque naturam præſentem eſſe. PIER. Si intelligis λόγον non eſſe extra carnem, ſcilicet Perſonaliter, conceſſero: ſin eſſentialiter, minimè. Ratione enim Perſonalis ſubſiſtentiæ, hoc eſt, quatenus una illa perſona in duabus ſubſiſtit naturis, λόγος nuſquam & nunquam eſt extra carnem: hoc eſt nuſquam & nunquam λόγος eſt, & ſubſiſtit abſque carne ſua, ſeu non incarnatus: Ratione verò eſſentiæ, λόγος eſt totus & intra, & totus extra carnem ſuam. HVN. At eſſentiam Deitatis in Perſona Christi negantis, dogma fuit. MVL. Ita. PIER. Non ſeparo, ſed diſtinguo. Etſi enim perſona non eſt, nec eſſe poteſt ſine eſſentia; aliud tamen eſt perſona, aliud eſſentia. Nam eſſentia eſt ſubſtantia ſine certo ſubſiſtendi modo conſiderata: Perſona vero eſt peculiaris ille ſubſiſtendi modus. Iam verò cum unio facta ſit non in eſſentia ſeu natura, ſed in Perſona; dico etiam ratione non eſſentiæ ſeu naturæ, ſed ratione Perſonæ λόγον nunquam & nuſquam eſſe extra carnem aſſumptam: quia perſona eſt medium unionis. MVL. Quid, medium? PIER. Sic eſt: quia mediante Perſonâ τοῦ λόγου facta eſt duarum Naturarum unio, ita ut una ſit λόγου & carnis aſſumptæ perſonalis ſubſtentia. λόγος enim immediatè ſibi uniens Humanam Naturam, eamdem etiam Divinæ ſuæ naturæ mediatè, hoc eſt, Perſonâ ſuâ mediante univit. Cum ergo una ſit utriusque naturæ ὑπόστασις, & humana natura extra perſonam λόγου non ſubſiſtat; rectè dicitur, λόγος cum carne ſua, ſeu, non extra carnem ſuam ubique præſens eſſe. Aliud vero eſt, cùm de utriusque natura eſſentia quæritur. Tum enim λόγος ratione eſſentiæ ſeu naturæ ſuæ Divinæ non eſt in Corpore circumcluſus & finitus, ſed eſt totus in corpore, totus extra illud: Humana verò natura ratione ſuæ eſſentiæ & manet finita & circumſcripta. HVN. Sed cum λόγος non ſit localis, Ergo neque Humana Natura, quæ in λόγον, aſſumpta eſt, localis fuerit. PIER Eodem modo ſequeretur: Humana natura eſt æterna, eſt Deus: quia in λόγον, qui æternus eſt, aſſumpta eſt, Non autem valent huiuſmodi conſequutiones, quia quocunque modo Syllogiſmum formaveris, ſemper erunt quatuor termini. HVN. Imò eadem vis eſt argumenti, quæ etiam huius: Elias in cœlo: in Elia eſt anima: Ergo eius anima eſt in cœlo. PIER. Et in hoc Syllogiſmo ſunt quatuor termini. Aliud enim eſt eſſe Eliam, aliud aliquid in Elia. Quod autem ex præmiſſis concluſio vera ſequitur, id fit ex accidente, non ratione Syllogiſmi legitimè contexti. Quæ autem per accidens fiunt, illa non ſunt curæ arti. HVN. Tamen tu ipſe es ita argumentatus: Chriſtus ſecundum corpus aſcendit in cœlum: Ergo non eſt in terra. Omiſiſti verò maiorem propoſitionem; quæ ſi addatur, mox deprehendetur vitium.

PIER. *Formo inde Syllogiſmum, qui tres tantum habet terminos :* Qui ſecundum Corpus eſt in Cœlo, is ſecundum idem Corpus non eſt in terra: Chriſtus ſecundum Corpus eſt in Cœlo. *Ergo &c.* HVN. *&* N. N. *Probetur maior.* PIER. *Probate vos, quod ſecundum corpus ſit & in cœlo & in terra.* HVN. *Affirmanti incumbit probatio : tu affirmas, Ergo, &c.* PIER. *Imò ego nego ; vos affirmatis Chriſtum ſecundum Corpus non tantum in Cœlo, ſed in terra, & ubique eſſe ; Ergo vobis hac probandum eſt. Sed quia diverſo reſpectu intelligi poteſt, affirmantis eſſe probare, & quia ita vobis placet, probo maiorem : Verum Humanum Corpus non eſt in pluribus locis ſimul & ſemel.* HVN. *&* N. N. *Probetur & hoc.* PIER. *Certè, corpus conſtans certâ quantitate, membrorum ſymmetriâ figurâ & lineamentis, quale etiam eſt Corpus Chriſti, non eſſe poteſt ubique* N. N. *& hoc probetur.* MIR. *De corpore humano, ſive noſtro, hoc quidem verum eſt.* PIER. *Etiam de Chriſti, quod probat hiſtoria incarnationis & nativitatis ejus, quia conceptus eſt in utero Mariæ, non alibi & ex eadem natus eſt.* HVN. *Diſtinguendum hic inter terminum in quo, & terminum ad quem. Terminus in quo, conceptionis, eſt uterus Mariæ virginis, in quo verè conceptio facta eſt : ſed terminus ad quem, eſt exaltatio ipſius Humanæ Naturæ, per unionem perſonalem in λόγον, quo reſpectu in loco eſſe dici nequit.* PIER. *Vtcunque diſtinguatis, certè in ipſa quoque unione, quæ non tollit diſtinctionem naturarum & proprietatum, humana Natura eſt finita ; divina, infinita. Quare ad definitionem unionis hypoſtaticæ, tanquam ad Cynoſuram, in hac controverſia nobis eſt reſpiciendum.* HVN. *Non diffitemur Chriſtum ſecundum Humanam Naturam in ſe conſideratam, eſſe certæ quantitatis : Et ſicut Enoch & Elias habent certam ſtaturam & quantitatem Corporis, ſic etiam ipſe : ſed quia eadem Humana Natura evecta eſt ad dextram patris, localis & circumſcripta eſſe non poteſt.* PIER. *Accipio quod datis ; Chriſti corpus habere certam quantitatem : quod verò ratione exaltationis ad dextram Dei idem Corpus factum ſit illocale, id probandum vobis eſt.* HVN. *Negari non poteſt, Chriſtum ſecundum humanam naturam tantum evectum eſſe ad dextram Dei.* PIER. *Non Humana Natura tantum, ſed Chriſtus* θεάνθρωπος *evectus eſt, & ſedet ad dextram Dei.* N. N. *Ergo ſecundum utranque Naturam.* PIER. *Maxime.* HVN. *Exaltatio intelligenda eſt de humana natura ; quia divina exaltari non poteſt.* PIER. *Scilicet abſolute : interim tamen idem Chriſtus, qui ſe exinanivit, etiam eſt*
Explicatio loci Philip. 2. *exaltatus.* Cum enim eſſet in forma Dei, exinanivit ſe, & exaltatus eſt, *&c. Phil. 2. Hoc non ita intelligendum eſt, quaſi de maieſtate Humanæ Naturæ, quâ maieſtate, ratione unionis ipſa donata & exornata fuit, aliquid deceſſerit ; ſed intelligendum eſt reſpectu noſtri : quia tempore exinanitionis illa maieſtas tecta fuit, dum Chriſtus illam non uſurpavit.* PIER. *Libenter concedo, Chriſtum ſuam maieſtatem tempore exinanitionis non exercuiſſe, ſed gloriâ & potentiâ ſuâ ſe ad tempus quaſi abdicaſſe : verum non loquitur Apoſtolus de Humana Natura, ſed de Perſonæ exinanitione : neque etiam per formam ſervi, intelligis propriè Naturam Humanam, ſed ſtatum & conditionem ſervilem : licèt nonnulli ex dictis Calviniſtis, de ipſis naturis earumque unione hunc locum intelligant, cum quibus tamen hac non ſentio.* MVL. *Si hac in parte ab illis recedis, cur etiam non in reliquis?* PIER. *Non omnes explicant ita ; ſed idem dicunt quod ego ; Chriſtum nempe, licèt verus Deus fuerit, ejuſdemque cum Deo patre gloriæ, & potentiæ, tempore tamen humiliationis ſe non ut Deum geſſiſſe, neque gloriam ſuam Divinam manifeſtaſſe, ſed ipſum exinaniviſſe, & ut ſervum humilem oſtendiſſe.* HVN. *At Chriſtus ſecundum Divinam Naturam non exinanitus eſt, niſi dicere velis, eum ſecundum eandem quoque mortuum eſſe; quia addit Apoſtolus,* quod ſit patri obediens factus uſque ad mortem. *Exinanitus ergo eſt ſecundum Humanam Naturam, dum eâ ſuam maieſtatem non exercuit: & ſecundum eandem quoque eſt exaltatus.* PIER. *Mori verè eſt proprietas Humanæ Naturæ ; ſed obedientia ad mortem uſque, eſt officium perſonæ, quod exſequitur ſecundum utramque Naturam. Secundum Humanam Naturam mortuus eſt Chriſtus ; ſecundum Divinam voluit hanc mortem, dum potentiam ſuam non exercuit, neque à Natura Humana mortem repulit, ut in ea pati poſſet. Vnde illud Irenæi :* Requieſcente Verbo, ut poſſet tentari & inhonorari, crucifigi & mori. HVN. *Tu conditionem ſervilem reſtringis tantum ad paſſionis & mortis tempus.* PIER. *Imò ad totum ſtatum exinanitionis, ſeu humiliationis Chriſti refero.* N. N. *Sed differunt humiliatio & exinanitio.* PIER. *Largè utor his vocabulis, dũ utrumq; pro eodem accipio.* HVN. *Humiliatus eſt Chriſtus in Humana Natura & in eadem exaltatus, excelſus enim non exaltatur, ſed caro exaltatur excelſi.* PIER. *Excelſus ſeu Deus, non exaltatur, ſcilicet abſolutè conſideratus, aut non incarnatus, ſed reſpectu incarnationis: hoc eſt, Chriſtus* θεάνθρωπος *exaltatus eſt.* HVN. *At humana ſui naturâ aſcendit in Cœlum ad dextram Dei.* PIER. *Cyprianus inquit:* Aſcendit in cœlum, non ubi verbum Deus antea non fuerat, ſed ubi verbum caro factum antea non ſedebat. *Auditis hic, Chriſtum* θεάνθρωπον *aſcendiſſe, & ad dextram Dei ſedere. Et ipſe* Lutherus *ſeſsionem ita explicat, ut dicat,* quòd nudo homini tanta dignitas conferri ; nudus verò homo eam non accipere

accipere potuerit : ideoque inde evinci, Chriſtum ad dextram patris ſedentem, & Deum & hominem eſſe. HVN. *Verum hoc eſt, perſonam illam, quæ Deus & homo eſt, ſedere ad dextram Dei, ſed quæritur hic, ſecundum quam Naturam Chriſtus maieſtate illa, quam ab æterno habuit, in tempore donatus ſit, dum ad dextram Dei eſt evectus? Et reſpondetur, quòd ſecundum Humanam. Secundum illam enim eſt excitatus ex mortuis, & collocatus ad dextram patris in cœleſtibus, Eph.1.* PIER. *Loquitur Apoſtolus de Perſona.* HVN. *Sed aſcendit ut ſedeat ad dextram patris, ut impleret omnia. &c. Quæro igitur, cùm ſecundum Humanam Naturam Chriſtus aſcenderit, quò aſcenderit?* PIER. *In illum locum de quo promiſit :* Vado paraturus vobis locum, *Ioh.14.* HVN. *Sed aſcenſione ſua evectus eſt ad cœleſtem dignitatem, & collocatus eſt ad dextram Dei.* PIER. *Scio; ſed diſtinguo inter aſcenſionem & ſeſſionem: Aſcenſio, quæ ſemel tantum facta eſt, & proprietas eſt Humanæ Naturæ. Seſſio verò, quæ durat perpetuò, eſt perſonæ.* HVN. *Vbi igitur ſedet ad dextram Dei?* PIER. *In cœlo, in cœleſtibus, ut Scriptura & ſymbolum habet. Et* Stephanus *ſtans in terris, vidit Chriſtum in Cœlo ſtantem de dextram Dei.* HVN. *Sed eſt ne dextra Dei in Cœlo tantum?* PIER. *Vbique eſt.* HVN. *Cur igitur Chriſtum Corpore ſuo in Cœlo tantùm aſſeris?* PIER. *Sicut Deus ubique eſt, & tamen in Cœlo eſſe dicitur; quia ibi gloriam, potentiam, maieſtatem ſuam immediatè patefacit: ſic etiam dextra Dei.* HVN. *At ſi dextra Dei non tantum in cœlo, ſed ubique eſt: Ergo etiam Humana Natura ad dextram Dei ſedens, infinita maieſtate ornata eſt.* PIER. *Non ex una voce (dextra Dei) ſed ex tota phraſi, Sedere ad dextram Dei, eſt argumentandum. Alias enim & valebit hæc conſecutio: Dextra Dei eſt incorporea, æterna: Ergo etiam Humana talis eſt.* HVN. *At quid per phraſin illam intelligis: nonne quod regnet æquali cum patre gloria & potentia? ubi verò regnat? nónne in Eccleſia?* PIER. *Maximè.* HVN. *At ſi in Eccleſia, ſolummodo.* PIER. *Non dixi, ſolummodò.* HVN. *Quomodo debellabit hoſtes Eccleſiæ? Seſſio enim hæc ita deſcribitur Pſal.110. quòd dominetur in medio inimicorum: Hoſtes ergo cum ſint etiam extra Eccleſiam, ibi quoque dominatur.* PIER. *Concedo hæc; quia ipſe Apoſtolus 1. Cor.15. Seſſionem interpretatur pro, regnare. Et Act.2. Petrus ſedere ad dextram patris interpretatur, Dominum & Chriſtum conſtitutum eſſe.* N.N. *Ergo hoc vis, quòd alij dicunt, Chriſtum ſedere ad dextram patris, id eſt, eſſe regem & ſacerdotem Eccleſiæ.* PIER. *Eo ipſo quòd res appellatur, etiam regnum quod in hoſtes habet, exprimatur. Non enim tantum per miniſterium verbi & ſacramentorum in virtute Spiritûs ſui Eccleſiam colligit, ſanctificat, & ad vitam æternam regenerat: ſed etiam impios punit, hoſtes debellat, & conatus eorum infringit imò; æternum illos iudicabit.* MVL. *In hac vita illos iudicat, in altera verò vita ipſius regnum, & iudicium deſinet; quia tradet regnum patri.* PIER. *Et in futuro ſeculo impios iudicabit, & pœnis æternis eos afficiet, Matth.25. Regnum verò traditurus eſt patri, non quòd omninò regno & imperio ſit ſe abdicaturus, ſed quòd media, quibus in hac vita vtitur, non ſit uſurus aut Eccleſiam collecturus? Non enim neceſſe erit, ut tunc per verbum & ſacramenta Eccleſiam colligat; fidem & ſpem in nobis excitet & foveat; hoſtes à nobis depellat; patrem ſuum pro nobis deprecetur: ſed tamen manebit caput noſtrum, Dominus noſter, ſuaque luce, juſtitia, lætitia & vita æterna nos perfundet; eritque Deus omnia in omnibus.*

HVN. *Sed revertamur ad propoſitum: Regnum Chriſti etiam extendit ſe ad hoſtes extra Eccleſiam, & requirit infinitam potentiam: Cùm ergo etiam Chriſtus regnet in medio inimicorum ſecundum Humanam Naturam, ſequitur, eum infinita maieſtate, quam ubique exerit, ornatum eſſe.* PIER. *Concedo Humanam Naturam ad regni conſortium evectam eſſe, ſed non ſola regnat. Sedere enim, & regnare, eſt officii, quod competit Chriſto ſecundum utramque naturam.* N.N. *Sedere eſt regnare & maieſtas donata Humanæ Naturæ, & non pertinet ad ſecundum, ſed ad tertium genus Communicationis Idiomatum.* PIER. *eſt officii. Neque enim Chriſtus tantum ſecundum Humanam, ſed etiam ſecundum Divinam regnat Naturam* HVN. *Sed una eſt, & quidem divina & infinita Maieſtas, ad quam exaltata eſt humana natura, & quam in adminiſtratione rerum omnium glorioſè exerit.* PIER. *Quid vero intelligitis per Maieſtatem? Erit illa vel divinitatis, vel humanitatis, vel tertia quædam. At quæritur inter nos, non de Maieſtatis, ſed de ſubſtantia carnis præſentia: Hæc probanda eſt. Aliud eſt caro, aliud maieſtas.* HVN. *Sed cùm Humana Natura ad dextram Dei elevata, particeps facta ſit divinæ maieſtatis, etiam ratione maieſtatis huius glorioſè regnat, & potenter omnibus creaturis imperat, non abſens, ſed præſens.* PIER. *Nunquam mihi perſuadebitis, regnare eſſe Humanam Naturam tantum. Regnat Chriſtus ſecundum utranque Naturam, ſed ſervato ipſarum naturarum & proprietatum diſcrimine. Sicut enim in Chriſto ſunt duæ Naturæ, ita duæ ſunt naturales voluntates; duæ naturales actiones, quemadmodum in Synodo Oecumenicâ Conſtantinopolitana ſexta contra Monotholetas decretum fuit.* HVN. *Quomodo verò Chriſtus ad Maieſtatem illam evehi & exaltari ſecundum Divinam Naturam potuit, cùm ab æterno illam habuerit?*

habuerit? PIER. Non abſolutè, & ratione eſſentiæ Divinæ Naturæ eſt exaltata, ſed relatè, & ratione manifeſtationis, quatenus videlicet ſe in Humana Natura exerit, & radiis ſuis in illa quaſi lucet. Erat enim Chriſtus tempore humiliationis ſuæ in oculis Iudæorum non ut Deus, ſed ut homo, judicabant illum φιλὸν ἄνθρωπον; ut Apoſtolus ad Corinth. teſtatur. Si cognoviſſent, Dominum gloriæ non crucifixiſſent. Verùm per reſurrectionem ex mortuis, & per Seſſionem ad dextram patris, apparet ipſum eſſe Dei filium, non nudum hominem: quia divinam ſuam potentiam ſub velo carnis antea tectam & occultatam, nunc plenè & glorioſè in eadem carne exerit & manifeſtat, ita ut non tantum homo, ſed etiam Deus eſſe agnoſcatur.

PRÆFECTVS VIGIL. Dn. D. cibus eſt paratus, & ſexta jam dudum audita. MIR. Et vix de uno articulo aliquid dictum: Agnoſce, quæſo errorem, & tuiipſius habeas rationem. PIER. Erroris nullius per Dei gratiam ſum conſcius. MVL. Et ego totos viginti in hac charta notatos habeo. MIR. Si doctrina veſtra recta eſt, quare ergo clam illam propagare ſtuduiſtis? Habemus literas Salmuthi in Muſæo tuo repertas: quibus mones (legebat partem literarum) ut quam publicè rem agas, ante præcipuorum Senatorum & civium animos occupes, & cautè omnia agas. Et ipſe quidem Salmuthus primò aiebat, quemadmodum & tu, quòd eandem doctrinam ſemper eſſet profeſſus: verùm cùm Dominus noſter Clementiſſimus has illi literas exhiberi mandaſſet, certè confundebatur. PIER. Literarum Salmuthi ſcopus eſt de adhibenda moderatione, ne cauſſam magno impetu agentes, animos auditorum prorſus à nobis abalienemus, &c. Verùm ut ut ſit, quādo ego literis illis clandeſtinè, ut vos interpretamini, doctrinam propagando obtemperavi? imò obtemperare nolui: ſed publicè in templo & collegio hanc doctrinam profeſſus ſum. Nunquam probari poterit, me in ædes ſenatorum aut civium, ad doctrinam hanc privatim illis inſtillandam, nunquam veniſſe: nullus civium hoc de me affirmare poterit. Et licèt feciſſem, non peccaſſem: verùm occupationes meæ graviores hoc non tulerunt: ideò publicè hanc doctrinam quamprimùm huc veni, proponere cœpi. MVL. Imò cives contenti ſunt primâ iſtâ tuâ, quam de Cœna habuiſti; concione: fuit enim Lutherana, ipſe eam vidi. PIER. Quare ergo à Diaconis traductus ſum ut Calviniſta? N. N. Factum illud propter concionem de Aſcenſione. PIER. Imò propter utramque eodem anno primo adventus mei habitam, exoſus fui toti ferè civitati. MVL. Cauſſa fuit, quia à Formula Concordiæ receſſeras. PIER. Quando Principi Electori meam addixi operam, non fui obligatus ad Concordiam illam, ſed ad ſcripta duntaxat Prophetica & Apoſtolica, ad tria ſymbola, & ad Auguſtanam Confeſſionem. His etiam contrarium nihil quicquam docui. MVL. Sic ne ergo in obligatione tua cautum fuit? MIR. Poſt mortem Auguſti nemo ad Formulam Concordiæ adſtrictus fuit. PIER. Præterea ex ipſo etiam Luthero, doctrinam quam de perſona Chriſti confiteor, demonſtrare poſſum. MIR. Id verò oportet ut non ex uno atque altero dicto hinc inde collecto, ſed ex illis locis facias, ubi hanc doctrinam expreſſè tractavit. PIER. Ita. Provoco ergo ad explicationem, ipſius Ioh. 14. ſuper verba; Et ego rogabo patrem, &c, Vbi prolixè, & evidenter hanc materiam explicat. Sic eandem egregiè tractavit de Vlt. verbis Davidis, item Eſa. 53. & Dan. 7. MVL. Audite, eadem citat loca quæ etiam quæſtor, non aliter ac ſi inter ſe contuliſſent. PIER. Hoc tamen addo, ſi alicubi habet ἀκυρολογίας, eas potius dextrè explicandas, quàm temerè arripiendas eſſe: ut cùm mixtionis vocabulo Patribus uſitatum, utitur pro unione, & ſi quæ ſunt alia. Quæ verò in Polemicis habet, non poſſum probare omnia. Vt cum inquit: Cœlum & terram unum eſſe ſaccum, quem Chriſtus etiam ſecundum carnem impleat. MVL. Non credo exſtare in Luthero. PIER. Imò exſtat in Polemicis, & alia hujus generis multa. MVL. Quidquid feceris, fac nobis miſſum Lutherum. PIER. Non is ſum, qui tantum utrum contemnam: imò etiam vos ſinam, ſi me Deus iterum Eccleſiæ alicui præfecerit, quæ me ita occupatum reddet, ut veſtri facilè obliviſci poſſim. Sed rogo vos, Domini, legite Lutherum in dicto loco ſuper Ioannem. HVN. Legimus. MIR. In Vlt. verbis Davidis explicat ſe quòd Ieſu Nazareno ſecundum Humanam Naturam, omnis poteſtas data ſit, quia ſecundum divinam habuerit illam ab æterno. PIER. Notus eſt mihi locus, & concedo Chriſto incarnato datam eſſe omnem poteſtatem. MIR. Omnia illi ſubjecta ſunt; quia ſcriptum eſt: Omnia ſubjeciſti pedibus ipſius. 1. Corint. 15. PIER. Sed addit Apoſtolus; Excepto illo qui ſubjecit ei omnia. Manet ergo humanitas ſub Deo: neque tamen nego, illam ornatam eſſe multis excellentibus donis & prærogativis, cùm ratione unionis, tum officii, &c. de quibus Dn. D. Mire conſtat, ad cujus concionem alludam, MIR. Ita. MVL. Benè certe fieret, ſi D. Mirus tecum conſentiret, & nos reliqui excluderemur. PIER. Dn. Mirus rectius me intelligit, quia cum ipſo ante hac multum contuli. MIR. Sed in doctrina de Cœna planè recedis à Luthero. PIER. Non planè, ut antea à me eſt expoſitum. At cum dictis Lutheranis me de Cœna conſentire non poſſe, ingenuè fateor. Cum quibus enim ſentirem, quando ipſi inter ſe maximè diſſentiunt? Septem ex ipſorum Libris poſſum vobis monſtrare opiniones diſſentientes. MIR. Illas ego libenter audirem. PIER. Primò diſſentiunt

Diſſenſio Lutheranorum.

de

de ipſa carnis & Sanguinis Chriſti in pane & vino, præſentia. Alii enim ad recitationem verborum, Hoc eſt corpus meum, *præſentiam reſtringunt: alii etiam ante, & poſt recitationem illam, corpus in pane eſſe affirmant.* MVL. *In tota actione Chriſtus præſens eſt.* PIE. *De hoc non eſt quæſtio. Et vos nunc hoc quidem ita explicatis: ſed ego ex libris veſtrorum monſtrabo vobis & de tempore præſentiæ controverſiam, & alias inter ſe pugnantes opiniones.* MVL. *Imò Calviniſtæ habent opiniones inter ſe pugnantes.* PIER, *Minimè; quia excuſat Sacramentarios, quos vocant, ipſe* Lutherus; *affirmatque de re ipſa unum & idem illos ſentire, licet non iiſdem utantur verbis.* Signum eſſe, idem eſt (*dicit*) quod ſignificat; & ſignificat idem, quod ſignum eſſe. MIR. *At ego libenter audirem ſeptem illas diſcrepantes ſententias.* PIER. *Tamen audire nolunt.* MVL. *Defendis Calviniſtas* PIER. *Si quis me Calviniſtam fecit.* HVN. *Audiſt, jam fatetur ſe Calviniſtam.* PIER. *Non fateor, dico, ſi quis me.* MVL. *Agnoſce errorem,* PIE. *Non auditis me.* MVL. *Et ſicut Gundermannus fecit, & revocavit, ſic tu quoque facias.* PIER. *Si revocavit, Deus illum graviſſimè puniet, niſi pœnitentiam egerit.* MIR. *Et M. David fatetur errorem ſuum, & conqueritur ſe graviſſimos ſentire dolores.* PIER. *Errorem agnoſcere non poſſum, quia nullius convictus ſum.* HVN. *Tamen nos te iam convicimus.* PIER. *Id verò pernego. Scitis* Conſtantinum M. *Imp. in Synodo Nicena propoſuiſſe Epiſcopis ſacra Biblia, & mandaſſe, ut ex illis ſumerent controverſarum quæſtionum explicationes: illud vos quoque facite: ſed hactenus nihil ferè ex verbo Dei audivi, niſi meras conſequentias veſtras.* HVN. *Tales tuæ fuerunt.* PIER. *At ego ad omnia à vobis propoſita, reſpondi.* N. N. *Reſpondiſti quidem, ſed non ſolviſti.* PIER. *Iudicent hoc alii.* MIR. *Expendas illud Chriſti, Ioh.* 17. Glorifica me pater ea gloria quam habui, antequam, &c. *ſed ſecundum Divinam habuit: Ergo ſecundum Humanam accepit.* PIER. *Loquitur de perſona; & petit ut gloria ipſius in ſtatu humiliationis hactenus occultata, poſt paſſionem & mortem per reſurrectionem ex mortuis plenè iterum emergat & reveletur.* HVN. *Loquitur quidem de Perſona, ſed ſecundum humanam Naturam ſe gloria illa ornari petit.* PIER. *Si ſecundum Humanam Naturam ſe glorificari petit, ergo ſecundum eandem quoque gloriam illam ab æterno habuit; quia dicit,* quam habui. *Videte qualia inde ſequantur abſurda. Ex verbo igitur, ex verbo probate veſtra. Ego ſanè in conſcientia mea magis confirmatum me ſentio, tantum abeſt ut in veſtram me pertraxeritis ſententiam: imò certiſſimum ſentio in corde meo Spiritûs ſancti de veritate, quam profiteor, teſtimonium. Quo enim magis premor, eo etiam magis in veritate confirmor.* MVL. *Diabolus etiam habet ſuos martyres.* PIER. *Non ſum martyr Diaboli. Is enim eſt pater mendacii, neque poteſt me de agnita veritate, perſeverantia & ſalute mea confirmare: ſed S. S. perlubet teſtimonium ſpiritui meo, quòd ſim filius Dei: ac proinde nolite gloriari quaſi à vobis ſim convictus.* HVN. *Si negaveris tibi errores tuos à nobis monſtratos eſſe, verum eſſe dixero quod de te audivi.* PIER. *Quid verò illud eſt?* HVN. *Te nullius conſcientiæ hominem eſſe.* PIER. *Imò ut bonam mihi retinere liceat conſcientiam, hanc duram captivitatem perfero; uxorique, liberis, bonis omnibus, & mihi ipſi renuncio.* MVL. *Ita cauſſam tuam non reddes meliorem. ſi perſeverare, ut cœpiſti, volueris.* PIER. *Spero Clementiſſ. meum Principem non gravatum eſſe meam conſcientiam.* MVL. *Neque faciet.* PIER. *Hoc tu Dn. D. mihi etiam antehac de illius Celſit. promiſiſti: imò addidiſti, ipſius Celſit, propter religionem, carcere punire neminem* MVL. *Sic eſt.* PIER. *Quid verò hoc rei eſt? promittitis mihi liberationem, ſi revocavero: ſin, graviores pœnas denunciatis. Itane permittitur mihi libera conſcientia?* MVL. *At ſi te nobis dares, eſſemus pro te interceſſuri, & hoc Dei in te miraculum deprædicaturi: ſi verò nolueris nobis obtemperare, aliæ contra te proferentur carceris cauſſæ.* PIER. *Quæ verò ſunt illæ? Sedi jam in hoc carcere ſeptimanas* XXVI. *eſſent mihi certe tandem cauſſæ carceris indicandæ.* MVL. *Nuper tibi illas Dn. Cancellarius expoſuit.* PIER. *At nulla producta fuit, quia illam à me removerim, & vobis innocentiam meam probaverim. Imputabatur mihi inter alia, me plagium commiſiſſe in Catecheſi* Lutheri *Lipſiæ recuſa. Ac reſpondi, neque me conſcio, neque ſuaſore, multo minus authore Catecheſin illam excuſam eſſe. Sic etiam res ſe habet de aliis mihi objectis.* MVL. *Imo conſtat te depravaſſe Catechiſmum* Lutheri. PIER. *Nunquam hoc probabitur.* MVL. *Tu videris.* HVN. *Precor tibi mentem meliorem.* PIER. *Eam ego tibi precor.* MIR. *Bene vale.* PIER. *Et tu. Mi Dn. D. crede mihi, ſi convincerer in conſcientia mea de ullo errore, certè non tantum agnoſcerem illum, ſed darem Deo & verbo ipſius gloriam, & revocarem: ſed quam ſum certus, I. C. D. & Sal. meum vivere, tam etiam ſum certus me habere doctrinæ veritatem, & paratus ſum illam vel in publica diſputatione, vel libero colloquio defendere.* HVN. *Tamen jam auditus es.* PIER. *At hoc audire nihil eſt. Si legitimè me audire volueritis, non unus atq; alter dies, ſed vix ſpacium quatuor ſeptimanarum (urgebo enim mea ex verbo Dei) nobis ſufficiet.* MIR. *Stans in foribus, tam diu hic non manebimus.* PIER. *Provoco ergo ad diſputationem vel colloquium legitimum, ſiſtite me liberum (Sic diſceſſum.)*

Cauſſa carceris Pierii.

Explicatio loci Ioh. 17.

CAPVT L.

De Bipontino Catechiſmo, & Colloquio à Palatinis Fratribus ob eum Neoburgi habito.

Reformatio Bipontina.

ILluſtriſſimus Princeps Iohannes Palatinus Bipontinus Anno 1588. *ſuæ ditioni ſubjectas Eccleſias à reliquiis Papatus, quæ in Lutheranis Eccleſiis adhuc retinentur & pertinaciter defenduntur, repurgavit, eaſque non ſolùm in ritibus & Ceremoniis, ſed etiam in Doctrina ad Verbi Dei regulam reformavit, ringentibus & frementibus Vbiquitariis.*

Catechiſmus Bipontinus.

Catechiſmum etiam pro adultioribus conſcribi ac diligenter exerceri mandavit per univerſam ditionem ſuam.

Colloquium de Catechiſi Bipontina.

Hac res autem occaſionem dedit, ut celebre Colloquium Anno 1539. *Menſe Decemb. Neoburgi ad Danubium reſtitueretur inter quinque fratres Palatinos per aliquot dies de omnibus capitibus & ſingulis quæſtionibus Bipontinæ Catecheſeos: ea lege, ut ipſi Principes in præſentia Theologorum ſuorum inter ſe controverſia iſta Religionis colloquerentur. In hunc finem* Iohannes *Bipontinus Princeps* M. Michaëlem Philippum Beutherum *elegerat, qui huic Colloquio intereſſet, eique* Bartholomeum Hexamerum *Profeſſorem & Paſtorem Hornbacenſem adiunxit. Cùm igitur* 2. *die Decembris in arce Principes,* Iohannes, Philippus Ludovicus, Fridericus, Carolus *& legatus* Othonis Henrici, *qui propter adverſam valetudinem adeſſe non potuit, omnes conſediſſent in una menſa, eminentiori uno gradu, loco, alia jam parata menſa in ſingulari quodam podio pro Conſiliariis ſingularum partium parata erat: tandem ad tabulam oblongam duobus ſubſelliis Neoburgenſes & Bipontini Theologi, cum utriusque partis Notariis aſſidere jubebantur. Exordio præfationis per Conſiliarium Neoburgenſem atque Oratione præmiſſa, Princeps Bipontinus Theologum ſuum* Beutherum *ad propoſitionem reſpondere iuſſit: quod etiam humili, & nervoſo ſermone fecit. Inde* Iacobus Heilbrunnerus, *prout antea ſtylum ſuum vehementem venenatis verbis diu multumque ſtrinxerat, & Principem ſuum, alias optimum,* Philippum Ludovicum *in Bipontinos exacerbaverat, ita jam etiam virulentam ſuam linguam exporrexerat, & tanquam Dominus Totus Bipontinos ad Examen revocaturus, rationem inſtitutæ & Conſcriptæ Catecheſeos ab ipſis exegit, maximorum & pernicioſorum errorum eos inſimulaturus: Principem etiam Bipontinum, quaſi contra Teſtamentum paternum egiſſet, accuſavit: ſeductionis quoque reos Theologos ejus, & neſcio cujus corruptionis & depravationis conſcios agere voluit. Quæ omnia clim generalia tantùm eſſent, generalem tantummodo etiam reſponſionem à Bipontinis Theologis exegerunt.*

Poſt unam verò atque alteram vocem, & interlocutoria Principis Bipontini, initium fecit Heilbrunnerus *à diſtributione præceptorum Decalogi, ac ſi non legitimo ordine, in prima Tabula quatuor, in altera vero ſex precepta collocarent: in eaque quæſtiones duas integras Seſſiones conſumpſerunt. Tertia Decembris à meridie, de Providentia Dei* Beuthero *negotium cum Heilbrunnero fuit. Quarta Decembris, de Perſona Chriſti agere cœperunt, & tractata eſt doctrina de Vnione hypoſtatica, & communicatione Idiomatum, habitis novem Seſſionibus, uſque ad locum de Aſcenſione Chriſti, & iis quæ Humanæ naturæ communicata ſint, tantùm pervenerunt. Tum rumor Noribergæ de adventu Archiducis Auſtriæ Erneſti afferebatur, cujus ſalutandi gratia colloquium ex parte Neoburgenſium abruptum eſt: Bipontini enim colloquii gratia eo venerant. Et quanquam conventum erat inter partes, ut Principes Fratres ipſi inter ſe colloquerentur; tamen cùm cæteri viderent, Principem Bipontinum & doctrina & eloquentia omnes ſuos Fratres longè ſuperare, ut ipſi omninò tacere ſibi honeſtius eſſe judicarent, quàm nihil ad rem in medium proferre; omnes dicendi partes ſuo* Heilbrunnero *Suevo commiſerunt: qui ita inani verborum ſtrepitu, ipſum conclave & aures aſſidentium opplevit, prolixiſque ſuis concionibus ad tædium uſque & faſtidium defatigavit, ut potiſſimam temporis partem Bipontinis ſtudio præripere voluiſſe viſus fuerit. Cùm autem in tota illa actione multorum dierum ſpatio durante, Princeps* Philippus Ludovicus *vix ſemel atque iterum vocem emitteret,* Carolus *verò Dux his tantum ex* Beuthero *quæreret aliqua, &* Fridericus *ſemel ſaltem interpellaret, Bipontinus Princeps aſtum Sueviloquentiæ* Heilbrunneri *animadvertens, ſyllogiſticè eum aggreſſus eſt, & ad ſeſqui integram horam ſalus verba fecit, tanta gravitate, ut cum ſtupore & admiratione ab omnibus auditoribus obſervaretur. Adjuncti erant* Heilbrunnero *duo alii Doctores,* Philippus *eius frater, &* Tobias *aulicus, ſed illorum neuter ne verbum quidem. Egregiè igitur Bipontinus Princeps & perſonam, & Eccleſiam, & Theologos ſuos tutatus eſt, oratione, autoritate & argumentis graviſſimis. Etſi verò* Beuthero *una cum* Hexamero *contra* Heilbrunnerum *agendum eſſet, tamen poſtquam de una vel altera quæſtione contuliſſent, plerunque Princeps Bipontinus quoque ſuam orationem interpoſuit, ut non à nutu Theologorum ſe regi, ſed propria ſcientia niti ex verbo Dei teſtaretur.*

CAPVT

CAPVT LI.

Admonitio Hunii ad Danielem Hofmannum, ut Librum Concordiæ & omnia dogmata Vuitebergenſium, Ienenſium & Tubingenſium Theologorum adprobet, & Hofmanni Reſponſio.

INter Lutherani nominis Doctores, qui nec Vuirtenbergicorum, & ſimilium Vbiquiſtarum, præſertim verò Iacobi Schmidlini *dicta, facta & ſcripta, nec omnia excuſa exemplaria Libri Concordiæ approbarunt, non infimus fuit* Daniel Hoffmannus *in Schola Helmſtadienſi, vel Iulia Profeſſor primarius. Id verò altera pars de eo graviſsime moleſtiſſimeque tulit. Hoc igitur anno cùm* Samuel Huberus *ſecundas Vuitenbergæ Auguſto menſe celebraſſet nuptias, Theologi aliquot Lipſenſes, Ienenſes, Vuitenbergenſes & alii, qui nuptiis interfuerant, in ædes* Polycarpi Leyſeri *convenerunt, & cenſuerunt in hoc conventiculo nonnulli eorum,* D. Hoffmannum *communi & publico ſcripto non tantùm pro Calviniſta, ſed etiam pro Hæretico, qui vitari debeat, decernendum & proclamandum eſſe. Vicit tamen aliorum ſententia, ut Theologorum iſtorum nomine ad* Hoffmannum *ſcriberetur Epiſtola, in qua eum, ut in eandem cum ipſis etiam Vuirtenbergicis, in Fidei negotio, deſcendat ſententiam, interpoſita Excommunicationis comminatione, hortarentur. Scripſit igitur ad eum* Hunius, *cui hoc munus demandatum erat Menſe Septembri hujus anni: cujus verba paulò poſt epiſtolæ initium ſic habent.*

Epiſtola Hunii ad Hofmannum impetuoſa.

Nonne putas, Clariſſime D. Doctor, in Germania paſſim eſſe viros bonos minimè pueros, & Theologos minimè ſtultos, qui & dudum affirmarunt, & nunc aſſerere non dubitant, Te, in iſta monomachia, in quam cum R. & Cl. viro *D. Iacobo Andreæ*, beatæ memoriæ, & cum Theologis Vuirtenbergicis deſcendiſti, vel *Ioannis Antiocheni* animum induiſſe, vel *Theodoreti* partes tibi ſumſiſſe: ſunt profectò & multi, & de Eccleſia præclarè meriti, qui ita judicant. Quibus nos quidem nondum aſſentimur, eò quòd vel illos ita arbitrari videmus, ut ſta-
“ tuant, TE ſemper reluctando, nunquam
“ conſentiendo *Ioannem* & *Theodoretum* noſtratibus fore: vel quòd de te eam ſpem concepimus, te conſideratâ noſtrorum ingenuâ declaratione & animadverſâ Eccleſiæ calamitate, vltro ad fratres noſtros in Chriſto, atque adeo ad nos ipſos, & ad divinam veritatem tandem rediturum, atque illorum, quos commemoravimus, exemplum hac in parte laudabiliter expreſſurum. Quemadmodum enim, cum *Paulus Emiſſenus*, ſe medium interponeret, tantum vir ille eximius effecit, vt & diaboli, quâ adverſus *Cyrillum* Orientales ardebant, ſuperaret invidiam, & diſtracta Eccleſiæ membra amore copularet, ac denique Eccleſiam Antiochenam pariter & Alexandrinam ad mutuam Concordiam & pacem reduceret: ita nos quoque fore confidimus, ut Tu præclaro Ioannis & Theodoreti exemplo, ad noſtros redeas, & non minus quàm illi contra communes Eccleſiæ hoſtes uno nobiſcum animo certes. Eiuſmodi ſpem cùm apud animum noſtrum de te conceperimus, facere non potuimus, quin has ad te literas ea de re mitteremus. Neque enim pium noſtrum inſtitutum ita à te acceptum iri metuimus, quaſi nos in alienam meſſem falces noſtras immittere, & allotrio-epiſcopi eſſe vellemus: Sed id quod res eſt, & quod æquum te animadverſurum planè confidimus, quòd videlicet nos in communi Eccleſiæ dolore non etiam dolere, deque publica calamitate lachrymis & gemitibus omnium noſtras non etiam querelas adjungere nec poſſimus, nec debeamus. Per viſcera proinde Divinæ miſericordiæ, & S.S. divinæ veritatis nomen te obteſtamur & oramus, R. & Cl. D. Doctor, ne ſpe noſtra nos excidere ſinas, ſed gloriam des Spiritui Sancto, & depoſita ex animo adverſus noſtros in Chriſto fratres indignatione, vnam nobiſcum & cum Theologis Vuirtenbergicis in Articulis controverſis. 1. De Perſona Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti: 2. De carnis Dominicæ maieſtate & omnipræſentia: 3. De Lytro Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti pro omnium hominum
peccatis præſtito: 4. De infantum in Baptiſ- ”
mo regeneratione: 5. De fidelium in Chriſto ”
ad æternam beatitudinem prædeſtinatione: ”
6. Deque ipſo unico, & minimè Duplici aut Multiplici Libro Concordiæ, ejuſque genuino ſenſu, quem Eccleſiæ & Scholæ noſtræ publicè ſonant; & in ſumma de vniverſa Chriſtiana fide, unam & eandem nobiſcum ſententiam tueatis docendo & ſcribendo fideliter defendas, & in Eccleſia Chriſti propages. Nolumus ipſius Dei ſeveriſſimum tibi inculcare mandatum, qui vult, in Chriſto, una ſimus anima, unumque cor: Et ut omnia ſcandala ſedulò vitemus, qui diſſenſiones & ſchiſmata, altercationes & diſceptationes graviſſimè prohibet: qui in fratrum & omnium omninò Chriſtianorum conſenſu ſeſe oblectat, ut nemo ex odoratiſſima balſami fragrantia voluptatem majorem percipere

quear,

queat, quàm Clementiſſimus Pater cœleſtis è fidelium concordia & ſanctiſſima animorum conſpiratione hauriat. Nolumus etiam Prophetarum & Apoſtolorum, Orthodoxæ antiquitatis vel ſententias, vel exempla repetere tibi alioquin notiſſima. Illud ſaltem apud animum tuum ut probè conſideres per tuam ſalutem vehementer rogamus, quòd Calviniani aperti & clancularii (ut ignorare minimè potes) in tua diſſenſione ſpem victoriæ certiſſimam ſibi jam olim ſunt polliciti, & indies magis magiſque pro Diabolicâ ſua epichærecaciâ criſtas attollunt, & animos erigunt, quandiu Concordiæ formulam ejuſmodi civilibus digladiationibus punctim cæſimque ſauciari & diſcerpi animadvertunt. Qui enim non fore ſperarent, utquam illi qui extra Eccleſiarum noſtrarum pomeria Confeſſionis noſtræ arcem arietibus & baliſtis impoſturarum fruſtra pulſando & eminus oppugnando defatigati reportare nequiverunt, eam tandem noſtrarum manuum audaciâ, animorumque noſtrorum conflictibus & inteſtinis cædibus victoriam obtineant, noſtriſque viribus omne noſtræ robur enervent atque evertant, & id quod non potuerunt acerrimè pugnando, jam nunc ultro quieſcendo aſſequantur. Etſi verò æternum Deum precibus noſtris quotidiè invocamus, ut tantæ hoſtium noſtrorum ſpes in fumum abeant: non poſſumus tamen non graviter dolere quoties conſideramus, quàm miſerè interim corpus dilaceretur, & quàm periculosè infirmorum conſcientiæ vulnerentur. An non Reveren. & Clariſſ. D. Doctor voces iſtæ aliquando ad tuas quoque pervenerunt aures, quæ nobis in privatis Colloquiis, & in publicis congreſſibus arrogantiſſimâ cum inſultatione toties in aures, inque animum impreſſæ ſunt? *Quid ſolidi*, inquiunt, *habet veſtra Confeſſio, quæ in formula Concordiæ comprehenſa eſt? Cùm ipſi formulæ Concordiæ Antiſtites & Profeſſores in pleriſque capitibus diſſentiant?* Si rogemus, quinam illi ſint, qui diſſentiunt, *D. Danielis Hoffmanni* exemplum producunt, qui Calvinianos tot ſcriptis invaſerit, & nihilominus cum Concordiæ Patronis concordiam minimè colat: Hæc cùm Principes & Principum Conſiliarii audiunt, quid fieri putas? Res ipſa loquitur. Nam plerique omnem religionis curam abiiciunt, atque ita apud animum ſtatuunt, nihil firmi & ſolidi quenquam de fide habere. Sed eam, quam cuilibet amplecti de Deo rebuſque divinis opinionem animo collubitum fuerit, licitum eſſe. Alii repudiata noſtrarum Eccleſiarum confeſſione, vel in Calvinianorum, vel in Pontificiorum caſtra turpiſſimè tranſiliunt. Reliqui, quibus cordi religio, & qui nondum ea jecerunt fidei fundamenta, ut de Religionis Articulis ipſi judicare poſſint, fluctuant, levique aliqua aura ad defectionem ſe impelli patiuntur, aut certè aſſenſum ſuſpendunt, & in id tempus reiiciunt, vſque dum inter nos pulchrè convenire viderint. Quot interim, bone Deus, animæ pereunt? quot interim Scholas & Eccleſias per vniverſam Germaniam vel irreligioſa ſecuritas occupat, vel falſarum opinionum procellæ obruunt. Quot interim portæ & quot viæ Calviniſmo aperiuntur, quibus in gremium atque Sacrarium Eccleſiarum noſtrarum invadat? Nobis ſi fidem non habes, eos interroga, qui in iis locis ſunt noſtræ confeſſionis, vbi Formulæ Concordiæ ſubſcriptum non eſt. Teſtabuntur profectò Magiſtratum & plebem ibidem denegatæ hactenus ſubſcriptionis, neque dum præſtitæ aliud argumentum nullum habere efficacius, quàm quòd *D. Dan. Hoffmanus* Concordiæ Patronos ſcriptis publicis inceſſat, neque tamen idcircò Calvinianus haberi velit. Ita ſe quoq; aiunt, idcircò in Calvinianas partes non propendere, in quibus tamen toti ſunt, etſi Formulam Concordię non amplectantur. Durum oportet eſſe animum, qui hæc tanta conſcientiæ pondera non ſentiat, vel à ſe in extremo judicio à Filio hominis coram uniuerſa Eccleſia rationem hujus dati ſcandali poſtulatum iri non exiſtimet. Erunt enim, erunt profectò in illo judicii die non pauci, qui quòd, in fide naufragium fecerunt, & Calvinianis ſyrtibus abſorpti damnatoriam audient ſententiam, culpam in iſtam, quę inter nos eſt, diſſenſionem conjecturi ſunt. Nos quidem pura conſcientia coram tribunali Filii Dei apparebimus, neque de fratribus noſtris in Chriſto Theologis Vuirtenbergicis, quorum aliqui jam acceperunt immarceſſibilem gloriæ Coronam, reliqui pro Chriſti gloria viriliter adhuc in noſtris Eccleſiis & Scholis laborant & certant, idem affirmare quicquam dubitamus. Siquidem ex noſtra parte omnes illæ controverſię, quę in Eccleſiis noſtris extiterunt, adeò luculenter, adeò perſpicuè & copiosè tot editis voluminibus declaratæ ſunt, ut nemo, qui recta potius ſapere, quam errorres ſectari vult, vel probabilem ſaltem & in ſpeciem plauſibilem dubitandi cauſam habere poſſit. Quia illa ipſa, quæ tum in noſtris Theologis deſideras, jam dudum abundè in ipſorum ſcriptis, ea quam de illis concepiſti, ſuſpicione liberata ſunt. Ac ſi quis adhuc animo tuo inhæret ſcrupulus, è publica noſtra noſtrarumque Eccleſiarum confeſſione, eum nobis, quæſumus, aperias.

aperias. Dabimus operam, ut Spiritûs Sancti auxilio, ita tibi res declaretur, ne cauſam à nobis diſſentiendi vllam amplius invenias. Quapropter ne pluribus tecum agamus, petitionem noſtram, ut arbitramur, piam repe-
„ timus, teque in Chriſto Salvatore noſtro ob-
„ teſtamur, ut ab iſta tibi hactenus vſurpata
„ diſſentiendi, noſtris contradicendi, noſtroſque in Chriſto fratres & Collegas publicè privatimque inſectandi, flagellandi, paſſim apud ſtudioſam iuventutem lectionibus & ſcriptionibus traducendi conſuetudine deſinas, & cum noſtris in Chriſto fratribus nobiſcum in gratiam redeas, vnanimique conſenſu orthodoxam veritatem libro Concordiæ comprehenſam profitearis & defendas: telorum tuorum aciem non in fratrum conſcientiis obtundas, ſed in Calvinianorum cervicibus & Ieſuitarum frontibus potius exerceas. Quod ſi feceris, ut planè confidimus, non modo noſtros & multorum animos ſuaviſſimè afficies, & incredibili lętitia perfundes: Sed multa quoque Eccleſiæ vulnera ſanabis, & apud omnes Lutheranæ veritatis Doctores id efficies, ut cum *Cyrillo* lęti exclament: *Lætentur cœli & exultet terra: diruta eſt enim interpoſita maceria & μεσότοιχον & bilis, quæ animos vexabat compreſſa, & omnis diſſenſionis materia ſublata.* Sin verò pio bonoque animo profecta petitio & admonitio ad te, quod minimè ſperamus, ſpreta fuerit, feremus id quidem animo do-
„ lente: Deum tamen interim precibus no-
„ ſtris rogabimus, ut mentem tuam illuminet:
„ & id quoque non negligemus, quòd noſtri
„ muneris eſſe putamus, & quòd publicam Eccleſiæ ſalutem à nobis flagitare arbitramur, ut poſt tot amicas privatas & publicas partim noſtras, partim aliorum admonitiones, te, mandante Apoſtolo, in poſterum vitemus: & pręcipiente Domino Eccleſię palam indicemus, ne diuturniore ſilentio malum iſtud longius ſerpat, & nos de noſtra confeſſione parum certi eſſe, aut quid tuis objectis reſpondendum ſit, non in promptu habere, videamur. Quod tamen ne facere cogamur I.C. perque æternam tuam ſalutem te amicè rogamus, & in conſpectu Dei & S. Angelorum obteſtamur. Benè vale. Dabantur, menſe Septembr. Anno. &c. 93.

Subſcripſerunt.

D.Hervvart.
D.Schilter, Lipſenſes:
D.Huber:
D.Geſner, Vuitebergenſes:
D.Reudenius.
D.Fiſcher, Ienenſes Theologi.

Hofmanni reſponſio.

Hofmannus *ad has literas* Hunii *Apologeticam Epiſtolam ſcripſit Anno* 94. *ad* Ioannem Olearium, Paulum Nicandrum, Michaëlem Ieringium & Chriſtianum Kitte lmannum *Paſtores Hallenſes, in qua prolixè docet, ſeſe in negotio fidei cum Vuirtenbergenſibus & Ienenſibus Theologis, præſertim verò* Schmidlino *in eandem ſententiam deſcendere nequaquam poſſe. Ex hac Epiſtola præcipua tantum excerpam quæ ad inſtitutum noſtrum inprimis facere videntur.*

Cauſæ ob quas Hoſmannus cum Vuirtebergicis in doctrina conſentire nequeat.

1. Vuirtebergenſes ipſi in doctrina diſſentiunt.

Primo *docet, in doctrina de Perſona Chriſti ne ipſos quidem Vuirtenbergenſes Theologos conſentire, & vnam eandemque omnes cum* Brentio & Schmidlino *ſententiam defendere negat. Mentionem facit Anhaltinorum Theologorum Tabellæ, inſertæ ſuæ Cenſuræ de Præfatione Libri Concordiæ, in quam collegerunt Paradoxa multa ex libris* Brentii & Schmidlini, *& docent ipſorum verbis: 1. Eos confundere gradus præſentiæ Dei: 2. Confundere Vnionem hypoſtaticam & Communicationem Idiomatum: 3. Confundere Abſtractum & concretum, ſeu perſonam & Naturam: 4. Naturas ipſas exæquare & confundere: 5. Item, diſcernere eos inter clarificationem & glorificationem, quæ Scripturæ unum ac idem ſint: 6. Chriſtum ſecundum vtranque Naturam facere paßibilem: 7. Confundere Articulum Aſcenſionis cum Incarnatione: 8. Corpus Chriſti in phantaſma convertere: 9. Duplicem comminiſci divinitatem: 0. Aſcenſionem in diſparentiam convertere: 11 Cælum Inferno miſcere: 12. Corporum glorificatorum circumſcriptionem negare.* Hæc portenta, *inquit Hofmannus*, neque omnes Vuirrebergenſes, neque alii, qui Lutherani vocari volunt, probant omnes, & ego ea probare jubeor?

Docet etiam, non ſe ſolùm, ſed etiam Confeſſionem Eccleſiarum Circuli inferioris Saxoniæ, doctrinam Vuirtebergenſium de Perſona Chriſti in multis improbare: Cur ipſe igitur ſolus, & non alii quoque in eandem cum Vuirtenbergenſibus ſententiam, deſcendere jubeantur? Rogat, quomodo defendi & approbari poßit, quod Schmidlinus *in Apologia contra Ingolſtadienſes pag. 25. ſcripſit:* Divinitas Chriſti non eſt Vſiodes illa & æterna cum Patre & Spiritu Sancto eſſentia communis, ſed communi ata à ſecunda hypoſtaſi, qua ad Dexteram Dei ſedet, *&c.* Et, ut uno verbo dicam, cum hominem Deum eſſe dicimus, nihil aliud per hoc intelligimus, quam quod homo ad dexteram Dei ſedeat, quod ſedere ad dexteram, eſt hominis Divinitas, quæ alias nulli creaturæ contingit. *Hæc non ſe ſolùm probare non poſſe, ſed eadem improbare quoque dicit Confeſſionem Eccleſiarum inferioris Saxoniæ, his diſertis verbis*: Nos non docemus, quod Chriſtus Deus ſit, propter exaltationem humanitatis ſuæ. Ne-

Neque etiam comminiſcimur duplicem divinitatem & omnipotentiam in Chriſto, æternam nempe, & creatam. *Kemnitius etiam in Herzbergenſi Colloquio apertè teſtatus eſt, hæc portenta in Concordiæ Libro damnata eſſe.*

Rogat, denique, qua conſcientia probare poſſit, quòd in dicta Apologia Schmidlinus *ſcribat, pagina 23. veterum Patrum & Conciliorum definitionem, Verbum eſt ſubſtantialiter unitum carni, neque veram, neque ſufficientem eſſe: alioquin ſequeretur, Deum cum omnibus creaturis perſonaliter vnitum eſſe: Requirere autem ipſum ad hoc, Communicationem Idiomatum, & velle, hanc ſolam Perſonalis vnionis ſpecificam differentiam eſſe, ut in Theſibus eius videre ſit, pro quibus Apologiam ſcripſerit; in quibus etiam pagina 37. hæc legantur;* Hoc vnum eſſe inter Chriſtum & Sanctos ratione inhabitationis Dei diſcrimen, quòd Sanctis diſtribuat ſua dona dimenſa, Chriſto homini autem ſine menſura.

2. Hofmannus Vbiquitatem Vuirtenbergenſium probare non poteſt.

Secundò *docet, ſe etiam in articulo de Vbiquitate in eandem ſententiam cum Vuirtenbergenſibus deſcendere non poſſe. Scribere quidem* Hunium *in ſua Epiſtola,* Illa ipſa, quæ in Vuirtenbergenſibus Theologis deſideret, jam dudum abundè in ipſorum ſcriptis, ea quam de ipſis conceperit, ſuſpicione liberata eſſe, *facto autem contrarium ſe reperire probat. In Eſlingenſibus enim concionibus, quas* Schmidlinus *Teſtamenti ſui nomine reliquerit & commendarit poſteritati, ſcribit,* ſe omninò ſentire ac proteſtari, controverſiam inter Lutherum & Schvenckfeldium de Majeſtate hominis Chriſti magis in verbis, quam in rē ipſa eſſe. *In Schmalcaldicis autem articulis, inquit Hofmannus, Item, in Corpore doctrinæ Iulio, & Formula Concordiæ, hæc Schvenckfeldii doctrina non tantum in verbis, ſed etiam in ſenſu damnatur & ego eam probare jubeor?*

3. Schmidlinus cum ſuis multa docet quæ pro Calviniſmo faciant.

Tertiò *docet, ipſum quoque* Hunium, Mylium *& alios multa de Cœna docere, quibus ſtantibus, Calviniſmus non refutari poſſit, ſed ſtabiliatur fortiter. Veluti quod* Mylius *in Vuitebergenſi diſputatione, de Signo & ſignaculo Theſi 3. ſic ſcribat:* Signi vocabulo Sacramentum ipſum ſignificatur, eiuſdemque conditio & Natura deſcribitur. *Item, Theſi 8.* Sacramentum cùm ſignum appellatur, totius Sacramenti conditio exprimitur. *Theſi 5.* Sacramentum eſt ſignum divinum, quo juſtitia fidei obſignatur. *Theſi 43.* Quicquid ſalutem & juſtitiam fidei non obſignat, in cenſu Sacramentorum non eſt habendum. *Hæc ſi vera ſunt, inquit Hofmannus, quid amplius cum Calviniſtis certamus? qui in ſignandi natura, Sacramentorum naturam atque conditionem exprimi dicunt. Pari ratione concedendum illis erit, Sacramentum, quod Impii percipiunt, Sacramentum non eſſe.*

Quòd etiam Theſi 37. ſcribat, In Cœna Domini ſignatum eſt ea ipſa, de qua Iohan. 6. c. agitur ſpiritualis manducatio: *Hæc enim è diametro cum Luthero pugnant, qui ſpiritualem manducationem non ad ſubſtantiam Sacramenti, ſed inter fructus eius numerat: Et Calvino adſtipulantur, quòd fides, qua ſpiritualiter tantum manducamus, Sacramentum efficiat, & quòd fide deſtituti Sacramentum non percipiant.*

Quòd idem Mylius *in alia diſputatione Theſi 17. ſcribat:* Cum Circumciſio fœdus appellatur, hoc figuratè fieri nemo ambigit. *Hoc ſi verum eſt, inquit, Hofmannus, Lutherus cum ſuis manifeſtè veritati contradixerunt.*

Quòd Hunius *cum* Schmidlino *contra* Lutherum *negans,* panem Cœnæ Dominicæ ab Evangeliſtis & Apoſtolis Corpus Ch. dici.

Quòd idem Hunius *doceat,* generalem Corporis Chriſti præſentiam & Vbiquitatem, fundamentum eſſe præſentiæ eius in Cœna: *cùm contra Formula Concordiæ dicat,* Tanquam falſum, erroneum & Sacramentarium, ore & corde damnandum eſt, ſi doceatur, quòd non tantum verba & omnipotentia Chriſti, Corpus ejus præſens in Cœna efficiant, *pag. 303. 304.*

Quòd rurſus Mylius *Theſi 18. de Signo & ſignaculo, dicat,* perſonalem vnionem utriuſque in Chriſto Naturæ, in eum planè modum conſtare, in quem viſibili elemento Cœnæ Dominicæ inviſibilis veritas Corporis Chriſti unita ſit.

Quòd ſcribat in Concione Iena habita, & Anno 92. Vuiteberga edita; Si Corporis & Sanguinis Chriſti extra Cœnam poſſumus participes fieri, planè non opus habemus Cœna. *Atqui antecedens verum eſt, inquit Hofmannus, Conſequens autem falſum: Et Sacramentarii hoc potiſſimùm argumento oralem manducationem negant, quòd ſpiritualem ſufficere putant.*

Quòd in eadem Concione dicat, In prædicatione Verbi Dei, fide non percipi verum Corpus & Sanguinem Chriſti, ſed tantum beneficia & meritum ejus: *Cum contra Chriſtus Iohan. 6. de hac ſpirituali perceptione loquatur, & dicat;* Amen dico vobis, niſi ederitis carnem Filii hominis, & Sanguinem ejus biberitis, non habebitis vitam in vobis.

Quòd parte 5. diſputationis Ienenſis Theſi 21. idem Mylius *dicat,* ſacram Cœnam inſtitutam eſſe, ut Chriſti Corpus in ea manducemus, non fide, ſed ore. *Cum Lutherus contra docuerit, fide & ore Corpus Chriſti manducari, & qui ſine fide manducet, judicium ſibi manducare.*

Quòd hinc colligat Mylius, Licet in Cœna

Chriſti

Chriſti Corpus fide non percipiatur, tamen per oralem perceptionem nos Chriſtum per carnem in nobis manentem habere: *Item,* quòd Chriſtus ſeſe ingerat corporibus noſtris Corpore & Sanguine ſuo, & quòd inde ſpem reſurrectionis habeamus. *Ob has & alias multas cauſas dicit* Hofmannus, *ſe non poſſe vel cum Vuirtenbergicis, vel cum* Hunio, Mylio *& aliis in eandem ſententiam deſcendere, ne à veritate aberret.*

4. Formula Cõcordiæ non unica, ſed multiplex. Dreſdẽſe exẽplar Formulæ Cõcordiæ primum pro authentico habendum, ſed & ipſum variè corruptum & mutilatum eſt. Quidam ſcripſit Formulã Concordiæ maturo conſilio & ſtudio corruptã. Kemnitius autẽ dixit, id contra Electoris Sax. & ſuam voluntatem factum.

Quartò *docet Hofmannus in hac ſua Apologetica Epiſtola, ſe etiam non poſſe cum Vuirtenbergenſibus,* Hunio *& aliis, unam eandemque ſententiam tueri ac defendere, de unico, & non Duplici, aut Multiplici Libro Concordiæ. Verba eius formalia hæc ſunt:* Wenn man ein getruckt Exemplar pro authentico halten ſolte/ ſo müſte es das erſte Dreßniſche ſeyn. Nun aber iſt es nicht eynerley/ ſonder etliche haben D. Luthero Catechiſmum gantz/ etliche zerſtümmelt/ und ſchreibt D. Kemnitius an unſere facultet/ ſolches ſey der Formulæ Concordiæ pag. 229. und 257. zu wider/ und werde groſſen Streit geben zu unſer Zeit/ und bey den nach kommen. Soll ich nun zu ſolcher Gefahr helffen/ ſonderlich weil ſich einer underſtanden hat in offentlichen Truck zuſchreiben/ ſolches ſey mit gutem Bedencken geſchehen: da doch D. Kemnitius ſchreibt es ſey wider ſeinen Rath/ und wider deß Churf. zu Sachſen außtrücklichen Befehl geſchehen: berufft ſich auch auff deß Hertzogen zu Lüneburg und S. F. G. Conſiſtoriales, die dann ubel zufrieden geweſen.

2. Elector Palat. & Dux Vuirtẽb. editionẽ Dreſd. improbaverunt propter annexam Appendicem, & quiſque ſuum exẽplar excudi curavit.

Zum andern/ ſo hat Pfaltz und Würtenberg wider ſolche Edition darumb proteſtirt (wie D. Kirchner zu Quedlinburg ſolenniter berichtet) daß ein Appendix ohn gemeine Berathſchlagung darzu kommen/ auch derwegen ihr eygenes Exemplar angeordnet haben. Wie kan ich nun darob geſtrafft werden/ daß Wirtenberg ſelbſt gethan hat/ nemlich/ daß es nicht alle Exemplar hat annemmen wollen.

3. Auguſtana Confeſſio atque Apologia Formulæ C. inſerta, non qua anno 31. Vuiteb. excuſa & ab omnibus Ordinibus recepta, ſed quæ ab anno 31. vivente Luthero nunquam in uſu fuit.

Zum dritten/ were/ wol zuerwegen/ wie man ſich darinn verwahrete/ daß Kemnitius in Corpore Doctrinæ Iulio geſetzt hat/ daß beydes die Confeſſio Auguſtana, und derſelben Apologia, wie ſie Anno 31. zu Wittenberg gedruckt/ von den Ständen für das recht authenticum ſey gehalten worden/ ſolches auch noch bey underſchreibung der Formulæ Concordiæ die gemeine Meynung geweſen/ wie die allegata auß der Confeſſion und Apologia pag. 269. und 285. außweiſſen. Hernach aber hat man ein ſolch Exemplar der Confeſſion darzu drucken laſſen/ welches von Anno 31. an bey Lebzeitten Lutheri und Philippi/ in der Kirchen gebrauch nicht geweſen. Es treffen auch die allegata Formulæ mit demſelben Exemplar nicht uberein. Die Præfatio ſetzt auch/ man wölle ſich zu keiner andern Edition bekennen/ der Geſtalt die Editio unſers Corporis doctrinæ/ welches die Formula ſelbſt approbirt hat/ abgeſchafft wirdt. Iſt alſo die Formula mit ſich ſelbſt/ und mit unſerm Corpore doctrinæ uneinig welches noch ſchwere Streit geberen wird. Denn der Augſpurgiſchen Confeſſion receptum Exemplar abſchaffen wirdt viel koſten/ und doch vergebens ſeyn. Das ich nun ſolche Veränderung der Formulæ ſoll auff mich nemmen/ darfür behüte mich Gott.

Arrigite aures qui Auguſtanã Confeſſ. immutatã ſubinde verſetis. Concordia diſcors.

4. Dreſdenſe exemplar non conſentit cum Brunſvicenſi.

Zum vierdten/ iſt das Dreßniſche Exemplar in textu Formulæ mit unſerm Originali nicht einig. Daß auch die mutationes poſt ſubſcriptionem communem factæ nicht geringe ſeyn/ beweiſt die Apologia/ die vor nöhtig geachtet hat/ etwas/ ſo außgelaſſen worden zu reſtituirn/ und was hinein geſetz/ eins theils zu erklärn und zuverwarn.

Mutationes non leves factæ in Formula Cõcordiæ poſt ſubſcriptionem. Dreſdenſis editio non authentica. Quanã ignorat? Reſpondete Bergenſes.

Dieweil aber an einem authentico exemplari viel gelegen war/ gaben uns die Churfürſtliche Theologi zu Quedlinburg nach/ man müſte das Dreßniſch Exemplar corrigiren/ ſchlugen für/ ſie hetten vier gebundene Exemplar bey ſich/ die ſolten emendiret/ und mit Underſchreibung/ bey den Herrn Churfürſten Pfaltz/ Sachſen und Brandenburg/ auch zu Wolffenbüttel/ beygelegt werden/ damit die Nach kommen wüſten/ welches das authenticum ſeyn ſolte. Weil wir aber Bedencken trugen zu willigen/ daß die correcta Exemplaria hinder Fürſtl. Clauſuren ligen/ und incorrecta in der Kirchen gebrauch ſeyn ſolten/ iſt die verwarung nachblieben. Es iſt aber der Churfürſtl. Theologen vorſchlagen ein köſtlich Zeugnuß/ daß Editio Dreſdenſis nicht ſey authentica.

Quid Principes ad hæc dicturi ſunt.

Ich trage groſſe Sorge/ wenn Chur und Fürſten innen werden/ daß es alſo geſchaffen ſey/ ſie werden mit denen ubel zu frieden ſeyn/ die ſolche Händel geſtifftet/ oder mit undertruckung der trewen Warner fort geſetzt haben.

Exẽplar Formulæ Cõcordiæ in Latinam linguam à Selneccero verſum multis modis corruptum.

Wie ſtehets auch mit dem erſten Lateiniſchen Truck/ welchen D. Selnecker zu Leipzig curirt hat? Iſt nicht bey der verſione viel vorgefallen/ daß D. Selnecker darnach vor ſich geändert hat? hat man nicht in loco de Libero arbitrio etliche ſchöne paragraphos auß D. Lutheri Catechiſmo auß gelaſſen? Hat man nicht in loco de Perſona Chriſti das außgethan/ das wider Andræam Hoſiandrum und D. Jacoben hienein geſetzt war/ daß Chriſtus mit den Heyligen nicht perſönlich vereiniget were? Da auch D. Selnecker zu Quedlinburg von D. Kemnitio darauff beſprochen war/ da leget er die ſchuld auff den abweſenden D. Lucam Hoſiandrum/ weyſet mir

auch eine Edition / die mit der Dreßniſchen Edition / oder mit dem rechten Originali gar eynig ſey? Diß aber will ſich mit ... nicht laſſen beßern / daß man mir anmutet ich ſolte mit den Wirtenbergern eins Concordien Buch haben / da ſie doch keines gewiß nennen / und die Exemplaria, ſo getruckt ſeyn / noch unter ſich nicht richtig haben.

5. Vuirtenbergenſis multa docere quæ pugnant cum Formula Concordiæ.

Quintò *docet Hofmannus, ſe non poſſe etiam cum Vuirtenbergicis unam & eandem ſententiam tueri de genuino ſenſu Formulæ Concordiæ, quem ipſorum Eccleſiæ & Scholæ ſonent. Nam non ſolum ex iis, quæ jam antea recitata ſunt, ſed etiam ex ſequentibus intelligi facilè poſſe, Vuirtenbergenſes cum Sociis multa in Eccleſiis & Scholis ſuis ſonare, quæ cum genuino ſenſu Formulæ Concordiæ è diametro pugnent.* Mylium *enim in ſua diſputatione Anno* 93. *Ienæ habita, inter alia docere*, Divinitatem triduo mortis Chriſti fuiſſe ſeparatam à Corpore ipſius: Contrarium autem docere Formulam. *In dictatis in epiſtolam ad Rom. multa diſputare* Mylium *contra* Hunium *de Vniverſali Electione: alterutrum igitur ex iis errare, & cum Formula pugnare. Qui ergo poſſit unam eandemque ſententiam cum illis tueri? Adhæc* Schmidlinum *in Mulbrunenſi Colloquio, & anno adhuc* 85. *publicè contra Librum Concordiæ atque ipſum quoque* Lutherum *docuiſſe*, Chriſtum non dixiſſe, Hic panis eſt Corpus meum: Verba hæc ſecundum τὸ ῥητὸν intellecta, Hoc eſt Corpus meum, inuſitatam, falſam & abſurdam orationem eſſe. *Contra verò Lutherus*, Subjectum, *inquit*, Hoc, eſſe demonſtrativum panis, & Non Corporis. *Item*, Ego verbis Chriſti ſimpliciter inhærens, credo firmiter, panem eſſe Corpus Chriſti, *&c. Eundem* Schmidlinum *& Vuirtenbergenſes docere etiam*, priuſquam panis conſecratus fuerit, & Chriſtus hæc verba pronuntiarit, Hoc eſt Corpus meum, Chriſti Corpus in pane, ſicut in omnibus creaturis fuiſſe. *Has gloſſas ſe pro genuino ſenſu Formulæ Concordiæ recipere non poſſe. Vuirtenbergenſem quendam ſcriptum quoddam hinc inde miſiſſe, & approbationem ejus poſtulaſſe, in quo hæc etiam inter alia legantur:* Vt Filius Dei Humanitati ſuæ omnes gradus ſcientiæ uſque ad omniſcientiam communicarit, ſic eundem Humanitati præſentiam per omnes gradus præſentiæ communicaſſe. *Vbiquitatem etiam, quam ipſe nominet Majeſtatem Chriſti*, ſubſtantialem paruſiam, & præſentiam apud creaturas *appellare. Item*, phraſin hanc, Corpus Chriſti eſſe in omnibus lignis, lapidibus, &c. non improbandam eſſe. *Item*, Si dicatur, Corpus Chriſti ſecundum ſuam ſubſtantiam ubique eſſe, id propter Martionitas & Manichæos fieri. *Item*, Chriſtum anguſtos terminos Humanæ Naturæ ampliaſſe. *Item*, Humanam Naturam intra arctiſſimum Trinitatis complexum ſubſiſtere, quia & ipſa poſt exaltationem in ſimpliciſſimo & puriſſimo actu verſetur. *Item*, Chriſti Humanitatem etiam poſt reſurrectionem, & verba Angeli, Non eſt hic, in ſepulchro manſiſſe, diverſis gradibus, 1. Vniverſali præſentiâ: 2. Glorioſâ præſentiâ: 3. Gratioſa præſentiâ, propter mulieres, *Item*, Nullum Chriſtianum Vbiquitatem abſque nota turpiſſimæ ingratitudinis in Chriſtum abjicere & deſerere poſſe. *Item*, Dicentem, Vbiquitatem non eſſe Articulum fidei, neque in verbo Dei fundatam, in æternum damnandum eſſe. *Hæc ille cum multis ſimilibus. An verò hæc portenta ſint genuinus ſenſus Formulæ Concordiæ, quem unà cum Vuirtenbergenſibus ſonare debeat* Hoffmannus, *juxta* Hunii *admonitionem, ſe aliis judicandum relinquere.*

Hoffmā. edi. Librum de 17. Schmidlini craſſiſſimis erroribus.

Edidit idem Daniel Hoffmannus *ante hoc tempus* Iacobi Schmidlini ſeptendecim errores prodigioſos & craſſos, ex ipſius ſcriptis excerptos, *de Perſona Chriſti, & Sacra ejuſdem Cœna, quos annotatos Lector inveniet in altera parte Hiſtoriæ noſtræ Sacramentariæ pag.* 385. *b. &* 386. *Et teſtatur in Apologia ad* Hunii *Epiſtolam pag.* 73. ſe in Vuirtenbergenſium ſcriptis ultra centum alios craſſiſſimos errores, cum fidei Chriſtianæ Articulis pugnantes, obſervaſſe.

CAPVT LII.

Acta Synodi Epperienſis Hungariæ quinto & ſexto die Octobris Anni 1583. celebratæ.

Invectiva Ezechielis cujuſdam in Calviniſtas.

A*D* 5. *Octobris horâ ſextâ antemeridianâ in templo Epperiæ conventum eſt, ubi* Ezechiel *Miniſtri Eccleſiæ Epperienſis concione de dicto Chriſti, Matt.* 28. Ecce ego ſum vobiſcum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi, *habitâ, id unum præcipuè egit, ut condemnatione eorum, quos oppugnandos ſibi pridem delegerat, reliqua actioni viam ſterneret. Etenim tantâ acerbitate in Zuinglianos & Calviniſtas, ut vocabat, cùm manifeſtos, tum clandeſtinos, quos ille* Philippiſtas & Semicalviniſtas Scepuſienſes *appellabat, invectus eſt, ut ad exquiſitam maledicentiam vix addi aliquid poſſe, eo quidem in loco videretur. Et tamen quod eis objiceret aliud non habebat, quàm quod dictum illud de Perſona Chriſti ſecundum Divinam Naturam cum* Philippo *& aliis orthodoxis interpretantur,*

unde

unde ille & Perſonæ divulſionem, & promiſſionis Chriſti everſionem ſequi, magnis clamoribus, rationibus autem nullis contendebat, tanto audacius quidvis aſſeverans, quanto certior erat, neminem ibi reſponſurum. Protulit etiam Librum continentem αἴτιον *Vbiquitatis & orthodoxæ doctrinæ, de Perſona Chriſti, in quo non modo Authorem, ſed cæteros quoque Calviniſtas Scepuſienſes, qui conſilio & opere authore juverint, manum etiam & calamum admoverint ſuam de Perſona Chriſti confeſſionem edere dicebat. Et quidem primùm eos largiri Humanam Chriſti Naturam, Divinitatis, cum qua perſonaliter unita ſit, vere participem factam eſſe: poſtea verò idem rurſus negare aiebat, quod tamen collatione illorum locorum contrariorum ut fieri debebat, non eſt demonſtratum.*

Ex templo in Parochiam eſt itum; ubi primum Senior Eccleſiarum in quinque conjunctis civitatibus electus Severinus Sculteti Bartphenſis *Eccleſiæ Paſtor: nec aliud propterea ante prandium actum.*

Initium Synodi.

A prandio horâ primâ eundem in locum reverſus, tam Eccleſiaſticis quam politicis, initium actionis à Seniore factum eſt: Qui legatos civitatum allocutus, ſi quid haberent, de quo cognoſci in Synodo iſta vellent, ut proponerent, rogabat. Quibus tacentibus, denuo inſtitit, ut ſi quas, quod audiviſſet, querelas de Miniſtris Eccleſiarum aut Scholarum haberent, in medium eas proferrent. Ibi Caſſovienſes nihil ſe habere de quo querantur, ſibique cum ſuis benè convenire dicebant. Cumque Leutſchovienſes idem affirmarent, apertius urgere cœpit, conſtare ſibi dicens, quòd nomine communitatis Leutſchovienſis quædam ſint exponenda. Tum duo ex plebe Senatoribus Leutſchovienſibus adjuncti ſurgebant: Et quoniam de Schola ipſorum varia in vicinis locis ſpargantur, injunctum ſibi eſſe dicebant, ut ſi quid ea de re in hac Synodo ageretur, de exitu ejus ſuos edocerent. Cùm autem neque hi ſpeciale aliquod crimen Scholæ objectum proferre poſſent, neque Senatores quicquam adderent: ex ipſo Ludirectore Iohanne Mylio, *quænam igitur eſſent querelæ illa ſciſcitabatur. Is vero ex aliis ſe audire velle reſpondebat.*

Mylius accuſatur quod de Schmidlino minus honeſtè ſentiret.

Cæterum aliis tacentibus, prodiit Magiſter Samuel Sauterus *Paſtor Eccleſiæ Epperienſis, qui primùm Epiſtolam ad Paſtorem Eccleſiæ Leutſchovienſis ante tertium annum ſcriptam recitabat, in qua conqueſtus erat de Ludirectore, quod de* Iacobo Andreæ *minus honorifice ſentiret & loqueretur. Ad ea* Mylius, *non ſe honori* Andreæ *quicquam detraxiſſe aiebat: tantum duas ipſius theſes definitioni Vnionis perſonalis oppoſitas occaſione textus Examinis Philippi refutaſſe.*

Produxit deinde idem Sauterus *quædam ex prælectionibus* Mylii *in locum de Perſona Chriſti, quæ etſi truncata* Mylius *recitari audiebat, tamen à doctrina* Melanchoniana *non alienæ eſſe, quemlibet ſcriptorum* Philippi *ſtudioſum facile videre dicebat. Sed cùm ipſa verba ſibi in* Philippo *monſtrari vellet* Sauterus, *recepit ſe facturum* Mylius, *quam primum pagellarum ſuarum, in quibus loca aſſignata habeat, copia ſibi data fuerit.*

Mylius non vult examinari ab Vbiquiſtis.

Hic concertationem iſtam interpellans Senior, citius ad ſcopum propoſitum perveniri poſſe dicebat, ſi quæſtiones certæ, quibus Calviniſtæ clandeſtini explorari ſoleant, Mylio *proponerentur.* Mylius *quorſum iſta pertinerent videns, negabat ſe idcò adeſſe ut examinetur, ſiquidem de Confeſſione ſua Senatum & Miniſterium edocuiſſet, antequam functionem Scholaſticam legitime oblatam acceptaſſet. Si quis verò oſtendere poſſet, ipſum aliquid à Corpore Doctrinæ & Cæteris* Lutheri *ac* Philippi *ſcriptis alienum Iuventuti tradidiſſe, paratum ſe eſſe ad rationem reddendam. Paſtor etiam Leutſchovienſis Eccleſiæ, nomen* Hunii *quæſtionibus illis præfixum eſſe videns, nihil ad has Eccleſias iſta pertinere dicebat. Erant enim Quæſtiones formatæ ab iis, qui nuper in viſitatione Miſnica Vbiquitatem in Eccleſias poſtliminio revocarunt. Senior contra ex Lutheri ſcriptis collectas eſſe contendebat, & ut ad eas reſponderet* Mylius, *vehementer urgebat. Tum* Mylius, *quod neceſſitas jam poſtularet, non æquum videri dicebat, ut ad inſidioſas quæſtiones reſpondeat illi, qui ſubſcriptione Formulæ Concordiæ ſeceſſionem à Confeſſione harum Eccleſiarum feciſſet. Ad quod verbum plerique clamorem tollentes fremebant: & Senior quidem, ut idem manu ſua teſtaretur* Mylius, *poſtulabat. Quo ſine tergiverſatione facto, rationes inſuper illius accuſationis requirebat: Se enim nihil in Libro Concordiæ, invenire poſſe, quod improbandum videatur.* Mylius *manifeſtum eſſe aiebat, Formulam Concordiæ adverſari Corpori doctrinæ, quod editis ea de re ſcriptis non modo Auguſtanæ Confeſſioni addictæ Eccleſiæ, ſed ipſi quoque Pontificii publicè teſtentur. Ipſum quoque Seniorem in ſcripto ſuo de Communicatione Idiomatum nuper edito, palam recedere ab uſitata & recepta Doctrinæ norma.*

Formulam Concordiæ pugnare cum Corpore doctrinæ.

Severini Sculteti error de communicatione Idiomatum.

Primò, *quòd pro definitione hactenus uſurpata, quâ dicitur prædicatio proprietatem alterius Naturæ tribuens Perſonæ in concreto, ipſe ſupponat aliam, quòd ſit Doctrina unius Naturæ, proprietates tribuens alteri in concreto. Senior definitionem illam ex Dialectica* Philippi *deprom ptam eſſe dicebat. Sed* Mylius *non tradere ibi* Philippum *doctrinam de communicatione Idiomatum reſpondebat. Tantum obiter in loco à*

pugnantibus mentionem facere propoſitionum iſtarum, in quib. diſparata jungantur. Et quidem ſatis perſpicuè eo in loco Philippum *explicare, quid per Naturam in Concreto intelligat, nempe nomen Perſonæ ab alterutra Natura, ſumptum, qualia ſunt, Deus, Filius Dei, λόγος, Homo, filius hominis, ſemen mulieris: expreſſe etiam addere* Philippum, *non receptas eſſe ejuſmodi locutiones in abſtracto, ſed in concreto tantum, ut ſignificetur tota Perſona, non altera natura. Nihil igitur præſidii peti poſſe ex illo* Philippi *loco, ſed planam, non ambiguam definitionm ſcripto explicationi hujus Doctrinæ deſtinato ponendam fuiſſe.*

Secundò, *quòd communicationem ἀποτελέσματος ſeu officii definiens talem eſſe doctrinam, quâ actiones officii mediatoris tribuantur Perſonæ ſecundum utramque naturam; omittat particulam neceſſariam, ſervatis naturarum proprietatibus. Senior non omnia in definitionibus poni poſſe, & ſubintelligi particulam illam, ſed* Mylius *in definitionibus nihil omitti debere, & ellipſes hujuſmodi, ut inuſitatas, ſic periculoſas eſſe dicebat.*

Tertiò, *quòd carni Chriſti in abſtracto omnipræſentiam, omnipotentiam & alia Divinitatis Idiomata tribuat, imò nos ipſos omnipotentes vocet in Chriſto: quod quomodo tueri poſſit, non ſe videre, niſi fortè duplicem cum* Brentio *divinitatem atque ita etiam omnipotentiam ſtatuat. Senior abſurdam ſuam propoſitionem de omnipotentia noſtra, probare conabatur dicto Pauli:* Omnia poſſum in Chriſto confortante me, *puerili omninò, quod Mylius objiciebat, argutatione. Sed quod de* Brentio *duplicem Divinitatem ſtatuente dictum erat, ſed ſi probabis, dicebat* Sauterus *ad* Mylium *converſus, viciſti.* Mylius *conditionem accipiens, proferebat locum ex Libro de Majeſtate, ubi pag. 91. ſic ait:* Voco in præſentia Divinitatem Chriſti, non eam quam filius Dei in ſe ab æterno habuit, ſed quam tempore incarnationis filio hominis communicavit, ſeu participavit. Alia enim eſt divinitas communicans ſeu participans, ſicut alius eſt donator, aliud donum. Chriſtus igitur extra participatam carni ſuę Divinitatem implebat Cœlum & terram, qui tamen juxta œconomiam non erat amplius in ſepulchro. *Nondum totum locum legerat* Mylius, *cum Senior &* Sauterus *interpellantes negabant* Brentium *ſtatuere duplicem Divinitatem, ſed unam & eandem Divinitatem dupliciter conſiderare aiebant: Quod cùm ipſius* Brentii *verbis facilè poſſet refelli, noluerunt audire.*

Brentius an duplicem divinitatem ſtatuerit.

Ac Senior ad inquiſitionem ſuam reverſus acriter inſtabat, ut ad interrogata Mylius *reſponderet: Quæ cùm eſſet una omnium ferè vox,* Mylius, *ut tumultum ſedaret, reſponſurum ſe promiſit, ſed non, ut poſtulabatur, uno tantùm verbo. Verùm declaratione addita, ut quatenus Articulos proponendos approbet, vel improbet, omnes intelligant. Itaque in Articulis de Cœna cum ſimpliciter ſine ullo troporum adminiculo verba inſtitutionis intelligenda eſſe dicerentur: ita ſe id amplecti* Mylius *profitebatur, ut ſimplex intellectus opponatur peregrinæ & à mente inſtitutionis alienæ ſententiæ, non declarationi Sacramentali. Alioquin* Brentium *quoque peccaturum fuiſſe, qui Tropum ſtatuat in verbis Cœnæ, nempe Synecdochen in Exegeſi ſua ſuper Iohannem anno Chriſti 1527. edita: quod cùm ſibi demonſtrari ex ipſo* Brentio *vellent, allatus eſt Liber, ubi in explicatione 6. Cap. non de ſpirituali, ut ipſi volebant, ſed de capite præcipuo controverſiæ Sacramentariæ inter Evangelicos ſic Brentius ſcribit:* Principio, *inquit,* non importunum reor lectorem admonere, ut probè conſideret, quæ ſit ſumma noſtræ controverſiæ, de Sacramento Cœnæ quæſtio. Non quærimus, an panis ſubſtantia mutetur in Corporis Chriſti ſubſtantiam: De his nugis diſputent vani Papiſtæ. Nec quærimus, an in pane ita carnaliter Corpus Chriſti ſubſiſtat, quemadmodum ratio humana nugaci imaginatione in pane Corpuſculum aliquod imaginari ſolet. His cogitationibus occupetur animus carnalis & Ariſtotelicus quiſpiam, Sed hoc quærimus, an pane & vino Cœnæ Domini diſtribuantur & donentur: fidei noſtræ Corpus & Sanguis Chriſti, Hoc ſi comprobatum fuerit, manifeſtum deinde erit, quare panis dicatur verè eſſe Corpus Chriſti, non duntaxat, ſignificare, *&c. Et poſtea addit:* Omnino itaque opus eſt explicatione horum verborum Tropo, ſed non tali, qui tibi auferat à Cœna Corpus & ſanguinem Domini, verum tali, qui tibi dona Chriſti præſentia relinquat, ne cogaris à Cœna Domini magis eſuriens in fide tua diſcedere, quàm acceſſeris. Nam ea Cœna potiſſimùm à Chriſto inſtituta eſt, ut ibi fidei negotium agatur, non ventris, &c.

An verba inſtitutionis ſine tropo intelligenda.

Brentius tropum admittit.

Sed hic Barthenſes ſimul & Epperienſes Miniſtri excipiebant, Brentium *poſtea ſeipſum explicare diſtinctione hominis externi & interni: Vt igitur ex collatione ſententiæ* Brentii *certius deprehendi poſſet, iſte etiam locus eſt lectus, cujus hæc ſunt verba:* Eſt enim homo duplex, internus & externus; ſpiritualis & carnalis. Itaque in Sacramento offertur per Verbum interno & ſpirituali homini ſuum donum, hoc eſt, ſpirituale: externo autem ſuum, hoc eſt, externum. Iam ſpiritualis non exſatiatur ſignis, ſed rebus non impletur umbris,

umbris, ſed veritate. Proinde in Sacramento exhibetur non ſolum externo homini externum donum, ſed etiam interno homini res & veritas ipſa: & pulchra ſcilicet diſpenſatione, ut externus homo habeat externa cognata, & ſpiritualis interna ſibi convenientia. In Sacramento enim non quæritur cibus duntaxat corporalis, ſed etiam ſpiritualis, ac ideo ſicut per verbum, ita per Sacramentum fidei noſtræ offeruntur Corpus & Sanguis, ut habeat externus homo ſua externa, panem & vinum, internus verò ſua interna & ſpiritualia, Corpus & Sanguinem in myſterio donata, &c.

Mylius quatenus aſſentiat de Majeſtate carnis.

Senior, collaudato Brentii *loco, pergebat ad alias quæſtiones, cumque in loco de Perſona Chriſti mentio fieret Majeſtatis carnis Chriſti,* Mylius *aſſentiri ſe propoſitioni dicebat, ſi ſub Majeſtate non occultaretur omnipræſentia, omnipotentia carnis Chriſti in abſtracto, hoc eſt, confuſio Naturarum. Quæ declaratio, quia repudiabatur, opponebat* Mylius *ſe probaturum, quòd ante annos 25. Barthæ idem ſenſerint de hoc articulo, quod ipſe nunc ſentiat. Etenim* Thomam Fabri *Ludirectorem in loco de Aſcenſione Chriſti in Cœlum anno* 68. *declarato, diſertè hanc movere quæſtionem:* Cur Eccleſia non admittat phraſin Chriſti humanitas eſt ubique? *Sed reclamabant plerique, non eſſe nunc tempus diſputandi, ſed ad propoſitas quæſtiones reſpondendi. Vix impetrare potuit, ut* Lutheri *teſtimonium adducenti pauliſper aures præberent. Is in explicatione* 14. *Cap. Iohan. Tom.* 7. *Ienenſi Germanico fol.* 85. *diſertè ſcribit:* Utriuſque Humanæ & Divinæ Naturæ proprietates toti Perſonæ adſcribi & dici: homo Chriſtus ex virgine Maria natus eſt omnipotens, & facit omnia quæ petimus, non tamen ſecundum Humanam Naturam. Item de Chriſto Deo & homine ita loquutum eſſe, ſicut utraque Natura requirat, ut quædam verba Humanam, quædam Divinam indicent Naturam: & diligenter animadvertendum, quid ſecundum Humanam Naturam loquatur, & quid ſecundum Divinam, &c. *ut pluribus habet integer locus.*

Cùm autem omnem declarationem ipſi repudiarent, & unico verbo reſponderi ad ſingula vellent, Mylius *id ſe facere non poſſe oſtendebat. Ipſo igitur ſecedere juſſo, res in deliberationem vocata eſt. Poſtea iterum intromiſſo, Senior indicavit omnes qui adeſſent agnoſcere, articulos antea propoſitos non pro Ubiquiſticis, ſed verè Lutheranis, ideoque cupere* Mylium *ad eos, qui de Cœna agerent, reſponſum ſimplex & categoricum, idque ſcripto comprehenſum exhibere die ſequenti debere. Ad ea* Mylius, *etſi non prorſus nulla de cauſa recuſare id poſſet, ſententiam tamen ſuam, de articulis illis, quandoquidem tantopere urgeretur, ſcripto ſe comprehenſurum pollicitus eſt. Altero deinde die hora* 7. Mylius *ſententiam ſuam in publico conſeſſu expoſuit hoc ſcripto.*

Mylii reſponſio de Cœna.

I. Quòd verba Chriſti, Accipite, comedite, *hoc eſt* Corpus meum: bibite, hic eſt ſanguis meus, ſimpliciter & ſecundum literam, ut ſonant intelligenda ſint, concedo: Si particulæ, ſecundum literam opponantur peregrinæ, & à mente Chriſti alienæ ſententiæ: non declarationi ſacramentali, ſcopo inſtitutionis convenienti. Oportet enim diſcernere propoſitiones illas: Panis eſt Corpus Domini: &, Corpus Domini eſt pro nobis traditum, niſi contradictione nos ipſi implicare velimus. Idcirco & Lutherus verba ipſa declarat, per particulas, in, ſub, cum, quæ non de occultatione aliqua Corporis & Sanguinis Chriſti ſub elementis, etiam in minore Confeſſione ab ſe rejecta, ſed cum Orthodoxa Eccleſia, de myſterio vult intelligi. Et Apoſtolus in 1. Cor. 10. ſic explicat, quòd panis & poculum ſint communicatio corporis & ſanguinis Domini.

II. Quòd in Sacramento duæ res ſint, dentur, & ſimul accipiantur, terrena, hoc eſt, panis & vinum: & cœleſtis: hoc eſt, Corpus & Sanguis Chriſti, credo. Cumque verba inſtitutionis ſine ſacramentali declaratione accepta, vix hoc admittant, ſed potius identitatem eſſentiarum alioquin diſtinctarum innuere videantur, etiam hinc patet, particulis illis in ſuperiori theſi, ſimpliciter ſecundum literam, ut ſonant, non poſſe excludi Sacramentalem explicationem.

III. Quod id hic in terris fiat, non ſuperius in Cœlo, de Sacramentali manducatione, concedo. Nam de Spirituali ipſe Iacobus Andreæ in libello de abuſu Miſſæ fatetur, Corpus Chriſti propriè loquendo in Cœlis coram facie Dei concedi.

IV. Quòd verum naturale Corpus Chriſti ſit, quod in cruce pependit, & verus naturalis ſanguis, qui ex Chriſti latere fluxit, firmiſſimè credo, nec aliud, in hoc quidẽ negotio, quàm verũ, naturale, ex ſubſtantia Mariæ virginis aſſumptum. Corpus Chriſti agnoſco.

V. Quòd Corpus & Sanguis Chriſti, non fide tantum ſpiritualiter, quòd etiam extra uſum Cœnæ fieri poteſt, ſed cum pane & vino etiam oraliter, imperſcrutabili tamen & ſupernaturali modo accipiatur, &c. Concedo, ſi oralis manducatio intelligatur de manducatione Sacramentali, ut veteres appellarunt: quæ Luthero interprete Tom. 3. Ienenſi Germ. fol. 487. Corpori Chriſti tribuit, quod ſit in pane, cum quo Corpus Sacramentaliter eſt unitum. In quam ſententiam & Iacobus Andreæ, qui certè Calvinianus non fuit, oralem manducationem explicat

in theſibus Vuiteberg. ſectione alterâ, propoſitione 133. *Neque verò*, inquit, *Capernaiticam lanienam carnis Chriſti in Cœna Dom. inſtituimus, cùm de Corpore Chriſti nihil pro ratione hujus ſeculi in hoc myſterio aſſeramus: ſed actio tota quo ad Corpus Chriſti, cùm ſit cœleſtis, ſpiritualis, & myſtica, quæ pani accidunt, propter unionem Sacramentalem Corpori Chriſti tribuuntur, cum tamen in ipſo Corpore Chriſti nihil horum fiat. Sic videri oculis Corporeis, frangi manibus, dentibus tangi, atteri, & ſimilia, quæ in Sanctorum Patrum ſcriptis paſſim occurrunt, Corpori Chriſti in Cœnam Dom. tribuuntur, propter panem cui accidunt, cum in ſubſtantia carnis Chriſti nihil horum fiat. Hæc ille.*

VI. Secundum quam declarationem minimè ſuſpectam concedo tandem & hoc, quod oralis manducatio à dignis pariter & indignis fiat.

Hoc ſcripto publice lecto, Senior querebatur, non datum eſſe, ut poſtulatum ſit, reſponſum ſimplex. Mylius *reſponſionem ſimplicem non excludere declarationem neceſſariam dicebat, & quid in ſcripto ſuo deſiderarent, indicari ſibi petebat. Senior autem plures reſtare articulos inferebat, cùm de Perſona Chriſti, tum etiam negativos de Cœna.* Mylius *negativos affirmativis oppoſitos eſſe, ideoque reſponſione peculiari non habere opus aiebat. De Perſona Chriſti quod dicat, ſe libenter ſententiam ſuam explicaturum fuiſſe, ſi requiri ſciviſſet. Verùm ſe tantum Articulos de Cœna nominari audiviſſe. Idem & Paſtor Leutſchovienſis, cùm Miniſtro Eccleſiæ, & Senatores quoque affirmabant. Placuit nihilominus, ut ad articulos de Perſona Chriſti reſponderet* Mylius: *Qui quatuor priores ſimpliciter, quod extra controverſiam poſiti viderentur, approbans, Quinto, propter ambiguum ſermonis genus declarationem addere volebat, quod tamen ei non fuit promiſſum.*

Cur non diſputandum Vbiquiſtæ arbitrentur.

Poſt multam diſceptationem, Mylio *tandem iterum remoto, concluſum eſt, ut uno verbo reſponderet: Quod cum Senior indicaret, ipſe reſponſurum ſe ita dicebat, ut quæ ſit ſua ſententia intelligere omnes poſſint. Senior contra, reſponſum unico verbo reddendum urgens, aliquot recenſebat cauſas ex Luthero, cur non eſſet diſputandum. 1. Quia Lutherus ſcribat, ſe jam ſatis refutaſſe adverſarios. 2. Quia idem teſtetur, miſere periiſſe pleroſque adverſarios ſuos, ſic* Zuinglium *in acie occubuiſſe,* Caroloſtadium *à dæmone interemptum, quod tamen figmentum à magiſtratu Baſilienſi ubi ille piè obiit, publico ſcripto refutari alius monebat, & quod ipſe de ſuo addebat,* Calvinum *Phtiriaſi abſumptum, ubi cum ille idem ſubjiceret, phthiſi extinctum, non ſine ſupercilio Phthiriaſi mortuum affirmabat. Has & alias plures cauſas* [illegible] Mylius *nihil ea ad ſe, qui non ſit* Lutheri *adverſarius, ſed ex* Luth. *ſua probet, pertinere dicebat. Tandem cum ſæpius, an non uno verbo reſpondere vellet, Senior, & quidem impetuoſius quæreret: non ſe, niſi declaratione additâ, id facere poſſe* Mylius *aiebat: Et Senior, habere jam ſe quod volebat, ratus, de loco conſurgens, auditis dicebat, Dom. Leutſchovienſes, non vult ſubſcribere. At* Myl. *contra violentum iſtum proceſſum publicè proteſtatus, ſuum ſibi jus legitimè diſceptandum ſe reſervare reſpondebat, cùm præcipuè Seniorem & cæteros pleroſque à confeſſione harum Eccleſiarum defeciſſe probare poſſit.*

Mylii proteſtatio.

Lecta eſt deinde confeſſio Civitatum, ſed ut quicquam opponeretur non permiſſum.

Poſtremo eidem Confeſſ. & ſcriptis Luth. *ac Corpori doctrinæ ſubſcriptum ab omnibus quod &* Myl. *faciens ſubſcriptionem ſuam Bartphæ anno* 1590. *factam repetiit. Atque ita Synodo ſolutâ diſceſſum eſt.*

Senioris falſum teſtimonium.

Senior autem clam dedit Leutſchovienſibus ſcriptum ſigillo ſuo munitum, quo teſtatur, Mylium *convictum eſſe, quod in Articulo de Cœna Domini cum Eccleſiis quinque Civitatum non ſentiat. Sic vi geritur res ab Vbiquiſtis, non ratione & argumentis.*

CAPVT LIII.

Acta Colloquii In Arce Keyſmarcenſi habiti in Hungaria Anno M.D.XCV. 6. die Decembris.

C*Vm multorum ſermonibus & literis* Sebaſtiano Ambroſio *nunciatum eſſet, Generoſum Dominum* Gregorium Horvvarth, *aliter* Stanſith, & M. Albertum Gravverum *paſſim gloriari, quod in diſputatione, quam in arce Keyſmarcenſi cum eo habuerunt, eo ipſum adegerint, ut nullam rimam, per quam elaberetur (hæc enim verba in epiſtola quadam ad D. Ambroſium ea de re ſcripta habentur) invenire potuerit: neceſſitas hac occaſione illi impoſita fuit, acta diſputationis ejus brevi ſcripto ad amicum quendam mittere: quorum ſumma hæc eſt.*

Cum Magnificus Dom. Sebaſtianus Theokolius *Dominus in Keiſmark ſextâ Decembris vetere ſtylo, Generoſum D.* Gregorium Horvvarth *per famulum ſuum ad prandium in arcem Keyſmarcenſem invitaſſet, quod eo ipſo die* Gregorius Horvvarth *novum Magiſtrum* Albertum Gravverum *in Scholam pagi ſui Keerenſis introduxiſſet, cui introductioni præter* Petrum Turkium *Paſtorem, &* M. Kuolaum Erhardum *Rectorem &* Heliam Lanii *collegam & alumnum Scholæ Keerenſis, etiam* Abrahamus

Paſtor

Paſtor Eccleſiæ in villa Crucis interfuit. Hoc omnes Gregorius Horrvvarth, cum ad prandium veniſſet, ſecum adduxit. Hi cùm jam adeſſent, Dominus Theokolius, Horvvartho magnopere id efflagitante, duos famulos ablegavit, alterum qui D. Sebaſtianum Ambroſium, alterum qui M. Ioannem Mylium Scholæ Keyſmarcenſis Rectorem ad prandium accerſeret. Et is quidem qui D. Ambroſium vocabat, hoc nominatim addebat, velle D. Magnificum, ut ſine mora adveniat, adeſſe enim D. Gregorius Horvvarth cum aliquot Paſtoribus & Magiſtris, & tantum ipſum ac M. Mylium expectari. Quia vero alter, qui M. Mylium vocabat initio de præſentia Gregorii Horvvarth & comitum ipſius, nullam mentionem fecerat, hinc factum eſt, ut M. Mylius peteret ſe apud Magnificum D. excuſari, allegatâ valetudine quâ tunc parum firma fruebatur. Et poterat ſanè D. Ambroſius quoque ſe excuſare, quod jam domi prandium ſumpſiſſet: tamen ne illorum conſpectum fugere videretur, ſine ulla vel excuſatione, vel dilatione famulum ſecutus eſt.

Cum arcem ingreſſus fuiſſet à Magnifico D. Theokolio id ut faceret admonitus, D. Gregorium Horvvarth, & omnes quos ille ſecum adduxerat, dextrâ porrectâ ſalutavit, atque ita juxta conſedit. Paulo poſt D. Thekolius nutu D. Horvvarthi comites ipſi demonſtrans, ex eo quæſivit, an iſtos noviſſet: Ipſe vero ſe noſſe eos ex parte ajebat. Hanc ejus reſponſionem Horvvarthus, ut parum convenientem, cenſoria virgulâ notabat, ex eo quærens, Qui poſſet quempiam ex parte noſſe. Cùm autem verba ſua ſic declaraſſet Ambroſius, quòd aliquos ex illis noverit, aliquos non item, poſt hanc declarationem ejus aliquandiu ſilentium fuit. Hortabatur itaq; eum D. Theokolius, ut aliquid cum hoſpitibus loqueretur, atque ita cum Petro Turkio, qui ei proximus aſſedit, de rebus familiaribus ſubmiſſa voce collocutus eſt. Interea D. Theokolius ex M. Gravvero, quem recens ex Vuittenbergenſi Academia adveniſſe intellexerat, quis ejus Academiæ ſtatus eſſet, quæſivit. Gravverus autem, bonum eſſe reſpondit. Dum hæc fiunt, cibi afferuntur, lavantur manus, dicitur precatio, menſæ accumbitur.

Non multo poſt Gregorius Horvvarth M. Gravvero proponit argumentum in hanc fere ſententiam: Dixiſti, bonum eſſe ſtatum Academiæ Vuittenbergenſis: inde ſic argumentor.

Quicquid bonum eſt, non eſt optimum:
Bonum enim quod eſt, fieri poteſt melius, quod melius eſt, fieri poteſt optimum.
Status Vuittenbergenſis, ut tu dicis, bonus eſt.
Ergo non eſt optimus.

Ad hanc Grammaticam objectionem cum M. Gravverus Grammatice reſpondiſſet, Gregorius Horvvarth in hanc ſententiam argumentari perrexit.

Quicunque ſtatus evertit articulos Fidei, bonus non eſt.
Status Academiæ Vuittenbergenſis, qualis nunc eſt, evertit Articulos Fidei.
Ergo non eſt bonus.

Hujus argumenti minorem cum M. Gravverus probari poſtularet, Gregorius Horvvart μιανδικῶς recenſebat, quomodo per opinionem de Ubiquitate corporis Chriſti evertantur Articuli de Chriſti Incarnatione, Aſcenſione & reditu ad judicium. Ad eam vero probationem refellendam Gravverus longa oratione uſus eſt: nonnunquam etiam ſermonem ejus interrumpebat Gregorius Horvvarth, quaſi videlicet probationem à ſe adductam contra Gravveri reſponſionem urgere vellet.

In iſta autem, ut ſatis apparebat, ludicra velitatione, quæ mediocri tempore (inter alios, qui menſæ aſſideant Sebaſtiano Ambroſio quoque cum ſilentio eam partim audiente, partim etiam vidente, non defuerunt enim geſtus ad agendam hujuſmodi fabulam pertinentes) duravit, M. Gravverus inter alia verba quibus uſus eſt, faciebat etiam antitheſin inter Vuittenbergenſes & eorum adverſarios, quod illi ſtatuant λόγον Incarnatum, hi verò excarnatum.

Poſtremam hanc vocem cum non abſque horrore audiviſſet Ambroſius, exiſtimavit ſe ſalvâ conſcientiâ amplius tacere non poſſe, ſed paucis veniam precatus, dicit, videri ſibi hanc vocem Orthodoxæ Eccleſiæ plane inauditam eſſe, quam ſi veteres Orthodoxi Patres audiviſſent, haud dubie dicturi fuiſſent; Quis infernalis talia eructavit unquam? Hæc ille vix protulerat, M. Gravverus relicto priori ſuo antagoniſtâ, quo cum, ut facile animadverti potuit, Andabatarum more cæcis ictibus, ita ut alter alterum non valdè læderet, hactenus pugnaverat, ad Ambroſium, converſus, Probabo, inquit, vos ſtatuere λόγον excarnatum, atque ſic argumentabatur. *An negantes Ubiquitatem carnis Chriſti λόγον incarnatum ſtatuant.*

Quicunque ſtatuit alicubi eſſe λόγον, ubi non ſit ſimul etiam caro, ille ſtatuit λόγον non incarnatum, ſed excarnatum.
Quicunq; dicit λόγον eſſe ubique, carnem τῷ λόγῳ unitam non item, ille ſtatuit λόγον alicubi eſſe, ubi non ſit ſimul etiam caro.
Ergo quicunque dicit λόγον eſſe ubique, carnem unitam τῷ λόγῳ non item, ille ſtatuit λόγον non incarnatum, ſed excarnatum.

Ad hoc argumentum cùm diceret Ambroſius facile reſponderi poſſe, ſi modo locus tempuſque paterentur, interloquebatur Gregorius Horvvarth, dicebatque, Colloquia eſſe condimenta

menta convivii. Ambroſius verò etſi id non omninò negabat, dicebat tamen, cogitandum eſſe quid cujus loco conveniat: addebat & hoc, ſi hoſpes activus inter ſecundum cibum convivas ſuos colloquiis, præſertim de rebus arduis, detinere vellet: de eo dici poſſe, quòd convivas verbis paſcere velit, ſed ne paſſivos hoſpites ſatis decere alieno loco & tempore hujuſmodi diſputationes. Cùm autem Gravverus allegaret dictum Petri quo jubet nos ſemper paratos eſſe ad reſpondendũ cuilibet petenti; ne quid hoc nomine in ſe deſiderari pateretur Ambroſius, pro reſponſione ad argumentum ſibi objectum ſubjecit: conſiderandum eſſe quæ ſit ratio τοῦ λόγου, qui cùm ſit infinitus, neque partem habeat extra partem, ubicunque ſit, totum eſſe, atque ita ſemper manere unitum ſuæ carni, etiamſi non ſtatuatur, quòd caro non ſit ubique ut λόγος. Gravverus verò contra hanc reſponſionem, quàm Bezanam vocabat, hoc potiſſimùm urgebat, quòd poſt incarnationem totus Chriſtus non ſit abſque carne ſua. Ad hæc Ambroſius, Si inquit, hæc argumentatio valere debet.

Totus Chriſtus eſt ubique.
Ad totum Chriſtum pertinet etiam corpus Chriſti.
Ergo corpus Chriſti eſt ubique.

Admittendum etiam eſſet ſequens argumentum.

Totus Chriſtus mortuus & paſſus eſt;
Ad totum Chriſtum pertinet eius Divinitas, ſeu Divina Natura;
Ergo divinitas ſeu divina natura eſt paſſa & mortua.

Gravverus contra, Meum, inquit, argumentum agi de præſentia, tuum autem de paſſione: non poteſt itaque alterum ex altero conſequi. Ambroſius viciſſim, Sicut, inquiebat, ubique eſſe eſt proprietatis divinæ, ſic pati & mori proprietatis eſt humanæ naturæ. Quando itaque hæ proprietates permutantur, hoc tantum fit in concreto, ut nimirum proprietas alteri naturæ conveniens tribuatur perſonæ in concreto, etiamſi concretum id ab altera natura denominationem habeat. E contrario autem, ſi humanæ naturæ in abſtracto tribui poſſent eſſentiales proprietates divinæ naturæ, etiam humanæ proprietates divinæ naturæ tribuendæ eſſent.

Gravverus, Hæc inquit, valent in primo genere Communicationis Idiomatum, in tertio non item, in quo Damaſcenus, propter inhabitantem in carne τὸν λόγον ſtatuit περιχώρησιν, & quidem hoc diſcrimine, quòd ὁ λόγος, ut perſona aſſumẽs humanæ naturæ tribuat divinas ſuas proprietates, non autem contra, humana ſuas infirmitates tribuat τῷ λόγῳ aſſumenti. Ambroſius verò Vtinam, inquit, rectè intelligeretur, quæ ſit Damaſceni ſententia de περιχωρήσει, facilè hinc animadverteretur, quòd nihil faciat ad aſſerendam Vbiquitatem Corporis Chriſti. Priuſquam vero Damaſceni ſententiam plenius explicare poſſet, interloquebatur Gregorius Horvvarth, & Gravvero, ac ſi prius ſuum argumentum urgere vellet, objiciebat, Niſi corpus Chriſti ſtatuatur eſſe in loco, eius veritatem tolli, & ſic ipſum λόγον excarnatum ſtatuere, Quoniam omne corpus ſit in loco. Gravverus reſponſionis loco allegabat, extremum cælum eſſe corpus, quod tamen ex ſententia Ariſtotelis non ſit in loco. Cùm hoc audiviſſet Ambroſius, quærebat, quænam eſſet analogia inter cælum & corpus Chriſti de quo loquatur articulus Symboli, in quo fatemur, nos credere in Chriſtum, qui aſcendit in cælos. Ad hoc Gravverus, Quis inquiebat, ſit verus ſenſus hujus articuli, declarat Apoſtolus, affirmans, quòd Chriſtus aſcenderit ſuper omnes cælos: item Angelos, qui poſt Chriſti aſcenſionem Apoſtolis apparuerunt, & ad eos dixerunt, Hic Ieſus veniet quedadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cœlum. Ergo quemadmodum viſibiliter, ita, quod attinet ad exiſtendi modum viſibilem & localem, admittimus corpus Chriſti non eſſe in terris, ſed in cælis: item, manere circumſcriptum propriis ſuis terminis, etiamſi ab ambiente loco non contineatur: alium vero eſſe reſpectum, quatenus humanitas eſt unita τῷ λόγῳ, ſeu quatenus, ut loquitur Athanaſius, homo aſſumptus eſt in Deum.

Priuſquam ad hæc reſponderet Ambroſius, magna cum vocis contentione Gravverus ab eo exigebat, ut ſimpliciter vel affirmativè, vel negativè reſponderet, An homo ſit aſſumptus in Deum localiter, vel illocaliter? Cum vero Ambroſius facilè animadverteret quorſum ille tenderet, ut nimirum hujuſmodi captioſarum quæſtionum tendiculis ipſum implicaret, noluit ad ipſius placitum reſpondere, ſed ab eo poſtulavit, ut hoc probaret, hoc conſequi, quod humana natura, quæ unita eſt τῷ λόγῳ, qui eſt illocalis & ubique, propterea ipſa quoque facta ſit illocalis, & ſit ubique. Hoc enim ſi valere deberet eodem modo dicendum eſſet, quod humana natura unita τῷ λόγῳ, qui eſt infinitus, etiam facta ſit infinita, quòd ipſe Gravverus dicere non audeat, ut qui faſſus ſit, eam propriis ſuis terminis circumſcribi, quandoquidem, quod tribus dimenſionibus longitudine, latitudine & profunditate definitur & velut circumſcribitur, infinitum dici non poſſit. Addebat & hoc, quòd iſta duo, eſſe ubique, & eſſe infinitum, ſint correlativa, vocabulo hoc in lata ſignificatione accepto, propter mutuam affectionem quam iſta duo inter ſe habent: Quod enim eſt infinitum, etiam eſt ubique: quod ubique etiam infinitum eſt.

Gravverus verba eius excipiens, Vnum, inquiebat, correlativum non eſt alterum: Quia Pater non eſt filius. Eſſe ubique ſeu omnipræſentem, & eſſe infinitum, ut tu dicis, ſunt correlata:

Ergo

Ergo qui ubique eſt, non eſt infinitus. Ad hoc cum reſponderet Ambroſius, non eadem eſſe relatorum rationem, ideoque etiam correlativorum appellationem non eodem modo ſemper urſurpari, Gravverus cùm riſu, Hoc nihil ad rhombum inquit. Ambroſius contra, non ſcommatis, ſed rationibus agendum eſſe dicebat. Ipſe etiam Gregorius Horvarth Gravverum monebat, à verborum aſperitate ut abſtineret. Gravverus itaque aliquanto moleſtius poſtea agens, quæſivit, Quo tamen fundamento niteretur Ambroſiii illa aſſertio, quòd humana Chriſti natura, ſi ſtatuatur eſſe ubique, ſimul etiam ſtatuenda ſit eſſe infinita. Ambroſius vero præter antea adducta, hoc allegavit, quòd propter ſimplicitatem eſſentiæ Divinæ attributorum Deitatis eſſentialium ea ſit ratio, ut cuicunque unum attribuitur, etiam reliqua attribuantur. Ad hæc Gravverus reſpondit; Secundum Auguſtini in libris de Civit. Dei ſententiam, quam etiam Philippus in Examine ſequatur ita diſtingui attributa Dei, ut vel ad intra, vel ad extra conſiderentur: & ad intra quidem eſſe indiſtincta, cùm ſint ipſiſſima eſſentia Dei: ad extra autem reſpectu creaturarum ea diſtingui, cum Deus pios non ſalvet ſuâ juſtitiâ, ſed miſericordia, & impios non damnet ſuâ miſericordiâ, ſed juſtitiâ.

Cùm Auguſtinum & Philippum Gravverus nominaſſet, voluit mox Ambroſius utriuſque libros afferendos curare, ut in eis Gravverus ſententiam, eo, quo citaverat eam modo, monſtraret. Sed Gregorius Horvvarth, id permittere noluit, Gravverum monens, ut relicta hominum authoritate rationibus, ut prius feciſſet, ageret. Quia igitur, quod voluit Ambroſius impetrare non potuit, Gravverum & reliquos qui ſibi aſſiſtebant, monuit, ut diligenter conſiderarent geminam eiuſdem regulæ Auguſtini corruptelam. Primum enim oſtendit, id, quod Auguſtinus de operibus Trinitatis pronunciavit Gravverum ad attributa Deitatis accommodare. Deinde Auguſtini regulam eſſe, quod opera Trinitatis ad intra, ſint diviſa, opera verò ad Extra ſint indiviſa. Gravverus contra, attributa ad intra facit indiſtincta, ad extra facit diſtincta. Ad hæc autem Gravverus ne unico verbo quidem probare potuit, vel ſaltem probare tentavit ſe Auguſtini ſententiam bona & integra fide adduxiſſe, ſed protinus omnia quæ de diverſitate verborum ipſius & regulæ Auguſtini in medium attulerat, intacta reliquit, & tantum ex Sebaſtiani Ambroſii verbis hoc ratiocinando colligere voluit, Si opera ſunt diſtincta, attributa ſunt diſtincta, cùm ex attributis, tanquam cauſis, opera tanquam effectus proveniant. Ad hanc ratiocinationem non difficile fuiſſet reſpondere oſtendendo, quænam opera Trinitatis ſint diſtincta, nimirum quæ in regula Auguſtini vocantur ad Intra; verbi gratia, quòd ſolus Pater genuit Filium, ſolus Filius genitus ſit à Patre, quòd ſolus Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio: & contra, quæ opera maneant indiviſa, nimirum ad Extra, quæ communia ſunt omnibus tribus Perſonis, ſervato ordine Perſonarum, quo pertinent omnia opera quæ Deus in creaturis efficit: nominatim etiam hoc urgendo, ab operibus quæ ſunt characterica ſingularum Perſonarum, quibus nimirum Perſonæ inter ſe diſcernuntur, non valere conſequentiam ad attributa, quæ propter unitatem & ſimplicitatem Divinæ eſſentiæ Perſonis conveniant. Sed tamen cùm videret magis eſſe contentionem (ut Ambroſius in libro de Incarnationis Domini Sacramento cap. 9. loquitur) de diſputationis argutiis, quàm de examine veritatis, maluit poſtremam vocem, quàm homines contentioſos pertinaciſſimè affectare communis docet experientia, Gravvero relinquere, quàm ſine ullo fructu longius diſputando progredi.

CAPVT LIV.

Acta Conventus Paſtorum & aliquot Politicorum è quinque liberis Civitatibus ſuperioris Hungariæ de Subſcriptione Libri Concordiæ Leutſchoviæ habiti 24. 25. & 26. diebus, Novemb. Anno 1597.

IN hoc Conventu primùm lecta eſt Auguſtana Confeſſio Germanicè, atque adjuncta Confeſſio quinque liberarum Civitatum ſuperioris Hungariæ. Cùm legeretur tertius Articulus Confeſſionis Auguſtanæ M. Ioannes Rhavv. Rector Scholæ Leutſchovienſis ſurrexit, accuſans Paſtorem eius loci M. Antonium Platnerum (qui Philippum Melanthonem vivâ voce docentem audivit) quaſi publicè docuerit, quæ tertio articulo Confeſſionis contraria eſſent. Conqueſtus etiam eſt, in priori reconciliatione, quoſdam iniquos Articulos ſibi propoſitos fuiſſe, nominatim, ut taceret de Formula Concordiæ Iacob-Andreanæ, ut item Theologica modeſtius tractaret. Ad hæc M. Antonius mirum ſibi videri dicebat, quòd is accuſet, qui accuſari debebat: Articulos autem, quos Ludimagiſter in medium attulerat tanquam è concionibus ipſius exceptos, partim falſò ſibi tribui, partim per calumnioſam interpretationem rectè dictorum in alienum ſenſum detortos eſſe.

Rationes ob quas quinque liberæ Civitates ſuperioris Hungariæ Formulam Concordiæ recipere non debeant.

Cùm de recipienda Formula Concordiæ acriter laborarent, Severinus Sculteti Paſtor Bartphanus & Quinque Civitatum & Oppidi Saros Senior, Ezechiel Haſacker Paſtor

Epperienſis, tres Magiſtri Albertus Gravver, Caſſovienſis; Nicolaus Erhartus, Bartphenſis; Ioannes Rhav Leutſchovienſis Scholarum Rectores: reliquis tacentibus, ſolus M. Antonius Platnerus ſe conatibus illorum oppoſuit, allegatis aliquot rationibus, cur eam non recipiendam eſſe cenſeret: Inter alias fuerunt & iſta, Quòd expreſſo mandato Epiſcopi hujus regionis prohibitum ſit ne recipiatur. Quòd Benedictus Belſius Eccleſiæ Epperienſis Paſtor, hujus Senioris Anteceſſor eam recipere detrectavit: Quod Montanæ Civitates eam amplecti noluerint: quòd in ipſo etiam Imperio non omnes Auguſtanæ Confeſſioni addicti illam calculo ſuo approbarint, quòd confirmavit ſcripto quodam manu exarato, in quo habeatur judicium Noribergenſium de Formula Concordiæ. De reliquis rationibus non multum laboratum eſt. Scriptum verò continens judicium Noribergenſium à patronis Formulæ Concordiæ exagitatum, tanquam parum authenticum, utpote, quod typis non eſſet expreſſum, unde colligebatur id revera non eſſe Noribergenſium, ſed à quibuſdam Calvinianis, ut vocari ſolent, confictum, & ſub Noribergenſium nomine diſſeminatum.

Inciderat etiam mentio quarundam pagellarum, in quas M. Antonius Platnerus annotaverat inſigniora dicta Scripturæ & Orthodoxæ antiquitatis contra Vbiquitatem. Eas pagellas cùm M. Antonius ſecum accepiſſet in conventum Epperienſem, in quo Leutſchovienſibus legatis per aſſertores Vbiquitatis perſuaſum eſt, ut M. Ioan. Mylius è functione ſcholaſtica, ad quam ipſum è Gymnaſio Mezericſeno revocaverant, excuterent, factum eſt, ut in adverſariorum manus pervenirent, variaſque ipſorum cenſuras ſubirent. Cum illæ quoque ad faciendam Paſtori Leutſchovienſi invidiam allegatæ eſſent, non diſſimulavit ille, ſe eas ex variorum libris collegiſſe, & quidem eo libentius, quòd quæ in illis continentur, fundamenta habeant in Verbo Dei, & Orthodoxa antiquitate: Scire etiam ſe eas in Neerenſem ſcholam perlatas, in eaque variè agitatas fuiſſe. Auditâ mentione Scholæ Neerenſis, Ehartus qui poſtremus illius Rector fuit (nam mortuo Gregorio Horvvarth mox & ipſa inter mortua eſt) cum quadam indignatione in hæc verba erupit. Audin tu, illa Schola talis fuit, ut etiam tu plurimum illis potueris diſcere, quod nondum ſcis. Non potuit hoc tacitus ferre quidam è collegis docentibus in Schola Leutſchovienſi, ſed Erhartum monuit, ut modeſtius ageret cum Sene per multos annos primum de Schola, poſtea etiam de Eccleſia Leutſchovienſi bene merito. Propter hoc tuendæ exiſtimationis M. Antonii Platneri ſtudium minatus quidem ipſi fuerat Ludimagiſter Leutſchovienſis remotionem ab officio: ſed politici bono ipſum animo eſſe juſſerunt, addentes, facilè fieri poſſe, ut ipſi Rectori, qui ob crebras ingurgitationes & neglectionem operarum Scholaſticarum peſſimè audit, quod aliis minatur, eveniat.

Objecerunt præterea aſſertores Vbiquitatis M. Antonio Platnero, quid & ipſe aliquid ſumptuum contulerit ad editionem ſcripti in lucem dati titulo Antitheſeos-Ubiquitatis & Orthodoxæ doctrinæ: quodque cum illius auctore Sebaſtiano Ambroſio interdum converſari ſoleat, atque ita ſe ſuſpectum reddat. Illud verò conſtanter & verè negavit: Nam ad editionem illius ſcripti nec contulit quidquam, neque ut id faceret, à quoquam rogatus eſt: Hoc autem falſus eſt, additâ ratione, ſe, niſi contra humanitatem peccare velit, facere non poſſe, ut veterem amicum ſi ab eo conveniatur, ædibus ſuis ejiciat.

Hæc velitatio cùm ſatis diu duraſſet, Aſſertores Vbiquitatis ſummo conatu id agebant, ut ſcripta illorum, quos illi ſuſpectos habebant, nominatim Sebaſtiani Ambroſii & Gaſparis Pilcii damnarentur, & omnibus modis abolerentur. Sed oppoſuerunt ſe aliquot politici, & adductis rationibus obtinuerunt, ut expunctis nominibus, tantummodo genus retineretur, quòd nimirum docentes in Eccleſiis quinque Civitatum à Sacramentariis diſſentiant. Sed & Valentinus Caroli concionator Schlavonicus in Eccleſia Leutſchovienſi dixit, conventum hunc minimè dignum eſſe appellatione Synodi, cum nihil aliud ſit, quàm conſpiratio ad confundendum optimum Senem M. Antonium Platnerum directa.

Propoſuerat quoque Senior articulos quoſdam, quibus titulum fecerat Friedensmitte', in quibus hoc potiſſimum agebat, ut jus patronatus in vocandis & dimittendis Miniſtris Eccleſiarum & Scholarum, item ius componendarum litium ad ſe pertraheret. Sed politici in articulos illos nullo modo conſentire voluerunt, id quod & in prioribus aliquot conventibus actum eſt.

Tandem voluiſſet quidem Senior ut omnes ſubſcriberent Formulæ Concordiæ, quam dicebat in omnibus articulis congruere cum Corpore doctrinæ Philippi, excepto unico Articulo de Libero arbitrio. Sed quia nec M. Antonius Platnerus, neque plerique è politicis, qui conventui interfuerunt, ut ſubſcriberent, adduci potuerunt, Senior ita rem inſtituendam eſſe duxit, ut qui vellet, in ſubſcriptione ſua, Formulæ Concordiæ mentionem faceret: Qui autem putaret eo conſcientiam ſuam gravatum iri, tantum ſcripta Lutheri ſe amplecti fateretur, Atque ita ſubſcriptionibus pro cujuſque arbitrio inſtitutis diſceſſum eſt.

CAPUT LV.

De Agenda Eccleſiaſtica Argentinenſium, & ſubſcriptione eorundem Formulæ Concordiæ.

ANno 1598. *Argentinenſis Eccleſiæ Miniſtri novam, & priori, Anno 1535. editæ prorſus contrariam* Agendam Eccleſiaſticam *typis evulgarunt. Ex eius Præfatione apparet, Senatui eos perſuaſiſſe, Argentinenſes, repudiatâ quatuor ſuperioris Germaniæ Civitatum Confeſſione, Auguſtæ, Carolo anno 30. exhibita*, primam immutatam *Auguſtanam Confeſſionem eiuſdemque* Apologiam *recepiſſe: ad eam ſemper provocaſſe in omnibus Colloquiis & Imperii Conventibus, illamque per ſuos Theologos defendiſſe: juxta eam Eccleſiæ ſuæ Miniſtros & Scholæ Profeſſores elegiſſe, vocaſſe ac ordinaſſe, omneſque controverſias decidiſſe & compoſuiſſe: eandem hoc etiam tempore immutatam & incorruptam, tanquam Civitatis ſuæ pretioſiſſimum theſaurum, retinere, & poſteritati conſervare. Declarationem quoque à Theologis de moderna Confeſſione factam ſeſe approbare, eamque verbo Dei, & immutatæ Confeſſioni Auguſtanæ per omnia reſpondere teſtatur in dicta Præfatione Senatus,*

D. Philippus Mich. Beutherus veram declarationem Argent. Agendæ edit.

Anno verò 1603. *Illuſtriſſimi Principis* Iohannis Palatini *Bipontini Concionator Aulicus* D. Michael Philippus Beutherus *civis Argentinenſis, in lucem emiſit* veram ac ſolidam hujus Argentinenſis Eccleſiæ Agendę Declarationem: *In qua ex approbatis hiſtoriis & Actis publicis ad oculum oſtendit*, Argentinenſis Eccleſiæ Miniſtros modernos, quorum dux & anteſignanus Ioannes Pappus eſt, ab orthodoxa Confeſſione & doctrina, quæ jam inde à reformationis tempore ad annum uſque 1565. à piiſſimis viris Zellio, Capitone, Bucero, Hedione, Fagio, aliiſque purè & incorruptè tradita fuerit in illa Eccleſia, defeciſſe, præſertim in Articulo de Perſona Chriſti, & Cœna Domini.

1. De immutata Confeſſione Aug. res aliter ſe habet quam ab Argent. miniſtris narratur

Quod autem primum Articulum ſeu caput Præfationis Agendæ, de immutata Principum Auguſtana Confeſſione, attinet, docet D. Beutherus, *rem longè aliter ſe habere, quàm ibi narretur. Nam* primò, *ne ipſos quidem Electores ac Principes Proteſtantes immutata prima Confeſſione in Imperii Conventibus & Colloquiis uti voluiſſe: ſed quum à ſuperioris Germaniæ Civitatibus, inter quas* Argentina *præcipua fuit, intellexerint, impediri ſeſe, quò minus Confeſſioni ipſorum ſubſcribere poſſint, quòd in ea Tranſſubſtantiatio Papiſtica apertiſſimè approbaretur; quum alia quædam, tum verò præcipuè decimum articulum de Cœna, de quo maximè controverſia erat, mutatum eſſe, ſciente ac volente Luthero, jubentibus etiam & approbantibus: tum demum etiam juſſu Principum primò Latinè, paulò vero poſt etiam Germanicè in lucem editam fuiſſe, cum gravi querela de publicatione primæ ac immutatæ Confeſſionis, quæ ad verbum ſic habet:* Hæc Confeſſio *(prima & immutata)* ignorantibus Principibus qui eam Cæſari exhibuerunt, ab avaro aliquo Typographo ante ſemeſtre publicata eſt; & ita excuſa, ut multis in locis appareat de induſtria depravatam eſſe. Cùm autem Principes, nec ſi velint, queant eam nunc è manibus hominum extorquere & tamen periculum ſit, ne mendæ illæ primæ editionis, pariant novas calumnias: neceſſe fuit recognitam & emendatam denuò edere, quia non ſolum ad exiſtimationem Principum, ſed etiam ad religionem pertinet, præſtare, ne ipſorum titulis ſpargantur in vulgus hujus generis mendoſa ſcripta. Quare nunc emittimus probè & diligenter deſcriptam Confeſſioni, *&c. Quibus verbis primæ & immutatæ Confeſſioni Auguſtanæ omnem authoritatem Principes abrogarunt.* Hanc *Chytræus quoque in ſua Auguſtanæ Confeſſioni Hiſtoria pag.* 333. *ſcribit*, Se nolle anteferri Adumbrationem Confeſſionis & Apologiæ, feſtinanter à Philippo Melanchtone in comitiis Auguſtanis Anno 30. Confectæ, uberiori illi & diligentiùs accuratiuſque poſtea elaboratæ editioni anni 31. quæ hactenus in omnium manibus fuerit, & quam pro vera & indubitata Confeſſ. Auguſtanæ Apologia meritò haberi ſentiat. *Huic igitur emendatæ Auguſtanæ Confeſſioni ſubſcripſerunt quidem Argentinenſes Schvuinfurti, non tamen ſuam abrogarunt & annihilarunt.*

Nam ſecundò *docet* Beutherus, *ſubſcriptionem hane ab Argentinenſibus Svinfurti anno 32. hac addita cautione factam eſſe expreſſè, ut ſuæ Civitati ſua Confeſſio, domi ſuæ & ſuis Paſtoribus, & populo ſalva & integra relinqueretur. Id quod etiam à Principibus Proteſtantibus conceſſum eſt eis, hoc inſuper promittentibus quoque, ex Auguſtana Confeſſione non jus fore contra Argentinenſes in Conventibus Imperii ullis diſceptare. Et niſi hæc exceptio recepta fuiſſet, niſi recuſaſſent pati, ut adverſus ſe ex Auguſtana Confeſſione argumenta ſumerentur in Conventibus Imperii, ut hinc cauſæ novarum contentionum ſumerentur, nunquam Argentinenſes Confeſſioni Principum ſubſcripſiſſent. Atque hæc quidem cùm ex aliis monumentis, tum verò imprimis ex Epiſtola Buceri ad Lycoſthenem verè confirmari poſſunt.* 2. Argentinenſes ſubſcripſerunt Principum Confeſſioni Svinfurti ſalvâ ſuâ Confeſſione.

Deinde docet, hanc Argentinenſium Confeſſionem

Argentinenſium Confeſſio adhuc anno 35. recenta fuit. Vide alterâ partem noſtræ Hiſtoriæ Sacramentariæ Anno 1550.

ſeſſionem in Conventu Eccleſiaſtico recitatam, unanimis ſententiis comprobatam: in Senatu quoque lectam, latam deinde ad omnes tribus, & ab his omnibus collaudatam & approbatam eſſe. Anno 1535. *renovatam, commendatam, & mandatum fuiſſe, ut quotannis recitetur tribulibus civibus.* Hoc edictum, *inquit D. Sturmius in epiſtola de Confeſſione Auguſtana Argentinenſium*, uſque ad annum 1581. atque etiam hoc ipſo anno inde ab illo trigeſimo quinto anno ſemper recitatum fuit in duabus tribubus Friburgenſi & Fabrorum. De aliis tribubus non dico: neſcio an in omnibus: De his duabus dico, quarum debet eſſe maxima authoritas in hac cauſa. In tribu enim Fabrorum præfectus erat Nicolaus Kniebſius, diligentiſſimus obſervator ac defenſor antiquorum morum atque inſtitutorum in Argentinenſi Civitate: qui maximè ſcire potuit, quæ eſſet ſententia, & qui ſenſus eſſent, & animi ſapientum virorum de hac Confeſſione. Hæc inquam primùm à Nicolao Kniebſio, deinde ab illius filio in hodiernum uſque diem quotannis recitata fuit. Alterius verò tribus, quę eſt Friburgenſium, hoc eſt, liberorum civium, Dominus & Præfectus fuit Beatus Dunzenheinius: Is hanc conſuedinem recitandi hujus edicti recipit. Hic ſucceſſorem habuit Fridericum Gotteshemium: hic illud edictum quotannis uſque ad hunc extremum annum, valetudini ſuæ adverſum, recitari juſſit.

Examen municipale Argentinenſium.

Docet præterea, præter hoc Senatus-conſultum etiam à Magiſtratu Argentinenſi accepiſſe Theologos & Profeſſores Examen Municipale, *factum ex ſententia Argentinenſis Eccleſiæ, anno 39. publicatum & mandatum in omnibus Collegiis omnium Canonicorum, ut ſecundum id Profeſſores & Miniſtri examinarentur, eligerentur ac ordinarentur.*

Bucerus Argentinenſes excuſat Tiguri à defectionis ſuſpicione.

Ad hæc Bucerum *Anno 33. Tigurum profectum in Miniſtrorum Eccleſiæ Conventu & ſeſe, & Eccleſiam Argentinenſem à defectionis ſuſpicione liberaſſe ac purgaſſe; oſtendiſſeque, ſe, ſuamque Eccleſiam eandem doctrinam & Confeſſionem firmiter retinere, quàm Auguſtæ Imperialis Carolo exhibuerint, & in Bernenſi diſputatione contra Papiſtas defenderint.*

Argent. ſuam Cõfeſſ. retinuerunt anno 36. & 37.

In ipſa quoque Concordiæ Epiſtola, quam Argentinenſes Anno 36. Menſe Auguſto ad Lutherum & alios Vuitebergenſes Theologos ſcripſerunt, liquidiſſime teſtari eos, quod hanc Concordiam, non quaſi à priore ſententia aut Confeſſione ſua, Auguſtæ quatuor Imperalium Civitatum nomine Carolo exhibita, eiuſque Apologia DESCISCENTES, *ſed tanquam cum ea in ſumma rei conſentaneam intelligant & amplectantur.*

Anno etiam 37. legatos Argentinenſium, Smalcaldiam profecturos, promiſiſſe, quod emendatæ Auguſtanæ Confeſſioni ſubſcribere nolint, niſi ſalvâ & integrâ Argentinenſi Confeſſione.

Anno 48 Argentinen. ſuã confeſſionem repeti juſſerunt.

Cumque Anno 48. Imperator Carolus Argentinenſibus quoque ſuum INTERIM *obtrudere conaretur, non Auguſtanam, ſed ſuæ Eccleſiæ doctrinam & Confeſſionem revideri & repeti Argentinenſes curaſſe, quæ* Quadrageſimi octavi anni Confeſſio *dicitur, eique omnes Eccleſiæ ſuæ Miniſtros de novo ſubſcribere oportuiſſe. In ea provocare quoque eos ad primam ſuam Confeſſionem, eiuſque Apologiam, quam anno 30. Imperatori Auguſtæ ſeorſim exhibuerint, & eam ad hoc uſque tempus immutatam retinuerint: caviſſeque, ut Miniſtri doctrinam ab anno 38. ibi traditam ſolam ſequantur: eoque ipſo ſatis ſuperque teſtatum eos facere voluiſſe, ſe hanc ſuam Confeſſionem & Apologiam Vuitebergenſi Concordiâ nequaquam revocaſſe, ut hodie ipſis affingitur, ſed dictam Concordiam hujus Confeſſioni ſuæ declarationem potius eſſe, & cum ea in omnibus conſentire.*

Bucerus in Angliam diſcedens, Confeſſ. Argentinenſem diligenter Miniſtris commendavit.

Bucerum præterea Angliam Argentinâ anno 49. diſcedentem, Confeſſionem Argentinenſem, non Auguſtanam immutatam, Hedioni, Lenglino, Nigro *&* Marbachio *cæteriſque diligentiſſimè commendaſſe: eandem quoque Teſtamento ſuo comprobaſſe, cui etiam* Marbachius *ſcripſerit: ac teſtificatum eſſe, ſe contra hanc nunquam aocuiſſe, vel ab ea diſceſſiſſe: hanc ſe quoque ſecuturum eſſe uſque ad extremum vitæ ſpiritum: Atque hoc ipſum in Teſtamento ſuo in Anglia confirmando renovaſſe.*

Argentinenſes ſuam cõfeſſionem habuerunt ad huc anno 62.

Cùm etiam circa annum Domini 1562. tempus illud fatale adeſſet, quo Confeſſio Argentinenſis eiuſq; vera doctrina ex Eccleſia & Schola, urbeq; tota opera & ſtudio Marbachii *Suevi profligari debuit, occaſione controverſiæ inter* Marbachium & Zanchium *orta*, Marbachius *& ſocii eius Senatui exhibent non ſolum librum contra doctrinam & Theſes quaſdam* Zanchii, *ſed etiam Apologiam quandam: & poſt eam, minorem ut ipſi vocarunt, Confeſſionem. In ea principio agunt de Cœna, & nominatim damnant tum* Bullingeri *librum de Manſionibus multis; tum* Martyris *Dialogum* Pantacum *&* Bezæ *explicationem de Cœna. Contendunt autem,* Corpus Chriſti verum & ore Corporis percipi, & ab ipſis etiam indignis, *hoc eſt, ut ibi explicant ipſi,* impiis & nulla fide verâ præditis, manducari: *Et hanc jactant* fuiſſe ſententiam Buceri, Capitonis, & omnium in Eccleſia Argentinenſi prædeceſſorum. *Rectori itaque, Viſitatores, & alii Profeſſores, ipſi quoque offerunt Senatui ſupplicationem menſe Iulio. In illa poſtremo loco à Senatu petunt & orant, agant cum adverſariis*

adverſariis, quo contenti ſint quatuor urbis Confeſſionibus: Una Magiſtratûs, quam Auguſtæ anno 30. Cæſari obtulerunt; & quam Elector Saxoniæ, Landgravius, & Legati Principum, ſuæ Confeſſioni conſentaneam eſſe dixerunt atque approbarunt: Altera, quam Paſtores, Capito, Hedio, Bucerus, Zellius, *cæterique anno 33. contra* Hoffmannum *& hæreticos illius temporis propoſuerunt: Tertia, quam ediderunt anno 32. in minori Synodo; quæ fuit conceſſa à Senatu; ut ſexto quoque anno haberetur ad retinendum puritatem & diſciplinam Eccleſiæ: Quarta, quam invulgarunt anno 48. cum adhuc* Bucerus *adeſſet, & viveret* Hedio. *In quibus nulla prorſus Auguſtanæ Confeſſionis immutatæ mentio fit.*

Collegium Thomannum crimen defectionis ab Argentinenſi Confeſſione depellit à Senatu & Eccleſia.

Denique totum Collegium Thomannum, excepto Marbachio, *& quatuor aliis, crimen defectionis ab Argentinenſium Confeſſione Auguſtæ Cæſari exhibita Anno 30. apertiſſimè & graviſſimè ab Eccleſia & Senatu depellit 4. Ian. Anno 1563. in pleno Senatu in Reſponſione ad Proteſtationem adverſariorum, cujus ſumma hæc fuit:* Proteſtantes facere injuriam toti Eccleſiæ, nedum Senatui Argentinenſi, aſſerendo, illos à ſua Confeſſione, quam obtulerunt Cæſari Auguſtæ, receſſiſſe: quòd hoc nihil aliud ſit, quàm dicere, illos à Religione, quam profeſſi ſunt in Comitiis Auguſtanis, & in qua tot præclari viri mortui ſunt, turpiter defeciſſe, *Deinde luculenter multis rationibus demonſtrant, Argentinenſes etiam in Articulo de Cœna nunquam à Confeſſione ſua receſiſſe: idque probant partim ex iis quæ tranſacta fuerant Auguſtæ inter Principum & Argentinenſium Legatos: partim ex ipſo Municipali Examine: partim ex decretis aliquot Senatûs, etiam poſt exhibitam Carolo Confeſſionem factam: partim denique, ex variis Synodis, Diſputationibus & Actis Argentinen. in cauſa Religionis, & actionibus* Buceri *ejuſque teſtimoniis confirmant. Falſum igitur eſſe crimen* Marbachii, *Examinatores & Reliquum Conſilium mutaſſe aut infirmaſſe Examen Municipale. In eadem Reſponſione coram Senatu* D. Sturmius *ingenuè fatetur,* Marbachium *cum ſuis aliud & aliter docere de Cœna Com. Perſona Chriſti, &c. quàm* Capito, Hedio, Bucerus, Zellius, *omnes Paſtores & Diaconi docuerint, legerint, ſcripſerint, diſputarint. Imò amplius addit:* Si hęc credere nolint, ſubſcribant Articulis doctrinæ Eccleſiæ Argent. quam, Capito, Hedio, Bucer, Zellius, Theobaldus Niger, Ioannes Lenglinus, cæterique anno XXXIX. tertio poſt Concordiam ediderunt: ſubſcribant Summario doctrinæ Eccleſiæ Argentinenſis, quod factum eſt Anno XLIX. ſubſcribant Retractationibus Buceri quas Lutherus probavit. Subſcribant his quæ Bucerus ſcripſit in octavum & nonum caput Epiſt. ad Roman. & contra Eraſmum Roterdamum, & Auguſtinus & alij Patres antiqui contra hæreſin Pelagianorum. Dicant, Dominos non receſſiſſe à Confeſſ. & doctrina, ſua, neque Auguſtæ in Comitiis anno XXX. neq; Schuvinfurti anno XXXII. neque vllo poſt tempore. Si hęc dicant, vult culpam deprecari, & ſe erraſſe confiteri: dum autem ſic agunt, ut agunt, non ſe poſſe aliud credere. *Senatum verò rogant in hunc modum:* Credimus, *inquiunt*, nos non ad omnia reſpondiſſe, clariſſ. Dom. & quanquam omnia diligenter cognoſci & iudicari à vobis poſtulamus: tamen nihil peræque cupimus conſiderari, atque illam quæſtionem quæ eſt de Confeſſ. & doctrina Maiorum noſtrorum. Si vos iudicabitis Senatum & Legatos Civitatis receſſiſſe à ſua Confeſſ. hoc eſt, doctrina: quod factum eſt, irritum nos facere non poſſumus: ſin verò in eadem manſiſſe: petimus, ut in hac nobis manere & hanc defendere liceat, De his duobus cognoſcere atque iudicare, veſtræ eſt authoritatis atque poteſtatis. Ad extremum verò, iis verbis compellant primarium adverſarium *Marbachium*: poſtulamus ut reſpondeat, verane an falſa doctrina Maiorum noſtrorum fuerit. Si vera, cur non ſubſcribit? & cur vexat nos? ſi falſa, cur non colloquitur? cur non diſputat? Item illud rogamus, ſi veram eſſe doctrinam Maiorum noſtrorum putat: an nos intelligere Maiorum noſtrorum doctrinam arbitretur, necne intelligere? Si intelligere, cur non idem loquitur quod nos? ſi non intelligere, cur nobis non explicat, ut intelligere poſſimus? Si ad hæc nobis reſpondere recuſat, nos proteſtamur, id nos feciſſe & facere, quod viros bonos & memores ſuorum præceptorum feciſſe & facere decet, & id pati, quòd collegæ à collega pati non deberent, & id paſſuros retenta veritate, quod homines conſtantes & Chriſtianos pati decet.

Marbachius cum ſuis deficit á Confeſſ. Argentinenſi.

3. Argentinenſes ſuam ſemper Confeſſionem defenderunt.

Tertiò *docet* Beutherus *ex Actis publicis, tam ſcriptis, quàm in lucem editis, Argentinenſes in omnibus Imperii Comitiis, Colloquiis, aliiſque Conventibus religionis cauſa habitis, non immutatam Auguſtanam, ſed ſuam ſemper confeſſionem propugnaſſe ac defendiſſe.*

4. Omnes Miniſtri Eccleſiæ & Scholæ Argentinenſis ſecundùm ſuam nõ Auguſtanam Confeſſionem electi.

Quartò *docet, ab Anno 31. uſque ad annum 60. nullos vel Profeſſores, vel Miniſtros ſecundum immutatam Auguſtanam, ſed Argentinenſem Confeſſionem electos, examinatos ac ordinatos fuiſſe. Hoc probat exemplis* Hedionis, Capitonis, Buceri, P. Martyris, Calvini, *& aliorum, qui omnes ſecundum Argentinenſem Confeſſionem electi ac ordinati ſunt, eiuſque doctrinam in Schola & Eccleſia conſtanter tra-*

diderunt ac defenderunt.

Iohannes Sturmius *quoque Anno* 37. *Pariſiis à Senatu Argentinenſi vocatus, atque Rector & Profeſſor in Schola Argentinenſi ordinatus eſt; qui tamen Auguſtanam Confeſſionem immutatam nunquam, ſed Argentinenſem ſemper probavit & commendavit, ut abundè Epiſtola ejus ad* D.Bernhardum Bozhemium *de Auguſtana Confeſſione Argentinenſi teſtatur,*

Argentinenſes per NOSTRAM Confeſſionem non Auguſtanam, ſed ſuam intelligunt.

Cùm etiam Chriſtophorus Stipizius *&* Hieronymus Maſſarius *juxta leges Conſilij eſſent cùm de rebus aliis, tum de religione in primis examinandi, eſſetque ſcriptum in legibus, Examen faciendum eſſe juxta* NOSTRAM *Auguſtanam Confeſſionem: major pars per* NOSTRAM *Confeſſionem Argentinenſem intelligebat, quam Cæſari exhibuerant Anno* 30. *Auguſtæ, quòd in Examine Canonico municipali, & in aliquot Senatûs conſultis ſic quoque vocaretur; Itemque in quodam Reſponſo Senatus Eccleſiaſtici, negotium, Interimiſticum ſpectante, in quo hæc verba inter alia leguntur:* Bey ſolcher Confeßion hat vns die Keyſ. Mayeſtät ſelbſt Anno 1530. mit ihrem Gelehrten/ auff dem Reychſtag zu Augſpurg bleiben laſſen/ die doch VNSERE Confeſſion in ſo vielen Artickeln angegriffen. Marbachius *autem cum paucis aliquot interpretabantur Confeſſionem Principum, & juxta hanc Examen faciendum eſſe contendebant: minimè verò ſtandum Argentinenſium Confeſſioni, quòd ab hac (ſic enim illi ajebant) receſſerint, cùm illam alteram, recepiſſent. Et in alio Conventu* Melchior Speccerus *palam dixit, Majores potius quadam Incuria & negligentia vocem, Noſtram addidiſſe: quàm voluiſſe aliquid hic ſingularis Confeſſionis ſignificari. Illi contra, cùm illa Principum minimè pugnet cum hac Argentinenſium, id quod ſe demonſtraturos pollicebantur, in dogmatibus fidei, non, dicebant, conſequi, Argentinenſes à ſua defeciſſe, propterea quòd alteri ſubſcripſerint, quare utranque retinendam eſſe, & ſibi licere breviorem & obſcuriorem, per eam quæ fuſior eſt atque clarior interpretari. Quare ſi quis examinatus reſpondeat juxta explicationem quæ traditur in Confeſſione cum ſua Apologia Argentinenſium, præſertim ſi addat, ſe Auguſtanam quoque Principum orthodoxè intellectam, admittere, eum non eſſe reiiciendum.*

Examinandi cur Argentinenſi Confeſſioni adſtringendi.

Deinde addiderunt. Quòd Argentinenſi Confeſſioni nominatim vellent examinandos adſtringere, id ſe facere multis, iiſque graviſſimis de cauſis; inter quas hæc una quoque fuit; quòd ex Actis liquidò conſtaret, Legatos Argentinenſes, cùm Auguſtanæ Confeſſioni Principum Schuinfurti ſubſcripſerunt Anno 1532. *proteſtatos fuiſſe nomine Civitatis, Se ita Confeſſioni Principum ſubſcribere, ut à ſua minimè recedant: atque hanc proteſtationem ab altera parte, nempe à Legatis Principum conceſſam fuiſſe. Cùm itaque Senatus hanc formam Examinis juxta* SVAM *Confeſſionem, Thomanno Conſilio & aliis Collegis omnibus, de principio præſcripſerit; ſe non poſſe, niſi cum injuria Senatus, ab illa recedere, quando neque Senatus ſine dedecore infamia à ſua Confeſſione recedere poſſit. Proteſtantur etiam, ſe ſic examinaturos ſecundum Confeſſionem urbis, ut nihil contrarium ſtatuere velint utrique Confeſſioni, Principum & Vrbis: nihil etiam præſcripturi Senatûs voluntati & poteſtati, &c.*

Deprecabantur verò hoc univerſi unum, ut ne cogerentur Auguſtanæ Confeſſionis interpretationem ab adverſariis ſuis, partim diſcipulis, partim condiſcipulis accipere. Hoc autem petebant, rogabant, orabant, obſecrabant, ut in ea Doctrina manere ipſis liceret, in qua Capito, Zellius, Hedio *mortui ſint, & quam* Bucerus *quoque ad Annum* 48. *uſque quo diſceſſit in Angliam, docuerit, illuſtrarit, defenderit, nec mutarit per reliquum vitæ ſpatium: & contra, ne paterentur Domini eam Doctrinam, quam Majores ipſorum publico decreto ex ea Vrbe ejectam voluerint, & quæ ejecta fuerit, quando vixerunt* Capito, Zellius, Bucerus, Hedio, *nunc denuò revocari: & concederent, ut illam, quam eodem decreto mandarint in templis doceri, & incorruptam retineri, retinerent & docerent. Ex quibus omnibus intelligitur, quàm vanum, fictum & falſum ſit, Argentinenſes approbatione Auguſtanæ Confeſſionis: à* SVA *in Schuinfurtenſi Conventu defeciſſe, & ſecundum illam, non hanc, Scholæ & Eccleſiæ Miniſtros electos, vocatos, examinatos & ordinatos eſſe.*

Quintò *docet, Argentinenſes non ex Auguſtana immutata, ſed ex ſua Confeſſione omnes religionis controverſias decidiſſe & compoſuiſſe.* 5.

Argentinenſes ex SVA *Confeſſione religionis controverſias deciderunt.*

Sextò, *multis exemplis & Actis publicis probat* D.Beutherus, *Senatum Argentinenſem ab Anno* 1531. *uſque ad Annum* 1560. *& ultra, hanc Confeſſionem & Doctrinam nequaquam approbaſſe, quæ hodie in Vrbe eorum locum habeat & mordicus propugnetur. Inter alia indicat, Politicos & Theologicos Argentinenſium Legatos Schvinfurti Anno* 32. *ad hunc modum proteſtatos eſſe:* Die Statt Straßburg Coſtnitz/ Memmingen und Lindaw/ welche ihre eygene Confeſſion dem Keyſer auff dem Reychſtag zu Augſpurg Anno 1530. vbergeben haben/ wiſſen von derſelben ihrer Confeßion nicht zu weichen. Bucerum *etiam ad* Lycoſthenem *de eodem hæc ſcripſiſſe:* Schvinfurti noſtri ingenuè teſtati ſunt, à ſua Confeſſione ſe haud quaquam receſſuros. Cum autem ea pars Saxonicæ Confeſſionis, quæ exponit dogmata, cum ſua Confeſſione re ipſa conſentiat, ſe non gravari & hanc cum ſua ſubſcribere. *Senatum quoque*

6. *Argentinenſem Senatum hanc doctrinam nunquam probaſſe quam hodie probat.*

Argenti-

Argentinenſem Anno 33. hanc ipſam Confeßionem, & à Conventu Theologico celebratam Synodum, ejuſque ſtatuta huiuſmodi Decreto, approbaſſe & confirmaſſe : So viel die Lehr und Secten anlanget/ iſt beſchloſſen und decretirt/ daß ein Ehrſamer Rath der Statt Straßburg/ in der Lehr und Confeſſion/ welche er dem Keyſer zu Augſpurg vbergeben/ und bey den ienigen Artickeln/ die im jüngſt gehaltenen Synodo, vorbracht und verthädiget ſindt worden/ beſtändiglich verharren/ und dieſelbige/ als die warhaffte Chriſtliche Lehr/ allhie zu Straßburg dem Volck fürtragen/ und mit allem Ernſt verthädigen : und hergegen weder einige andere Lehr oder Sect/ die da erzehlter Lehr zuwider weren/ in ihrer Statt leyden oder dulden wolle. Vnd damit die geſunde Lehr allhie zu Straßburg/ bey iedermann deſto beſſer erhalten/ und fortgepflantzet/ auch alle Irrthumb und verführiſche Lehr vndertruckt und verhütet werde/ So hat ein Ehrſamer Rath neben andern Vrſachen und hierzu dienlichen Mitteln/ auch dieſes erwogen und für gut angeſehen/ daß die Elteſte der Kirchen/ ein fleiſſigs auffſehen haben ſollen/ damit dieſe bekandte Lehr/ wie ſie in obgedachter Confeſſion/ und den Artickeln deß Synodi gefaſſet und begriffen iſt/ getrewlich allhie gelehret und geprediget würde/ auch daß niemandt in dem geringſten etwas/ ſo dieſer Lehr zuwieder were/ weder heimlich in Winckeln/ noch offentlich außzuſtoſen/ oder zuläſtern/ viel weniger andere von derſelbigen abzuhalten/ oder abwendig zumachen/ erlaubt oder geſtattet ſoll werden/ ꝛc.

Recitat etiam Beutherus *pag. 274. de Argentinenſi Confeßione Auguſtæ anno 30. Cæſari exhibita, teſtimonium Senatus Argentinenſis ex Actis Conventus Eccleſiaſtici, pag. 52. & 53. in quo inter alia hæc quoque verba leguntur:* So kan und mag darauß anders nicht folgen/ da man nicht offentlich von Gott abfallen/ und ſich bey den oberſten Ständen der gantzen Chriſtenheit/ Keyſer/ König/ Churfürſten/ Graffen und Stätten/ vor denen mit vielfältiger widerholung offtgemelte Straßburgiſche Confeſſion iſt bekandt worden/ der Vnbeſtändigkeit und Leichtfertigkeit will argwöhnig machen/ ꝛc. *Ex quibus liquidò apparet, figmentum eſſe Theologorum iſtorum, Senatum Argentinenſem, deſerta Schmalchaldiæ anno 31. ſua vetere Confeßione, modernam ſemper approbaſſe.*

In ipſo verò Libro, qui Corpus Doctrinæ modernæ Argentinenſis Eccleſiæ complectitur, docet D. Beutherus *primò in genere, deinde in ſpecie, Theologos modernos Argentinenſes, ſub ſpecie ac titulo puræ & ſanæ doctrinæ, jam inde ab initio reformationis uſque ad Annum* 1561. *Argentinæ prædicatæ, aliam doctrinam, & Argentinæ ad dictum uſque Annum inuſitatam, occultare.*

Et Capite 16. huius indicat, Argentinenſis Eccleſiæ Paſtores & Miniſtros Librum Concordiæ non ſolùm in hac Agenda ſua, ceu catholicum & orthodoxum approbaſſe, ſed eidem quoque, contra expreſſum mandatum ac voluntatem Magiſtratûs ſui ſubſcripſiſſe : eoque ipſo à Confeßione Argentinenſi, anno 20. Auguſtæ Carolo Imperatori exhibita, palam defeciſſe, vel ipſius Magiſtratûs quoque teſtimonio, quod exſtat pag. 52. & 53. Actorum Conventûs Eccleſiaſtici Argent. & à Beuchero etiam pag. 274. citatur.

Tractatio Beutheri de Formula Concordiæ.

Hac verò occaſione dicto capite breviter, ſed ſolidè de Libro Concordiæ agit. Ac primò *docet, eum continere manifeſtam depravationem trium approbatorum Symbolorum, quòd duplicem cum Ario fingat Deitatem; naturas in Chriſto cum Neſtorio dividat; eaſdem cum Eutyche confundat; uſitatam, & ab omnibus orthodoxis Eccleſiis de Communicatione Idiomatum doctrinam reprobet; Articulos Fidei corrumpat; docendo, omnia plena eſſe Chriſti etiam ſecundum Humanitatem, in momento Conceptionis Chriſtum in cœlum aſcendiſſe, ac in die Aſcenſionis poſt reſurrectionem ne latum quidem unguem corpore ſuo à terra receßiſſe, ſed tantum inviſibilem factum eſſe, & ſimilia multa.*

1. Formula Concordiæ depravat tria approbata Symbola.

Secundò *docet, inſertam eſſe huic Formulæ Concordiæ pro parte Normæ Doctrinæ, non veram Confeßionem Auguſtæ Carolo Imp. exhibitam, neque etiam communi conſenſu emendatam & à Proteſtantium Ordinibus approbatam; ſed aliam & quidem ab his longè diverſam, ac in multis Articulis, ab ipſiſmet auctoribus Formulæ, ſtudio & dedita operâ non ſolùm depravatam, ſed etiam in alienum ſenſum detortam Confeßionem. De quo verba ejus ſic habent.*

2. Formula Concordiæ continet non veram Auguſtanam Confeßionem.

Dann wie D. Kemnitius außtrücklich in Corpore Doctrinæ Iulio bezeuget/ ſo hatten ſich die Authores mit einander verglichen/ man ſoll das Anno 1531. emendirte Exemplar der Augſpurgiſchen Confeſſion ſampt der Apologia derſelben/ für das rechte authenticum halten/ ſolches auch in die Formulam Concordiæ ſetzen und vnderſchreiben laſſen: und beweiſet ſolches mit den allegatis des Concordi Buchs ſelbſt/ welches ſich/ per errorem auff die emendirte/ ſo dem Concordi Buch hette ſollen ein verleibet worden ſeyn/ an zweyen Orten referire: da doch hernach dolosè nicht das emendirte/ ſondern ein ſolch Exemplar hineingeſetzt/ welches ab Anno 1531. bey Lebzeyten Lutheri und Philippi in der Kirchen gebrauch nicht geweſen ſey. Wie eben ſolches auch die Holſteiniſche Theologi Anno 1532. 11. Martii in ihrer Schrifft/ ſo Paul von Eyzen geſtelt/ mit anzeigung und erweiſung/ in

wie vielen Artickeln die rechte Auſpurgiſche Confeſſion / im Concordi Buch verfälſchet ſey / auß führlich erwieſen haben.

Weil nun die *Authores* deß Conc. Buchs von den Brauſchweigiſchen Theol. Anno 1583. 14. Jan. ſolcher ihren eygenen vielfältigen Corruptelen / der vngeleichen Exemplaren deß Concordi Buchs uberwiſſen worden: erboten ſie ſich / demnach ſie auß vberzeugetem Gewiſſen nicht leugnen könten / daß die Dreßniſche Exemplar falſch weren / ſo hetten ſie derſelben viere bey der Handt / die wolten ſie zu corrigiren ſich nicht wägern / und hernach bey Pfaltz / Sachſen / Brandenburg und Branſchweig / an iedem Orth eines hinderlegen / damit man eygentlich wiſſe / welches das authenticum ſeyn ſolte: Oder viel mehr / auff daß ihre vnerbahre und betriegliche Stück nicht offentlich an Tag kämen: deſſen aber die Braunſchweigiſche Theologi / wol vernünfftig / Bedenckens getragen / und ſolches eynzuwilligen / auß Vrſachen / daß es gar nicht rathſam were / die corrigirte Exemplaria allein hinder Fürſtliche Clauſuren zulegen / und mitler weile die incorrecta in der Kirchen gebrauchen zulaſſen / gar nicht zufrieden geweſen.

3. Concordia Vuiteberg. anni 36. depravata eſt in Formula Concordiæ.

Tertiò *docet, non de verbo ad verbum inſertos eſſe huic Formulæ, Concordiæ Vuitebergenſis articulos, ſed mala fide & mutilatos: inprimis verò in Articulo de indignorum ſumtione, verba hæc,* viva fide, *omiſſa eſſe.*

4. Hæreſes veteres in F. C. confirmantur.

Quartò, *quòd falsò glorientur, declarationem controverſorum articulorum ex tribus Symbolis & Auguſtana Confeßione in hac Formula inſtitutam eſſe. Nam non modo veteres errores & hæreſes in ea non refutari, ſed novas inſuper defendi, & omißis nominib. authorum, tanquam Præceptorum ſuorum, tacitè confirmari*

5. Formula Concordiæ non poteſt eſſe norma controverſiarum.

Quintò *docet, hanc Formulam Concordiæ non poſſe eſſe, ut authores ejus perſuadere hominibus conentur, Normam Doctrinæ, quum Normæ Fidei, non modò non analoga, ſed prorſus contraria, & vel ipſis Proteſtantium Principibus atque Theologis teſtibus, ſolum verbum Dei Norma normarum, & Iudex controverſiarum ſit.*

6. Diverſitas exemplarium Formulæ Concordiæ. Pag. 425

Sextò, *mentionem etiam facit diverſitatis Exemplarium huius Formulæ: quæque hinc inde ad ſubſcribendum miſſa ſint, diverſa fuiſſe ab his quæ excuſa typis ſint, & hæc ipſa quoque diverſa exſtitiſſe docet. Verba eius hæc ſunt:* Es klagen nicht allein die Nürnberger darüber / was in der erſten Formula Concordiæ recht geweſen / in der andern widerumb verderbt worden ſey: Sonder auch D. Daniel Hofmann in ſpecie bezeuget / daß nicht einerley / ſonder vielerley Concordi Bücher / deren ein iedes / anders / als das ander befunden worden: und beweiſt ſolches hiermit / daß ſein Original / welches er Anno 1577. vnderſchrieben habe / gar viel anders geſchaffen geweſen / dann die zu Dreßden erſtlich getruckte Exemplaria, welche aber auch nicht alle einander gleich ſeyn / ob ſie wol an einem Orth getruckt worden. So concordirt auch das Dreßniſch nicht mit dem Leypzigiſchen. Auß welchen Vrſachen dann Pfaltz und Würtenberg wider ſolche vngleiche getruckte Exemplaria, und den ohn ihr vorwiſſen oder Bewilligung angehengten Appendicem proteſtirt: Derhalben zu Heydelberg und Tübingen abermal andere Exemplaria von newem trucken laſſen / das ſchon mehr als viererley vngleiche getruckte Exemplaria vnder die Leut kommen waren.

7. In F. C. depravatus eſt ac mutatus titulus Præfatio & totus Liber.

Septimò, *meminit & mutationum variarum, & fraudulentarum depravationum Tituli, Præfationis, atque etiam Libri totius, nec non proceſſus illegitimi, in collectione, emendicatione & extorſione ſuffragiorum & ſubſcriptionum ab authoribus Libri ad confirmanda nova ſua paradoxa, brachio & authoritate ſeculari, vſurpati. Sic enim inquit:* Es iſt auch wol zumercken / daß weder der Titel (als der allein von den Augſpurgiſchen Confeſſions Verwandten zuhandlen verheiſt / und darnach Articulo 12. und ſonſt anderßwo von allerley Secten tractiren will) die Præfation (von dem Fundament der wahren Gegenwart deß Leibs Chriſti im Abentmal mit den andern widerwertigen Fundamenten deß Buchs) noch auch das Buch mit ſich ſelbſt vbereyn kompt.

Veritas odium parit.

Editione verò huius libri Theologi Argentinenſes adeò ira accenſi ſunt, ut in optimos quoſque cives ſuos in Cancellaria Rectores & Miniſtros atrocißimè inquiſiverint, & in innocentes qui ſuſpicionem eorum effugere non potuerunt gravißimè ſævierint. Pœna inſuper capitali omnibus ſuis civibus, ne quiſquam librum illum vel legat, vel apud ſe retineat, Senatus interdixit: Et quod amplius eſt, ipſe Pappus, præcipuus Argentinenſis Eccеſiæ Paſtor, oſtiatim domos ſibi ſuſpectas & inviſas adiit, luſtravit & perquiſivit, ſi fortè librum hunc apud aliquem reperire poſſet.

Odium Theologorū Argentinenſiū erga Beutherum ob recuſatā Formulæ Cōcordiæ ſubſcriptionem.

Hunc Michaelem Philippum Beutherum *cùm antè paucos abhinc annos amplißimus Argentinenſis Reipublicæ Senatus, tanquam ſympatriotam ſuum, in Vrbem recepiſſet, eique locum honeſtißimum in Eccleſia & Academia patefecißet, Theologi inprimis verò* Iohannes Pappus, *ipſum neq; in conventum Theologicum neque Profeſſorum numerum admittere voluerunt, priuſquam Concordiæ Formulam ſubſcriptione ſua approbaſſet: obiectis ipſi duabus, à Vuirtenbergenſibus conceptis, quæſtionibus: quarum prima fuit,* An Theſis & Antitheſis in libro Concordiæ comprehenſa, Auguſtanæ Confeſſioni conformis? *Altera,* Num ſecundum normam illius doctrinæ hacte-

hactenus Eccleſiæ & Scholæ Argentinenſis Theologi publicè docuiſſent?

Cauſa ob quas Beutherus libro Concordiæ ſubſcribere noluit.

Reſpondit ore & ſcripto prolixè, addiditque ſimul cauſas coram Scholarchis, Iohanne Philippo à Kertenhem *Prætore*, Abrahamo Heldia *Conſule, &* Ioſia Rihelio, *Tredecem viro, ob quas Libro Concordiæ nec velit, nec poſſit ſubſcribere. Nimirum, 1. Quia multorum Magiſtratuum, Principum, Civitatum ac Ordinum Imperii Romani authoritatibus nondum receptus ſit, nec approbatus liber iſte, ad quos non minus quàm Vuirtenbergenſes pertineat, qui tamen Auguſtanæ Confeſſioni etiam non minus quàm Vuirtenbergenſes addicti ſint. 2. Quia in illis ipſis regionibus, ubi illa Formula Concordiæ Bergenſis primùm nata & publicata ſit, à pluribus non amplius probetur, modò conſenſus Auguſtanæ Confeſſionis retineatur. 3. Quia multa ab Auguſtanæ Confeſſionis ſociis contra eandem ſint ſcripta: ut teſtetur Cenſura Theologorum Mechelburgenſium typis excuſa, & Neomarchianorum Brandenburgenſium, ſcripta item Anhaltinorum, Heſshuſii & aliorum. 4. Quia à Magiſtratu ſuo, cujus ſit ſubditus, nondum ſubſcriptus ſit liber iſte, etiamſi doctrinam conformem ei retineat. 5. Quòd Eccleſia & Academia Argentinenſis, eidem nondum planè ſubſcripſerit, cùm tamen hoc vehementer ab eis poſtulatum eſſet, antequam publicè ederetur, ut pateret ex actis Conventûs Theologici. 6. Quòd ipſe, & Theologi Argentinenſes conſentiant in omnibus Fidei Articulis: ſubſcriptionem autem Libri Concordiæ non eſſe Articulum Fidei, ſe verò Articulis Fidei in Auguſtana Confeſſione explicatis ſubſcribere paratum eſſe. 7. Quia, teſtibus multis primariis Theologis, multorum diſſidiorum inter Auguſtanæ Confeſſionis ſocios, cauſa ſit Concordiæ liber. 8. Quòd valde offenderetur ipſe diſſenſionibus auctorum illius Libri. 9. Quòd judicia præcipuorum Theologorum & Eccleſiarum Saxonicarum ipſum deterreant, quæ de illo Libro ex ore ipſorum, in omnibus Saxoniæ Academiis pronunciari audiverit. 10. Quia Confeſſionem fidei ejus Theologi Argentinenſes abſolutè probaverint, in qua tamen nullam Libri Concordiæ mentionem fecerit. 31. Quia juramentum Roſtochii præſtiterit in Doctrinam in Auguſtana Confeſſione comprehenſam, non in Formulam Concordiæ, ut gemino ſuo teſtimonio Academiæ publico pro conſecuto Licentiæ Gradu ibidem ipſi dato, demonſtrare poſſit. 12. Quia declaratio Auguſtanæ Confeſſionis, quæ à Senatu Argentinenſi confirmata ſit, & actis Miniſterii Argentinenſis inſerta, hoc minimè pateretur, aliàs omnes ſuperiores declarationes ejuſdem hucuſque falſas & imperfectas fore. 13. Quia à Conſule ſibi expreſſè injunctum & mandatum ſit, ne ſine præcognitione univerſi Magiſtratûs Libro Concordiæ ſubſcriberet: quod etiam nobilis Prætor* Kettenhemius *confirmaverit cùm diceret;* Non immeritò Beutherum ſubſcriptionem Libri recuſâſſe, ut qui à Magiſtratu urbis graviſſimis de cauſis nondum receptus fuerit. 14. *Præſertim verò, cùm ab univerſo Senatu unanimi conſenſu, ipſe electus & receptus, certumque officium ſibi demandatum ſit, ſine cujus conſenſu & voluntate, Librum illum, quem aliis ſubſcribendum ſuperioribus annis vetuerit, ſibi ſubſcribere integrum non ſit. Sed vicit invidia, malitia & furor Theologorum, qui paulò poſt etiam, novam tragœdiam contra* Beutherum *excitârunt, in qua quinque diverſis Actibus ſeptem perſonati paſtores, quorum Coryphæus* Pappus *fuit, ipſum adorti ſunt, in quibus multa & varia inter ipſos agitata fuerunt. Tandem in ipſum conclamatum, & unà cum matre vidua, ac duobus fratribus orphanis in exilium ejectus eſt, donec Pater cœleſtis ipſis in Ducatu Bipontino locum & ſedem commodam præparavit, in qua honeſtè liberalitate & clementia Principis* Iohannis Bipontini *& F. hucuſque ſuſtentati ſunt.*

Sævitia erga recuſantes ſubſcriptionem F. Concordiæ.

CAPVT LVI.

De Quatuor Motivis, ob quas Illuſtriſſimus Princeps Erneſtus Fridericus Marchio Badenſis Formulæ Concordiæ ſubſcribere recuſavit.

A*Nno Chriſti* 1599. *Illuſtriſſimus Princeps* Erneſtus Fridericus *Marchio Badenſis in lucem edidit*, Declarationem cauſarum graviſſimarum, quibus Celſitudo ejus mota ſit, quòd Formulæ Concordiæ hactenus non ſubſcripſerit, nec etiam in poſterum ei ſubſcribere velit.

I. Non genuinà Confeſſio Aug. inſerta Formulæ Concordiæ.

PRIMA *cauſa eſt, quòd Auguſtana Confeſſio, Formulæ Concordiæ inſerta, non ſolum diſcrepet ab Originali, quod Electores, Principes & Civitates ſuis manibus ſubſcripſerunt & obſignârunt, ac in Marchionis Cancellaria adhuc hodiè aſſervatur, ſed etiam depravata ſit non tantum in ſyllabis & dictionibus (ut* Hunius *& Vuirtenbergenſes hominibus perſuadere conantur) ſed in multis lineis quoque paragraphis, quin etiam integris paginis, idque in* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 8. 12. 13. 15. 16. 17. 18. 20. 21 22. 23. 24. 25. 26. 27. *&* 28. *articulis: Sic, ut ex* 28. *articulis primæ Auguſtanæ Confeſſionis, ſex tantum, nempe* 7. 9. 10. 11. 14. *&* 19. *ab Ubiquitiſtis non depravati ſint. Quod Princeps ex diligenti collatione exemplarium Lectori ad oculum monſtrat, ut inde intelligat, Auguſtanam Confeſſionem, Libro Concordiæ inſertam, non Originale eſſe, ut in Præfatione glorientur*

& jactitant, quod Carolo V. anno 30. exhibitum ſit, & à quo nec in phraſibus, nec in rebus deflectere velint.

2. Maior Catechiſmus Lutheri in F.C. depravatus eſt.

SECVNDA, *quòd major Catechiſmus Lutheri in Libro Concordiæ, non ut in tomis Operum ejus, ſed truncatus & depravatus exſtet.*

3. In F.C. de Perſona Chriſti multa errores continentur.

TERTIA, *quòd in hac Formula Concordiæ de Perſona Chriſti & Cœna Domini multa falſa, abſurda, erronea, & cum verbo Dei manifeſtè pugnantia doceantur. Nam quod ad Articulum de Perſona Chriſti attinet, 1. Iuxta Formulam hanc, Filius Dei non ſubſiſtens Perſona fuit, ſed aſſumta Humanitas hanc Perſonam demùm integram ſeu perfectam, & verè ſubſiſtentem fecit: pag. 306.*

2. Docetur in ea, pag. 245. 246. 314. 315. Divinitatem humanitati omnipotentiam, omniſcientiam & omnipræſentiam realiter communicâſſe: quo ipſo exæquatio duarum naturarum, & Schvenckfeldii deificatio Humanæ Naturæ approbatur & canonizatur.

3. Approbatur in Formula Concordiæ Lutheri doctrina de tribus eſſendi modis, quos omnes vni Corpori Chriſti ſimul ac ſemel attribuit, quum tamen Scholaſtici, quos Lutherus ſequutus eſſe videri voluit, tribus diverſiſſimis rebus eos accommodent. Secundum primum Circumſcriptivum modum, *inquit Lutherus,* Corpus Chriſti non eſt in Deo, nec apud Patrem, neque etiam in Cœlo. *Contra verò Auguſtinus; quo, ut Lutherus ipſe teſtatur Tomo 2. Vuiteb. pag. 129. Eccleſia Chriſti præſtantiorem & magis orthodoxum Doctorem poſt Apoſtolos non habuit, ſic inquit Epiſtola 57. ad Dardanum:* Noli itaque dubitare, ibi nunc eſſe hominem Chriſtum Ieſum, vnde venturus eſt: memoriterque recole, & fideliter tene Chriſtianam confeſſionem: quoniam reſurrexit à mortuis, aſcendit in Cœlum, ſedet ad dextram Patris, nec aliunde quàm inde venturus eſt ad vivos mortuoſque judicandos. Et ſic venturus eſt angelica illa voce teſtante, quemadmodum ire viſus eſt in Cœlum, id eſt, in eadem forma atque ſubſtantia, cui profectò immortalitatem dedit, Naturam non abſtulit: ſecundum hanc formam non eſt putandus ubique diffuſus. Cavendum eſt enim, ne ita divinitatem aſtruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non eſt autem conſequens ut id, quod in Deo eſt, ſit vbique ut Deus. *Item:* Una enim perſona Deus & Homo eſt, & utrinque eſt vnus Chriſtus Ieſus, ubique per id, quod Deus eſt; in Cœlo autem per id, quod Homo. *Item:* Chriſtum autem Dominum noſtrum vnigenitum, Dei filium, æqualem Patri, eundemque hominis filium, quo maior eſt pater, & ubique totum præſentem eſſe non dubites, tanquam Deum, & in eodem templo Dei eſſe tanquam inhabitantem Deum & in loco aliquo Cœli, propter veri corporis modum. *Et in Epiſt.* 146. Ego domini corpus ita in cœlo eſſe credo, ut erat in terra, quando aſcendit in cœlum.

Secundum definitivum ſeu incomprehenſibilem & ſpiritualem modum, *inquit Lutherus*, & approbat Formula Concordiæ, locum non occupat Corpus Chriſti, ſed per omnes creaturas penetrat, quocunque volet, ſicut viſus per aërem, lucem aut aquam penetrat, & locum non occupat: aut quemadmodum ſonus per aërem, aquam vel parietem pervadit, nec etiam loci aliquod occupat ſpacium. *Item,* Sicut lumen & calor per aërem, aquam, vitrum, cryſtallum & ſimilia penetrat, nec locum aliquem occupat, *&c.* Hoc modo vſus fuit, cùm per clauſas januas ingrederetur. *Item,* In pane & vino Euchariſtiæ, & quòd ex Maria virgine natus ſit. *Hæc, inquit, Marchio Badenſis, Lutherus quidem confidenter ſcribit, nullo autem ſacræ Scripturæ loco probat, ſed tantum craſſis ſimilitudinibus illuſtrare conatur. Imò Lutherus hoc loco, ad quem Formula Concordiæ provocat, ineptioribus & craſſioribus ſimilitudinibus utitur,* als wie die Engel / Pollergeyſter / und Teuffel durch Mauwren fahren: Item / wie die Teuffel in einer Statt / Büchſen / Nußſchalen: Item / wie die ſechs tauſent Teuffel in einem Menſchen. Solcher geſtalt ſey Chriſtus durch das Grab gefahren / und verſchloſſne Thür gangen / Item / im Brot und Wein im Abendmahl / Item / von ſeiner Mutter geboren. *Hæc verò in tota Scriptura & puriore antiquitate non inveniuntur. Sed Hieronymus dicit contra Iohannem Hieroſolimitanum.* Corpus Chriſti conferre cū ſono, ſplendore Solis, &c. Martioniticum eſſe. *De clauſis januis quidam ex Patrib. dixit,* mirum non eſſe, ſi Creatura creatori ceſſerit. *Et Iuſtinus Martyr quæſt.* 117. Quomodo, *inquit,* Corpus Chriſti ſolidum clauſis januis ingreſſum? Sicut ambulavit in mari, hoc eſt, non converſione Corporis in Spiritum, ingreſſus eſt ad eos, ſed corpore ſolido, divina ipſius virtute efficiente. *Multo minus hujuſmodi craſſis & ineptis ſimilitudinibus præſentiam Corporis Ch. in Cœna Patres aſſeruerunt.*

Quanto magis, *ait Lutherus, & canonizatur in Formula Concordiæ*, ſecundum tertium, hoc eſt, divinum & cœleſtem modum & ſublimem, mirabiliter in omnibus creaturis erit Corpus Chriſti, ut ipſum non menſurent, neque comprehendant; Si juxta ſecundum modum eſſe poteſt in creaturis, & apud creaturas, ut ipſum tamen non ſentiant, menſurent, neque comprehendant. *Hæc*

verò

verò argumentatio, inquit Marchio, valeret utcunque, ſi ſecundus modus ex verbo Dei comprobatus eſſet. His addit Formula Concordiæ ex Luthero, Hunc eſſendi modum tertium Corporis Ch iſti, quo una cum Deo perſona eſt, omninò tam longè atque procul extra omnes creaturas ponere oportet, quàm ipſe Deus extra eas eſt: & rurſus tam altè & propè in omnes creaturas ponere, quàm Deus in ipſis eſt: Eſt enim indiviſa Perſona cum Deo, & ubi Deus eſt, ibi ipſum quoque eſſe oportet, aut noſtra fides falſa eſt. *Ex his apparet, Ubique præſentiam corporis Chriſti ſecundum hunc tertium ejus modum eſſendi, ex Unione perſonali à Luthero & Formula Concordiæ extortam eſſe.*

Ubiquitatem ex perſona i unione probari non poſſe.

Contra verò Marchio quinque immotis argumentis probat, Ubiquitatis portentum ex Unione Perſonali nullo modo probari poſſe. Primum *hoc*

1. *eſt: Verbum aut caro localis, palpabilis & circumſcripta: aut caro illocalis, impalpabilis, & incircumſcripta factum eſt. Nam inter carnem localem & illocalem media caro non eſt. Dictum autem eſt ad Heb. 2. cap. Semen Abrahæ (quod ſcilicet locale, palpabile, & circumſcriptum eſt) aſſumpſit, unde debuit per omnia, quoad eſſentiam localis & circumſcriptæ animæ & carnis, fratribus ſimilis eſſe (excepta propriâ Perſonâ & peccato, eſt enim Trinitas, non Quaternitas in verbo Dei patefacta) Ergo ſi Verbum carnem localem, palpabilem & circumſcriptã aſſumpſit, propter Unionem autem aliam carnem produxit, abſque eſſentia, abominanda & horrenda implicatur contradictio, videlicet aſſumptam carnem uno & eodem reſpectu in Verbo (nam extra Verbum non ſubſiſtit) eſſe localem & illocalem, palpabilem & impalpabilem, circumſcriptam & incircumſcriptam: & per conſequens carnem in Verbo localem, palpabilem & circumſcriptam, eſſe nobis coeſſentialem, & carnem in Verbo abſque eſſentia locali, palpabili & circumſcripta, eſſe Martioniticum inane ſpectrum & nequaquam eſſentiali Humanæ carni ſimile.*

2. Secundum *eſt: Humana Natura Verbo unita, aut propter unionem Perſonalem creator facta, aut creatura permanſit. Inter creatorem enim & creaturam in æternum medium monſtrare nequeunt. Atqui nemo aſſerere audet, Humanam Naturam eſſe mutatam in creatorem: Sic enim duo eſſent Dii, alter creatus, alter increatus, quòd expreſſè pugnat cum Sacra Scriptura. Deut. 6. cap.* Audi Iſraël, Dominus Deus noſter Deus unus eſt. *Ergo coguntur fateri, Humanam Naturam in ipſa Perſonali unione creaturam permanſiſſe, & per conſequens localem & circumſcriptam. Si dixerint, Humanam Naturam in Verbo conſideratam, ſecundum reſpectum ſupernaturalem eſſe ubique, ſequitur, Humanam Naturam ſecundum reſpectum ſupernaturalem eſſe mutatam in creatorem. Nam ubique eſſe, Deum ſeu creatorem eſſe, unum & idem eſt. Iehovæ enim ſimpliciſſima eſſentia in nullas diſparatas partes ſecatur, licet in eſſentia ſint tres realiſſimè diſtinctæ perſonæ.*

3. Tertium *eſt: Solum creatorem eſſe illocalem & incircumſcriptum, & omnem creaturam eſſe localem & circumſcriptam conſtat. Nam creator ubique præſens & infinitus. Ergo neque localis neque circumſcriptus eſſe poteſt. At omnis creatura eſt finita, hoc eſt, finem ſeu terminum habet, & ubi finis ſeu terminus eſt, ibi locus ſeu ſpatium finitam creaturam ambit. Ergo omnis creatura eſt localis & circumſcripta. Exempli gratia: Angelus ſubſtantiâ ſpiritualis, Cornelio Actor. 10. aſtans, habet finitam Naturam, quia Angeli ſubſtantia non ſimul erat apud Petrum in Ioppe, nec omnibus in locis ſimul. Ubi igitur Angelicæ ſubſtantiæ finis fuit, ibi locus ſeu ſpatium Angelum ambit, & per conſequens Angelus fuit localis & circumſcriptus.*

4. Quartum *eſt: Humana Natura in perſona Verbi ſubſiſtens, aut habet localem, palpabilem & circumſcriptam eſſentiam, aut non habet. Si Humana natura in perſona Verbi, eſt abſque eſſentia locali, palpabili & circumſcripta: Sequitur unam duntaxat eſſe Naturam in Perſona Verbi, & eam increatam: quod pugnat cum immoto fundamento Sacrarum literarum, ex quibus in Perſona Verbi eſſe Naturam increatam & incircumſcriptam, & naturam creatam & circumſcriptam manifeſtiſſimum eſt. Sin Humana Natura in Perſona Verbi, realiter retinet eſſentiam localem, palpabilem, circumſcriptam, nullo reali modo in perſona Verbi Ubiquitatem vel illocalitatem participat. Ubiquitas enim non eſt in eſſentia locali & circumſcripta, ſed in eſſentia illocali & incircumſcripta.*

5. Quintum *eſt: Ubiquitas humanitatis ad perſonalem Unionem eſt omninò neceſſaria, vel nullo modo. Si Ubiquitas Humanitatis ad Perſonalem unionem eſt omnino neceſſaria, ſequitur, Humanam Naturam localem, palpabilem, & circumſcriptam, ſecundum reſpectum* ſupernaturalem, *Filio Dei non eſſe realiter unitam, & ex unione Perſonali excluſam: quia publicè ſcribunt, juxta reſpectum naturalem humanam naturam finitam manere & finitam quantitatem retinere, juxta cujus conditionem naturalem uno tantum in loco, ſimul & ſemel, & non ubique eſt. Si autem Ubiquitas Humanitatis nullo modo eſt ad unionem neceſſaria, tunc etiam reſpectus ſupernaturalis Humanæ Naturæ nullo modo eſt neceſſarius.*

Objicitur quidem, quemadmodum geminus reſpectus Deitatis Filii, non efficiat, ut etiam ipſa Deitas gemina ſit, ſed manere unum idemque Verbum, licet interdum in ſe etiam, extra unionem perſonalem conſideretur: Reſponderi

tamen ſic poteſt; uterque reſpectus in Verbo, eſt in una eademque Verbi natura, quæ conſideratur priore reſpectu, quatenus ab æterno genita eſt à Patre, & poſteriore, quatenus incarnata eſt. Illocalis autem reſpectus Humanitatis non eſt in una eademquè Natura, ſeu eſſentia Humanitatis. Quod igitur non eſt in eſſentia Humanæ Naturæ, id nullo modo in humanitate eſſe poteſt. Atqui illocalis reſpectus non eſt in eſſentia Humanæ Naturæ, aliâs mutata eſſet in creatorem. Ergo illocalis reſpectus nullo modo in humanitate eſſe poteſt. Si reſpectus illocalis & localis nullo modo ſimul eſſe poteſt in Verbo: ſequitur etiam ſimili ratione, reſpectum illocalem & localem nullo modo poſſe eſſe ſimul in Humana Natura. Nam illocalis reſpectus arguit Naturam infinitam & increatam: localis Naturam & creatam.

Vbiquitas in. F. C. contentæ Arianiſmum confirmat. *Adhæc docet* Marchio Badenſis, *hoc dogmate Formulæ Concordiæ Arianiſmum validè confirmari. Ariani enim blaſphemè dicunt, Chriſtum non eſſe verum & æternum Deum Iehovam. Si verò contra eos cum orthodoxa Eccleſia quis dicat, Chriſtum ideò eſſe æternum & verum Deum Iehovam, quòd ei in ſacra Scriptura Divinæ proprietates attribuantur: Ariani reſpondent, hoc non neceſſariò ſequi, nam & humanam naturam in Chriſto habere quoque realiter ſibi communicatas proprietates Deitatis, nec tamen eſſe æternum Deum Iehovam. Si ad hoc illis reſpondetur, Humanam Naturam in Chriſto has proprietates habere per realem communicationem in tempore; Verbum verò ab æterno per Naturam habere Divinas proprietates: Ariani dicunt, Verbum non naturâ Deum eſſe, ſed tantum ex officio Divino Deum appellari, ſicut etiam magiſtratui Pſal. 82. hoc nomen ex ſuo officio tribuatur, nec tamen Deum eſſe. Quod ſi quis contrà ex divinis eſſentialibus Dei proprietatibus probare velit, Verbum Naturâ æternum Deum Iehovam eſſe, has enim proprietates nulli creaturæ, ſed tantum Deo competere, Ariani hunc mox ſuo ipſius gladio jugularent, & dicerent, eum cum ſuis Vbiquiſtis tamen docere, Humanam Naturam realiter eſſentiales Dei proprietates accepiſſe, videlicet, omnipotentiam, omniſcientiam, omnipræſentiam, &c. nec tamen fateri velle, Humanam Naturam verè Deum eſſe. Sin verò hoc non ſequatur, nec illud ſequi neceſſe eſſe.*

Realis Idiomatum Communicatio & Vbiquitas evertunt præcipuos fidei articulos. *Præterea docet; hanc Doctrinam Formulæ Concordiæ, de reali Communicatione, & quam ex illa exſtruunt Vbiquitate, pleroſque Articulos fidei Chriſtianæ oppugnare, aut prorſus evertere. In tertio enim articulo confitemur,* Chriſtũ è Spiritu ſancto conceptum, & ex Maria virgine natum eſſe *Hoc eſt Spiritum ſanctum Divina & æterna virtute ſua effeciſſe, ut Maria illæſa virginitate fœcunda facta ſit & habilis ad concipiendum ſine virili ſemine, ex ſuo Sanguine: atque hoc modo Filium Dei ex ſubſtantia ejus purum quidem, ſed tamen verum Corpus in unitatem perſonæ aſſumpſiſſe. In Formula Concordiæ autem docetur,* Chriſti humanitatem, tam longè, tamque procul extra omnes creaturas poni debere, quàm ipſe Deus extra eas eſt, aut Perſonam dividi. *Item,* Omnia plena eſſe Chriſti, etiam ſecundum humanitatem ejus. *Et hæc omnia ex Perſonali unione colliguntur. Perſonalis autem unio non in ſtatu demùm exaltationis, ſed in primo momento conceptionis facta eſt. Quum itaq; Vnio Perſonalis fundamentum eſt, cui innititur portentoſum hoc de reali Communicatione & Vbiquitate dogma: ſequitur inde neceſſariò, humanitem Chriſti non tantum in utero virginis Mariæ, ſed etiam in omnium mulierum ac virginum utero fuiſſe, imò omnia plena Chriſti, etiam ſecundum humanitatem, fuiſſe, ab ipſo ſtatim Conceptionis momento.*

Inſunt autem huic doctrinæ multa contradictoria, quæ uno & eodem tempore, in uno & eodem ſubiecto conſiſtere non poſſunt. Nam locale & illocale eſſe, ſunt contradictoria, quæ in humanitate Ch. tanquam ſuo ſubiecto, ſimul vera eſſe nequeunt. Hoc ipſo etiam vera Ch. nativitas in dubium vocatur. Nam ſi caro Ch. verè illocalis & ubiq; ab ipſa conceptione fuit, tunc non potuit verè ex utero naſci, ſed tantum oſtendi, ubi antea non videbatur, & ita nativitas Ch. non fuit vera, ut Manichæi docuerunt. Hac etiam doctrinâ de illocali Humana Chriſti natura, Vnio perſonalis multò magis evertitur & enervatur, quàm confirmatur, ut ex hoc Syllogiſmo patet. *Contradictoria huius doctrinæ.*

Ea natura unita eſt cum Verbo, quæ, eſſentiali animæ & corporis proprietate ſervatâ, concurrit in Perſonam Verbi. Nam orthodoxi Patres in Synodo Chalced. confeſſi ſunt. haudquaquam differentiam Naturarum propter Vnionem tolli, ſed magis utranque naturam in unam perſonam concurrere, proprietate ſervatâ.

Atqui illocalis & ubique præſens Humanitas, eſſentiali animæ & Corporis proprietate ſervatâ, non concurrit in perſonam Verbi: quia illocalis & ubique præſens humanitas nullam eſſentiam localem & circumſcriptam habet.

Ergo illocalis & vbique præſens Humanitas non unica eſt cum Verbo.

Imo hac Doctrina Humanitas Chriſti prorſus tollitur & aboletur.

Nam, quicquid eſſentiam non habet, id non verè eſt in rerum Natura. Quicquid enim revera eſt, eſſentiam habeat neceſſe eſt.

Atqui Chriſti humanitas ubique præſens & illocalis eſſentiam non habet. Nam ſi habet eſſentiam infinitam, eſt mutata in Deum:

in Deum: ſi habet eſſentiam finitam, eſt localis & circumſcripta.

Ergo Chriſti Corpus ubique præſens & illocale, non eſt verè in rerum Natura.

Ob has cauſas etiam ſequentes Articuli Fidei Chriſtianæ, paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus mortuus & ſepultus eſt, *incerti ſunt.*

Nam quicquid ubique & illocale eſt, id præhendi, cruci affigi & ſepeliri non poteſt.

Corpus Chriſti ſtatim in primo momento Conceptionis, ſecundum Vbiquiſtas, fuit ubique & illocale.

Ergo Corpus Chriſti præhendi, cruci affigi & ſepeliri non potuit.

Tollit hæc eadem Doctrina de illocalitate & Vbiquitate Corporis Chriſti veritatem Reſurrectionis ejuſdem. Nam quomodo poteſt Ch. verè Corpore ſuo in ſupulcro iacere, & poſtea cum unita ſibi anima tertio die verè ex ſepulcro reſurgere, & tam corpore & animâ ubiq; etiam extra ſepulchrum eſſe, & poſt reſurrectionem inviſibiliter in ſepulcro manere? Certè Apoſtoli & Angeli falſum teſtimonium dixiſſent, aiendo, Surrexit, non eſt hîc: *Marci ultimo. Prorſus etiam evertitur Articulus Fidei,* Aſcendit in cœlum. *Nam in Formula Concordiæ docetur, Corpus Ch. à primo momento Conceptionis in Cœlo fuiſſe; & duplex hoc modo Aſcenſio traditur: Vna, quæ in utero materno; altera, quæ in conſpectu diſcipulorum facta ſit. Et quia de tempore incerti ſunt, cœlum etiam ipſum ubiq; ſtatuunt. Inprimis verò horrendum eſt, quòd in primo modo eſſendi negant Corpus Ch. apud Patrem & in Cœlo eſſe: quum Auguſtinus apertiſſimè teſtetur epiſtola 57. ad Dardanum,* Hominem Ieſum Chriſtum in loco aliquo Cœli eſſe, propter veri corporis modum.

Similiter etiam in dubium vocatur Articulus Fidei de Seſſione ad Dexteram Patris. In Formula Concordiæ, omnia loca Scripturæ de Dextera & Manu Dei, ad confirmandam talem Seſſionem ad Dexteram Patris N.N. Ieſu Ch., qualem Vbiquiſta fingunt, indifferenter corraduntur. Ea verò ab Auguſtino Tomo 4. in lib. de Eſſentia Divinitatis, orthodoxè his verbis diſtinguuntur: Dextera, *inquit,* Dei Patris, id eſt, unigenitus

Auguſtinus de Dextera Dei.

1. Filius eius accipitur: de quo Pſalm. 118. ex Perſona hominis aſſumti, Dextera, inquit, Domini fecit virtutem. Dextera Domini exaltavit.

2. Aliter autem Dextera Dei gloriam Patris ſignificat, id eſt, æternam beatitudinem, de qua Pſal. 110. ex Perſona Patris ad Filium: Sede à dextris meis, &c. Dicitur autem & Dex-

3. tera Dei, omnis electa creatura in cœlo & in terra, ſicut per ſiniſtram ejus intelligitur reproba creatura, id eſt, dæmones & omnes impii, qui ad lævam poſiti: æterna ſupplicia

Auguſtinus de Manu Dei.

1. ſuſtinebunt. Manus Dei Patris Filius accipitur pro eo, quod ipſum facta ſunt omnia, ſicut eſt illud in Iſaia Propheta: Omnia hæc manus tua fecit, & ſancta ſunt omnia. Aliter 2.
verò Manus ejus poteſtas ejus intelligitur, de qua poteſtate in libro Ieremiæ 18. cap. ſcriptum eſt: Sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea, domus Iſrael. Manus Domini 3.
flagellum ejus accipitur, de cujus percuſſione in Sophonia Propheta ſcriptum eſt: Et extendam manum. De qua percuſſione B. Iob ait de ſemetipſo, Manus Domini tetigit me. *Hæc diſtinctio ſi conferatur cum Doctrina Formulæ Concordiæ, de Dextera Dei magna diſcrepantiâ reperitur.*

Adhæc in dicta Formula duplex Seſſio ad dexteram Dei ſtatuitur. Nam fol. 217. affirmativâ decimâ docetur, Hominis filium ad dexteram omnipotentis Majeſtatis & potentiæ Dei realiter exaltatum eſſe, quòd in Deum aſſumptus ſit, quum è Spiritu ſancto in utero matris conceptus, & Humana ejus Natura cum Filio altiſſimi perſonaliter unita eſt. *Cùm itaque humanitas Chriſti in utero materno in ipſo conceptione & ſtatu exinanitionis ad Dexteram omnipotentis virtutis Dei exaltata ſit: nos autem in Symbolo noſtro confiteamur, hanc exaltationem ad dexteram Dei in viſibili demùm ejus Aſcenſione factam eſſe: Sequitur duplicem Aſcenſionem ſtatui, ideoque articulum quoque hunc prorſus everti. Et quidem eò magis, quòd eodem fol. in Formula Concordiæ docetur,* Chriſtum formam ſervi depoſuiſſe. *Quemadmodum autem per formam Dei, Divinitas, ita per formam ſervi, humanitas intelligenda eſt, ſicut etiam* Auguſtinus *in Evang. Iohan. tract. 3. cap. 7. intellexit; &* Vigilius *lib. 1. contra Eutychen. Hæc autem depoſitio pugnat cum dicto* Damaſceni: Quod ſemel aſſumpſit, nunquam depoſuit: *& cum Theodoreto Dial. 2.* Priorem retinet formam, ſpeciem, circumſcriptionem, eſſentiam, etiamſi per reſurrectionem immortale factum eſt, & ad Dexteram Dei collocatum.

Poſtremò, quod ad Articulum de reditu Chriſti ad noviſſimum iudicium attinet, ſi Chriſtus & Chriſti Corpus ſecundum primum eſſendi modum, non eſt in Deo; neque apud Patrem, neque in Cœlo, ut in Formula Concordiæ docetur: ſecundum alterum & tertium verò modum ubique eſt; *unde ipſum expectabimus? aut unde venturus eſt ad iudicium? Cùm tamen* Auguſtinus *apertiſſimè dicat:* Nec aliunde quàm inde *(à Dextera Dei)* venturus eſt, Angelicâ illâ voce teſtante. *Atque hæc de doctrina Formulæ Concordiæ de Perſona Chriſti, ob quam optimus Princeps ei ſubſcribere noluit.*

Form. Concordiæ multa erronea habet de Cœna D.

Quod verò ad Articulum de Cœna Domini attinet, docet Marchio Badenſis, 1. apud Evangeliſtas & Apoſtolum Paulum, unicum tantum fundamentum exſtare præſentiæ Chriſti in Cœ-

in Cœna:in Formula verò Concordiæ quatuor diverſa & ſibi invicem contraria inventri pag. 243.302.314.

Fundamenta 4. ſibi contraria præſentiæ ponit Formula.

Primum *eorum fundamentum præſentiæ veri & realis Corporis Chriſti in pane & vino, eſt* Vnio perſonalis. *Quum enim Chriſtus ſit verus, naturalis & perfectus Deus & Homo, in inſeparabili Perſonæ unitate: neceſſariò ſequi, Corpus etiam Chriſti verum realiter & corporali præſentiâ in pane Cœnæ eſſe; ſicut etiam in omnibus aliis creaturis. Hæc enim eſt illorum Maxima, & Ratio Conſequentiæ huius,* Quòd nullibi ſit, vel eſſe poſſit Divinitas, ubi non etiam ſimul realiter adſit, ſive coexiſtat aſſumpta Humanitas. *Alioquin ſi ullus locus dari & oſtendi poſſet, ubi eſſet Divinitas Chriſti, & non ſimul etiam coexiſtens adeſſet Humanitas, iam diſſoluta foret Perſonæ veritas. Non poſſe autem verè ex unione perſonali ad Vbiquitatem argumentari, ſuprà demonſtratum eſt.*

Secundum *fundamentum eſt* Dextera Dei. *Si enim hæc verba,* Hoc eſt corpus meum, *à Chriſto non pronuntiata eſſent, probant tamen, inquit Lutherus, hæc verba,* Chriſtus ſedet ad Dexteram Dei, *quòd corpus eius ſit in pane, ſicut in reliquis omnibus creaturis. Hoc autem fundamentum, præſentiam veri Corporis in Cœna, potius tollit, quàm ſtatuit.*

Nam Dextera Dei eſt extra omnem loci & temporis conditionem.

Caro Chriſti eſt collocata ad Dexteram Dei.

Ergo, Caro Chriſti eſt extra omnem loci & temporis conditionem.

Et quamvis peccetur in hoc Syllogiſmo, quantum ad materiam & formam attinet, doctrina tamen eſt hujus ſecundi fundamenti.

Quicquid autem eſt extra omnem temporis & loci conditionem, ubique & æternum eſt.

Caro Chriſti eſt extra omnem temporis & loci conditionem.

Ergo, Caro Chriſti eſt ubique & æterna: Et per conſequens non etiam verum Corpus.

Nam perfectus homo conſtat eſſentiali animâ rationali, & eſſentiali carne Humanâ in tempore creatâ.

Atqui Humana Natura ubique præſens ac æterna, non conſtat eſſentiali animâ rationali, neque eſſentiali Humanâ carne, in tempore creatâ.

Ergo Humana Natura ubique præſens & æterna non eſt perfectus homo.

Tertium *Concordiſtarum fundamentum eſt,* Quòd Verbum Dei verum ſit. *Nemo vero ex noſtris hoc unquam negavit: ſed tantum de vero & genuino ſenſu verborum Chriſti controvertitur: & an hæc tantum verba,* Hoc eſt corpus meum, *vel cohærentia totius textûs, ad veritatis cognitionem expendenda ſit.*

Quartum *fundamentum præſentiæ veri Corporis Chriſti in Cœna,* tres ſunt modi eſſendi, *quos uni Corpori adſcribunt, quibus tamē præſētia hæc magis evertitur, quàm ſtabilitur. Nam ſi ſecundum primum modum Corpus Chriſti, non eſt in Deo, nec apud patrem, neque in Cœlo: ergo non eſt etiam in pane Cœnæ.*

Multò minus ſecundo modo probari poteſt, in quo ejuſmodi ſpirituales proprietates Corpori Chriſti attribuunt, quæ verum Corpus nequaquam admittunt. Verba Inſtitutionis autem non de tali ſpirituali, ſed de vero ſonant Corpore. Nam.

Quod eſt pro nobis in mortem traditum, & pro nobis in cruce effuſum, illud eſt in ſacramento Cœnæ manducandum & bibendum.

Atqui viſibile & tactile tantum Corpus & Sanguis ſunt in mortem pro nobis tradita & effuſa.

Ergo viſibile & tactile tantum Corpus & Sanguis, ſunt in Cœna edenda & bibenda,

Ad quid igitur inviſibile & intactile Corpus fingitur? Aſſumptio probatur. Nam.

Si non viſibile & tactile Corpus & Sanguis eſſent pro nobis in mortem tradita & effuſa, tunc præhendi, cruci affigi, occidi & ſepeliri non potuiſſent,

Atqui Corpus Chriſti eſt præhenſum, cruci affixum, occiſum & ſepultum.

Ergo viſibile & tactile tantum Corpus & Sanguis ſunt pro nobis in mortem tradita & effuſa,

Tertius modus eſſendi prorſus veritatem Corporis Chriſti tollit, ut ſupra oſtenſum eſt.

Non ergo Corpus Chriſti in Cœna corporaliter comedunt. Nam,

Qui tollunt & negant Corpus Chriſti, ii non poſſunt illud in pane manducare:

Atqui Formula Concordiæ planè tollit & negat Corpus Chriſti.

Ergo ſecundum hanc Formulam non poteſt Corpus Chriſti in pane manducari. *Aſſumtio probatur*

In quo tolluntur omnes proprietates, in eo eſſentia ipſa tollitur.

Atqui in carne Chriſti inviſibiliter ſub pane latente, tolluntur omnes proprietates.

Ergo in carne Chriſti inviſibiliter ſub pane latente, eſſentia ipſa tollitur.

Propoſitio negari non poteſt: Nam ſublato proprio, tollitur ſubiectum proprio. Aſſumptio nulla probatione indiget. Nam ubiq; & inviſibile eſſe, ſunt abſq; ulla contradictione non proprietates Corporis Chriſti, ut ex Tertulliani *libro de Trinit. & Ambroſii de Spiritu ſancto patet.*

2. Mar-

Formula Concordiæ de Cœna D. contraria & ſecum pugnantia docet.

2. *Marchio Badenſis in Articulo de Cœna Domini docet Formulam Concordiæ de Conſecratione prorſus contraria & ſecum pugnantia docere. Folio* 301. *defendit prolixè ex Lutheri ſcriptis polemicis*, vi verborum Chriſti, quæ in prima Cœna loquutus ſit, Corpus Chriſti in pane, & Sanguinem in vino præſentem eſſe,& diſtribui. *Contra verò docet etiam*, Corpus Chriſti etiam ante Conſecrationem in pane eſſe, ſicut in omnibus aliis creaturis. Omnia enim plena eſſe Chriſti ſecundum humanitatem quoque. *Item*, Etiamſi verba hæc non recitarentur in celebratione Cœnæ,corpus tamen Chriſti in Cœna fore, propter Seſſionem ad Dexteram Dei.

Formula Concordiæ Transſubſtantiationem docet.

3 *Docet Marchio Transſubſtantiationem in Formula Concordiæ approbari. Nam primò, fol.* 294. *aſſeritur, in Auguſtana Confeſſione doceri*, Verum corpus & ſanguinem Chriſti, verè ſub ſpeciebus panis & vini,in Cœna eſſe præſentia, & in ea diſtribui & ſumi. *Quibus verbis Tranſſubſtantiatio Papiſtica apertiſſimè aſſeritur. Eadem etiam approbatur in Lutheri ſcriptis, quæ in Concordiæ Formula partim citantur, partim canonizantur. Nam Tom.* 2. *Vvittenb. fol.* 223. *hæc exſtant Lutheri verba.* Sic docent Papiſtæ, imò non Papiſtæ, ſed tota Chriſti Eccleſia, & nos cum ipſis, quòd Chriſti corpus non ſit localiter in Sacramento,ut fœnum in ſacco, ſed definitivè. *Quid autem per definitivum modum Lutherus intelligat, ipſe explicat eodem Tomo fol.* 159. *Approbatur etiam Tranſſubſtantiatio à Luthero* 2. *Tomo Vuiteb. fol.* 185. *Tom.* 7. *Vviteb. fol.* 18. *& Tom.* 12. *fol.* 265.

Verba Inſtitutionis modò retinet Formula modò non.

4 *Docet Marchio Badenſis, Concordiæ Formulæ authores ſcribere fol.* 243. *Negat* 2. Credimus,docemus & fatemur, quòd verba Chriſti non aliter,quàm ſecundum literam, & ut ſonant, intelligenda ſint. *Contrarium autem eos docere fol.* 294. *ubi approbant verba Auguſtanæ Confeſſionis*, Sub ſpeciebus panis & vini. *Fol.* 295. *verba Chriſti*, Hoc eſt Corpus meum, *interpretantur, per* In & Sub pane: *fol.* 297. *per* In, Cum & Sub pane.

Antilogiæ Formulæ Concordiæ.

5 *Recitat Marchio, Antilogias aliquas Formulæ Concor. de Perſona Chriſti & Cœna Dom.*

In ſequente quarta cauſa recuſatæ ſubſcriptionis reſpondet etiam Marchio Badenſis ad teſtimonia Patrum, quæ Bergenſes in Appendice Formulæ Concordiæ pro Vbiquitate carnis Chriſti citârunt.

Quarta cauſa recuſatæ ſubſcriptionis, Patrum teſtimonia ut in Appendice Formulæ citantur.

QVARTA *cauſa recuſatæ ſubſcriptionis, Teſtimonia Patrum ſunt, quæ in* Appendice *Formulæ recitant, ad Vbiquitatem corporis Chriſti probandam: ſed ita recitant, ut vel ſtatum cauſæ pervertant, vel in alieno ſenſu citent, vel ex multis paginis unam ſententiam conſuant, vel diſſolutas compilationes inſtituant, vel quæ diſtinguenda erant confundant, vel quæ Patres conjungunt, ipſi diſcerpant, vel præcipuum κρινόμενον, de quo vel controverſia propriè eſt, vel controverſiam omnium optimè declarat, omittant, vel ſuas phantaſias intexant & intermiſceant, vel denique ſuis falſis gloſſis, ſuppoſititiis additionibus & fraudulentis corruptionibus adulterent & corrumpant. Illuſtriſſimus igitur Princeps Badenſis in hac quarta cauſa recuſatæ ſubſcriptionis*, primò *ponit verba Appendicis Concordiæ*: ſecundò *ipſiſſima verba Patrum*: tertiò *ad oculum Lectori demonſtrat, hæc, quæ modò diximus, veriſſima eſſe. Et quia utile eſt noſſe, quâ fraude Vbiquitarij in citandis Patrum teſtimoniis etiam in hac controverſia, utantur, non gravabor in gratiam Lectoris, Germanicæ præſertim linguæ imperiti, hoc Caput Marchionis breviter percurrere.*

CAPVT I. teſtimoniorum Patrum.

Diſtinguunt autem authores Formulæ Concordiæ Patrum teſtimonia in aliquot Articulos. In Primo citant ea, quibus probare conantur, Patres, quando loquantur de Maieſtate (hoc eſt, Vbiquitate) Ch., quam Humana Natura Ch. per Vnionem Perſonalem acceperit, verbis Communicationis, Communionis, Participationis, Donationis, Traditionis, Subiectionis, Exaltationis, *&c. uſos eſſe. In hoc genere primò citant Euſebium, qui lib.* 4. *Demonſtrationis Evangelicæ Capit.* 13. *pagina* 435. *ſic ſcribat*: Logos ex ſe ipſo quidem communicabat aſſumpto homini: Divinam enim potentiam ſubminiſtravit mortali: non autem viciſſim ex mortali aliquid in ſe recipiens. *Verus autem Euſebius ſic ſcribit lib.* 4. *cap.* 13. *pag.* 103. Sed illa quidem à ſe ipſo communicans homini, hæc verò à mortali ipſe non accipiens, *Item*, Mortali quidem vim divinam ſuppeditans, à mortali verò ipſe non contra in partem, aut communitatem adductus. *Primò diverſitatem Lector facilè intelligit. Deinde, hic locus Euſebij ad hoc primum caput non pertinet. Euſebius enim in hoc toto* 13. *Cap. nihil aliud agit, quàm quòd docet, Divinitatem, propter aſſumptam humanitatem, licèt in ea pro nobis paſſus ſit, non tamen lædi potuiſſe, ſic, ut Divinitas, ſicut humanitas etiam paſſa ſit, idque probat multis exemplis & ſimilitudinibus. Contrà verò docet, Divinitatem potius Humanitati aſſumtæ divinam virtutem communicaſſe. Quæ autem illa virtus ſit in fine Capitis indicat, nempe*, quum primùm Verbi mortuum Corpus vel parùm divinam virtutem ſenſerit, continuò expergefactum & vivum factum eſſe, mortem vitæ ceſſiſſe, *&c. Ex quibus intelligitur, Euſebium contra infideles*

Appendix Formulæ Concordiæ.

Euſebius verus

Iudicium Marchionis.

probare voluiſſe, Filium Dei, illæsâ Divinitate, mortale noſtrum Corpus aſſūpſiſſe, eiq́; hanc virtutem communicaſſe, ut potuerit à morte reſurgere. Imò in hoc Capite Vbiquitatem Euſebius refutat. Dicit enim, Etſi Divinitas humanitatem aſſumſerit, ab ea tamen non impeditam fuiſſe, quo minus ubique eſſe potuerit.

Appendix. Euſebius.

Ibidem cap. 14. λόγος aſſumtum illum hominem dignum reddidit communione in Deitate, vitâ æternâ & beatitudine. *Verus autem Euſebius ſic ſcribit:* Hunc ipſum interim ad illius vitæ æternæ, quam penes ſe habet, atque ad dignitatis in Divinitate, ac beatitudine communitatem aſſumens. *Locus hic loquitur de Perſonali unione utriusque Naturæ in Chriſto, & dicit, Humanam Naturam æternam vitam & ſummam beatitudinem in unione Perſonali accepiſſe: & quòd humanitas digna facta ſit Deitatis. Hæc verò communio Deitatis nihil aliud eſt, quàm qua humanitas in unitatem Perſonæ à Deitate aſſumpta eſt. Alioquin, ſi hoc ita intelligendum eſſet, ut authores Formulæ volunt, neceſſariò ſequeretur, Divinitatem ſuis proprietatibus ſpoliari, & humanitatem in Divinitatem converti. Hanc autem ſententiam Euſebij non eſſe, verba ejus, quæ in fine huius cap. exſtant, ſatis declarant, ubi dicitur,* hanc gloriam, quam Chriſtum ſecundum humanitatem acceperit, ſignum eſſe noſtræ futuræ gloriæ & immortalitatis, quam in noviſſimo die adipiſcemur. *Hoc utique non de divinis proprietatibus, ſed de iis tantum intelligi debet, quibus corpora noſtra in noviſſimo die ornabuntur: aliquin & nos omnium Deitatis proprietatum participes & Deo ſimiles fieremus.*

Iudicium Marchionis.

Appendix.

Athanaſius *in Epiſtola ad Epictetum:* Non enim, *inquit*, Verbum caro factum eſt, ut Deitati aliqua acceſſio fieret, neque ut Verbum in meliorem ſtatum reducetur: Magis verò ipſi Humanæ Naturæ acceſſio magna facta eſt, ex communione & unione Verbi ad Humanam Naturam.

Athanaſius verus.

Athanaſius ad Epictetum, Cur igitur exiſtimant, Corpus per Verbum liberatum & vivificatum, Verbo ad Deitatem incrementum aliquod addere? Cùm potius homini ingens auctarium ex Verbi cum ipſo communione & coadunatione acceſſerit: ſiquidem ex mortali factum eſt immortale: & cùm animale eſſet ſpirituale redditum eſt: & cum è terra proſatum eſſet, cœlorum portas tranſcendit.

Iudicium Marchionis.

Humanæ Naturæ Chriſti propter unionem perſonalem cum Verbo, magnam acceſſionem factam, vel eam in meliorem ſtatum reductam, nemo negaverit: Divinas autem proprietates in humanitatem infuſas vel transfuſas, ut Concordiſtæ volunt, hoc nemo ipſis concеſſerit, neque etiam ex verbis Athanaſii probari poterit. Nam ſe ipſum in his verbis diſertè declarat, videlicet, quid per meliorem ſtatum intelligi velit, in quem humanitas Chriſti adducta ſit: nempe, quòd Humana Natura iam immortalis, ſpiritualis & in cœlo ſit, quum antea, dum in terris adhuc ageret, mortalis fuerit.

Appendix.

Epiphanius contra Ariomanitas, Caro, *inquit*, quæ ex Maria & ex noſtro genere erat, transformabatur in gloriam (*in transfiguratione*) inſuper acquirens gloriam Deitatis, honorem, perfectionem, & gloriam cœleſtem, quam caro ab initio non habebat, ſed ibi eam in coanitione ſcilicet Dei Verbi accepit.

Epiphanius: Explicatio transfigurationis Chriſti Marc. 17.

Epiphanius contra Arium, pag. 362. Aſſumto enim Petro & Ioanno, & Iacobo eduxit eos ad montem, & transformatus eſt, & fulgebat facies eius inſtar Solis, facies in carne ſimul exiſtens in Deitate, & veſtimenta eius erant alba velut nix, Caro videlicet quæ ex Maria & noſtro genere erat, & transformabatur in gloriam, honorem & perfectionem Deitatis acquirens, & gloriam cœleſtem, quam non habebat Caro ab initio, verùm hic in cognitione Dei verbi accepit.

Marchionis conjura.

Hoc loco Epiphanius contra Arianos divinitatem Chriſti aſſerere vult, & probare, quòd ejusdem eſſentiæ cum Patre ſit, hoc quidem Syllogiſmo:

Qui poteſtatem habet vivificandi, verus & eſſentialis Deus eſt cum Deo Patre.

Chriſtus hanc habet poteſtatem.

Ergo.

Aſſumptionem probat Epiphanius; Primò teſtimoniis ſacræ Scripturæ: Secundò, exemplis, & inter alia etiam transfiguratione corporis Chriſti in monte Thabor. Et dicit, Chriſtum ſeipſum, quoniam cum Deitate in unam Perſonam unitus ſit, transfiguràſſe, & vi perſonalis huius unionis ipſum hæc dona accepiſſe, quæ humana ejus natura à ſe ipſa non habuerit. *Ex quo liquidiſſimè apparet, hunc locum pſeudo maieſtati, quâ Humana Natura Divinas proprietates accepiſſe dicitur, potius adverſari, quàm patrocinari. Diſertè enim dicitur*, etiamſi facies Chriſti inſtar Solis fulſerit, & totum corpus transformatum ſit, veram tamen faciem & Corpus manſiſſe. *In noviſſimo quoque die omnes fideles ſimiles fient clarificato Corpori Ch., nec tamen divinas proprietates accipient, vel ubique erunt. Et in hanc ſententiam explicatur à D. Hieronymo in Matthaum hæc transfiguratio Ch., ſic enim inquit:* Quod autem dicit: transfiguratus eſt ante eos; nemo putet, priſtinam eum formam & faciem eum perdidiſſe, vel amiſiſſe corporis veritatem, vel aſſumſiſſe Corpus ſpirituale vel aereum:

Sed

Sed quomodo transformatus ſit, Evangeliſta demonſtrat, dicens: & reſplenduit facies ſicut Sol. Vbi ſplendor faciei oſtenditur, & candor deſcribitur veſtium, non ſubſtantia tollitur, ſed gloria commutatur. Reſplenduit facies ejus ſicut Sol. Certè transformatus eſt Dominus in eam gloriam, quâ venturus eſt poſtea in regno ſuo: Transformatio ſplendorem addit, faciem non ſubtraxit, *&c. Ex his apparet, transformationem hanc non fuiſſe deificationem humanitatis, vel Vbiquitatem: vel infuſionem divinarum proprietatum, nam talis transformatio verè fuiſſet deſtructio humanitatis, ſed commutationem humanitatis in viſibilem gloriam corporis ſui, in quo nunc vivit in cœlis, & venturus eſt ad judicium.*

5. *Appendix. Explicatio loci Ioh. 6. Marchionis cenſura.* *Cyrillus Libro 5. Dialog. inquit.* Quomodo ergo vivificat caro Chriſti? Et reſpondet, Secundùm unionem cum vivente Verbo, quod & ſuæ naturæ bona proprio corpori communia ſolet facere.

Locus hic, quem ex Cyrilli *libro 5. Dialog. citat Appendix, ibi non exſtat. Sed ubicunque exſtet,* Cyrilli *ſententia de vivificante carne Chriſti reperitur Libro ejus 4. in 23. cap. Iohan. ubi ſic inquit:* Caro Chriſti vivificat, ut eſt videre Ioha. 6. capite vivificat. Quare? Id Chriſtus dicto loco docet, ubi ait, Quia pro mundi vita data ſit. *Vnde autem habet caro hæc virtutem hanc, quòd mundo vitam dare poteſt? Ad hoc reſpondet* Cyrillus *dicto loco, inquiens:* Quoniam cum vivificante Verbo caro conjuncta eſt, tota eſt effecta vivifica: nempe, unione & merito. *Quòd autem divina virtus vel proprietas vivificandi in carnem ſit transfuſa, pugnat cum ſcopo* Cyrilli *Dialogo 5. In eo enim ex Deitatis proprietatibus probat, inprimis autem circa medium Dialogi, ex vivificante virtute, quòd Filius cum Patre eſſentialis ſit Deus: Quod argumentum transfuſionem divinarum proprietatum in carnem funditus evertit. Ad hæc* Cyrillus *ſequente 6. Dialogo dicit, etiamſi vivificatio; ſeu vivificandi potentia, de carne quoque intelligi poſſit, ſupra dicto modo, propriè tamen nullam rem vel creaturam vivificare poſſe, niſi ſolam Divinitatis naturam.*

6. *Appendix ex Theodoreto.* Theodoretus *Epheſ. 1. Tom. 2. pag. 114.* Quòd verò aſſumpta ex nobis Natura ejuſdem honoris cum eo, qui aſſumpſit, ſit particeps, ut nulla videatur adorationis differentia, ſed per Naturam, quæ cernitur, adoretur quæ non cernitur Divinitas: Hoc verò miraculum omne ſuperat.

Marchionis cenſura. *Totus Chriſtus, Deus & homo, in unitate Perſonæ adorari debet. Cauſa vero adorationis hujus propriè eſt ſola Divinitas. Tantum abeſt autem, ut* Theodoretus *Vbiquiſtarum errorem de transfuſione divinarum proprietatum in carnem approbet, ut nullus ferè ex choro veterum Patrum cum validius oppugnarit, ut ex tribus ejus Dialogis apparet.*

Damaſcenus *lib. 3. Orthodoxæ fidei cap. 7. & 15. pag. 194.* Divina Natura proprias ſuas excellentias ſeu glorificationes carni communicat ſeu impertit: Ipſa verò in ſe paſſionum carnis manet expers. *Appendix.*

Damaſcenus *lib. 3. cap. 7. in fine:* Divinitas quidem proprias glorificationes carni tradit: Ipſa verò manet impaſſibilis & immunis affectionum carnis. Nam ſi Sol nobis proprias actiones tradens noſtrarum manet expers: quanto magis Solis conditor & Dominus. *Damaſcenus.*

Idem Cap. 15. pag. 117. Igitur proprias glorificationes Divinitas corpori transfundebat: ac ipſa permanebat paſſionum carnis immunis. Non enim quemadmodum per carnem Divinitas Verbi operabatur: hunc etiam in modum per Divinitatem ejus caro patiebatur. Nam caro Divinitatis organum erat.

Primò Damaſcenus *Cap. 7. nihil aliud tractat, quàm quòd probat, in Mediatore Chriſto Divinitatem & Humanitatem unam Perſonam efficere: & in fine ejuſdem Capit. inquit, licèt divinitas Chriſti ſuæ perfectionis participem fecerit humanitatem, in eo, quod templum & habitatio divinitatis, in perſonali unione, facta ſit, miraculorum etiam quæ Divinitas in illa & per illam operata ſit, coadjutrix, & coadunitum inſtrumentum fuerit, non tamen obnoxiam factam ejus paſſionibus humanitatis: quod Solis exemplo illuſtrat. Sol ſubjectis corporibus ſuam impertit claritatem, vivificamque virtutem: non tamen corporum à ſe illuſtratorum ſordes, colluviem aut putredinem ſuſcipit. Contra Vbiquiſticam autem transfuſionem divinarum proprietatum in carnem fortiſſime facit, quod* Damaſcenus *paulò ante hæc verba dicit,* Chriſtus totus eſt Deus perfectus, ſed non totum Deus. *Si verò Humanitas realiter haberet divinas proprietates, etiam in unione, Deus certè eſſet, quod etiam nonnulli ex iis defenderunt, & execrantur hanc* Damaſceni & Lombardi *diſtinctionem quidam illorum etiamnum hodiè.* *Marchionis cenſura.*

Similiter Damaſcenus *Capit. 15. ubi agit de duabus Chriſti diſtinctis & diverſis actionibus, divinis videlicet & Humanis, inquit,* licèt unaquæque Natura ſuam peculiarem & propriam actionem habeat, unamquamque tamen cum altera communiter operari, quòd ſint perſonaliter unitæ. *Exempli gratiâ: Chriſtus (ſub qua voce tota Perſona intelligitur) vivificat Lazarum juxta Divinitatem, & lachrymatur ſecundum humanitatem.* Attamen, *ait Damaſcenus,* utrunque communiter utrique convenit naturæ, ob identitatem hypoſtaſeos, *Paulò pòſt verò addit hæc verba:* Etſi inde ab extrema conceptione nullum

omninò locum diviſio invenit in utraque forma: ſed utriuſq;formæ actiones quovis tempore editæ, unius perſonæ fuerunt: nos tamen ea, quæ inſeparabiliter fiebant, nullo modo confundimus, ſed quid cujuſque formæ fuerit, ex operum qualitate agnoſcimus. *His verbis ſolide probatur, hunc locum pro Vbiquiſtis nequaquam facere,neque cauſæ eorum inſervire, nempe, quòd Divinitas omnes ſuas proprietates humanitati ſic communes fecerit, ut per hoc talem majeſtatem acceperit, ut etiam cum Divinitate ubique eſſe poſſit. Cùm tamen* Damaſcenus *apertiſſimè dicat,etiam utriuſque Naturæ actiones quovis tempore editæ, unius Perſonæ fuerint: nullo tamen modo ea, quæ inſeparabiliter fiebant confundenda, ſed quid cuiuſque Naturæ fuerit ex operum qualitate agnoſcendum eſſe.*

Denique, Damaſcenum, *de nulla transfuſione divinarum proprietatum in carnem, ſed tantum de communione naturarum, proprietatum & operationum, propter unionem perſonalem, loqui, ſequentia verba, quæ eodem cap.* 15. *exſtant, ſatis declarant:* Ex divinitate igitur gloria naturaliter proficiſcitur utriuſque naturæ communis, propter Perſonæ factam identitatem. Ex carne verò procedunt humilia utrique Naturę communia. Unus enim idemque eſt, qui & hoc & illud eſt, nempe, Deus & homo.

8. Appendix. *Idem* Damaſcenus *cap.* 19. *pag.* 256. Caro operanti Deitati Verbi communicat, ideò quòd divinæ operationes per organum corporis perficiebantur: ita ſancta eius mens etiam naturales ſuas operationes operatur. Communicat autem & Deitati Verbi operationes operatur. Communicat autem & Deitati Verbi operanti ac gubernanti, ipſa etiam intelligens, cognoſcens, & diſponens totum univerſum; non ut nuda hominis mens, ſed ut Deo ſecundum hypoſtaſin counita & Dei mens conſtituta.

Damaſcenus. *Idem* Damaſcenus *lib.* 3. *cap.* 19. Communicat igitur Divina Natura carni agenti, ideò,quia beneplacito divinæ voluntatis permittebatur pati & agere quæ propria erant: Et quia actio carnis prorſus erat ſalutifera: quod non eſt Humanæ actionis ſed divinæ. Caro autem Verbi Divinitati agenti (communicat) tum quia per corpus non ſecus ac per inſtrumentum quoddam divinas actiones efficiebat: tum quia unus idemque erat, qui ſimul & divino & humano modo operabatur. Neque enim illud ignorandum eſt, ipſius mentem naturales etiam ſuas actiones exſequi: quoniam intelligit & perſpectum habet, ſe Dei mentem eſſe & ab omnibus creaturis adorari: & recordatur converſionum & paſſionum ſuarum in terris. Communicat autè Divinitati Verbi operanti,adminiſtranti & gubernanti univerſa cogitans & cognoſcens & adminiſtrans, non ut nuda hominis mens,ſed ut Deo perſonaliter unita, Deique mens conſtituta.

Hunc locum authores Formulæ Concordiæ non integrum,ſed hinc inde ex toto 19. *cap.corraſerunt, mutilarunt & perverterunt, ſibique ipſis perſuaſerunt, verbo* Communicat, *Majeſtatem ſuam,cujus virtute Corpus Chriſti ubique ſit,ſatis ſuperque confirmatam jam eſſe. Omittunt autem quod præcedit, & quod verum ac genuinum ſenſum hujus loci indicat:nempe* Divina natura communicat carni agenti. *Quemadmodum autem communicatio hæc non eſt transfuſio humanarum proprietatum in Divinitatem, ſic etiam ſequenti membro hæc communicatio non eſt transfuſio divinarum proprietatum in carnem. Hanc autem transfuſionem* Damaſceno *ne in mentem quidem unquam veniſſe, ſed contrarium potius eum probare voluiſſe, quivis ex toto hoc* 19. *cap. præſertim vero ex his eius verbis facile intelligere poteſt:* Quemadmodum naturarum unionem & naturalem differentiam ſcimus: ita & naturalem voluntatum & actionum. *Damaſcenus igitur hoc loco, ſicut & in toto* 19. *cap.nihil aliud docere vult, quam etſi unaquæque Natura in Chriſto, Divina & Humana,ſuas peculiares & proprias actiones habeat, totum tamen Chriſtum ſecundum utranque naturam operari,& utranque naturam operari in Chriſto, unam cum altera,idque propter unionem perſonalem.* — *Marchionis cenſura.*

In SECVNDO *Cap. Appendicis, Concordiſtæ ea citant Patrum teſtimonia, quibus probare conantur,*Chriſtum hanc Maieſtatem, in tempore, non iuxta Divinitatem, vel Divinam naturam, ſed juxta aſſumtam Humanam Naturam, ſeu, *ut ipſi loquuntur,* humanitus, ratione corporis, ſeu humanitatis, propter carnem, quia homo aut filius hominis ſit accepiſſe. — *CAP II. teſtimoniorum Patrum*

Notandum autem,in hoc toto cap.quæſtionem eſſe, An Majeſtas, quæ Corpori Chriſti in tempore data eſt, ſit Vbiquitas carnis,& realis transfuſio omnium eſſentialium divinitatis proprietatum in carnem, *quod Vbiquiſtæ docent, non autem quæ proferunt Patrum teſtimonia. Obſervandum quoque ut verba* Dandi, Communicandi,*&c.Patres uſurpens. Sæpè his verbis intelligunt,*ipſam naturarum unionem. *Nonnunquam* perfectam donationem & exaltationem aſſumtæ humanitatis, quam à Deitate habet. *Neutrum autem pro Vbiquiſtis facit.* — *Marchionis de toto hoc cap. iudicium*

1. Appendix. Athanaſius *apud* Theodoretum *Dial.* 2. *pag.*330. Quęcunq; Scriptura dicit Chriſtum in tempore accepiſſe, propter humanitatem dicit, non propter divinitatem.

Athana-

Athanaſius *de ſuſcepta Natura Humana contra Apollinarium apud* Theodoretum *Dialog.2. Cap.29.* Quando dicit *(Ioh.7.)* Nondum erat Spiritus Sanctus: quia Ieſus nondum erat glorificatus: dicit carnem eius nondum fuiſſe glorificatam. Non enim Dominus gloriæ glorificatur, ſed caro Domini gloriæ ipſa gloriam accipit, aſcendens cum ipſo in Cœlum. Unde dicit: Et Spiritus adoptionis nondum erat in hominibus: Quoties enim dicit Scriptura, filium accepiſſe, & eſſe glorificatum, dicit propter eius humanitatem, non propter divinitatem.

Marchionit. cenſura. *Primò, verbum* In tempore, *neque apud* Athanaſium, *neque* Theodoretum *exſtat, ſed Concordiſtæ id de ſuo addiderunt. Deinde nullus dubitat de hoc, quicquid Chriſto datum eſt in tempore, id ei juxta humanitatem natum eſſe. Sed quæſtio eſt*, An Chriſti carni data ſit Ubiquitas? *&* an Athanaſius vel Theodoretus id hic docere velint? *Tertiò, Athanaſii locus Vbiquitatem, & realem Communicationem Idiomatum, quam Vbiquiſtæ ab ipſo conceptionis momento humanitati adſcribunt, penitùs evertit ac deſtruit. Teſtatur enim ex ore Chriſti Ioh.7. Carnem Chriſti in Aſcenſione demùm gloriam accepiſſe, non prius. Hæc igitur gloria non poteſt intelligi de transfuſione divinarum proprietatum, & Vbiquitatis in humanitatem, quam iſti differentiam ſpecificam unionis hypoſtaticæ eſſe fingunt, quamque homo Chriſtus in utero matris habere cœperit. Denique* Theodoretus *contra Eutychianos hoc* Athanaſij *loco probat*, Chriſtum in perſonali quoque unione veram carnem habere, & verum hominem eſſe. *Nam accipere aliquid, clarificari, &c. quæ Scriptura de Chriſto loquitur, non debere vel poſſe de eo juxta divinitatem; ſed tantum juxta humanitatem intelligi. Hoc ipſo verò in contrarium Concordiæ authores probare volunt, carnem Chriſti divinas proprietates accepiſſe, quod veritatem carnis Chriſti prorſus tollit ac deſtruit. Concordiſtæ igitur hoc loco abutuntur, eumque malitioſè depravant.*

2. *Appendix.* Athanaſius *Orat. contra Arianos 2. & 4.* Scriptura non intelligit ſubſtantiam Verbi exaltatam, ſed ad Humanitatem eius hoc ſpectat, & propter Carnem exaltari dicitur. Cùm enim ipſius ſit corpus, meritò ipſe ut homo, ratione corporis, humanitus exaltari & accipere memoratur, eò quòd corpus illa recipiat, quæ Verbum ſemper poſſidebat, ſecundum ſuam ex Patre Deitatem & perfectionem. Dicit igitur ſe poteſtatem accepiſſe ut hominem, quam ſemper habet ut Deus: Dicitque (glorifica me) qui alios glorificat, ut oſtendat carnem ſe habere iſtarum rerum indigam. Ac proinde carne ſuæ humanitatis, hanc glorificationem accipiente, ita loquitur, quaſi ipſe eam accepiſſet. Illud enim ubique animadvertendum, nihil eorum quæ dicit ſe accepiſſe in tempore ſcilicet, ita ſe accepiſſe, quaſi non habuiſſet: habebat enim illa, utpote ſemper ut Deus & Verbum. Nunc autem dicit, humanitus ſe accepiſſe, ut carne eius in ipſo accipiente, in poſterum ea ex carne illius in nos firmiter poſſidenda traderentur.

Athanaſius contra Arrian. Oratione 2. fol. 149. Exaltavit eum, non ſubſtantiam Verbi exaltatam ſignificat, fuit enim & ſemper eſt æqualis Deo, ſed ad humanitatem eius hoc ſpectat. *Athanaſius.*

Item in eadem Orat. fol. 152. Omnia quæ donat & facit Pater, per Filium donat & facit: ita è diverſo, ipſe cùm ſit Filius hominis, humanitus dicitur à ſeipſo accipere, quia aliunde non accipit, eò quòd Corpus illa recipiat, quod accipiendæ gratiæ naturam idoneam capacemque ſortitum eſt (ut dictum eſt,) Accepit enim, quatenus homo exaltabatur: illiuſque exaltatio erat, cum hominem Deificari: ſed tamen Verbum hoc ipſum ſemper poſſidebat ſecundum ſuam ex Patre Deitatem, & perfectitudinem.

Item Orat.4. pag, 249. Ut autem gratia inademptibilis eſſet, firmaque hominibus cuſtodiretur, ea de cauſa hanc donationem ut propriam ſibi arrogat, dicitque, ſe poteſtatem accepiſſe, ut hominem, quam ſemper habet ut Deus: dicitque, glorifica me, qui alios glorificat, ut oſtenderet carnem ſe habere iſtarum rerum indigam. Ac proinde carne ſuæ humanitatis hanc glorificationem accipiente, ita loquitur, quaſi ipſe eam accepiſſet.

Item in eadem Oratione pag.250. In ſumma, id ubique animadvertendum eſt, nihil eorum quæ dicit ſe accepiſſe, ita ſe accepiſſe, quaſi non habuiſſet: habebat enim illa, utpotè ſemper & Deus & Verbum. Nunc autem dicit humanitùs ſe accepiſſe, ut carne eius in ipſo accipiente, in poſterum ea ex carne illius in nos firmiter poſſidenda traderentur.

Hic quoque locus Athanaſii *ex duabus Orationibus ejus à Concordiſtis confutus eſt: & nihilominus non probat, quod volunt. Nam* Athanaſius *in his duabus Orationibus contra Arianos ſcribit, qui negabant, Filium cum Patre ab æterno eiuſdem eſſentiæ eſſe. Hoc confutat* Athanaſius, *& inter alia docet, quod Gloria, quam Chriſtus Iohan. 17. a Patre ſuo petierit, Deitati ſuæ nihil prorſus deroget: ſed Chriſtum hæc omnia, ut ſonant verba* Athanaſii, *ob corpus ſuum loqui, ut hæc gloria in eius corpore, tum adhuc infirmo & humili, manifeſtetur. Per* Gloriam *autem non ipſam Deitatem intelligit, neque etiam æternitatem, vel* *Marchionit. cenſura.* *Explicatio loci. Ioh.*

Vbiquitatem, vel denique eſſentiales ejus divinitatis proprietates, hæc enim omnia Corpus eius, per gratiã unionis, in utero materno accepit, quòd cum æterna, eſſentiali & incomprehenſibili Deitate unitum erat, non autem per gratiam transfuſionis, aut realis communicationis, ut Vbiquiſtæ volunt, alioquin corpus ejus factum eſſet Deus, nec corpus manſiſſet. Sed per gloriam *&* glorificationem *intelligit Chriſtus, depoſitionem infirmitatum omnium Corporis ſui, ſub quibus gloria ſeu majeſtas Divinitatis ejus, in ſtatu humilitatis, abſcondita latebat; item ſtatum cœleſtis vitæ; exaltationem quoque humanitatis ſuæ ad Dexteram Patris, ut Divinitas in illa perfectè luceat, ſeſe exerat, & ab Angelis ſimul atque hominibus agnoſcatur & adoretur. Ad hanc exaltationem autem Vbiquitas Corporis Chriſti non magis pertinet, quàm ipſa æternitas.*

Exaltationem corporis Chriſti cur Patres Deificationem interdum vocent.

Hanc verò Exaltationem humanitatis, Patres, veluti Cyril. Damaſcenus, *atque etiam hoc loco* Athanaſius, Deificationem carnis *vocant. Quòd nomen rectè intelligi debet. Non enim Patribus ſignificat transmutationem humanitatis in Diuinitatem, per transfuſionem omnium Deitatis proprietatum in carnem, ſicuti Eutychiani olim, & noſtra ætate Suenkfeldiani falsò interpretati ſunt; Sed per id intelligunt primò, ipſam unionem Perſonalem, qua homo Deus factus eſt; non autem humanitas Deus, vel Deitas facta eſt. Cumque per hanc unionem Deus etiam homo factus ſit, eodem modo dicunt,* Deitatem humanatam eſſe, *quo dicunt*, humanitatem Deificatam, *ut videre eſt apud Damaſcenum lib. 3. cap. 17. Orthod. Fidei. Deinde, intelligunt etiam per Deificationem hanc, ſuprà explicatam Exaltationem humanitatis, qua humanitas magis quàm Angeli & homines ad ſimilitudinem Dei exaltata eſt. Qui hanc explicationem, cum ſacra Scriptura congruentem, non recipit, neceſſariò cum Eutyche & Svenkfeldio fateri cogitur, Chriſtum his verbis*, Glorifica me ea gloria, quam apud te habui, antequam *&c. rogare Patrem, ut ex humanitate ſua Deitatem faciat, quòd blaſphemum eſt.*

3. Appendix.

Idem de ſuſcepta humanitate contra Apollinarium, pag. 540. Cùm Petrus dicit, Ieſum factum Dominum & Chriſtum à Deo, non de Divinitate eius loquitur, ſed de Humanitate. Verbum eius ſemper erat Dominus, neque poſt crucem primùm factus eſt Dominus, ſed humanitatem eius Divinitas fecit Dominum & Chriſtum.

Athanaſius. Explicatio loci Act. 2.

Idem de ſuſcepta humanitate contra Appollin. fol. 539. *&* 550. Et cum inquit Petrus, pro certo habeat univerſa domus Iſraël, quòd Deus hunc Ieſum, Dominum & Chriſtum fecerit, quem crucifixiſtis, Non ibi de divinitate eius verba facit, cum aſſerit eum Dominum & Chriſtum à Deo factum eſſe, ſed de humanitate eius, quæ eſt univerſa Eccleſia: Ea enim in eo & dominatur & regnat: Et ex quo ille crucifixus eſt, etiam illa inuncta ad regnũ cœlorum exiſtimatur: ut regnaremus cum illo, qui ea de cauſą ſeipsũ evacuavit, & aſſumpſit ſervilem ſpeciem. Verbum enim, qui & Filius Dei, ſemper erat Dominus & Deus, neque poſt crucem factus eſt Dominus & Chriſtus, ſed ut prædixi, humanitatem eius divinitas fecit Dominum & Chriſtum.

Marchionis. Cenſura

Athanaſium *hoc loco, qui ut etiam alii, à Concordiſtis hinc inde conſutus, & valde mutilatus eſt, pſeudo majeſtatem Vbiquitatem nequaquam probare velle, ſatis clarè inde intelligi poteſt; quòd inquit,* Humanitatem Chriſti vocat univerſalem Eccleſiam, quæ in Chriſto dominetur & regnet, *&c.*

4. Appendix.

Item pag. 534. Quæcunque Scriptura dicit filium accepiſſe, ratione corporis accepta intelligit: Corpuſque illud eſſe primitias Eccleſiæ. Primùm igitur Dominus ſuum corpus excitavit & exaltavit. Poſthac autem membra Corporis ſui. *Quibus verbis Athanaſius explicavit, quod paulò poſt ad univerſam Eccleſiam etiam ſuo modo accommodavit.*

Athanaſius.

Item pag. 534. 535. Quæcunque igitur dicit Scriptura filium accepiſſe, ratione corporis accepta intelligit, corpuſque illud eſſe primitias Eccleſię. Nam primitię, inquit Chriſtus: Primitiis igitur aſſumentib. nomen, quod eſt ſupra omne nomen, eo excitata eſt ſimul & reliqua maſſa eiuſdem generis, pariterque in eundem conceſſum venit, iuxta illud verbi coexcitavit & conſedit. Eaque de cauſa ex gratia acceperunt homines, ut Dij vocentur, & Filij Dei. Primum igitur Dominus ſuum corpus excitavit è mortuis, & in ſeipſo exaltavit: Poſthac autem excitavit & membra ſui corporis, ut largiatur illis omnia ut Deus, quæcunque ipſe ut homo accepit, &c.

Marchionis. Cenſura.

Hoc loco Athanaſius *rurſus probat cõtra Apollinarium, humanitatem Chriſti, quam Apollinarius negabat hoc argumento,* Quod Chriſtus acceperit. *Quid autem acceperit, his verbis indicat:* Primitiis aſſumentibus nomen, quod eſt ſupra omne nomen, eo excitata eſt ſimul & reliqua maſſa eiuſdem generis, pariterq; in eundem conſeſſum venit, *&c. Hinc intelligitur pro Concordiſtis nullo modo facere, niſi dicere velimus, communionem divinarũ proprietatum, quas Chriſtus accepit propter unionẽ perſonalem, ad totam etiam Eccleſ. & ſingula ejus membra referendam eſſe. Quod etiam* Athanaſius *per accepta dona humanitatis, neq; Vbiquitatem, neq; alias divinitatis eſſentiales proprietates intelligat, docent manifeſtè poſtrema ejus verba, quæ Concordiſtæ callidè præciderunt.* Excitabit poſthac membra ſui corporis, ut largiatur illis omnia ut Deus, quæcunque ipſe ut homo accepit. *Atqui Vbiquitatem & alias Deitatis proprietates membris ſuis non largietur: Sequitur ergo, ipſum eas, ut hominem, non accepiſſe, niſi per unionem.*

Baſi-

5 *Appendix.* Baſilius *M. contra Eunomium lib.* 4. Quod Dominus celebratur, & accepit nomen ſuper omne nomen. *Item,* Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo & in terra. Ego vivo propter Patrem. Glorifica me ea gloria, quam ante mundum habui apud te, *&c.* illa intelligere oportet de Incarnatione, nõ de Deitate.

Marchionis Cenſura. *Hi loci apud* Baſilium *aliter exſtant, quàm à Concordiſtis allegantur. In* Baſilio *unusquisque peculiariter explicatur. De primo & ſecundo dicitur, quod non de Deitate, ſed de Incarnatione, hoc eſt, quòd Chriſtus Mediatoris officium in carne aſſumſit & exequutus eſt, intelligi debeant. De tertio dicit* Baſilius *quòd Chriſto, qui vita ipſa eſt, juxta humanitatem vita data ſit, quod omnes fideles fatentur etiam. De quarto dicit* Baſil. *Chriſtum non rogaſſe Patrem, ut gloriam ſuam augeat, ſed tantum ut illam, quæ ad tempus ſub humanitate abſcondita latuerit, manifeſtam faciat. Quæ autem hæc eſt conſequentia? Chriſtus gloriam accepit ſecundum humanitatem: Ergo humanitas ejus ubique eſt. Probandum enim Concordiſtis eſt, ad glorificationem humanitatis Ubiquitatem, & transfuſionem divinarum proprietatum pertinere.*

6. *Appendix.* Ambroſius *lib.* 5. *de Fide cap.* 6. *tom.* 2. *pag.* 109 Didiciſti quòd omnia ſibiipſi ſubiicere poſſit ſecundum operationem, utique Dei: Diſce nunc, quòd ſecundum carnem omnia ſubjecta accipiat, ſic ſcriptum eſt. Eph. 1. Secundum carnem igitur omnia ipſi ſubiecta traduntur.

Marchionis Cenſura, Patrum Bergenſium. *Rectè quidem hic locus à Concordiſtis citatus eſt: ſed tamen in fine de ſuo hæc addiderunt:* Secundum carnem igitur omnia ſubjecta ipſi traduntur. *Docere autem vult his verbis* Ambroſius, *non ſolum Patrem, ſed etiam Filium, tanquam Deum, cum Patre poteſtatem habere ut omnia ſibi ſubiiciat: ideoque Filium etiam aſſumtæ ſuæ carni, quæ perſonaliter cum Deitate unita ſit, omnia ſubjeciſſe, propter poteſtatem & virtutem, quam Filius cum Patre habeat. Non autem hinc ſequitur, propterea carnem Chriſti Deitati æqualem vel ubique eſſe.*

7. *Appendix. Ambroſius.* *Idem lib.* 2. *cap.* 2. *pag.* 99. Non enim Deus ſuæ ſedis Apoſtolis dat conſortium: Chriſto verò ſecundum humanitatem datur conſortium divinæ ſedis.

Idem dicto loco: Non ergo ſedis ſuæ dixit Apoſtolis dari poſſe conſortium, ſed alias illas ſedes eſſe duodecim, quas tamen non pro corporali Conſeſſu, ſed pro ſucceſſu ſpiritualis gratiæ, æſtimare debemus.

Marchionis Cenſura. *Hi loci ſi conferantur, mox videre eſt, primum depravatum & corruptum eſſe, & à Concordiſtis quoad vel verba, vel ſenſum non rectè citari.*

8 *Appendix.* *Et cap.* 6. *pag.* 108. In Chriſto communis ſecundum carnem Natura prærogativam ſedis cœleſtis meruit.

Idem lib. 5. *cap.* 6. *pag.* 10C. *Ipſe eſt caput Eccleſiæ, in quo communis ſecundum carnem natura, prærogativam ſedis cœleſtis emeruit. In Chriſto enim Deo caro, in carnem autem Humani Naturæ generis omnium hominum particeps honoratur.* *Ambroſius.*

Cenſura. *Chriſtum ſecundum carnem magnam prærogativam adeptum eſſe, libenter fatemur: hac autem prærogativa cœleſtis ſedis, carnem Chriſti eam Majeſtatem adeptam eſſe, ut ubique ſit, à Concordiſtis in æternum probari non poterit.*

Chryſoſtomus *Hebr.* 1. *Tom.* 4. *Homil.* 3. *pag.* 1493. Chriſtum ſecundum carnem Pater iuſſit à cunctis Angelis adorari. 9. *Appendix.*

Chryſoſtomus, *Tom.* 4. *Hom. fol.* 1676. Quomodo ſi quis in quandam introducat domum aliquem & confeſtim omnes eius domus Principes iubeat illum pronos ſimul adorare: Ita & Chriſtum ſecundum carnem iuſſit à cunctis Angelis adorari, dicens: Adorent eum omnes Angeli Dei. *Chryſoſtomus.*

Cenſura. Chryſoſtomus *hoc loco docere vult, Apoſtolum Paulum in epiſtola ad Hebræos contra Iudæos & alios infideles, adoratione Chriſti, probare velle, ipſum præſtantiorem eſſe Angelis, quod etiam nos aſſerimus. Hinc verò non ſequitur, hominem Chriſtum propterea adorari, quòd in humanitatem ejus divina majeſtas transfuſa ſit, ſed, licèt totus Chriſtus, verus Deus & Homo, in una Perſona à nobis adoretur & colitur, hujus tamen adorationis vera cauſa ipſius Deitas eſt. Hoc etiam docet Apologia Formulæ Concor. pag* 2. *his verbis*: Docemus quòd caro Chriſti, vel aſſumta humanitas ejus, ut per ſe, & abſolutè, ſecundum ſe, quòd caro Chriſti, vel aſſumta humanitas ejus, ut per ſe, & abſolutè, ſecundum ſe, etiam in ipſa perſonali unione, tanquam creatura, conſideratur, non debeat nec poſſit adorari. Hic enim cultus adorationis nulli creaturæ, ſed uni Deo debetur, *&c.*

Theophylactus *in* 3. *cap. Ioh. pag.* 235. Pater omnia dedit in manum Filij iuxta humanitatem. 10. *Appendix.*

Theophylact. *in cap.* 3. *Ioh. fol.* 157. *in fine cap.* Et omnia dedit in manum Filij iuxta humanitatem: Si autem & ſecundum divinitatem, quid hoc? Dedit Pater omnia Filio ratione Naturæ, ſed non gratiæ: quemadmodum & eſſe à Patre habet, meritò & omnia à Patre dicitur habere. *Theophylactus.*

Cenſura. Explicatio loci Matt. 11. Theophylactus *hoc loco docet, Chriſto etiam ſecundum humanitatem omnia à Patre tradita eſſe. Quid autem per nomen* Omnia *intelligat, Ioh. Evangeliſt, cap.* 3. *docet, nempe dona Spiritus ſancti, quæ à Deo proficiſcuntur, quæque Chriſto abſque menſura data ſunt. Hæc verò dona non ſunt Ubiquitas, vel aliæ divinitatis* pro-

proprietates. Hoc etiam inde intelligitur, quòd Theophylactus,*inquit*,etiam ſecundum divinitatem Chriſto omnia tradita eſſe, non ratione gratiæ,ſed Naturæ, *& ſub hoc* Omnia *ipſam inprimis eſſentiam Dei intelligit. Eſſentia autem Dei humanitati non traditur, niſi per unionem.Sequitur ergo, etiam Vbiquitatem, & alias divinitatis proprietates, quæ ad Dei eſſentiam pertinent,humanitati realiter non datas eſſe neq; etiam ſub dictione* Omnia *comprehendi debere.Imò,hanc dictionem* Omnia,*aliter de Divinitate,& aliter de Humanitate intelligi debere.*

Oecumenius *ex Chryſoſtomo Hebr.1.fol.*175. Quatenus Deus eſt, æternum habet thronum, ſed quod ut Deus habebat, accepit ut homo. Vt Homo igitur audit, Sede à dexteris meis: Vt enim Deus,æternum habet imperium.

11. Appendix. Oecumenius *dicto loco :* Filius, ut Deus, ſempiternum habet thronum : ſed ut homo accepit, quod habebat ut Deus:& audit, Sede à dextris meis. Nam ut Deus ſempiternum habet imperium.

Cenſura. *Hic locus pro Concordiſtis nihil prorſus facit. Dicta enim hæc*, Chriſtum omnia accepiſſe ut hominem, quæ ut Deus habeat, *limitatè ſunt intelligenda. Alias ſequeretur,Humanitatẽ ipſam eſſe Deitatem, vel Deum æternam factam. Obſervandum quoque eſt, quod ſupra ex* Athanaſio *adductum eſt*, Chriſtum membris ſuis omnia communicaturum ut Deum, quæcunque ut homo acceperit. *Hoc verò de Deitatis proprietatibus & Vbiquitate intelligi non poteſt. Deinde ex Seßione ad Dexteram Dei, & æterno Chriſti regno, ad quod tanquam homo exaltatus eſt, nulla etiam humanitatis Vbiquitas ſequitur. Hæc enim non pertinet ad exaltationem hominis Chriſti. Et in gubernatione æterni regni Chriſti utraque enim Natura operatur, ſed non eodem modo.*

12. Appendix. Cyrillus *lib. 9. Theſauri cap. 3. Tom. 2. pag.* 110. In poteſtatem dominandi, ut homo aſcendit.

Cyrillus. Cyrillus *fol.* 40. Dicimus igitur (quòd Verbum & Filius Dei erat ſemper, ut eſt omnium Dominus. In ſervi autem forma factus, Vnctus dicitur: quoniam id homini convenit, in poteſtatem dominandi, ut homo, ſimiliter aſcendit.

Cenſura. *Quomodo Chriſtus ut homo ad poteſtatem dominandi aſcenderit,& quo pacto intelligi debeat, ex præcedenti loco, eiuſdemque declaratione patet. Simul etiam hic animadvertendum, Mediatorem noſtrum, Chriſtum, hoc eſt, unctum vocari, propter regium ſuum officium, quod non tantum ſecundum unam, ſed utramque naturam exequitur.*

13. Appendix. *Idem lib.* 11. *cap.* 17. Gloriam ſuam quam ſemper habuit, ut Deus, ut Homo periit, nec quia gloriæ propriæ unquam expers fuit,hæc ab eo dicuntur, ſed quia in gloriam, quæ ſibi ſemper adeſt, ut Deo, proprium templum ſubducere volebat.

Idem in fol. 200. Gloriam igitur ſuam quam ſemper habet ut Deus,ut homo petiit. Nec quia gloriæ unquam propriæ expers fuit, hæc ab eo dicuntur (nunquam enim Dei Verbum ac Deus verus dignitate caruit, ſuà) ſed quia in gloriam, quæ ſibi ſemper adeſt, ut Deo, proprium templum reducere volebat : imò verò ipſe cum propria carne propter quàm nonnihil dedecoris in hac vita accidiſſe videbatur, in cœlos & in gloriam ſuam rediit. Cyrillus Explicatio locis Ioh.17.

Quod Cyrillus *dicit*, Chriſtum proprium ſuum templum in gloriam ſubducere voluiſſe, *non contra nos facit. Interea etiam obſervandum eſt, licet Chriſtus, ut* Cyrillus *inquit*, ut Deus gloriæ ſuæ nunquam expers fuerit,*eandem tamen ipſum in ſtatu humilitatis ſuæ veluti abſconditam habuiſſe, ideoque rogaſſe etiam, ut ea rurſus manifeſtetur, atque ita eâ gloriâ, quam ab æterno habuerit, coram mundo etiam glorificetur.In hanc enim ſententiam* Cyrillus *Theſ.lib.10.cap.9.hæc verba,* Glorifica *me tu, &c. interpretatur.* Cenſura.

Idem lib.2.ad Reginas: Accepiſſe gloriam,poteſtatem & regnum ſuper omnia referendum eſt ad conditiones Humanitatis. 14. Appendix.

*Ibid.fol.*134. Proinde licét dicatur accepiſſe à Deo gloriam,& poteſtatem,ac regnum ſuper omnia, referendum eſt hoc Accepiſſe ad conditiones humanitatis. Cyrillus

Rurſus hoc loco probat Cyrillus, *quòd Chriſtus, quum Dei filius ſit, nullâ externâ & alienâ gloriâ eguerit:ac docet, Divinitati eius non dedecori eſſe, etiamſi dicatur, quòd gloriam, poteſtatem & imperium acceperit, hæc enim de humanitate ejusque conditionibus intelligenda eſſe. Hæ autem conditiones humanitatis nihil aliud ſunt,quàm Mediatoris officium, quod ipſe in carne noſtra ad exequendum propter nos in ſe recepit,& quidem ſecundum utramque naturam.* Cenſura.

Theodoretus *in Pſal.2.Tom.1.pag.*83. Chriſtus cùm Naturâ Dominus ſit ut Deus, etiam ut Homo univerſum imperium accipit. 15. Appendix.

Hæc nihil faciunt pro Vbiquitate humanitatis. In his enim & ſimilibus locis, ſemper opponenda ſunt dicta Athanaſii *&* Cyrilli *Concordiſtis* Quæcunque accepit ut homo, accepit ut in nos redundarent.

*Idem in Pſal.*110. *Tom.1.pag.*242. Sede à dextris meis. Humanitùs hoc dictum eſt. Vt enim Deus ſempiternum habet imperium, ſic ut Homo accepit,quod ut Deus habebat,ut homo igitur audit : Sede à dextris meis:nam ut Deus ſempiternum habet imperium. 16. Appendix. Explicatio loci Pſal.110.

Hic

Cenſura. *Hic locus de tota perſona Mediatoris loquitur, & copioſe Matth.22. & Hebr.1.ca.exponitur. Citantur quoque hæc ipſa verba ab* Oecumenio, *& ſupra ſunt declarata.*

17. Appendix. *Idem Hebr I. Tom.2. pag.*154. Chriſtus ſemper accepit ab Angelis cultum & adorationem, erat enim ſemper Deus. Iam autem adorant ipſum etiam ut Hominem.

Cenſura. *Hic locus paulò antè expoſitus eſt.*

18 Appendix. Leo *Epiſt.23.fol. 99. tractans locum Eph.* I. *inquit:* Dicant adverſarij veritatis, quando omnipotens Pater, vel ſecundum quam Naturam, Filium ſuum ſuper omnia evexerit, vel cui ſubſtantiæ cuncta ſubiecerit? Deitati enim, ut creatori ſemper ſubiecta fuerunt: Huic ſi addita poteſtas, ſi exaltata ſublimitas, minor erat provehente, nec habebat divitias eius Naturæ, cuius indiguit largitate: ſed talia ſentientem in ſocietatem Arius rapit.

Leo Explicatio loci Eph.1. Leo *Epiſtola* 23. Dicant adverſarij veritatis, quando Omnipotens Pater vel ſecundum quam Naturam Filium ſuum ſuper univerſa provexerit? Deitas enim Verbi par in omnibus, & conſubſtantialis eſt Patri, & ſempiternè atque intemporaliter una eademq; potentia eſt genitoris & geniti. Creator quippe omnium naturarum, quoniam per ipſum omnia facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, ſuper eſt omnibus quæ creavit, nec unquam creatori ſuo non fuerunt ſubiecta quæ condidit? Cui proprium & ſempiternum eſt, nec aliunde quàm de Patre, nec aliud eſſe quàm Pater eſt. Huic ſi addita eſt poteſtas, ſi illuſtrata dignitas, ſi exaltata ſublimitas, minor erat provehente qui crevit, nec habebat divitias eius naturæ, cuius indiguit largitate. Sed talia ſentientem in ſocietatem ſuam Arius rapit.

Cenſura. *In hoc loco nihil aliud agitur, quàm quòd* Leo *Arium refutat, qui loca quædam, quæ de tota Perſona Mediatoris loquuntur, ad divinitatem tantum Chriſti referebat, indeque colligebat,* Filium Dei cum Patre non ejuſdem eſſentiæ ab æterno eſſe *: ac proinde Concordiſtis ad ſuum propoſitum nihil facit, quemadmodum ex proximè præcedentibus verbis eius Epiſtolæ clariùs intelligitur. Ac mirum eſt, quòd Concordiſtæ ad defendendam ſuam Vbiquitatem & realem communicationem,* Leonem *adducunt, qui tamen in iis, quæ contra Eutychen ſcripſit, eam fortiſſimè oppugnat. Vide quoque eiusdem Epiſtolam ad* Flavianum *Conſtantinop. Epiſcopum cap.3.4. & Epiſtolam* 13.*ad* Iulianum *Epiſcopum Conſtantinop.*

19 Appendix. *Idem Epiſtola* 83. Licet Deitatis & humanitatis in Chriſto una prorſus eademque Perſona, exaltationem tamen & nomen ſuper omne nomen, ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento. Non enim per incarnationem aliquid deceſſerat Verbo, quod ei Patris munere redderetur. Forma autem ſervi Humana eſt humilitas, quæ in gloriam Divinæ poteſtatis erecta eſt, ut nec ſine homine, Divina, nec ſine Deo agerentur humana.

Ibid. fol. eod. Quicquid in tempore accepit Chriſtus ſecundum hominem accepit, cui, quæ non habuit, conferuntur. Nam ſecundum potentiam Verbi, indifferenter omnia, quę habet Pater, etiam filius habet.

Leo *Epiſt.*83. Quamvis ergo unus ſit Dom. Ieſus Chriſtus, & veræ Deitatis veræque humanitatis in ipſo una prorſus eademque Perſona ſit, neque huius unitionis ſoliditas ulla poſſit diviſione ſeiungi: exaltationem tamen, quâ illum exaltavit Deus, & donavit illi nomen, quod ſuper omne nomen excellit; ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantę glorificationis augmento. In forma quippe Dei æqualis erat filius Patri, & inter genitorem atque unigenitum nulla erat in eſſentia diſcretio, nulla in Maieſtate diverſitas, nec per incarnationis myſterium aliquid deceſſerat Verbo, quod ei Patris munere redderetur. Forma autem ſervi, per quam impaſſibilis Deitas Sacramentum magnæ pietatis implevit, Humana humilitas eſt, quæ in gloriam Divinæ poteſtatis evecta eſt, in tantam unitatem, ab ipſo conceptu Virginis, Deitate & humanitate connexa, ut nec ſine homine Divina, nec ſine Deo agerentur humana. Propter quod, ſicut Dominus Majeſtatis dicitur crucifixus, ita qui ex ſempiternitate æqualis eſt Deo, dicitur exaltatus: Nec intereſt ex qua Chriſtus ſubſtantia nominetur, cùm inſeparabiliter manente vnitate Perſonæ, idem ſit & totus hominis filius propter carnem, & totus Dei filius, propter vnam cum Patre Deitatem. Quicquid ergo in tempore accepit Chriſtus ſecundum hominem accepit, cui quæ non habuit, non conferuntur. Nam ſecundum potentiam Verbi indifferenter omnia, quæ habet Pater, etiam Filius habet: & quæ in forma ſervi à Patre accepit, eadem in forma Dei etiã ipſe donavit.

Quæ Leonis *ſententia ſit in præcedentibus locis ſatis liquet ex eius* 10. *Epiſt. ad Flavianum, ubi cap.* 2. *ſic ſcribit :* Qui verus eſt Deus, idem verus & homo, & nullum eſt in hac unitate mendacium, dum invicem ſunt & humilitas hominis & altitudo Deitatis: Sicut enim Deus non mutatur miſeratione, ita homo non conſumitur dignitate. Egit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium eſt, Verbo ſcilicet operante, quod Verbi eſt, & carne exequente, quod carnis eſt. Cenſura.

His verbis docere vult Leo, *quòd gloria & dignitas, carni in unione cum Verbo, & in exaltatione data, Naturam eius nequaquam conſumat: eſſentiales autem proprietates divinitatis in carnem transfuſa & Vbiquitas, conſumũt Naturam carnis. Quicquid enim omnes deitatis proprietates habet, non eſt caro, ſed ſpiritus, & Deus ipſe, quandoquidem, iuxta communem regulam,* propria conſtituunt & diſcernunt naturas. *Obſervandum etiam eſt, quòd* Leo *dicit*, Hominem Chriſtum ad dignitatem Divinæ potentiæ exaltatum eſſe, ſicut Dominus gloriæ crucifixus ſit. *Quæ non niſi per communicationem Idiomatum in Perſona intelligi poſſunt. Et in fine Epiſt.* 83. *adhuc clarius ſeipſum declarat.* Vnus, *inquit*, & idem in utraque forma eſt Chriſtus inclinante ſe Deo uſque ad infima hominis, & proficiente homine uſque ad ſumma Deitatis.

20 *Appendix.*

Vigilius *lib.* 5. *contra Eutychen.* Divina natura non indiget honoribus ſublimari, dignitatis profectibus augeri, poteſtatem cœli & terræ obedientiæ merito accipere: ſecundum carnis Naturam igitur illa adeptus eſt, qui ſecundum Naturam Verbi horum nihil eguit aliquando, nunquid enim poteſtatem & dominium creaturæ ſuæ conditor non habebat, ut noviſſimis temporibus muneris gratia his potiretur?

Vigilius *adverſus Eutychen li.* 5. *circa medium.* Sed concedamus eis (*Eutychianis*) contra totius Scripturæ fidem & catholicam veritatem, ut in natura ſua (*filius Dei*) pro nobis mori dignatus ſit, quod eſt omnino impoſſibile, & omnes Humanæ fragilitatis pertulerit paſſiones. Nunquid & honoribus ſublimari & dignitatis profectibus augeri natura eius indigebat, ut humilitatis & obedientiæ ac mortis merito ſublimium meritorum tenere faſtigium, & poteſtatem cœli & terræ mereretur accipere, tanquam qui antea non habuit. *Et pag. ſeq.* Quis ergo non videat hæc in Dei filio Naturę carnis eius congruere ſecundum quam & exaltatus eſt & honoratus, & coronatus, & melioris nominis dignitatem adeptus eſt is, qui ſecundum Naturam Verbi horum non eguit aliquando? *Et pag.* 3. Numquid ergo poteſtatem & dominium Creaturæ ſuę utpote omnium conditor non habebat, ut temporibus noviſſimis hæc omnia muneris gratia potiretur?

Cenſura. Fraus Concordiſtarum.

Ex his intelligit Lector, primò, *Concordiſtas hunc locum* Vigilij, *pro more ſuo, non bonâ fide allegaſſe, ſed ad ſuum commodum hinc inde conſuiſſe.* Deinde *nihil in toto hoc loco* Vigilij *eſt, quod Vbiquitati, vel reali transfuſioni divinarum proprietatum in carnem aliquo ſaltem modo patrocinetur. Probat enim* Vigilius, *Chriſtum verum eſſe hominem, quod gloriam, honorem & dignitatem acceperit. Hoc, inquit, Eutychianos vel de Deitate, vel de Humanitate intelligere oportet. De Deitate intelligere non poſſunt, niſi in caſtra Neſtorianorum tranſire velint: Ergo de Humanitate intelligere oportet hoc eos, adeoque fateri, Chriſtum verum hominem eſſe. Neutiquam ergo Vbiquiſtæ ex verbis ejus probare poterũt Vbiquitatem carnis Chriſti.*

Vigilius Vbiquitatem carnis Chriſti diſertis verbis damnat.

Mirum eſt etiam, eos tonari Vigilium *in partes ſuas trahere, quum ſciunt eum nominatim Vbiquitatem reiicere, quam ob cauſam etiam à quibuſdam illorum per contemptum* Dormilius *vocatur. Quòd autem Vbiquitatis Dogma damnet* Vigilius, *apertiſſimè intelligitur ex ſequentibus ejus verbis, quæ exſtant lib.* 4 *contra Eutychem circa mediũ.* Deinde, *inquit*, ſi Verbi & carnis una eſt Natura, quomodo cum Verbum ubique ſit, non ubique inveniatur & caro? Namque quando in terra fuit, non erat utique in Cœlo: Et nunc quia in Cœlo eſt, non eſt utique in terra: Et in tantum non eſt, ut ſecundum ipſam Chriſtum exſpectemus venturum de Cœlo, quem ſecundum Verbum nobiſcum eſſe credimus in terra. Igitur ſecundum vos aut Verbum cum carne ſua loco continetur, aut Caro cum Verbo ubique eſt: quando una natura contrariũ quid & diverſum non recipit in ſeipſa: Diverſum eſt autem & longè diſſimile circumſcribi loco, & ubique eſſe: Et quia Verbum ubique eſt, Caro autem eius ubique non eſt: apparet unum eundemque Chriſtum utriuſque Naturæ: & eſſe quidem ubique ſecundum Naturam Divinitatis ſuæ: & loco contineri, ſecundum naturam humanitatis ſuæ; creatum eſſe & initium non habere: morti ſubiicere, & mori non poſſe: quod unum illi eſt ex natura Verbi, quâ Deus eſt: aliud ex natura carnis, quâ idem Deus homo eſt: Igitur unus Dei filius idemque hominis factus filius habet initium ex Natura Divinitatis ſuæ: creatus eſt per Naturam carnis ſuæ, & non eſt creatus per Naturam Divinitatis ſuæ: minor eſt etiam Angelis per Naturam carnis ſuæ: Et æqualis eſt Patri ſecundum Naturam Divinitatis ſuæ: mortuus eſt Naturâ carnis ſuæ, & non eſt mortuus naturâ Divinitatis ſuæ: Hæc eſt fides & Confeſſio Catholica, quam Apoſtoli tradiderunt: martyres roboraverunt, & fideles nunc uſque cuſtodiunt.

Hic obſervet Lector, quòd Vbiquitiſtæ nullum horum Articulorum approbant, quos Vigilius *fidei Catholicæ Articulos eſſe aſſerit.*

I. Quod Chriſti caro non vbique ſit.

II. Quòd Chriſti caro, quando in terra fuit, non in Cœlo etiam fuerit.

III. Quòd Chriſti caro, quia nunc in cœlo eſt,

non

non ſit ubique in terra.

IV. Quòd Chriſtum ſecundum carnem exſpectemus venturum de Cœlo.

V. Quod Chriſtus ubique ſit ſecundum divinitatem, non autem ubique ſecundum humanitatem.

Eſt & hoc argumentum Vigilii *contra Eutychianos obſervandum : Chriſti caro ſi ejuſdem Naturæ eſt cum Verbo, ubique etiam eſt: non eſt autem ubique: Ergo non eſt ejuſdem Naturæ cum Verbo.*

Hic etiam notandum, ut Ubiquitiſtæ hoc argumentum Vigilii *pro Eutychianis invertant. Si Chriſti caro ejuſdem Naturæ eſt cum Verbo, ubique etiam eſt. Atqui ubique eſt. Ergo ejuſdem etiam Naturæ cum Verbo eſt. Hinc apparet, Ubiquitatem hanc ipſam hæreſin eſſe, quam olim Eutychiani docuerunt, & Patres damnarunt.*

21. Appendix. Nicephorus *lib.1.cap.36. fol.86.* Chriſtus à diſcipulis in Galileæ monte conſpicitur, & ibi à Patre ſummam poteſtatem Cœli & terrę ſibi, iuxta humanitatem ſcilicet, traditam eſſe confirmat.

Cenſura Explicatio loci Matt. 28. *Hic locus bis ipſis verbis in Nicephoro exſtat. Eſt autem* Niceph. *hiſtoricus magis, quam diligens Scripturæ interpres. Vult autem Chriſtus his verbis hoc dicere : Mihi, tanquam Mediatori inter Deum & homines, data eſt omnis* poteſtas. *Notet hoc diligenter Lector. Evangeliſta non dicit : Data eſt mihi omnis* potentia. *Differunt enim* poteſtas *&* potentia. *Et hæc poteſtas ſuper omnia requirit etiam Omnipotentiam perſonæ, non autem humanitatis Chriſti. Sufficit homini Chriſto ad dominatum ſuum, quod ſecundum divinitatem ſuam omnipotens eſt: alioquin in Chriſto etiam duæ omnipotentes, duæ infinitæ, & duæ Divinæ Naturæ ſtatuendæ & agnoſcendæ eſſent.*

CAPUT III. Teſtimoniorum Patrum. *In* Tertio *Capite Appendicis ea Patrum teſtimonia citant Concordiſtæ, quibus probare volunt, Patres etiam de hoc myſterio per vocabula* abſtracta *loquutos eſſe, ac ſi non ſolum tota Perſona Chriſti, ſeu Chriſtus totus, ſed ipſa Humanitas Chriſti hanc majeſtatem realiter acceperit.*

Cenſura de hoc toto capite. *In hoc verò toto Capite duæ quæſtiones inter Ubiquiſtas & Noſtros in controverſia ſunt. Prima eſt,* An hęc maieſtas humanitatis, Ubiquitas ſit, & omnes Deitatis proprietates? *Secunda,* An hæ in humanitatem realiter ſint transfuſæ? *Nos utrunque negamus, Ubiquiſtæ verò affirmant.*

1. Appendix. Euſtachius *apud Theodoretum Dial.2.pag.339.* Humana natura Chriſti eſt Synthronos, ſedens in eodem throno cum diviniſſimo Spiritu, propter inhabitantem Deum in ea inſeparabiliter.

Euſtathius. Euſtathius *apud Theodor. Dial. 2. fol. 28.* Hinc ergo cum in throno ſancto ſedere prius ſcripſit, ſignificans cum eodem throno ſedere cum diviniſſimo Spiritu, propter Deum in ipſo aſſiduè inhabitantem.

Ut Theodoretus *cum Ubiquiſtis ſentiat ſuprà cap. 1. indicatum eſt. Apparet etiam ex collatione, hunc locum mala fide citatum & corruptum eſſe a Concordiſtis, & tamen nihil pro illis facit. Nam in verò* Theodoreto *ne uno quidem verbo Humanitatis ſit mentio. Neque etiam cum titulo capitis huius convenit locus hic. Sed loquatur maximè de Humanitate, quandoquidem etiam ſecundum hanc Chriſtus ad dextram Dei collocatus eſt : nihilominus probandum erit Ubiquiſtis, hoc* Sedere *idem ſignificare, quod* ubique eſſe, *vel,* divinas proprietates realiter accepiſſe. *Paulus Epheſ.1, & Philip.2. exaltationem Chriſti ad dextram majeſtatis ſic deſcribit, quòd huius perſonæ ſit perfecta exaltatio & exornatio, quod ad dona, potentiam, poteſtatem & gloriam, ſupra omnes Angelos & creaturas, etiam ſecundum humanitatem, item, quòd omnes creaturæ eam pro tali honorare, agnoſcere ac adorare oporteat. Quòd autem Ubiquitas humanitatis ad hanc exornationem pertineat, vel omnes aliæ proprietates eſſentiales ſub his donis comprehendat, Scriptura ſacra nuſquam docet. Denique, juxta Regulam* Athan. & Cyrilli, *Chriſtus, tanquam caput, propterea ſuam gloriam accepit, ut eam membris ſuis communicet. Et* Euſtathius *paulò poſt hæc verba apud* Theodoretum *veram humanitatem Chriſti inde probat, quod corruptibila noſtra corpora clarificato ſuo corpori conſimilia facturus ſit. Ergò efficiet etiam, ut noſtra corpora ubique ſint : vel ſi hoc falſum eſt, falſum etiam oportet eſſe, quòd corpus ejus ubique ſit.* — Cenſura Fraus Concordiſtarum.

Idem apud Gelaſium : Homo Chriſtus, qui profecit ſapientia & ætate, rerum univerſarum imperium accepit. — 2. Appendix.

Ut hic locus ſit intelligendus, ex proximè præcedente apparet. Vide etiam ſupra de Nicephori *loco cap.2.* — Cenſura.

Idem ibi Chriſtus ipſo Corpore ad proprios venit Apoſtolos dicens : Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo & in terra, quam poteſtatem accepit extrinſecus templum, & non Deus, qui templum illud præcipua pulchritudine ædificavit. — 3. Appendix.

Verba hæc Chriſti pro Ubiquitate non facere, ſatis eſt ſupra declaratum. — Cenſura.

Athanaſius *de Arriana & Catholica Confeſſione :* Deus non eſt mutatus in Humanam carnem vel ſubſtantiam, ſed in ſeipſo, quam aſſumpſit, glorificabat Naturam, ut Humana, infirma & mortalis caro atque Natura divinam profexerit in gloriam, ita ut omnem poteſtatem in Cœlo & in terra habeat, quam — 4. Appendix.

quam, antequam à verbo aſſumeretur, non habebat.

Athanaſius. *Idem ibidem.* Nec in Humanam Deus mutatus eſt carnem vel ſubſtantiam, ſed in ſe ipſe quam aſſumſit, glorificabat Naturam: Humana verò mortalis & infirma, ut dictum eſt, caro atque Natura Divinam profecit in gloriam: ipſo domino in Evangelio dicente, de aſſumto à ſe filio hominis: Nunc clarificatus eſt Filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo, &c. *Et pag.3. præcedente*: Propterea credo Filio hominis ex Maria virgine aſſumpto omnem poteſtatem in Cœlo & in terra datam, quam, antequam à Deo Verbo aſſumeretur, non habuit.

Cenſura. Fratrum Bergenſium. *Hunc etiam locum mala fide citarunt Concordiſtæ, eumque ex duabus paginis conſuerunt, & primum poſtremo, poſtremum verò primo loco poſuerunt.* Athanaſius *enim hoc loco id ipſum docet, quod etiam in prioribus docetur: nempe, Verbum aſſumtam ſuam humanitatem clarificaſſe, de quo nemo dubitat. Hanc autem clarificationem & gloriam Vbiquitatem, vel realiter transfuſas divinitatis proprietates in humanitatem eſſe, probandum eis erat. Ibi etiam clarè dicit Athanaſius paulò poſt citata verba*, quòd ſalvis duarum naturarum proprietatibus, Chriſtus in una eademque perſona perfectus Deus, & perfectus homo ſit: *quod Vbiquitatem prorſus deſtruit.*

5. Appendix. Idem de ſuſcepta humanitate contra Apollinarium: pag. 530. Paulus Philip. 2. de Templo loquitur, quod eſt Corpus ſuum: Non enim qui altiſſimus eſt, ſed caro exaltatur, & carni ſuæ dedit nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut ſcilicet in nomine Ieſu flectatur omne genu, & omnis lingua confiteatur, quod Ieſus Chriſtus ſit Dominus in gloria Dei Patris. Et addit regulam generalem. Quando Scriptura loquitur de glorificatione Chriſti, de carne loquitur, quæ percepit gloriam. Et quæcunque Scriptura dicit, accepiſſe filium, ratione humanitatis illius, nō divinitatis loquitur. Ut cùm dicit Apoſtolus quòd in Chriſto habitet omnis plenitudo Deitatis corporaliter, plenitudinem illam in carne Chriſti habitare intelligendum eſt.

Athanaſius Explicatio loci. Philip. 2. *Idem de ſuſcepta humanitate contra Apollin. fol.* 530. 531. Et cùm dicit: Ideo ſuperexaltavit eum Deus, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, de templo loquitur, quod eſt corpus ſuum. Non enim qui altiſſimus eſt, ſed caro eius exaltatur, carnique ſuæ altiſſimi nomen donavit, quod eſt ſuper omne nomen. Et paulo poſt: Non enim Dominus gloriæ glorificatur, ſed caro domini gloriæ, illa eſt quæ percepit gloriam, quæ ſimul cum eo in cœlum aſcendit. Ibidem. Quæcunque igitur dicit Scriptura accepiſſe filium, ſive quod glorificatus ſit filius, ratione illius humanitatis, non Deitatis loquitur: ſive cùm dicit Apoſtolus, quòd in Chriſto habitet omnis plenitudo divinitatis corporaliter, plenitudinem illam habitare in carne, intelligendum eſt, &c.

Carnem Chriſti exaltatam eſſe, ſic tamen ut vera caro maneat, libenter fatemur, ut & illud, Cenſura *quicquid Chriſtus acceperit, ſecundum carnem accepiſſe. Vnione enim perſonali factum eſt, ut plenitudo Deitatis, id eſt æternus & omnipotens Filius Dei in illa habitaret. Ex hac vero inhabitatione nequaquam ſequitur, quod caro Deitatis proprietates, quæ Deus ſunt, realiter acceperit: alioquin dicendum etiam eſſet, humanitatem ab æterno eſſe, quandoquidem æternitas non minima portio plenitudinis Deitatis eſt. Quæ præterea hoc loco ſunt obſervanda, Lector ſuprà quærat ab initio c.2. in explicatione locorum* Athanaſij *&* Theodoreti.

Idem apud Theodoretum Dial. 2. lib. 2. cui titulus Inconfuſus pag. 330. Corpus 6. eſt, cui dicit Dominus, Sede à dextris meis. Appendix.

Hic quoque locus nihil prorſus Vbiquitati pa- Cenſura. *trocinatur, ut ſupra ab initio hujus 3. cap. in explicatione loci* Euſtathij *ex* Theod. *videre licet.*

Athanaſius de incarnatione, ſicut citatur 7. *apud Cyrillum in defenſione Anathematiſmi* 8. Appendix. *Tom. 3. pag. 386. Et in libro de recta fide ad Reginas*: Si quis dicat inadorabilem domini noſtri carnem ut hominis, & non adorandam, ut Domini & Dei carnem, hunc anathematiſat Sancta & Catholica Eccleſia.

Idem de incarnatione, ſicut citatur apud Cy- Athanaſius; *rillum in defenſione* 8. *Anathematiſmi, & in lib.* De adoratione Chriſti Dei & hominis. *de recta fide ad Reginas fol.* 105. Confitemur enim, *inquit Athanaſius*, etiam eſſe ipſum filium Dei & Deum ſecundum Spiritum, Filium hominis ſecundum carnem: non duas Naturas, unum filium, unam quæ adoratur, & unam quæ non adoratur: ſed unam Naturam Dei Verbi incarnatam & adorabilem cum carne ſua unâ adoratione: neque duos Filios, alium quidem Filium Dei verum, & qui adoratur, alium autem ex Maria, qui non adoratur, ſecundum gratiam Dei filium factum, ſicut & homines. *Et poſtea*: Si autem quis præter hæc ex divinis Scripturis alium docet eſſe filium Dei, & alium qui ex Maria adoptatus eſt in filium ſicut nos, ita ut ſint duo Filij, &c. Vel inadorabilem domini noſtri carnem, ut hominis: vel non adorandam ut domini & Dei carnem, hunc anathematizat ſancta & Catholica Eccleſia.

Extra controverſiam eſt apud orthodoxos, Cenſura. *totum Chriſtum, Deum & hominem, una invocatione adorari debere, & humanitatem nec poſſe debere in adoratione à Divinitate ſe-*

ſeparari, propterea quod Dei humanitas & cum Verbo unita ſit, quæ proprie adoratur in humanitate, tanquam in templo ſuo. Vnde Cyrillus *eam vocat adorabilem naturam. Nam propter unionem totus Chriſtus, adeoque cum Verbo etiam caro adoratur, ſicuti totus Rex honoratur ab eo, qui manum duntaxat ejus oſculatur. Nequaquam vero adorabilis ſit propter Vbiquitatem, vel propter infuſas Divinitatis proprietates, quod Vbiquiſtæ Majeſtatem vocant. Alioquin ſciendum* Auguſtinum, Cyrillum, Ambroſium, Damaſcenum, *alioſque Patres. Divinam tãtum Naturam propriè* adorabilem, *humanam vero* adorantem *vocare. Sic enim* Athanaſius *in lib. de Recta fide ad Theodoſium.* Qui autem, *inquit*, mulierem alloquebatur, unus & ſolus erat Dominus noſter Ieſus Chriſtus ex adorante humanitate, & adorabili Deitate, verè in ſe habens ut ſit & nominetur Deus ſimul & homo. *Adhuc clarius adorationem ſoli Deitati tribuit lib 2. Theſſ.cap.*1. Nemo, *inquit*, ignorat, nulli prorſus naturæ præterquam Dei, adorationem à Scriptura contribui. Scriptum eſt enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Quamvis ergo Filius verè adorabilis ſit, tamen ut homo adorat. *Summa horum & aliorum locorum eſt, Chriſtum Deum & Hominem indiviſum adorari, vnicam autem & propriam adorationis cauſam eſſe Deitatem: Humanitatem in adorationem includi, propter perſonalem unionem cum Deitate, non autem quod Deus ſit, vel divinas proprietates habeat. Quid igitur hi & ſimiles loci pro Vbiquitate faciunt?*

Item, Quæcunque ſcriptura dicit, Filium
8. Appendix. accepiſſe, ratione corporis accepta intelligit, corpuſque illud eſſe primitias Eccleſiæ. Primum igitur Dominus Corpus ſuum excitavit & exaltavit, poſthac autem & membra ſui Corporis.

Hic locus ſupra quoque citatus & explicatus
Cenſura. *eſt. Adhæc, intelligi non poteſt quid pro Concordiſtis faciat. Imo contra figmentum eorum facit, quòd dicitur*, Chriſtum etiam membra ſua excitare. *Hæc enim verba docent, juxta ſupra citatam* Athanaſii & Cyrilli *regulam, quòd membris ſuis participet omnia accepta ſua dona, quòd de Vbiquitate, vel divinitatis proprietatibus nequaquam intelligendum eſt.*

Hilarius *lib.9. pag.*130. Vt ita homo Ieſus
9. Appendix. maneret in gloria Dei Patris, ſi in Verbi gloriam Caro eſſet unita, & gloriam Verbi caro aſſumpta teneret.

Hilarius *lib.9. de Trinit. fol.* 178. Atque ita
Hilarius homo Ieſus Chriſtus maneret in gloria Patris, ſi in Verbi gloriam caro eſſet unita, rediretque tunc in Naturæ paternæ, etiam ſecundum hominem, unitatem Verbum caro factum, cùm gloriam Verbi caro aſſumta tenuiſſet.

Hilarius *his verbis docere vult, ſicut Chriſtus* Cenſura
ante incarnationem ejuſdem eſſentiæ cum Patre fuerit, ita nunc poſt incarnationem, totam perſonam, nempe Deum & hominem, per indulgentiam paternæ voluntatis, unum, & ejuſdem eſſentiæ cum Patre eſſe. Hoc enim, *inquit Hilarius*, aſſequebatur Homo, ut Deus fieret (*in unitate Perſonæ*) his autem aſſumtus homo in Deitate manere non potuit, niſi per vnitatem Dei in vnitatem Dei naturalem evaderet, ut per hoc, quod in Natura Dei erat Deus Verbum, Verbum quoque factum rurſum in Natura Dei ineſſet. *Ex quibus nihil aliud colligi poteſt, quàm indiſſolubilis vnitas Verbi cum aſſumta humana natura.*

Euſebius Emiſenus *in homilia feria 6. poſt* 10.
Paſcha pag. 297. Qui ſecundum divinita- Appendix.
tem ſemper, ſimul cum Patre & Spiritu ſancto, omnium rerum poteſtatem habuit, nunc & ſecundum humanitatem omnium rerum poteſtatem accepit, ut homo ille, qui nuper paſſus eſt, Cœlo & terræ dominetur, quin hic & ibi facit, quicquid vult.

Acceptam gloriam & dominationem hominis Cenſura.
Chriſti, nullam Vbiquitatem, vel effuſionem divinarum proprietatum in humanitatem, inferre, ſupra aliquoties indicatum eſt.

Gregorius Nyſſenus *apud* Gelaſiū & Theo- 11.
doretum *Dial.*2. *Tom.* 2. *pag.* 353. *de dicto illo* Appendix.
*Petri Act.*3. Dextera Dei exaltatus eſt, *&c.* Explicatio loci
Deus exaltari non indiget, cùm ſit altiſſimus. Act. 3.
Humanitatem igitur Chriſti Petrus exaltatã Concretum pro
intelligit. Exaltatam autem in eo, quòd Do- abſtracto.
minum ipſum & Chriſtum fecit. Quibus verbis non æternam eſſentiam deſignat Apoſtolus, ſed provectionem humilis Naturæ ad Celſitudinem eam, quæ ad Dexteram Dei eſt, deſignat. Dextera enim Dei, quæ creatrix eſt omnium, & quæ dextera eſt ipſe Dominus, ipſa dextera unitum ſibi hominem in propriam ſuam evexit celſitudinem, ſeu ſublimitatem, per unionem.

Quamvis etiam hic locus in medio abbrevie- Cenſura.
tur, allegatio tamen admitti poteſt. Pro Vbiquitate autem nihil facit, ſicut etiam priores: in quibus dicitur, humanitatem ad gloriam Deitatis evectam eſſe. Diſertè enim hic dicitur, per vnionem, *quod reali infuſioni divinarum proprietatum in humanitatem repugnat.*

Baſilius M. *contra Eunomium lib.* 2. *Petrus* 12.
*Actor.*2. Cùm inquit, Hunc Ieſum, quem vos Appendix.
cruxifixiſtis, fecit Dominum, voce demonſtrativa, Humanitatem Chriſti, deſignat, atque ipſi principatum ac dominium à Patre commiſſum dicit.

Baſilius contra Eunomium libro ſecun- Baſilius.
do fol. 322. Dominum, *inquit*, & Chri- Explicatio loci
ſtum ipſum Deus fecit, hunc Ieſum Act. 2.
quem vos crucifixiſtis, voce demonſtrativa in humanitatem ipſius, & quod

omni-

omnibus videbatur, tantum non palam incumbens: hic verò vocem (fecit) ad generationem unigeniti à principio transfert,& neque illud ipſum compeſcit, quod dominus non eſſentiæ ſed poteſtatis nomen. Quare qui dixit dominum ipſum & Chriſtum Deus fecit, principatum & dominium à Patre ipſi commiſſum dicit,non acceſſum ipſius adeſſe exponit.

Cenſura. *Hunc locum Concordiſtæ mutilatè ex* Baſilio *citarunt. Hæc autem eſt* Baſilii *ſententia illo in loco, Petri verba non intelligenda eſſe de Divina Chriſti Natura,ut Eunomius aliique hæretici, æternam Deitatem Filii negantes, fecerunt, ſed de Humana Natura, quatenus illa cum verbo unita Dominus noſter eſt.Hoc autem nihil prorſus pro Vbiquitiſtis facit, ut ex ſimilibus locis, prius citatis,intelligi poteſt.*

13 Appendix. Epiphanius *contra Arriomanitas*: *lib.*2.*Tom.*2.*pag.*343.Quia Petrus Act.2.addit, Hunc Ieſum,quem crucifixiſtis &c. ſignificat Domini incarnationem, & manifeſtum eſt, quod de carne dicit, quapropter dominum & Chriſtum Deus fecit id,quod ex Maria conceptum & Deitati unitum eſt,

Epiphanius. Epiphanius *contra Arrioman. lib.* 2. *Tom.*2. *fol.*343. Notum vobis ſit tota domus Iſrael. quòd hunc Ieſum,quem crucifixiſtis, & dominum & Chriſtum ipſum Deus fecit.*Et rurſus dicunt*, quòd hic fecit ſcriptum eſt: & non vident quod dictum eſt. (Ipſe enim per ſeipſum dictum declarat.) Hunc enim Ieſum, ut ſignificet Domini incarnationem: Ex hoc enim quod dicit: Hunc Ieſum quem crucifixiſtis,manifeſtum eſt, quòd de carne dicit,quam crucifixerunt,carnem enim crucifixerunt.

Et paulo poſt: Hunc igitur Ieſum quem crucifixiſtis: Vt ne relinqueretur ſancta in carne diſpenſatio à paſſionis exorte & increato Verbo,ſed couniretur ſuperne increato Verbo: Quapropter & dominum & Chriſtum Deus fecit: Id quod ex Maria conceptum eſt,& Deitati counitum.

Cenſura. *Hic etiam locus hinc inde ex* Epiphanio *corraſus eſt. Agit autem hoc ipſum* Epiphanius, *quod* Baſilius *etiam in præcedente loco. Arriani enim ex verbo* FECIT, *colligere volebant, Filium cum Patre non unius ejuſdemque æternæ eſſentiæ eſſe: Intelligentes verbum* FECIT, *de eius Deitate, cùm tamen de incarnatione Filii Dei & ejus officio intelligi debeat. Crucifixionem autem* Epiphanius *ad carnem Chriſti refert, quod etiam Petrus fecit*, 1.Pet.3.*Quid autem hoc pro Vbiquitate facit?*

14 Appendix. Ambroſius *lib.* 3. *cap.*12. *de Spiritu Sancto: Tom.*2.*pag.*157.Angeli adorant non ſolum divinitatem Chriſti, ſed & ſcabellum pedum ejus.Et poſtea, illam terram Propheta dicit adorandam, quam dominus Ieſus in carnis aſſumptione ſuſcepit. Itaque per ſcabellum terra intelligitur, per terram autem caro Chriſti, quam hodie quoque in myſteriis adoramus, & quam Apoſtoli in Domino Ieſu,ut ſupra diximus,adorarunt.

*Ambroſius lib.*3.*cap.*12.*de Spiritu Sancto,Tom.*2.*fol.*157. Adorarunt & Angeli, de quibus ſcriptum eſt:Et adorent eum omnes Angeli eius.Adorant autem non ſolum divinitatem ejus, ſed & ſcabellum pedum ejus. Ambroſius.

Et paulo poſt: Sed nec terra adoranda nobis,quia creatura eſt Dei: Videamus tamen, ne terram illam adorandam dicat Propheta, quam Dominus Ieſus in carnis aſſumptione ſuſcepit.Itaque per ſcabellum terra intellitur.Per terram autem caro Chriſti,quam hodieque in myſteriis adoramus,& quam Apoſtoli in domino Ieſu (ut ſupra diximus) adorarunt. Neque enim diviſus Chriſtus, ſed unus.Neque enim cùm adoraretur tanquam Dei filius,natus ex virgine negabatur.

Quæ Ambroſii *ſententia ſit,ex verbis ejus facilè intelligi poteſt. Hæc enim verba*, Chriſtus non eſt diviſus,ſed unus, *quæ Concordiſtæ pro more ſuo, quòd ipſis non inſerviebant, ſilentio præterierunt & omiſerunt,ſatis declarant,totum Chriſtum adorandum eſſe, & quòd nequaquam humanitati talem maieſtatem, ut Concordiſtæ volunt, affingant. De adoratione verò ſupra in* Athanaſii *loco ſatis dictum eſt.* Cenſura.

Auguſtinus *de verbis Domini,Serm.*58.*Tom.*10.*pag.*217. Si Chriſtus non eſt Naturâ Deus ſed creatura, nec colendus eſt,nec ut Deus adorandus.Sed illi ad hæc replicabunt ac dicent: Quid igitur eſt, quòd carnem eius, quam creaturam eſſe non negas, ſimul cum divinitate adoras,& ei non minus quam Deitati deſervis? 15 Appendix.

Auguſtinus *De verbis Domini ſerm.*58.*Tom.*10.*pag.*217. Quia ſi naturâ Deus non eſt Filius, ſed creatura,nec colendus eſt omnino, nec ut Deus adorandus, dicente Apoſtolo, Et coluerunt & ſervierunt creaturæ potius quàm creatori, qui eſt benedictus in ſecula: Et ad Galatas, ſed tunc ignorantes Deum, his,qui Naturâ non ſunt Dii,ſerviebatis, Sed illi ad hæc replicabunt & dicent: Quid, quod carnem eius,quam creaturam eſſe nõ negas, ſimul cum divinitate adoras, atque ei non minus quàm divinitati deſervis? Ego dominicam carnem,imò perfectam in Chriſto humanitatem propterea adoro, quòd à divinitate ſuſcepta atque Deitati unita eſt, ut non alium atque alium, ſed unum eundemque Deum & hominem Dei filium confitear. Deniq; ſi hominẽ ſeparaveris à Deo,ut Photinus vel Paulus Samoſatenus, illi ego nunquam credo vel ſervio. Veluti ſi quis noſtrum aut par-

purpuram aut diadema regale jacens inveniat, nunquid ea conabitur adorare? Cùm verò Rex eâ fuerit indutus, periculum mortis incurrit, ſi ea ſimul cum Rege quis adorare contempſerit: Ita etiam in Chriſto Domino humanitatem non ſolam aut nudam, ſed Divinitati ſuæ vitam, unum Dei filium, Deum verum, & hominem verum qui adorare contempſerit, æternæ mortis pœnam patietur.

Cenſura. *Si locus hic à Concordiſtis integer citatus fuiſſet, ſuo ſeipſos gladio jugulaſſent. Quia verò poſtrema hæc verba*: Ego Domini cum carnem imò perfectam in Chriſto humilitatem propterea adoro, quod à divinitate ſuſcepta eſt atque Deitati unita, non alium atque alium ſed unum eundemque Deum & hominem Dei filium confiteat. Denique ſi hominem ſeparaveris à Deo, & quæ ſequuntur reliqua, *Pro pſeudomajeſtate illorum nihil fecerunt, omiſerunt illa, quemadmodum ipſe quoque Diabolus, cum Chriſtum Matthæi quarto capite tentaſſet, nonageſimum primum Pſalmum citavit. Alioquin quod ad rem ipſam pertinet, de adoratione nempe totius Chriſti, Dei & hominis, hoc tertio capite ſupra in loco Athanaſii Patrum ſententia ſatis declarata eſt. Vt autem res melius ac plenius intelligatur, unum adhuc locum ex Epiphanii Ancorato ſuperioribus adjiciemus.* Corpus igitur ex Maria, *inquit*, quid dicis? Adoras Salvatorem incorporatum, aut non adoras? Quomodo verò non adorabo? Si enim non adoravero, non habeo vitam. Ecce igitur creaturam adoras ipſum Corpus. Ingens autem eſt væſania eorum qui talia dicunt. Nam rex purpuram indutus, ab omnibus adoratur: nunquid ergo purpura adoratur aut Rex? Manifeſtum eſt quòd Rex? Coadoratur autem cum ipſo etiam purpura quam geſtat: ubi verò Rex hanc exuit & in locum repoſuit, non amplius veſtis purpura adoratur. Sed & etiam in templo ſæpè rex in proprio throno & adorantes adorant regem in templo ac throno proprio: ubi verò ſurrexit rex, nemo neque templum neque thronum adorat. Nemo autem adeo inſanus eſt, ut adorare volens Regem in templo ipſius dicat ad Regem: Egredere ex templo tuo ut te adorem. Sic ſanè nemo dixerit unigenito: Dimitte corpus ut te adorem: Sed adorat cum corpore unigenitum, increatum cum templo Sancto, quòd accepit ubi venit. Et nemo dicit ad regem: Surge ex throno ut te adorem citra thronum: Sed adorat regem cum throno. Itaque & Chriſtus adoratur cum corpore ſepulto & quod reſurrexit. *Hactenus verba Epiphanii: Ex quibus luculenter intelligitur, ut Chriſtus à nobis adorari debeat.*

Idem in Pſalmum nonageſimum octavum Tomo octavo pagina 1103. Adorate ſcabellum pedum eius. Scabellum eſt terra, & Chriſtus ſuſcepit terram de terra, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hic ambulabit & ipſam carnem manducandam nobis ad ſalutem dedit. Nemo carnem illam manducat, niſi prius adoraverit. Inventum ergò eſt, quo modo adoretur tale ſcabellum pedum domini, & non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando. 16. Appendix.

Idem in Pſalmum nonageſimum octavum Tomo octavo paginâ 1104. Quia Pſalmus mihi dicit: Adorate ſcabellum pedum eius: Quæro quid ſit ſcabellum pedum eius, & dicit mihi Scriptura, Terra ſcabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hic, & invenio, quomodo ſine impietate adoretur ſcabellum pedum eius: Suſcepit enim de terra terram, quia caro eſt de terra, & de carne Mariæ carnem accepit, & quia in ipſa carne & hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit: Nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adoraverit: inventum eſt quomodo adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando. Auguſtinus Explicatio loci Pſal. 98.

Cenſura. *Hoc loco* Auguſtinus *illud ipſum docere vult, quod in priore docuit, nempe, totum Chriſtum, Deum & hominem, rectè adorari, quod nemo ex noſtris unquam negavit. Quòd autem Concordiſtæ hæc verba ad carnem tantum Humanæ Naturæ referunt (quæ verba in Appendice ſua majuſculis ſubinde literis pingunt, ut imperito Lectori ſic fucum faciant)* Auguſtino *injuriam faciunt, ut facilè intelliget Lector, ſi præcedentia & ſequentia quoque legat, & cum citato loco diligenter conferat.*

Concordiſtæ etiam in hoc loco, verba hæc, Nemo autem carnem illam manducat, *majuſculis literis ornarunt, quum* Auguſtinus *ibi non de Cœna ex propoſito, ſed tantum de adoratione Chriſti agat, ut perſuadeant ſimplici Lectori, in Cœna carnem Chriſti oraliter manducandam, quia in* Auguſtino *ſic ſcriptum ſit: Lector verò* Auguſtini *verba integra aſpiciat, & reperiet, iis additum eſſe*, Niſi prius adoraverit. *Fide autem adoratur, quum abſque fide nulla vera adoratio poſſit eſſe. Sequitur ergo, carnem Chriſti à fidelibus tantum fide, non autem ab infidelibus ore Chriſti carnem manducari. Expendat etiam Lector*

Rr verba

verba Auguſtini, *quæ prioribus ibidem mox adjiciuntur*, *columna* 1105. *Explicans enim verba hæc Chriſti*, Verba quæ loquutus ſum vobis Spiritus & vita ſunt: Non, *inquit*, hoc Corpus, quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, Spiritualiter intellectum vivificabit vos. *Ex quibus verbis perſpicuè intelligit Lector, quid* Auguſtinus *de orali manducatione Chriſti Corporis ſenſerit.*

17. Appendix. Chryſoſtomus *ad Heb.* 2. *cap. ſic ſcribit.* Magnum, admirabile & ſtupore plenum eſt, carnem noſtram ſurſum ſedere, & adorari ab angelis & Archangelis. Hoc ſæpè mente verſans, ecſtaſin patior, 1. Cor. 10. Hoc corpus Chriſti in præſepe jacens, Magi venerati ſunt, & à longè venientes in timore & tremore multo adoraverunt.

Idem apud Leonem *Epiſt.* 95. *inquit*, Cognoſcamus quæ natura ſit, cui Pater dixit: Eſto meæ particeps ſedis. Illa natura eſt, cui dictum eſt: Terra es & in terram ibis.

Cenſura. *Nemo negat, totum Chriſtum, Deum & hominem adorari debere, & Humanam etiam Naturam hujus adorationis participem eſſe. Cauſa verò honoris, vel adorationis hujus eſt ſola unio carnis cum verbo adorabili, quæ propriè adoratur, ſicuti ex* Athanaſio, Cyrillo Auguſtino *hucuſque ſatis clarè intellectum eſt.*

18. Appendix. Theophylactus *ex Chryſoſtomo in cap. Matth.* 28. *pagina* 78. Quia Humana Natura prima condemnata, nunc verò juncta Deo Verbo perſonaliter, ſedet in Cœlo, & ab Angelis adoratur, meritò dicit: data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo & in terra. Etenim Humana Natura prius ſerviebat, nunc in Chriſto omnibus imperat.

Cenſura. Explicatio loci Mat. 28. *Etſi hæc verba per ſe ex* Theophylacto *rectè citata ſint, ſequentia tamen verba, ſatis clarè indicant, ea à Concordiſtis longè alio ſenſu intelligi, quàm à Theophylacto ſcripta ſint. Paulò poſt enim in Theophylacto hæc ſequuntur, quæ cum Græca verſione concordant:* Ut breviter, *inquit*, dicam, ſi tanquam à Deo Verbo dictum, accipias, Data eſt mihi omnis poteſtas: ſic intellige: Data eſt mihi omnis poteſtas, eò quòd voluntarii, & involuntarii me agnoſcunt Deum, qui prius mihi inſerviebant involuntario obedientiæ modo. Sin vero tanquam à natura humana dictum accipis, ſic intellige: Ego prius condemnata Natura, exiſtens autem, ſecundum unionem inconfuſam cum Filio Dei, accepi poteſtatem ſuper omnia, ita ut adorer ab Angelis in cœlo, & ſuper terram glorificer ab omnibus finibus terræ.

In his verbis Theophylactus *cauſam hujus adorationis apertiſſimè indicat, unionem videlicet carnis cum Filio Dei. Et addit verbum* inconfuſam, *ne qua Vbiquiſtica infuſio divinarum proprietatum in carnem fingatur. Nam ex Vbiquiſtica confuſione proprietatum, neceſſariò ſequeretur naturarum confuſio, ut in præcedentibus ſæpè indicatum eſt.*

Idem in tertium caput Iohannis pag. 235. Pater omnia dedit in manum filii juxta humanitatem. 19. Appendix.

Theophylactus. *Idem in* 3. *caput Iohan.* 157. Pater omnia dedit in manum filii juxta humanitatem: Si autem & ſecundum divinitatem, quid hoc? Dedit pater omnia Filio ratione Naturæ, ſed non gratiæ, quoniam eſſe à Patre habet, meritò & omnia à Patre habere dicitur.

Cenſura. *Quid hic locus Bergenſibus pro ſua Vbiquitate, adeoque toto ſuo propoſito faciat, reperiet Lector ſupra capite* 2. *ubi etiam ab illis citatus eſt.*

20. Appendix. Cyrillus *de Incarnatione cap.* 11. *Tom.* 4. *pag.* 241. Verbum in id, quod non erat, ſe immiſit, & ut hominis Natura id, quod non erat, fieret, Divinæ majeſtatis dignitatibus per adunationem fulgens, quæ ſublevata magis eſt ultra Naturam, quam dejecit Naturam invertibilem Deum.

Cenſura. *Hic locus in allegato capite non invenitur. Sed ſit* Cyrilli, *ſive non ſit, diſertè tamen loquitur de indiſſolubili unione duarum naturarum in Chriſto Ieſu Mediatore. Bergenſibus igitur ad ſuum propoſitum nihil facit, eo probare volentibus, ut in titulo cap.* 3. *videre licet, Humanam Naturam in abſtracto Pſeudo-Vbiquiſticam Majeſtatem adeptam eſſe.*

21. Appendix. *Epheſinum concilium Canon.* 11. *Cyrillus Tom.* 4. *pag.* 139. Si quis non confitetur carnem Domini eſſe vivificam, propterea, quòd propria facta eſt Verbi, quod omnia vivificat, Anathema ſit.

Ibid. pag. 140. Et Cyrillus in explicatione illius Anathematiſmi dicit. Neſtorium noluiſſe vivificationem tribuere carni Chriſti, ſed ſententias Iohan. 6. expoſuiſſe de ſola divinitate.

Epheſinum Concilium. *Epheſini Concilii capitulum* 11. *ex Tomo conciliorum generalium fol.* 81. Si quis non confitetur carnem Domini vivificatricem eſſe, & propriam ipſius Verbi Dei Patris, ſed velut alterius præter ipſam conjuncti eidem per dignitatem, aut quaſi divinam habentis habitationem, ac non potius vivificatricem eſſe, quia facta eſt propria Verbi vivificare valentis: Anathema ſit.

Et in defenſione Anathematiſmi: Neſtorius verò: Audite, inquit, attendentes verba: Qui manducat carnem meam, &c. Memores eſtote quòd de carne eſt ſermo, &c.

&c. Sed fortè malè interpretor. Audiamus igitur ex ſequentibus: ſicut miſit me vivens Pater. Dicit hæreticus: Hic divinitatem dicit. Miſit me Deum Verbum vivens Pater, ſecundum illos: Et ego Deus Verbum vivo propter Patrem. Deinde poſt hoc: Et qui manducat me, & ille vivet. Quid manducamus? Divinitatem ne vel carnem?

Cenſura. *Caro Chriſti viuifica caro eſt, quia pro mundi vita data eſt Iohan. 6. Hic autem quæri poſſet: quomodo caro Chriſti viuificet? Ad hoc reſpondet Concilium Epheſinum, & quidem contra Neſtorium: quia Verbi caro ſit, cum quo unita ſit in unitate Perſona. Animadverte hanc cauſam, quomodo & quare Chriſti, caro viuifica vocetur.* Quomodo igitur, dic oro, *inquit* Cyrillus *lib. de recta fide ad Theodoſium*, dicitur vivifica caro? vel quomodo & ex cœlo eſſe, quod de terra eſt? Secundum unionem. ſcilicet cum vivente & cœleſti Verbo. *Magna eſt igitur & notoria impudentiæ Concordiſtarum, qui hæc & ſimilia* Cyrilli *aliorumque Patrum dicta citare audent, ad hanc ſuam falſam opinionem confirmandam, Chriſti videlicet carnem propterea viuificam eſſe, quod virtus vivificandi, ut & Vbiquitas, & omnes aliæ Deitatis proprietates, carni à Verbo realiter communicatæ & infuſa ſint, de quo ſupra quoque cap. 1. dictum eſt.*

22. Appendix. Theodoretus *dialog. 2. Tom. 2. pag.* 330. Illud corpus Seſſione ad dexteram Dei dignum habitum, & ab omni creatura adoratur, ut quod appellatur corpus Dei.

Cenſura. *Hoc loco, licet in allegato Dialogo non inveniatur, cauſa indicatur, ob quam caro Chriſti ad Dexteram Dei exaltata ſit & adoretur: quia videlicet non caro vel Corpus ſit vilis alicujus hominis, ſed Dei quod nemo unquam ſano ſenſu præditus negavit. Pro Concordiſtis igitur nihil facit, & opponimus illis alium* Theodoreti *locum in allegato Dialogo, ad quem fortaſſe reſpexerunt:* Igitur, *inquit*, dominicum Corpus ſurrexit quidem à corruptione ac interitu alienum, & impatibile, & divinâ gloriâ glorificatum & à cœleſtibus adoratur poteſtatibus: Corpus tamen eſt & habet, quam prius habuit, circumſcriptionem. *His verbis penitus evertit* Theodoretus, *quicquid Bergenſes in ſuo Concordiæ Libro de Tertio ſupernaturali, divino & ubique eſſendi modo Corporis Chriſti fingunt, quem jam in gloria ſua habeat, omnia penetret, repleat & extra omnes creaturas ſit, quam procul ipſe Deus ſit: omnia enim plena eſſe Chriſti, etiam ſecundum humanitatem, &c.*

23. Appendix. *Item in Pſal.* 8. Hujuſmodi honorem à Deo univerſitatis, ſcilicet, imperium Humana Natura in Chriſto accepit.

Cenſura. *Hic locus agit de regio officio Chriſti, quod ille juxta utramq; Naturam exequitur, & juxta Humanam Naturam in tempore ad hoc exaltata eſt. Vt autem hinc nulla Vbiquitas carnis ſequatur, ſæpius indicatum eſt.*

Leo *epiſt.* 11. *fol.* 94. Aſſumpti non aſſumentis provectio eſt, quod Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, & omnia lingua confiteatur, quòd Dominus ſit Ieſus Chriſtus in gloria Dei Patris. 24. Appendix.

Leo epiſt. 6. fol. 138. Nec verbum igitur in carnem, nec in Verbum caro mutata eſt, ſed utraque in uno manet, & unus in utroque eſt, non diverſitate diviſus, non permixtione confuſus, nec alter ex Patre, alter ex matre, ſed idem aliter ex Patre ante omne Principium, aliter de matre in fine ſeculorum, ut eſſet mediator Dei & hominum homo Ieſus Chriſtus, in quo habitaret plenitudo divinitatis corporaliter, quia aſſumpti non aſſumentis provectio eſt, quòd Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen, quòd eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quòniam Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Leo.

Hic locus nobis non adverſatur: & ut ex eo probari non poſſit humanam naturam in abſtracto talem majeſtatem nactam eſſe per, quam ubique præſens, omnipotens & omniſcia facta ſit in ſimilibus præcedentibus locis, qui etiam de gloria carnis Chriſti loquuntur, ſæpius declaratum eſt. Cenſura.

Damaſcenus *lib.* 3. *cap.* 48. *pag.* 251. Divina Chriſti voluntas erat æterna & omnipotens. Humana vero eius voluntas à tempore cœpit, & naturales ac innoxias affectiones ſuſtinuit, & naturaliter, quidem non erat omnipotens. Ut autem verè, & ſecundum Naturam Dei verbi voluntas eſt facta, & omnipotens eſt. Hoc, ſicut commentator explicat: Divina voluntas ſuapte natura habet potentiam omnia efficiendi, quæ velit: Humana verò Chriſti voluntas non ſuâ Naturâ habet omniefficacem virtutem, ſed ut Deo Verbo unita. 25. Appendix.

Damaſcenus *lib.* 3. *cap.* 18. Nam divina eius voluntas principii expers & omnium efficiens erat, utpote comitem habens potentiam, & ab omni paſſione immunis. At humana ipſius voluntas cœpit in tempore, & ipſa naturales atque irrepræhenſibiles paſſiones ſuſtinuit. Et naturaliter quidem non omnipotens erat. Vt autem Dei Verbi ſecundum veritatem & naturam facta, omnipotens: id eſt, ut Commentator explicat: Divina voluntas ſuaptè Naturâ efficaciſſima eſt, & virtutem habens omnia efficien- Damaſcenus.

efficiendi, quæ velit. Quæcunque enim vult, eadem & poteſt. Humana verò Chriſti voluntas non hanc ſuâ naturâ habet omni efficacem virtutem, ſed ut Deo Verbo juncta.

Cenſura. Damaſcenus *hoc loco docere vult, Humanam voluntatem Naturâ non omnipotentem eſſe: ſimul tamen omnia, quæ velit, efficere poſſe. Vnde verò hoc?* Quia cum omnipotenti Verbo in unam Perſonam juncta ſeu unita ſit. *Si hæc declaratio vera eſt, nulla eſt ampliùs controverſia. Nam ut* Damaſcenus *dicit*, humanam naturam deificatam, ſeu Deum factam eſſe & Divininam Naturam hominem factam per unionem: *ita etiam dicit*, humanam voluntatem omnipotentem eſſe factam propter unionem: *Quicquid enim Chriſtus vult, etiam ſecundum Humanam voluntatem, efficere quoque poteſt; divinam enim comitem habet potentiam, ut* Damaſcenus *loquitur, propter unionem. Sin verò explicatio hæc falſa eſt, & juxta Concordiſtas Bergenſes verum, humanæ voluntati Chriſti Deitatis proprietatem Omnipotentiæ realiter communicatam, ſeu infuſam eſſe, ſequatur neceſſe eſt, ut vel in Chriſto duæ omnipotentes voluntates, & per conſequens, duæ omnipotentes Naturæ, duæque omnipotentiæ ſint, quòd manifeſtè falſum eſt: duæ enim omnipotentes Naturæ, duæ Deitates eſſent: vel Humanam illam Chriſti voluntatem non amplius Humanam ſed Divinam voluntatem eſſe, adeoque Monothelitas hæreticos rectè docuiſſe, poſt unionem perſonalem eſſentiales proprietates cujuſque naturæ non manſiſſe & nunc in Chriſto non duas ſcientias, duas voluntates & duas operationes, ſed unam tantum ſcientiam, unam voluntatem, unamque operationem eſſe.*

Idem cap. 19. Caro operanti Deitati Verbi communicat, &c.

26. Appendix. *Hic locus ſupra quoque in fine primi capitis citatus & explicatus eſt.*

Cenſura. *Idem cap.* 21. *pag.* 260. Humana Natura in

27. Appendix. Chriſto eſſentialiter non poſſidet ſeu obtinet futurorum cognitionem, ſed ut Domini anima, propter unionem ad ipſum Deum Verbum, locupletata eſt cum reliquis divinis prædictionibus etiam futurorum cognitione. Nos ergo dicimus, unum Chriſtum eundemque ſimul Deum & hominem omnia ſcire: in ipſo enim omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi ſunt.

Damaſcenus. *Idem cap.* 21. *fol.* 131. Quemadmodum enim hominum caro ſecundum propriam Naturam non eſt vivificans: & Domini caro, quæ unita eſt ſecundum hypoſtaſin ipſi Deo Verbo, à mortalitate ſecundũ naturam non deſtitit: Vivificans autem facta eſt propter unionem ad Verbum ſecundum hypoſtaſin: Et non poſſumus dicere, quod non fuit, ſed eſt ſemper vivificans: Sic humana natura ſubſtantialiter non obtinet futurorum cognitionem. Domini autem anima propter ipſam ad Deum Verbum unionem, & hypoſtaticam identitatem, dives facta eſt, ceu dixi, cum reliquis Divinis Miraculis etiam futurorum cognitione.

Et in fine capitis: Nos autem dominatorem ipſum dicimus, & Dominum omnis creaturæ, unum Chriſtum, eundemq; Deum ſimul, & hominem, & omnia ſcientem: Nam in ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.

Cenſura. *Locus hic novâ explicatione non indiget, certum quippe eſt & probari poteſt*, Damaſcenum *omnia uno eodemque ſenſu ſcribere: nempe, humanitatem, vel carnem, vel animam Chriſti eſſe deificatam, Deum, & cum Deo, ad divinam dignitatem exaltatam, in thronum Dei locatam adorabilem, vivificatricem, omnipotentem & omniſciam, &c. videlicet propter unionem perſonalem cum Verbo, quòd hæc omnia ſit & habet. Vbiquiſtis igitur in his ſimilibuſque locis probandum eſt, humanitatem hæc omnia eſſe & habere per realem communicationem vel infuſionem divinarum proprietatum, ut ipſi docent.*

Nicephorus *lib.* 18. *Capite* 36. Chriſtus à diſcipulis in Galilææ monte conſpicitur, &c. 28. Appendix.

Hic locus in citato loco non extat, ſed lib. 1. *cap.* 36. *pag.* 86. *& ſupra in fine ſecundi Capitis indicatum eſt quid de eo ſentiendum ſit.* Cenſura.

CAPVT IV. teſtimoniorum Patrum.

In hoc capite probare conantur Bergenſes, Sacram Scripturam & Patres hanc majeſtatem, quam Chriſtus in tempore accepit, non tantum de finitis qualitatibus intellexiſſe, ſed de gloria & majeſtate Deitatis, quæ Dei propria ſit, ad quam Humana ejus Natura in Perſona Filii Dei exaltata ſit, & ſic potentiam & operationem Divinæ Naturæ, quæ Deitatis propria eſt, accepiſſe.

Iudicium Marchionis Badenſis de hoc toto capite.

Si vero majeſtas, quæ Divinæ Naturæ Chriſti propria eſt, Humanæ Naturæ realiter & efficaciter communicatur, non amplius Dei propria ſed etiam Humanæ Naturæ eſt, & propterea non eſt amplius proprietas, quandoquidem communis facta eſt. Hoc autem falſum eſſe, ex ſequentibus Vigilii *verbis clariſſimè intelligitur, quæ lib.* 5. *ſic habent*: Impium & ſacrilegum eſt ea, quæ ſunt propria carnis Chriſti, ad Naturæ Verbi proprietatẽ referre, & quę ſunt propria Verbi proprietati naturæ carnis adſcribere. *Ex his verbis intelligitur, hũc totum titulũ quarti hujus Capitis impium eſſe, & omnia dicta Patrũ, quæ ad ejus confirmationem citantur, pro Vbiquiſtis nihil prorſus facere, ut in ſingulis indicabitur. Toto etiam capite hoc quæſtio relinquitur, an divina majeſtas, Vbiquitas, proprietates,*

potentia,

potentia, operationes, &c. Humanæ Naturæ per unionem (quod nos cum Patribus fatemur) vel per realem communicationem ſeu infuſionem communicatæ ſint, quod Vbiquiſtæ affirmant.

1. Appendix. *Hilarius de Trinitate libro 3. pagina* 28. Verbum caro factum orabat, ut id, quod de tempore erat, gloriam eius claritatis, quæ ſine tempore eſt, acciperet.

Hilarius *Idem de Trinitate lib. 3. fol.* 39. Filius nunc caro factus orabat ut hoc Patri caro inciperet eſſe quod Verbum, ut id quod de tempore erat, gloriam eius, quæ ſine tempore eſt, claritates acciperet, ut in Dei virtutem & Spiritus incorruptionem transformata carnis corruptio abſorberetur.

Cenſura. *Ex hoc loco Bergenſes colligere volunt, carni Chriſti Deitatis propriam gloriam & majeſtatem datam eſſe. Reſpondemus autem, carnem Chriſti magnis donis exornatam eſſe, hæc autem Deitatis proprietates eſſe; has verò humanitati realiter communicatas vel infuſas eſſe, negamus, duabus de cauſis.* 1. *Quòd hoc pacto caro Chriſti, vel humana eius Natura etiam ab æterno fuiſſet, æternitas enim æquè eſt proprietas Divinæ Naturæ, ac gloria vel majeſtas.* 2. Hilarius *ipſe in fine hujus loci hoc declarat his verbis, quæ Bergenſes fraudulenter omiſerunt, nempe*, carnis corruptionem abſorptam eſſe, & hanc carnem in Dei virtutem & Spiritus incorruptionem transformatam eſſe.

2. Appendix. Gregorius Nyſſenus *apud* Gelaſium *&* Theodoretus *Dialogo 2. Tomo 2. pagina* 333. *de dicto illo Petri Actorum* 2. Dextra Dei exaltatus eſt, *&c.* Ipſa dextra unitum ſibi hominem in propriam ſuam erexit celſitudinem, ſeu ſublimitatem per unionem.

Idem de Anima: Deus Verbum à communione illa, quæ ſibi eſt ad Corpus & animam, nunquam alteratur, neque particeps eſt imperfectionis illarum, ſed tradens eis ſuę divinitatis virtutem, manet idem, quod erat & ante unionem.

Cenſura. Gregorius Nyſſenus *in primo loco agit contra Arianos, qui verba Petri ad divinam naturam peculiariter referebant, & de illa ſolùm intelligebant, ideoque negare volebant, eam ab æterno ejuſdem eſſentiæ cum Patre fuiſſe. Contra hos docet, perſonalem unionem tam arctam & firmam eſſe, ut ſolvi nullo modo poſſit: Alioquin ſequeretur, Humanam Naturam Deum ipſum eſſe, quia celſitudo Deitatis propria eſt ipſa Deitas, quòd impoſſibile eſt. Alter locus ex priore intelligi poteſt.*

3. Appendix. Baſilius Magnus *in Nativitatem Chriſti*: Humana Dei caro particeps facta eſt Deitatis, ſicut ignis communicat ſeu impertit ferro ignito propriam ſuam facultatem, vim ſeu potentiam, nec communicatione illa minor fit, ſed ſeipſo totum ferrum replet, quòd (illâ ſcilicet unione) particeps eſt ignis.

Baſilius Magnus *in Nativitatem Chriſti fol.* 248. Quomodo Deitas eſt in carne? Quemadmodum ignis in ferro, non tranſitivè, ſed diſtributivè. Non enim excurrit ignis ad ferrum, verùm manens in loco, diſtribuit ipſi propriam facultatem, & neque minor fit diſtributione, & participans totum de ſeipſo replet. Eodem ſanè modò etiam Deus Verbum, neque emotus ex ſeipſo, & habitavit in nobis, neque mutationem ſubſtinuit. Baſilius Magnus

Baſilius *hoc loco id tantum docere vult, in Perſona Chriſti duas Naturas ſine confuſione uniri poſſe, & propter hanc unionem divinitatem non mutari, vel ei aliquid derogari: Contra verò humanitati multa accedere, ſic tamen, ut uniuſcuiuſque naturæ eſſentia, & earum eſſentiales proprietates incorruptæ maneant. Idcirco in hac ſimilitudine ferri candentis, & aliis ſimilibus cautè incedendum eſt, & videndum, quatenus à Patribus citentur ad myſterii hujus explicationem, nempe, ut iis ſignificent*, Primò *arctiſſimam unionem duarum naturarum in unam perſonam, non ut duo aſſeres conglutinantur, & tamen extra ſe ſunt, ſed ut ferrum & ignis, quorum unum in altero eſt, & unum alterum penetrat: Nam eodem modo penetrat & replet Verbum aſſumptam ſuam carnem, & caro manet in Verbo, à quo geſtatur.* Deinde, *ut aliquo modo declarent communionem proprietatum & operationum utriuſq; Naturæ in una Perſona, in qua unaquæq; operatur cum altera quod ſuum propriũ eſt, ſine ulla tamen confuſione: ut in candenti gladio calor & acies una junctæ ſunt, & in feriendo non urit abſque acie, & ſcindit non ſine calore, & tamen urit per calorem, non per aciem, & ſcindit per aciem non per calorem.* Poſtremò, *ut declarent, Verbum aſſumptæ ſuæ carni excellentiſſima quidem dona, non tamen ſuas eſſentiales proprietates realiter communicare, ipſum verò à carne nihil accipere, vel minus fieri: Vt ignis ferro aliquas communicat qualitates, nimirum ut ſit candens, & luceat, non autem eſſentiales ſuas proprietates, calorem videlicet, ſubtilitatem, levitatem, &c. Ferrum enim candens nihilominus manet craſſum, denſum, & deorſum vergit, ignis autem ferri Naturam non induit, non enim fit denſum, grave, nigrum, etiamſi cum ferro ſit commixtum.* Cenſura. Explicatio ſimilitudinis ferri candentis.

Ne autem Vbiquiſtæ occaſionem aliquam habeant porrò cavillandi, reſponderi etiam hoc poteſt, quod ipſemet Damaſcenus *lib. 3. c. 26. fatetur: nempe, in his ſimilitudinibus multa eſſe diſſimilia, propterea diligenter animadvertendum quid diſſimile ſit, alioquin multa inconvenientia inde ſequerentur. Ideò hæc ſimilitudo aliquo modo, & in eo ſenſu, ut à Patribus uſurpatur admitti poteſt, nequaquã verò in Vbiquiſtico ſenſu.* Damaſceni neceſſaria admonitio de ſimilitudine ferri candentis

Minimè etiam ex ea ſequitur, ut illi colligunt, carni Chriſti omnes eſſentiales proprietates Deitatis realiter communicatas & infuſas eſſe. Nam primò, *communicat ignis neque omnes, neque aliquas ſuas eſſentiales proprietates, ſed duas tantum qualitates, nempe ut urat & luceat.* Secundò, *urere & lucere in ferro ut accidentia in ſuo ſubjecto ſunt: ipſimet vero Vbiquiſtæ fatentur, Deitatis prietates in humanitate non ſubjectivè eſſe.* Tertiò, *duæ ignitæ qualitates in ferro, ferri Naturam non deſtruunt: eſſentiales verò Deitatis proprietates humanitati realiter communicatæ, non permitterent eam humanitatem manere, ſed eam deſtruerent, & aliam Deitatem facerent.* Quartò, *duæ corporeæ qualitates ignis unicuique rei, ignis participi, facilè communicari poſſunt, divinarum autem proprietatum nulla creatura particeps eſt, excepta ſola Dei Natura.*

4. Appendix. Epiphanius *in Ancorato:* Idem Deus, Idem homo, Corpus terreum unà cum Deitate potens, efficiens, in unam potentiam univit, in unam Deitatem reduxit.

Epiphanius. Epiphanius *in Ancorato* Idem Deus, Idem homo, qui non confuſionem operatus eſt, ſed duo miſcuit in unum, non ad interitum cedens, ſed corpus terreum una cum Deitate potens efficiens, in unam virtutem vivit, in unam Deitatem collegit, unus exiſtens Dominus, unus Chriſtus, non duo Chriſti, nec duo Dei.

Cenſura. *Si quis hunc* Epiphanii *locum, ut etiam præcedentia verba non cautè legat, nec ſanè intelligat, facilè tam Neſtorii, quàm Eutychis hæreſin iis probare poſſet: Dicit enim*, Chriſtum poſt reſurrectionem non amplius diviſum eſſe in corpus in ſepulchro, in Deitatem, in animam in inferno: *Perinde ac ſi in morte Chriſti Divinitas à corpore & anima diviſa eſſet. Item*, corpus Chriſti jam non amplius tangi poſſe. *Item*, unionem naturarum ipſe vocat commixtionem duarum rerum in unam. *Hæc verba juxta Sacram Scripturam intelligenda ſunt nempe; Chriſtum poſt reſurrectionem non amplius mori poſſe: Item, corpus eius craſſas & terrenas qualitates depoſuiſſe, ut jam ſit ſpirituale corpus, & tamen verè corpus, quod tangi poſſit, carnem item & oſſa habeat, ſicut* Thomas *ipſum poſt reſurrectionem attrectavit: Phraſis item hæc*, duo miſcere in unum, *Epiphanio ſignificat, duas Naturas arctiſſimè uniri in unam perſonam.*

5. Appendix. Cyrillus *in Ioh. lib. 4. cap. 23.* Non imperitè omninò vivificam carnem eſſe negatis. Nam ſi ſola intelligatur, nihil prorſus vivificare poteſt, quippe quæ vivificante indigeat. Cum verò incarnationis myſterium laudabili curâ ſcrutari fueritis & vitam habitantem in carne cognoveritis, quamvis nihil penitus caro per ſe ipſam poſſit, vivificam tamen factam eſſe credetis. Nam quoniam cum vivificante Verbo conjuncta eſt tota effecta eſt vivifica. Non enim ad corruptionem ſuam naturam junctum Dei Verbum detraxit, ſed ipſa ad meliorem virtutem elevata eſt. Quamvis ergo Natura carnis, ut caro eſt, vivificare nequeat, facit tamen hoc qui totam Verbi operationem ſuſcepit. Non enim Pauli, aut Petri, aut cæterorum, ſed ipſius vitæ corpus in quo Deitatis plenitudo corporaliter habitat, facere hoc poteſt. Quas ob res caro cæterorum omnium nihil prodeſt: Chriſti autem Caro, quia in ipſa unigenitus Dei filius habitat, ſola vivificare poteſt.

In hoc loco ſunt à Concordiſtis quædam verba omiſſa. Docet autem Cyrillus, *primò, carnem Chriſti vivificam carnem eſſe, quod hæc caro, quæ pro mundi vita data eſt, non communis & vulgaris caro ſit, ſed caro filii Dei, quæ omnia vivificat, quia cum ipſo perſonaliter unita eſt. Secundò docet, nobis per hanc carnem vitam æternam dari non quidem quòd nos illam in Cœna corporaliter edere debeamus, ſed ſi firmiter credamus, & perſuaſum habeamus, hanc carnem pro nobis in cruce ſatisfeciſſe, ſicut Chriſtus ipſe Ioh. 6. c. docet, quæ omnia pro Bergenſium cauſæ defenſione nihil faciunt.* Cenſura.

Auguſtinus *contra Felicianum Arrianum cap.* 11. Injuriâ ſui corporis affectam non fateor Deitatem, ſicut majeſtate Deitatis glorificatam novimus carnem. 6. Appendix.

Idem contra Felicia. Aria. cap. 11. *Tom. 6. fol.* 783. Ex hoc pacto in mediatore Dei & hominum, injuriâ ſui Corporis affectam non fateor Deitatem, ſicut majeſtate Deitatis glorificatam novimus carnem. Auguſtinus.

Cenſura. *Vt majeſtas Dei, de qua* Auguſtinus *hoc loco agit, intelligenda ſit, ex præcedentibus verbis colligi poteſt, ubi ait:* Non erat proprium carnis quod ſuper frementes aquas ſiccis pedibus ambulavit: *Item*, paucis panibus tot millia hominum ſatiavit. *Quod ſi quis hinc* (Chriſtus ſiccis pedibus ſuper aquas ambulavit) *colligere velit: Ergo eſt etiam ubique omniſcius & omnipotens, negatur conſequentia: alioquin ſequeretur: Petrus ſuper aquas ambulavit, Ergo eſt ubique. Hæc autem majeſtas Dei, quâ caro Chriſti exornata eſt, vel increata vel creata eſt: ſi creata, ipſa eſt Deitas cum ſuis eſſentialibus proprietatibus: hæc verò caro aliter non eſt ornata, quàm per unionem, quòd homo Deus eſt: alioquin dicendum eſſet, carnem ipſam Deitatem & Deum factam eſſe. Sin vero increata eſt, non eſt utique Vbiquitas, neque una, vel omnes eſſentiales proprietates, ſed conſiſtit in creatis donis & gloria, quâ Chriſtus tanquam caput, etiam ſecundũ humanitatem omnes*

Angelos

Angelos & homines ſuperat, ſed tamen infra Deitatem manet: vocatur autem divina majeſtas, quòd Deitas in carne ipſam operatur.

7. Appendix. Theodoretus *cap. de Antichriſto, Tom. 2. pag.* 411. Verbum homo factum non particularem gratiam contulit aſſumptæ Naturæ, ſed totam plenitudinem Deitatis complacuit in ipſa habitare.

Cenſura. Explicatio loci Coloſſ. 2. *Apoſtolus Paulus 2. cap. ad Coloſſ. probare voluit, Verbum verè & hypoſtatice cum Humana Natura in Chriſto unitum eſſe: & hæreticos ſui temporis, negantes Chriſtum, quod Corpus ejus in terris ambularit, verum Deum eſſe, hoc unico verbo* Corporaliter *confutare voluit. Ideò fatetur etiam, hanc ipſam Humanam Naturam, quam omnes, cùm Chriſtus in terris ambulavit, ſuis oculis videre potuerunt, tanquam templum Deitatis fuiſſe, quod verè & perſonaliter cum Deitate æterni Verbi unita eſſet. Propterea etiam* Theodoreti *locus non aliter quàm de eſſentiali inhabitatione Deitatis in Humanitate, tanquam in ſuo templo, intelligendus eſt, quæ inhabitatio ipſa perſonalis unio eſt. Sin verò hæc inhabitatio juxta Vbiquitiſtas ſignificat realem communicationem vel effuſionem divinarum proprietatum in carnem Chriſti, neceſſario ſequitur, Chriſti carnem vel Humanitatem non quatuor vel quinque duntaxat proprietates divinas realiter habere, ſed omnes ſimul: Scriptum eſt enim,* Omnis plenitudo Deitatis in Chriſto inhabitat: *Omnis plenitudo verò Deitatis non tantum eſt Omnipræſentia, Omnipotentia, Omniſcientia, Vivificatio, Adoratio, quas quinque proprietates Vbiquitiſtæ contendunt realiter in carnem infuſas eſſe: ſed etiam ipſa eſſentia Deitatis, æternitas, ſpiritualitas, ſimplicitas, & æterna generatio ex Patre, &c. ſumma, omne id quod Deitas Filii Dei eſt & habet: ideoque oporteret Humanitatem ipſam Deitatem, æternam, ſpiritum & ex eſſentia Patris genitam eſſe: quod falſum & blaſphemum eſt.*

8. Appendix. *Idem in Pſalm. 21. Tom. 1. pag.* 110. Si Natura aſſumpta cum Divinitate aſſumente eſt copulata: Et jam ejuſdem gloriæ & honoris particeps & conſors facta eſt.

Cenſura. *Concedimus hoc: Quatenus Humana Natura id patitur, & vera Humana Natura manet, ut in præcedenti loco pluribus indicatum eſt.*

9. Appendix. *Idem Heb. 1. Tom. 2. pag.* 154. Ipſa humanitas poſt reſurrectionem divinam gloriam eſt conſecuta.

Cenſura. *Hoc etiam libenter concedimus: De hoc tantum controvertitur, quid per divinam gloriam intelligi debeat: nempe quod Humana Natura ineffabilibus donis exornata eſt, quæ dono tamen Humanam Naturam non abſorbuerunt, quod neceſſario ſequeretur, ſi humanitas proprietates, quæ Dei propriæ, adeoque Deus ipſe ſunt, nacta eſſet: cum verò nulla amplius eſſet humanitas, ſed verus Deus, quod diligenter notandum eſt. Secundo hoc quoque diligenter obſervandum, quod Concordiſtæ jam hunc locum ad defenſionem fictitiæ ſuæ majeſtatis citant, cum tamen hactenus ſemper docuerint, Chriſti corpus hujus majeſtatis in perſonali unione, quæ in matris utero facta eſt, participem eſſe factam: quòd ſibi particeps ejus facta eſt, quomodo igitur illam poſt reſurrectionem demum nacta eſt?*

Damaſcenus *lib. 3. cap. 7. & 15. pag.* 194. Divina Natura proprias ſuas excellentias ſeu glorificationes carni communicat ſeu impertit, ipſa verò in ſe paſſionum carnis manet expers. 10. Appendix.

Damaſcenus *lib. 3. cap. 7. fol.* 98. Et ipſa quidem proprias glorificationes carni tradit: cùm ipſa maneat impaſſibilis & immunis paſſionum carnis, &c. *Et commentator addit fol.* 100. At verò, quia dignius alteri minus digno in eodem tertio conjunctum, communicat illi ſuas dignitates pro captu & modulo ſuo, & tamen ab illo non ſuſcipit indignitates, neque imperfectiones. Damaſcenus.

Idem lib. 3. cap. 15. fol. 117. legitur proprias glorificationes divinitas Corpori transfundebat: at ipſa permanebat paſſionum carnis immunis.

Quid per proprias glorificationes Damaſcenus *intelligi velit, ſupra primo capite, ubi hic locus etiam citatus eſt, diximus. Et obſervandum quid Commentator ibi addat, nempe,* quòd humanitas à Deitate hanc glorificationem acceperit, pro captu & modulo ſuo, atque ita ut non ſublata vel deſtructa ſit. Cenſura.

In hoc Capite probare volunt Concordiſtæ, Chriſtum, ut Deum, divinam majeſtatem alio modo habere, nempe eſſentialiter, & ut ejus eſſentiales proprietates in, & per ſe: ut hominem autem, habere eam alio modo, nempe, non eſſentialiter, ſed propter, & juxta modum perſonalis unionis. CAP. V. teſtimoniorum Patrum.

Quod Chriſtus, ut Deus, ſuam divinam majeſtatem, hoc eſt, Deitatem & divinas eſſentiales proprietates habeat eſſentialiter: ut homo verò habeat illas propter unionem perſonalem, ſic ut propter illam homo Chriſtus Deus, & quicquid Deus eſt, ſit & habeat, rectè & verè ſequentibus locis aſſeritur, neque de hoc inter nos & Vbiquiſtas controvertitur. De hoc autem eſt controverſia, ut etiam ſupra, An Humanitati, vi unionis, divina majeſtas, id eſt, divinitas, & omnes divinæ proprietates ſint realiter infuſæ, ſic, ut etiam in abſtracto humanitati attribui poſſint, atque dici: Humanitas eſt Deus, æterna, incorporea, Dei filius, à Patre genita, inviſibilis: immenſa, ubique præſens, omnipotens, &c. Vt hæc omnia in concreto de homine Chriſto realiter dicuntur: nempe, homo Chriſtus eſt Deus, æternus, incorporeus, Dei Cenſura Marchionis de hoc textu 5 cap. Status controverſiæ in hoc articulo.

filius, à Patre genitus, inviſibilis, immenſus, ubiquepræſens, omnipotens, &c. videlicet ſecundum ſuam divinitatem.

1. Appendix. Cyrillus *lib.* 12. *Theſau. cap.* 15. *Tom.* 2. *pag.* 167. Conditio & proprietas alia creaturę, alia creatori ineſt, ſed Natura noſtra à Filio Dei aſſumpta menſuram ſuam exceſſit, & in conditionem aſſumentis eam, per gratiam tranſlata eſt.

Cyrillus. Cyrillus *lib.* 12. *Theſ. cap.* 15. *fol.* 60. Conditio quædam atque proprietas, vel (ſi ita vis) dignitas alia creaturæ, alia creatori neceſſariò ineſt: Creatura ſerva eſt, creator Dominus. Sed creatura quoque Domino ſuo conjuncta à propria conditione liberatur, & in meliorem traducitur: Ita natura noſtra à Filio Dei aſſumpta, menſuram ſuam exceſſit, & in conditionem aſſumentis eam per gratiam tranſlata eſt.

Cenſura. *Docet hoc loco* Cyrillus, *filium Dei non eſſe filium Dei ex gratia, ſed Natura Filium Dei eſſe, ideoque ſecundum Divinitatem non creaturam eſſe, ut hæretici contendebant. Porrò, Deum creatorem ex mera gratia ſuam carnem aſſumpſiſſe: hinc verò Vbiquitas nulla elici poteſt: nam collocatio humanitatis in ſtatum Deitatis nequaquam eſt permutatio, vel aſſimulatio, ſed unio naturarum, quâ Homo Deus, & Deus Homo factus eſt.*

2. Appendix. *Item in Ioh. lib.* 2. *Cap.* 144. *Tom.* 1. *pagin.* 134. Chriſtus cauſam ſubjecit, quare vitam & poteſtatem judicii ſibi à Patre data dixerit, dicens (quia filius hominis eſt) ut intelligamus, omnia ſibi data eſſe, ut Homini. Unigenitus verò filius non vitæ particeps, ſed vita naturaliter eſt.

Cyrillus. *Idem in Ioh. lib.* 2. *cap.* 144. *fol.* 50. Quapropter cauſam, quare hæc ſibi data à Patre dixerit, illico ſubjecit, dicens, quia filius hominis eſt, ut intelligamus, omnia ſibi data fuiſſe, ut homini; qui cum creatura ſit, nihil habet à ſeipſo. Unigenitus verò filius vitæ non particeps, ſed vita naturaliter, ut Pater, eſt.

Cenſura. *Patres, ut ſæpè judicatum eſt, adverſus hæreticos pugnabant, qui negabant, Chriſti Divinam Naturam cum Patre eiuſdem æternæ eſſentiæ eſſe, eamque pro creatura habebant, quòd in Scriptura ſæpius dicatur, Patrem filio hoc & illud dediſſe. Hinc ſic colligebant:* Qui dat major eſt accipiente, &c. *Hujus generis argutias Patres hoc ipſo conſiderarunt, quod dixerunt, hæc loca de Chriſti Humana Natura intelligenda eſſe. Patres autem, quòd diligenter eſt obſervandum, id non ſic de Humana Natura intelligebant, ut Concordiſtæ faciunt, nempe quòd hoc vel illud, in abſtracto conſideratum, datum vel infuſum ſit, ei, ita ut in abſtracto de humanitate debeat vel poſſit dici. Exempli gratiâ: Humanitas eſt Deus, ubique præſens, omnipotens, vivifica, &c. Hoc inde luculenter probari poteſt, quod Chriſtus in noviſſimo die ſecundum utranque naturam celebraturus eſt judicium. Nam ſi Chriſtus judicium ſuper omnes creaturas propterea tantum celebrabit, quòd homo eſt, neceſſariò ſequitur, judicii exequutionē proprietatem Humanæ Naturæ eſſe, & quòd ideò omnibus aliis hominibus idem etiam competat, quòd impoſſibile eſt. Propriè autem de verbis Chriſti Iohan.* 5. *cap. loquendo,* Quia hominis filius eſt, *hoc ſignificat, Idcirco Pater filio omne judicium tradidit, quia ipſe mediator eſt Deus in carne manifeſtatus: nam judicium ſuper homines à Mediatore, qui etiam homo & viſibilis eſt, celebrari debet: ideò hæc verba propriè non de humanitate tantùm, ſed de perſona Mediatoris, qui Dei Filius & homo eſt, intelligenda ſunt.*

Idem lib. 3. *cap.* 37. *Tom.* 1. *pag.* 181. Vivificat Corpus Chriſti, quia ipſius vitæ Corpus eſt, virtutem Verbi incarnati retinens, & plenum poteſtate illius, quo univerſa ſunt, & vivunt. 3. Appendix.

Idem lib. 3. *cap.* 37. Vivificat enim Corpus Chriſti & ad incorruptionem ſuâ participatione reducit: non enim alterius cujuſdam, ſed ipſius vitæ Corpus eſt, virtutem incarnati Verbi retinens, & plenum poteſtate illius, quo univerſa, & vivunt, & ſunt. Cyrillus

Ex his Cyrilli *verbis Concordiſtæ ſic argutantur: Quum vivificatio, quæ proprium & opus proprietas Deitatis eſt, carni Chriſti attribuatur, cur non etiam eodem modo carni Chriſti ubique præſentia adſcribi debet, quæ etiam proprietas Deitatis eſt? Reſpondetur, non rectè ſic colligi, licet vivificatio & omnipræſentia proprietates Divinæ Naturæ ſint. Nam ut de vivificante carne Chriſti Scriptura loquatur & ſentiat, hactenus ſæpè ex* Cyrillo *& aliis Patribus ſatis declaratum eſt. Eandem verò Vbiquitatis rationem & conditionem eſſe, neque ex Scriptura, neque ex Patribus ne uno verbo probare poſſunt.* Cenſura.

Idem lib. 4. *cap.* 14. *pag.* 201. Quoniam Salvatoris Caro conjuncta eſt Verbo Dei, quod naturaliter vita eſt, effecto eſt vivifica. 4. Appendix.

Locus hic rectè citatus eſt, & ut intelligi debeat; ex præcedenti colligi poteſt. Agit autem & docet hoc loco Cyrillus, *quomodo hanc carnem Chriſti edere debeamus, ut vitam in nobis tunc habeamus. Addit tamen,* Illi conjuncti, *hoc eſt, ſi nos in ipſo, & ipſo in nos manet, quod per fidem tantum fit: Per fidem enim in cordibus fidelium habitat.* Cenſura.

Et Cap. 18. *pag.* 204. Corpus meum vitâ replevi, mortalem carnem aſſumpſi, ſed quia naturaliter vita exiſtens habito in ipſa, totam ad vitam meam reformavi. 5. Appendix.

Et Cap. 18. *fol.* 18. Quemadmodum igitur, inquit, homo factus ſum voluntate Patris, qui

è naturali

è naturali vita emanavi,& homo factus vivo, Corpuſque meum vitâ replevi,non aliter,qui carnem meam manducat propter me vivet. Mortalem enim carnem aſſumpſi , ſed quia naturaliter vita exiſtens,habito in ipſa,totam ad vitam meam reformavi : Non enim ſum victus interitu carnis,ſed ut Deus omnem interitum & mortem ipſe ſuperavi.

Cenſura Fratrum Bergenſium. *Locus hic* Cyrilli *propriè agit de ſpiritnali eſu vivifica carnis Chriſti , ut ex toto citato loco appareat , quem autem Bergenſes valdè truncarunt, & contra authoris mentem aliò trahunt. Alioquin ex præcedenti apertiſſimè intelligitur, quomodo & quare Chriſti caro vivifica ſit , & quòd hujuſmodi loca Ubiquitatem nihil juvent.*

6. Appendix. *Et Cap. 24. pag.* 210. Natura carnis ipſa per ſe vivificare non poteſt,nec ſola eſſe in Chriſto intelligitur,ſed habet Filium Dei ſibi conjunctum,qui ſubſtantialiter vita eſt. Quando igitur vivificam Chriſtus carnem ſuam appellat, non ita illi, ut ſibi,ſibi proprio ſpiritui vim vivificandi attribuit. Nam per ſeipſum Spiritus vivificat ad cujus virtutem caro per conjunctionem conſcendit. Quomodo autem id ſiat,nec mente intelligere, nec linguâ dicere poſſumus, ſed ſilentio ac firma fide id ſuſcipimus.

Cenſura. *Hic locus , & præſertim quæ Concordiſtæ majuſculis literis pinxerunt, nihil aliud vult,quàm nullum mortalium omnibus ſuis ſenſibus perſcrutari poſſe,quomodo perſonalis unio duarum naturarum facta ſit:hoc & nos affirmamus. Quid autem id ad rem facit?Et hæc verba magis fictitiam majeſtatem Humanæ Naturæ evertunt , quum apertiſſimè* Cyrillus *dicat,Naturam carnis ipſam per ſe vivificare non poſſe, ſed vivificam carnem appellari propterea, quod vivificans Verbum Dei in unitate perſonæ conjunctum habeat , & ita in tota perſona Mediatoris officium unâ exequatur, de quo hactenus ſatis dictum eſt.*

7. Appendix. *Idem lib.*10.*cap.*13.*fol.* 501. Caro vitæ facta unigeniti caro, ad virtutem vitæ reducta eſt.

Cyrillus. *Idem lib.*10.*cap.*13.*fol.*183. Et quomodo dicere non gravabor. Caro vitæ facta unigeniti caro,ad virtutem vitæ traducta eſt:non poteſt igitur morte ſuperari: propterea in nobis facta , interitum à nobis expellit. Non enim abeſt ab ea unigenitus Dei Filius.

Cenſura. *Hic quoque locus loquitur de perſonali unione,nec tantùm per ſe clarus eſt , ſed etiam in ſuperioribus ſatis declaratus eſt.*

8. Appendix. *Libr.* 11. *cap.* 22. *pag.* 552. Ipſa caro Chriſti non à ſe ſancta fuit , ſed conjunctione Verbi ad verbi virtutem quodammodo reformata, ſalutis atque ſanctificationis cauſa eſt participantibus:Non ergo carni,ut caro eſt,operationis divinæ virtutem , ſed naturæ Verbi attribuimus.

Cyrillus. *Idem lib.*11.*cap.*21.*fol.*202. 203. Quare cùm Deus & homo Chriſtus verè ſit , oportuit eos intellexiſſe ineffabili Deitatis poteſtate, unà cum eis ſemper futurum , etiamſi carne abeſſet. Idcirco enim ipſe quoque in ſuperioribus dicebat , Pater ſancte ſerva eos in nomine tuo quos dediſti mihi , apertè ſignificans , Deitatis ratione , non carnis præſentiâ eos poſſe ſervari : quippe etiam caro non à ſe ſancta fuit , ſed conjunctione Verbi ad Verbi virtutem quodammodo reformata, ſalutis atque ſanctificatione participantibus cauſâ eſt: non ergo carni, ut caro eſt, operationis divinæ virtutem,ſed Naturæ Verbi attribuimus.

Cenſura. *Ex iis , quæ de vivifica carne ; in Articulo de Perſona Chriſti notabuntur , facilè intelliget Lector , ut etiam hic* Cyrilli *locus intelligi debeat. Intelligitur præterea ex hoc loco , quæ* Cyrilli *ſententia ſit de Omnipræſentia Corporis Chriſti , & ut verba Chriſti intellexerit ,* Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi : *non quidem ut Ubiquitiſtæ opinantur , ſed quòd Chriſtus ineffabili poteſtate ſemper nobiſcum ſit,licet carne ſua abſens ſit.*

9. Appendix. *Lib. 6. Dialog.* Glorificatur à Patre , non quia Deus , ſed quoniam erat homo , quaſi propriæ Naturæ fructum non habens,potentiam operandi efficaciter , divinè accepit quodammodo illam , per unionem & ineffabilem concurſum , qui intelligitur Dei eſſe Verbi cum humanitate.

Cyrillus. *Idem lib.6. Dialog.fol.*128. Itaque glorificatur quidem à Patre , non quòd gloriâ indigeat , cùm extra carnem , & Deus ex Deo intelligatur , ſed quoniam erat homo, quaſi propriæ Naturæ fructum non habens potentiam operandi efficaciter divinè , accipit quodammodo illam per unionem & ineffabilem concurſum , qui intelligitur Dei eſſe Verbi cum humanitate. Glorificat autem & ipſe Patrem , Pater enim Dei cognoſcitur eſſe,qui omnia poteſt, quamvis apparentis in carne,& cum terreno corpore converſantis cum his,qui in hoc mundo.

Cenſura. *Et hic locus de perſonali unione agit , nequaquam autem de infuſione divinarum proprietatum in carnem Chriſti intelligi poteſt.*

10. Appendix. *Idem de recta fide ad Theodoſ.* Immiſit aſſumpto corpori ſuam vitam , ipsâ per unionem diſpenſatione.

Cyrillus. *Idem de recta fide ad Theodoſ.* Igitur nonne manifeſtiſſimum,& nulli obſcurum, quod unigenitus factus eſt nobis ſimilis , hoc eſt, perfectus homo , ut terrenum hoc Corpus liberaret à ſubintroducta corruptione , immittens illi ſuam vitam ipſâ per unionem diſpenſatione.

11. Appendix. *Ibidem pag.* 278. Vivificat verbum propter ineffabilem nativitatem ex vivente

Patre

Patre, Attamen eſt videre, ubi tribuatur etiam propriæ carni divinæ efficacia gloriȩ.

Cyrillus. *Ibidem fol.* 102. Vnde & ipſum (Verbum) omnium exſtitit vita, & vivificare dicitur nobiſcum propter ineffabilem nativitatem ex vivente Patre: attamen eſt videre, ubi tribuitur propriæ carni divinæ efficaciæ gloria.

Appendix. *Item pag.* 279. Otioſam confitebimur terrenam carnem ad hoc ut poſſit vivificare, quatenus pertinet ad propriam ejus Naturam.

Cyrillus. *Item fol.* 102. Annon & otioſam confitebimur fuiſſe terrenam carnem ad hoc, ut poſſit vivificare, quatenus pertinet ad propriam naturam? Quomodo igitur, dic oro, vivificat caro? vel quomodo intelligitur & ex cœlo eſſe, quod de terra? Secundum unionem ſcilicet cum vivente & cœleſti Verbo.

Cenſura. *Tribus his locis* Cyrillus *docere vult, etſi vivificatio propria operatio ſit Verbi Dei, vel ipſius divinitatis, eam tamen carni Chriſti propter perſonalem unionem attribui, ut etiam alias Deitatis proprietates, & quod ex cœlo ſit, quod tamen terrenum eſt, huic carni, propter unionem perſonalem adſcribatur.*

13. Appendix. Epiphanius *contra Ariomanitas.* Humanitas Chriſti non ſeorſum per ſe ſubſiſtit, ſed counita Deitati, & jam in ipſa Deitate, quȩ perfectiſſima ſunt, ſciens, utpote counita Deo.

Cenſura. *Hic locus* Epiphanii *itane ſe habeat vel non, pro Vbiquitate tamen nihil facit. Humana ratio omnia perfectè ſcit, quæ vult, ex revelatione omniſcientis Deitatis, cùm qua vnita eſt: non autem ſequitur, eſſentialem Dei omniſcientiam in Humanam rationem realiter infuſam eſſe.*

14. Appendix. Auguſtinus *de verbis Domini Serm.* 58. *Tom.* 10. *pag.* 217. Ego verò dominicam carnem, imò perfectam in Chriſto humanitatem ideo adoro, quòd à divinitate ſuſcepta & Deitati vnita eſt, & non alium & aliud, ſed unum eundemque Deum & hominem, Filium Dei eſſe confiteor. Denique ſi hominem ſeparaveris à Deo, illi nunquam credo, nec ſervio.

Cenſura. *Locus hic ſe ita habet in* Auguſtino, *ibidemque pulcherrima hac ſimilitudine declaratur.* Si quis, *inquit*, noſtrum aut purpuram, aut diadema regale iacens inveniat, nunquid ea conabitur adorare? Cùm verò ea Rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, ſi ea ſimul cum Rege, quis adorare contempſerit. Ita etiam in Chriſto domino humanitatem non ſolam aut nudam, ſed Divinitati ſuæ unitam, unum Dei Filium Deum verum, & hominem verum, qui adorare contempſerit æternæ mortis pœnam patietur: *Vult igitur Auguſtinus totum Chriſtum, Deum & hominem adorari debere, de quo ſupra cap. tertio plura diximus.*

Idem de Civitate Dei lib. 10. *cap.* 24. Non ergo caro Chriſti per ſe ipſam mundat credentes, ſed Verbum à quo ſuſcepta eſt. 15. Appendix.

Idem de Civitate Dei lib. 10. *cap.* 24. *Tom.* 5. *fol.* 580. Neque enim caro principium eſt, aut anima Humana, ſed Verbum per quod facta ſunt omnia. Non ergo caro per ſe ipſam mundat, ſed per Verbum à quo ſuſcepta eſt, cum Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Auguſtinus.

Hoc loco Auguſtinus *docere vult, carnem Chriſti, pro nobis immolatam & vera fide à nobis acceptam, purgare nos à peccatis. Vnde verò hanc caro habet virtutem? Reſponſio, quia caro filii Dei eſt: ideoque hic locus quoque de Vnione loquitur, non de infuſione Divinæ virtutis in carnem.* Cenſura.

Theophylactus *in Iohan. cap.* 3. Omnia dedit in manum filii, *&c. Et id Matth.* 28. Si de Divinitate intelligas, *&c.* 16. Appendix.

Vterque locus ſecundum literam rectè citatus eſt: Vt autem intelligendi ſint, ſupra c. 3. *indicatum eſt, ubi his ipſis verbis citati ſunt.* Cenſura.

Damaſcenus *lib.* 3. *cap.* 17. Non ſecundum propriam operationem, ſed propter unitum ſibi Verbum divina operabatur caro Domini, Verbo per eam propriam ſuam operationem manifeſtante. Nam & ferrum ignitum non naturali ratione poſſidet vſtricem operationem, ſed acquiſivit, poſſidet & obtinet eam ex unione ignis & ferri. Ipſa igitur caro Domini mortalis erat propter ſeipſam, & vivifica propter hypoſtaticam ad Verbum unionem. 17. Appendix.

Hic locus ſupra etiam in quarto Capite in Baſilio, *qui hac ipſa ſimilitudine de ferro candenti utitur, pluribus explicatus eſt.* Cenſura.

Idem cap. 18. Divina Chriſti voluntas erat æterna, *&c. cap.* 21. Humana Natura in Chriſto, *&c.* 18. Appendix.

Vterque locus ſupra 3. *cap. his ipſis verbis citatus & declaratus eſt.* Cenſura.

Idem lib. 2. *cap.* 22. Domini anima etſi ſecundum ſe erat Naturæ ignorantis, attamen ſecundum hypoſtaſin unita Deo Verbo, Omnium cognitionem habuit, non ex gratia ſeu participatiuè, ſed propter hypoſtaticam unionem. Et tamen quia naturæ differunt, etiam naturales ſcientiæ & voluntates divinitatis & humanitatis, *&c.* 19. Appendix.

Idem lib. 2. *cap.* 22. *fol.* 68. Nam etſi Naturæ (animȩ Chriſti) erat ignorare futura: Attamen ſecundum hypoſtaſin vnita Deo Verbo, omnium cognitionem habebat, Damaſc. comm.

non

non gratia, ſed ut dictum eſt) propter unionem in uno ſuppoſito. Ipſe enim eſt & Deus & homo.

Et paulò poſt. In Domino autem noſtro Ieſu Chriſto, quia differunt Naturæ, differunt voluntates Divinitatis ipſius & humanitatis, id eſt, voluntariæ virtutes,

Cenſura. *Hujus loci poſtrema verba apertè indicant, ea quæ in titulo huius quinti capitis prætenduntur, falſa & erronea eſſe: Inprimis quod dicit,* humanam voluntatem futura ſcire, non ex gratia, ſed ex unione, *per gratiam autem nihil aliud intelligit quàm Ubiquitiſticam infuſionem Divinarum proprietatum ex gratia factam.*

CAPUT teſtimoniorum Patrum. *Quòd divinitas ſuam majeſtatem, virtutem & operationem (quæ Divinæ Naturæ propria eſt & manet) efficaciter exerat & operetur In, Cum & Per unitam perſonalem humanitatem, quæ hanc majeſtatem ſic, & inde habet, quòd omnis plenitudo Deitatis, in aſſumpta carne & Sanguine Chriſti perſonaliter habitat.*

Iudicium Marchionis de hoc toto 6. capite. *Quòd divinitas omnia In & cum ſua aſſumpta humanitate operetur, in Chriſti Eccleſia notiſſimum eſt: Nam divinitas in ſua humanitate habitat tanquam in ſuo templo, & operatur unica Perſona ſecundum utramque Naturam, Divinas & Humanas res: Ita ut unaquæque natura exequatur quæ ſua propria ſunt, auxilio alterius, ut* Leo *&* Damaſcenus *ſcribunt. Divinitatem autem per humanitatem omnia exequi & operari; exempli cauſa, omnipotentem & omniſciam eſſe, mundum conſervare, corda explorare per humanitatem, &c. neque Scriptura, neque Pates docent, licet hi rectè doceant,* Humanitatem Deitatis organum eſſe, quod limitate, præſertim de externis operibus, ab ipſis intelligitur.

1. Appendix. Athanaſius *oratione 5. contra Arianos:* Quomodo Corpus Domini non eſſet adorabile Cum verbum manum ſuam corporalem extendens ſanarit febricitantem, vocem Humanam edens ſuſcitaverit Lazarum, manibus ſuis in cruce protenſis Principem aëris proſtraverit.

Athanaſius. *Idem oratione 5. contra Arianos fol.* 104. Quod cùm ita ſe habeat, qui fieri poſſit, ut Corpus domini undiquaque ſanctiſſimum ab Archangelo Evangelizatum, à Spiritu ſancto formatum amiculumque Verbi Dei, non ſit adorabile cum Verbum manum ſuam corporalem extendens ſanarit febricitantem, vocem Humanam edens ſuſcitaverit Lazarum, manibus ſuis in cruce protenſis Principem aeris qui agit in filiis incredulitatis, proſtraverit.

Et paulò poſt, fol. 105. Neque fieri poteſt, quin admireris eorum animi pravitatem, qui omnia & miſcent & turbant, cavillationeſque excogitant non in aliud, quàm ut conditorem unà cum re condita unius ordinis eſſe, gregaleſque perſuadeant.

Athanaſius *hic docere vult, ut ex toto citato loco facilè deprehenditur, totum Chriſtum propterea adorandum eſſe quod corpus eius non corpus ſimplex, ſed æterni Verbi corpus ſit. Attendendum tamen ne creator & creatura commiſceantur. Etſi enim in exequutione externorum Miraculorum Humana Natura quod ſuum eſt fecit, loquuta eſt, manus extendit, impoſuit, &c. Vera tamen virtus operandi miracula à Deitate manavit, non autem in corporali manu ſeu voce fuit: Utrunque tamen ſimul inſeparabiliter, & tamen diſtinctè factum eſt, quia opus ab una perſona, diſtinctis tamen cooperantibus naturis factum eſt. Et hanc* Athanaſii *ſententiam eſſe, ipſemet Orat. 4. contra Arianos pagina 245. ſcribit. Non aliter explicat divina hæc opera, per diſtinctas cooperationes utriusque naturæ in Chriſto* Auguſtinus, Ambroſius, Cyrillus, Hieronymus, Damaſcenus *& alii Patres. Ut autem caro Chriſti adoranda ſit, ſupra ſatis eſt explicatum.* Cenſura.

2. Appendix. *Idem Dialog. 5. de Trinit.* Deus logos unitus homini edit miracula & operatur, non ſeorſim aut ſeparatim à Natura Humana aſſumpta, ſed pro ſua bonitate placuit ipſi, per aſſumptam humanitatem, in ea, & cum ea propriam divinam ſuam potentiam operando exercere, & humanitatem illam ſuam, ultra & ſupra propriam ipſius Naturam, pro ſuo beneplacito perfectam reddidit, non tamen prohibet, quo minus ſit animal rationale, ſeu vera Humana Natura.

Athanaſius Cenſura. *In hoc toto Dialogo hic locus non reperitur.*

Hoc in loco, ubicunque extet, docetur: 1. *Filium Dei in aſſumpta ſua humana natura, tanquam in organo ſuæ Deitatis, miracula ſua feciſſe.* 2. *Et ſimul tamen veram Humanam Naturam retinuiſſe, & rationalem creaturam manſiſſe. Quatenus autem Deitas per humanitatem, tanquam ſuum organum, operetur, in titulo huius capitis indicatum eſt.*

3. Appendix. Cyrillus *de recta fide ad Theodoſ.* Anima unionem ſortita ad Verbum deſcendit in infernum: Divina autem virtute & efficacia utens dixit compeditis: Egredimini.

Cyrillus. *Idem de recta fide ad Theodoſium fol.* 98. 99. Admirabile etiam eſt omnibus, quod corpus quidem reſurrexit naturâ corruptibile: erat enim proprium incorruptibilis Verbi: Anima quoque ad illud copulam & unionem ſortita deſcẽdit quidem ad infernum: divinâ autem virtute & poteſtate utens, etiam Spiritibus, qui illic erant apparuit. Enimverò & dicebat compeditis: Egredimini: Et his qui in tenebris Revelamini. Et tale quiddam etiam Petrus, quiddam etiam & divinus Paulus dixiſſe vide-

detur de Verbo Dei, & anima ipſius ſecundum diſpenſativam unionem.

Cenſura.

Duo hoc loco docentur: 1. Animam Chriſti deſcendiſſe ad infernum, & captivos ibi liberaſſe. 2. Divina poteſtate & virtute eam uſam eſſe. Quod ad primum attinet, id ſuo loco relinquimus: Articuli Chriſtianæ fidei non docent, corpus, vel animam, vel Deitatem Chriſti, ſed Chriſtum ad infernum deſcendiſſe: multò minus Scriptura aliquid docet de animæ deſcenſu ad infernum, & quòd credentes Patres inde liberarit, qui abſque dubio in inferno non fuerunt, & propterea nulla liberatione per deſcenſum ad infernum opus habuerunt. Tota enim liberatio facta eſt in cruce, Chriſto dicente: Conſummatum eſt, *ideoque non demum per animæ deſcenſum ad infernum fieri debuit. Propterea hæc potius vaniſſima eſt opinio, quàm fidei articulus: Vnde* Cyrillus *ipſe dubitat, an Petrus & Paulus ſic, ut ipſe de deſcenſu ad infernum doceant. Ad alterum quod attinet, quia ruinoſo fundamento innititur, nihil ſuperſtrui poteſt.*

4. Appendix.

Idem lib. 1. ad Reginas: Chriſtus ut Deus vivificat per propriam carnem.

Hic locus veriſſimus eſt: Caro enim Chriſti organum eſt, per quod Deus nobis vitam acquiſivit.

Hanc communicationem Divinæ Majeſtatis, ſine commixtione, deſtructione vel negatione humanæ naturæ, etiam in gloria fieri.

CAPVT VII. teſtimoniorum Patrum. Iudicium Marchionis de toto hoc capite

Hoc conceditur de majeſtate & donis humanitati Chriſti communicatis, de quo Scriptura & Patres loquuntur: nequaquam autem de Vbiquitiſtica Majeſtate, quæ humanitati realiter infuſa ſit.

2. Appendix.

Athanaſius *Dial. 5. de Trinitate.* Humanitatem illam ſuam, ultra & ſupra propriam ipſius Naturam, pro ſuo beneplacito perfectam reddidit, non tamen prohibet quo minus ſit animal rationale, ſeu vera Humana Natura.

Cenſura.

In toto hoc 5. Dial. ut etiam ſupra cap. 6. indicatum eſt, ubi itidem locus hic citatus fuit, nihil de hoc reperitur: ſed quintus ille Dialogus contra hæreticum Apollinarem ſcriptus, repetit breviter & ſyllogiſticè triginta ejus argumenta (de quibus in quatuor præcedentibus Dialogis prolixè egerat Athanaſius*) & refutat illa ex ſacra Scriptura. Certum autem eſt pro Vbiquitate & reali communicatione Idiomatum ne verbum quidem in eo reperiri, ſed potius contrarium. Nam in toto Dialogo probatur, Chriſtum non tantùm verum Deum, ſed etiam verum & perfectum hominem eſſe anima & corpore, nobis per omnia, excepto peccato, ſimilem, ut inprimis in fine vigeſimi noni argumenti videre licet: Vbiquitatem autem Chriſti humanitatem deſtruere, notiſſimum eſt.*

Theophylactus *ex* Chryſoſtomo *in cap. Matth. 28.* Ego prius damnata Natura, nunc abſque Naturarum confuſione accepi poteſtatem omnem. Appendix.

Hic locus ſupra quoque tertio capite citatus & explicatus eſt. Cenſura.

Cyrillus *lib. 4. cap. 24.* Totum corpus ſuum vivificâ ſpiritus *virtute plenum eſſe oſtendit, non quòd Naturam carnis amiſerit, & in Spiritum mutata ſit, ſed quia cum ſpiritu conjuncta, totam vivificandi vim hauſit.* 3. Appendix.

Idem lib. 4. cap. 24. in Ioh. fol. 77. Totum corpus ſuum vivificâ ſpiritus virtute plenum eſſe oſtendit: Spiritum enim hic ipſam carnem nuncupavit, non quia naturam carnis amiſerit, & in ſpiritum mutata ſit, ſed quia ſummè cum eo coniuncta tota vivificãdi vim hauſit. Cyrillus

Cyrillus *hoc loco docet, etſi propter perſonalem unionem caro Chriſti vivificam virtutem nacta ſit, veram tamen carnem manere, nec in Deitatem mutari. Declarat etiam hic locum Pauli, qui ait:* qui Domini eſt, Spiritus etiam cum eo eſt: *& hinc colligit, cùm is, qui Domini eſt, Spiritus cum eo ſit, quantò magis propria ejus caro unum cum eo ſit. Et notandum eſt, quòd hoc ipſo loco* Cyrillus *mox hæc verba ſubjungit:* Quando Chriſtus carnem ſuam vivificam appellat, attribuit ei virtutem vivificandi, non ſic, vt ſibi ipſi vel ſpiritui ſuo eam attribuit. Nam ſpiritus Chriſti vivificat ex ſeipſo, in cuius virtutem, per unionem, caro aſſumta eſt, *&c. Vt autem hoc factum ſit, ſola fide comprehendi poteſt.* Cenſura.

Idem Cyrillus *de incarnatione cap.* 8. In carbone tanquam in imagine licet conſpicere, adunatum quidem humanitati Deum Verbum, transformaſſe aſſumptam Naturam in ſuam gloriam & operationem, ſicut ignis ligno affixus: Ita adunatus eſt inæſtimabiliter humanitati Deus, conferens ei etiam naturæ ſuæ operationem. 4. Appendix.

Idem de Incarnatione cap. 8. Cæterum tanquam in imagine licet in carbone conſpicere, adunatum quidem humanitati Deum Verbum: non tamen projeciſſe quod fuerat: transformâſſe autem magis aſſumptam Naturam in ſuam gloriam & operationem. Quemadmodum enim ignis ligno affixus, & in id penetrans, comprehendit quidem ipſum: & quamvis lignum eſſe non deſinat, vim tamen ſuam ſpeciemq; transmittit omnem, ſeque confert in lignum, & cum ipſo iam quaſi unum æſtimatur. Idem intellige & de Chriſto. Adunatus enim inæſtimabiliter humanitati Deus: ſervavit quidem ipſam in eo quod fuerat, & ipſe permanſit quod erat: Semel tamen adunatus, quaſi unus jam cum ipſa putatur, ea quæ ſunt illius ſua faciens. Cyrillus.

faciens: conferens autem ei etiam ipſe Naturæ ſuæ operationem.

Cenſura. *Hac ſimilitudine eatenus tantum* Cyrillus *utitur, ut probet, 1. Deum & hominem in Chriſto unam Perſonam per unionem eſſe, ut ferrum & lignum in carbone candente ſint. 2. Vtriusque naturæ eſſentiales proprietates perſonæ realiter communes eſſe, ut ignis & ligni naturæ carbonis communes ſint. 3. Et tamen utramque Naturam cum ſuis eſſentialibus proprietatibus in hac communione integras & illæſas manere. De hoc nulla eſt controverſia. Deitatem autem omnes ſuas eſſentiales proprietates humanitati realiter communicâſſe & infudiſſe, Concordiſtæ hinc in æternum non extorquebunt, niſi fateri velint, Deitatem quoque omnes Humanas proprietates realiter accepiſſe. Nam* Cyrillus *communicationem Idiomatum reciprocam facit, cum ait:* Ea quæ ſunt carnis ſua faciens: conferens autem carni naturæ ſuæ operationem.

5 Appendix. Theodoretus *Dial. 2.* Corpus dominicum ſurrexit quidem à mortuis divinâ glorificatum gloriâ, & à cœleſtibus adoratur poteſtatibus, Corpus tamen eſt, & habet, quam prius habuit, circumſcriptionem.

Cenſura. *Hunc locum* Theodoreti *Vbiquitatis jugulum petere, ſupra quoque cap. 3. indicatum eſt. Nam ſi Chriſtus habet etiam in gloria ſuum circumſcriptum corpus, verum utique non eſt, gloriam ſeu maieſtatem Vbiquitatem eſſe, vel quòd corpus omnipræſens faciat. Neque valet ſophiſtica illorum,* Corpus Chriſti circumſcriptum eſſe naturali modo, ſed non circumſcriptum, verum ubique maieſtatico modo. *Theodoretus enim hic apertiſſimè dicit: quòd* Chriſti Corpus etiam in maieſtate ſuam circumſcriptionem, ut prius, retineat, *Maieſtaticus autem modus non eſt, novum Vbiquiſticum figmentum, Scripturæ & Patribus ignotum. Impoſſibile etiam eſt, ut hi duo contrarii modi in uno corpore ſimul conſiſtere vel locum habere poſſint, ut* Athanaſius, Cyrillus, Damaſcenus *ſæpius fatentur: Nulla enim Natura ſimul eſt ſuſceptiva contrariorum: naturalis autem & maieſtaticus modus ſunt contrarij, ut aqua & ignis, & perinde eſt, ac ſi Vbiquitiſta de paupere diceret: Pauper eſt pauperum modo, & dives eſt divitum modo: vel de nigro pariete, Niger eſt nigro modo, & albus eſt, albo modo. Hujus ſophiſticæ Theologos Evangelicos coram Deo & mundo pudere deberet: Putant autem ſibi cum infantibus negotium eſſe, quibus facilè perſuaderi poteſt, nigrum album eſſe.*

6 Appendix. *Idem Dialog. 3 probat hanc Apollinarij ſententiam.* Si mixtio ignis cum ferro, quæ ferrum oſtendit ignem, ita, ut etiam ea faciat, quæ ſunt ignis non mutat naturam ferri. Neque igitur Dei cum corpore unio eſt mutatio corporis, licèt corpori divinas operationes præbeat.

Hic locus non in tertio, ſed in fine ſecundi Dialogi exſtat: Novâ autem reſponſione non indiget: idem enim docet quod proximè præcedens Cyrilli *locus de candenti carbone. De hac & alijs huius generis ſimilitudinibus vide plura ſupra cap. 4. in loco* Baſilii. Cenſura.

Damaſcenus *lib. 3. cap. 27.* Caro Domini locupletata eſt divinis operationibus, propter hypoſtaticam eius ad verbum unionem, non paſſa excidentiam eorum, quæ ſecundum Naturam ipſi propria ſunt. 7 Appendix.

Idem libro 3. cap. 17. fol. 123. 124. Caro autem Domini, divinis actionibus ditata eſt: propter puriſſimam ad Verbum unionem, id eſt, ſecundum hypoſtaſin, nequaquam naturalium proprietatum excidentiam ſuſtinens. Non enim ſecundum propriam actionem, ſed propter unitum ſibi Verbum divina operatur, Verbo per eam propriam manifeſtante actionem. Damaſcenus.

Niſi hic locus à Bergenſibus Concordiſtis fœde truncatus eſſet, abſque dubio ipſum omiſiſſent. Nam 1 Damaſcenus *carni divinas actiones adſcribit, non propter realem infuſionem divinarum proprietatum, ut Vbiquitiſtæ volunt, ſed propter puriſſimam ad Verbum unionem 2. Seipſum declarat, quatenus carni divinas actiones adſcribat, non quòd carnis ſint, ſed quòd Verbi propriæ actiones ſint, ut quod eas tantùm per carnem manifeſtat: id eſt, ſic eas operatur, ut caro externè quoque cooperetur, non quidem ore, vel voce, vel manu, &c. ut ſupra etiam in principio capitis ſexti in* Athanaſii *loco indicatum eſt,* Cenſura.

Idem Damaſcenus *lib. 2. cap. 22.* Domini anima, etſi ſecundum ſe erat Naturæ ignorantis, attamen ſecundum hypoſtaſin unita Deo Verbo, omnium cognitionem habuit, non ex gratia, ſeu participativè, ſed propter hypoſtaticam unionem, & tamen quia Naturæ differunt in Chriſto, differunt etiam naturales ſcientiæ & voluntates divinitatis & humanitatis. 8 Appendix.

Hic locus ſupra quoque cap. 5. citatus & explicatus eſt. Et mirum eſt hunc vertiginis ſpiritum illum pro ſe citare, eoque docere velle, Chriſti humanitatem omniſciam factam eſſe per realem communicationem Idiomatum, vel infuſionem Deitatis proprietatum, cùm tamen Damaſcenus *expreſſè dicat, non per gratiam vel participationem, ſed propter hypoſtaticam unionem.* Damaſcenum *enim opponere realem participationem vel communicationem, & unionem hypoſtaticam luce clarius eſt.* Cenſura.

CAPVT IIX. Teſtimoniorum Patrum.

Hoc Capite Bergenſes docere volunt, Humanam Naturam Divinæ Maieſtatis, quæ Dei propria eſt, participem eſſe, ſecundum Naturam

& propter unionem perſonalem.

Indicium Mar. vbiquitis de hoc capite. *Hoc verum eſt, & contra Vbiquitiſtas directè facit: Nam ſi humanitas maieſtatis eſt particeps propter unionem hypoſtaticam, falſum eſt, quod docent, participem eius eſſe per realem communicationem & transfuſionem. Nam, ut paulò ante dictum eſt*, Damaſcenus *opponit unionem & participationem. Et contra Vbiquitiſtas fortiter facit, quòd divina maieſtas, cuius humanitas per unionem facta eſt particeps, vera & eſſentialis Deitas cum omnibus ſuis proprietatibus ipſa eſt. Vt igitur humanitas per unionem Deitatis ſic particeps facta eſt, ut humanitas in abſtracto non ſit Deitas, vel Deus, ſed quòd in concreto homo Deus ſit: ita etiam humanitas per unionem omnium quoque Deitatis eſſentialium proprietatum, & per conſequens divinæ maieſtatis particeps facta eſt, non quòd in abſtracto humanitas æterna, incomprehenſibilis, ubique præſens, &c. Sed quod in concreto homo Chriſtus æternus, incomprehenſibilis & ubique præſens ſit, quia videlicet non tantum homo, ſed etiam verus Deus eſt. Nec quicquam obſtat, quòd Patres obſtractum interdum pro concreto uſurpant: ibi enim non tam verba, quàm ſenſus illorum reſpiciendus eſt, alioquin multa inconvenientia inde colligi poſſent.*

1. Appendix. Iuſtinus *Martyr in expoſitione fidei de recta confeſſione fol.* 297. Nullâ igitur ratione hominibus poſſibile eſt pertingere ad primam illam & beatam eſſentiam. Et quid dico divinam eſſentiam? Imò ne ad ea quidem quæ de illa miſticè in rebus ſacris peraguntur nihil enim divinarum rerum hominibus eſt cognitum.

Et fol. 305. Non enim capit corpus ſordidum radios divinitatis.

Et paulò poſt fol. 305. Templum autem proprium (incolit) oculum videlicet puriſſimum, & ſplendorem univerſæ lucis capacem, vtpote à Spiritu ſancto formatum, & omni ex parte à peccato ſecretum.

Idem fol. 303. In quo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.

Cenſura. *Hic* Iuſtini *locus mirabiliter hiac inde ex citato loco corraſus, & tamen depravatus eſt. Nam fol.* 297. *agit* Iuſtinus *de tota divina eſſentia, & inquit*, nullum hominem eam, ut eſt in Scriptura in tribus diſtinctis perſonis manifeſtata, ratione & ſenſibus vel cogitationibus comprehendere poſſe. *Alterum locum fol.* 305. *ideò* Iuſtinus *adducit, quòd diſtinxit, quo modo divinitas in Chriſto, atque etiam in omnibus aliis creaturis & hominibus ſit, & inquit*, Quòd in Chriſto inſeparabiliter propter unionem perſonalem habitet, non autem ſic in aliis hominibus & creaturis, ſed ſuo modo: *Nam porrò inquit*, corpus ſordidum non capit radios divinitatis. Chriſti corpus autem, tanquam Deitatis templum, id facit. *Et ut melius hoc intelligatur, addit ſimilitudinem de Sole, & ait:* Etſi Sol omnibus hominibus luceat, eos tamen, qui acutum viſum habent, maiorem lucem inde percipere, quàm illos qui caligantes oculos habent: Et Chriſti humanitas, quia Sol iuſtitiæ cum ea perſonaliter unitus eſt, apprehendit ſplendorem univerſæ lucis. *Hinc autem corporis omnipræſentiam colligi debere, apertiſſimè pag.* 199. *à* Iuſtino *refutatur, ubi clarè dicitur dicit*, Naturas in Chriſto cum ſuis proprietatibus diſtinguendas, & quod unius cuiusque proprium eſt, id eidem adſcribendum eſſe.

Origenes de Princip. lib. 2. *cap.* 6. Anima Chriſti tota, totum Logon recipit, atque in eius lucem ſplendoremque cedit, 2. Appendix.

Idem de Princip. lib. cap. 6. *fol.* 801. 802. illa anima (de qua dixit Ieſus, quia nemo à me auferet animam meam) ab initio creaturæ, & deinceps inſeparabiliter ei atque indiſſociabiliter inhærens, utpote ſapientiæ, & Verbo Dei, & veritati, ac luci veræ & tota totum recipiens, atque in eius lucem, ſplendoremque illa cedens, facta eſt cum ipſo principaliter unus ſpiritus. Origenes.

Et lib. 4. Anima Chriſti cum Verbo Dei conjuncta, filij Dei plenè capax fuit,

Et lib. 4. *in Anacephalæoſi fol.* 861. Oleo ergo lætitiæ ungitur: cùm Verbo Dei immaculatâ fœderatione coniuncta, & per hoc ſola omnium animarum peccati incapax fuit; quia filii Dei benè & plenè capax fuit: Ideoque & unum cum ipſo eſt, atque eius vocabulis nuncupatur, & Ieſus Chriſtus apellatur, per quem omnia facta eſſe dicuntur. 3. Appendix. Origenes.

Auguſtinus *Epiſt.* 57. Deus licèt omnibus creaturis totus ſit præſens, ac præcipuè in credentibus habitet, non tamen ex toto illum capiunt. Sed pro ſuæ capacitatis diverſitate, alii ampliùs, alii minùs, ipſum habent & capiunt. De capite verò noſtro Ieſu Chriſto, Apoſtolus ait: In ipſo habitat tota plenitudo Deitatis corporaliter. 4. Appendix.

Auguſtinus *Epiſt.* 57. *Tom.* 2. *fol.* 284. Deus igitur vbique præſens eſt, & ubique totus præſens, nec ubique habitans, ſed in templo ſuo, cui per gratiam benignus eſt & propitius. Capitur autem habitans ab alijs amplius, ab aliis minus. De ipſo verò capite noſtro Apoſtolus ait: Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Auguſtinus.

Cenſura. *His tribus citatis locis nihil aliud probatur, quàm quòd Deitas in Humana Natura Chriſti aliter ſit & habitet, ac in aliis Sanctis & Creaturis: et quòd humanitas in perſonali unione non aliter divinarum proprietatum particeps ſit, quã*

ut

ut Verbi, hoc eſt Dei ipſius particeps fiat. Hoc enim Origenis *verba luculenter docent, cum inquit:* Quia anima Filii Dei benè & planè capax fuit: *atqui Humana Natura Verbi non ſic fit particeps, ut ipſa Verbum, vel Deitas fiat, & in eam transmutetur: ideò ſequitur, eam neque omnipotentiæ, neque Vbiquitatis, neque omniſcientiæ Verbi participem fieri, ſic ut ipſa per ſe omnipotens, omniſcia & ubique præſens ſit: ſed humanitas ſit Verbi ejuſque omnium proprietatum particeps, ſecundum modum loquendi, quo Patres de perſonali unione utuntur. Inprimis autem miretur aliquis Concordiſtas Epiſtolam* 57. Auguſti *pro ſe citare auſos fuiſſe, cùm Vbiquitati carnis Chriſti apertiſſimè refragetur. Nam* Auguſtinus *in ea prolixè docet,* omnipræſentiam ejuſmodi proprietatem Dei eſſe, quę nulli creaturæ communicari poſſit, quandoquidem omnes creaturæ finitæ eſſentiæ ſint, omnipræſentia autem infinitam eſſentiam requirat, & propterea non etiam Humanæ Naturæ Chriſti communicari poſſit, *de qua disertè ibi ſcribit,* quod non ſit ubique, ſed in cœlo tantùm in certo loco, juxta modum veri corporis.

CAPVT. IX. teſtimoniorum Patrum

Capite hoc probare volunt, licèt Deitas cum Divina ſua majeſtate non localiter carnis circumſcriptione, tanquam vaſe aliquo, contineatur & circumſcripta ſit, ut Athanaſius, Origenes, Nyſſenus *& alii rectè docuerunt, atque etiam in Libro Concordiæ expreſſe pro errore damnatur, ſi docetur,* humanitatem Chriſti in omnia loca extenſam eſſe, vel Humanam Naturam in Chriſto, unione Perſonali, in infinitam vel immenſam eſſentiam mutatam eſſe: *nihilominus, quia Divina & Humana Natura perſonaliter & indiviſè in Chriſto unita eſt, Sacram Scripturam & Sanctos Patres teſtari Chriſtum, ubicunque ſit, non dimidiâ, Perſonâ, vel parte aliqua Perſonæ tantum ibi eſſe, ſed totam ejus Perſonam, nempe Deum & hominem, ſecundum Naturam perſonalis unionis, quæ imperſcrutabile myſterium eſt, juxta modum ſoli Deo cognitum.*

Cenſura Marchionis de toto hoc capite.

Hoc capite Concordiſtæ probare volunt, Chriſtum totum ibi eſſe, ubicunque ſit, hoc eſt, ſecundum utramque Naturam, & ſic quoque cum humanitate ſua ubique eſſe, ut divinitate, quandoquidem hæc certò ubique ſit. Sub his autem verbis ſophiſtica latet: Sophiſticum enim eſt, quod pro uno eodemque accipiunt, totus Chriſtus, & Chriſtus ſecundum utramque naturam. *Chriſtus enim totus eſt Deus, & totus homo, totus eſt mortuus & ſepultus, ut* Damaſcenus *ſcribit:* Totus Deus, Totus homo, *&c. Neque tamen Deus vel homo, vel mortuus & ſepultus eſt ſecundum utramque Naturam. Exemplo ſophiſtica hæc clarior fiet. Quando dicitur, totus homo intelligit, erectus incedit, moritur, rectè quidem dicitur: tamen ſignificat, hominem ſecundum utramque Naturam, animam videlicet & Corpus, intelligere, erectum, incedere, & mori: Ratio, quia opera ſunt ſuppoſitorum: hoc eſt, hæc opera procedunt à tota Perſona.*

Falſum etiam & verbo Dei contrarium eſt, Chriſtum omni tempore fuiſſe, & adhuc eſſe, ubi eſt, ſecundum utramque Naturam: Negari enim non poteſt, quòd in toto exinanitionis ſtatu ſecundum Deitatem omnino, ſecundum Humanitatem vero non omnino ubique fuerit: Non enim erat in domo Principis in Bethania, &c. ſecundum Humanitatem, neque tamen alicubi erat dimidius vel diviſus: ita poſt aſcenſionem ubique eſt ſecundum Divinitatem, non autem ubique, ſed in cœlo ſecundum Humanitatem, ut Scriptura, articuli Fidei & Auguſtinus *docent. Ea propter Lector diligenter attendat, quid Concordiſtæ probare velint, & quid ſequentia Patrum teſtimonia doceant.*

Theophylactus. Vt omnia impleat dominatione operationeque idque in carne, quandoquidem divinitate jam antea cuncta compleret. Hæc autem adverſus Paulum Samoſatenum & Neſtorium ſunt. *1. Appendix.*

Cenſura Fraw Bergenſium. Explicatio loci Eph. 4.

In citatione hujus loci omiſerunt Concordiſtæ Librum & caput: ideoque hac cæcâ & futili allegatione Lectorem decipere volunt. Nam poſtrema hæc verba, Hæc autem adverſus Paulum Samoſatenum & Neſtorium ſunt, *in Comment.* Theophylacti *Eph. 4. c. leguntur. Præcedentia autem verba prorſus non ita ſe habent. Videntur autem voluiſſe* Theophylacti & Oecumenii *verba conſuere. Sic enim* Oecumenius *ſcribit ad verba Eph. 4. c.* Vt omnia impleret. Nam etiam olim (*ante incarnationem*) nuda Deitate omnia replebat, & incarnatus igitur, ut omnia cum carne repleret, deſcendit & aſcendit. *Nequaquam autem* Oecumenius *docere vult, Chriſtum ſuis carne & oſſibus omnia replere, ſed Filium Dei, ut prius ſine Humanitate omnia impleverit, ita etiam nunc cum Humanitate unitum omnia implere, nempe per ſuam Deitatem & Divinam virtutem, vel potius divinis ſuis dotibus, de quibus Apoſtolus propriè loquitur. Sive autem Concordiſtæ* Theophylacti *fictitium locum, ſive* Oecumenii *verba citare voluerint, pro ipſorum tamen figmento nihil prorſus facit, ſed id validiſſimè oppugnat. Non enim dicitur:* Vt omnia impleat carne & oſſibus, *ſed,* Vt impleat omnia dominatione operationeque, idque in carne, nempe exiſtens, hoc eſt, non nudus Deus ut prius, ſed Deus incarnatus, *Chriſtus igitur omnia implet ſuo ſpiritu & donis, gubernatione & operatione, nempe per ſuam omnipotentem Deitatis virtutem, etſi jam Humanitate in Cœlo tantum eſt ad dexteram*

Patris, unde venturus eſt ad judicium.

2. Appendix. Leo *epiſt.* 10. Catholica Eccleſia ac fide vivit ac proficit, ut in Chriſto Ieſu, nec ſine vera divinitate humanitas, nec ſine vera credatur humanitate divinitas.

Cenſura. *Non quæritur, ô boni Concordiſtæ, an Catholica Eccleſia Ieſu Chriſti credat humanitatem non ſine vera Deitate, & Deitatem non ſine vera humanitate: hoc eſt, an credat Chriſtum in una perſona verum Deum & hominem eſſe, quæ propria ſententia verborum* Leonis *eſt, Sed hoc quæritur,* An Catholica Eccleſia credat, Chriſti humanitatem ubique eſſe cum Deitate? *Quòd certè* Leonis *verba non probant. Quod ſimilitudine corporis & animæ declarari poteſt: Si quis Romæ aliquandiu vixit, & ſitum moreſque eius urbis cognovit, is, ſi poſtea in alia urbe recordatur Romæ, ſuo animo & cogitationibus Romæ eſt: non autem propterea corpore ſuo ibi eſt: ideoque minimè ſequitur, quod huius hominis anima & corpus ſeparata ſint, etiamſi corpus ibi non eſt, ubi anima eſt. Hæc ſimilitudo corporis & animæ in Symbolo* Athanaſii *reperitur.*

3. Appendix. *Idem* Leo *Sermon. 3. de Paſſione.* Hoc catholica fides tradit, hoc exigit, ut in redemptore noſtro duas noverimus conveniſſe naturas, manentibus proprietatibus ſuis tantam factam unitatem utriuſque ſubſtantiæ, ut ab illo tempore, quo in beatæ Virginis utero Verbum caro factum eſt, nec Deum illum ſine hoc, quod eſt homo, nec hominem ſine hoc liceat cogitare, quod Deus eſt.

Cenſura. *Si locus hic ſecundum titulum novi capitis intelligi debet, neceſſariò ſequitur, aſſumptam carnem etiam in utero materno ubique fuiſſe. Quis autem animadvertit, quod hic ſenſus huius loci ſcopus non ſit, ſed contra Neſtorianam ſeparationem naturarum directus, ideoque hæc vera ſententia eius ſit, perſonalem unionem in utero virginis Mariæ ſic factam eſſe, ut ea in æternum poſthac vel ſenſibus & cogitationibus etiam ſolvi non poſſit: & quod propterea aſſumpta humanitas nunquam ſine Deitate, ut etiam Deitas nunquam ſine humanitate ſit.*

4. Appendix. *Item*: Exprimit quidem ſub diſtinctis operationibus veritatem ſuam utraque natura, ſed à neutra ſe ab alterius connexione disjungit, nihil ibi ab invicem vacat, ſed ſuſcipit totum hominem Deus, & ita ſe illi, atque illum ſibi conſeruit, ut utraque alteri naturæ ineſſet, & neutra in alteram a ſua proprietate tranſiret.

Cenſura. *Hæc verba ab orthodoxa Eccleſia prob[illegible]r: Nam perſonalis unio ſic ſe habet, ut [illegible]num ſolvi nequeat. Hinc vero non ſequitur, corpus Chriſti ubique eſſe oportere, quod Deitas ubique ſit. Nam ad indiſſolubilem unionem minimè requiritur, ut circumſcripta humana natura ubique ſit, ſicut Deitas ubique eſt: alioquin dicendum eſſet, humanitatem, cùm fuit in utero, in templo, in horto, in cruce, in ſepulchro, perinde ac divinitatem ubique, vel a ſua divinitate ſeparatam tum fuiſſe. Utrunque autem falſum eſt. Hoc enim ad unitatem perſonæ requiritur, ut infinita Natura, finitam in unitatem Perſonæ aſſumat, habeat & retineat, ſive ea in cœlo, ſive in terra ſit. Concordiſtæ igitur hoc* Leonis *loco ad confirmandam fictitiam ſuam Majeſtatem & Ubiquitatem turpiſſime abutuntur:* Leo *enim talem Ubiquitatem non ſolum non docuit, ſed eam potius validiſſime refutavit. Sic enim Sermon. 3. inquit.* Agit utraque forma cum alterius communione, quod proprium eſt, verbo ſcilicet operanti, quod Verbi eſt & carne exequente, quod carnis eſt. Unum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit injuriis: Aliud ab æqualitate paternæ gloriæ non recedit. Hoc naturam noſtri generis non relinquit. *Quibus verbis* Leo *realem communicationem Idiomatum & Ubiquitatem Humanæ Naturæ clariſſime rejicit.*

Hoc capite dicunt, quandoquidem hujus Articuli tota Doctrina eò directa ſit, ut homines diſcant, ubi totam perſonam Mediatoris, Deum & hominem quærere debeant, & apprehendere poſſint, idcirco Concordiam librum, ut etiam orthodoxos Patres nos non ad ligna & lapides, vel ſimilia remittere, ſed eo, quo Chriſtus nos in verbo ſuo remittat. CAPUT X. Teſtimoniorum Patrum

Sacra Scriptura jubet nos Chriſtum ſecundum carnem, poſt aſcenſionem, non in inferno, non in aere, non in Monſtrantiis, vel hoſtiis, multo minus ubique ſed ſurſum in Cœlo quærere ad dexteram Dei, indeque illum expectare. Coloſ. 3. verſ. 1. Philip. 3. verſ. 20. Ideoque orthodoxi Patres nihil adhoc diverſum docent. Sin verò Liber Concordiæ aliud quid fingat, ut facit, anathema ſit: Si enim Angelus de Cœlo veniret, & aliud Evangelium doceret, diceretque Chriſtus eſt hic vel ibi, in conclavi, in ciboriis, in hoſtiis, vel omnia plena ſunt Chriſti etiam ſecundum carnem anathema ſit. Judicium Marchionis de hoc capite.

Cyrillus *lib. 12. in Ioh. Cap. 32.* In quatuor partes veſtimenta Chriſti diviſa ſunt, & tunica ſola indiviſa manſit, quod myſticæ cujuſdam rei ſignum rei dixerim. Nam quatuor orbis partes ad ſalutem reductæ, indumentum Verbi, id eſt, carnem eius, impartibiliter tranſiens unigenitus, animam & Corpus eorum, per carnem ſuam ſanctificans, impartibiliter atque integre in omnibus eſt, cum unus ubique ſit nullo modo diviſus. 1. Appendix.

Locus hic ſi ſe in Cyrillo *habet: in fine a Rem* Cenſura.

eius

eius Concordiſtæ omiſerunt, quod declarationis gratiâ additur, nempe, Sicut Paulus ait 1. Corinth. 1. verſ. 13. ubi iis qui in Corinthiaca Eccleſia nominari gaudebant ab Apoſtolis, reſpondet, Num ergo Chriſtus diviſus eſt? videlicet, in varias ſectas & opiniones. *Hinc igitur apparet,* Cyrillum *in hoc myſterio nequaquam loqui de Vbiquitate hujuſmodi corporis Chriſti, quod in toto mundo per omnia loca extenſum ſit: Sed quod agat de unica Chriſti carne, quæ non diviſa, ſed tota in toto mundo, vel, ut* Cyrillus *loquitur, in quatuor orbis partibus, à fidelibus omnibus, & unoquoque in ſpecie, ad ipſorum ſalutem & incolumitatem fide verâ percipitur.*

2. Appendix. Theophylactus *in 19. cap. Iohan.* Igitur Sanctum Chriſti Corpus indiviſibile eſt, & dividitur & communicatur in quatuor partes orbis, diſtributus enim ſingulis & unius cujuſque animam ſanctificans cum corpore, per carnem ſuam, unigenitus & integer & indiviſus in omnibus eſt, exiſtens ubique, nunquam enim diviſus eſt, ſicut & Paulus clamat.

Cenſura. *Locus hic eiuſdem eſt ſententiæ cum priore, & abſque dubio ex illo decerptus: Vbiquitatem autem Corporis Chriſti minimè probat. Nam* primò *is intelligi debet iuxta doctrinam Sacræ Scripturæ, quæ Vbiquitatem carnis Chriſti apertiſſimè damnat. Deinde, etſi verba hæc videantur aliquo modo pro Vbiquitate facere,* Theophylacti *tamen ſententia eſt,* Sanctum Chriſti Corpus in quatuor partes orbis diviſum eſſe, non per omnipræſentem ſuam eſſentiam ſed prædicationem verbi & veram communicationem, quæ in fide in omnibus locis totius mundi fit: *Item,* Chriſtum ubique & indiviſum eſſe, ſecundum ſuam Deitatem & divinam virtutem, juxta quam à nobis nunquam receſſit: *Item,* Chriſtum noſtram animam & corpus ſanctificare ſuâ propria carne, non quidem, quod caro eius corporaliter in noſtra corpora & animas veniant, ſed quòd per Spiritum ſanctum carne eius cibemur per fidem veram. *Et Chriſtus tam nō dividitur hodie, etſi corpus eius nūc in cœlo, Deitas autem ubique eſt, quàm non dividebatur, cùm Corpus eius Bethaniæ erat, vel in cruce pendebat, &c. Deitas autem Cœlum & terram implebat: Nam Deitas eſt tota & incomprehenſibilis ſemper in ſua humanitate, etſi in eam non ſit incluſa, ſed tota etiam & incomprehenſibilis cœlum & terram implet.*

3. Appendix. Chryſoſtomus *Hom. 17. ad Hebræos. Et Ambroſius in 10. Cap. ad Hebræos* Num, quia in multis locis offertur hoc ſacrificium, multi Chriſti ſunt? Nequaquam, ſed unus ubique eſt Chriſtus: & hic plenus exiſtens, & illic plenus, & unum corpus. Sicut enim, qui ubique offertur, unum Corpus eſt, & non multa, ita etiam & unum ſacrificium, quod exemplar & recordatio eſt eius ſacrificii, quod in cruce oblatum eſt.

Idem Hom. 17. ad Heb. cap. 10. fol. 1773. Et Ambroſius in cap. 10. ad Heb. fol. 452. Proinde unum eſt hoc ſacrificium hac ratione: Alioquin, quoniam in multis locis offertur, multi Chriſti ſunt? Nequaquam, ſed unus ubique eſt Chriſtus, & hic plenus exiſtens & illic plenus, unum Corpus. Sicut enim, qui ubique offertur, unum Corpus eſt, & non multa corpora, ita etiam & unum ſacrificium. Pontifex autem noſter ille eſt, qui hoſtiam mundantem nos obtulit: ipſam offerimus & nunc, quæ tunc oblata conſumi non poteſt. Hoc autem, quod facimus, in commemorationem quidem fit eius, quod factum eſt. Hoc enim facite, inquit, in meam recordationem. Non aliud ſacrificium ſicut Pontifex: Sed id ipſum ſemper facimus: magis autem recordationem ſacrificii operamur. Chryſoſtomus.

Cenſura. *His verbis* Chryſoſtomus *&* Ambroſius *docere volunt, omnes fideles hinc inde in toto mundo, unici ſacrificii Chriſti, in ara crucis oblati, participes fieri, & hujus ſacrificii memoriam in ſacra Cœna celebrare. Ex quibus Lector judicet, an de Vbiquitate Humanæ Naturæ Chriſti loquantur, cum dicunt,* Chriſtum qui ubique offertur, unum corpus eſſe: *horum enim verborum hic ſenſus eſt, Chriſtum unicam tantùm perſonam eſſe, qui unicum tãtum corpus habeat, non plura. Hinc autem non ſequitur, Corpus eius in omnibus iis locis eſſe, ubi ſacrificium eſt. Sententia ſiquidem eorum minimè eſt, corpus eius in elementis Cœnæ corporaliter latere, ſed Cœnam (quam more veterum Patrum abuſivè vel Metonymicè ſacrificium vocant) typum & memoriale eſſe, ſemel oblati corporis, quod nunc in cœlo ſit, &c. Vnde etiam Paulus nos hortatur, ut in celebratione Cœnæ mortem eius annunciemus donec veniat.*

Ex his omnibus perſpicuè intelligitur, Patrum dicta, à Bergenſibus in libri Concordiæ Appendice allegata, non ſolùm mala fide ab iis citata eſſe, ſed etiam pro defendendo Vbiquitatis dogmate nihil prorſus facere.

Reſponderunt Vuirtenbergenſes Theologi ad hoc ſolidum ſcriptum Marchionis Badenſis. Quæ autem ſumma Reſponſionis fuerit, ex ſequentibus intelligatur. Nam Anno 1601. Oppoſuit Princeps Badenſis huic Reſponſioni gravē Apologiā, ſub hoc titulo Deß Durchleuchtigen Hochgebornen Fürſten und Herrn / Herrn Ernſt Friderichen Margraven zu Baden und Hochberg / ꝛc. wolgegründte und ſatte Ablehnung / der / durch die Theologen deß Wirtenber- Vuitenbergenſes reſpondēt Marchioni Badenſi. libro, quibus Marchio opponit Apologiam.

tenbergiſchen Conſiſtorii zu Stuttgar-ten / wider ihre Fürſtl. Gnad. Chriſtlichs bedencken / und erhebliche wolfundierte Mo-tiven / die Sie biß dahero von der Subſcri-ption der Formulæ Concordiæ abgehalten / ꝛc. Welche in ihrer F. G. Land heimlicher weiſe eingeſchleicht worden / darinnen auch zu gutem theil widerlegt was in der fernern lan-gen Confutation Schrifft / darauff ſich an-geregte Relation zeucht / begriffen ſeyn mag.

Ordo Apologiæ. Exemplar Auguſtanæ Confeſſionis Formulæ Concordiæ inſertum corruptum & depravatum.

Indicat autem Primò *in genere, Collationem exemplarium Auguſtanæ Confeſſionis à ſe propterea factam, ut inde intelligat Lector, exemplar illud, quod Anno 30. Carolo Imper. Auguſtæ exhibitum fuit, non Libro Concordiæ inſertum eſſe, ut in Præfatione Formulæ Concordiæ Bergenſes Patres gloriantur, ſed aliud quoddam, & id quidem depravatum, & ab authentico illo diſcrepans ac diverſum.* Hoc deinde *in ſpecie probat: nempe* 1. *neceſſarias Antitheſes multas in exemplari Formulæ Concordiæ inſerto omiſſas. Deinde* 2. *multos Articulos eiuſdem exemplaris toto contextu ab originali, ſeu autographo per omnia diſcrepare: ita ut falſum ſit diverſitatem ſaltem leviuſculam eſſe, in tranſpoſitione ſeu mutatione quarundã literarum & vocularum, quæ ſenſui nihil vel addant, vel detrabant, ut Vuirtenbergenſes velint.*

Ad PRIMVM *quod attinet, docet* Marchio *in tertio Articulo, qui eſt de Perſona Chriſti, hanc Antitheſin prorſus omiſſam eſſe:* Et damnantur omnes hæreſes, quæ huic articulo contrariæ ſunt. *In promptu autem cauſa eſt: nam Vbiquitas illorum, huic Articulo tertio contraria eſt, quam damnari noluerunt.*

In Articulo 13. *ſimiliter hanc Antitheſin omiſerunt:* Damnant igitur illos, qui docent, quòd Sacramenta ex opere operato juſtificent, nec docent fidem requiri in uſu Sacramentorum, quæ credat remitti peccata. *In cauſa eſt, quòd Vbiquiſtæ & Flacciani interque hos primarius* Iacobus Schmidlinus *Formulæ Concordiæ fabricator, novum opus operatum fingunt: nempe,* Latentem virtutem Sacramentis annexam affixamque eſſe, quâ Spiritus Sancti gratiam baptizatis conferant, *Eoſque laudant,* qui Spiritum Sanctum & ipſius in nobis effecta Sacramentis alligant.

Schmidlin in Monpelg. colloquio pag 410

In Articulo 18. *hanc quoque Antitheſin prorſus prætererunt:* Damnant Pelagianos, & alios, qui docent, quod ſine Spiritu ſancto, ſolis Naturæ viribus, poſſimus Deum ſuper omnia diligere: *Item:* præcepta Dei facere, quoad ſubſtantiam actuum: Quanquam enim externa opera aliquomodo efficere natura poſſit: poteſt enim manus continere à furto, & cæde: tamen interiores motus non poteſt efficere, ut timorem Dei, fiduciam erga Deum, caſtitatem, patientiam, &c. *Hanc Antitheſin ſi appoſuiſſent, ſeipſos eâ condemnaſſent, ut qui etiam non renato homini vires multas tribuant quæ ſolius Spiritus Sancti opus ſunt.*

Quod verò ad Articulos & doctrinam ipſam attinet, docet Marchio *ſe ita in priore ſuo libro demonſtraſſe eam à Bergenſibus in ſuo exemplari, Concordiæ formulæ inſerto, depravatam eſſe, & ab autographo diſcrepare, ut in Reſponſione ſua id negare non potuerint Bergenſes.*

SECVNDÒ *docet* Marchio, *Vuirtenbergenſes ad depravationem Majoris Catechiſmi Lutheri, Formulæ Concordiæ inſerti, nihil ſolidi reſpondiſſe: & ea, quibus crimen falſi defendere conantur, ſolide refutat.*

TERTIÒ *probat luculenter contra Vuirtenbergenſes, errores illos in Formula Concordiæ contineri, quos in priore libro ſuo notarit.*

QVARTO *docet & probat,* Primò, *loca Patrũ à Bergenſibus in* Appendice *Formulæ Concordiæ vel ipſorum Vuirtenbergenſium Confeſſione, non ſemper bonâ fide citata eſſe.* Secundo, *ſuas allegationes & declarationes veras eſſe.* Tertiò, *genuinum ſenſum locorum Patrum à Concordiſtis non retentum, ſed depravatum eſſe* Quartò, *ſe non quidem de orthodoxis Auguſtanæ Confeſſionis Theologis, ſed de Vbiquiſticis verè aſſerere, quòd aliquibus dictis Patrum realem & eſſentialem effuſionem proprietatum Deitatis in humanitatem Chriſti, tanquam de ſubjecto in ſubjectum, docere conentur.* Quintò, *locum* Damaſceni *lib.* 3. *Orthodoxæ fidei cap.* 18. *à ſe non corruptum ſeu depravatum eſſe.*

CAPVT LVII.

De Reformatione Eccleſiarum in ſuperiore Haſſia à reliquiis Papatus: in qua non ſolùm fractio panis in Cœna Dominica, & integer Decalogus in Eccleſiis reſtitutus, ſed etiam Imagines è templis ejectæ ſunt: deque tumultu ob hanc reformationem Marpurgi exorto.

POſtquam, *defuncto* Ludovico Haſſiæ Landgravio *ſeniore, Civitas & Academia Marpurgenſis, Illuſtriſſimo Principi* Mauritio, *hæreditario jure obtingeret cederetque & ipſe jam rerum in parte ſuperioris Haſſiæ principaliori potiretur, ut religionis exercitium illi quod in reliquis inferioris Haſſiæ civitatibus imperio ſuo ſubjectis hactenus uſitatum fuit, conforme redderet, nec diſſidium aliquod in Eccleſiis ſuis poſthac deprehenderetur, tria*

potiſsimùm in religionis negotio capita principio corrigere & emendare ſtatuit, expetens primò, *vt diſputationibus de Perſona Chriſti omiſsis, in concreto de omnipopræſentia eius, non autem in abſtracto, idque juxta reformationis ſub* Guilielmi Ludovici, Philippi & Georgij fratrum, *Haſsiæ Landgraviorum nomine Anno* 1572. *editæ conſtitutionem, repetitamque Anno* 1577. *Treiſæ, Anno* 1578. *Marpurgi & An.* 1579. *Caſſellis concluſionem ſermones habeantur.* Deinde *vt decē præcepta, eo quo à Deo prolata, tabulisque lapidis inſcripta, & per Moſen annotata ſint modo, integra auditoribus proponantur, imaginesque & ſculptilia templis eiiciantur atque abrogentur.* Tertiò, *ut ad adminiſtrationem Cœnæ Dominicæ, fractionem panis Miniſtri in poſterum adhibeant.*

Duo Theologi ab Vbiquitatis doctrina abſtinere iubentur coram populo.

Principiò igitur per Rodolphum Guilielmum Rhavven, *&* Chriſtianum Andreæ *Conſiliarios ſuos, perque* Sigefridum Clotzium *Cancellarium,* 18. *Iunii die, Doctores Theologos,* Henricum Leuchterum, *&* Ioannem Vvinckelmannum, *in Grammatophylacium vocari, ſcriptumque ipſis proponi curavit, quo accuſabantur, quod dogma Vbiquitatis & incorporationis in panem, auditoribus proponerent, monebanturque, uti populo parcerent, & ab eo, ni aliud quid experiri vellent, tempeſtivè abſtinerent. Reſpondent ſtatim verbis, & poſtero die ſcripto Theologi, ſe dogma Vbiquitatis, ſi de locali extenſione Corporis Chriſti ad omnia loca illud accipiatur, cum nomine ipſo averſari, de Maieſtate autem, quam Chriſtus ſecundum Naturam Humanam habeat, docere ſeſe, ex verbo Dei & antiquitatis regula, quòd quicquid Chriſtus, quâ Deus, naturaliter habeat, ei quâ homo, in tempore datum ſit. Incorporationem autem in panem nec ſtatuere ſe, nec docere, ſed loqui cum ſacra Scriptura, Auguſtana Confeſſione, eius Apologia & Concordia Lutheri cum Bucero, Vuitebergæ Anno* 1536. *typis evulgata: petunt igitur rationem ſui in proponenda hac doctrina haberi.*

Reſponſum Theologorum.

Mauritij Landgravii iudicium & ſententia de reſponſo Theologorum.

Reſponſum hoc eùm ad Principem relatum eſſet 10. *poſtmodum Iulij die, tribus Theologis,* Leuchtero, Vvinckelmanno & Conrado Theodorico. (Mentzerus *enim in cauſa Vniverſitatis peregrè profectus erat) in arcem vocatis, ſcriptum à* Cancellario *prælectum eſt, hujus ſententiæ, quòd Princeps quidem ſperaverit, fore, ut Theologi admonitionem ſuam admitterent, & propoſitâ moderatione, in articulo de Perſona Chriſti, periculoſis de Vbiquitate diſputationibus omiſsis, uterentur, iam autem videat Theologos admonitione iſtâ neglectâ, in ſententia ſua perſiſtere, nec Synodalibus ſeſe ſubmittere concluſionibus velle. Cùm igitur huic Theologorum reſponſioni acquieſcere non poſſit, ſed conformitatem doctrinæ in omnibus ſibi ſubiectis Eccleſiis Scholisque habere, omnesque Theologos ad concluſiones Anno* 1577. *Thriſæ, & Anno* 1578 *Marpugi factas, adſtrictos eſſe cupiat, admonitos eos denuo velit, ut concluſiones iſtas admittant, & præterea in ritum etiam fractionis panis in Cœna Dominica, redintegrationem Decalogi & abolitionem imaginum, more Caſſellis & in aliquibus aliis inferioris Haſsiæ Eccleſiis recepto, conſentiant.*

Theologi perceptâ ſcripti huius ſententia, eius exemplar ſive copiam, uti vocant, ſibi tradi expetunt, nihilque obtinere valentes, reſponſum & mentem ſuam ſcripto ſeſe declaraturos promittunt. Sequenti igitur 11. *Iulii die Cancellariam iterum ingreſsi, ſcriptum exhibent, quo* Leuchterus *primò affirmat, concluſiones illas Synodales ſibi nec in promotione Doctorali, nec in demandato officio docendi in Eccleſia propoſitas fuiſſe, nec unquam ſibi tanquam Superintendenti iniunctum, novitios Paſtores & Concionatores ad illas adſtringere, quemadmodum nec ipſe etiam ab Illuſtriſsimo ſuo Principe* Ludovico *Seniore piè defuncto, ad eas adſtrictus fuerit.* Vvinckelmannus *verò ſibi quidem, cùm ab Illuſtriſsimo Principe* Guilielmo *in concionatorem aulicum Anno* 1581. *aſſumeretur, à Mesero Superintendente, nomine Principis concluſiones illas propoſitas fuiſſe dicit, ſe verò tum reſpondiſſe, quod in doctrina de Perſona Chriſti, ſequi velit verbum Dei & ſcripta illa Orthodoxa, quorum in concluſionibus iſtis mentio fieret, non poſſit autem illis ſolummodò phraſibus, quæ in concluſionibus iſtis reperiuntur alligatus, alias loquendi formulas purioris Eccleſiæ Doctoribus quondam uſitatas negligere. Cæterum cùm nihil tum reſponſi ad hanc ſuam reſolutionem acceperit, & verò poſtmodum Anno* 1592. *ab Illuſtriſsimis* Guilielmo *&* Ludovico *fratribus, ad profeſſionem Theologicam Marpurgum vocaretur, gravareturque certis de cauſis, Synodalibus iſtis concluſionibus purè & ſimpliciter ſubſcribere, prælectum ſibi in arce Marpurgenſi reſcriptum Principum affirmat, quo uſitatis in Eccleſia phraſibus uti ſibi permiſſum fuerit, cui reſcripto ipſe etiam nomen ſuum Caſſellis poſtmodum ſubſcripſerit, ut ab eo recedere vel conſcientiæ ratione non poſſit. Porrò quod ad doctrinam attinet, quam de Perſona & Majeſtate Chriſti hactenus profeſsi ſint: aliter quidem in conſcientia ſua & coram Deo ſibi conſcios non eſſe aſſerunt, quàm quod ea verbo Dei & receptis in Eccleſia Symbolis per omnia conſentiat, de phraſibus vero in abſtracto, non ignorare, ſeſe, quod etiam Epheſina Synodus, carnem Chriſti verè vivificatricem nominet, quia Verbi omnia vivificare valentis propria facta ſit, & quod* Cyrillus, *de adoratione carnis Chriſti in defenſione*

Leuchteri reſponſio ad principis ſententiam.

Vvinckelmanni reſponſio.

Anathematiſmorum Epheſinorum contra Theodoretum, *ſimilibus utatur locutionibus, ad univerſam Catholicam Eccleſiam ſeſe referens. Cum abſurdo autem Dogmate de Majeſtate communicante & communicata, nihil ſibi commune eſſe coram Deo teſtantur, cumque in hac confeſſione educati, & ex verbo Dei ſatis confirmati ſint, nec ignorent, quid conſcientia læſa in homine poſſit, decretum ſibi eſſe aſſerunt, à confeſſione iſta ne latum quidem unguem recedere. Ritum verò fractionis in Cœna, redintegrationem Decalogi & abolitionem imaginum quod attinet, cùm auditores ſuos, ceremoniis in multis Auguſtanæ confeſſioni addictis Eccleſiis receptis, aſſuetos ſciant, & ipſi etiam ad* Lutheri *Catechiſmum in Libro Eccleſiaſtico remittantur, ignorare ſe dicunt, an & quomodo ſine ſcandalo, aliquid mutare, & novos ritus introducere poſſint; Orant igitur ne quid contra conſcientiam facere cogantur, omnem Principi ſuo in aliis ſubjectionem & officia devotè promittentes.*

Landgravius non acquieſcit Theologorum reſponſioni.

Sequenti 12. *Iulii die, horam circiter quartam pomeridianam, in arcem iterum vocatis Theologis, Cancellarius in præſentia præfecti & Conſiliariorum, reſolutionem Principis ex ſcripto prælegit, non potuiſſe nimirum Principem cauſas ſufficientes ex ſcripto Theologorum cognoſcere, quibus ad illud approbandum promoveretur, mirari igitur ſeſe etiamnum, quòd conclusionibus Synodalibus ſeſe accommodare tantopere recuſent, præſertim cùm illa etiam quæ de ritu fractionis & aliis capitibus admittendis proponerentur, verbo Dei per omnia conſona eſſent, ut conſcientiam prætendere meritò non deberent, nam & ſibi conſcientiam eſſe, ad quam attendere, quantò in majori officio ſit, tantò magis debeat. Quòd ſi tamen conſcientia ſua cuiquam uſque adeò magnæ curæ ſit, non repugnare ſe, quin eam quocunque tandem modo ſalvet, decretum enim ſibi omninò eſſe, ab hoc negotio nequaquam abſtinere, ut ita pax & tranquillitas in Scholis & Eccleſiis poſtmodo conſervetur. Petere igitur & mandare, ut uno ſtatim verbo vel affirmante vel negante, quid facturi ſint, exponant atque declarent. Theologi verbis quid ſcripto expoſuiſſent repetunt, ſe nimirum conſcientiæ ratione, capita iſta ſimpliciter approbare & acceptare non poſſe. Cancellarius relaturum ſeſe hanc ad Principem reſponſionem promittit, & ſperare ſe neminem in conſcientia ſua perturbatum iri affirmat.*

Landgravii Mauritii ſententia deciſiva.

Die igitur Solis, 14. nempe Iulii, poſt concionem veſpertinam, in arcem iterum accerſiti, conclave Principis ingredi jubentur, ubi Princeps præſentibus conſiliariis luculentâ ſatis & prolixâ oratione, quid per Conſiliarios ſuos cum Theologis hactenus tractari voluerit, repetens, ſanctè teſtatur, nihil ſibi aliud quàm gloriam Dei, ſalutem ſubditorum, & communem patriæ tranquillitatem, in hoc negotio propoſitum eſſe, velleque etiamnum Theologos admonitos dicit, ut quæ propoſita ipſis eſſent, acceptent, ut ita pax & tranquillitas in Eccleſiis & Scholis florere in poſterum poſſint, additâ proteſtatione, ſi monitis hiſce parere recuſent Theologi, de alia ratione, omninò deliberandum eſſe; Oportebit enim, inquit, partem alteram alteri cedere, nec ratio quidem ſuccurrit commodior, quàm ut Theologi conſcientiam ſuam toties prætendentes, dimiſſionem ſua ſponte petant, vel ſi hoc grave ipſis videatur, illud ſaltem æquo ferant animo, ſi bona cum gratia hinc dimittantur.

Finitâ hac oratione Theologi ſeceſſum impetrant. Mentzerus *verò nuper reverſus ſubmiſſè rogat, ut cum peregrè in Univerſitatis negotio abfuiſſet, nec quidem cum Theologis ſe abſente tractatum ſit, penitus perſpectum habeat, ſi eodem cum ipſis loco eſſe debeat, de tota cauſa prius ſufficienter edoceatur. Annuit Princeps, ſtatimque Conſiliariis id negotii committit, deducitur in Sacellum arcis, prælegunturque ipſi à Cancellario tria poſteriora ſcripta, quorum paulo ante mentio facta eſt, quibus auditis, reſpondet* Mentzerus *Synodales quidem concluſiones ſe neſcire, quod nunquam neque in formula obligationis Stipendiariorum, quibus ante* 20. *annos adſcriptus fuerit, neque in promotione, in auguratione, juramento, neque in vocatione ad Profeſſionem Theologicam, de illis admonitus fuiſſet: de tribus verò reliquis capitibus ſtatuere ſe non poſſe, cùm munus docendi in Eccleſia ordinarium non ſuſtineat: hoc tamen dicere ſe, ſi de fidei ſuæ confeſſione agatur, quòd ad Theologos iſtos accedere, eandemque cum ipſis propugnare Doctrinam paratiſſimus eſſe velit. Reſpondent Conſiliarii, faceret quodcunque placeret, itaque Sacello egreſſi ipſi quidem ad Principem revertuntur,* Mentzerus *verò Theologis ſe adjungit, parem cum ipſis fortunam ſubiturus.*

Mentzeri reſponſio.

Theologi in propoſita religionis capita conſentire nolunt.

Admiſſi porrò iterum ad Principem, percepiſſe quidem ſatis affirmant, quæ mens & ſententia Principis ſit, tametſi verò non ignorent, quod ſalutis ſuæ partem non minimam clementiæ Principis, utpote propoſito ſibi Magiſtratui, acceptam referre cogantur, non poſſe tamen ſeſe affirmant conſcientiæ ratione, in propoſita Religionis capita conſentire, eaque ſuo calculo approbare, idque non ex ambitione aut faſtu aliquo, ſed propter divini nominis gloriam & ſuam ipſorum ſalutem, certi nimirum, Doctrinam quam hactenus profeſſi eſſent, in verbo Dei fundatam eſſe, ex quo rationem etiam de ea reddere ſemper parati eſſent. Cæterùm ſuâ ſponte officia ſua reſignare & ſtationem ad quam legitimè vocati eſſent, deſerere ſe quidem non poſſe, ſi verò à Principe dimitterentur, voluntati divinæ & Principis arbitrio ſe non repugnaturos.

Reſpondet Princeps, nihil minus ſeſe quàm hoc

cogi-

Landgravius Mauritius Theologos Marpurgenſes ab officiis removet & clementer dimittit

cogitaſſe, quòd admonitionibus tam paternis locum daturi non eſſent, præſertim cùm nihil iniqui ab ipſis poſtularetur, & mirari ſe ſatis non poſſe, quòd decretis Synodalibus ſubſcribere, & redintegrationem Decalogi fractionemque panis approbare recuſent, cùm vel exemplum Chriſti aliter eos informare poſſit. Quandoquidem igitur ſententiam mutare nolint, aliter ſeſe facere non poſſe affirmat, quàm ut clementer eos & bona cum gratia dimittat, ita ut liberum ipſis ſit, vel alibi rebus ſuas conſulere, vel in ditione ſua manere, nolle enim ſe quenquam eorum detrimento ullo afficere, ſed ut alios ſubditos tueri, dummodo quieti vivant, & pacem cum aliis colant. Proteſtatur porrò dimiſſionem hanc nemini contumelioſam aut pernitioſam fore, paratum enim ſeſe teſtimonio unumquemlibet ornare, ſi opus ſit, modum verò dimiſſionis ſibi reſervatum velle, ut habitâ cum Conſiliariis ſuis deliberatione, publicè de eo poſtmodum admoneantur. Iubet eos interim quietos eſſe, & in officio ſuo pergere, donec quid porrò agendum conſtet. Theologi pro acceptâ ſententia gratias Principi agunt, & docendi munere ad 22. uſque Iulii diem adhuc funguntur, tunc enim in arcem iterum vocati ultimam de dimiſſione ſua ſententiam audiunt, Cancellario eam in Principis, Conſiliariorum, aliorumque aulicorum, Rectoris item & Profeſſorum Academiæ, nec non Conſulum & Senatorum tanquam teſtium ad hanc actionem peculiariter vocatorum præſentia, pronunciante, ipſiſque poſt prolixam eorum quæ acta hactenus eſſent commemorationem, ſignificante, quòd quemadmodum præterito 14. Iulii die, Princeps eos clementer dimiſerit, reſervato tamen ſibi dimiſſionis modo, ſic jam tandem publicè & plenariè ab officio remotos & dimiſſos eſſe velit, additâ tamen promiſſione, Principem eos regione ſuâ non profligaturum, ſed omni potius, ſi quieti in ea vivere vellent, benevolentiâ proſecuturum. Theologi cum repetiviſſent, quâ ratione propoſitis capitibus ſimpliciter ſubſcribere & ea acceptare non potuerint, cauſaſque ſatis graves & arduas hujus ſuæ recuſationis proferre ſeſe poſſe dixiſſent, (quod poſtmodum etiam prolixo ſcripto Gieſſæ impreſſo fecerunt) gratias Principi pro beneficiis ſibi præſtitis & oblata etiamnum benevolentia egerunt maximas, qui ſalutatis & dimiſſis clementer Theologis Vuolckerſtorffium eo ipſo die conceſſit.

Landgravius Mauritius in locum dimiſſorum Theologorum alios ſubſtituit.

Cæterum ne exercitium Religionis Publicum in Eccleſia, profeſſioneſque in Academia intermitterentur, Gregorio Schonfeldio, *Superintendenti Caſſellano*; Valentino Schonero *Ziginhanenſi*, Vvigando Pfaffio *Felſpergenſi*, Danieli Cellario *Borckenſi, &* Iohanni Hainſteinio *Ropperhauſenſi paſtoribus, id negotii Princeps dedit, ut Miniſterii curam agentes, conciones in templo haberent, aliaque quæ ad cultum Dei pertinent publicè ad tempus peragerent. Ad profeſſionem autem Theologicam,* D. Ioannem Molterum, & M. Caſparum Sturmium, Dulcem, & Georgium Crucigerum, *Scholæ Caſſellanæ aulicæ præceptorem, Caſpari Crucigeri nepotem, ad Profeſſionem Philoſophicam legitimè vocatos, Studioſis commendavit.*

Landgravius S. P. Q. Marpurgenſem edocet, quam ob cauſam Theologos dimiſerit.

Cæterum ne quid cives etiam & communem populum lateret, ipſique cauſam propter quam Theologi dimiſſi eſſent, æque ac Senatus, cognitam perſpectamque haberent, nec ſiniſtri aliquid propterea ſuſpicarentur, Cancellario conſiliariiſque aliis id à Principe negotii datum eſt, ut coram Senatu & Tribunis plebis, quin imò tribubus etiam Civitatis univerſalis de toto negotio differentes, quid Theologis propoſitum fuerit, exponerent: quod ipſum quidem etiam 23. Iulii & ſequentibus aliquot diebus ita ab ipſis præſtitum omnes meminerunt.

Landgravius Mauritius ipſe in Collegio Lani propoſiti ſui Oratione Latina rationem reddit.

Sed & Princeps Mauritius *ipſemet ad tollendam & evitandam omnem ſuſpicionem ſiniſtram Dominica 9. Trinitatis, quæ 28. Iulii dies erat, in Collegio ad Lanum publico, factâ frequenti Profeſſorum & Studioſorum congregatione, elegantem orationem Latinam, de hoc ſuo propoſito, coram* Hieronymo Lyska *Libero Barone, Illuſtriſſimi Electoris Brandenburgenſis legato, memoriter habuit, teſtatus publicè, nullius ſeſe hominis ſuaſu, ſed officii ſui conſcientiæque ductu, opus hoc aggreſſum eſſe.*

Idem facit Landgravius publicè in templo coram populo.

Finitâ hac oratione cum ex Collegio ad templum civitatis, concionem veſpertinam auditum Princeps progrederetur, civium aliqui libellum ſupplicem ei inter eundem offerunt. Princeps eum accipit amicè, cumque ſummam ejus legendo cognoviſſet, finitâ concione, ante oſtium chori, juxta prædictum Brandeburgici Electoris legatum conſtitutus, ad ſingula ejus capita, prolixâ & nervosâ oratione reſpondit: profeſſus publicè, nunquam ſibi in mentem veniſſe, novam aliquam Religionem contra conſcientiam & verbum Dei civibus ſuis obtrudere, ſed hoc tantum voluiſſe & etiamnum velle, ut juxta conſtitutiones in generalibus aliquot ejus regionis Synodis factas, de Perſona Chriſti impoſterum doceatur, decem præcepta eo quo à Deo prolata, tabuliſque lapideis inſcripta, & per Moſen annotata extant, modo proponantur, & in Cœnæ Dominicæ adminiſtratione, id quod legitur, Dominus noſter Ieſus Chriſtus accepit panem, & cùm gratias egiſſet, fregit, *&c. in effectum etiam producatur, & panis Domini fractus veſcentibus diſtribuatur.* Et hoc quidem ſolum eſt, *inquit*, quod prioribus Theologis proponi, & ab illis acceptari voluimus, ſed & à Theologis modernis hoc ipſum approbari & ſervari volumus, idem ſecus facientibus quod in

 priores

priores illos ſtatutum eſt, facturi, conſcientiâ quippe nobis, hoc ipſum rectum & juſtum eſſe dictante. Nihil enim hoc facto, quod Deus in cœlis novit, quærimus aliud, quam gloriæ divini nominis amplificationem, doctrinæ cœleſtis propagationem, ædificationem Eccleſiæ, & conſcientiæ noſtræ quietem. Neminem tamen vi aliquâ externâ ad amplectenda hæc tria capita coactum volumus, ſed hoc tantum pro poteſtate divinitus nobis conceſſa, à vobis ſingulis requirimus, ut Theologos & Concionatores noſtros de univerſo hoc negotio ex verbo Dei verba facturos, tranquillè & attentè audiatis, & medium illud per quod Deus fidem in hominibus operari ſolet, non ſuperbè contemnatis. Certi etiam ſumus, vos in nullius perſonæ gratiam, ſed propter Deum, quæ in verbo ejus manifeſtè exſtare & comprehenſa eſſe videbitis, vera habituros, quod ſi feceritis defenſionem veſtri & patrocinium, cum Sanguinis & vitæ noſtræ diſpendio ſuſcepturi ſumus certiſſimum.

Landgravius Mauritius ſtipendiarios etiam ſuos ad obedientiam hortatur.

Præterea cum Stipendiariorum aliqui, novo ſuo ephoro, Caſparo Sturmio, cùm ille introduceretur, & Stipendiariis proponeretur, obedientiam præſtare non ſolum denegaſſent, ſed & contra leges & ſuam ipſorum obligationem refractarios ſeſe & contumaces admodum in præſentia Rectoris & reliquorum Profeſſorum exhibuiſſent, Princeps quidem ſuo in eos jure uti noluit, ſed 3. Auguſti die ad eos in collegium Philoſophicum profectus, inſignem orationem Latinam habuit, propoſitum ſuum multis Scripturæ fundamentis, & piorum Regum exemplis confirmans. Cumque oſtendiſſet, quàm inique vel factum hoc ſuum ab illis qui pane ſuo veſcuntur, vituperaretur, vel ipſe convitiis proſcinderetur, ad obedientiam eos hortatus eſt, omnem obedientibus benevolentiam pollicitus.

Landg. Mauritius cives etiam Marpurgen. de 3. religionis capitibus inſtruere jubet miniſtros.

Tametſi vero hæ & ſimiles orationes & admonitiones, quas Princeps paterno affectu ad Studioſos habuerat, tantum apud eos profecerant, ut quieti in poſterum ſeſe continentes, officium ſuum facerent, in communi tamen populo ſermones de negotio hoc perverſi admodum & varii de Catechiſmo ex Eccleſia exſtirpando, de Altari & Baptiſterio demoliendis, novâ religione, Cœnâ & Baptiſmo introducendis, hominibuſque jurejurando & vi externâ ad novam iſtam Religionem amplectendam cogendis, &c. audiebantur. Itaque ut novi iſti Theologi de toto hoc negotio & tribus potiſſimùm controverſis capitibus populum concionibus aliquot ex verbo Dei docerent atque inſtituerent, neceſſarium omninò Principi viſum eſt, quod ut majori cum fructu fieret, Dominicâ 10. Trinitatis poſt habitam concionem matutinam, populus hac de re ex ſuggeſtu certior factus, & uti ad audiendas haſce conciones, frequenter convenirent, rogatus eſt. Initium igitur hujus rei facturus Schonfeldius, *ſequenti ſtatim Lunæ die, de ritu fractionis in Cœna Domini, prolixe tam in theſi quam in Antitheſi concionatus eſt, additâ pro concluſione admonitione ex Paulo, ut omnia probarent, & quod bonum eſſet tenerent; quam quidem concionem quiete omnes & tranquillè audiverunt. Sequente die Martis, qui 6. Auguſt. erat,* Valentinus Schonerus *Superintendens Ziegenhanenſis, de reliquis duobus capitibus concionari cœpit, docens primo, decem præcepta integra uti à Deo prolata & tabulis lapideis inſcripta, nec non à Moſe in S. Bibliis conſignata exſtarent proponenda, & præceptum de Imaginibus non faciendis, nullo modo omittendum eſſe addens ſimul rectè facere Magiſtratum, ſi reſiduas ex Papatu imagines aboleat, & ex templo ejiciat. Deinde de Perſona Chriſti affirmans, cautè & prudenter cum verbo Dei loquendum & cum eodem tacendum, diſputationeſque de omnipræſentia carnis Chriſti omittendas eſſe; idque juxta decreta Synodalia, & conſtitutiones in publicis conventibus ante hac tempora factas, à quibus vel latum unguem recedere Princeps Mauritius nolit.*

Antonius Harterus Marpurg. ſeditionem concitat.

Antequam autem campana ad hanc concionem ſignum datum eſſet, ab Antonio Hartero, *qui æditùum tum agebat, rumor inter cives diſſeminatus eſt, imagines jam ex templo ejectum iri, advigilandi igitur tempus adeſſe & modis omnibus contranitendi, ſe quidem paratum in hac cauſa vel extremum ſubire periculum. Hoc rumore excitati cives, ad templum durante adhuc concione, paulatim congregantur, ſitque opificum præſertim magnus concurſus, qui inſtrumentis variis inſtructi fremere invicem videbantur, donec ad campanas converſi, univerſam civitatem ad ſeditionem concitarent. Non movebatur interim* Schonerus, *ſed in concionando progreſſus, decreta Synodalia Auditoribus prælegere incipiebat, fremente interim Vulgo, & ſilentium non ſolum altâ voce ei imperante, ſed & ad diſturbandum ſuggeſto ſilicernium iſtud, ſeſe invicem exhortante. Cum igitur ex Profeſſorum elevatis ſubſelliis maturè, quid futurum eſſet animadverteretur, per miniſtrum Academiæ* Schonero *ſignificatum eſt, finem uti faceret legendi, quod tumultu & ſtrepitu magis magiſque creſcẽte, nõ modò nihil promovere, ſed ne exaudiri quidem commodè poſſet. Itaque ille ingenua confeſtim oraturus procumbens, finem concioni imponi, Hoc facto æditùus unà cum duobus qui ei adſtabant civibus, altâ voce cantum incipit, quo durante, populus catervatim magno tumultu accurrens, maledictaque & minas ſpirans fores templi areaſque vacuas occupat, ita ut exitus vix ulli poſtmodum pateret. Deſcendit interim ſuggeſto* Schonerus, *aramque:*

que, ut benedictionem auditoribus imperti... petiit: verùm à fœmina quadam, quam Goc...nii uxorem fuiſſe perhibent, monetur, ne ad Altare, ubi inſidiæ ipſi paratæ eſſent, ſe re...peret, ſed ad Baptiſterium ſtatim pergeret, & infantem ibi baptizaret, qui tamen propter turbas, quæ mox ſequebantur, baptizari in templo non potuit, ſed in arce poſtmodum baptizatus eſt. Exemplum mulieris hujus ſecuti Studioſi aliqui corona quaſi cinctum Schonerum, ab incurſu civium tuentur & à Baptiſterio ad contignationem Profeſſorum, qui rerum quæ infra in templo agebantur, planè ignari erant, deducunt, ſperantes fore, ut in tuto quaſi collocatus omne ibi periculum evitaret. Verum turbæ tamen cum clamore plebis invaleſcebant, ut nullo modo ſedari poſſent, fruſtra authoritatem ſuam Conſulibus, Senatoribus, Rectore Quæſtoreque ærarii publicè interponente, magiſque in id intentis ſingulis, quomodo periculo ſeſe eripientes, vitam lucrifacerent, atque conſervarent.

Cùm igitur in contignatione Profeſſorum congregati concionatores, ab omni humana ope deſtituti, præſentiſſimam quaſi mortem ante oculos viderent, irruentes catervatim poſt oſtium contignationis civium aliqui, cum multo furore adoriuntur eos, captivos abripiunt, veſtimenta eorum diſcerpunt, pugnis in faciem eos cædunt, pileos capitibus deſiciunt, verberibuſque ad ſanguinem uſque mulctant miſerè, & quamvis reliqui in ſolo conſtituti, præcipites eos ſibi dari de contignatione multo clamore expeterent, exaudiri tamen à furentibus illis non poterant, itaque cum ſummo impetu per oſtium concionatores, nihil vel commiſerationi vel preci apud ſeſe loci relinquentes disturbant. Et quidem Schonfeldium primò per gradus dejectum, in mediam Chori aream protrahunt, verberibus inter duo altaria conſtitutum excipiunt, in terram proſternunt, conculcant pedibus, elevatumque rurſus colaphis pugniſque tam crudeliter tractant, ut cruore fœdatus undique & ſanguinolentus appareret. Clamat miſer, parcite quæſo, deformatus ſum ſatis, captivum abducite: At illi, necate nebulonem, reſpondent, tundite, interficite, moxque pugno in tempora percuſſum ceu bovem proſternunt, ut exanimatus clamaret, Domine Ieſu ſuſcipe animam meam, & remitte illis, neſciunt quid faciant. Hac voce auditâ, quidam manum retrahunt, jam jam expiraturum eum putantes, alii terrâ levatum, ne in templo moreretur, palliiſque obvelatus in arcem, ubi vitam ſuam conſervaret, deducitur.

Schonfeldius in hac ſeditione miſerè tractatus.

Schonfeldio ablato, in Schonerum irruunt, eumque nullâ vel officii vel ætatis cui parcendum quidem aliqui clamabant, ratione habitâ, pugnis, colaphiſque exceptum & verberibus non parum caſum, eadem quâ Schonfeldium januâ, templo ejiciunt. Interim alii Vvigandum Pfaffium, qui ante hac tempora Ludimoderatorem Marpurgi per annos aliquot egerat, apprehenſum, in templi medium protrahunt, mulctant verberibus miſere, tandemque cum diris ſeſe devovens non reverſurum ut concionaretur Marpurgenſibus promiſiſſet, foribus expulſum dimittunt.

n Schonerus & Pfaffius tractati.

Supererat adhuc in templo Daniel Cellarius, (nam Iohannes Hainſtenius ex Profeſſorum contignatione ad ſubſellia Senatus, non ſine vitæ periculo ſe dimittens, Kyrchnerum ſecutus erat, cumque parum adhuc notus eſſet, & à pleriſque pro Studioſo haberetur, cum timore, & tremore ſe periculo ſubduxerat.) Cellarius igitur non in templo ſolum malè tracta'us eſt, ſed & inde extruſus cum charybdin ſuperaſſet in ſcyllam incidit, nam & in cœmiterio ſive veſtibulo ante templum, pugnis verberibuſque exceptus, & ad domicilium paſtorale confugiens, capite ad parietes detruſo, miſerè deformatus eſt. Implorabat in aula paſtorali opem uxoris Leu cheeri, & occultari ſeſe alicubi expetebat, quæ tam importuno ejus acceſſu ſtupefacta, furori eum proſequentis turbæ eripiens, ad ſtabulum deduxit, ibique per poſticum, ut erat pallio pileoque exutus, dimiſit, admonitione addita, fugeret jam quocunque vellet. Ille ſaluti ſuæ conſulturus fugam arripit, ſed fidere uſque adeo infelici, ut & lotrix quædam muliercula malleo ſuo eum peteret, & turba furentis populi ad portam uſque civitatis ingenti clamore currentem proſequeretur. Erant in horreo ante portam proximo trituratores aliqui, frumento excutiendo intenti, horum aliquis audito tumultu iſto progreditur, elevatoque in eum flagello ſiſtere currentem conatur, itaque Cellarius, propter Deum, inquit, oro, manum contine nihilque miſerè afflicto & ſatis jam ſuperque percuſſo, à quo tamen nec tibi nec alii, quicunque etiam ille ſit, damni quid illatum, parce. Quâ oratione permotus agricola, manus ab eo abſtinet, fugientemque dimittit.

De Daniele Cellario.

Iam quod ad dimiſſos & à docendi munere remotos Theologos, Leuchterum nempe, Vvinckelmanum & alios attinet, cùm ex Studioſorum, quos in convictu ſinguli habebant, relatione, edocerentur, tribus tribunoſque plebis conſtituiſſe, libellum ſupplicem Principi offerre, reſtitutionemque Theologorum exorare, convaſandis rebus ſuis operam dare cœperunt, ut ad abitum eo paratiores eſſent. Itaque quamprimum turba iſta cœpiſſent, civitate egreſſi ſunt. Gieſſam autem poſtmodo conceſſerunt, quæ civitas trium plus minus miliarium itinere Marpurgo diſtat, Illuſtriſſimis Landgravii Darmeſtatinis ſubjecta, idque eam ob cauſam, quod Illuſtriſſimus Princeps Darmeſtadienſis Ludovicus, cognito de dimiſſione Theologorum Marpurgenſium, nuncio, ſignificari ipſis per miniſtros ſuos maturè curaverat, ne operam ſuam vel exteris offerrent, vel ullam ſeſe inſcio, vocationem acceptarent, decreviſſe enim ſe de com-

Theologi dimiſſi Gieſſam ſe conferunt.

moda

moda vocatione ipſis proſpicere; quod ita etiam factum eſt, Scholâ non multo poſt in ea urbe apertâ, in qua docendi munere plerique jam funguntur, quæ etiam cauſa fuit, quòd urbe ſemel egreſſi, in eam poſtmodo non redierint, monentibus nimirum eos Ludovici *Conſiliariis, ut civitate iſtâ, in quam milites introducti erant, ad tempus abſtinerent, nec ad illam temerè reverterentur. Æditus, cujus ſuprà mentio facta eſt, ipſe etiam ad Gieſſenam confugiens, integro adventantes, & in vicinia moram nectentes, Theologos die, prævertit.*

Seditioſi Marpurg. templum claudunt, & de urbe munienda deliberant.

Cæterum cives quemadmodum in fervore & tumultu iſto; Exite nebulones, templum hoc noſtrum eſt, clamare ſæpe audiebantur, ſic ejectis jam & expulſis novis Theologis, fores templi claudere, claveſque ad ſeſe rapere, quinimò, peracto hoc facinore, triumphantes quaſi ad Curiam catervatim procedere & de foribus templi portiſque civitatis muniendis probè & cuſtodiendis, per horas aliquot deliberare atque conſultare viſi ſunt, Profeſſoribus interea ipſoque Conſule & Studioſis aliis, non exiguo in timore & metu conſtitutis. Majores enim dubio procul turbæ in civitate per noctem excitatæ fuiſſent, niſi Princeps Mauritius, *qui Gemindæ tum ſubſiſtebat, accepto de turbis hiſce nuncio, itineri ſtatim ſeſe accingens, ad turbulentum iſtum locum ſeſe contuliſſet, & ſub veſperam, ſeptendecim non amplius equitibus ſtipatus, urbem ingreſſus fuiſſet. Cujus ab adventu tametſi mitiores jam factos furentium animos, nemo eſſet, qui non putaret, & Princeps ipſemet etiam omninò ſibi fore perſuaderet, ut ſequenti ſtatim die, aram ſibi atque precatorem parantes, coram Celſitudine ſua compararent, veniamque delicti ſui eam rogarent, nulla uſque adeò in populo pœnitentiæ ſigna apparuerunt, ut arma quilibet domi ſuæ parare, & quicquid in civitate tormentarii pulveris erat, præſenti pecuniâ redimere viderentur. Non erant jam hæc pacis & tranquillitatis ſigna, itaque Princeps ut malum à civitate majus averteret, miſſis circa veſperam ad Tribus Civeſque in Curia congregatos Secretario ſuo* Eccardo Sengero, *& Quæſtore ærario,* Petro Denhardo, *ſignificari illis curat, quam excitatis hiſce in templo & civitate turbis graviter offenſus atque conturbatus ſit: Quamvis autem non ignoret, quomodo turbis hiſce obviandum, & quæ malo huic medicina adhibenda ſit, decreviſſe tamen ſeſe non ſtricto juris rigore cum ipſis agere, ſed patienter hunc etiam exceſſum ſufferre, ut omnes intelligant, non privatis ſeſe affectibus indulgere, ſed ad gloriam Divini nominis & Eccleſiæ ſalutem omnia directa velle, ſi tamen ſequentibus morem gerere & obtemperare articulis non recuſent. Poſtulare enim ſe* Primò, *ut qui acceptas templi claves, ad locum, quo non decet, detulerunt, non in templum ſolum referant, coramque deputatis Conſiliariis ſuis deponant, ſed ſeipſos etiam Principi reos ſiſtant, & pœnam ſeſe promeritos fateantur.* Deinde *imperare ſeſe ut in poſterum conventibus abſtineant, & ſine expreſſo Principis permiſſu, concilia nulla ſive privata ſive publica cogant, idque præſentibus ſuis Conſiliariis loco juramenti, abſque ulla deliberatione & tergiverſatione facturos ſeſe polliceantur.* Tertiò, *mandare ſeſe, ut cum craſtino die Sacra rurſus in templo peragenda ſint, miniſtros ad hoc ordinatos non modò non interturbent, ſed & tanquam Deo & Magiſtratui obtemperantes, ad templum frequentes confluant: & Sacris tranquillè interſint, jurejurandoque quod à miniſtris docendi munere impoſterum ſuo juſſu functuri ſint, abſtinere, multaque eos injuriâ contumeliave afficere & onerare velint. Cæterum cùm hoſce Articulos populus ſimpliciter admittere recuſans, certam quaſi rationem Principi, quam in ſedandis & dijudicandis hiſce motibus ſequeretur, præſcribere nihil quicquam vereretur; Princeps reſponſo populi cognito, eoſdemque è veſtigio iterum ablegat ſignificatum populo, ſe reſponſo tali non contentum eſſe, nec ſententiam paulo ante ipſis propoſitam & explicatam ullo modo mutare velle: Acceptarent igitur propoſitas conditiones, & paternæ Principis admonitioni locum darent, quieſcentes impoſterum & ab omni vana machinatione abſtinentes, in ſeveriorem aliquam à Principe animadverſionem, cui media quidem authoritatem ſuam apud ſubditos conſeruandi & in ordinem eos redigendi, non defutura ſint, expectare vellent. Severitatem hanc animadvertentes mitiores aliquanto facti ſunt, jamque ad preces converſi, obedientiam Principi debitam promittunt.*

Landgravius Mauric. opportunè advenit & deploratis rebus opem fert.

Quæ poſtularit Langd. Mauritius à civibus Marpurg.

Cives Marpurg. juſſu Landgravii arma in Curia deponunt.

Poſtero die Princeps coram Cancellario Conſiliariiſque & aliquot aliis ex equeſtri ordine, qui cum ſignis aliquot militum in arcem vocati fuerant, ſeriem totius negotii exponit, jubetq; eos quid facto opus porrò ſit maturè deliberare, qui imperandum civibus cenſent, arma uti ſua (quod fieri in caſibus ejuſmodi ſoleat) deponant; Profectus igitur in curiam, qui Ducem exercitus agit, Sternburgus à Levenſtein, *tribunos plebis admonet, ut ſi obedientiam quam ſub Principi prioris diei veſperam verbis polliciti eſſent, reipſa declarare & præſtare vellent, arma ſua, more in ejuſmodi caſibus conſueto, in Curia deponant, id enim Principem ſeriò ab omnibus expetere. Parent illi allataque in curiam arma deponunt, facientibus idem ſequenti die civibus in civitate aliis. Cæterum hoc facto, ſigna aliquot militum ex arce in civitatem traducta ſunt, qui in foro, cœmiterio, portiſque civitatis conſtituti populum in officio continerent, novaſque turbas præcaverent.*

Cum

Schonfeldius concionem habet, in qua cives Marpurg. delicti ſui admonet, & ut veniam à Deo Principe ſupplices petant hortatur.

Cùm autem præterita Soli die ſignificatum è ſuggeſto eſſet: communi omnium voto preces nona Auguſti die in templo habendas eſſe, additâ admonitione, ut frequentes ad iſtum diem convenirent, nolebat omnino Princeps ut hoc tam pium opus intermitteretur, tametſi Theologi ab acceptis plagis & vulneribus nondum per omnia convaluiſſent. Movebat eum etiam prophanatio loci illius Sacro Sancti, quæ tumultu iſto facta fuerat, ut ab invocatione & reconciliatione Dei initium futuræ pacis faciendum putaret. Dato igitur ſigno, non ſolum ipſemet ad templum profectus eſt, ſed Concionatores etiam ſua manu in templum, ex quo furore populi nuper ejecti fuerant, introduxit, ubi Schonfeldius, *vibices adhuc & ſigna verberum in facie & capite præ ſe ferens concionem ex illo Matthæi 5. capite:* Diligite inimicos veſtros, benefacite eis qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filij Patris veſtri qui in Cœlis eſt, *habuit. Docens initio omnium Chriſtianorum, atque ita etiam ipſorum, qui verberibus & plagis indignè accepti eſſent, concionatorum eſſe, ut injuriarum immemores, calumniantibus & hoſtili animo perſequentibus ſeſe, benefaciant, & pro illis à quibus percuſſi fuiſſent, intercedant atque deprecentur. Deinde magiſtratum quidem etiamſi officii ratione non poſſit malum habere inultum, tamen ad vindictam triſti potius condolente, quàm læto accedere vultu debere, maximéque id operam dare, ne juſti & innocentes ſimul cum injuſtis ad pœnam, quòd à Theodoſio laudato alioquin Imperatore factitatum, abriperentur, ſed ut edito in paucos exemplo, multi, à malitiæ ſemita abſterreantur. Additâ tandem admonitione, debere omnino cives iſtius loci agnoſcere, quàm graviter non in homines ſolum, ſed Deum ipſum & ſummum Magiſtratum peccarit, domo precationis in ſpeluncam latronum converſâ, idque ſine omni vel concionatorum vel Magiſtratûs culpa, cùm novo quidem & inaudito exemplo, Princeps pro declaranda benevolentia ſua, ut amicus cum amicis in templi veſtibulo non ita pridem egerit, & mentem propoſitumque ſuum omnibus aperuerit, concionatoreſque non ductu proprio, ſed Principis hortatu ſuaſuque munus concionandi obierint, omneſque ad pacem & tranquillitatem colendam, ex Evangelio deſolationem Hieroſolymæ denunciante, adhortati fuerint. Addebat igitur epiphonema ejuſmodi, optandum eſſe, ut Marpurgenſes quidem, concione illi aures adhibuiſſent. Verum enim verò cum peccatum tam ſit, agnoſcendum quidem illud, pœnitentiam tempeſtivè agendam eſſe, ſublatis in Cœlum manibus, & remiſſione illius tam atrocis delicti à Deo miſericordiarum Patre implorata monebat.*

Finitâ concione & peractis precibus, Princeps ex ſtatione ſua populum compellans exſpectare pauliſper & quid eum vellet percipere jubet, moxque præmiſſa excuſatione & cauſis, cur in ſacro iſto loco verba faceret, anxiè admodum & graviter de commemoratis ſupra turbis conqueri, & quantum inde dolorem percepiſſet exponere cœpit, augeri dolorem ſuum affirmans, conſideratione temporis, loci & Perſonarum. Eodem enim 6. Auguſti die, ante 17. annos, Sabinam matrem ſuam, peſte correptam, ex hac vita deceſſiſſe, jamque cum triſtiſſimi iſtius caſûs memor luctui indulgeret, nuncium de turbis hiſce ſeſe accepiſſe, ut dolor hinc genuinus in corde ſuo extiterit. Quod ſi cogitet quo loco & contra quas perſonas turbæ iſtæ excitatæ ſint, non poſſe ſeſe ingemiſcere, & toto pectore furorem iſtum deteſtari, quo ex domo precationis, ſpelunca latronum facta ſit. Quibus, *inquit*, ego oculis ſuggeſtum hoc aſpiciam, ex quo legem Domini audire recuſaſtis: ingrediarne ambitus circuituſque templi hujus, per quos concionatores meos magno cum impetu perſecuti eſtis? Delectérne contignatione & ſubſelliis Profeſſorum, ubi primus in concionatores impetus factus eſt? Quibus oculis chorum intuear, ubi inter duo altaria concionatores mei verberibus excepti, & exanimes in terram dejecti ſunt? Aut quo tandem animo templi hujus oſtium ingrediar, unde meos miniſtros cum impetu exturbatos novi? Iam cum cogito, qua in civitate & à quibus civibus exceſſus iſte factus ſit, nempe ab illis, quos ego paterne ſemper dilexi: & quibus ſingularem meam benevolentiam verbis factiſque teſtatus ſum ſæpiſſime. Augetur mirificè dolor meus, quod nemo inventus fuerit, qui malo ſeſe huic opponere auſus eſſet. *Proteſtatur deinde, ſe, licet officii divinitùs ſibi commiſſi ratione, exceſſum hunc punire teneatur, non delectare tamen ſuorum interitu, itaque ut pœnam non niſi nocentes ſentiant, innocentes vero clementia & benignitate ſua fruantur, operam daturum pollicetur. Non enim decreviſſe ſe animum à civitate iſta paternum avertere, ſed eam modis omnibus tueri & fovere, dummodo ſubjectionem & obedientiam debitam cives impoſterum declarare non neglexerint. Cæterum cum ob imaginum demolitionem turbæ iſtæ in civitate excitatæ ſint, non permiſſurum ſe, affirmat, ut tale quid à mutis idolis impoſterum metuendum ſit, & vivæ Dei imagines propter ea deſtruantur. Itaque imagines omnes, & contignationem etiam ſimul Profeſſorum ob violatam in ea libertatem Academicam, demoliri & evertere decreviſſe: cujus quidem rei eo ipſo etiam die, finito ſtatim hoc ſermone, initium factum eſt, aliquot adhuc militum ſignis in urbem introductis & per ædes civium varie diſtributis.*

Landgravius Mauritius in templo adſtans Marpurg. ex conſcientia læſione & magnitudine delicti verba facit.

Sequentibus 10. & 12. Auguſti diebus, facta inter

inter cives de authoribus huius tumultûs inquiſitione, aliqui in cuſtodiam traducti ſunt, ſed primarii tamen fugâ ſibi iam ante conſuluerant.

Tribuni plebis cum Conſulibus totius civitatis nomine apud Principem culpam deprecati ſunt.

At verò Tribuni plebis cùm Conſulibus & Senatorij ordinis præcipuis, 13. poſtmodum Auguſti die in arcem profecti ſunt, cumque admiſſi ad Principem eſſent, libellum ipſi ſupplicem totius Civitatis nomine obtulerunt, provolutique ad pedes eius, ſupplici voce, per Theodoricum *quendam* Erneſtum, *cui ut ſeniori hoc muneris impoſitum erat, culpam deprecati ſunt, liberare ſeſe militum iſthoc onere petentes, obedientiamque & officia debita promittentes: Acceſſerunt verò etiam concionatores offenſi, & per* Schônfeldium *pro civibus intercedentes, uti condonaret ipſis delictum hoc, Principem rogarunt, qui in præſentia Cancellarii, Conſiliariorum, Profeſſorum & reliquorum aulicorum,* Surgite, *inquit,* Deus enim non ſum, coram quo in genua procumbere neceſſe ſit. Quod verò culpam deprecaturi adveniſtis, laudem equidem ſuam meretur, iamque pridem à vobis factum oportebat. Severitatem equidem aliquam pro ſedando hoc tumultu, abſque tamen vlla Sanguinis profuſione declaravi, id verò mandato Dei, & multorum Regum, Principumque exemplo factum noveritis, non quidem eo fine, ut vi aliquâ externâ, & militum metu vos ad religionem aliquam cogerem, ſed ut diffluentes ſuperbiâ animos retunderem, ad obedientiam & ſubiectionem erga Magiſtratum veſtrum vos revocarem, & maius aliquod malum præcaverem. *Pollicetur igitur ſe, ſi quod verbis promitterent, ipſo etiam facto præſtituri ſint, iuſtitiam impoſterum ita adminiſtraturum, ne clementiæ ſuæ oblitus videatur. Sequenti itaque ſtatim 14. Auguſti die novem militum ſignis ex civitate avocatis levationem & pœnæ mitigationem cives non exiguam ſenſerunt, donec tandem primariis aliquot ſeditionis huius authoribus exilio mulctatis & proſcriptis, qui adhuc ſupererant milites ſimul omnes dimiſſi, & arma civibus iterum reſtituta ſunt.*

Concionatores malè tractati pro civibus intercedunt. Landgravius in gratiam recipit cives.

Poſt hanc reformationem variæ ſcriptionum velitationes inter Marpurgenſes & Gieſſenſes Theologos factæ ſunt, his reformationis articulos, quantumuis, vel ipſorummet teſtimonio, in verbo Dei fundatos, ex mera contendendi libidine & vindictæ ſtudio, improbantibus, illis verò defendentibus. Rogandus eſt autem Deus ut his contentionibus & controverſiis nocentiſſimis in Eccleſia ſua modum finemque faciat.

FINIS.